Digitized by Google

NAZIONALE
8
49 G
4 M
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
ROMA

S.49.G.4


R. P. DIDACI
RVIZ
DE MONTOYA
HISPALENSIS,
è Societate IESV,
IN COLLEGIO HISPALENSI
S.Hermenegildi Theolog.Profeſſoris,
Commentarij, ac Diſputationes
Ad quæſtionem XXII. & bonam partem quæſtio-
nis XXIII. ex prima parte S.Thomæ,
De Prouidentia prædefiniente, ac præbente
prædeſtinationis exordium.
LVGDVNI,
Sumptib. IACOBI, ANDREÆ,
& MATTHÆI PROST.
M. DC. XXXI.
Iesv Christi

40

ILLVSTR^MO ET REVER^MO ANTISTITI

FRANCISCO D'ALBON,

BARONI, ET ABBATIÆ REGIÆ SALVINIENSIS ABBATI DIGNISSIMO,

necnon Eccleſiæ Lugdunenſis Comiti meritiſſimo,

IACOBVS PROST, S. P. D.

DIVINÆ myſterium prouidentiæ quod continetur his libris, prodire in publicum reſpuebat, niſi facem præferres: hoc vnum ex eius decretis erat, vt tuis euulgaretur auſpiciis, ſibíque præſtares quod Soli Lucifer, acceptæ claritatis obſequium. Authoris etiam nobiliſſimi mentem ſic interpretor, vt quem in extraneo ſolo ingenij fœtum edebat, à Nobiliſſimo Viro de prælo ſuſcipi peroptarit, qui claritate nominis, & authoritate patrocinij peregrinum opus protegeret. Obſeruantia denique in te mea ſollicitum me pridem habuerat, quo poſſim modo teſtari tibi quod latebat in animo; latere autem nolebam diutius colendæ dignitatis tuæ deſiderium, cùm venit commodum in manus eiuſmodi opus, vt quod offerrem, non expeterem dignius. Decretum igitur opus viro piiſſimo, tibi offertur: commendatum nobiliſſimo, tibi ſiſtitur: debitum meritiſſimo, tibi redditur: quem non minùs pietas, quàm natalium ſplendor nobilitat, non minùs commendant officia in amicos, & patrocinium in clientes, quàm opes atque potentia. Tribus illis nominibus rependo vnius dedicationis officium, vt ex inopia mea non parua fiat ad gloriam tuam acceſſio: dum profiteor multiplici merito tuo vix vnum poſſe obſequium reddi, nedum obſequium multiplex vni merito. Magnarum id mentium eſt, vt plura deberi ſibi quàm reddi velint. officia & cultum apud alios, quàm merita penes ſe deſiderari malunt, & deſertores nominum pati

ã 2 quàm

quàm fœnerari in collocanda gratia. Vellem autem, ſi pateretur locus, cumulare huius officij tenuitatem elogiis, quæ vt reddantur tibi, non poſtulant oratores, ſed hiſtoricos. Laudauit tua qui narrauit eò illuſtriùs, quò ſynceriùs; maiorem habet hiſtoria fidem, quàm panegyris; creduntur propria dignitate deſtitui, quibus accerſitur aliena; habetur pro magno, cui nuda narratio plauſum ciet. Non poſſum tamen vel in his dedicationis officioſæ anguſtiis, ſociatam in te mirabili nexu cum claritate generis pietatem tacitus prætermittere. Conflauiſti electrum ex auro pietatis, & argento nobilitatis, non Lyndo Rhodiorum, ſed Lugduno Gallorum debitum: illic Helena in templo Mineruæ calicem ex electro mammæ ſuæ menſura dicauerat; hîc autem nobilis exemplum pietatis circumferens, propinas ad imitandum, & adultis ardua velut ex calice, & lactentibus quaſi ex mamma facilia. Electrum conflari aiunt è duobus metallis principibus ita temperatis, vt quatuor auri partibus, quinta ex argento permiſceatur, melioris conſortis locupletanda coniugio. Cultum virtutis aurum interpretor, generis claritatem argento confero; hanc verò ex longa retrò antiquitate per continua trecentorum & ampliùs annorum incrementa collegeris. næ ſi ad quatuor melioris boni, virtutis ſcilicet partes, accedat ſolummodo quinta, magnum ab illa decus accedere tibi neceſſe eſt, quæ clariſſima nobilitate tanto ſit incremento illuſtrior. Qui terræ filiis dicunt panegyros, obſcuritatem generis illa vulgari parœmia eleuant, μίαν εὐγένειαν ἀρετὴν εἶ, excurrúntque aliquando in contemptum nobilitatis, ſophiſtæ videlicet otioſi. Aliàs vbi in laudem viri genere quàm moribus clarioris inciderint, conuerſa velificatione pro nobilitate etiam ſolitaria quidquid fors obiecit effutiunt. Habet nimirum ars etiam oratoria ſuos cothurnos; ſunt rhetores vti milites ἀμφιδέξιοι & ambilingues: norunt vnis eloquentiæ velis in contraria tendere. Tu verò hæc pigmenta ſophiſtica reſpuens luculentum vtriuſque laudis argumentum ſuppeditas, apud quem fortunæ liberalitas virtute victa eſt; vt quamuis illa profuſa fuerit, præ muneribus huius parciſſima dici poſſit. Hoc nimirum electrum eſt, cuius quinta illa pars, nobilitas inquam, ab eo capite fluxit, vt tibi ad ambienda ſumma ius ampliſſimum præbeat. Quis enim vbi te nouerit à Comitibus Alboniis, Delphinis Viennenſibus, Aruernenſibus, à Comitibus Seguſianis oriundum, non reprehendat potiùs Fortunæ parſimoniam in hodierno ſplendore familiæ tuę, quàm luxuriem. Non ſanè tenuia ſunt eius apud vos munera, ſed nec æqualia debitis. Quæ tam edito loco principia generis veſtri poſuit, niſi degener eſſe amat, pergat prouehere altiùs. Ab hoc excelſo capite geminum fluxit Heroum agmen, quo tum Eccleſia, tum militia Gallica per tot iam annos claruit. Abbatiæ quam

hodie

hodie regis, infula iam inde à temporibus Andreæ & Guillelmi d'Albon per continuam ducentorum & quindecim annorum ſeriem in familia tua permanſit, ita vt poſterorum nullus antè dignitatis, quàm virtutis hæreditatem adierit. Militarium verò Heroum ſeries, per continuas generoſæ ſtirpis propagines, munerúmque & facinorum clariſſimorum gradus, ad vſque parentem tuum deducta eſt, in quo velut ex longo itinere fatigata colligat vires ad æternitatem emetiendam nepotibus. Quippe ab eo ſuſcepta eſt ea proles, quæ virtute & numero mortalitati legem dictura ſit. Ea ſpe fretus, quod immortale cupio tibi dedico; nomen tuum tabulis noſtris ita inſeritur, vt ab ipſo in tabulas, non ab iſtis in illud perennitas deriuetur: voueóque non tam vt viuas & valeas, cui iam certa eſt immortalitas nominis, quàm vt viuere & dici merear

Tuus humillimus, & obſequentiſſimus ſeruus

IACOBVS PROST.

CENSVRA.

PErlegi hunc de Prouidentia tractatum maxima cum delectatione, vtilitate & æſtimatione. Et ſi quod ſentio dicere vellem, verba mihi, tempus tibi, authori laus non ſufficeret. Sed vno verbo dicam, quod de Hilario Hieronymus. Authoris librum inoffenſo decurre pede, à capite, inquam, ad calcem, ab imo ad ſummum. Nam ſi fundamenta inſpicias, vel è Sanctorum Patrum ſcriptis (quæ ipſe ſedulò legiſſe, & ſapienter intellexiſſe ſatis vbique oſtendit) vel è profundiſſimis rationum & argumentorum venis maxima cum dexteritate & acumine eruta, iactáque inuenies. Si verò doctrinæ ſtructuram adſpicias, miraberis modum, methodúmque docendi, eſt enim in indagando diligens, in diſquirendo profundus, in explicando perſpicuus, in diſputando acer. Denique ſi ad culmen ſuſpicies, perfectum Doctorem laudabis, in diſcurrendo nouum, in opinando antiquum, in loquendo grauem, in iudicando ſecurum. Soli lucem affero, notus ipſe & omnibus. qui legerit, eliget. lege, & fruere bono tuo, bonóque communi. Hiſpali 10. Februarij 1627.

D. GVNDIZALVVS DE CORDVBA.

DE mandato Senatus Regij vidi Commentaria hæc Reuerendi admodum P. Didaci Ruiz de Montoya, Hiſpalenſis, è Societate IESV, in Prouidentiam diuinam prædefinientem, quam latebris emerſam ſuis magnam in lucem promit, vtiliter, modeſtè, doctè: & (quod eximium eſt) piè, & religioſè, & ſecurè. Quare typis dari conſultiſſimum reputo. Matriti apud beati Martini Benedictinum Cœnobium XII. Kalendas Maij anno 1627.

FR. ANTONIVS PEREZ.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

EGo STEPHANVS BINETVS, Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14 Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos, abſque Superiorum eius permiſſione imprimant: permitto Iacobo, Andreæ, & Matthæo Proſt Lugdunenſibus Bibliopolis, vt Opus quod inſcribitur, *R.P. Didaci Ruiz de Montoya, Commentarij de Prouidentia Dei*, ad octo proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni 24. Decembris 1630.

STEPHANVS BINETVS.

APPROBATIONES.

QVidam trepidant timore vbi non eſt timor; ſed non eſt quòd in ſuis Diſputationibus & Commentariis trepidet, aut timeat, dum de Prouidentia Dei agit, R. P. Didacus Ruiz de Montoya, Hiſpalenſis, è Societate IESV; rationes enim, ſeu fundamenta quæ in hoc opere ſuo continentur, validæ ſunt, & in monte prouidentiæ Dei ſic fundatæ, vt minimè ruant; nihil enim contra fidem proponunt, adeò vt cùm in lucem editæ erunt iſtæ Diſputationes, non ruis, ſi legis: ita cenſemus nos Doctores Theologi Pariſienſes. Lugduni in Conuentu S. Bonauenturæ die decima ſeptima menſis Maij 1630.

FR. DESIDERIVS RICHARD Conuentus S Bonauenturæ Guardianus.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON in eodem Conuentu Lector.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE, in ſacra Theologia Magiſter, in Eccleſia S. Crucis Cuſtos, & D. D. Alphonſi Ludouici du Pleſſis de Richelieu, Illuſtriſſimi Cardinalis, ac Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Lugdunenſis, Vicarius generalis ſubſtitutus: fidem facimus nos hæc *Commentaria de Prouidentia Dei, Authore R.P. Didaco Ruiz de Montoya, Hiſpalenſi, è Societate* IESV, vidiſſe, nihilque in iis ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ fide, Sanctorúmque Patrum ſana doctrina alienum contineri. Lugduni 15. Kal. Iun. 1630.

DE VILLE.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

REGIS Chriſtianiſſimi Priuilegio, dato Lugduni 22. Maij 1630. cautum eſt, ne quis in Prouinciis ſuæ ditioni ſubiectis, præter Iacobum, Andream, & Matthæum Proſt, Bibliopolas Lugdunenſes, aut de illorum facultate, opus hoc, cui titulus eſt, R.P. Didaci Ruiz de Montoya, è Societate IESV, de Prouidentia Dei, intra octennium, à die editionis primæ computandum, mandare typis queat, ſub pœnis in eo contentis.

De mandato Regis

RENOVARD.

SYLLA

SYLLABVS
Quæſtionum, & Articulorum,
EX PRIMA PARTE D. THOMÆ.

QVÆSTIO XXII.
De Prouidentia Dei.

ARTICVLVS I.

VTrùm prouidentia Deo conueniat. fol. 2

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnia ſint ſubiecta diuinæ prouidentiæ. ibid.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Deus immediatè prouideat omnibus rebus. 61

ARTICVLVS IV.

Vtrùm prouidentia rebus prouiſis neceſſitatem imponat. 83

QVÆSTIO XXIII.
De Prædeſtinatione.

Agitur hoc tomo de Prædeſtinationis exordio, ſeu præambulo ad ſequentem tomum, vbi de hac materia plenè, & ex profeſſo.

INDEX
Tractatuum, Diſputationum, & Sectionum.

TRACTATVS PRIMVS.
De eſſentia prouidentiæ.

DISPVTATIO I.
Vtrùm omnibus rebus in particulari quantumcumque minimis, & viliſſimis, diuina prouidentia conſulat.

Sect. 1. VOcis etymologia. fol. 1
2. Philoſophorum errores admixtis veris teſtimonijs de prouidentia. ibid.
3. Exactiſſimam prouidentiam omnium rerum etiam ſingularium, & minimarum, docent ſacræ Litteræ, & Patres. 5
4. Actionibus demonſtratur prouidentia Dei. 7
5. Minimis etiam rebus ac viliſſimis non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari prouidere Deum. 9
6. Circa proſperam & aduerſam fortunam piorum & impiorum, qui videtur eſſe defectus gubernationis, eſt indicium prouidentiæ ſuperioris. 12
7. Vtrùm aliquis euentus ſit caſualis, aut fortuitus reſpectu prouidentiæ diuinæ. 14
8. Deus cauſat, vt ſit monſtrum & curſus comparatione particularis cauſæ, non autem comparatione Dei, & inde ſoluuntur argumenta. 17
9. Vtrùm aliquis euentus ſit contingens comparatione diuinæ prouidentiæ. 19

DISPVTATIO II.
Vtrùm mala cadant ſub prouidentia Dei.

Sect. 1. Peccatum formaliter vt tale ſubditur diuinæ prouidentiæ. 21
2. Amplius explicatur, ac defenditur prouidentia circa peccata, quinque dubiis expeditis. 24
3. Vtrùm mundus foret perfectior, ſi nullum Deus permitteret peccatum. 26
4. Perfectius redditur vniuerſum permiſſione peccatorum. 27
5. Argumentorum ſolutione roboratur & ampliatur concluſio præcedentis ſectionis. 29
6. Materiales actiones peccatorum peculiari modo ſubiiciuntur diuinæ prouidentiæ. 31

DISPVTATIO III.
Quid ſit prouidentia tam naturalis, quàm ſupernaturalis.

Sect. 1. Quæ fine controuerſia ſunt præmittuntur, & aperitur ſtatus controuerſiæ. 34
2. Prouidentiam & prædeſtinationem in voluntate conſtituens prima ſententia. 35
3. Prouidentia & prædeſtinatio conſiſtet potiſſimum in actu intellectus. 37
4. Solutiones ad argumenta, quæ contendebant, in voluntate conſtituere prouidentiam & prædeſtinationem. 40
5. Quænam ſit intellectio illa, in qua conſiſtit prouidentia & prædeſtinatio, num iudicium de poſſibilitate obiectorum. 41
6. Monaſticum imperium negandi authores, & argumenta. 42
7. Refutatur imperium intellectus, quòd non ſit iudicium aſſertiuum. 43
8. Nullum imperium rationis mouet volitiones diuinas. 45
9. Imperium intellectus, neceſſarium ad actiones tranſeuntes explicatur. 46
10. Soluuntur argumenta, quæ pugnant aduerſus

Digitized by Google

aduersùs imperium enunciatiuum liberæ volitionis & operis exequendi. 49
11. Soluuntur argumenta, quæ ſuprà ſectione ſexta pugnabant contra monaſticum imperium intellectus. 51

DISPVTATIO IV.

Num prouidentia contineat aſſecutionem finis, creationem, diſpoſitionem, fatum, ſcientiam, & artem.

Sect. 1. Authores & rationes ad probandum, conſecutionem finis eſſe de ratione prouidentiæ. 52
2. Finis aſſecutio non eſt de ratione prouidentiæ. 54
3. Magis explicatur quo ſenſu prouidentia non requirat aſſecutionem finis. 56
4. Soluuntur argumenta poſita in ſectione prima. 57
5. Quomodo prouidentia diſtinguatur à creatione. 58
6. Diſpoſitio, fatum, ſcientia, & ars diſtinguuntur à prouidentia. 59

DISPVTATIO V.

Quouſque ſit mediata, vel immediata conſeruatio, cooperatio, & gubernatio rerum.

Sect. 1. Quónam genus cauſæ contineatur in quidditate prouidentiæ. 61
2. Conſeruationem creaturarum & cooperationem cum omnibus cauſis, ad regimen prouidentiæ pertinere, probatur Scripturis & Patribus. 62
3. Cætera teſtimonia Patrum pro neceſſitate prouidentiæ conſeruantis & cooperantis. 64
4. Actione probatur, omnes creaturas indigere pœniteutia conſeruante. 66
5. Vtrum eſſe debeat totaliter immediatus & adæquatus concurſus, per quem diuina prouidentia conſeruat creaturas incorruptibiles, atque ſit ipſemet concurſus creatiuus. 69
6. Totalis immediatio concurſus conſeruatiui, & identitas cum creatiuo. 70
7. Corruptibiles ſubſtantias & accidentia prouidentia conſeruat mediantibus cauſis ſecundis. 72
8. Ordinaria prouidentia ſemper vtitur cauſis ſecundis ad quoſlibet effectus determinandos, producendos, & conſeruandos. 75
9. Satisfit argumentis poſitis in ſectione ſeptima; deinde verò argumentis poſitis in ſect. quinta 77
10. Nulla mediante prouidentia, ſed variis executionibus mediantibus, Deus prouidet. 78
11. Immediatio maxima generalis concurſus. 80
12. Magis explicatur immediatio diuini concurſus. 81

TRACTATVS SECVNDVS.

De Prædefinitionibus.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm Deus prædefiniat liberas operationes, quæ bonæ ſunt.

Sect. 1. POſſibilem eſſe prædefinitionem bonarum operationum. 84
2. Prædefinitione Dei cauſari quælibet opera pietatis, probatur ex electione, ſorte & diſcernente cauſa. 86
3. Diuinæ voluntatis abſolutum dominium, imperium, & cura ſeruandi ſuos, & ſibi relinquendi, probant eandem prædefinitionem. 88
4. Vocatio ſecundùm propoſitum, & præparatio voluntatis probant eandem prædefinitionem. 91
5. Prædefinitio fidei, & perſeuerantiæ in obſeruantia omnium mandatorum 92
6. Prædefiniuntur cauſæ, vt omnia cooperentur in bonum, & generatio Dei ſeruat electum. 94
7. Prædefinitionis eiuſdē aliæ multæ probationes attingūtur & remittuntur 95
8. Impiorum etiam & reproborum voluntates Dei prædefinitio flectit, vt velint fauere prædeſtinatis. 97
9. Actionibus probatur prædefinitio bonarum operationum. 98

DISPVTATIO VII.

Eorum qui compelluntur intrare Lucæ 14. quibus medijs, illæſa libertate, prædefinitur conuerſio.

Sect. 1. Scopus diſputationis, & vniuerſalior concordia compulſionis cum indifferentia libertatis. 99
2. Cōpulſio ſecundùm quid adhibetur tangēte Deo, & illuſtrāte intellectum, ac permutante voluntatis affectum. 101

3. Illuſtriora compulſionis exempla Hieremias & Paulus. 103
4. Terrores & flagella ſuaſionibus addita, liberè intrare compellunt. 104

DISPVTATIO VIII.

Num vaga & indeterminata infallibilitas ex parte obiecti ſufficiat, vt actus liber in vniuerſali prædefiniri queat.

Sect. 1. Diſtribuitur in plures infallibilitas vaga, & probatur ea, quæ vagatur circa diuerſas perſonas, actiones & motiua. 106
2. Comparatione vnius & eiuſdem perſonæ infallabilitas actionum in genere, relicta ſpecierum indifferentia. 108
3. Vaga infallibilitas operationum ſub eadem ſpecie, & comparatione vnius perſonæ. 110
4. Vaga prædefinitio actionum ſiue in genere, ſiue in vna ſpecie infima deducitur ex dictis. 113
5. Maior explicatio præcedentis concluſionis, & argumentorum ſolutio. 116
6. S. Thomæ & aliorum Scholaſticorum ſuffragia pro vaga prædefinitione, præſertim operationum Ieſu Chriſti Domini noſtri. 117
7. Neceſſitas vaga & in generali non obſtat, quo minùs omnes formalitates ſpecificæ atque genericæ ſint abſolutè liberæ. 121
8. Vtrùm termino certo claudatur ac determinetur ſpacium temporis, per cuius varias partes vagatur infallibilitas actus. 124
9. Non ſatisfacit ſolutio, confugiens ad terminum extrinſecum temporis, & infinitas partes proportionales illius. 127
10 In poſtrema temporis morula, necnon in illius terminatiuo inſtanti non minus, quàm in prioribus, vel intermediis, liber erit Petrus ad omittendam electionem, vagè prædefinitam. 128
11. Infallibilitas ab extrinſeco deuoluta, ſoluit difficultatem, tractatam in tribus ſectionibus præcedentibus. 129
12. Vaga neceſſitas quomodo poſſit cum libertate conſentire. 132

DISPVTATIO IX.

Vtrùm ſingulas operationes in particulari cum omnibus circumſtantiis Deus prædefiniat.

Sect. 1. Negatiuæ partis authores, argumenta & ſolutiones attinguntur, ac remittuntur. 135
2. Prædefiniri determinatè, & in particulari quaſlibet bonas operationes, probatur authoritate Scholaſticorum. 137
3. Prædefinitio determinata & in particulari probatur; quia Deus fecit ventura Iſaiæ 45. 140
4. Probatur vlteriùs, Deum eſſe, qui ſingula bona in particulari facit in tempore, & facienda decreuit ab æterno. 142
5. Alia teſtimonia Patrum de prædefinitione bonarum operationum in particulari cum omnibus circũſtantiis. 143
6. Quæ de iudiciis, & occultiſſimis prouidentiæ rationibus Patres ſcribunt, ad eiuſdem prædefinitionis confirmationem pertinent. 144
7. Circumſtantias omnes eſſe prædefinitas, & peculiariter inſtans tempus & locum. 147
8. Numerus prædeſtinatorum & reproborum, imò & omniũ bonorum actuum; inſuper irrationalium rerum numerus quo diſcrimine ſit prædefinitus. 149
9. Menſura gratiæ & gloriæ, & cuiuſlibet humanæ operationis, imò etiam cuiuſque rei prædefinitione diuina præſcribitur. 151
10. Prædefiniendi rationes vrgentur circa reprobos, & circa omnes operationes moraliter tantùm honeſtas. 153
11. In diuina prouidentia quod genus eſt perfectionis, ad quam pertinet prædefinitio determinata cuiuſlibet actionis honeſtæ. 155

DISPVTATIO X.

Vtrùm ſpecialis aliqua vis, & energia motiuorum allicientium, & omnium circumſtantiarum præciſa ſcientia media ſufficiat vt prædefiniantur aliquæ operationes in particulari cum omnibus circumſtantiis.

Sect. 1. Deciſio declaratur, & probatur ſacrarum Litterarum exemplis. 157
2. Virtus & potentia Dei magis oſtenditur in iis actibus, quos efficit fieri per concurſus & motiua infallibiliter allicientia. 159
3. Eandem prædefinitionem exerceri de facto, probat poſſibilitas illius, & quidditas infallibilitatis. 161
4. Metaphyſica certitudo prædefinitionis ex vi motiuorum infallibilizantium. 163
5 Vtrùm omnes operationes liberæ prędefiniãtur ex vi motiuorũ infallibiliũ. 164

DISPV

DISPVTATIO XI.

Vtrùm effectiuus Dei concurſus ob ſpecialem aliquam vehementiam inferat infallibiliter conſenſum.

Sect. 1. Quæſtionis ſtatus & ſententia negans. 165
2. Prædefinitio per concurſum effectiuum infallibiliter impellentem. 167
3. Soluuntur argumenta poſita in ſectione prima. 169
4. Vtrùm Dei prædefinitio certa, & infallibilis fieri poſſet abſque phyſica & antecedente neceſſitate illationis. 170

DISPVTATIO XII.

Vtrùm permiſſio peccati prædefiniatur à Deo.

Sect. 1. De qua permiſſione tractetur, & quo fructu. 172
2. Cuiuſlibet peccati permiſſionem eſſe prædefinitam, probatur ex negata prædeſtinatione & congrua vocatione. ibid.
3. Conſilium, & intentio Dei ſolatiàque patientiæ probant permiſſiones eſſe prædefinitas. 174
4. Menſura & cæteræ circunſtantiæ peccatorum prædefinita permiſſione circumſcribuntur. 177
5. Prædefinitur aliquando permiſſio per motiua, & circunſtantias, ex quibus peccatum infallibiliter infertur. 178
6. Deſcendendo magis ad particulares perſonas, quibus infallibilitas peccandi contingit, corroborantur præcedentes probationes 180
7. Num Scholaſtici Doctores exiſtimauerunt, prædefinitam eſſe permiſſionem peccatorum. 182
8. Obiectiones aduerſus infallibilitatem mortaliter peccandi. 183

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm Deus poſſit velle directè, & cauſare collectionem rerum omnium & circunſtantiarum, quibus poſitis peccatum infallibiliter infertur.

Sect. 1. De peccatoribus in ea infallibilitate conſtituendis. 185
2. Dubitandi rationes, an homo iuſtificatus deuenire poſſit ad moralem infallibilitatem mortaliter peccandi. 187
3. Qua ratione, atque demerito iuſtus conſtitui poſſit, atque detineri ſub circunſtantiis, ex quibus mortale peccatum infallibiliter inferatur. 188
4 Fit ſatis rationibus dubitandi, poſitis in ſectione ſecunda. 191

TRACTATVS TERTIVS.

De Prædeſtinationis exordio nullo modo poſſibili per ſolas vires naturæ.

DISPVTATIO XIV.

Quibus articulis contineatur Semipelagiani error.

Sect. 1. Prædicti erroris authores & aſſeclæ. 194
2. Enumerantur Semipelagiani articuli decem. 165
3. Vtrùm meritum de condigno, vel ſolummodo meritum de congruo Semipelagiani putauerint, ineſſe bonis operibus, quæ gratiam præueniunt. 198
4 Vtrùm perſeuerantiam & electionem ad gloriam per humanos conatus obtineri, docuerint Maſſilienſes. 199
5 Caſſianum ambiguum & inconſtantem non ſolùm à Catholico dogmate, ſed etiam à ſcipſo, aliiſque Maſſilienſibus diſſentire. 201

DISPVTATIO XV.

Vtrùm opera conditionaliter, non abſolutè futura, præbuerint rationem conferendi, vel negandi auxilia gratiæ, vel prædeſtinationem ad gloriam.

Sect. 1. De paruulis. 202
2. De adultis. 204

DISPVTATIO XVI.

Cauſa per accidens, atque occaſio, ſiue opportunitas ad initium gratiæ, quomodo contingat ex viribus naturæ.

Sect. 1. De cauſa per accidens remouente prohibens. 207

2. Qualis opportunitas, ſiue occaſio gratiæ contingere poſſit per vires naturæ. 208

3. Ex peccatis & ex rebus indifferentibus quomodo gratia opportuna accipiat occaſionem vocandi. 210

DISPVTATIO XVII.

Quidam Patres clariùs confirmant iuſtificationis initium non acquiri naturæ viribus, ſed proueniente gratia donari.

Sect. 1. Teſtimonium Auguſtini, Summorum Pontificum, & aliorum Patrum authoritate munitum. 213

2. Summorum Pontificum & Conciliorum teſtimonia pro initio iuſtificationis non ex viribus naturæ, ſed ex præueniente gratia. 215

3. Aliorum Patrum teſtimonia maiori ex parte remittuntur, pauca quædam hîc ſubiiciuntur. 217

DISPVTATIO XVIII.

Quibus teſtimoniis Scripturæ ſacræ, per quas ratiocinationes probetur, initium iuſtificationis ex præueniente gratia prouenire.

Sect. 1. De nihilo ex nobis, de initio, ac fide. 219

2. Gratiæ quidditatem pugnare cum quolibet iuſtificationis initio dato per vires naturæ ſacra Scriptura teſtatur. 220

3. Verùm quidditati gratiæ repugnet diſpoſitio, impetratio, conditio, occaſio, & quælibet ratio valens ad obtinendam primam gratiam. 222

4. Scriptura ſacra præuenientem Dei miſericordiam & gratiam operantem opponit cuicunque initio iuſtificationis ex parte noſtra. 224

5. Singula in ſpecie quæ ad initium iuſtificationis concurrunt, ſacra Scriptura refert ad Dei gratiam præuenientem & operantem 226

6. Creatio, vel generatio ex diuino ſemine, reſuſcitatio, & liberatio probant initium iuſtificationis ex præueniente gratia 228

7. Inuentus Deus à non quærentibus, & fortes à Deo tempetatæ idem probant. 230

8. Cauſa diſcriminis arrogantiam comprimens, idem probat. 231

9. Oratio, gratiarum actio, ſpes & charitas probant iuſtificationis initium ex præueniente gratia 232

10 Exemplo gratiæ hypoſtaticæ abſque vllo initio ex parte humanitatis, probatur idem dogma 234

11. Experientia, & ratione à priori probatur idem dogma. 235

DISPVTATIO XIX.

De fide, prout eſt iuſtificationis initium.

Sect. 1. Præmittuntur quæ præſentem controuerſiam comitari ſolent, vt ab illis præciſus cernatur poſtea ſtatus diſputationis. 236

2. Fidem ſiue perfectam, ſiue inchoatam, indigere gratia præueniente. 238

3. A ſupernaturali fide ſumitur initium ſalutis diſponendo ad gratiam, & impetrando illam. 240

4 A fide ſumitur initium meriti, & ipſa de congruo meretur vlteriorem gratiam. 241

5. Fidei imperfectæ & inchoatæ competunt ſupradictæ vires inchoandi, merendi, impetrandi, ac diſponendi ad iuſtificationem. 243

DISPVTATIO XX.

Quæ concluſiones, & quo gradu certitudinis ex præcedentibus diſputationibus colligantur.

Sect. 1. Vniuerſaliores concluſiones, & illæ, quæ ad meritum, & impetrationem pertinent. 245

2. Concluſiones ad rationem diſpoſitionis, conditionis, & occaſionis pertinentes 247

3. Vtriuſque ſectionis præcedentis concluſiones ampliantur. 250

DISPV

DISPVTATIO XXI.

Vtrùm Doctores Scholaſtici exiſtimauerint, opera elicita per vires naturæ, præbere iuſtificationis initium.

Sect. 1. Communis Scholaſticorum ſententia per generalia quædam capita proponitur, & excuſatur. 252
2. Sancti Thomas & Bonauentura, & qui illos præceſſerunt, Albertus, Alexander, & vterque Guillermus. 255
3. Antiquiores diſcipuli S. Thomæ quid in eadem controuerſia ſenſerint. 258
4. Alij recentiores quid. 260
5. Ætati noſtræ propinquiores Scholaſtici. 264
6. Alij recentiores quid in eadem controuerſia docuerint. 266

DISPVTATIO XXII.

Vtrùm facienti quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ, conferantur auxilia gratiæ.

Sect. 1. Diſputationis ſtatus. 270
2. Deciſio diſputationis. ibid.
3. Superioris ſectionis poſtremam concluſionem explicans, & duas alias ſubiungens. 272
4. Soluuntur eorum argumenta, qui contendunt abſque Maſſilienſis erroris periculo defendi poſſe, opera moraliter bona, elicita per vires naturæ, ratione ſui prodeſſe ad obtinendam gratiam. 275
5. Vtrùm facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, vt vtatur auxilijs ſupernaturalibus, protinus adſint auxilia ſupernaturalia, cum eo concurrendo. 276

DISPVTATIO XXIII.

Vtrùm iuſtificationis initio ſufficiant actiones honeſtæ, quarum nulla realis eſt ſupernaturalis.

Sect. 1. Status quæſtionis, & duæ ſententiæ affirmantes. 279
2. Negatiua concluſio probatur ex phraſi Patrum, & Conciliorum conformiter, ac ſine diſcrimine comprehendente vniuerſa iuſtificationis opera. 280
3. Ex præciſa neceſſitate fidei, & ſupernaturalis auxilij, ad iuſtificationis initium probatur eadem concluſio. 283
4. Ex imperfectione earumdem actionum commenſurata viribus naturæ, probatur eadem concluſio tribus alijs rationibus. 285
5. De actionibus quoad realitatem intrinſecam naturalibus, ſed tamen neceſſariò requirentibus auxilium ſupernaturale. 287
6. Referuntur ac diluuntur præcipua fundamenta primæ & ſecundæ ſententiæ, quas in ſectione 1. propoſuimus. 290

DISPVTATIO XXIV.

De varijs argumentis, quæ contendunt ex viribus naturæ poſſe præberi iuſtificationis initium.

Sect. 1. De oratione peccatoris. 292
2. De operibus miſericordiæ alterum argumentum præcedenti ſimile. 295
3. Soluitur argumentum tertium, ductum ab exemplis Cornelij, Latronis, Zachæi, Nathanaëlis, Eunuchi, & aliorum, qui ad fidem videntur præueniſſe per opera. 299
4. Soluuntur variæ rationes de præparatione ad gratiam. 301
5. Explicantur Scripturæ ſacræ teſtimonia, quæ rationem, & cauſam gratiæ videntur admittere. 304
6. De tentatione, qua Deus tentat iuſtos, ac de fide, quam inueuit, duo poſtrema argumenta. 306

DISPVTATIO XXV.

Impoſſibilitas inchoandi iuſtificationem per vires naturæ, abſque illuſtratione & inſpiratione ſupernaturali, & poſſibilitas obtinendi gratiam, qua concordi ratione conueniant in barbaris remotis, à quacunque notitia ſupernaturalium myſteriorum.

Sect. 1. Rationes difficultatis, & earum ſolutiones breuiter attinguntur. 308
2. Nullum obiectum ſupernaturale expreſsè & formaliter cognitum barbaris proponit gratia præueniens. 309
3. Obiectum ſupernaturale implicitè, & virtualiter cognitum, barbaris proponitur per primam gratiam præue-

nientem, quæ datur de lege ordinaria. 311
4. Varios modos virtualiter continendi ſupernaturale obiectum primæ gratiæ præuenienti ſufficere. 313
5. Expediuntur difficultates circa ſupernaturalitatem, implicitè contentam in ſupradictis obiectis, tum maximè quando ignoratur Dei exiſtentia. 316
6. Satisfit aliis difficultatibus, quæ circa varia puncta præſentis diſputationis occurrunt. 318

DISPVTATIO XXVI.

Vtrùm ex viribus naturæ detur cauſa prædeſtinationis ad gratiam, vel ad gloriam.

DISPVTATIO XXVII.

Vtrùm Chryſoſtomus docuerit actiones ſolis naturæ viribus elicitas præbere iuſtificationis initium.

Sect. 1. Quanta neceſſitas cogat, Semipelagianiſmi ſuſpicionem à Chryſoſtomo, cæteriſque Patribus Auguſtini prædeceſſoribus propulſare. 322
2. Antiquos Patres generaliter rectè ſenſiſſe de iuſtificationis exordio. 323
3. Græcos Patres communiter, ſed præcipuè Chryſoſtomum vera docuiſſe de initio iuſtificationis, & prædeſtinationis cauſa, non ſumenda ex viribus naturæ. 324
4. Aliqua ex teſtimoniis Chryſoſtomi in cauſa gratiæ cõtra Semipelagianos. 326
5. Exponuntur teſtimonia Chryſoſtomi, quæ Semipelagianis fauere videntur. 330
6. Probationes generales, ad confirmandas expoſitiones in præcedenti ſectione traditas. 334
7. Contrariæ ſententiæ quæ reſtant argumenta ſoluuntur. 336

DISPVTATIO XXVIII.

Vtrùm cæteri omnes Patres circa iuſtificationis exordium cum Chryſoſtomo, & Auguſtino concordent.

Sect. 1. Cyprianus, Ambroſius, & Hieronymus quando cum Auguſtino, Græciſque conſentiant. 337
2. Cæteri Patres Latini cum Auguſtino, Chryſoſtomóque concordant. 341
3. Græcorum Patrum præcipui, qui circa tempora Chryſoſtomi floruerunt, de iuſtificationis exordio teſtimonia. 345
4. Alij Patres Græci eiuſdem, aut ferè eiuſdem ætatis cum præcedentibus. 348
5. Græci Patres ab Apoſtolis vſque ad tempora Chryſoſtomi. 350
6. Cæteri Patres Græci qui poſt Auguſtini tempora floruerunt. 354

TRACTATVS QVARTVS.

De Prædeſtinationis exordio dando per gratiam operantem, ac de quidditatiuo diſcrimine illius à gratia cooperante.

DISPVTATIO XXIX.

Quænam ſit vis, & ratio nominum, quibus operans gratia compellari ſolet.

Sect. 1. De nominibus *operans, & cooperans gratia.* 358
2. Alia plura eiuſdē gratię operantis nomina, & quædam etiam cooperantis. 360

DISPVTATIO XXX.

Quænam operationes vitales ſint propriæ gratiæ operantis.

Sect. 1. Vtrùm excitans, ſeu præueniens gratia formaliter ſit actus vitalis intellectus, aut voluntatis. 363
2. Varios affectus, & impulſus intellectus & voluntatis, ſed præcipuè illuſtrationem & ſuauitatem eſſe partes operantis gratiæ, probatur ex Scriptura & Patribus. 365
3. Eiuſdem concluſionis duæ aliæ probationes à ſanitate, quæ palato & ſtomacho, &c. cœli benignitate, ac ſuauitate, quæ fructibus terræ neceſſaria eſt. 367
4. Eiuſdem veritatis quatuor aliæ probationes, quæ reſtant. 368
5. Vtrùm ſolummodo ad exordia conuerſionis, vel potiùs etiam ad perſeuerandum,

randum, requitatur prædicta illuſtratio & ſuauitas. 370
6. Expediuntur incidentes difficultates. 371

DISPVTATIO XXXI.

Vtrùm præcipuum diſcrimen gratiæ operantis à cooperante conſiſtat in libertate huius, & illius indeliberatione.

Sect. 1. Affirmatiua ſententia explicatur, & probarur ex Sapientiæ 9. & 1. Corinth. 15. 372
2. Ieſus reſpiciens Petrum, & ille egreſſus, & amarè flens, probant prædictum operantis gratiæ diſcrimen. 375
3. Aliæ duæ rationes, à priori probantes idem diſcrimen gratiæ operantis à cooperante. 376
4. Quidditatiua ratio vocationis alia tria miniſtrat argumenta eiuſdem diſcriminis. 377
5. Eadem differentia quidditatiua operantis gratiæ, atque cooperantis, probatur conglobatis plurimis Scripturæ teſtimoniis. 379
6. Idem probatur ex Patribus, qui communiter tradunt, initia boni operis eſſe ſolius Dei, & gratiæ operantis; ſed poſtea liberè volentibus cooperati. 380
7. Poſtrema eiuſdem veritatis confirmatio, ex communi ſuffragio Scholaſticorum. 381
8. Auguſtini teſtimonia inter ſeipſa, & cum noſtris concluſionibus conciliantur. 383
9. Satisfit argumentis, quæ probare contendunt gratiam excitantem, ſeu præuenientem eſſe liberum quemdam actum, ac minimè neceſſarium. 384

DISPVTATIO XXXII.

Quo ſenſu gratia operans peculiariter ad interiorem actum, & primam volitionem finis; ſed gratia cooperans ad exteriorem actum, & volitionem mediorum accommodetur.

Sect. 1. Proponitur Scholaſticorum doctrina, & illius fundamenta. 386
2. Operantis & cooperantis gratiæ acceptio in præcedenti ſectione recitata, ſecundùm eum ſenſum, quem primo ſonitu reddit, refutatur. 387
3. Eiuſdem acceptionis legitimus ſenſus aperitur. 388

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrùm noſter intellectus, & voluntas phyſica efficientia concurrant ad producendas eas intellectiones, & volitiones, quæ propriè ſunt gratiæ operantis.

DISPVTATIO XXXIV.

Vtrùm habituali gratiæ conueniat diuiſio in operantem, & cooperantem.

DISPVTATIO XXXV.

Vtrùm phyſica prædeterminatio ſit operans, & cooperans humanæ operationis initium.

Sect. 1. Affirmatiua ſententia refutatur. 394
2. Gratiam phyſicè operantem identificari realiter cum gratia excitante. 396
3. Gratiam cooperantem, prout cooperans eſt, non eſſe præuenientem. ibid.
4. Gregorio Ariminenſi falsò adſcribi, operantem, ſeu præuenientem gratiam eſſe phyſicam prędeterminationem. 398

DISPVTATIO XXXVI.

De multiplici membro cooperantis gratiæ, illiuſque diſtinctione reali ab operante gratia, & à conſenſu libero voluntatis.

Sect. 1. Summa eorum omnium, quæ in tota diſpenſatione fuſius diſcutienda ſunt. 399
2. Qua ratione Deus ipſe ſit gratia cooperans. ibid.
3. Omnes ſupernaturales habitus complectitur membrum alterum cooperantis gratiæ. 401
4. Eadem realitas gratiæ operantis eſt etiam gratia cooperans, ſola diſtinctione muneris & officij. 402

5. Explicatur magis coopetandi modus, quem exercent non ſolùm præueniens gratia, ſeu vocatio, ſed etiam plerique actus liberi & meritorij. 406

6. Vtrùm cooperantis gratiæ quidditas requirat concurrere in actu ſecundo, an verò ſatis ſit, principium eſſe paratum in actu primo. 409

7. Quilibet actualis concurſus ex parte Dei præueniens eſt etiam gratia cooperans. 410

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrùm diſcrimen gratiæ cooperantis, ſeu adiuuantis à gratia ſubſequente, conſiſtat in eo, quod ad interiorem conſenſum illa, hæc verò ad cætera conſequentia dona requiratur.

Sect. 1. Vtrùm gratia adiuuans, ſeu cooperans requiratur ad quemlibet modum conſentiendi vocationi, & inſpirationi Dei. 412

2. De acceptionibus gratiæ cooperantis, & ſubſequentis, ſecundùm quas interdum pro eadem, interdum verò pro diuerſa gratia vſurpantur. 413

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrùm particularis gratia ſubſequens requiratur ad externi operis executionem.

Sect. 1. Status controuerſiæ, errores hæreticorum, & opiniones Catholicorum. 415

2. Peculiaris gratia ſubſequens requiritur ad operis executionem. 417

3. Per ſingula externorum operum genera explicatur magis, & rationibus confirmatur prædicta neceſſitas ſpecialis gratiæ. 420

4. Explicantur Auguſtini teſtimonia, quæ ad operis executionem peculiaris gratiæ neceſſitatem negate videntur. 423

DISPVTATIO XXXIX.

Vtrùm gratia præueniens neceſſariò atque primariò includat interiorem motionem atque doctrinam, ita vt ſine illa nihil valeat exterior quæcumque gratia.

Sect. 1. Negatiuæ partis fundamenta nullius eſſe roboris. 425

2. Siſſe interiori gratia præuenienti nihil prodeſſe exteriorem quamcunque vocationem, atque doctrinam certiſſimum eſt. 426

3. Non ſolùm cteatæ cuiuſquam perſonæ, ſed etiam ipſius Chriſti Domini, ſiue per humanitatem, ſiue per diuinitatem doctrina, exteriùs tradita, ſine interiori doctrina non ſufficit. 428

4. Exteriorem gratiam de lege ordinaria requiri, vt præbeatur interior: ſicut rationalis anima, niſi in corpore, non infunditur. 430

DISPVTATIO XL.

Vtrùm quoad intrinſecam entitatem ſupernaturalis debeat eſſe gratia operans, ſeu præueniens.

Sect. 1. Explicatur diſputationis titulus, & grauiorum Scholaſticorũ mens quàm ſit ambigua. 433

2. Quoad intrinſecam ſibi entitatem ſupernaturalis debet eſſe gratia operans, ſeu præueniens. 435

3. Non eſſe gratiam præuenientem cogitationem, quantumcunque opportunam ad opus moraliter bonum, niſi fuerit ſupernaturalis quoad intrinſecam realitatem. 437

4. Præteritæ operantis gratiæ memoria nihil valet, niſi ſupernaturalis fuerit, ſubinſertur etiam ſupernaturalitas gratiæ cooperantis & ſubſequentis. 440

5. Bonos Angelos non poſſe gratiam operantem, ſeu præuenientem, & illius illuſtrationes, & inſpirationes phyſicè cauſare in hominibus. 441

DISPVTATIO XLI.

Vtrùm ad ſingulas actiones meritorias operans, ſeu præueniens gratia requiratur.

Sect. 1. Diſputationis ſtatus, explicatis acceptionibus fidei & gratiæ præuenientis, quæ ad præſentem diſputationem pertinent. 444

2. Quamdiu prioris gratiæ præuenientis durat ſupernaturalis virtus, noua præueniens

ueniens non eſt ſimpliciter neceſſaria. 446
3. Peccatoribus fidelibus ad ſingulas diſpoſitiones iuſtificationis eſt ſimpliciter neceſſaria præueniens gratia. 448
4. Iuſtis, vt perſeuerent in ſua iuſtitia ſimpliciter neceſſaria eſt operans, ſeu præueniens gratia. 452
5. Iuſtificatis gratia præueniens ſimpliciter neceſſaria eſt, ad eliciendos actus heroicos, vel extraordinaria à quacunque difficultate impeditos. 453
6. Ad omnes & ſingulas operationes ſupernaturales præuenientem gratiam eſſe ſimpliciter neceſſariam, probatur ex ſacris litteris. 455
7. Eadem veritas probatur authoritate Patrum & Conciliorum. 457
8. Scholaſticorum communis ſententia confirmat eandem neceſſitatem præuenientis gratiæ ad ſingulas actiones meritorias. 459
9. Eiuſdem veritatis rationes à priori, & corollaria. 460
10. Explicantur Doctores, qui oppoſitum ſenſiſſe videntur, & eorum argumenta diluuntur. 462
11. Appendix de gratia cooperante, & adiuuante, & aliquid de ſubſequente. 464

DISPVTATIO XLII.

Vtrùm præmotio Dei, ad operationes naturales requiſita, rectè probet gratiæ præuenientis neceſſitatem ad quaſlibet ſupernaturales operationes.

Sect. 1. Rationes deſumptæ à potentiis non liberis. 465
2. Vtrùm aliqua naturalis volitio debeat procedere à Deo in nobis operante, ſine noſtra libertate. 466
3. Ad primam volitionem author naturæ determinat voluntatem abſque illius libertate. 468
4. Præuenientis gratiæ neceſſitas ad ſingulas operationes ſupernaturales colligitur ex doctrina duarum ſectionum præcedentium. 470
5. Propoſita obiectione inſtaurantur rationes, ſuperiori ſectione propoſitæ. 473
6. Neceſſitatem volendi bonum, ac beatitudinem in communi ſemper quoad exercitium impellere, ad aliquam volitionem vagè, probatur authoritate. 475
7. Rationibus probatur eadem veritas, quæ in ſectione præcedenti. 477

DISPVTATIO XLIII.

Vtrùm quæcumque natura intellectualis, quantumcunque ſana, & integra, indigeat gratia præueniente, ſeu operante.

Sect. 1. De primis parentibus in ſtatu innocentiæ. 480
2. Teſtimoniis, quæ contra præcedentes concluſiones pugnare videntur, explicatis, agitur de homine, qui crearetur in puris naturalibus. 483
3. Angelis in via neceſſariam fuiſſe præuenientem, & operantem gratiam. 485
4. Neceſſitas gratiæ præuenientis in via ſingulas quaſque comprehendit ſupernaturales Angelorum operationes. 488
5. De ſanctiſſima Deipara, dum erat in via, de quibuſcumque Beatis in patria, necnon de Chriſti Domini humanitate. 489

DISPVTATIO XLIV.

Vtrùm præuenientis gratiæ neceſſitas ſit rebus intrinſeca, vt de potentia Dei abſolutâ nequeat euitari.

Sect. 1. Effectiuum concurſum cuiuſque mentis creatæ qua ratione præuenit gratia, etiam de potentia abſoluta non poteſt non præuenire. 492
2. Contingit aliquando defectum operantis, & præuenientis gratiæ ſuppleri partim, & partim non ſuppleri. 495
3. Merita, impetrationem, diſpoſitionémque cuiuſque mentis creatæ, qua ratione præuenit gratia, etiam de potentia

Digitized by Google

potentia abſoluta non poteſt non præuenire. 496

DISPVTATIO XLV.

Vtrùm ad opera gratiæ gratis data operans, & cooperans gratia requiratur.

Sect. 1. Explicato diſputationis ſtatu probatur requiri operantem. 497

2. Vtrùm quidditatiuè ſupernaturalis eſſe debeat gratia præueniens, quæ ad opera prædicta requiritur. 499

3. Cooperans gratia quo pacto requiratur ad eadem opera. 500

F I N I S.

DISPV

DISPVTATIONES,
ET
COMMENTARII
DIDACI RVIZ
DE MONTOYA,
E SOCIETATE IESV,
DE PROVIDENTIA
prædefiniente, ac præbente præ-
deſtinationis exordium.

Ad quæſtionem XXII. & bonam partem quæſtionis XXIII. ex prima parte S. Thomæ.

PROOEMIVM.

1. *Scribendi ratio.* PRÆSENS tomus cæteris breuior eſſe maluit, quàm nimium excedere magnitudine, ſi totam complecteretur prædeſtinationem, quæ ſimul cum omnipotentia & beatitudine Dei paratam habet materiam, ſufficientem alteri iuſto volumini. Prodit nunc Prouidentia veluti mater orbata primogenito, & dilectiſſimo filio, ſceptrum imperij tenente ſupra cæteros, multorum decreto prædeſtinante, ac reprobante: ſed illius non oblita viam aperit, ac domum ei præparat quatuor tractatibus, qui ſunt primariæ partes iſtius voluminis.

2. *Operis diſtributio.* Primus Tractatus inueſtigabit eſſentiam prouidentiæ (vnde conſtabit maiori ex parte quidditas prædeſtinationis;) generalitatem illius ad omnia obiecta, modúmque verſandi circa illa, quinque prioribus diſputationibus.

Secundus de prædefinitionibus aget liberarum operationum, præcipuè ſupernaturalium, à diſputatione 6. vſque ad decimam tertiam.

Tertius Tractatus eruet in lucem, quàm nullæ ſint vires naturæ, ſiue gratiæ, vt vel minimum præbeant prædeſtinationis exordium, à diſputatione decima quarta vſque ad 18.

Quartus denique ſubinferet prædeſtinationis exordium acceptum à præueniente, ſiue operante gratia, diſtinguens illam à ſubſequente & cooperante, vtriuſque neceſſitatem exponens.

Plurima de prouidentia dicta ſunt duobus tomis præcedentibus de ſcientia, & de voluntate Dei; plura quoque neceſſariò dicenda venient ſequenti tomo de prædeſtinatione, quoniam hæc eſt pars prouidentiæ, quæ complectitur ſcientiam, & eſſentialiter præſupponit voluntatis decretum, vt videbimus diſput. 3. Propterea Lector æqui boníque conſulet frequentiores ſolito remiſſiones ad duos tomos præcedentes, & ad ſequentem; neque enim vitari poſſent, niſi volumen onerando multarum diſputationum importuna repetitione, vel præoccupatione præmatura. 3.

Quanta verò ſit dignitas & neceſſitas doctrinæ de prouidentia prædefiniente & extenuante liberum arbitrium, ac præbente prædeſtinationis initium, non indiget alia probatione præter ſtudium ſolers & attentum. Modus autem procedendi non erit alius, quàm qui in cæteris tomis ſeruatus fuit; retenta eadem continentique ſerie diſputationum, licèt diſtincti tractatus incipiant. Oramus autem prouidentiæ parentem optimum, vt noſtrum calamum eò dirigat, quo melius noſtræ & aliorum prædeſtinationi ſubſeruiat. 4. *Doctrina de prouidentia, neceſſitas & vtilitas.*

TRACTATVS PRIMVS
DE ESSENTIA PROVIDENTIÆ.

QVÆSTIO XXII.
DE PROVIDENTIA DEI.

ARTIC. I. *Vtrùm prouidentia Deo conueniat.*

ARTIC. II. *Vtrùm omnia ſint ſubiecta diuinæ prouidentiæ.*

DISPVTATIO I.

Vtrùm omnibus rebus in particulari quantumcumque minimis, & vilissimis, diuina prouidentia conſulat.

SECTIO I.

Vocis etymologia.

1. PRouidere, ſi deductum ſit ex præpoſitione *pro*, quæ multoties ſignificat idem quod antè, nihil aliud erit, quàm ante videre. Vnde Cicero lib. 2. de Iuuentute: *Prouidentia eſt*, inquit, *per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit*. Si verò ductum ſit à præpoſitione *procul*, idem erit quod procul videre, nimirum, ea quæ diſtant, ſiue loco, ſiue tempore.

2. Ad ea quæ loco ſolummodo diſtant, reſpiciens Boëtius libro 5. de Conſolatione, proſa 6. ante medium. *Si præſcientiam*, inquit, *penſare velis, qua cuncta dignoſcit, non eſſe præſcientiam quaſi futuri, ſed ſcientiam numquam deficientis inſtantiæ rectiùs æſtimabis. Vnde non præuidentia, ſed prouidentia potiùs dicitur, quòd porro à rebus infimis conſtituta, quaſi ab excelſo rerum cacumine cuncta proſpiciat.* Porrò ſignificat idem, quod procul. Quemadmodùm ille dixit Virgil. Æneid. 6. *Quæ ſunt ea flumina porrò.* Ex eodem aduerbio prudentiæ nomen deriuant multi Doctores, præſertim Auguſtinus in Pſalmum 73. ad finem, & Iſidorus lib. 10. etymolog. litera P. initio dixit, prudens quaſi *porro videns, quoniam incertorum præuidet caſus.*

3. Frequentiùs autem prouidere atque prouidentia referuntur ad anteceſſionem temporis, vt Cicer. lib 2. de Diuinat. *Medicus*, inquit, *morbum ingraueſcentem ratione prouidet, inſidias Imperator, tempeſtates gubernator, &c.* Vnde S. Thomas 2.2. quæſt. 49. art. 6. corp. fine ait, *importat prouidentia reſpectum quemdam alicuius diſtantis ad ea, quæ in præſenti occurrunt, & ordinanda ſunt.*

Quoniam verò quæ priùs ventura cognoſcimus, ſi mala fuerint cauemus, vel adhibitis remediis procuramus, vt proſint, & vt proſpera cadant; factum eſt, vt prouidere ſignificet curam adhibere de rebus, vt aptè conuenienterque diſponantur. Vnde Cicero de natura Deorum lib. 2. *Velit*, ait, *mens mundi quam ſit, ob eámque cauſam vel prudentia, vel prouidentia appellari rectè poſſit: hæc potiſſimum prouidet, & in his maximè eſt occupata.* & lib. 1. de Diuinat. dicit, *eſſe Deos, & eorum prouidentia mundum adminiſtrari, eoſdémque conſulere rebus humanis, nec ſolùm vniuerſis, ſed etiam ſingulis.* 4.

Quamobcauſam Theologi quando Deo tribuunt prouidentiam, non ſignificant diſtantiam loci, quum adſit vbique præſens: potuerunt quidem ſignificare diſtantiam durationis, quoniam ab æterno videt omnia quæ futura ſunt in tempore: quamuis ea tanquam præſentia videat in ſeipſis: verè tamen non aliud intendunt ſignificare, niſi curam diſponendi creaturas, ſicut oportet ac decet Dei ſapientiam ac bonitatem, atque ſingularum rerum naturis, & vniuerſitatis bono conueniens eſt. 5. *Prouidentiæ ſignificatio apud Theologos.*

SECTIO II.

Philoſophorum errores admixtis veris teſtimoniis de Prouidentia.

PRimus antiquorum error fuit, omnino nullam eſſe prouidentiam, quæ rebus omnibus conſulat, ſed omnia fortuitò fieri, & regi, author *eſt Democritus, confirmator Epicurus. Sed antea Protagoras, qui Deos in dubium vocauit, & poſtea Diagoras, qui excluſit; & alij nonnulli, qui non putauerunt Deos eſſe, quid aliud effecerunt, niſi vt nulla eſſe prouidentia putaretur?* Ita ſcribit Lactantius libro primo diuinarum Inſtitut. cap. 2. ſub init. eoſdem errores exponit fuſiùs libro 7. de Ira Dei, referètque rationem Epicuri, quoniam natura diuina 1. *Epicureorum error.*

Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Athanaſ. quoque lib. de Incarnatione Verbi & aduentu eius, notat, hunc errorem Epicuræorum fuiſſe.

Nyſſenus autem lib. 8. Philoſoph. cap. 3. & lib 4. vel potiùs Nemeſius de facultatibus animæ 2. *Eorum argumentum primum.*

Digitized by Google

cap. 44. non procul à principio; *Democritus*, inquit, *Heraclitus & Epicurus, neque vniuerſis, neque ſingulis a Deo prouideri volunt: Epicurus enim dicebat, quod beatum ſit & immortale, nec ipſum habere negotia, nec alteri exhibere: quare nec iracundia, nec gratia teneri.*

3 *Saluianus.* *Ab experientia argumentum aliud.* Aliud argumentum ab experientia rapiebant Epicurei, apud Saluianum lib. 1. de Prouidentia columo. 2. dicentes, *à Deo omnia prætermitti, quia nec coerceat malos, nec tueatur bonos: & ideò in hoc ſæculo meliorem admodum ſtatum eſſe malorum: bonos quippe eſſe in paupertate malos in abundantia: bonos in infirmitate, malos in fortitudine: bonos ſemper in luctu, malos ſemper in gaudio: bonos in miſeria & abiectione, malos in proſperitate & dignitate.* Fuſiùs hoc argumentum refert Nemeſius dicto cap. 44. columu. 2.

4 *Soli Epicurei totam prouidentiam negarunt.* Solos autem Epicureos negaſſe prouidentiam ſcribit Saluianus lib. 1. de Prouidentia col. 2. referens pro illa Pythagoram, Platonem, Stoicos, Tullium, & Maronem. Quod tamen non alio ſenſu verum eſt, niſi quoniam præter ſupra citatos Epicuræos, Heraclitum, & Cratillum, nemo philoſophorum totam prouidentiam omnino negauit, licèt negauerit partem illius, quam in ſingulis erroribus explicabimus.

5 *Res caſu factas quidam aſſerunt.* Secundus error fuit Empedoclis, & quorundam aliorum apud Ariſtotelem lib. 2. phyſic. text. 43. 44. & 76. dicentium multa in vniuerſo fuiſſe caſu facta, veluti locum aëris, & plurimas partes animalium, & (quod eſt abſurdius) caſum eſſe cauſam cœli & ſtellarum, atque conuerſionis & motus, & ordinis Vniuerſi.

6 *Nemeſius.* Tertius error, præcedenti ſimilis, fuit Euripidis & Menandri, qui *mentem, quæ in vnoque ſit, cuique prouidere aſſerunt, Deum verò neminem*: vt refert Nemeſius de animæ facultatibus dicto capite 44. columu. 2. Hic autem differt ab Epicuræorum errore, quoniam non omnia præcipitat in caſus fortuitos, ſed aliqua ſaltem relinquit prouidentiæ mentis, quamuis nullam Diis prouidentiæ partem relinquat.

7 *Stoicorum error.* Quartò Stoicos *nullum locum prouidentiæ reliquiſſe*, ſcribit Nemeſius eodem cap. 44 colum. 1. E contrario Cicero lib. 2. & 3. de natura Deorum agnoſcit, Stoicorum ſententiam eſſe pro diuina præſcientia, & prouidentia futurorum contingentium. *Lactantius.* Vnde Lactantius lib. 1. diuin. inſtitut. cap. 2. ſub initio, *Duo*, inquit, *(nimirum Democritum & Epicurum) cæteri philoſophi, & maximè Stoici acerrimè retuderunt, dicentes: nec fieri mundum, niſi diuina ratione potuiſſe; nec conſtare, niſi ſumma ratione regeretur.* Sic etiam Saluianus lib. 1. de Prouidentia columo. 1. Stoicos numerat inter Prouidentiæ propugnatores. Quapropter non totam prouidentiam Dei, ſed aliquam eius partem negaſſe, voluit Nemeſius, quatenus admittentes fatum, voluntatem humanas ſpoliarunt libertate.

8 *Platonis error.* Quintus error Platonis, apud quem licet omnium rerum prouidentia referatur ad principem Deum, & omnium aliorum Deorum gubernatio proficiſcatur, & pendeat ab eius poteſtate ac voluntate: nihilominus Deus princeps primariò Ideis, deinde vniuersè toti orbi conſulit, vt cœlo, ſyderibus, & generibus prædicamentorum, vt ſubſtantiæ, quantitati, qualitati, nec non ſpeciebus eorum. Sed animalium & cæterarum corruptibilium rerum indiuidua, & eorum creationem & gubernationem noluit attingere, ne prodirent incorruptibilia, & æquarentur Diis, ſi producerentur ab ipſis; ſed totum illud negotium demandauit ſecundis Diis, id eſt, Angelis qui cœlum voluunt.

9 *Dæmones cuſtodes humanarum actionum.* Tertiam præterea diuinæ prouidentiæ prouinciam partitus eſt Plato, cui præeſſe cenſuit quoſdam dæmones cuſtodes humanarum actionum, penes quos ſit adminiſtratio rerum agendarum, & earum exitus, & adeptio bonorum fortunæ. Hos, Platonici putabant, *conſtitutos eſſe medios inter homines, & Deos, vt hinc perferant deſiderata, inde referant perpetrata*, vt ſcribit Auguſtinus libro nono de Ciuitate, capite primo. *Auguſtinus.*

10 Platonem ita ſenſiſſe de diuina Prouidentia referunt Nyſſenus libro 8. philoſoph. cap. 3. & 4. vel potiùs Nemeſius lib. de animæ facultat. cap. 44. initio. Cyrillus Alexan. lib. 2. contra Iulianum parum à medio, & libro 3. poſt medium, §. *non ex his ſolis*. Proclus lib. 6. Theologiæ Platonis capite 6. Plutarchus lib. de fato Marſil. Ficinus in Protagora, & lib. de Theologia Platonis cap. 5. & in libro Plotini de Pulchritudine capite 7. S. Thomas in præſenti quæſt. 22. art. 3. corp.

11 *Platonis teſtimonia pro Dei prouidentia.* Nihil igitur obſtant quæcumque teſtimonia poſſunt ex Platone referri pro Dei prouidentia rerum omnium etiam minimarum; ſemper enim intelligit mediatam prouidentiam rerum corruptibilium, commiſſam Diis creatis. Nam in Timæo ſiue lib. de natura, multò propiùs ad principium quàm ad medium, dixerat: Quidquid *erat inordinatum & fluitans, ex inordinata iactatione redegit in ordinem.* Nihilominus inter principium & medium Diis ab ipſo creatis, id eſt, Angelis, demandat animalium generationem & gubernationem. Deinde verò multo propiùs ad medium quàm ad principium eiuſdem dialogi; *En*, inquit, *apud nos ſententia ſemper rata, indubiàque præ cæteris habeatur, quod Deus ea, cùm talia non eſſent, quàm pulcherrimè, optiméque fieri poterant, ordinauit.* Quin potius ille totus Dialogus ponitur in laudibus diuinæ prouidentiæ circa partes & facultates hominis, & circa primarias partes Vniuerſi.

12 Idem dialogo decimo de legibus propiùs ad medium quàm ad finem oſtendit, Deos ſcire, non eſſe contemnendas res paruas in Vniuerſo, nec voluptate, vel pigritia, vel dolore fractos quidquam omittere. Subiungit autem paulò inferiùs: *Opifices quantò peritiores ſunt, tantò arte vna in propriis ipſorum operibus, & parua ſimul & magna exquiſitiùs, abſolutique perficiunt. Deus verò, qui ſapientiſſimus eſt, & curare poteſt, ac vult parua, quæ faciliùs gubernari poſſunt, propter pigritiam & ignauiam negliget? nullo modo.*

13 Socrates apud Platonem in Phædone, ſiue de anima, inter medium & finem; *Arbitratus ſum*, inquit, *intelligentiam omnia gubernare; & ſingula hoc modo ponere, quo optimè ſe habeant.* In qua ſententia perſiſtit ſequenti contextu. Aliquid ex ſupradictis ſententiis Platonis refert Cyrill. Alexandrin. Dialogorum de Trinitate libro quarto à medio, & libro tertio contra Iulianum non longè poſt medium, §. *confirmat autem*, pro eadem ſententia refert Chryſippum, qui Socratem ſequebatur, & ſuperiùs inter principium & medium retulerat Porphyrium. *Alij Philoſophi pro Dei prouidentia.* His conſequentia & ſimilia docuerunt

euerunt Photinus, Platonicus, & alij Philoſophi apud Theodoretum libro ſexto Græcanicarum affectionum, qui eſt de prouidentia, poſt medium, & Atticus item Platonicus apud Euſebium de præparatione Euangelica, lib. 15. cap. 4.

14 *Saluianus.* *Pythagoras, quem quaſi magiſtrum ſuum philoſophia ſuſpexit, de natura & beneficiis Dei diſſerens, ſic loquutus eſt: Animus per omnes mundi partes commeans, atque diffuſus, ex quo omnia, quæ naſcuntur animalia, vitam capiunt, &c.* Ita ſcribit Saluianus libro primo de Prouidentia ſub initio. Vnde conſtat etiam ſingularia omnia, quantumcunque minima, ſub diuina prouidentia conſtituta fuiſſe à Pythagora; ſi quidem illa omnia naſcuntur, & vitam capiunt ab animo, per omnes mundi partes diffuſo, ſcilicet, Deo.

15 *Ariſtotelis error de prouidentia Dei. Clem. Alex.* Sextus error fuit Ariſtotelis, de quo Clemens Alexandrinus, libro quinto ſtromat. propiùs ad medium quàm ad finem, referens, quomodo ex ſacris literis malè intellectis quidam Philoſophi varios errores deprompſerint, ait: *Epicuri mentem ſubiit caſus, cum hoc dictum non intellexiſſet* (*Eccleſiaſt. 1.*): *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ariſtoteli autem venit in mentem, vſque ad lunam deducere prouidentiam, ex hoc Pſalmo* (*Pſal 35.*): *Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes.* Ideo quadrat in Ariſtotelem, quod ex perſona ſimilium dicitur. Iob 22. (*Iob 22.*) *Nubes latibulum eius, & circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Sic etiam ſcribit Ambroſius (*Ambroſius.*) libro primo Officiorum, capite decimo tertio circa medium: *Ariſtoteles aſſerit vſque ad lunam eius deſcendere prouidentiam.* Eundem errorem illi adſcribunt Nazianzen oratione prima de Theologia, quæ eſt 33. in ordine, numero 34. Nicetas in orationem decimam ſextam Nazianzeni, quæ eſt de pauperum amore, ad illa verba; *Quin potius*, &c. Epiphanius hæreſi vltima: Theodoretus libro ſexto Græcanicarum affectionum, & in epitome diuinorum decretorum, capite de prouidentia. Euſebius de præparatione Euangelica libro 15. capite 4.

16 Gregorius denique Nyſſenus, libro octauo philoſoph. cap. 3. & 4. vel potiùs Nemeſius libro de animæ facultatibus, capite quadrageſimo quarto, column. 2. ait: *Ariſtoteles a natura ſola vult adminiſtrari ſingula, vt ſexto Ethicorum ad Nicomacum obſcure ſignificat.* Et quidem in eo libro, capite vndecimo inter medium & finem docet Ariſtoteles ſagacitatem, & intellectum, hoc eſt, cognitionem principiorum, & ſententiam eſſe à natura, & capite decimo tertio, quod eſt vltimum, initio; *Omnibus*, inquit, *ſinguli mores ineſſe quodammodo natura videntur. Etenim iuſti natura, forteſque atque ad temperantiam nati natura videmur*, ſcilicet propter indita virtutum ſemina. Generaliùs autem rerum omnium ordinem adſcribit naturæ, tanquam gubernatrici cauſæ, multoties, vt libro octauo phyſicorum, capite primo, inter medium & finem, & libro tertio de part. animal. capite decimo inter medium & finem, & libro duodecimo Metaph. textu quinquageſimo ſecundo, fine.

17 *Ariſtoteles.* Præterea rerum euentus proſperos, vel aduerſos diuinæ prouidentiæ ſubtrahit libro ſecundo Magnor. Moral. capite 8. ante medium dicens: *Talium dominum præficimus Deum, vt bona, malaque meritis diſtribuat. At fortuna, & quæ a fortuna, tam verè quam vt fors tulerit fiunt. Quod ſi huiuſmodi diſtributori Deo adſcripſerimus, malum ipſum iudicem faciemus, neque iuſtum: id nefas Deo deputare.* Et poſt pauca: *Atque Deum malorum curam habere fas non eſt.* De malis hominibus loquitur. Vnde concludit, ac frequenter repetit, fortunam non eſſe Deum, ſed naturam impellentem ſine ratione ad ea, quibus bene habemus.

18 *Errorem correxit Ariſtoteles.* Nihilominus hunc errorem maxima ex parte correxit libro ſeptimo Ethicor. ad Eudemium prope finem, videlicet capite 17. & 18. ex profeſſo probans, Deum eſſe bonam fortunam, & principium motus in anima, quatenus primam cogitationem & impetum voluntatis indeliberatum immittit. Nuſquam tamen legimus, diuinæ prouidentiæ ſubieciſſe immediatè liberas electiones hominum, ſed tantùm mediatè in radice prædictæ cogitationis, & impetus inde liberati. Quinetiam libro duodecimo Metaph. capite 2. text. 37. & ſequentibus docet, Deum mouere primum corpus, cætera moueri ab eodem primo corpore. Clariſſimè autem, libro de mundo ad Alexandrum (ſi non eſt alienus) paulò poſt medium vſque ad finem, docuit, maximè decere Deum omnia etiam minima gubernare, & illis prouidere; ſed non per ſeipſum, ſed per cauſas interpoſitas.

19 *Dei prouidentiam circa liberas actiones agnouit.* Aliquid tamen diuinæ prouidentiæ circa bonas operationes hominum, non vt futuras, ſed iam factas conceſſit Ariſtoteles, quamuis ſub dubio, libro decimo Ethicorum, capite 8. prope finem, dicens: *Qui mente operatur, & eam colit diſpoſitur optimè: Is, & amiciſſimus Diis immortalibus eſt. Nam ſi dij curam humanarum rerum, vt exiſtimatur, aliquam habent, rationi ſanè conſentaneum fuerit, ipſos eo gaudere, quod eſt optimum, maximèque ſibi cognatum: hoc autem fuerit ipſa mens: Et in eos, qui maximè hoc amant, & honorant, beneficia viciſſim conferre, tanquam curam iis, quæ ſibi ſunt chara, ac diligentiam adhibentes.*

20 Tandem quod Ariſtoteles aliquando ſignificauit, Deum non cognoſcere futura contingentia, & viliores res indignas diuino conſpectu iam explicuimus in tomo de ſcientia Dei, diſput. 9. ſect. 1.

Conſultò prætermitto argumenta, quibus Iulius Sirenus libro quarto de prouidentia, cap. 26. probare nititur, Ariſtotelem rectè de prouidentia ſenſiſſe, quoniam ex dictis promptam ſolutionem habent.

21 *Ciceronis error* Septimus error fuit Ciceronis, de quo Auguſtinus libro quinto de Ciuitate, capite nono prope medium; *Dum homines*, inquit, *vult facere liberos, facit ſacrilegos*, nimirum, quoniam futurorum præſcientiam, & prouidentiam negauit. Ex propria namque ſententia & perſona negat in libro ſecundo de diuinatione: quamuis in libro tertio de natura Deorum in fine dixerit, ſibi viſam fuiſſe propenſiorem ad veriſimilitudinem diſputationem Balbi, quàm Cottæ, qui contra Stoicorum placitum, & contra prouidentiam, atque præſcientiam Deorum diſſerebat. Vnde quod in præcedenti lib. 2. dixerat non tam decernendo, quàm diſputando ſcripſiſſe videtur.

Hoc

Digitized by Google

22 *Lactant.* Hoc nimirum fundamento Lactant. lib. 1. diuin. inſtitut. cap. 2. parum à principio: *Marcus Tullius*, inquit, *de prouidentia gubernatrice rerum, & multa, & ſæpe diſſerit, Stoicorum argumenta confirmans, & noua ipſe afferens plurima. Quod facit tum in omnibus ſuæ philoſophiæ libris, tum maximè in iis, qui ſunt de natura Deorum.* Eandem ſententiam Ciceroni tribuit Saluianus lib. 1. de Prouidentia, colum. 1. Fauet quod Cicero *ſummis viris diuinitus adiunctam eſſe fortunam.* ſcribit oratione pro lege Manil. propiùs ad medium, quàm ad finem: *Inſuper fortunam à Deo petendam eſſe iudiciam omnium mortalium*, ſcribit lib. 3. de natura Deorum prope finem.

23 Octanus fuit Auerrois, Auicennæ, & Algazelis, qui prouidentiæ radicem conuellebant, negantes diſtinctam & peculiarem cognitionem creaturarum in ſingulari. Ex quibus ille non modò perfidus, ſed etiam inconſtantiſſimus Auerroes aliis in locis expreſſè ſingularium prouidentiam conceſſit. Cuius teſtimonia referunt Marſil. lib. 1. ſent. q. 38. art. 3. & Ferrar. lib. contra Gent. cap. 50. Sed Auicena tract. 9. Metaph. toto cap. 6. probat ex profeſſo Dei prouidentiam, non tantùm in ordinatione bonorum, ſed etiam in permiſſione malorum propter maiora bona.

24 Nonus numeretur error Rabi Moyſis, qui corruptibilia quælibet indiuidua diuinæ prouidentiæ ſubduxit excipiens ſolos homines, quos propter ſplendorem intellectus dignos exiſtimauit prouidentia Dei, vt S. Thomas refert in præſenti q. 22. art. 2. corp.

25 Decimus error eſt, ad quem procliues ſunt Reges atque magnates, quem proinde Cæſari tribuit Lucanus, quando ſic ad milites tumul- *Cæſar apud Lucanum.* tuantes concionem habuit: *Nunquam ſecura Deorum ſic premit, vt veſtra vita, veſtraque ſaluti Fata vacent, procerum motus hæc cuncta ſequuntur; Humanum paucis viuit genus.* Putauit igitur Deos nihil de vulgaribus hominibus, ſed tantùm de proceribus curare.

SECTIO III.

Exactiſſimam Prouidentiam omnium rerum etiam ſingularium & minimarum, docent Sacræ Literæ, & Patres.

1 *Prouidentia probatur ex Scriptura. Sap. 6.* PRobatur in primis ex Sacris Literis, Sapient. 6. *Æqualiter eſt illi cura de omnibus*, videlicet, æqualitate proportionalitatis ad vniuſcuiuſque naturam & exigentiam, & inferiùs in eodem cap. 6. *in omni prouidentia occurrit illis*, ſcilicet, dignis ſe; & cap. 12. *Non eſt alius Deus, quam tu cui* *Sap. 12. & & 11.* *eſt cura de omnibus.* Sapient. 11. *Omnia in menſura & numero & pondere conſtituiſti.* Quod licèt peculiariter dictum ſit de moderatione & æquitate puniendi; generaliter tamen de rerum omnium productione & gubernatione verificatur ſecundum Auguſt. lib. 4. de Geneſi ad literam cap. 3. 4. & 5. & quæſt. ad Oroſium cap. 89.

2 Sapient. 14. *Tu autem Pater, Prouidentia ab ini-* *Sap. 14. & 17. Prouerb. 18. & 8.* *tio cuncta gubernas.* & cap. 17. de Ægyptiis ait, *Fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.* Prouerb. 18. *attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* & 8. cap. Sapientia genita dixerat: *Quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram* *Eccleſiaſt. 1.* *cuncta componens.* Eccleſiaſtici 1. parum à princip. *Ipſe creauit illam* (ſcilicet ſapientiam) *in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt, & effudit illam ſuper omnia opera ſua; & ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe.* Perpende ſapientiam Dei, cùm ſit infinita ſimpliciter, non eſſe capacem numeri, vel menſuræ, niſi prout erat effundenda in omnia opera Dei, prouidendo ſingulis iuxta naturam vniuſcuiuſque, & exigentiam ſeu capacitatem. Præterea generalitatem obſerua circa omnia opera Dei, & peculiariter circa omnes homines (quos intelligit illis verbis, *ſuper omnem carnem*:) maximè verò ſuper iuſtos ac diligentes Deum. Eccleſiaſt. 5. *Ne dederis os tuum, vt peccare facias* *Eccleſiaſtes 5.* *carnem tuam, nec dicas coram Angelo, Non eſt prouidentia: Ne fortè iratus Dominus*, &c.

3 Potiſſimum huius veritatis teſtimonium Chriſtus Dominus dedit Matth. 6. & 10. & Lucæ 12. *Luca 12.* *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Et poſt pauca: *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant; neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos modicæ fidei?* & Matth. 10. *Nonne* *Matth. 10.* *duo paſſeres aſſe veneunt; & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro?* & Lucæ 12. *Conſide-* *Luca 12.* *rate coruos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos.* & poſt pauca: *Conſiderate lilia quomodo creſcunt*, &c.

4 *Tota Scriptura ſacra Dei prouidentiam docet.* Quin potius tota Scriptura ſacra Dei Prouidentiam circa res omnes, & ſingulas quantumcumque minimas docet. Quia quod attinet ad conferenda, quæcumque requiruntur ad tuendam, & conſeruandam vitam, vel exiſtentiam creaturarum, traditur apertè Geneſ. 1. & 2. cap. In quibus peculiariter obſeruandum eſt quod notatur de ſeminibus ad multiplicationem viuentium, & de cibo parato quibuſlibet animantibus, & volucribus, & vniuerſis quæ mouentur in terra. Propterea iure optimo Geneſ. cap. 2. ini- *Geneſ. 2.* tio: *Perfecti ſunt*, inquit, *cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Ornatus autem complectitur omnia, nullo excepto, quæ pertinent ad integritatem, perfectionem & conſeruationem Vniuerſi, iuxta illud Eccleſiaſtici 29. prope finem: *Tranſi hoſpes,* *Eccleſiaſtici 29.* *& orna menſam, & quæ in manu habes, ciba cæteros.* & Ezechiel. 23. *Sediſti in lecto pulcherrimo, &* *Ezech. 23.* *menſa ornata eſt ante te.* Matth. 25. *ornauerunt lam-* *Matth. 25.* *pades ſuas.*

5 Deinde verò cap. 3. & omnibus ſequentibus traditur exacta & attenta gubernatio humanarum operationum, in qua verſantur cæteri omnes libri Sacrarum literarum. Quorum vnicus ſcopus eſt proponere Dei præcepta, conſilia, Doctrinam, exempla, reuelationes, ſupplicia, præmia, terrendo, inuitando, alliciendo & innumeris modis procurando, nos à vitiis ad virtutem reuocare, quod totum eſt Prouidentia circa liberas actiones, etiam futuras, quas Scriptura oſtendit, eſſe præſcitas, aut præordinatas, ſiue prædeſtinatas. Interea circa rerũ naturaliũ ordinem, aut ſeruandum, aut immutandũ pro ſalute piorũ, & impiorũ pœna, traduntur plurima, veluti diluuium, miracula Ægypti, & his ſimilia. Chryſoſt. notat prouidentiam Dei cognoſci ab expulſione Adæ, & pœna Cain, ac diluuio lib. 1. de Prouidentia

colum. 5. & ſequentibus. Ruſus prouidentiam demonſtrari in Ioſepho & Moyſe, Chryſoſt. notat in Acta Apoſtolorum cap. 7. homil. 16. column. 3.

6 Præſtantiſſimum verò prouidentiæ teſtimonium eſt Incarnatio, & omnes libri noui Teſtamenti. Denique Saluianus lib. 1. & 2. de Prouidentia non paucas hiſtorias & ſententias ex Geneſi & cæteris libris Scripturæ ponderat; ſed eadem ratione potuiſſet multò plures adducere. Ex his nonnulla ponderat Lactan. diuinarum inſtit. lib. 2. cap. 10. & multis ſequentibus.

7 *Probatio ex Patribus.* Secundò probatur ex Patribus, & primò quidem ex Græcis. Nam Dei prouidentia diſpenſari cuncta, licèt ſuperflua, contrariáque videantur, Petrus Apoſt. admonet apud Clement. lib. 1. Recognitionum propiùs ad medium quàm ad princip. & lib. 3. pag. 3. fusè perſequitur nonnullas Diuinæ prouidentiæ partes, veluti iuſtorum præmia, ſupplicia peccatorum, & rationes permittendi Magorum prodigia. Idémque lib. 8. Recognit. pag. 4. de prouidentia dicit: *Generalis autem, & ſpecialis partium ſimul, hoc modo eſt, quaſi ab initio omnia fecerit Deus: & vſque ad finem per ſingulos quoſque prouidentiam gerat, & vnicuique reddat pro actibus ſuis.* Tutóque lib. 8. Nicetas & Aquila, præſente & approbante Petro tanquam magiſtro, probant, Dei prouidentiam etiam circa *pulices mures, & lacertas* (vt videre eſt inter med. & finem libri) & paulò poſt rationem reddunt ob quam affligantur iuſti cum impiis.

Petrus apud Clementem.

8 Dionyſ. lib. de cæleſti hierar. cap. 9. probat ex profeſſo generalem ad omnes homines, etiam idolorum cultores fuiſſe prouidentiam Dei per bonos Angelos. Peculiariter notanda ſunt illa verba propiùs ad finem quàm ad medium: *Vnum enim eſt omnium principium, vna prouidentia: nec putandum eſt vllo modo Iudæis quidem quaſi ſortito Deum præeſſe,* &c. Paucíſque interpoſitis: *Vna quidem de omnibus Altiſſimi prouidentia, omnes homines ſalutis cauſa Angelis ſuis ad ſe deducendos diſtribuerit.* & ad finem cap. *Nos apertè planéque docens, vnam eſſe ad omnia pertinentem prouidentiam,* &c.

9. Ruſus verò ſub nomine iuſtitiæ generalitatem prouidentiæ tradit lib. de diuinis nominibus cap. 8. poſt med. illis potiſſimùm verbis: *Iuſtitia Deus laudatur, quod ſua cuique pro dignitate tribuat: quod modum, pulchritudinem, ordinem, ornatum, omnéſque diſtinctiones & ordines termino, qui verè æquiſſimus eſt vnicuique definiat; & omnibus ſua cuique actionis auctor ſit. Diuina enim iuſtitia omnia diſponit, & determinat, omniáque non confuſa inter ſe, nec permixta cuſtodiens, iis quæ ſunt omnibus quod cuique accommodatum eſt tribuit, pro ea qua vnumquodque eorum, quæ ſunt, attingit dignitate.* Eaſdem gubernandi perfectiones diuinæ ſcientiæ tribuit in præcedenti cap. 7. propiùs ad finem quàm ad med. dicens: *Omnium eſt artifex, & ſemper omnia componit, éſtque cauſa indiſſolubilis cohærentiæ, & ordinis omnium, finéſque priorum cum ſequentium principiis ſemper connectit, & vnam Vniuerſi conſpirationem, concentúmque pulcherrimè efficit.*

10 Prouidentiam itaque curam, & ordinationem hominum, paſſerum, minimarum, ac viliſſimarum rerum cæteri Patres conſtanter docent. Iuſtinus q. 146. ad Orthodoxos. Irenæus lib. 2. cap. 45. poſt medium. Clemens Alex. lib. 7. ſtromat. pag. 3. ſub init. & lib. 5. pag. 2. & lib. 1. Pædagogi cap. 8. Iſidorus Peluſ. fusè epiſt. 154. Nazianzenus orat. 1. column. 2. fuſiùs oratione 3. numero 13. & ſequentibus, & oratione 15. in plagam grandinis numero 14. & oratione 16. de pauperum amore num. 44. & oratione 34. quæ eſt 2. de Theol. Baſilius homilia 8. in diuites auaros tempore famis ante med. Vide etiam Orat. de precatione column. 2. Chryſoſt. ſex libris ſeu orationibus de prouidentia, & homil. 4. ad populum Antiochenum ante med. Greg. Nyſſenus lib. de infantibus qui præmaturè abripiuntur propiùs ad princip. quàm ad medium, & oratione catechetica cap. 8. inter medium & finem, Athanaſius oratione contra gent. longè poſt med. & orat. 3. contra Arrianos propiùs ad medium quàm ad principium vbi refert verba Euangeliorum de cura rerum minimarum: Et orat. contra gẽtes multò propiùs ad finem quàm ad medium, & lib. de Incarnatione Verbi, & aduentu col. 1. & 3. & in ſynopſi lib. 15. Eccleſiaſt. Cyrillus Alexand. aduerſus Platonem lib. 2. in Iulianum parum à med. & lib. 3. poſt med. Damaſcenus dialogo contra Manichæos, & lib. 1. fidei cap. 12. à medio, & lib. 2. cap. 29. Nyſſenus lib. 8. philoſophiæ, vel potiùs Nemeſius lib. de animæ facultatibus, cap. 42 43. & 44. Athenagoras lib. de reſurrect. præſertim à med. Maximus ſerm. 48. de prouidentia. Dorothæus doctrina 17. de inſtitutione fratrum ad finem. Theodoretus ſermonibus 10. de prouidentia, & lib. 6. de curandis Græcorum affectionibus. Cyrillus Hieroſolym. catecheſi 8. circa med. & catecheſi 18. non longè à principio. Euſebius de præpar. Euang. lib. 6. cap. 5. & lib. 15. cap. 28. Æneas Gazæus in Theophraſto propiùs ad medium quàm ad princip. Valde copiosè.

Ex Latinis Patribus Hieronymus aduerſus 11
prouidentiam ſcripſiſſe videtur in *Abacuch*. cap. *Abacuch. 1.*
1. ad illud, *Mundi ſunt oculi tui.* Nihilominus iam ex profeſſo declaratus eſt ille locus in tomo de ſcientia Dei diſput. 9. ſect. 2. probatúmque fuit plurimis teſtimoniis eiuſdem Hieronymi, rectè catholicéque ſenſiſſe de generalitate diuinæ prouidentiæ circa res omnes quantumcumque minimas, & viliſſimas: potiſſimùm verò commentariis ad Matth. cap. 11. ad illud: *Nonne duo paſſeres, &c.* & Epheſ. 5. *Gratias agentes ſemper pro omnibus.* & Zachar. 4. *Septem iſti oculi Domini ſunt, &c.* Sed magis apertè ad illud Hierem. 32. poſt med. *Numquid difficile.*

Matth. 11. *Zachar 4.* *Hierem. 32.*

Idem dogma probat copiosè & efficaciter Ambroſius lib. 1. officiorum cap. 13. & 14. 12
& 1. Corinthiorum cap. 1. parte 4. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. multis capitibus præſertim cap. 11. & lib. 10. de Ciuitate, cap. 14. ante med. & lib. 3. de Trinitate cap. 4. & tractat. 104. in Ioan. circa medium ad illud Ioan. 17. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum,* & lib. 1. & 2. de ordine, & toto lib. 3. de libero arbitrio. Cyprianus ad Demetrianum tota apologia præſertim pagina 2. Hilarius in Matth. can. 5. & can. 10. ſupponit potius quàm exponit prouidentiam omnium. Sed magis apertè præſens dogma tradit Proſper lib. ſentent. ex Auguſt. ſent. 281. & 277. S. Paulinus epiſt. 36. de prouidentia, Saluianus octo libris de prouidentia. Gaudentius Brixien. Ambroſij cõtemporaneus tota ferè præfatione ad ſuos libros. Latiſſimè autem Lactantius de diuinis inſtitut. lib. 5. cap. 2. & lib. 2. cap. 8. & ſequentibus, & lib. 7. de præmio, & ira

Ioan. 17.

Dei

Digitized by Google

Dei cap. 9. & ſequentibus, & lib. de Opificio homiois. Boëtius lib. 4. de Conſolatione proſa 6. & 7. & toto lib. 5. Anſelmus in Elucidario multis propoſitis quæſtionibus præſertim eirca medium S. Thom. lib. 3. contra Gent. à cap. 71. vſque ad 75.

13 *Defenditur Nemeſius.*

Videri poteſt alicui Nemeſium diuioæ prouidentiæ ſubſtraxiſſe nonnullas humanarum operationum, quando lib. de Facultatibus animæ, cap. 40. inter medium & finem dicit: *Cùm quæ ſunt mixta ſint, aliquando proficiſcentur à noſtrâ voluntate, aliquando fient ratione prouidentiæ, aliquando manabunt ex vtroque.* Cæterùm illius mens eſt, prauas operationes non eſſe à diuina prouidentia, procurante illas, & inducente ad illas, ſed permittente; vt magis explicat inferiùs cap. 44. propè fiocm; & clariùs ſcripſerat Damaſcenus (à quo Theologiam hanc cum aliis multis deprompſit Nemeſius) lib. 2. Fidei, c. 29. ante medium illis verbis: *Ea enim, quæ in nobis ſunt, non prouidentiæ ſolùm ſunt, ſed liberæ poteſtatis noſtræ, & arbitrij. Prouidentiæ verò hæc quidem ſecundùm acceptationem, hæc autem ſecundum promiſſionem.*

Damaſcen.

SECTIO IV.

Rationibus demonſtratur Prouidentia Dei.

1 *Rerum creatio prouidentiam probat.*

PRima demonſtratio ſit, quoniam eo ipſo quòd ſit Deus ſequitur eſſe creatorem omnium exiſtentium; & eo ipſo quòd ſit creator ſequitur eſſe gubernatorem omnium quæ creauerit: ſicut è contrario, ſi non gubernat res aliquas; ſequitur eas non creaſſe, vnde præterea ſequitur eſſe Deum. Sapienter enim Ambroſius lib. Officior cap. 13. ad medium: *Quis operator,* inquit, *negligat operis ſui curam? Quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putauit? Si iniuria eſt regere, nonne eſt maior iniuria feciſſe: cum aliquid non feciſſe nulla iniuſtitia ſit: non curare quod feceris ſumma inclementia,* & 1. Corinth. 1. part. 4. dicit: *Eſt aliquid hac aſſeueratione ſtultiùs, vt feciſſe dicatur Mundum, & curam eius non agere? Et quid fecit, ſi non ad illud pertinet quod fecit?*

Ambroſius.

2

Damaſcen. lib. 2. Fidei, cap. 29. ſub init. *Neceſſe eſt,* inquit, *eundem eſſe eorum, quæ ſunt, & factorem, & prouiſorem. Nam neque decet, neque conſequens eſt alium factorem eſſe eorum, quæ ſunt, & alium prouiſorem: ſic enim imbecillitati debilitatique vterque ſubiaceret.* Confirmat aotem inferius, quia *ſolus Deus eſt natura bonus & ſapiens. Vt igitur bonus, prouidet; non prouidens enim non bonus. Nam & homines, & muta animalia ratione capta propriis natis naturaliter prouident, & ſi non prouident, vituperantur.* Hæc ratio ſumitur ex verbis Iob. 34. *Quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus eſt?* Per ſe quippe Mundum regit quem per ſe condidit, vt loquitur ibi Gregorius lib. 24. cap. 11. aliàs capite 26. & poſt pauca: *Si per ſeipſum regere non negligit quod creauit, quod bene creauit, vtique bene regit, & qui necdum facta curauit, vt eſſent quæ ſunt facta non deſerit.*

Iob 34.

3 *Nemeſius.*

Acutè proinde Nemeſius lib. de Animæ facultatibus cap. 44. col. 1. notauit conuenienter & cõſequenter ad ſua principia negaſſe prouidentiã eos, qoi negauerunt Deum eſſe rerum conditorem: *Nam qui putant, hoc vniuerſum caſu, & temerè conſtitutum, meritò dicunt, omnia vacare prouidentia. Quorum enim nemo creator ſit, eorum quis ſit procurator? Eſt enim euidens temerè debere ferri quæ à principio temerè procreata ſunt.* Ex contrario principio contrariam illationem notat Athenagoras lib. de Reſurrect. propiùs ad medium quàm ad finem docens: *Oportere eos, qui Deum admittunt vt conditorem huius vniuerſitatis, illius ipſius ſapientiæ & iuſtitiæ attribuere omnium rerum cuſtodiam, & procurationem: ſi modò fundamento conſtituto, ac principiis ſemel admiſſis inhærere velint.* Ex eodem creationis principio curam & prouidentiam probat Saluianus lib. 1. de Prouid. col. 5. & lib. 4. propiùs ad medium quàm ad priocip. exemplo hominum qui nihil faciunt, niſi priùs decreuerint rei factæ prouidentiam & curam habere. Aliter autem ex munere creatoris prouidentiam deducit S. Thomas vt in tertia demouſtratiooe videbimus.

Athenagoras.

4 *Lactant.*

Illationem ſecundam, quâ non eſſe Deum infertur, ex eo quod non prouideat, notauit Lactant. lib. 7. de Ira Dei, cap. 4. inter principium & med. dicens: *Quid tam dignum, tam proprium Deo, quàm prouidentia? Sed ſi nihil curat, nihil prouidet, amiſit Diuinitatem omnem. Qui ergo totam vim, totam Deo ſubſtantiam tollit; quid aliud dicit niſi Deum omnino non eſſe.* Hoc iudicio Epicurum in animo ſenſiſſe, nullos eſſe Deos; & ore tenus conceſſiſſe Deos *depellendæ inuidiæ cauſa*, dixit Poſſidonius quem Marcus Tullius refert apud eundem Lactantium, qui tameo non ita verſutum, ſed magis ſtultum eſſe putauit Epicurum, proptereáque repugnantia dixiſſe. *Etenim ſi Deus eſt, vtique prouidens eſt*, vt ſcribit inferiùs cap. 9.

5 *Qua neceſſitate rebus Deus prouideat.*

Notandum eſt diſcrimen inter illationes prædictas; quoniam prior eſt ſimpliciter neceſſaria: ſecunda verò non eſt neceſſaria ſimpliciter, ſed moraliter infallibilis. Eſt enim ſimpliciter impoſſibile rem aliquam exiſtere, niſi fuerit à Deo creata; cæterùm eſt phyſicè, ſimpliciterque poſſibile Deum non prouidere rebus, quas creauit & conſeruat, ſed illarum curam negligere, quoniam libera voluntas eſt prouidendi creatis; ſicut libera fuit voluntas creandi. Nihilominus ex Dei bonitate per moralem infallibilitatem infertur libera volitio prouidendi; ſicut explicatum fuit tomo præced. de Voluntate Dei, diſp. 9. præſertim verò diſp. 10. ſect. 5.

6 *Religio Dei prouidentiã demonſtrat. Cicero.*

Secundam demonſtrationem ex religione, cultúque Deorum, precibus, ac ſacrificiis accipit Cicero lib. 1. de natura Deorum parum à principio dicens: *Sin autem Dij neque poſſunt nos iuuare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animaduertunt, nec eſt quod ab iis ad hominum vitam permanare poſſit, quid eſt quod vllos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In ſpecie autem fictæ ſimulationis, ſicut reliquæ virtutes, ita pietas ineſſe non poteſt, cum qua ſimul & ſanctitatem & religionem tolli neceſſe eſt: quibus ſublatis turbatio vitæ ſequitur & magna confuſio.*

7 *Naturalis propenſio prouidentiam probat.*

Confirmatur primò, quia communis omnium ſenſus inditus eſt à natura: quod autem eſt à natura, manat ab authore naturæ, qui Deus eſt; proptereáque nequit eſſe falſum: nec enim Deus etiam vt eſt author naturæ, poteſt inclioare ad falſum. Propterea meritò Philoſophus libro 10. Ethicor. cap. 2. poſt med. ait: *Qui verò negant, bonum id eſſe quod omnia appetunt, ij nihil omnino dicunt. Quod enim vniuerſis videtur id eſſe dicimus. Qui autem fidem hanc tollit non valde credibiliora dicet.*

Deus neque vt author naturæ ad falſum inclinat. Ariſtoteles.

8 *Nemeſius.*

Confirmatur ſecundò, nam vt Nemeſius lib.

Digitized by Google

de facultatibus animæ, cap. 44. propiùs ad finem quàm ad medium, ait: *Res ſingulas regi prouidentia magno argumento eſt, quod naturaliter eius notitia hominibus eſt inſita. Nam difficili & neceſſario noſtro tempore ſtatim ad numen diuinum, & preces confugimus: velut natura nos ſine doctrina ad Dei opem perducente: non autem ſine doctore nos natura ad id duceret, quod eadem natura non fert, vt fiat. Nam in repentinis perturbationibus, & timoribus ſine electione neque deliberatè, & tanquam aliquid conſideramus, Dei numen inuocamus. Quidquid autem naturaliter quamque rem inſequitur, in eo tanta vis eſt ad demonſtrandum, vt contradici nihil poſſit.*

9 Non minùs efficaciter, quàm eleganter naturalem animi propenſionem ad probandam Dei prouidentiam pondetat Tertull. in Apologetico aduerſus Gen. cap. 17. poſt med. *Vultis, ait, ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis preſſa, licet inſtitutionibus prauis circumſcripta, licet libidinibus & cōcupiſcentiis euigorata, licet falſis Diis exancillata; cùm tamē reſipiſcit, vt ex crapula, vt ex ſomno, vt ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuam patitur, Deum nominat, hoc ſolo quia propriè verus hic vnus Deus, bonus & magnus. Et quod Deus dederit omnium vox eſt. Iudicem etiam conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O teſtimonium animæ naturaliter chriſtianæ.*

Tertull.

10 Pondera poſtrema verba. Quæ tranſcribendo probauit etiam Cyprianus lib. de Idolorum vanitate poſt medium, dicens: *Nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cùm mens, & anima ſui authoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, ô Deus; & Deus videt; &, Deo commendo; &, Deus mihi reddet; &, quod vult Deus; &, ſi Deus dederit. Atque hæc eſt ſumma delicti, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſſis.* Confirmatur tertiò, quia pauciſſimi fuerunt & pro nihilo dicendi, qui vel Deos omnino negarunt, vel illos, nihil de rebus humanis curare putauerunt. Omnibus enim nationibus aliqua ſunt ſacrificia, ſeu libamina vel oblationes, aliquæ ceremoniæ diuini cultus, aliquæ præces, & oracula.

Cyprianus.

Confirmatio 3.

11 Tertiam demonſtrationem tradit S. Thomas in præſenti quæſt. 22. art. 1. quæ ſic poteſt ad ſyllogiſticam formam reduci. Prouidentia eſt ratio ordinis rerum in finem (vt oſtendemus diſp. ſequenti:) ſed in Deo eſt ratio ordinis omnium rerum ad ſuos fines, maximè verò ad vltimum finem, qui eſt ipſe Deus: ergo in Deo eſt rerum omnium prouidentia. Minor probatur quia cuiuſlibet effectus à Deo producendi, præexiſtit in Deo ratio per intellectionem, & per volitionem dirigens, determinans, & imperans, quando, vbi, & quomodo ſit talis effectus producendus: ſed ordo rerum omnium ad ſuos fines, maximè verò ad vltimum finem, qui eſt ipſe Deus, & aliquis effectus à Deo producendus: ergo iſtius ordinis ad finem præexiſtit in Deo ratio per cognitionem, & volitionem dirigens, determinans, & imperans, quando, vbi, & quomodo ſit ille ordo producendus.

S. Thomæ ratio ex prouidentia qui dirare deſcripta.

12 Confirmatur primò, quia cuiuſlibet boni Deus eſt creator per intellectionem & volitionem; ſed ordo rerum in finem eſt aliquod bonum: ergo iſtius ordinis rerum in finem Deus eſt creator per intellectionem, & volitionem; & conſequenter per rationem ordinis, quam præhabet mens diuina. Confirmatur ſecundò, quia res omnes tanta propenſione feruntur ad immediatos, & peculiares fines, ſummopere proportionatos vniuſcuiuſque naturæ, necnon ad vniuerſalem finem boni totius vniuerſi, maximè verò ad finem diuinæ gloriæ, oſtendendo ſapientiam, bonitatem, & alia attributa: rurſus autem hos fines tam efficaciter conſequuntur; vt euidentiſſimum ſit, non caſu vel fortuitò ab aliquo cæco, vel ignaro; ſed à ſapientiſſimo, & vniuerſaliſſimo rerum conditore dirigi, & gubernari.

Per volitionem, & intellectionem creat Deus.

Reſpondebis ex Ariſtotele ad proprios fines inclinari res omnes per intrinſecas ſibi formas, ſiue per naturam. Hoc autem falſitatis conuincitur interrogando, quænam ſit hæc natura. Nam ſi naturæ nomine ſignificetur aliquod principium, perfectiſſimè cognoſcens vniuſcuiuſque rei naturam, proportionem, & exigentiam; atque poteris debitam illi propenſionem imprimere: hanc ipſam naturam nos dicimus eſſe Deum. Quapropter à nobis etiam nihil diſſentiet, qui dixerit naturam eſſe cuiuſlibet rei eſſentiam, prout à Deo dirigitur ad ſuos fines. 13

Refutatur reſponſio.

Duplex naturæ acceptio.

Si verò naturam intelligas eſſe cuiuſlibet rei eſſentiam, non indigentem alia cauſa, per quam ordinetur ad ſuos fines: hoc ex terminis ipſis ſtultiſſimum eſſe conſtat, imprimis in creaturis cuiuſlibet cognitionis expertibus. Etenim ſi ſemel tantùm, aut iterum à creaturis prodiiſſet in lucem vnum, aut alterum opus perfectè ordinatum, & proportionatum ſibi finem attingens, minus intolerabilis error eſſet, concedere, caſu, vel fortuitò illud euaſiſſe, & ad ſuum finem peruenisse: ſicut iaculantibus contingere ſolet, præter intentionem attingere, quod optarent conſequi, ſi ex intentione ſagittam emitterent. Cæterùm innumerabilis rerum multitudo, ſemper ad ſuum ſcopum perueniens, euidentiſſimè demonſtrat, ſapientiſſimum aliquem gubernatorem eſſe, qui directionem & impetum ad ſuos fines imprimat. Ideo Ariſt. lib. 2. Phyſicor. textu 77. notauit, eorum quæ fiunt à fortuna, & caſu, nihil ſemper, neque frequenter, ſed raro contingere. 14

In rebus autem ratione conſtantibus prædicta ratio non minores vires habet, præſertim in hominibus. Quamuis enim aliqua cognoſcamus, & agamus propter finem: Sæpiſſimè tamen ignoramus naturam ſpecificam interioris actus, quem elicimus per intellectum, voluntatem, phantaſiam, aut appetitum; & nonquam diſtinctè cognoſcimus illius differentiam numericam. Inſuper ignoramus, quibus inſtrumentis corporis, & quomodo nobis vtendum ſit ad eos actus eliciendos. Quapropter niſi ſuperiori & ſapientiſſimo principio dirigamur, ad noſtras operationes, & fines numquam, aut ferè numquam illos cōſequi poterimus. Denique licèt Angelus ſuas omnes operationes comprehenſiuè cognoſcat, & idem poſſit eas ad ſuos fines dirigere; nihilominus ſuam ipſius naturam atque potentias non potuit in finem ordinare; nec enim produxit naturam immortalem, immaterialem, & perfectiſſimam, nec indidit intellectum, & voluntatem, nec has potentias muniuit congenitis ſpeciebus & primis, atque indeliberatis operationibus. 15

Confirmatur ſecundò, nam & Athanaſius orat. contra gentes propiùs ad finem quàm ad med. probans, res fieri & gubernari diuina ratione magis explicat, dicens: *Intelligo autem rationem, non quæ ſingulis, cùm fiunt, implicita eſt & congenita, quam nonnulli etiam ſeminalem conſueuerunt dicere,* 16

Athanaſius.

cere, inanimatam, inquam, illam, & nulla ratiocinatione, nulla mente præditam.

17 Quarta demonſtratio ſumitur ex harmonia, & concordia contrariarum, ac diſſimilium partium Vniuerſi, quæ non poſſet omnino conſiſtere, niſi ſapientiſſimi gubernatoris prouidentia regeretur, *Quemadmodum ſi muſicus vbi lyram aptauerit, & grauia acutis, & media extremis ex arte ſua contexuerit, certum, deſignatúmque melos abſoluat: ita quoque Dei illa ſapientia rerum vniuerſitatem vt lyram teneas, & aerea terrenis copulans, & cæleſtia aëreis, vniuerſáque cum ſingulis coaptans, circumagénſque nutu ſuo, ac voluntate, vnum mundum, mundíque vnum ordinem abſoluit rectè, & congruenter.*

Partium vniuerſi concordia prouidentiam demonſtrat.

Athanaſius.

Hoc ſimili rationis vim explicat Athanaſ. dicta orat. contra gentes multò propiùs ad finem quàm ad med. Aliquid autem contrarietatis partium ponderabat paulò ſuperiùs dicens: *Elementa omnis ſenſibilis ſubſtantiæ calida, frigida, humida, & ſicca in vnum contemperans, ſua potentia efficit, vt illa ſibi mutuo infeſta non ſint, ſed vnam, conſonámque harmoniam in commune abſoluant.* Huiuſmodi plurima ponderat ſequentis orationis decurſu.

18 Confirmatur primò, ſolidè námque Boëtius, lib. 3 de conſolatione proſa 12. parùm à principio, ratiocinatur: *Mundus ex tam diuerſis, contrariíſque partibus in vnam formam minimè conueniſſet, niſi vnus eſſet, qui tam diuerſa coniungeret: coniuncta verò naturarum ipſa diuerſitas inuicem diſcors diſſociaret, atque diuelleret; niſi eſſet vnus, qui quod nexuit, contineret. Non tam verò certus naturæ ordo procederet, nec tam diſpoſitos motus locis, temporibus, efficientia, ſpatijs, qualitatibus explicaret, niſi vnus eſſet, qui has mutationum varietates, manens ipſe diſponeret.*

Boëtius.

19 Damaſcenus autem lib. 1. fidei cap. 3. poſt medium: *Quomodo enim, ait, aduerſantes naturæ (ignis dico & aqua, aëris atque terra) in vnius mundi complementum concurriſſent ad inuicem, & ſine diſſolutione perdurarent; niſi quæpiam omnipotens virtus & ea coniunxiſſet, & ſemper conſeruaret indiſſoluta?* & poſt alia quædam, ad eundem finem ponderata, ſubiungit: *Non enim temeritati talem tribuemus potentiam. Eſto enim caſus temeritatiſque generatio, cuius erit ordinatio?* quaſi diceret, tam conſtans & concinna rerum ordinatio non poteſt à caſu & temeritate, ſed à ſapientiſſima prouidentia procedere.

20 Quintam demõſtrationem offerunt omnium rerum perfectiones, & ordines vnicuique peculiares, quorum ſinguli ſatis eſſent ad oſtendendam perfectiſſimam Creatoris prouidentiam, quantò magis omnes collectiuè ſumpti. Notauit hoc Auguſt. lib. 5. de Ciuitate cap. 11. circa med. dicens: *A quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo à quo eſt menſura, numerus, pondus; à quo eſt quidquid naturaliter eſt, cuiuſcũq; generis eſt, cuiuſcũque æſtimationis eſt: à quo ſunt ſemina formarũ, formæ ſeminũ, motus ſeminũ, atque formarum. Qui dedit & carni originẽ, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatẽ, membrorũ diſpoſitionem, ſalutem, concordiam; qui & animæ irrationali dedit memoriam, ſenſum, appetitum: rationali autem inſuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui nec ſolùm cælum & terram, nec ſolùm Angelum & hominem, ſed nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, nec auis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit: nullo modo eſt credendus regna, eorúmque Dominationes & ſeruitutes à ſuæ prouidentiæ legibus alienas eſſe voluiſſe.*

Peculiares cuiuſque rei perfectiones pro Diuina prouidentia.

Auguſtinus

Idem lib. 5. de Geneſi ad lit. c. 22. ſub init. ait: *Si viderent tantũ ordinem, quãtus in mẽbris carnis cuiuſlibet animãtis apparet, nõ dico medicis, ſed cuilibet mediocris conſiderationis homini: nõne clamarent, ne puncto quidem temporis Deum, à quo eſt omnis menſurarum modus, omnis paritas numerorum, omnis ordo ponderum, ab eius gubernatione ceſſare? Quid ergo abſurdius, quid inſulſius ſentiri poteſt, quam eam totam eſſe vacuam nutu, & regimine prouidentiæ, cuius extrema & exigua videas tanta diſpoſitione formari, vt aliquantò attentiùs cogitata, ineffabilem incutiant admirationis horrorem?* 21

Confirmatur, nam ad iſtius probationis euidentiam adduci poſſent tot, ac tanta, quanta non caperent multa volumina, nimirum exponendo mirabilem artem, & ordinem omnium rerum, non modò cœlorum, & ſtellarum, ſed etiam elementorum, lapidum, arborum, herbarum, piſcium, volatilium, quadrupedum, ac potiſſimùm humani corporis, & animi, tam ſecundùm rationes vniuerſales, & genericas, quàm ſecundùm rationes ſpecificas, & inſitas proprietates. Vt propterea huc afferri potuiſſet quidquid de his rebus Plinius, Galenus, Dioſcorides, Rondeletius, ac præſertim Ariſtoteles ſcripsêre, ſiue de Meteoris, fluxu maris, & refluxu, de mirabilibus naturæ, de anima, ſenſu, & ſenſibilibus, memoria, ſomno, vigilia, ſomnijs & imaginibus, communi animalium motione, & greſſu & reſpiratione; ſiue quæ de hiſtoria animalium & eorum partibus, generatione, prudentia, ſiue de rebus aliis innumeris tradunt. Galenus præ cæteris Ethnicis miratur artificium naturæ, quod in humano corpore cernitur, ac peculiariter lib. 9. de vſu partium cap. 5. ante med. ait, *Nonne Opificis prouidentiam admirabimur, quia corde ſurſum per thoracem, ac totum collũ, venas atque arterias ad ipſum vſque caput ſimul deductas, inde has quidem ad plexum retiformem: illas autem ad ſummum capitis verticem produxit.* 22

Galenus.

Breuiùs autem, ſed diuiniùs, & elegantiùs aliqua ponderantur à Patribus: Baſilius enim homilia 11. Hexameron acutiſſimè ponderat artificium humanorum oculorum, pręter alia multa, quæ circa partes; & officia corporis humani, & aliorum animantium ponderauerat in eadem, & in præced. homil. 10. Plura reperies apud Nyſſenum toto lib. de Opificio hominis, Chryſoſtom. homil. 9. in Geneſim, Ambroſium lib. 6. Hexæmeron, præſertim cap. 4. & cap. 9. 23

Sextò, demonſtrant Dei prouidentiam multæ diſpoſitiones rerum humanarum, quæ notatæ ſunt præced. tom. de Voluntate Dei diſp. 9. ſect. 6. & ſequentibus, & diſp. 19. 20. & 21. Denique rationes, quæ ſect. ſequenti probant, Deum prouidere minimis ac viliſſimis rebus, à fortiori probant, prouidere perfectioribus creaturis. 24

SECTIO V.

Minimis etiam rebus ac viliſſimis non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari prouidere Deum.

NE ſingulos ſyllogiſmos ſit opus onerare frequenti repetitione rerum minimarum, ac viliſſimarum, non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari: præmitto, me quoties in hac 1

ſectione

Digitized by Google

ſectione dixero, *res omnes, ſiue, quamlibet rem*, intelligere res quantumcumque minimas, & viliſsimas, non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari. Quo ſuppoſito primam rationem accipio *Ratio prima ex quiditate prouidentiæ accepta.* ex S. Thoma in præſenti quæſtione 22. art. 2. corpore. Prouidentia eſt ratio ordinis mediorum in finem (vt oſtendemus diſput. 3.) ſed omnium rerum ratio mediorum in finem præexiſtit in Deo: ergo rerum omnium prouidentia præexiſtit in Deo. Minor probatur, quia quantùm extenditur cauſalitas cuiuſlibet efficientis; tantùm extenditur ordinatio effectuū in finem: ſed cauſalitas Dei extenditur ad quælibet entia, & quaſlibet eorum differentias ſpecificas, aut indiuiduales, quantumcumque viliſſimas: ergo diuina ordinatio rerum in finem extenditur ad omnes eaſdem differentias, indiuiduales, & viliſſimas.

2 Confirmatur tertiò, nam quodlibet efficiens, quotieſcumque cauſat, propter aliquem finem operatur, alioqui fruſtra operaretur: quod euidentius eſt in efficiente perfectiſſimo, de quo *Prouerb 16.* Prouerb. 16. dicitur: *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Propterea quantum extenditur efficiens cauſalitas Dei, tantum extenditur rerum ordinatio in finem: iuxta illud Apoſt. *Rom 13.* Rom. 13. *Quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt.* Confir- *Triplex Dei cauſalitas quam vniuerſalis.* matur ſecūdò, quia triplex Dei cauſalitas exemplaris, efficiens, & finalis, non minus vniuerſalis eſt in cauſando, quàm ens eſt generaliſſimum in prædicando: ſed ens quiditatiuè prædicatur de minimis & vltimis differentiis rerum, etiam viliſſimarum; ergo cauſalitas efficiens, exemplaris, & finalis ad illas omnes extenditur, & conſequenter illas omnes differentias ordinat ad ſeipſum; tanquam ad finem. Confirmatur tertiò, nam omnia artificiata ſubduntur ordini artis; ſed omnium rerum particulares differentiæ ſunt artificiatæ per Dei ſcientiam practicam; ergo ſubduntur ordini diuinæ ſcientiæ practicæ; quæ prout ordinem præſcribit eſt prouidentia.

3 *Virtus fortior plus extenditur.* Secunda ratio præcedenti conſequens & affinis eſt, quælibet enim virtus actiua, quantò fuerit fortior, tantò ſuas operationes extendet ad obiecta remotiora: ſed intellectus & voluntas Dei ſunt infinitæ fortitudinis: ſuas igitur operationes intelligendi, volendi, gubernandi, & ordinandi, voluntas & intellectus diuinus extendent ad obiecta remotiſſima. Rurſus, obiecta nobiliora ſunt propinquiora perfectioni diuinæ: viliſſima tamen obiecta, & eorum indiuiduales differentiæ ſunt ab infinita Dei perfectione remotiſſima. Conſequens igitur eſt, vt ad iſtas etiam viliſſimas & indiuiduales differentias extendatur Dei ordinatio, gubernatio, & prouidentia.

4 *Viliſſimarū rerum prouidentia non ſordeſcit Deus.* Tertia ratio. Diuina prouidentia non vileſcit ordinatione viliſſimarum rerum, nec ex earum ſordibus ſordeſcit. Sapientia namque Dei complectitur etiam practicam eius intellectionem, volitionem, ordinationem, & imperium. De illa *Sapien. 7.* verò dicitur Sapient. 7. *Attingit autem vbique propter ſuam munditiam*, id eſt abſtractionem, ſimplicitatem, & immaterialitatē. *Vapor eſt enim virtutis Dei & emanatio quædam eſt claritatis Dei ſincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* Nec alias ſordes abominari diuinam ſapientiam legimus in ſacris Litteris, niſi peccata, de quibus *Habacuc 1.* Habacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.*

5 Illuſtrat hanc rationem, & confirmat à ſimili Nemeſius lib. de facultatibus animæ cap. 44. poſt medium, dicens: *Aut ob ſuperbiam Deus imperium & gubernationem rerum ſingularum deſpicit (quod dictu abſurdiſſimum eſt) aut, ſicut ipſi loquuntur, quod inquinationem deuitet. Quod ſicut radij ſolares vim habeant attrahendi humorem omnem, negant inquinari Solem, eiúſque radios, cum cœno lucem inferunt, ſed integros, & ab omni ſorde puros manare dicunt: quomodo Deum rebus humanis profanari exiſtimant?* *Nemeſius.*

Magis adhuc premit argumentum à Sole ductum, Anaſtaſius Synaita lib. 2. de rectis fidei dogmatibus, inter med. & fin. præter alia dicens: *Vt etiam demus, Solem nonnihil fœtoris colligere ex iſtis corporibus, non continuò ſequeretur, Deum contrahere vel tantillum contagij. Nunc autem quum Sol perinde ac cætera corpora, paſſionibus obnoxius ſit, nec tamen quidquam corrodat ſordium: qua fronte dixeris, Deum eiſdem ſubiacere & eſſe participem, cum ab his ſit longiſſimè ſeiunctus*: ſcilicet à ſordibus, etiamſi producat & conſeruet effectus ſordidiſſimos. 6 *Anaſtaſius.*

Secundò confirmat Cyrillus item Alexandrinus lib. 5. Theſauri cap. 2. poſt med. dicens: *Quod ſi putatis, indecens ad minima quoque Dei prouidentiam deſcendere, erubeſcatis aliquantulum quæſo, audientes Chriſtum; Nonne duo paſſeres*, &c. & poſt pauca: *Superbiæ certè vitium Deo inucere conamini, quum dicatis, non eſſe decens, vt minimarum rerum creator ſit. Ipſe autem omnium creator eſt, etiam minimorum, & omnibus prouidet, & ſe propter miſericordiam ſuam participabilem præbet.* Rurſus lib. 12. theſauri cap. 14. prope med. efficax argumentum accipit ex Euangelica hiſtoria Matth. 8. *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum*, &c. Inde namque colligit quòd Dei poteſtas detinebat dæmones, ne vel porcos, abiecta certè animalia, poſſent inuadere. 7 *Cyril. Alex.* *Matth 8.*

Confirmatur tertiò, refutando rationem quâ ducitur Ariſtoteles, vel quicumque author libri de Mundo ad Alexandrum, vbi putat, ſpectare ad dignitatem ſupremi Principis, præſto habere miniſtros, per quos ſubiecta ſibi regna moderetur. Huic fatemur, pertinere ad dignitatē Dei per adminiſtratorios ſpiritus, & per corporeas cauſas vniuerſales, aut particulares, ſuauiùs & eminētiùs vniuerſa gubernare. Addimus tamē, eſſe impoſſibile totam immediatā gubernationē illis cōmitti; quoniam primæ cauſę cōcurſus effectiuus priùs, perfectiùs, & intimiùs concurrere debet ad quoſlibet effectus, & mouere debet quamlibet cauſam ad agendum; ſicut probatum & explicatum fuit tom. præced. de Voluntate Dei, diſp. 45. & 46. Propterea receptiſſima inter Scholaſticos eſt doctrina S. Auguſtini lib. 3. de Trinit. cap. 4. ſimul aſſerentis, inferiora gubernari per ſuperiora; nihil tamen fieri, niſi quod Deus vult fieri, aut vult permittere. 8 *Ariſtotelis ratio refutatur.*

Confirmatur quartò, quoniam altioris ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ fuerit princeps, qui non indiguerit vllo miniſtro, ſed ſe ſolo potuerit omnia perſpicere, & ordinare; perfectiórque fuerit actiuitas cauſæ, quæ non indiguerit adiutorio ſecundarum cauſarum, aut inſtrumentorum; ſed potuerit ſe ſola, ſi voluerit, quæcumque ſingularia, licet infinita, diſponere & ordinare. 9

Quarta ratio. Res enim quælibet, quantumcumque noſtris oculis ſordidiſſima videatur, at- 10

que

Viliſſima quæque, Dei perfectiones participant. que viliſſima; nihilominus obtinet nobilitatem, & perfectionem, dignam Dei prouidentia, illamque ſuo quaſi iure poſtulantem. Quia quantum habet entitatis, exiſtentiæ, potentiarum, & operationum, tantùm participat diuinæ perfectionis, & quandam veluti cognationem cum ea coniungit, præcipuè cùm ſit effectus volitus & dilectus à Deo, quem niſi diligeret, non produxiſſet. Abſurdiſſima verò foret elatio, dedignantis curare, & ordinare ſuæ bonitatis communicationes, & participationes, quas creare, & conſeruare non eſt dedignatus.

11. Confirmatur primò, quoniam anguſtiſſima capacitas eſt, quæ præſtantioribus creaturis concedit nobilitatem dignam Dei prouidentia, cùm eam negauerit vilioribus creaturis. *Nam omnes gentes tanquam non ſint, ſic ſunt coram eo, & tanquam nihilum & inane reputatæ ſunt ei*, Iſaiæ 40. eſt enim ſimpliciter infinita diſtantia perfectionis inter Deum & perfectiſſimam creaturam, cuius comparatione propè nulla diſtantia eſt inter perfectiſſimam, & viliſſimam creaturam, ideo Deus aut omnes creaturas, aut nullas dedignari debuit ſua prouidentia gubernare.

12. *Cur res viliſſima Dei prouidentia digna.* Confirmatur ſecundò, quia non alia ratione nobilitantur creaturæ, dignæque redduntur prouidentia Dei, niſi quatenus ad Dei gloriam conferre poteſt earum gubernatio. Rurſus, Dei gloria conſiſtit in oſtenſione infinitæ ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ: multoties autem hæc attributa clariùs oſtenduntur hominibus artificio, & perfectione, commoditatibus & abundantia rerum ſibi conuenientium, quæ ſtupendam prouidentiam tribuuntur minimis atque viliſſimis animalibus, quàm prouidentia rerum perfectiorum. *Ariſtoteles.* Propterea Philoſophus lib. 1. de partibus animalium cap. 5. ad med. *Viliorum*, inquit, *animalium rationem, perpenſionemque puerili faſtidio ſpreuiſſe, dignum nequaquam eſt, cum nulla ſit res naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur*; & poſt pauca: *Cùm in omnibus naturæ numen & honeſtum pulchrumque ſit ingenium.* Hoc igitur ſicut honorificentiſſimum eſt authori, non minùs eſt glorioſum gubernatori, dirigenti ad ſuos fines.

13. Tertiò confirmat Auguſt. lib. 10. de Ciuit. cap. 14. circa med. quia *Plotinus Platonicus, Dei prouidentiam vſque ad hæc terrena & ima pertingere, floſculorum, atque foliorum pulchritudine comprobat, quæ omnia quaſi abiecta, & peruientia decentiſſimos formarum ſuarum numeros habere non poſſe confirmat, niſi inde formentur, vbi forma intelligibilis & incommutabilis ſimul habens omnia, perſeuerat. Hoc D. Ieſus ibi oſtendit, vbi ait: Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis.* *Matth. 6.* Quem Euangelij locum dignè ponderat Hieronym. in Commentario, Proſper ſent. 281. & Cyrillus ſuprà citatos, Cyprian. lib. 1. epiſt. 3. ad Cornel. inter princip. & medium.

14. *Æquè in magnis ac in minimis mirabilis Deus.* Veriſſimum eſt igitur quod Auguſt. aſſeruit lib. 11. de Ciuit. cap. 22. à medio: *Deus ita artifex eſt magnus in magnis, vt minor non ſit in paruis: quæ parua non ſua granditate, quæ nulla eſt, ſed artificis ſapientia metienda ſunt.* Idem in Pſalm. 148. paulò poſt medium: *Attendat*, inquit, *charitas veſtra: quis diſpoſuit membra pulicis & culicis, vt habeant ordinem ſuum, habeant vitam ſuam, habeant motum ſuum? Vnam beſtiolam breuem, minutiſſimam conſidera quam volueris: ſi conſideres ordinem membrorum ipſius, & animationem vitæ, qua mouetur, vt pro ſe fugiat mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat moleſtias, exerit ſenſus diuerſos, viget in motu congruo ſibi. Quis dedit aculeum culici, quo ſanguinem ſugat? quam tenuis fiſtula eſt, qua ſorbet? quis diſpoſuit iſta? quis fecit iſta? expaueſcis in minimis, lauda magnum. Qui fecit in cœlo Angelum, ipſe fecit in terra vermiculum.*

15. Tales rationes tractat Auguſt. pro viliſſimorum animalium prouidentia lib. 3. de Geneſ. ad literam cap. 13. & ſequentibus, & lib. 5. cap. 21. fine, & cap. 22. & lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 16. & lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 9. & ſequentibus. Baſilius Hexaëmeron homil. 9. inter med. & finem. Theodor. de curandis Græcorum affect. lib. 6. qui eſt de prouidentia paulò poſt med. ex Platone. Anſelm. in Elucidario col. 5. Tetigit hoc etiam Aquila coram Apoſt. diſputans apud Clement. Rom. lib. 8. recognit. inter medium & finem.

16. Quid plura Spiritus S. Prouerb. 30. inter medium & finem: *Quatuor*, inquit, *ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formica populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi. Lepuſculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum. Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Cùm igitur hæc animalia non ſint capacia rationis, ſed inſtinctu naturæ faciant opera ſapientiora ſapientibus; conſequens eſt authorem illius inſtinctus, magis ſuam ſapientiam & bonitatem in illis oſtendere, quàm in maioribus animalibus.

17. *Quinta ratio ex admiratione deſumitur.* Sit ratio quinta, maior admiratio rerum, quæ magis ſuperat captum humani diſcurſus, quando conſideramus apes, formicas, culices, bombices, araneolas, pulices, aliaſque minutiſſimas & viliſſimas beſtiolas, nec poteſt inuenire rationem, qua tam exigua capita, tot ſenſuum officinas, nulla confuſione permixtas, contineant, quot requiruntur ad videndum, audiendum, & ad percipiendum odorem, ſaporem, & primas qualitates, necnon ad phantaſiam, & æſtimatiuam, & appetitum ſenſitiuum, atque virtutem loco motiuam. Omnium ſiquidem illarum potentiarum operationes experimur in eiuſmodi vermiculis. Nec ſatis mirabimur vnquam, quomodo recens natæ prodeant iſtæ beſtiolæ tanta prouidentia præditæ, vt protinus abſque parentum magiſterio ſciant conuenientes cibos, & potus diſcernere ab inconuenientibus, deligere materiam ſuis vſibus aptam, fabricare caſas aptiſſimas ſibi, propriis armis per ſummam dexteritatem vti, dignoſcere vires inimicorum, quos poſſint aggredi, vel quibus poſſunt reſiſtere, quos autem oporteat fugere, & quænam illis ſint tuta refugia, vel ſalubria ſtabula. Sunt id generis innumera, non modò circa conſeruationem indiuiduorum, commoditatem, ornatum, & delectationes; ſed etiam circa ſpecierum propagationem. Extat apud Plinium libri 11. caput ſecundum de ſubtilitate naturæ in exiguis beſtiolis.

18. *Minorum prouidentia maiorum curam probat.* Sexta ratio ſit, quoniam niſi Deus prouideret minimis & viliſſimis; non prouideret perfectiſſimè ſummis, & optimis rebus, maximè verò rerum vniuerſitati, cuius bonum eſt optimum, & finis omnium partium: ſicut Ariſt. admonuit lib. 12. Metaph. text. 51. fine. Sequela probatur, quia ſine ſingulis partibus quantumcumque minimis,

ac

ac viliſſimis, vniuerſum non eſſet integrum, atque perfectum, neque ad vtilitatem & commoditatem, neque ad pulchritudinem. Ad commoditatem quidem & vtilitatem, quia plurimæ rerum minimarum & viliſſimarum aliis perfectioribus rebus dantur in cibum, aut in ſtamina nidorum, ſiue in medicinam, ſiue in alios vſus, & illæ res perfectiores ſimiliter ſeruiunt aliis altioribus, quo vſque peruenias ad hominem. Adde quòd illarum rerum plurimæ deſtinantur ad puniendam & ad comprimendam hominis ſuperbiam, & contumaciam, ad exercitium ſapientiæ, & ad morum diſciplinam, & contemplationem philoſophicam.

19. Ad pulchritudinem verò res minimæ viliſſimæque conferunt, primò quia varietas rerum, ordine conuenienti diſpoſitarum, eſt ipſiſſima pulchritudo; neque eſſet tanta varietas, ſi mundo deſuiſſent res viliſſimæ; neque tantopere ſplenderet dignitas rerum perfectiorum, niſi collata cum rebus imperfectioribus. Denique ſicut ex acutis, & grauibus diuerſiſque modulationibus eorum euadit ſuauior conſonantia muſicorum; ſic etiam ex rebus perfectioribus & vilioribus euadit maior perfectio Vniuerſi.

Ad pulchritudinem viliſſima conferunt.

20. Recte igitur Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. cap. 22. ſub init. Manichæorum vituperationes diuinorum operum ita retondit: *Nec attendunt, quàm vel in ſuis locis naturiſque vigeant, pulchroque ordine diſponantur, quantùmque vniuerſitati rerum pro ſuis portionibus decorís, tanquam in communem Rempublicam conferant, vel nobis ipſis, ſi eis congruenter, atque ſcienter vtamur, commoditatis attribuant: ita vt venena ipſa; quæ per inconuenientiam pernicioſa ſunt, conuenienter adhibita in ſalubria medicamenta vertantur.* Admonet autem, in natura nihil eſſe malum, neque ſuperfluum, quoniam *à terrenis vſque ad cæleſtia, & à viſibilibus vſque ad inuiſibilia, ſunt aliis bona alia bona meliora, ad hoc inæqualia vt eſſent omnia.*

SECTIO VI.

Circa proſperam & aduerſam fortunam piorum & impiorum, qui videtur eſſe defectus gubernationis, eſt indicium prouidentiæ Superioris.

1. CONtra prouidentiæ hoſtes, retorquemos illud argumentum, quod apud illos eſt validiſſimum: accipitur autem ex eo quòd iuſtis, & peccatoribus, vnius Dei cultoribus & idololatris, religioſis atque ſacrilegis, eadem contingant, ſiue proſperitates aſpicias, ſiue calamitates, & quod deterius atque intolerabilius videtur, peccatores & impij rebus proſperis, honoribus, & diuitiarum affluentia fruantur: iis verò fortunæ bonis, careant frequentiùs ſancti, & ſtudioſi viri: quin etiam iſti vexentur, opprimantur, & retorqueantur ab illis, quemadmodum referre cœpimus ſect. 2. ſub init.

Obiectio.

2. Nunc igitur oſtendimus ex prædictis euentibus, nonniſi ſtultiſſimè colligi neglectum rerum humanarum, quaſi talis inordinatio ſine Dei prouidentia contingat. Quin potiùs ſapientiſſimè diſpoſuit obſcuram, duriſſimam, & difficillimam iſtius nodi ſolutionem, vt ipſa difficultate virtutis, & ærumnarum dolore vehementi fortiùs excitaret ſapientum animos ad inueſtigandam & ſibi perſuadendam altiorem prouidentiam alterius vitæ, & immortalitatem animæ rationalis, quibus cogitationibus mentem præpararent, vt libentiùs audirent, atque faciliùs crederent ſupernaturalem doctrinam de ſupremo iudicio, reſurrectione corporum, viſione beata, & ſupplicio gehennæ.

Retorquetur.

Piorū & impiorum fortunæ diſpar, ſupernæ [illegible] prouidentiæ argumentum.

Probatur in primis à ſimili: nam ſi ſapientiſſimus & ſtrenuiſſimus argentarius hominis ſtatuam pretioſiſſimam, & magno artificio elaboratam relinqueret abſque manibus, & aliquamdiu recondereт quaſi neglectam in angulo domus, à qua longiùs peregrè receſſerit; imprudentes & ignari, quotiès in oculos incurreret illud opus, reprehendent ignauiam, imprudentiam, aut negligentiam artificis, dicentes illud ſtultorum apud Iſaiam cap. 45. *Quid facis, & opus tuum abſque manibus eſt.* Sed è contrario prudentiores, & amatores illius artificis, ex pretioſitate, ſimmetria, & perfectiſſimo artificio totius ſtatuæ; deducent, non alium, niſi talem potuiſſe authorem illius eſſe; vnde præterea colligent, manus non fuiſſe negatas operi, ſed conſultò fuiſſe dilatas in aliud tempus opportunum inſerendas forteſſis ex auro, lapidibúſque pretioſiſſimis ornatas, tunc autem integrum opus atque perfectum eſſe producendum in lucem, digno enim ſplendore & ornatu. Nec enim potuit opus ita perfectum prodire, niſi à ſapientiſſimo artifice, nec tanti labores & ſumptus contemni potuerunt, vt in angulo deliteſcerent. 3.

Sic igitur Deus in præſenti ſæculo veluti mancam reliquit naturalem prouidentiam; caret enim manibus ad coërcendos impios, & liberandos iuſtos ab eorum oppreſſionibus, ad reddenda virtutis præmia, dignáque peccatorum ſupplicia. Horum occaſione ſtulti Philoſophi, & hæretici, mundi amatores, & inimici futuri ſæculi, Dei prouidentiam criminantur incuriæ: ſed è contrario ſapientiſſimi Patres, inde potiùs efficax argumentum aſſumunt, ad probandam altiorem, ac pretioſiorem prouidentiam in futuro ſæculo. 4.

Confirmatur primò Patrum teſtimoniis. Nemeſius de facultatibus animæ cap. 44. colum. 2. poſtquam retulit argumentum Epicuræorum ait: *Mihi verò videntur, qui hæc loquuntur, quum alia multa ignorare præcepta diuinæ prouidentiæ, tum maximè animæ immortalitatem, nam huius vitæ terminis res humanas definiunt.* Cecinit hoc etiam Nazianzenus in carmine iambico de ſeipſo aduerſus inuidos, quod eſt primum, propius ad finem, quàm ad medium, 5.

At dignitatis ordo iuſtus diſparis,
Grauis aliter eſſet rebus hic duris premi,
Niſi ſummus olim verteret talos Deus.

Proſequitur autem, oſtendens, in futura vita præmia reddi pro laboribus in præſenti toleratis.

In hoc argumento colligendi futuri ſæculi iudicium, præmium & pœnam, atque immortalitatem animæ, frequentior & copioſior eſt Chryſoſtomus 2. ad Timoth. 1. homil. 3. in morali ante medium, & tomo 3. oratione 4. de prouidentia, ſiue de fato, & tomo 2. homil. 4. de Lazaro circa med. & 2. Corinth. 4. homilia 9. in morali ſub init. & Philip. 2. ſermone 6. ad finem, & 2. ad Timoth. 3. homil. 8. in morali ſub initio. Sufficiat referre illud ex 2. Corinth. 4. homilia 9. citata, vbi ſic ratiocinatur: *Vnde ſcis quod eſt Deus? Ex iis, quæ videntur, inquit, ex optimo ordine, qui eſt in* 6.

omnibus

omnibus creaturis, ex eo quod hoc omnibus eſt notum. Igitur etiam de iudicio ſic accipito ſermonē; Quomodo inquit? interrogabo te, tu verè reſponde. Iuſtus eſt hic Deus, & iuxta meritum retribuit vnicuique; vel non ſecundùm meritum? & iniuſtos vult feliciter agere, ac deliciari, bonos autem in aduerſis eſſe? Minimè, inquit. Nec enim homo hoc pateretur. Vbi igitur qui bene hic operati fuerint, bonis fruentur; vbi autem mali contrarijs, niſi futura ſit vita quædam poſt hanc, & retributio?

7 Clemens Roman. lib. 3. recognit. prope med. *Hoc ipſum, ait, quòd in præſenti vita non redditur vnicuique pro actibus ſuis, fidem indubitatem facit ſcientibus, Deum eſſe iuſtum, quod iudicium erit.* Cyrillus Hieroſolym. catecheſi 18. col. 1. *Perſpice autem & iſtud: multi homicidæ in lecto impune defuncti ſunt: vbi igitur Dei iuſtitia? ſæpe autem qui homicidia quinquaginta patrant; ſemel tantùm capite plectuntur: vbi igitur illorum quadraginta nouem pœnas dabit, niſi poſt hanc vitam fuerit iudicium & retributio?* Sic etiam Iſid. Peluſ. lib. 3. epiſt. 154. probat ſupremum iudicium, & pœnam poſt hanc vitam, quoniam in præſenti nec iuſti nec iniqui dignè recipiunt.

8 Confirmatur ſecundò, quia non tantùm animarum in futuro ſæculo præmium, & pœnam, ſed etiam corporum reſurrectionem ex ſupradictis euentibus colligit Apoſtolus 1. Corinth. 15. cùm ait, *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Quod argumentum ad confirmandam reſurrectionem adduci, notant in Commentariis Chryſoſt. Theodoretus, Theophylact. Hieronym. Ambroſ. & Anſelmus. Et quamuis Apoſtolus agat, vel de Chriſtianis omnibus, vel de ſolis Apoſtolicis viris (vt aliqui malunt) idem argumentum vires habet in omnibus hominibus, attento ſolo naturæ lumine, quod dictat eſſe continendum animum à voluptatibus, & tolerandos eſſe quoſcumque cruciatus, paupertatem, inediam, contumelias, & ipſam mortem potiùs, quàm vnici Dei cultum abnegandum, aut committendum periurium, aut adulterium, quapropter ſolum naturæ lumen obligaret, vt ſtudioſi virtutis eſſent miſerabiliores iniuſtis, crudelibus, ſacrilegis & ſceleratis.

9 Tertiò confirmatur ex alio maximo inconuenienti quod ſequitur, ſi negatur corporum reſurrectio, quod ita S. Thomas explicuit 1. Corinth. 15. lect. 2. inter med. & finem: *Si negetur reſurrectio corporis, difficile eſt ſuſtinere immortalitatem animæ. Conſtat enim quod anima naturaliter vnatur corpori, ſeparatur autem ab eo contra ſuam naturam, & per accidens. Vnde anima exuta corpore, quamdiu eſt ſine corpore, eſt imperfecta, impoſſibile autem eſt, quod illud, quod eſt naturale & per ſe, ſit finitum & quaſi nihil: & illud quod eſt contra naturam & per accidens, ſit infinitum, ſi anima ſemper duret ſine corpore.* Totum quippe tempus vnionis animæ cum corpore, prope nulla duratio cenſeri debet, ſi comparetur cum æternitate, per quam manere deberet à corpore ſeparata contra naturalem, & inſitam inclinationem informandi corpus. Sed inde non ſequitur, reſurrectionem eſſe naturaliter debitam, nec poſſibilem viribus naturæ: ſequitur autem eſſe valde conſentaneum quidditatiuæ immortalitati animæ, & humanæ naturæ ſuppleri prædictum ſeparationis malum, per ſupernaturalem Dei prouidentiam.

10 Quartò confirmat Athenagoras ex ratione iuſtitiæ (quam non debemus abſoluto rigore debitam intelligere, ſed tantùm ex æquitate, & ex optima ratione prouidendi & gubernandi) quando lib. de reſurrect. propiùs ad finem quàm ad med. ait: *In recipiendis enim rerum præclarè geſtarum premijs, iniuriam haud dubiè patietur corpus, eo quod particeps fuerit laborum in bonis rebus gerendis: nunc autem exors ſit bonorum, quæ virtuti repenſantur, ac quum venia ſæpius indulgeatur in quibuſdam delictis, reſpectu corporalis inopiæ, & neceſſitatis; ipſum corpus excidat à communicatione præmiorum, pro quibus vna in vita labores ſuſtinuit, qui, quæſo, non iniquum reputabitur? E diuerſo ſi damnentur ſcelera, non iuſtè agetur cum anima ſiquidem ſola eorum culpam luet, quæ ad obturbationes corporis, & ad ſuas appetitus & motus trahentis in vita deliquit: dum nunc raptu, nunc quaſi furto abducitur à recto, nunc violentiore propenſitate trahitur: interdum gratificandi ſtudio, & vt adblandiatur contubernio corporis vitijs indulget.*

11 Quintò confirmatur ex veteri Teſtamento, vbi quæſtio proponitur de iuſtitia, & æquitate Diuinæ prouidentiæ circa iuſtos, & peccatores; & notatur eſſe inſolubilis, niſi recurrendo ad extremum iudicium & præmium, atque pœnam alterius vitæ. Quemadmodum Hierem. 12. ab illis verbis: *Quare via impiorum proſperatur:* & Habacuc 1. poſt med. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces, deuorante impio iuſtiorem ſe,* & quæ ſequuntur etiam in cap. 2. Potiſſimam iſtius difficultatis ponderationem continet totus Pſalm. 72. Nunc illa tantùm verba recolantur: *Labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum.* In quorum commentario Auguſt. *Ante faciem meam, inquit, laborem quendam quaſi inextricabilem video, vt cognoſcam quomodo, & iuſtus ſit Deus, & res humanas curet, & non ſit iniquus, quod peccantes, & ſcelera facientes fœlicitatem habent in hac terra: pij verò & Deo ſeruientes in tentationibus plerumque, & in laboribus fatigantur. Magna difficultas eſt hoc ſcire, ſed donec introeam in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſima non in præſentia,* &c. Colligit autem inde futurum examen omnium, quo reddatur ſingulis, ſecundùm opera ſua. Eandem ſolutionem alijs verbis tradit lib. 20. de Ciuitate, cap. 28. fine, & in Ioan. tract. 25. columna penultima, & tractatu 28. paulò poſt medium.

12 Sextò confirmatur Eccleſiaſtes 9. ſub init. *Omnia in futurum ſeruantur incerta, eò quòd vniuerſa æquè eueniant iuſto, & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti. Sicut bonus, ſic & peccator; vt periurus, ita & ille, qui verum deierat. Hoc eſt peſſimum inter omnia, quæ ſub Sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt.* Quaſi diceret, iſtud eſt difficillimum intellectu, & ſumma peccatorum occaſio. Quam magis exaggerat inferiùs dicens: *Verti me ad aliud, & vidi ſub Sole, nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus, caſumque in omnibus.* Vbi Hieronym. ſupplet ſubintellectā ab Eccleſiaſte, rationem & ſcopum totius ratiocinationis: *Hæc autem fiunt, quia in certo ſtatu feruntur omnia, & non eſt in præſenti retributio meritorum, ſed in futuro.* Eundem locum exponens S. Thomas intra q. 103. art. 5. ad 1. notat, Eccleſiaſtem non dixiſſe ſimpliciter, eſſe caſum in omnibus, *ſed tempus & caſum*, vt ſignificaret nihil eſſe caſuale, niſi tantū cōparatione cauſarū tem-

Cyrill. Hier. *1. Cor 15.* *S. Thomas.* *Athenagor.* *Hierem. 12.* *Habac. 1.* *Pſal. 72.* *Auguſt.* *Eccleſiaſtes 9.* *Hieronym.*

Digitized by Google

poralium & inferiorum ſub Sole.

13 Septimò confirmatur redeundo ad eundem locum Iſaiæ 45. quem ſuperiùs attigi. Nam vbi
Iſaiæ 45. vulgatus legit: *Væ qui contradicit factori ſuo*, &c.
Septuaginta. Septuaginta legũt: *Nũquid arãs arabit terram tota die?* Quam lectionem ſequitur Cyrill. ibi, exponit autem, quaſi Deus dicat, labor exercendi, colendique iuſtos, non poteſt in æternum perſeuerare; ſed aliquando laboribus ſuccedet fructus præmiorum, quemadmodum arantibus meſſis
Matth. 13. ſuccedit. Iuxta illud Matth. 13. *In tempore meſſis dicam meſſoribus*, &c. *triticum autem congregate in horreum meum.* Continuòque Septuaginta poſt citata verba Iſaiæ ſubiungunt: *Numquid dicet lutum figulo, quid facis, quia non operaris, nec habes manus.* Quod dicitur ad ſignificandum, Deo non deeſſe potentiam, neque curam perficiendi ſuum opus, quod cœpit in homine. Defeciſſet autem in homine, plus quàm in aliis operibus: Omnibus enim aliis vt plurimùm conſuluit naturalem locum, in quo quieſcerent, & explenit eorum appetitum, ſiue naturalem, ſiue ſenſitiuum. Hominis autem appetitus inexpletus nunquam quieſcet in vita præſenti. Conſequens igitur eſt aliquid perfectius moliri Deum operandum in alio ſæculo; ſiquidem manus habet ad perficiendum figmentum, quod plaſmauit.

14 Confirmatur denique, quia ſumma, ſeu præcipua pars iſtius rationis, quam tractamus, propter ſuam euidentiam non potuit latere Platonem. Nam in Phædone, ſiue de anima, propiùs
Plato. ad finem quàm ad med. ita ratiocinatur: *Si enim mors eſſet totius diſſolutio ac diſceſſus: id lucri ferrẽt mali, quod per mortem, & à corpore, & à ſua ipſorum improbitate, vnà cum anima liberarentur. Nunc verò cùm hæc immortalis eſſe videatur, nullum aliud fuerit ipſi refugium, neque ſalus à malis, præterquàm vt optima & ſapientiſſima fiat.* Vnde continuò deducit iudicium futuri ſæculi, præmia bonorum, & pœnã ſcelerorum. Quam tamen limpidiſſimam veritatem multis, ac ſordidiſſimis fabulis conſpurcat ſuperiori & inferiori contextu, veluti tranſmigratione animorum in corpora ferarum, quibus ſimiles mores habuerunt in vita. Niſi fortè velis hæc vt alia Platonis intelligere quaſi per tropum & allegoriam dicta. Sed è contrario Ariſtoteles, quoniam fluctuabat ambiguus de immortalitate animæ, compulſus eſt negare prouidentiam rerum humanarum, ne Deum iniuſtum faceret; vt vidimus ſect. 2.

15 Admoneo tamen non hanc ſolam fuiſſe rationem, ob quam Diuina prouidentia iuſtis in præſenti vita frequentiores & grauiores calamitates tribuat, ſed alias etiam multas, quæ videri poſſunt apud Patres citatos in ſect. 3. & citandos diſp. ſequenti, de quibus etiam obiter non pauca dixi tomo præcedenti de voluntate Deĩ, diſp. 9. variis ſectionibus, & diſp. 53. ſect. 11. fine. At omnes aliæ rationes perfectioni Diuinæ prouidentiæ non ſatisfacerent, niſi reſtaret iudicium, præmium & pœna ſæculi futuri.

16 Ex quibus omnibus collige, non eſſe merè naturalem ſed admixtam occulta ſupernaturalitate diuinorum iudiciorum eam prouidentiam circa proſperitates & aduerſitates piorum & impiorum, quam vident & experiuntur omnes, etiam ſi fidei lumine careant. Verùm hæc occulta ſupernaturalitas non potuit deprehendi niſi ſupernaturali lumine, ac inſpiratione excitante.

SECTIO VII.

Vtrùm aliquis euentus ſit caſualis aut fortuitus reſpectu Prouidentiæ Diuinæ.

VNum ex præcipuis argumentis eorum, qui prouidentiam impugnarunt, accipiebatur 1 *Obiectio.*
à caſu vel fortuna, cuius hæc eſt præcipua vis. Caſus & fortuna repugnant prouidentiæ: ſed in multis euentibus interuenit caſus vel fortuna, ſecundùm Philoſophum lib. 2. Phyſic. text. 39. & ſequentibus: igitur eorundem euẽtuum non poterit eſſe prouidentia. Maior probatur, quia caſus & fortuna præter intentionem operantis eueniunt (vt conſtat ex eodem 2. Phyſic. cap. 5. & 6.) quod autem prouidentiâ gubernatur, ex intentione cauſatur & dirigitur. Adde quòd effectus à fortuna & caſu prouenientes, ſunt incerti, & rarò contingentes: è contrario tamen effectus, Diuinæ prouidentiæ certò, ſempérque proueniunt.

Secundò, Iulius Sirenius lib. 4. de prouident. 2 *Comparatione Dei aliquid eſſe caſuale putat Sirenius.*
cap. 25. non ſolùm defendit monſtra, ea ratione, qua monſtra ſunt, ad Deum etiam relata, monſtra eſſe; verùm etiam addit, hos & alios effectus caſuales, non modò comparatione cauſarum particularium eſſe caſuales & præter intentionem; ſed etiam comparatione Dei, prout operatur per illas cauſas. Vnde infert, eoſdem effectus comparatione Dei vt primæ cauſæ, ſimul eſſe caſuales & non caſuales, intentos & non intentos, quatenus Deus operatur per diuerſas cauſas particulares. Quod exemplo declarat, dicens, quòd ouis rapiatur à lupo, euentus eſt caſualis & præter intentionem Dei, prout Deus operatur per ouem: idem autem effectus non eſt caſualis, ſed per ſe intentus à Deo, prout operatur per lupum.

Tertiò, conatur eandem doctrinam aliter de- 3 *Pennotti ſententia.*
fendere Pennottus lib. 5. Propugnaculi cap. 7. num. 4. dicens, aliquos effectus eſſe fortuitos & caſuales comparatione primariæ intentionis Dei, quâ Deus intendit aliquid ſecundùm ſe bonum atque perfectum: licèt non ſint caſuales neque fortuiti comparatione ſecundariæ intentionis Dei, inſpectis omnibus, quæ ſunt adiungenda ex parte cauſarum naturalium. Confirmat autem authoritate S. Thomæ de Veritate q. 23. art. 2.
S. Thomas. dicentis: *De prima intentione naturæ eſſe, quod animal perfectum producatur: ſed quod producatur animal imperfectum, eſt ex ſecunda intentione naturæ, quæ ex quo non poteſt propter ſuam perfectionem tradere formam perfectiorem, tradit ei id, cuius eſt capax.*

Quartò, Iulius Sirenius lib. 5. de Diuina pro- 4 *Peccatorum actiones fortuitò euenire fatetur Sirenius.*
uid. cap. 12. ſub init. ait: voluntates prauas, & omnes operationes peccatorum, etiam ad Deum relatas, temerè, vel fortuitò vtcumque euenire, catholicè fateri poſſumus. Probat quoniam illæ omnes contra Dei voluntatem eueniunt, & conſequenter eueniunt præter intentionem Dei.

Quintò arguitur, quia ſecundùm Boëtium 5
lib. 5. de Conſolatione, proſa 1. caſus eſt inopinatus, rerum euentus, ex cauſis concurrentibus ob aliud inceptis: ſed tam concurſus cauſarum, quã inchoatio propter aliud, eſt à Deo: ergo caſus fortuitus, in quantùm caſualis eſt, & inquantum fortuitus, procedit à Deo; ac proinde non gubernatur per prouidentiam Dei, ſed caſualiter & fortuitò procedit à Diuina operatione.

6 Sextò

6 Sextò ſicut ens per ſe, in quantum eſt ens per ſe, producitur à Deo, ſic etiam accidens, in quantum eſt accidens, producitur à Deo: ergo ſicut operatio cauſæ per ſe producitur à Deo; ita etiam operatio cauſæ per accidens producitur à Deo: ſed caſuale & fortuitum, in quantum tale dicit operationem cauſæ per accidens; ergo caſuale & fortuitum in quantum tale producitur à Deo. Vnde præterea infertur, illud eſſe caſuale & fortuitum reſpectu Dei, & conſequenter non gubernari per eius prouidentiam.

7. Septimum argumentum. Quotieſcunque diuerſæ cauſæ concurrunt ad vnius effectus productionem, neceſſe eſt per aliquam vnam cauſam eſſe coniunctas; ſed cauſæ concurrentes ad productionem effectus caſualis, aut fortuiti, ſunt diuerſæ non ſolùm quantum ad ſubſtantiam, ſed etiam quantum ad intentionem agendi: ergo neceſſe eſt per aliquam vnam cauſam eſſe coniunctas. Sed nulla eſt alia cauſa, per quam coniungantur omnes cauſæ niſi Deus: ergo talium cauſarum concurſus cauſatur à Deo: & conſequenter à Deo cauſatur caſualis, aut fortuitus euentus ab illis proueniens.

8 Octauum. Potentior eſt ad agendum cauſa per ſe, quàm cauſa per accidens, ſed cauſa per ſe nullum effectum producere poteſt, niſi Deo concurrente cum illa: ergo cauſa per accidens nullum effectum producere poteſt, niſi Deo concurrente cum illa. Sed caſus & fortuna ſunt cauſæ per accidens, & eorum effectus eſt fortuitus & caſualis, in quantum talis, (vt conſtat ex Ariſtotele libro 2. Phyſicor. textu 5[illegible].) ergo effectus caſualis & fortuitus producitur à Deo concurrente ad illum, prout eſt caſualis & fortuitus.

9 Nonum argumentum. Effectus propterea eſt fortuitus, quia eſt ab aliquo agente intendente aliud, ſicut inuentio theſauri propterea eſt fortuita, quia eſt ab aliquo agente intendente arare, vel fodere propter agriculturam, vel ædificium: ſed quòd illud agens intendat illud aliud, bonum eſt, & à Deo eſt: ſimiliterque theſaurum inuenire bonum eſt, & à Deo eſt: ergo fortuitum vt fortuitum eſt à Deo.

10 Decimum argumentum. Omnes effectus caſuales non fortuiti reducuntur in aliquam collectionem cauſarum ſecundarum, quæ eſt cauſa per ſe illorum, vt oſtendimus in tomo de ſcientia Dei, diſput. 21. præſertim ſect. 3. ſed Deus cauſat quamlibet collectionem cauſarum, & cauſat vt illa collectio ſit cauſa per ſe: ergo Deus cauſat effectum caſualem, & facit, vt ſit caſuali.

11 Vndecimum. Miraculum, in quantum miraculum, procedit à Deo: ergo caſualis effectus in quantum caſualis procedit à Deo. Probatur conſequentia, quia ſicut caſuale fit præter intentionem agentis, ita miraculoſus effectus fit præter ſolitum curſum naturalis agentis.

12 Nihilominus ſit concluſio. Comparatione Dei ſiue comparatione cauſæ primæ & vniuerſaliſſimæ, nullus effectus eſt caſualis fortuitus, aut temerè cadens; ſed omnis effectus eſt conſultò & ex intentione ordinatus per diuinã prouidentiam. Probatur 1. ex Auguſtino lib. 83. quæſtionum, quæſtione 24. initio, dicente: *Quidquid caſu fit, temerè fit. Quidquid temerè fit, non fit prouidentia. Si ergo caſu aliqua fiunt in mundo: non prouidentia vniuerſus mundus adminiſtratur.* Vnde

Reſpectu Dei nihil caſu.

Probatio ex Patribus. Auguſtinus.

regreditur à negatione huius conſequentis ad negationem antecedentis, quoniam *illud bonum, cuius participatione ſunt bona cætera quæcumque ſunt, non per aliud, ſed per ſeipſum bonum eſt, quam diuinam etiam prouidentiam vocamus. Nihil igitur caſu fit in mundo.* Nimirum quod ſit caſuale comparatione diuinæ prouidentiæ, ſiue diuinæ cauſalitatis.

Rurſus de Geneſi ad literam lib. 5. cap. 21. notat, Pſalmum 148. loqui contra eos, qui partem inferiorem aëris putabant caſibus potiùs & fortuitis motibus agitari quando dicit. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis, quæ faciunt verbum eius. Nihil enim tam videtur caſibus volui, quam omnes iſtæ proceloſæ, ac turbulentæ qualitates, quibus cœli huius inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum eſt, facies variatur, & veſtitur. Sed cum addidit: Quæ faciunt verbum eius, ſatis oſtendit, earum quoque rerum ordinem diuino ſubditum imperio, latere nos potius, quam Vniuerſitati deeſſe naturæ.* 13

Pſal. 148.

In eundem verſum Pſal. 148. Proſper: *Quorum, ait, nihil fortuitis motibus ſubiacet, quia ſingula quæque eius legibus ſeruiunt, qui vt vult, de omnibus, atque in omnibus, ſecundum cauſas occultæ rationis operatur.* Idem Proſper lib. ſent. ex Auguſtino ſent. 281. *Cum Saluator dicat, vnum paſſerem non cadere in terram ſine voluntate Dei, & quod fœnum agri, quod poſt paululum mittendum eſt in clibanum, ipſe tamen formet ac veſtiat: nonne confirmat, non ſolum eſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verum etiam viliſſimas eius, abiectiſſimaſque particulas diuina prouidentia regi: ne fortuitis perturbari motibus ea, quorum cauſas comprehendere non poſſumus, æſtimemus?* 14

Proſper.

Iterum Aug. ad illud Pſa. 31. *Verumtamen in diluuio aquarum multarum, &c. Si caſibus, inquit, reguntur homines, nulla prouidentia aliquid geritur.* Conſonat libro 3. de Trinit. cap. 2. parum à principio dicens: *Defectus luminarium, & ratò exiſtentes quædam ſpecies ſiderum, & terræ motus, & monſtruoſi partus animalium, & quæcunque ſimilia, quorum nihil fit ſine voluntate Dei.* Quam ſententiam recepit Magiſter, & communiter Scholaſtici 1. diſt. 45. cap. *Voluntas ergo,* & lib. 9. de Ciuit. capite 13. circa medium ait: Non fortuita temeritate regi, quod regitur prouidentia. 15

Pſal. 31. Auguſt.

Magiſtrali ſtilo veritatem eandem corroborat Boëtius lib. 5. de Conſolatione proſa 1. circa medium, definiens primum omnino nihil eſſe caſum, ſi caſus intelligatur comparatione cauſarum omnium, ita vt nulla cauſarum collectione per ſe producatur. *Quis enim ait, coërcente in ordinem cuncta Deo, locus eſſe vllus temeritati reliquus poteſt?* Vnde continuò colligit caſum ab Ariſtotele, aliiſque Philoſophis appellari comparatione particularis vnius cauſæ, quæ talem effectum non intendebat, nec per ſe concurrebat ad illum. 16

Boëtius.

Concluſit autem ex eo fundamento: *Licet igitur diffinire caſum eſſe inopinatum, & ex confluentibus cauſis in iis, quæ ob aliquid geruntur euentum. Concurrere vero atque confluere cauſas facit ordo ille ineuitabili connexione procedens, qui de prouidentiæ fonte deſcendens cuncta ſuis temporibus diſponit.* Quod ſequenti metro primo pulchra ſimilitudine declarat duorum fluminum ab eodem fonte manantium, & poſt ſeparationem iterum confluentium in vnum, quàm bene com- 17

Anſelm. Iob. 5.

mentator exponit. Anſelmus in Elucidario prope medium, ait: *Accidit aliquid caſu? nihil omnino, ſed ordinatione*: & poſt pauca: *Caſus nihil eſt. Scriptum eſt autem: Nihil in terra ſine cauſa fit.* Iob 5 Præterea comparatione primæ cauſæ nullam rem eſſe fortuitam vel caſualem, aſſeruiſſe referuntur Ammonius in Porphyrium, Ioan. Grammatic. lib. 2. Phyſic. & Simplic. in eodem lib. 2. Phyſic. & lib. 2. de cœlo text. 52.

18 Magis ex profeſſo præſentem concluſionem docent Scholaſtici, Alexand. 1. parte, quæſt. 26. membro 4. art. 2. Albertus 1. part. quæſt. 67. membro 3. S. Thom. 1. part. quæſt. 19. art. 6. corp. & præſenti quæſt. 22. art. 2. ad 1. & quæſt. 103. art. 7. ad 2. & 3. & q. 116. art. 1. corp. & ad 2. & lib. 3. contra gentes cap 92. verſus finem, & de veritate quæſt. 2. art. 14 ad 5. & q. 3. art. 8. ad 33. & alibi non rarò. S. Bonauentura 1. ſentent. diſt. 45. dubio 4. & lib. 2. diſt. 37. ar. 2. q. 2. magis ex profeſſo. Ricar. ſimiliter lib. 2. diſt. 37. toto art. 4. præſertim q. 2. Carthuſianus lib. 2. ſentent. diſt. 39. quæſt. 3. col. 3. §. *præterea de hac materia.* Vbi Durand. q 3. art. 2. numero 9. Capreolus 1. diſt. 40. art. 2. concluſ. 13. Ægidius 2. diſt. 11. q. 1. art. 2. corp. Henricus quodlib. 6. q. 10. præſertim à medio. Ferrar. 3. contra gentes cap. 93. Caietanus in præſenti art. . q 22. vbi Bañez, Zumel, Molina, Vaſquez, & cæteri expoſitores. Quos omnes ſi legiſſet Pennottus, non ita facilè reiiceret præſentem concluſionem, quaſi doctrinam paucorum recentiorum.

19 Primam rationem concluſionis tradit ſanctus Thomas in præſenti q. 22. art. ad 1. S. Bonauent. & alij citati: quoniam effectus non dicitur eſſe caſualis, niſi quatenus effugit ordinem, & intentionem alicuius cauſæ particularis: ſed nullus effectus effugere poteſt ordinem & intentionem primæ cauſæ vniuerſaliſſimæ: ergo nullus effectus poteſt eſſe caſualis vel fortuitus, reſpectu cauſæ primæ & vniuerſaliſſimæ. Quod ſi non eſt fortuitus, nec caſualis comparatione primæ cauſæ; conſequens eſt gubernari per eius prouidentiam. Maior conſtat ex definitione fortunæ, vel caſus, in qua ponitur eſſe *cauſam per accidens*, & exponitur, illum tantum effectum per accidens cauſari, qui cadit præter intentionem cauſæ, vt expreſsè docet Ariſt. libro 2. phyſic. cap. 5. Damaſcenus libro 2. fidei cap. 25. circa medium, & in ſua phyſica cap. 4. & eiſdem ferè verbis Nemeſius de facultatibus animæ cap. 39 ante med. & omnes Theologi, ac Philoſophi.

Effectus caſualis quis.

20 Confirmatur 1. quoniam ab ordine cauſæ particularis nullus effectus ſubtrahitur, niſi per aliam cauſam particularem impedientem actionem illius; ſed nulla cauſa eſt poſſibilis, quæ primam & vniuerſaliſſimam cauſam impediat, ne operetur quod intendit: ergo non eſt poſſibile ab ordine primæ cauſæ ſubtrahi aliquem effectum, & conſequenter non eſt poſſibile ab eius prouidentia ſubtrahi. Secundò declarat, & confirmat S. Thomas exemplo duorum ſeruorum, quibus caſualis eſt concurſus ad vnum locum, quoniam vterque ignorabat aduentum alterius; idem tamen concurſus ſeruorum non eſt caſualis neque fortuitus, ſed prouiſus ab eorum domino, qui ſcienter illos ad vnum locum miſit, & vtrumque voluit aduentum alterius ignorare.

Confirmatur 3. nam effectuum, prout caſuales, aut fortuiti ſunt, proprium eſt incertis motibus fluctuare, nihilque fixum & ſtabile retinere: ſed comparatione diuinæ prouidentiæ ſunt omnes effectus fixi & ſtabiles, licet per contraria gradiantur; ergo comparatione diuinæ prouidentiæ nullus effectus eſt fortuitus aut caſualis. Continetur hic ſyllogiſmus in verbis Nazianzeni orat. 3. contra Iulian. col. 4 num. 13. *Velut per circulum quemdam Mundum hunc vniuerſum gubernat ac moderatur, res quæ omnes noſtras, fluctuantes ſimul miniméque fluctuantes, vt quæ per mutationes quidem moueantur, ac ſurſum deorſumque agitentur, aliaſque alias ſe habeant: at quantum ad diuinæ prouidentiæ ordinem & conſtitutionē fixa & ſtabiles ſunt, etiamſi per contraria gradiantur.* 21

Nazianzen.

Idem orat. 15. in plagam Grandinis col. 2. n. 4. *Expone*, inquit, *vnde huiuſmodi plagæ & flagra oriantur, & quæ ſit eorum ratio. Vtrum inordinatus quidam, ac præpoſterus, & gubernationis omnis expers vniuerſitatis motus ac temeritas (tanquam videlicet nemo ſit, qui rebus moderandis præſit) & denique caſus hæc ferat: an potius vniuerſa hæc rerum moles prouidentiæ fræno eam ducente, in diuerſum moueatur & colloceturi?* Manifeſtè igitur caſum & temeritatem reſpuit oppoſitione prouidentiæ. 22

Accedat ratio ſecunda, quoniam vt pauló ſuperius ex Boëtio retulimus, *Caſus eſt inopinatus euentus.* Quam ob cauſam nullus euentus, præcognitus ab operante, poterit eſſe fortuitus aut caſualis comparatione illius, etiamſi probabili tantùm coniectura fuerit cognitus, & multo minus ſi per euidentem & certam notitiam. Sed quilibet euentus eſt certò & euidenter præcognitus à Deo: ergo comparatione Dei nullus euentus eſſe poteſt fortuitus aut caſualis? Confirmatur. 1. nam apud Ariſt. 2. phyſic. toto cap. 5. & 6. Videlicet text. 51. & multis ſequentibus non eſſet fortuna, nec caſus, ſi quis terram fodiens & præſciens, ſe inuenturum eſſe theſaurum, inueniret illum; quamuis non intenderet illum inuenire, ſed potiùs præoptaret non inuenire, ne cederet in vtilitatem alterius. 23

Caſus quid.

Confirmatur ſecundò, quia quod non eſt præter ſcientiam, non eſt omnino præter intentionem, ſaltem permittendi, vt talis euentus ſequatur; At verò fortuitus aut caſualis euentus eſſe debet omnino præter intentionem agentis, vt ex eodem Ariſt. conſtat. Propterea namque non eſt fortuitum & caſuale quidquid præter intentionem cadit, niſi fuerit ex rebus rarò contingentibus; vt expreſsè docuit Ariſt. 2. Phyſic. cap 5 & 6. & D. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 1. corpore & lib. 3. contra gentes cap. 5. & communiter Philoſophi & Theologi. Cuius ratio eſt quia, quod frequenter euenit, facilè præuidetur ſaltem ſub dubio; ideóque non cadit prorſus præter intentionem, ſaltem tolerandi, aut permittendi. 24

Quod non eſt præter ſcientiam, neque præter intentionem.

Tertia ratio, quia ſi comparatione primæ cauſæ foret aliquis effectus caſualis, aut fortuitus; ſequeretur, illius cauſam per accidēs eſſe Deum: conſequens autem eſt impoſſibile; ergo & Antecedens. Minor probatur, quia omnis cauſa per accidens reducitur in aliquam ſuperiorem cauſam per ſe, vt videbimus paulo inferiùs. At verò Prima cauſa non poteſt reduci ad aliam ſuperiorem cauſam; cum illa ſit omnium ſuprema. 25

Cauſa per accidens quæ & qualis.

Confirmatur, quia vel cauſa ſufficiens eſt ad producendum effectum, vel non eſt ſufficiens. Si ſufficiens eſt; eo ipſo non eſt cauſa per accidens, 26

Cauſa ſufficiens ad producendum effectum non eſt per accidens.

ſed per ſe talis effectus: quoniam ipſa potentia ſufficiens ad producendum, eſt intentio agentis (omnis enim potentia ordinatur ad actum) ideóque effectus ille non euenit præter intentionem talis cauſæ. Si verò cauſa non eſt ſufficiens ad producendum effectum; non continget, illi copulari effectum per accidens, niſi accedat alia cauſa ſufficiens ad producendum illum effectum. Nullus enim effectus producitur ſine cauſa ſufficienti ad illum producendum, illa igitur cauſa erit cauſa per ſe, & ſuperior, quàm cauſa per accidens, ſaltem comparatione huius effectus, & ad illam reducetur cauſa per accidens, quoniam illa facit, vt talis effectus coniungatur cum illa cauſa.

17 Vnde conſurgit quarta ratio peculiaris omnibus euentibus, qui non pendent à libertate creata, qualia ſunt monſtra, & portenta ferè ſemper. *Effectus neceſſarij caſuales non ſunt.* Quia comparatione totius collectionis ſecundarum cauſarum tales effectus non fiunt caſuales neque fortuiti: ergo multò minus erunt fortuiti, vel caſuales comparatione Dei, qui produxit, & in finem certum deſtinauit totam illam collectionem cauſarum. Antecedens probatur 1. quia tota illa cauſarum collectio continet virtutem & potentiam ſufficientem ad illum effectum producendum; ſed virtus & potentia ſufficiens ad producendum, eo ipſo eſt eſſentialiter ordinata ad producendum: ergo talis effectus non contingit illi per accidens, nec fortuito caſu. Quemadmodum calor aquæ comparatione ignis non eſt effectus fortuitus, nec caſualis, quoniam ignis potentia ſufficiens eſt, & eo ipſo per ſe ordinata ad producendum calorem.

28 Confirmatur primò, nam omnis effectus per accidens fortuitus & caſualis, reducendus eſt in aliquam priorem & per ſe cauſam, vt ſupponit Ariſtoteles lib. 2. Phyſic. cap. 4. text. 40. collato cum cap. 6. text. 66. & 67. ſic etiam effectum per accidens, qui contingit in rebus corporeis, reduci per aliquas cauſas medias vſque ad virtutem cælorum, docuit Auicena lib. 10. Metaphyſ. cap. 1. quem refert S. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 86. in medio, atque idem docet 1. p. q. 19. art. 6. corp. & 1. 2. q. 109. art. 1. & Ocham quodlib. 1. quæſt. 17. Ricardus ex profeſſo, licet ſub dubio, 2. ſent. diſt. 37. art. 4. quæſt. 1. referens Auicenam lib. 1. Phyſic. cap. 14. & S. Bonauent. obiter 2. ſent. diſt. 37. art. 1. q. 2. in *ſed contra.*

29 *Cicero.* Confirmatur ſecundò, nam vt Cicero loquitur lib. 2. de diuinatione pag. 3. num. 11. *Quid aliud eſt ſors, quid fortuna, quid caſus, niſi cùm ſic aliquid cecidit, vt vel non cadere, vel aliter cadere potuerit.* Sed comparatione totius collectionis cauſarum ſecundarum, independentium à concurſu libertatis, effectus non potuit non cadere, nec potuit aliter cadere, quàm vt de facto cecidit: Sunt enim omnes iſti effectus ſimpliciter neceſſarij, & non contingentes; vt oſtendimus in tomo de ſcientia Dei, diſp. 21. ſect. 3. ergo comparatione totius collectionis cauſarum naturaliter agentium, nullus effectus eſt fortuitus nec caſualis.

30 Confirmatur tertiò, nam iſtam contingentiam & poſſibilitatem non eueniendi ſatis ſignificauit Ariſt. ſuprà citatus, quando caſuale reſtrinxit ad rarò contingentia. Nam quidquid ex cauſa neceſſariò ſequitur, ſemper euenit. *Ariſtoteles.* *At verò impoſſibile eſt aut ſemper aut plerumque, quidquam eorum eſſe, quæ à fortuna proueniunt*, vt Ariſtoteles ait.

SECTIO VIII.

Deus cauſat, vt ſit monſtrum & caſus comparatione particularis cauſæ, non autem comparatione Dei, & inde ſoluuntur argumenta.

1 Reſtat ſatisfacere argumentis, poſitis in principio ſectionis præcedentis. Ad primum, Reſpondetur. Caſus & fortuna repugnant prouidentiæ illius tantùm cauſæ, comparatione cuius ſunt fortuiti vel caſuales effectus. Nihilominus quod eſt fortuitum & caſuale comparatione vnius cauſæ inferioris, poteſt gubernari & cauſari per prouidentiam cauſæ ſuperioris, comparatione cuius nihil eſt caſuale nec fortuitum.

2 Secundum argumentum excitat dubitationem, verùm Deus velit & faciat monſtra, quatenus monſtra ſunt. *Concluſio 1.* De qua dico 1. Deus vult, & facit quæcumque monſtra. Sic docet Auguſt. lib. 16. de Ciuitate cap. 8. præſertim à medio, & lib. 3. de Trinit. cap. 2. parum à principio, Clemens Romanus lib. 8. recognit. pag. ante penultimam, adducto ſimili præcipitati lapidis informis ab excelſa rupe, concludit: *Clemens.* *Ea, quæ in mundo geruntur, per artificis prouidentiam fiunt, etiamſi minus ordinata videantur.* idem docet Magiſter & communiter Scholaſtici 1. diſt. 45. cap. *voluntas ergo*: vbi S. Bonauent. dub. 6. Carthuſian. lib. de venuſtate Vniuerſi, cap. 9.

3 *Peccati turpitudine excepta, cætera omnia à Deo fiunt.* Ratio demonſtrans eſt, quoniam, excepta turpitudine peccati, cætera cuncta, ſiue conſtituantur per formam poſitiuam & realem, ſiue per negationem aut priuationem (ſicut cæcitas, mors & tenebræ) à Deo tanquam ab authore fiunt, eo modo, quo fieri poſſunt: vt ſtatim dicemus. Etenim quidquid quomodocumque capax eſt cauſalitatis alicuius, & aliunde non repugnat Diuinæ ſapientiæ nec bonitati, procedit à Deo tanquam ab authore. At verò monſtra non modò non repugnant, verùm etiam magis oſtendunt Dei ſapientiam & bonitatem; & conferuntur ad pulchritudinem & integritatem vniuerſi: vt Auguſt. ait prædicto lib. 16. de Ciuitate, cap. 8.

4 *Monſtra vt mõſtra à Deo volita.* Dico ſecundò; monſtra, etiam qua ratione ſunt monſtra comparatione ſuæ ſpeciei, volita ſunt à Deo, & ab illo ſunt, tanquam ab authore. *Monſtrum quid.* Probatur, quia *monſtrum eſt effectus naturalis à ſui agentis perfectione rarò degenerans.* Quæ definitio colligitur ex Ariſtotele lib. 4. de Generatione animalium, cap. 4 & lib. 2. Phyſic. text. 82. ac recipitur à Philoſophis communiter: ſed Deus vult & cauſat, vt talis effectus naturalis à ſui agentis perfectione degeneret, & vt hæc degeneratio ſit rara: ergo vult & cauſat monſtrum, prout eſt monſtrum comparatione ſuæ ſpeciei. Minor probatur Eccleſiaſtici 11. *Eccleſiaſtici 11.* *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Iſaiæ 45. *Iſaiæ 45.* *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum.* Amos 3. *Amos 3.* *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Ex quibus, aliiſque locis ſacrarum literarũ, Patres communiter colligunt illud dogma certiſſimum, Deus vult & cauſat omne malum, quod non eſt virtuti contrarium. Quorum teſtimonia retulimus præcedenti tomo de Voluntate Dei diſp. 25. ſect. 2. & diſp. 35. ſect. 6. Cùm igitur illa priuatio, ſeu deformitas, quâ monſtrum na-

turale degenerat à perfectione ſui agentis, non ſit virtuti contraria: neceſſarium eſt Deum eſſe, qui vult & cauſat (*ſaltem vt vniuerſalis cauſa) degenerationem illam ac deformitatem comparatione ſuæ ſpeciei.

5 *Reſpectu Dei nullum monſtrum.*

Dico 3. Nihilominus comparatione Dei, & ad Deum relatus omnino nullus effectus eſt monſtrum, ſed eſt monſtrum ſolummodò comparatus ad agens creatum. Probatur ex prædicta definitione monſtri. Nullus enim effectus naturalis degenerare poteſt à perfectione Dei, prout eſt agens illius effectus: quippe qui ſemper, ac neceſſariò adæquatur prorſus ideæ propriæ illius, & volitioni producendi illum, & confert ad pulchritudinem vniuerſi, quantum Deus vult conferre.

6 Confirmatur & explicatur magis, quia neque Deus claudicabat, nec erat claudicatio comparatione Dei, vel Angeli, quando Deus aut Angelus tangẽs neruum femoris Iacobi, fecit eum claudicare: licet Deus voluerit vt Iacob claudicaret. Quia claudicatio quiditatiuè reſpicit animal greſſibile, cuius ſit claudicatio. Nec claudicat cœlum, aut lapis, quando per aduerſum influxum, aut percuſſionem lædit pedem, & claudicare facit. Eadem igitur ratione, quamuis Deus ſit author, & cauſa, velitque monſtrum produci à particulari cauſa, & eſſe illud monſtrum comparatione eiuſdem cauſæ particularis: non ſequitur, eſſe monſtrum comparatione Dei: quia monſtrum quiditatiuè reſpicit cauſam particularem, à cuius perfectione deficiat: ſicut nuper explicatum fuit.

7 *Sirenius refellitur.*

Comparatione Dei nihil caſu.

Dico 4. Non eſt admittendus ille modus loquendi, quem innexit Sirenius in argumento 2. dicens, comparatione Dei vt primæ cauſæ, eoſdem effectus eſſe caſuales & non caſuales. Etenim caſuales nullo modo ſunt comparatione Dei, etiam ſi conſideretur, prout agit per cauſam caſualiter operantem (veluti per ouem, quæ incurrit in lupum,) quia Deus etiam per ouem intendit alere lupum, & mouet ouem eo fine, vt occurrat lupo. Quod ſi præſcindas ab hoc fine diuinam intentionem, eo ipſo præſcindis à quiditate caſualis, vel non caſualis. Nam caſualis euentus non præſcindit ab intentione; ſed determinatè, poſitiuèque poſtulat eſſe præter intentionem agentis.

8 Ad tertium reſpondetur ex eodem principio ſic. Effectus non dicitur caſualis nec fortuitus; niſi prout comparatur cum tota intentione, & tota ſcientia ſui agentis particularis ac determinati. Alioqui poteris appellare fortuitum & caſualem quemlibet effectum, ſi præſcindas formalitates intentionis in agente. Sicque caſualis effectus erit, ignem producere calorem, ſi præſcindendo conſideres ſolam generalem intentionem conſeruationis vniuerſi, præterquam eſt productio caloris in particulari: & fortuitus effectus erit tibi ſolutionem hanc legere, ſi conſideretur intentio tua præciſè, prout eſt intentio placendi Deo, vel te diſponendi ad ſacerdotium.

9 Vnde ſoluitur confirmatio, quia natura, prout à D. Thoma ſumitur ibi, non eſt aliud, quàm peculiaris eſſentia rei vnius cuiuſque; hæc autem in animali perfecto, quantum ex ſe eſt, & ſecundùm totam ſuam intentionem innatam & inſitam, deſtinatur ad producendum animal perfectum: & contra totam & integram intentionem illius (ſecluſa qualibet præciſione noſtri intellectus) euenit illi quodlibet impedimentum, ratione cuius non poteſt producere animal perfectum. Aliter tamen ſe habet diuina intentio & cognitio, ſicut nuper eſt dictum. *Vnde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem, ſed tamen ſunt de intentione naturæ vniuerſalis, inquantum defectus vnius cedit in bonum alterius, vel totius vniuerſi*, vt S. Thom. ait in præſenti qu. 22. art. 2. ad 2. *S. Thomas.*

Ad quartum Reſpondetur, etiam operationes peccatorum non eueniunt fortuitò, nec caſualiter comparatione Dei, quia non inopinatò, nec præter ſcientiam aut intentionem concurrendi, & permittendi; vt magis explicabitur diſput. 2. ſectione 6. 10

Comparatione Dei peccata non caſu.

Quintum & ſextum argumentum rectè probant, Deum velle, & cauſare caſum & fortunam quantum ad totam realem entitatem cauſarum & actionum, & quantùm ad realem concurſum illarum, & quantùm ad realem entitatem effectus, & realem deformitatem, quam habet aliquando caſualis effectus; ſed non probant, eſſe caſum & fortunam comparatione Dei.

Contra ſolutionem iſtam ſentiunt, qui putant, à Deo non produci caſualem & fortuitum euentum, prout eſt caſualis, vel fortuitus, id eſt, Deum non velle nec facere, vt ſit fortuitus & caſualis, vt S. Bonauent. lib. 2. diſt. 37. art. 2. q. 2. corpore & ad argumenta, & Ricardus eadem diſt. 37. art. 4. q. 2. corpore & ad argumenta. Probant autem, quoniam effectus caſualis aut fortuitus, prout talis eſt, affert priuationem & defectum intentionis in cauſa: hic autem defectus non eſt à Deo. Videntur etiam ſupponere, reſpectu Dei eſſe fortuitum & caſualem euentum, ſi Deus vult, & cauſat illum defectum, ſeu priuatio non intentionis. Confirmant quia temerarium, in quantum temerarium, non eſt à Deo vt authore. 11

Vera tamen ſolutio fateri debet, à Deo produci caſualem & fortuitum euentum, prout eſt caſualis & fortuitus comparatione cauſæ particularis, quia Deus vult, intendit, & facit, vt in cauſa particulari ſit ille defectus, ſeu priuatio intentionis, & vt alia cauſa concurrat impediendo vel fauendo, & vt talis effectus ſequatur rarò & præter intentionem vnius cauſæ particularis, & vt reſpectu illius ſit temerarius. Etenim omnes priuationes, & omnia mala, quæ non ſunt virtuti contraria, Deus poſitiuè vult & cauſat, ſicut dicere cœpimus in ſolutione ſecundi argumenti, aſſertione 2. Inde tamen non ſequitur, comparatione Dei caſualem, aut fortuitum, aut temerarium euentum eſſe: quia fortuitum, caſuale, & temerarium, formaliter vt tale, reſpicit cauſam, præter cuius ſcientiam & intentionem cadit: & conſequenter, fortuitum, caſuale, & temerarium, formaliter vt tale, non poteſt reſpicere cauſam præſcientem omnia, & omnia intendentem facere, quæ non ſunt virtuti contraria. Cum igitur nihil ſit fortuitum & caſuale reſpectu Dei, nihil erit, quod eius prouidentia non gubernetur. 12

Caſualia & fortuita, vt talia à Deo.

Similiter Reſpondetur ad 7. 8. 9. & 10. argumentum, rectè probare, quod effectus caſualis & fortuitus, etiam prout eſt caſualis & fortuitus comparatione cauſæ particularis, producatur à Deo, faciente & ordinante, vt comparatione 13

Digitized by Google

tione illius cauſæ ſit fortuitus. Inde tamen non modo non ſequitur, eſſe fortuitum reſpectu diuinæ cauſalitatis aut prouidentiæ; verùm etiam oppoſitum ſequitur efficaciter, quia Deus conſultò, data opera, & ex intentione facit, & ordinat, vt effectus ille ſit fortuitus & caſualis. Quapropter illa fortuita cauſalitas, prout talis, non euenit præter intentionem Dei; & conſequenter comparatione Dei non eſt caſualis, aut fortuita.

14 Ad vndecimum Reſpondetur, aptiſſimam eſſe miraculi ſimilitudinem ad præſens. Deus enim cauſat miraculum, prout eſt miraculum comparatione facultatis naturalis, quam excedit, & comparatione ſoliti curſus agentium naturalium. Cæterùm; *Nihil poteſt dici miraculum comparatione potentiæ Diuinæ, quia quodcumque factum, diuinæ potentiæ comparatum, eſt minimum.* Vt ſcribit S. Thomas 1. p. q. 105. art. 8. corp. Aliter reſpondet S. Bonauent. 2. diſt. 37. art. 2. q. 2. ad 4. Sed eius ſolutio impugnatur ex ſupradictis.

S. Thomas.

SECTIO IX.

Vtrùm aliquis euentus ſit contingens comparatione Diuinæ prouidentiæ.

1 *Contingentia Diuinæ prouidentiæ ſubiecta.* APud omnes Catholicos ſupponitur imprimis vt certum, res omnes contingentes eſſe ſubiectas Diuinæ prouidentiæ, ſicut ſubiectæ ſunt Diuinæ præſcientiæ, Diuinæ voluntati, quemadmodum conſtat ex dictis ſect. 3. & ſequentibus; & ex tomo de ſcientia Dei multis diſputationibus de præſcientia futurorum contingentium, & tomo de voluntate, diſp. 18.

2 *Contingentia vt talis à Deo.* Secundò ſupponendum eſt, Diuinam prouidentiam eſſe cauſam contingentiæ in rebus, quod ipſum eſt cauſare contingentia, prout ſunt contingentia, & facere, vt tales res non neceſſariò, ſed contingenter eueniant: *Ad Diuinam quippe prouidentiam pertinet, omnes gradus entium producere. Et ideo quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, vt neceſſariò euenirent: quibuſdam verò cauſas contingentes, vt contingenter euenirent ſecundum conditionem proximam cauſarum.* vt S. Thomas loquitur in præſenti q. 22. art. 4. corpore fine, tradideratque ſuprà q. 19. art. 8. adiungens in fine corporis maiorem explicationem: *Non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes, ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes cauſas ad eos præparauit.* Hæc igitur Dei prouidentia eſt prima & ſumma cauſa contingentiæ, licèt cauſæ proximæ ſint ſecundariæ cauſæ illius.

S. Thomas.

Deus prima contingentiæ cauſa.

3 Eadem abſque dubio, licèt obſcuriùs tradita, fuit mens Dionyſij, lib. de Diuin. nomin. cap. 4. verſus finem, dicentis: *Sicut prouidentia vniuſcuiuſque naturæ eſt ſaluatiua, per ſe mobilia prouidet, vt per ſe mobilia: & tota particularia iuxta proprietatem totius, & vniuſcuiuſque, in quantum prouiſorum natura ſuſcipit totius prouidentiæ, proportionaliter attributas vnicuique prouiſas bonitates.* Sed hanc veritatem plurium Patrum, & Scholaſticorum authoritate, & rationibus probauimus in tomo de ſcientia Dei, tota diſp. 51.

Dionyſius.

4 *Contingentiæ modi quinque.* Tertiò ſupponendum eſt numerari poſſe quinque modos, quibus aſſeratur contingentia comparatione Diuinæ prouidentiæ, voluntatis & præſcientiæ. Sit primus ille, qui neceſſariò ſequitur ex eorum ſententia, qui liberam ſcientiam, & liberam Dei volitionem vltimatè conſtituunt extrinſeca denominatione, ſeu relatione rationis ab actione tranſeunte, vel ipſomet effectu, vel productione illius in obliquo, & de connotato, ita vt intra Deum nihil increatum ſit, quod ſit formaliter liberum in actu ſecundo. Quas ſententias refutauimus ſatis præced. tomo de voluntate Dei diſp. 11. & 12. Nunc igitur talem contingentiam negamus eſſe poſſibilem Diuinæ prouidentiæ, qualis ſequitur ex prædictis ſententiis: ſequitur enim eſſe formaliter & abſolutè contingentem Dei prouidentiam; quantùm ad illud totum, quo diſtinguitur à neceſſaria ſcientia & volitione Dei.

Secundus modus aſſerendi contingentiam in Diuina prouidentia, fuit antiquorum Scholaſticorum, qui putabant, quamdiu contingens eſt, actum liberum non eſſe futurum, tamdiu non eſſe neceſſarium, quòd Deus præſciuerit, aut voluerit, ſeu prædefinierit: imò ſicut nunc eſt poſſibile, te non peccare cras, ita eſſe poſſibile Deum non præſciuiſſe tuum peccatum craſtinum, & non voluiſſe permiſſionem illius. Idem intellige de cæteris contingentibus. Hanc tamen contingentiam Diuinæ præſcientiæ, voluntatis & prouidentiæ ſatis impugnauimus in tomo de ſcientia Dei, tota diſp. 31. & tomo de voluntate Dei, tota diſp. 16. 5

Tertius modus erit aſſerere, Diuinam prouidentiam in ipſo inſtanti ſuæ æternitatis fuiſſe contingentem, quoniam potuit prouidere, & potuit non prouidere; potuitque non his rebus, ſed aliis prouidere, potuit etiam non ſic, ſed aliter prouidere propter ſummam libertatis indifferentiam, & nullius indigentiam. Hoc modo contingentiam in Diuina voluntate concedunt Scotus, Gregorius, Ocham, Gabriel, & Bellarminus, Vaſquez, & alij recentiores, cui modo loquendi tacitè conſentire videtur S. Thomas, vt retulimus tomo præced. de voluntate, diſput. 7. ſectione 7. 6

Nihilominus, cautior erit, & ad explicandam veritatem aptior modus loquendi Doctorum, qui ſimpliciter negant, fuiſſe contingentem Diuinam volitionem, aut prouidentiam; licèt agnoſcant fuiſſe liberam; ita ſentiunt Authores in ſequenti modo citandi. Ratio eſt, quoniam contingẽs propriè dictum eſt corruptibile, & poteſt non eſſe, poſtquam ſemel fuit, vt conſtat ex Ariſtotele lib. 9. Metaphyſ. cap. 9. textu 17. parum à principio eùm ait: *Quod eſt poſſibile eſſe, contingit eſſe & non eſſe: quod verò eſt poſſibile non eſſe, contingit non eſſe: quod autem contingit non eſſe, corruptibile eſt, aut ſimpliciter, aut hoc ipſum quod dicitur contingere non eſſe, ſiue ſecundum locum, ſiue ſecundum quantum, ſiue ſecundum quale.* 7 *Diuina volitio libera, nõ contingens.*

Contingens quid.

Ariſtoteles.

Confirmatur primò, licèt enim multa contingentia non ſint caſualia, quoniam non ſunt præter intentionem operantis: nihilominus non appellarentur propriè contingentia, ſi procederent ex certiſſima præcognitione, ac non poſſent euenire præter intentionem operantis. Contingentia namque denotat ſaltem imperfectionem præcognitionis, & efficaciæ. Confirmatur 2. quoniam contingentia repugnat præſentiæ, vt dicemus in modo quinto. 8

Quartus igitur modus conſtituit contingentiam in omnibus rebus creatis, ita vt comparatione Diuinæ prouidentiæ ſint contingentes 9

 omnes

omnes creaturæ, quoniam potuit illas non producere, vel non conſeruare. Ita loquitur Sirenus lib.8 de prouid.cap.a.verſus finem,& in eadem ſententia ſunt, Scotus,& alij,quos retulimus pro tertio modo concedendi contingentiam. Cæterùm neque iſte modus loquendi recipiendus eſt, vt ſtatim conſtabit.

10 Quintus modus ea tantùm futura, quæ ſunt verè ac propriè contingentia, videlicet actiones liberas,& omnia,quæ pendent ab illis, dicit eſſe contingentia comparatione Diuinæ prouidentiæ. Sic Conradus 1.2. q. 79. art.1.col.3. §.*Nota inquam*:de volitione mala ſic loquitur:*Talis effectus non habet neceſſariam habitudinem ad cauſam primam, ſed contingentem, quia fit ab ea ſecundum conditionem cauſæ ſecundæ, quæ eſt contingens.* Eadem autem eſt ratio de quibuſlibet actionibus liberis. Clariùs autem & vniuerſaliùs hoc docuit Pennottus lib.5.Propugnaculi,cap.7.col.2.Fundamentum illius eſt, quia putat comparatione primæ cauſæ contingens,& neceſſarium eſſe immediatè contraria taliter, vt quidquid non eſt contingens comparatione Diuinæ cauſalitatis, neceſſariò ſequatur ex illa per abſolutam & antecedentem neceſſitatem, ac proinde non poſſit eſſe liberum.

Conradus.

11 Confirmatur primò, quia libertas & contingentia ſunt modi entis intrinſeci. Ergo actio,quę de ſe libera eſt,aut contingens, erit libera atque contingens comparatione cuiuſcumque cauſæ tam primæ quàm ſecundæ. Quod enim alicui rei conuenit intrinſecè, comparatione cuiuſque cõuenit. Confirmatur ſecundò, quia rerum contingentia eſt volita & intenta per Diuinam prouidentiam, quę conſultò cauſas contingentes inſtituit, vt contingentes effectus producerent: ſicut in ſecundo fundamento ſuppoſuimus initio ſectionis.

12 Nihilominus ſit generalis concluſio. Magis exactus & proprius eſt modus loquendi, prorſus negans contingentiam comparatione Diuinæ prouidentiæ. Nullus igitur effectus, quantumcumque liber, eſt contingens comparatione Diuinæ prouidentiæ. Explicanda eſt hæc concluſio eodem modo, quo præcedentibus ſectionibus expoſitum eſt, nihil eſſe fortuitum & caſuale comparatione Diuinæ prouidentiæ; Quamuis enim multa contingentia non ſint caſualia, quoniam intenduntur ab operante (quemadmodum Imperator intendit victoriam, & Mercator lucrum:) nihilominus omne contingens participat eam imperfectionem caſus, quod eſt præter ſcientiam certam, & præter intentionem infallibilis,& ineuitabilis efficaciæ, & præter gubernationem illius.

Generalis concluſio, reſpectu Dei nihil contingens.

Propriè contingens quid.

13 Rectè namque S. Thomas 1. p. q. 103. art.7. fine: *Dicuntur*, ait, *aliqui effectus contingentes per comparationem ad proximas cauſas, quæ in ſuis effectibus deficere poſſunt, non propter hoc, quod aliquid fieri poſſit extra totum ordinem gubernationis Diuinæ, quia hoc ipſum quod aliquid contingit præter ordinem cauſæ proximæ, eſt ex aliqua cauſa ſubiecta gubernationi Diuinæ.* & lib.1.ſent.diſt 43.q.2.art.1.ad 4.docet, *Non eſſe dicendum, eſſe contingentem voluntatem aut operationem Dei, quia contingentia mutabilitatem importat.* Durand.1. diſt. 39. q.3. num.11.dicit, nihil eſſe contingens comparatione Diuinæ prouidentiæ. Albertus 1. p. q. 79. memb 2.art.1. partic.3. inter medium & finem, & Alexander 1.p.q.23. memb.3. art.4. ad 3.dicunt, Diuinam voluntatem non eſſe contingentem cauſam, ſed neceſſariam effectuum contingentium.

S.Thomas

Magis apertè contingentiam omnem comparatione Dei negant, Caiet. ſup. q.19. art.3. & 8. Ferrarienſ.lib.1.contra gentes, cap.67.col.7. & ſequentibus. Cui conſonat cap.81.& quibuſdam ſequentibus. Bañes 1. p.q.14. art.13. dub.vltimo, Aluares de auxiliis, diſp.27. Hunc modum loquendi magis probat Molina ſupra q. 14.art. 13. diſp.10. & Suarez Metaphyſ. diſp.30. ſect. 16.num.43. 14

Præcipua ratio eſt, quia contingentia repugnat præſentiæ. Quia quidqoid eſt contingens, eſt futurum, & non præſens: at verò comparatione Diuinæ prouidentiæ nihil eſt futurum, ſed omnia ſunt præſentia (ſicut probatum eſt tomo de ſcientia Dei, tota diſp.28.) ergo comparatione Diuinæ prouidentiæ nihil eſt contingens propriè loquendo. Maior explicatur, & probatur, quia contingentia non ſunt in ſtatu contingentiæ, niſi quamdiu ſunt futura. Præterita namque iam eſt ſimpliciter neceſſarium extitiſſe: præſentia quoque neceſſarium eſt exiſtere ex ſuppoſitione, quod præſentia ſunt; Omne quippe quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt, eſſe, vt conſtat ex Ariſtotele in lib.1. Perihermenias cap.vltimo, & omnium Philoſophorum conſenſu. Quin etiam melior & exactior via defendendi certitudinem Diuinæ præſcientiæ, nititur in ea certitudine, ac neceſſitate, quam habent obiecta præſentia ex ſuppoſitione, quòd præſentia ſunt: vt expoſuimus dicto tomo de ſcientia Dei, diſp.27.& ſequentibus, præſertim diſp.35. 15

Contingens futurum, non præſens.

Secunda ratio ſit, quia non dicitur aliquid contingens comparatione illius principij, ex quo neceſſariò infertur, ita vt non poſſit non exiſtere, illo principio exiſtente: ſed ex Diuina prouidentia neceſſariò infertur quilibet effectus contingens, ita vt non poſſit non exiſtere, exiſtente prouidentia illius: ergo quilibet effectus contingens non eſt contingens comparatione Diuinæ prouidentiæ. Declaratur ampliùs & confirmatur primò, quia licèt nulla neceſſitas antecedens inferat effectum liberum ex Diuina prouidentia: nihilominus neceſſitas conſequens ex ſuppoſitione præcognitæ exiſtentiæ, conditionaliter futuræ, ratio eſt, propter quam eſt conſequentia neceſſaria, Deus prouidit, vt eſſet hic actus liber: ergo fiet hic actus liber. 16

Secunda ratio, quia reſpectu principij neceſſarij nõ dicitur aliquod contingens.

Confirmatur ſecundò, quia licèt contingens aliquod euenire poſſit ſecundùm intentionem operantis incertam & fallibilis efficaciæ: nihilominus effectus prouenieus ex intentione certa, & infallibilis efficaciæ, non erit propriè contingens comparatione operantis per talem intentionem. Ideo comparatione diuinæ prouidentiæ nihil poterit eſſe contingens. Id quod eſt certius in bonis operationibus liberi arbitrij, quoniam omnes illas in ſingulari Deus prædefinit, ita vt in ſenſu compoſito cum diuina prædefinitione non ſit contingens eas fieri, vel non fieri. De malis autem actionibus idem probatur, quia Deus earum permiſſionem in particulari prædefinit, ita vt in ſenſu compoſito cum tali prædefinitione, non ſit contingens talia peccata non committi, quamuis abſolutè ſit contingens, comparatione voluntatis creatæ: vt oſtendemus diſp.6.& multis ſequentibus. 17

Effectus proueniens ex certa intentione non eſt contingens.

Poſtrema probatio ſit, ſolutio fundamenti contrariæ 18

Obiectionum ſolutio. contrariæ ſententiæ. Pro qua ſupponendum eſt, oppoſitum extremum tenuiſſe quoſdam neotericos, qui putabant, non aliter poſſe diuinam prouidentiam à contingentia liberari, niſi prædeterminationem phyſicam imprimat voluntatibus, & per antecedentem neceſſitatem determinet ad operationes. Quod inter alia probant, quia cum cauſa contingenti, Deus contingenter concurreret, niſi prædicto modo prædeterminaret. Hanc doctrinam impugnauimus ſatis tomo de ſcientia Dei, diſput. 33. & multis ſequentibus, & tomo de voluntate diſp. 27. & multis ſequentibus.

19 Vt hoc extremum euitaret Pennottus incidit in aliud, ſed multò minùs à veritate diſtans, quod propoſuit in ſuo fundamento. Reſpondemus igitur, etiam illi, quod non eſt contingens comparatione diuinæ prouidentiæ, non ſequitur ex illa per abſolutam & antecedentem neceſſitatem, ſed tantùm per neceſſitatem conſequentem, quemadmodum ſuprà dictum eſt.

20 Ad primam confirmationem reſpondetur. Quæ ſunt eſſentialiter reſpectiua, licèt conueniant alicui rei ab intrinſeco & eſſentialiter, non conueniunt comparatione cuiuſque termini, ſed tantùm comparatione ſui proprij termini. Sic enim ſol eſſentialiter eſt vniuerſalis cauſa: nihilominus non eſt vniuerſalis cauſa comparatione Angelorum, aut animæ rationalis, & multò minus comparatione Dei, ſed tantùm comparatione corruptibilium effectuum. Nunc igitur contingentia, licet ſit modus intrinſecus, eſt tamen reſpectiuus comparatione cauſæ, cui deficit præſentia, & certa præſcientia & efficacitas infallibilis, iuxta dicta ſuperius in probationibus concluſionis.

21 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, contingentiam eſſe volitam, & cauſatam à diuina prouidentia, quatenus vult, & cauſat, vt effectus ſint contingentes comparatione cauſarum ſecundarum, non autem comparatione ipſius prouidentiæ. Sic nimirum Deus vult & cauſat, vt talis actus ſit volitio libera comparatione Petri, conſtituens Petrum liberè volentem, non tamen volitio libera comparatione Dei, conſtituens Deum liberè volentem, quin potiùs aliquando Deus contrarium vult illius obiecti, quod Petrus illa volitione vult.

SECTIO X.

Liberas & turpes operationes remittens ad alias diſputationes.

1 Integritas & plenitudo præſentis diſputationis exigebat exponere, quomodo liberæ operationes hominum & Angelorum diuinæ prouidentiæ ſubijciantur, & ab illa gubernentur: quod S. Thomas ſolita breuitate præſtinxit in præſenti quæſt. 22. articulo 2. ad 4. in ea ſolutione tangens ſeptem puncta quæ ſequuntur. Primum eſt, hominem eſſe relictum in manu conſilij ſui, iuxta verba Eccleſiaſtici capite 15. quæ ponderauimus ex mente ſanctorum Patrum in tomo de ſcientia Dei tota diſp. 39. præſertim ſect. 2. & 3. Secundum eſt. *Non præfigitur homini virtus operatiua determinata ad vnum.* *S. Thom.* Quibus verbis ſanctus Thomas vt libertati contrariam propulſat quamlibet antecedentem neceſſitatem, aut phyſicam prædeterminationem. Quam indifferentiam probant plurimæ diſputationes in eodem tomo de ſcientia Dei à diſputatione 33. vſque ad 60. præſertim verò diſputatione 50.

Tertium eſt, ſolas creaturas rationales agere ſeipſas, quaſi dirigentes in finem per liberum arbitrium: ſed irrationales tantum agi, non agere. Hoc fuit corroboratum authoritate & ratione diſp. 45. ſect. 1. in eodem tomo de ſcientia. Quartum eſt, nihilominus actus liberi arbitrij ſicut in cauſam in Deum reduci, & eius prouidentiæ eſſe ſubiectos, cui veritati peculiari ratione ſeruiunt Scripturæ teſtimonia, quæ libertatis indifferentiam ſub Dei operatione collocant. Hæc ponderauimus in eodem tomo de ſcientia, diſp. 41. ſect. 3. Quæ verò pertinent ad Scholaſticos diſcurſus, de modo, quo diuinæ voluntatis & prouidentiæ virtus efficaciſſima ſeruat illæſum modum operandi liberi arbitrij, tractauimus diſp. 51. & 52. Denique Nyſſenum vel potiùs Nemeſium, qui citari ſolet, quaſi dixerit, *quæ ſunt in nobis, non eſſe à prouidentia.* & Damaſcenum ac Theodoretum, qui priores vſurparunt ſimilem modum loquendi, explicuimus in eodem tomo de ſcientia, diſp. 33. ſect. 5. 2

Quintum eſt ſpecialis prouidentia circa prædeſtinatos, quibus omnia cooperantur in bonum, circa reprobos autem generalis & ſufficiens prouidentia, quæ tanguntur ad finem eiuſdem ſolutionis ad 4. explicabuntur, Deo dante, inter diſputationes de prædeſtinatione & reprobatione tomo ſequenti. Sextum eſſe potuiſſet concordia libertatis cum Dei prouidentia. Sed hanc ſanctus Thomas diſtulit ad articulum 4. vbi dicemus quibus in locis fuerit conciliata libertas. 3

Maius negotium faceſſunt omnia mala culpæ vel pœnæ, quantum ad modum, quo Dei prouidentia gubernantur. Propterea de illis peculiarem diſputationem inſtituimus. 4

DISPVTATIO II.

Vtrùm mala cadant ſub prouidentiam Dei.

SECTIO I.

Peccatum formaliter vt tale ſubditur diuinæ prouidentiæ.

AVerroës libro 12. Metaphyſ. comment. 37. & 52. & in Paraphraſi Metaphyſ. in fine putat, præter prouidentiam Dei euenire mala ex neceſſitate materiæ. Cuius argumentum erat, quia ſapientis prouiſoris eſt, omnia mala arcere à rebus prouiſis: ſed in humanis actionibus interueniunt multa mala, nec arcentur à Deo: ergo actiones humanæ non ſunt à Deo prouiſæ, nec gubernantur diſtincta, & peculiari prouidentia. 1 *Error Auerroïs.*

Verumtamen hoc errore poſtpoſito, quoniam ſatis conſtat ex ſectione 3. & ſequentibus actiones humanas gubernari Dei prouidentia; reſtat explicare quid inter Catholicos veniat in controuerſiam, ſiue circa loquendi modum, ſiue circa rem ipſam. Dicemus autem priùs de ma- 2

lo cul

Google

lo culpæ formaliter, prout eſt malum culpæ. Trigoſus omnibus Theologis falſum, aut valde improprium loquendi modum impoſuit, quando 1.p.q.14 art.6. dub.1. con.2. dixit, eſſe concluſionem communem apud omnes Theologos, peccatum, ſi conſideretur ſecundùm ſe formaliter, quatenus eſt culpa, & offenſa Dei, non poſſe cadere ſub Diuinam prouidentiam. Putaſſe videtur hic author id ſignificaſſe Theologos quando dicunt, Dei prouidentiam non poſſe cauſare, nec velle peccatum formaliter, vt peccatum eſt.

3 *Peccatũ formaliter vt ſalo Diuinæ prouidentiæ ſubditur.* Sit igitur concluſio. Quodlibet peccatum etiam formaliſſimè ſumptum ſub ratione peccati, & mali culpabilis & offenſæ Dei, cadit ſub Diuinam prouidentiam, & eſt illi ſubiectum, & ordinatur à Diuina prouidentia, nec poteſt eius ordinem effugere. Sic Alexand. 1.p.q.36. membro *Alexander.* 4. art.1. docet, *malum eſſe ſub Diuina prouidentia,* non tanquam ab illa factum, ſed tanquam ab illa ordinatum. Albertus 1.p.q.67. memb.3. partic.4. dicit, *mala ſubiacere Diuinæ prouidentiæ* prout *Albertus.* ſunt ordinabilia. S. Thom. lib. 1. ſent. diſt. 39. *S. Thomas.* q.2. art.2. corpore fine, concludit, *malum ſubiacere Diuinæ prouidentiæ,* tanquam præſcitum, & ordinatum, ſed non tanquam intentum. Idem de veritate, q.5. art.4. dicit, malum ſubdi prouidentiæ, non ſicut effectum illius, ſed quia factum à voluntate creata, Deus ordinat. Atque in præſenti q. 22. art. 2. ad 2. dicit, prouidentiæ *ſubdi* peccatum, in quantum imputatur ad culpam, & punitur, & ad 2. ait, *ad Diuinam prouidentiam pertinere permittere peccata.* & ea *non ſubtrahi* à Diuina prouidentia, dicit ad 4.

4 Eadem ex S. Thoma 1. ſent. docet Carthuſianus eadem diſt. 39. q. 2. col. 3. & 4. Durand. 1. *Durandus.* diſt. 39. q.3. art.1. num. 10. ait, *mala cadere ſub Diuina prouidentia,* vt illa, contra quæ prouidetur hominibus, ne fiant; & ſi facta fuerint ordinantur ad pœnam, & alia bona colliguntur. Ricard. *Ricardus.* eadem diſt. 39. art. 2. dicit, *mala eſſe ſubiecta & ſubiacere* diuinæ prouidentiæ propter bona, Argentina eadem diſt. 39. art. 4. dicit, mala ſubeſſe diuinæ prouiden[illegible], & non effugere eius ordinem. Aureolus 1. diſt. 40. art. 3. prope finem di-*Aureolus.* cit, *mala eſſe ſubiecta diuinæ prouidentiæ,* tanquam ea, quæ per accidens concomitantur operationes humanas, & per prouidentiam or[illegible]nantur. Per [illegible] 3. [illegible]ntra [illegible]ntes, cap. 71. docet eadem quæ re[illegible]ulimus ex S. Thoma de veritat[illegible]. Eiſdem modis peccatorum ſubiectionem re[ſ]pectu prouidentiæ docent Caiet. & [c]æteri e[x]poſitores ad præſentem articulum 2. vbi Bañez, Molina, Vazquez, Nazarius, Penno[t]tus lib. 5. Propugnaculi, cap. 9. Conſonat S. Bonauentura, 1. diſt. 46. art. 1. q. 5. declarans quo modo malum ſit ordinabile.

5 *Concluſio ex Scripturis colligitur.* Prædicta concluſio colligitur efficaciter ex quamplurimis teſtimoniis Sacrarum literarum, in quibus hominum peccata referuntur ad Diuinum conſilium, decretum, intentionem, cauſalitatem, imperium, impulſum, motionem. Cùm enim certiſſimum ſit, Deum non eſſe peccatorum authorem, neceſſariùmque ſit, ſolam permiſſionem, & ordinationem ad meliora bona ſignificari: præcipua ratio, vel inter præcipuas vna, propter quam Deus voluit, in ſuis verbis eſſe tam frequentem hunc loquendi modum, licèt illius ſonitus appareat valde contumelioſus infinitæ ſapientiæ & bonitati: quia valde commendatam eſſe voluit hominibus vniuerſalitatem ſuæ prouidentiæ, cui non ſolùm bona, ſed etiam mala ſunt perfectiſſimè ſubiecta, ne fiant, quando diſponit non fieri: & fiant, quando permittit, & non aliter, nec alibi, nec diutiùs, niſi prout ſua prouidentia iudicat expedire permiſſionem illorum.

Referam pauca de multis lib. 2. Regum, cap. 6
16. *Dominus præcepit Semei, vt malediceret Dauid.* *2. Reg. 16 & 24.* & cap. 24. *Addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, commouitque Dauid in eis, dicentem; Vade, numera Iſraël.* Quod fuiſſe peccatum ex eodem cap. conſtat. & lib. 3. Reg cap. 22. *Decipies & præualebis, vade, & fac ita.* Iſaiæ cap. 13. *Ecce ego ſuſcitabo contra vos Medos,* &c. Habacuc 1. *Suſcitabo Chaldæos gentem amaram,* &c. Pſalm. 43. *Declinaſti ſemitas noſtras a via tua.* Iſaiæ 63. *Quare errare nos feciſti de viis tuis, indurasti cor noſtrum ne timeremus te* Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Theſſalon. 2. *Mittet eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* *3 Reg. 22. Iſaia 13. Habacuc 1. Pſal. 43. Iſaia 63. Roman. 9. Theſſal 2.*

Illuſtriſſimum autem exemplum eſt, quod fuit 7
peccatorum maximum, afferen[s] mortem Chriſto Domino, de quo Actor. 2. *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affi[gen]tes interemiſtis.* O[bſ]eruâ *conſilium* vocari Diuinam prouidentiam & ratio[n]em agendorum propter certitudinem, vt S. Thomas notauit in præſenti q. 22. art. 1. ad 1. Quæ ſignificatio *conſilii* clarior eſt, Actor 4. *Conuenerunt vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pilatus cum gentib[us] & popul[is] I[ſr]ael, facere quæ manus tua [&] conſil[ium tu]um decreu[e]runt fieri.* Plura vidimus præced. tomo de v[o]lu[ntate] d[ei] p.42. *Actor. 2. Actor 4.*

Patres magis apertè tradiderunt, etiam prauas operationes, & peccata ſub Dei prouidentiam cadere, & ab illa dirigi, & ad[hiberi] ad maiora bona colligenda Petru[s] Apoſt. apud Clem. 8
liu. 1. Recog. pag. 7. *Credo enim, ait, quod per Dei prouidentiam geſtum ſit ad vtilitatem tuam, vt poſſim tibi in hac ſeptem dierum compendiatione abſque aliquo ſtrepitu exponere.* Loquitur autem de noua procraſtinatione, qu[a] Simon Magu[s] diſputationem cum Petro recuſabat. Dionyſ. de Diuin. nominib. cap. 4. nõ procul ante finem; *Quinetiam, inquit, [i]i, qui mali euaſerunt, ad eorum vel priuatum, vel communem vſum prouidentia benignè vtitur.* *Petrus apud Clementem. Dionyſius.*

Clemens Alex. lib. 4. Stromatum, in medio, 9
ait: *Nihil fit ſine voluntate Domini vniuerſorum. Reſtat igitur, vt dicamus ea quæ ſunt huiuſmodi, euenire, Deo non prohibente. Hoc enim ſolum ſeruat & prouidentiam, & Dei bonitatem. Non prohibere eos, qui eſſ[e]c[t]iones exercent, perſuaſum habere conuenit, & ad bonum vti audacibus ceptis aduerſariorum.* Dixerat autem lib. 1. Stromatum, in med. *Maximum eſſe Diuinæ prouidentiæ argumentum, non ſinere, vt vitium inconducibile maneat & inutile.* Cyrillus Hieroſolym. catech. 8. poſt med. exclamat: *O ſapientiſſimam prouidentiam quæ malum etiam propoſitum in ſalutis occaſionem conuertit! Quemadmodum enim illorum fratrum Ioſeph, eundem odio proſequentium, malam voluntatem accepit occaſionem propriæ adminiſtrationi: & permittens ipſis ex odio vendere fratrem, occaſionem accepit efficiendi, vt regnaret.* Quod ampliùs confirmat teſtimonio Pſal. 118. *Quoniam omnia ſeruiunt tibi.* *Cyrill Ieroſ. Pſal. 118.*

Baſil. homil. 9. *Quod Deus non ſit author malorum,* prope finem ait, *Prouidentiſſimus rerum hu-* 10

manarum

manarum diſpenſator Deus vtitur ad noſtram exercitationem malignitate dæmonis, quemadmodum Medicus vipera veneno. Quo eodem exemplo vtitur Iſai. 13. ad illud: *Dominus mandauit genti bellicoſæ*, & homil. in Pſal. 28. ad illud: *Vox Domini præparantis ceruos*, ac Theodoret. Roman. 9. ad illud. *Deus volens oſtendere iram.* Chryſoſt. autem in Matth. homil. 36. vtitur ſimilitudine Medici & Imperatoris.

11 Damaſcen. lib. 2. fidei cap. 29. inter principium & medium de liberis operationibus ait: *Ea enim, quæ in nobis ſunt, non prouidentiæ ſolum ſunt, ſed liberæ poteſtatis noſtræ & arbitrij. Prouidentia verò hæc quidem ſecundùm acceptationem, hæc autem ſecundùm permiſſionem. Secundùm acceptationem ſunt, quæ ſine controuerſia bona ſunt.* Mala verò continuò dicit permitti. Vnde S. Thomas Alexand. Albertus, Ricard. & alij locis ſuprà citatis colligunt peculiarem prouidentiæ modum circa peccata, non ſecundùm acceptationem, ſed tantùm ſecundùm permiſſionem. *Origenes.* Origenes homil. 3. in Geneſ. ait: *Multa ſine Dei voluntate geruntur, nihil ſine prouidentia.*

12 *Auguſtinus.* Frequentior & copioſior eſt in præſenti dogmate Auguſt. qui Pſalm. 7. illud: *Et in eo parauit vaſa mortis*, intelligit venenatas hæreticorum ſagittas ex ſacris literis eſſe depromptas: *Quod non contingit, niſi pro meritis. Propterea diuinæ prouidentiæ etiam iſta diſpoſitio tribuenda eſt: Non quia ipſa peccatores facit, ſed quia ipſa ordinat cùm peccauerint.* Et in Pſalm. 9. columna 2. *Quia tam cernit occulta ſapientia Dei, quemadmodum omnes cruciatus, aut vt exerceant conuerſos ad Deum, aut vt conuertantur admoneant, aut iuſtæ damnationi vltimæ præparent obduratos: & ſic omnia ad diuinæ prouidentiæ regimen referantur, quæ ſtulti quaſi caſu & temerè, & nulla diuina adminiſtratione fieri putant*, ait: *Narrabo omnia mirabilia tua.*

13 *Rom. 11.* Rurſus lib. de Prædeſtinatione ſanctorum, capite 16. circa med. *Quid eſt*, inquit, *ſecundum Euangel. inimici propter vos, niſi quod eorum inimicitia, quâ occiderunt Chriſtum, in Euangelio ſine dubitatione profecit? & hoc oſtendit, ex Dei diſpoſitione veniſſe, qui bene vti nouit etiam malis, non vt eis proſint vaſa iræ; ſed vt ipſo eis bene vtente, proſint vaſis miſericordiæ.* Nota Dei diſpoſitionem non eſſe aliud, quàm executionem prouidentiæ, & ordinis, vt ſanctus Thomas docet in præſenti quæſt. 22. art. 1. ad 2. Quæ retulimus ex Auguſt. de prædeſtinatione Sanctorum, ſuis commentariis inſerit *Beda.* Beda Roman. 11. ad illud: *ſecundùm Euangelium*, &c. Auguſt. inſuper libro de Agone Chriſtiano cap. 7. initio. *Omnes*, ait, *Diuinæ prouidentiæ ſeruiunt: ſed alij obediunt, tanquam filij, & faciunt cum ea, quod bonum eſt: alij verò ligantur tanquam ſerui, & fit de illis quod iuſtum eſt.* Totúmque illud & ſequens octauum caput in eadem ſententia perſeuerat.

14 Et lib. 3. de Trinit. cap. 4. ſub init. *Vtitur*, inquit, *omnibus, ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ, ſpiritibus, ſiue per eius gratiam, ſiue in aliis* *Sic habet.* *per propriam voluntatem.* Docet eandem ſententiam in Enchirid. cap. 100. & 107. & in Pſalm. 100. ad illud, *Magna opera Domini*, & de correptione & gra. cap. 7. poſt med. & tract. 27. in Ioan. verſus finem, & lib. de natura boni contra Manichæos cap. 36. fine & lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 7. Proſper in Pſal. 100. ad illud *Magna opera Domini*, & ad excerpta Genuenſ. dub. 7. Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 28. prope initium, & ſequent. cap. 7. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 13. aliàs 18. & 19. *Gregorius.* ait: *Secreto ergo diſpenſationis ordine, vnde ſæuire permittitur iniquitas diaboli, inde piè perficitur benignitas Dei.* Diſpenſationis nomen ſignificat executionem prouidentiæ. Similia notat lib. 6. Moral. cap. 12. & lib. 33. ca. 10. aliàs cap. 13. & lib. 34. cap. 6. & 7.

Rem hanc exemplo cœlorum declarauit Anſelmus lib. 1. *cur Deus homo*, cap. 15. in medio. 15
Sicut enim quantò longius conaris recedere ab vna plaga cœlorum, tantò propinquiùs incurris in aliam: *Ita quamuis homo, vel malus Angelus diuinæ ordinationi ſubiacere nolit, non tamen eam effugere valet. Quia ſi vult fugere de ſub voluntate iubente, currit ſub voluntatem punientem, & tranſit ſub voluntate permittentis. Et hoc ipſum, quod peruersè vult, aut agit, in vniuerſitatis præfata ordinem & pulchritudinem ſumma ſapientia conuertit.* *Anſelmus.* Plura de hoc Anſelmus in Elucidario multò propius ad med. quàm ad principium.

Boëtius lib. 4. de Conſolatione proſa 4. prope finem. *Sola eſt*, ait, *Diuina vis, cui mala quoque bona ſunt, cum eis competenter vtendo, alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab aſſignata ordinis ratione receſſerit, hoc licet in alium, tamen ordinem relabatur, ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati.* Conſidera præſertim poſtrema verba. 16

Hugo Victorinus de Sacramentis lib. 1. par. 2. cap. 19. *Secundùm hanc*, inquit, *vniuerſalem prouidentiam cunctorum, non ſolùm ſua, quæ bona fecit, ſed aliena quoque quæ ipſe non fecit mala, ſed permiſit, quod debitum eſt diſpenſat, vt nihil in regno ſuo iuſtam ordinationem euadat. Nam & ipſa iniquitas ex hac prouidentia ſtipem habet, & non potuit vel ipſa malitia in obliuionem venire apud Prouiſorem omnium.* Quod magis explicat in eodem & ſequenti cap. 20. 17

Pertinent ad eandem prouidentiam peccatorum demonſtrandam, alia quamplurima exempla, quæ Patres accuratè tractare ſolent. Primum eſt, quare Deus producat homines & Angelos, quos præſcit eſſe damnandos, de quo Patres citati tomo de ſcientia Dei, diſp. 65. ſectione 1. & tomo de voluntate diſp. 9. ſect. 12. in ſeptimo exemplo. Secundum eſt, quare Deus, cum præſciuerit abuſum libertatis futurum in peccatis, voluerit nihilominus libertatem hominis conſeruare, præceptum abſtinentiæ primis parentibus imponere; dæmonis tentationem, & Adami tranſgreſſionem permittere, de quo Patrum teſtimonia retuli, tomo de ſcientia Dei, diſp. 65. ſect. 3. 4. & 5. 18 *Patrum exempla ad peccatorum prouidentiã demonſtrandam. Primum. Secundum.*

Tertium, quare Deus Iudam in Apoſtolum, Saulem in Regem, aliósque tales ad varios ſtatus, & dignitates elegerit, aliáſque res diſpoſuerit, quarum occaſione ſciebat eſſe committenda crimina. De hoc Patres citati eodem tomo de ſcientia diſput. 65. ſectione 9. 10. & 11. 19 *Tertium.* Quartum, quare Deus tamdiu diſtulerit Incarnationis remediũ, præcognoſcens idololatriam, & grauiſſima ſcelera, quæ forent committenda. *Quartum.* De hoc Patres citati tomo de ſcientia, diſputatione 66. ſectione 2. Quintum continet vtilitates plurimas, quas in prædeſtinatis Deus colligit ex peccatis reproborum. *Quintum.* De quibus erit ſpecialis diſputatio tomo ſequenti, quando peruentum fuerit ad cauſas reprobationis in generali.

Digitized by Google

20 *Sextum.* Sextum. Deus peccata non permitteret, niſi diſponeret ex eis colligere maiora bona. Ita docent multi Patres, quos citauimus tomo præced. de voluntate Dei, diſp. 9. ſect. 11. non longè à principio. Præcipuos referemus ſect. 4. *Septimum.* Septimum. Etiam ex peccatis prædeſtinatorum, prouidentia colligit eorum feruentiorem compunctionem, humilitatem, gratitudinem, & alias virtutes, vt vidimus diſp. 53. de voluntate Dei, ſect. 11. conc. 2. & dicemus etiam explicantes prædeſtinationis effectus, inter quos numeratur permiſſio peccatorum. *Octauum.* Octauum. Per Diuinam prouidentiam diſponitur, vt vnum peccatum ſit pœna, non ſolùm præcedentis peccati, ſed etiam ſui ipſius, vt vidimus diſp. 43. de voluntate Dei, ſect. 5. & 6. *Nonum.* Nonum eſt. Vniuerſum eſſe ſimpliciter perfectius nunc, quàm ſi nulla permitterentur peccata; de quo dicemus ſect. 3. 4. & 5.

SECTIO II.

Ampliùs explicatur, ac defenditur prouidentia circa peccata, quinque dubijs expeditis.

1 *Dubium primum.* PRimum eſt, quomodo præcedentia teſtimonia probent totum, quod intendimus. Quoniam præcedentis ſectionis concluſio fuit, peccatum etiam ſub formali ratione peccati, & mali culpabilis, cadere ſub Diuinam prouidentiam, reſtat autem oſtendere, quomodo iſtud colligatur ex Doctoribus, Scholaſticis, & Patribus in eadem ſect. citatis, cùm ipſi non expreſſerint prædictam formalitatem. *Soluitur.* Huius autem collectionis ratio eſt imprimis, quoniam ipſa nomina *malitia*, *peccati*, & ſimilia ſignificant rationem formalem, quoties per aliquid additum in contextu, non limitatur ad rationem materialem. At verò Patres & Scholaſtici locis citatis, non modò non limitant, ſed etiam euidenter exprimunt bonos effectus, quos Deus colligit ex ipſa formali ratione peccati, & malitiæ. Nam pœnitentia, ſui ipſius diſplicentia, humilitas, timor, & alij affectus ſimiles eſſentialiter reſpiciunt formalem rationem peccati, propterea que non niſi ex illa colligi poſſunt. Deinde martyrium eſſentialiter ſupponit peccatum tyranni, quatenus eſt iniurioſum religioni & Deo. Zelus & punitiua iuſtitia Prælatorum, & timor filialis, quem vehementiorem concipiunt prædeſtinati ex ruinis reproborum, eſſentialiter reſpicit malum culpæ & offenſæ Dei, quod potiſſimum timetur. Eodem modo ratiocinari poteris de quibuſdam alijs bonis, quæ colliguntur ex peccatis.

2 Accedit quod Patres citati loquuntur de peccatis, prout ſunt contra voluntatem Dei, & conuertuntur, vt Diuinæ voluntati ſeruiant: at verò contra Dei voluntatem ſunt potiſſimùm, quia peccata, & quatenus talia ſunt. Clariùs autem hoc colligitur ex Doctoribus Scholaſticis, quoniam aliter Diuinæ prouidentiæ ſubijciunt materialem actionem peccati, aliter ipſum peccatum.

3 *Secundum.* Dubium ſecundum eſt: Vtrùm peccata ſint à Deo prouiſa. *Peccata prouiſa.* Nonnulli Doctores admonent, non eſſe concedendum, eſſe *prouiſa mala*, ſeu *peccata*, quia vox illa denotat eſſe effectus Diuinæ prouidentiæ. Sic Aureolus 1. diſt. 40. art. 2. col. 1. §. *eſt autem*, & ſequenti. Vazquez in præſenti q. 22. art. 2. prope finem. Ego verò licèt fatear, eſſe meliùs illas voces euitare, quoniam vulgari modo loquendi ſonare videntur cauſalitatem procurantem, vt fiant peccata: eas tamé in Theologicis diſputationibus vſurpatas minimè reprehenderem, quoniam eo modo, quo peccata ſubijciuntur Diuinæ prouidentiæ, ſunt obiecta circa quæ verſatur; quodlibet autem obiectum denominari poteſt ab actu intellectus, aut voluntatis, qui circa illud verſatur. Ideo ſicut peccata denominantur præſcita, & ordinata, quoniam obiecta ſunt Diuinæ præſcientiæ, ac ordinationis: ſic etiam denominari poterunt prouiſa quatenus obiecta ſunt prouidentiæ.

4 *Tertium.* Tertium dubium eſt, quouſque pertingat Dei prouidentia peccatorum malitiam, & quibus limitibus ſeipſam contineat ab immunditia. Cum igitur prouidentia contineat varios actus intellectionis, & volitionis, oportebit de ſingulis dicere ſigillatim. *Speculatiua ſcientia in prouidentia incluſa æqualiter circa peccata, & reliquas priuationes.* Dico 1. ſcientia ſpeculatiua, quæ continetur in prouidentia, verſatur circa peccata non minori plenitudine, quàm circa priuationes alias, aut negationes, quæ non ſunt peccata, penetrans in illis quidquid eſt cognoſcibile, tam circa veritates perpetuas, & neceſſarias, quæ pertinent ad ſimplicem intelligentiam, quàm circa veritates contingentes, quæ pertinent ad ſcientiam viſionis. Quomodo autem ſciantur, & an per honeſtatem oppoſitam dictum fuit tomo de ſcientia, diſp. 19.

5 *Practica ſcientia non tanta plenitudine.* Dico ſecundò: Practica ſcientia Dei non tanta plenitudine verſatur circa malitiam peccatorum, quia non dictat, quomodo Deus poſſit illa cauſare, ſed tantùm quomodo poſſit ea impedire, vel permittere, vel à creaturis committenda ordinare ad pœnam, vel alios bonos effectus. Itaque peccatum eſt materia, circa quam operatur prouidentia, ſed illam materiam non operatur prouidentia. Dictum fuit de hac ſcientia practica, diſp. 16. de ſcientia Dei, ſect. 7. cum S. Thoma ſupra diſp. 14. art. 16. *Peccatorum odium ad prouidentiam æquè ac virtutum amor.* Dico tertiò, Peccatorum odium directè pertinet ad prouidentiam Dei, non minùs, quàm amor virtutum. Eſt enim ejuſdem potentiæ, atque virtutis, & neceſſariò cohærens cum eodem obiecto formali peccatorum odium, & virtutum amor: vt vidimus præced. tomo de voluntate Dei, diſp. 26. ſect. 1. & 2. & diſp. 54. ſect. 1. & 2.

6 Dico quartò: Non poteſt Diuina prouidentia velle peccatum, neque velle vt ſit, vel fiat ab alia cauſa, nec poteſt eſſe cauſa phyſica nec moralis peccatorum, nec ad illa prouocare, vel excitare: quemadmodum explicatum, & probatum fuit prædicto tomo de voluntate Dei, diſp. 26. quatuor prioribus ſectionibus. *Volitio permittẽdi peccata continetur in prouidentia.* Quintò, poſitiua volitio permittendi peccata continetur eſſentialiter in prouidentia peccatorum. De hac volitione dictum eſt ſatis eadem diſp. 26. ſect. 6. & 7.

7 *Similiter volitio ordinãdi peccata.* Sextò: Poſitiua volitio ordinandi peccata cõtinetur etiam in quiditate prouidentiæ circa illa. Modos autem, quibus ordinari poteſt peccatum, cœpit exponere S. Bonauent. 1. ſent. diſt. 46. art. 1. q. 5. iuxta quos dicendum eſt ita. Peccatum non poteſt ordinari, quaſi res ſuſceptiua ordinis intrinſeci, quoniam eſt eſſentialiter inordinatio. Poteſt tamen ordinari per extrinſecam ſibi diſpoſitionem, per quam deſtinetur, vt ſit medium, aut diſpoſitio, ad bonus effectus. Sunt enim effectus nonnulli, quorum eſſentia ſupponit peccatum, vt vidimus dubio primo. Præcipua verò peccatorum ordinatio fit, aut per pœnitentiam,

nitentiam, quâ deſtruuntur, aut per ſupplicium, quo redditur illis debitum, & in ſua ſede collocantur. Septimò. Prouidentiæ complementum
Imperium circa peccata. eſt imperium. Hoc autem circa peccata verſatur eiſdem præciſionibus ac limitationibus, quas nuper explicuimus in volitione diuina.

8 Quartum dubium eſt, quoniam S. Thomas in
Quartum dubium. præſenti quæſtione 22. art. 2. corpore poſt medium, & ad 2. aſſerere videtur, æqualem ambitum eſſe diuinæ cauſalitatis, & prouidentiæ: vnde ſi cauſalitas Dei non extenditur ad peccata, nec ad illa poterit extendi prouidentia. Reſpon-
Solutio illius. detur S. Thomas tantùm aſſerit, quæcumque cauſantur ab aliquo agente, per eius prouidentiam ordinari. Nihil tamen aſſerit è contrario, vnde colligi poſſit, quæcumque per prouidentiam ordinantur, eſſe verè effectus ab eodem agente cauſatos. Non itaque conſtituit æqualem ambitum cauſalitatis, & prouidentiæ, ſed tantùm aſſerit, non eſſe maiorem ſphæram cauſalitatis, quàm prouidentiæ: quod non obſtat ne ſit maior ſphæra prouidentiæ, quàm cauſalitatis. Si tamen adhuc volueris ambitum vtrumque prorſus æqualem reddere, conſidera cauſalitatem, quam Deus habet impediendo, aut permittendo, aut ordinando peccata; nam hæc cauſalitas eſt æqualis prouidentiæ circa peccata in hoc ſenſu, quod malitia quælibet non poſſet ſubeſſe prouidentiæ, niſi diuina cauſalitas poſſet ſupra dictis modis verſari circa illam. Alias duas ſolutiones adhibet Ferrarienſ. 3. contra Gent. cap. 71. col. 3. §. *ad eius euidentiam*, & ſequenti, ſed illæ parùm à noſtra ſolutione diſcrepant, & minus formaliter exponunt verba S. Thomæ.

9 Dubitatur quintò, num ex intentione bono-
Quintum dubium. rum, quæ colligit occaſione peccati Deus, voluerit permittere peccatum. Aliqui negant vt Vazquez in præſenti quæſtione 22. art. 2. circa medium commentarij. Fundamentum eſt, quoniam pænitentia, martyrium & cætera bona, quæ Deus colligit occaſione peccati, non amantur per primariam & antecedentem voluntatem Dei, ſed per voluntatem conſequentem, quæ eſt præuiſum peccatum.

10 Communis tamen ſenſus Scholaſticorum &
Bonorum intentione permittuntur peccata. Patrum meritò ſupponit pro certo, Deum ex intentione bonorum, quæ prouenire præuidebat occaſione peccati, voluiſſe permittere peccatum.
Probatio prima. Probatur 1. nam intentionem hanc ſatis apertè
Geneſ. 45. ſacræ Litteræ teſtantur, vt Geneſ. 45. *Neque vobis durum videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus; pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum*, & poſt pauca: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis.* &c. vnde ſic arguitur. Deus ea intentione Ioſephum miſit in Ægyptum, vt eſſet præpoſitus Regni ad ſalutem ſuorum fratrum; ſed non aliter miſit, niſi permittendo venditionem: ergo Deus Ioſephi venditionem permiſit ex intentione colligendi prædicta bona.

11 Simile argumentum confici poteſt ex aliis lo-
2. Reg. 24. cis, veluti 2. Reg. 24. *Addidit furor Domini iraſci contra Iſraël, commouitque Dauid in eis dicentem: Vade numera Iſraël.* Ita Dei eſt voluntas puniendi, & ex hac intentione permiſit Deus illud peccatum Dauidis. Exod. 9. & Roma. 9. *In hoc ipſum*
Exod. 9. *Rom. 9.* *excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam*, & iterum: *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, vt oſtenderet diuitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*, & Roman. 11. *ſecundùm Euangelium,* *Rom. 11.*
inimici propter vos: ergo Iudæorum inimicitiam Deus permiſit ex intentione vocandi plenitudinem Gentium.

Probatur ſecundò, quia ſi Deus ad permitten- 12
da peccata quædam, non mouetur ex intentione *2. quia volunta permittendi peccata nō penderet ab intentione bonis.*
colligendi bona: conſequens eſt volitionem permittendi peccata, non eſſe dependentem ab intentione colligendi bona ex illis: & conſequenter, quantùm eſt ex vi præſentis decreti permittendi peccata, permitterentur à Deo, licet ex illis nullum bonum eſſet colligendum. Conſequens autem eſt contra plurimos Patres & Scholaſticos, ferè nullo contradicente clamantes, quòd Deus nō permitteret peccata, niſi propter maiora bona, quæ diſponit inde colligere. Confirmatur, *Confirmatio.*
quia niſi maiorum bonorum intentio præcederet, ac veluti moueret ad permiſſionem peccatorum: ſequeretur, ea bona, quæ poſtea colliguntur, nihil conducere ad excuſandam voluntatem permittendi, quam hæretici accuſabant, vt minus bene gubernantem; atque multò minus conducere ad commendandam Dei ſapientiam, & bonitatem ex permiſſione peccatorum: contrà verò Patres, & Scolaſtici citati Dei ſapientiam & bonitatem in permiſſione peccatorum inde commendant, quia permiſit, ne impediret maiora bona, ſed illa colligeret.

Probatur tertiò, quia Deo concedendus eſt 13
modus volendi, qui conuenientior eſt eius ſa- *Permiſſio peccati propter colligenda bona conuenientior Deo*
pientiæ, bonitati, atque potentiæ, quoniam per illum magis exercetur, & oſtenditur. Eſt autem huiuſmodi velle permiſſionem peccatorum propter aliquia bona: foret enim minus conueniens eiſdem attributis, velle permiſſionem ea tantùm
Peccatorum permiſſio non foret prædeſtinationis effectus. ratione, quoniam non tenetur impedire peccata. Probatur quartò, quia peccatorum permiſſio non poſſet eſſe prædeſtinationis, nec reprobationis effectus, niſi procederet ex intentione conſequendi finem prædeſtinationis aut reprobationis: De quibus agendum erit ſuo loco.

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſ- 14
pondetur. Licet pœnitentiam, martyrium, & alia *Oppoſiti fundamenti ſolutio.*
quædam bona, Deus non amet antecedenti voluntate, ſed conſequente: non ſupponitur ad eam volitionem, præuiſio peccati tamquam abſolutè futuri, ſed conditionata ſcientia peccati, quod foret poſitis talibus circumſtantiis. Ideo potuit efficax intentio talium bonorum eſſe ratio mouens ad permittenda talia peccata: vt conſtat ex his, quæ de ſcientia conditionata dicta ſunt in tomo de ſcientia, diſputatione 62. & ſequentibus, præcipuè diſputatione 69. ſectione 10.

Adde, multa bona peruenire per Dei prouidentiam ex occaſione peccatorum, quæ tamen 15
non ſunt volita per voluntatem conſequentem, quoniam eorum bonitas non neceſſariò ſupponit peccata. Huiuſmodi ſunt Incarnatio, ſi volita fuit occaſione peccati, & feruentior Dei amor, & profundior humilitas, & propenſior ad compaſſionem affectus, & alia bona, quæ Deus multoties colligit occaſione peccatorum (vt oſtendimus præcedenti tomo de voluntate diſputatione decima nona, potiſſimùm ſectione 6.) quæ tamen omnia poſſent à Deo cauſari nullo præſuppoſito peccato.

SECTIO III.

Vtrùm Mundus foret perfectior, ſi nullum Deus permitteret peccatum.

1 *Affirmans ſententia.* AFfirmabant antiquorum aliqui, quorum ſententiam ſuppreſſo nomine refert S. Bonauent. 1. diſt. 46. art. 1. quæſt. 6. corpore. Affirmare quoque videtur Durand. 1. ſent. diſt. 46. quæſt. 2. prope finem. Vazquez in præſenti quæſtione 22. art. 2. §. 2. & diſp. 107. cap. 3. circa medium. Aliique recentiores mordicus hanc ſententiam defendunt. *Fundamentũ primum. S. Thomas.* Primum argumentum ſit authoritas & ratio S. Thomæ, 1. ſent. diſt. 46. quæſt. 1. art. 3. ad ſextum dicentis. *Quædam mala ſunt, quæ ſi non eſſent, Vniuerſum perfectius eſſet, illa ſcilicet, quibus maiores perfectiones priuantur, quàm in alio adquirantur; ſicut præcipuè eſt in malis culpæ, quæ ab vno priuant gratiam & gloriam, & alteri conferunt bonum comparationis, vel aliquam rationem perfectionis, qua etiam non habita, poſſet perfectio vltima haberi: ſicut ſine patiẽtia actu in perſecutionibus illatis poteſt aliquis ad vitam æternam peruenire. Vnde ſi nullus homo peccaſſet, vniuerſum genus humanum melius foret.*

2 *Secundum.* Secundum argumentum accipitur ex Durando citato, quia mala, poſita iuxta bona, reddunt ea commendabiliora tantùm ſecundùm apparentiam, non autem ſecundùm exiſtentiam, videlicet quatenus clariùs elucent bona comparatione malorum: ergo ſimpliciter & ſecundùm exiſtentiam non euadit vniuerſum perfectius ex permiſſione peccatorum.

3 *Tertium.* Tertium argumentum ex eodem, quia bonum, quo priuat peccatum, eſt maioris perfectionis, quàm bonum quod eius occaſione adquiritur: ergo perfectius eſſet Vniuerſum ſine peccato. Antecedens probatur, quoniam Innocentia eſt maius bonum, quàm pœnitentia & cæteræ virtutes, quas Deus affert occaſione peccati (vt oſtendimus præced. tomo de Voluntate Dei diſp. 53. ſect. 11.) ſed peccatum priuat innocentia: ergo bonum, quo priuat peccatum, eſt maioris perfectionis, quàm bonum, quod eius occaſione adquiritur. *Confirmat. 1.* Confirmatur. 1. quoniam vt ibidem probatum eſt, Deus diligit magis hominem innocentem, quàm pœnitentem: ergo pari ratione diligeret magis Vniuerſum mundum innocentem; ac proinde melior eſſet mundus innocens vniuerſus.

4 *Secunda.* Confirmatur. 2. quia non redditur pretioſior theſaurus, ſed eius diuitiæ minuuntur, ſi tollas ab eo magnam vim auri, vel pretioſiores lapides, vt detur locus argento, vel lapidibus minus pretioſis. Quin potiùs illa ſtatua, quam vidit Nabuchodonoſor Danielis 2. ſi nihil haberet æris, ferri, vel luti, ſed eadem magnitudine retenta, foret aurea à planta pedis vſque ad verticem capitis, foret multò pretioſior. Ergo ſimiliter ſi Deus ad eundem vel ad altiorem gradum gratiæ, & gloriæ totidẽ, aut plures prædeſtinatos perduceret: abſque vllo peccato, retenta ſemper innocentia, quod de facto perducit permittendo peccata: multò perfectior eſſet communitas hominum, & conſequenter eſſet perfectiùs Vniuerſum. *Confirm. 3.* Confirmatur 3. nam hic locum habere videtur limitatio Ferrarienſ. lib. 3. contra Gent. c. 71. col. 3. § *ad ſecundum*, exponentis S. Thomam, ita vt *extenſiuè* tantùm, & non *intenſiuè* ſit perfectius Vniuerſum, ſi peccata permittuntur; quoniam eius perfectio extenditur ad plura bona, ſed minora, quàm amittuntur per culpas.

Quartum argumentum. Eo bono Mũdus redditur abſolutè perfectior, quo potiſſima pars & caput totius Mundi perfectius euadit: ſed potiſſima pars & caput totius Mundi eſt natura rationis particeps, & imago Dei, videlicet, communitas Angelorum & hominum: hæc autem perfectior euaſiſſet, ſi nullus Angelorum cecidiſſet; ſimiliterque ſi primi parentes, & cæteri poſteri ſeruaſſent innocentiam, & originalem iuſtitiam: ergo Mundus foret abſolutè perfectior abſque peccato. 5 *Quartum fundamentũ.* Confirmatur 1. potiſſimæ namque Virtutes, quas Deus colligit ex permiſſione peccatorum, potuiſſent à Deo cauſari non inferiori, ſed altiori gradu perfectionis abſque peccato. Nam feruor in Dei obſequio & amore, profundiſſima diffidentia ſui & humilitas, compaſſio fragilium, gratitudo in Deum, & aliæ ſimiles in Beatiſſima Virgine, & in anima Chriſti D. perfectiſſimæ fuerunt abſque vllo peccato. *Confirm. 1.*

Confirmatur ſecundò. Nam & Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. propè medium ingenuè fatetur. *Meliorem eſſe creaturam, quæ quamuis habeat liberam voluntatem, Deo tamen ſemper infixa, numquam peccauerit.* Quod aliis verbis iterum atque iterum repetit in eodem capite, & lib. 1. contra aduerſarium Legis & Prophetarum, capite 14. poſt med. & lib. 11. de Geneſi ad litteram cap. 6. & ſequentibus. Igitur Vniuerſum fuiſſet abſolutè melius & perfectius; ſi nulla prorſus peccata committerentur, & omnes perſeuerarent in gratia, vel ſaltem ſi pauciora peccata committerentur, ac plures in gratia perſeuerarent, pluréſque fuiſſent prædeſtinati, vt peruenirent ad altiſſimum gradũ fœlicitatis æternę. 6 *Secunda. Auguſt.*

Quintum argumentum, quia ſaltem, ſi concedamus, non fuiſſe defuturum Vniuerſo, ſummum illius bonum, quod eſt Incarnatio, & omnes virtutes & perfectiones humanitatis vnitæ, nec nõ Beatiſſimæ ſemper Virginis, licet nullum committeretur peccatum: aut ſaltem ſi noſtra cogitatione Mundum præſcindamus ab illis bonis: remanebit Mundus imperfectior, vt modò eſt peccatis infectus, foret autem perfectior abſque peccatis. 7 *Quintum.*

Sextum. Illud bonum, quod Deus innata ſibi inclinatione præoptat, & antecedenti voluntate deſiderat, eſt ſimpliciter perfectius, quàm quod vult conſequenti voluntate, quaſi coactus. Sed totius Mundi perſeuerantia in gratia & obſeruatione diuinæ legis, nec non æterna gloria, eſt bonum, quod Deus vult antecedenti voluntate, iuxta illud 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri*, cum è contrario permiſſio peccati, iuſtitiæ punitiuæ exercitiũ, reprobatio, & alia bona, quæ peccatum ſupponunt, non niſi conſequenti voluntate, quaſi coactus Deus velit: ergo Mundus foret ſimpliciter perfectior, ſi omnes homines & Angeli perſeuerarent in obedientia Dei, & conſequerentur gloriam æternã. Minor ſatis cõſtat ex dictis tota diſp. 19. & 20. de volũt. Dei. 8 *Sextum.* *1. Tim. 2.*

Septimum argumentum. Quia licet Vniuerſo defuiſſet peccatum, non defuiſſent bona, quæ colliguntur ex peccato; Nam in Chriſto D. fuiſſet nihilominus animi præparatio promptiſſima ad redimendos peccatores, & ſubeundam mortem, offerendo ſe in ſacrificium Patri, ſi foret opus, ſimiliter in hominibus iuſtis fuiſſet animi 9 *Septimum.*

Digitized by Google

animi præparatio ad ſubeundum martyrium, ſi daretur occaſio ad pœnitendum, ſi peccaret ipſi, & ad puniendos alios, ſi digna ſcelera committerent. Idem intellige de aliis bonis.

10 *Octauum.* Octauum. Quod excedit perfectione ſubſtantiali & per ſe, id abſolutè perfectius eſt, quàm quod excedit perfectione accidentali & per accidens: ſed omnino reiecto peccato, mundus excederet perfectione ſubſtantiali & per ſe: nunc autem exceditur tantum accidentali perfectione & per accidens: ergo foret abſolutè perfectior mundus abſque vllo peccato. Minor traditur à S. Bonauent. & aliis Doctoribus referendis ſect. ſequenti initio.

11 *Nonum.* Nonum argumentum. Quoniam ad illas minores, & accidentarias perfectiones colligendas, ſufficerent pauciora peccata: ergo ſaltem fuiſſet mundus abſolutè perfectior, ſi pauciora peccata committerentur. Antecedens probatur, nam ad ordinem, integritatem, comparationem boni cum malo, iuſtitiæ oſtenſionem ſatis eſſent mille peccata, vel mille reprobi.

12 *Decimum.* Decimum. Licet concedamus, Deum optimo ſemper modo prouidere: non ſequitur mundum eſſe de facto perfectiorem, quàm foret, ſi nullum peccatum committeretur. Poteſt enim quandoque melior eſſe prouidentiæ modus, eo quòd ſit ſuauior & conformior rerum naturis; quamuis effectus ſequutus non ſit melior. Sicut melior eſt prouidentiæ modus, quo permittitur mors innumerabilium infantium abſque remedio peccati originalis: ſed effectus in eis ſequutus, non eſt melior.

13 Vndecimum argumentum. Quia Hierotheus & ex eo Dionyſ. capite quarto, de diuinis nominibus, tanquam inconueniens infert, quod *erit malum ad omnes*, id eſt, ad Vniuerſi perfectionem conferens. atque ita ſentire Dionyſium, quòd malum non conferat ad perfectionem Vniuerſi, notat S. Thomas ſupra quæſt. 19. artic. 9. ad 2. & alij Scholaſtici citati & citandi.

SECTIO IV.

Perfectius redditur Vniuerſum permiſſione peccatorum.

1 *Perfectior mundus per miſſione peccati.* TOT ac tam difficilibus argumentis non obſtantibus, ſit concluſio. Minùs perfectus euaſiſſet mundus; ſi nulla permitterentur peccata: nunc autem euaſit perfectio occaſione peccatorum. Hæc eſt communis ſententia Scholaſticorum. Eam docet ſanctus Thomas in præſenti quæſtione 22. articulo ſecundo, ad ſecundum, & infrà quæſt. 48. artic. 2. ad 3. & libro 3. contra Gentes, capite 71. præcipuè num. 5. & de potentia quæſt. 3. artic. 6. ad 4. Quibus conſonat lib. 1. ſentent diſt. 44. art. 2. ad 5. & 1. parte quæſt. 49. art. 2. corpore. Fuſiùs eandem concluſionem docent Alexand. prima parte quæſtione 38. mem. 4. initio, & art. 1. & q. 40. memb. 3. Albertus 1. parte quæſt. 27. de malo membro 5. ad 1. & quæ. 67. memb. 1. col. 2. & 3. & lib. 1. ſentent. diſt. 44 apud Carthuſianum citandum, S. Bonauent. 1. diſt. 46. art. 1. quæſt. 6. corpore, Ricardus eadem quæſtione & articulo, Carthuſianus cum Ægidio & aliis eadem diſtinctione 46. quæſtione tertia. Caiet. prima parte quæſt. 22. articulo ſecundo circa ſolutionem ſecundi argumenti, vbi quidam alij expoſitores ſatis ſignificat eandem concluſionem; Marſilius lib 1. quæſt. 46. art. 1. Ferrarienſ. autem lib. 3. contra Gent. cap. 71. col. 3. §. *ad ſecundum*. limitat, vt modò Mundus ſit perfectior *extenſiuè*, ſed ſine peccatis fuiſſet *intenſiuè* perfectior.

Probatur 1. quia Deus de facto ſemper & infallibiliter eligit, & facit opus, quod eſt ſimpliciter optimum comparatione totius Vniuerſi: ſed elegit de facto Vniuerſum, in quo permitterentur peccata, vt illorum occaſione colligeret maiora bona: Hoc igitur Vniuerſum eſt optimum, & conſequenter eſt perfectius, quàm foret, ſi Deus nulla peccata permitteret. Maior & Minor conſtant ex præcedenti tomo de Voluntate Dei tota diſputatione nona, & decima. Quapropter omnia ferè teſtimonia Scripturæ, Patrum, & Scholaſticorum ibi ponderata, poſſent adduci ad probationem iſtius concluſionis. 2 *Probatio prima, quia Deus elegit optimum.*

Secundò probatur ex Eccleſiaſte capite tertio. *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum; non poſſumus eis quidquam addere, vel auferre, quæ fecit Deus vt timeatur.* Id autem non ſolùm intelligitur de additione ſecundùm rem, ſed etiam de additione ſecundùm inuentionem & cogitationem, ita vt nihil melius, aut ſapientius cogitari vel dici poſſit: cùm igitur ita prompta, frequénſque cogitatio mentibus hominum incideret, de remouendis culpis, addendáque perſeuerantia virtutis, qua Mundus redderetur perfectior: conſequens eſt præcipuam intentionem Eccleſiaſtes dirigi ad has cogitationes comprimendas. 3 *Eccleſiaſt. 3.*

Ideo Olympiodor. tomo 1. Biblioth. in eius loci commentario. *Sciendum*, inquit, *eſt, hæc, quæ videntur, eſſe veluti ſymbola ſpiritualium rerum. Quare ſi finem ſpectes, ob quem facta ſunt, omni prorſus carent defectu.* Finis autem oſtenditur illis verbis: *Quæ fecit Deus vt timeatur*, nimirum, veneratione, admiratione, & reuerentia diuinæ ſapientiæ, bonitatis, & omnipotentiæ, ne quis audeat non modò reprehendere, ſed neque minùs perfectum putare, quàm quod occurrerit ipſius ingeniolo. 4 *Olympiodor.*

Sapienter igitur Auguſt. lib. 1. contra aduerſarium legis & Prophetarum cap 14. poſt medium ait: *Quibus autem videtur, ſic hominem fieri debuiſſe, vt peccare nollet, non eis diſpliceat ſic eſſe factum, vt non poſſet peccare, ſi nollet. Numquid enim, ſi melior eſſet, qui non poſſet peccare, ideo non bene factus eſt, qui poſſet & non peccare? Aut verò vſque adeo deſipiendum eſt, vt homo videat, melius aliquid fieri debuiſſe, & hoc Deũ vidiſſe non putet, aut putet vidiſſe, & credat facere noluiſſe, aut voluiſſe quidem, ſed minimè potuiſſe? Auertat hoc Deus à cordibus piorum.* Hic ſcilicet eſt modus quo Eccleſiaſtes dixit: *Nec poſſumus eis quidquam addere vel auferre.* Confirmatur etiam vt idem Auguſtinus ait lib. de Quantitate animæ capite trigeſimo tertio explicans quartum gradum animæ in fine: *Dei iuſtitia factum eſt, vt non modò ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, vt omnino meliùs eſſe non poſſint.* Poſſunt autem eſſe ſine peccato; ergo non eſſet meliùs, ſi omnia eſſent ſine peccato. 5 *Auguſt.* *Sic habet.*

Tertiò probatur Eccleſiaſtici cap. 33. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo, & vnum contra vnum.* Mens enim Eccleſiaſtis fuit, inde commendare perfectionem diuinorum operum, 6 *Eccleſ. 33.*

quia non tantùm inter homines, ſed etiam inter alias res contrarietas inueniatur ad perfectionem Vniuerſi. Quod ita ponderauit Auguſtin. lib. 11. de Ciuit. c. 18. initio. *Nec enim Deus vllum non dico Angelorum, ſed vel hominum crearet, quem malum eſſe futurum præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret; atque ita ordinem ſæculorum tamquam pulcherrimum carmen etiam ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret.* Poſitis autem exemplis oppoſitorum, adiungit: *Sicut ergo iſta contraria, contrariis oppoſita, ſermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur. Apertiſſimè hoc poſitum eſt in libro Eccleſiaſtico, hoc modo: contra malum bonum eſt, &c.* Notandum eſt autem nomine *ſæculi*; & *ordinis ſæculorum*, ſignificari creaturarum Vniuerſitatem ad cuius pulchritudinem dicit, etiam eos Angelos aut homines pertinere, quibus obſtinatio permittitur, & redditur æterna damnatio. Huc etiam pertinet elegans & copioſa contrariorum enumeratio, tam in naturalibus, quàm in moralibus ac liberis, ſiue bonis, ſiue malis, quam ad prouidentiæ diuinæ laudem proponit Clemens Romanus lib. 8. Recognition. quatuor paginis ante finem.

Auguſtin.

7 Confirmatur 1. nam vt idem Auguſt. ait in Enchirid. cap. 10. & 11. *Ex omnibus conſiſtit Vniuerſitatis admirabilis pulchritudo. In qua etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatum & ſuo loco poſitum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant & laudabiliora ſint, dum comparantur malis. Nec enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur, rerum cui ſumma poteſtas) cum ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* Compara priora verba cum poſterioribus, vt videas etiam agere de malo culpæ comparatione totius Vniuerſitatis, vt maior in ea pulchritudo conſurgat. Quod recipitur à Magiſtro & communiter Scholaſticis 1. ſen. diſt. 46. cap. *Quod verò.* Clariùs autem ſuam mentem expreſſit Auguſt. infrà ca. 27. dicens: *Melius enim iudicauit, de malis, bona facere, quàm mala nulla eſſe permittere.*

8 Confirmatur ſecundò. *Quamuis enim ea, quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt, non ſint bona: tamen vt non ſolùm bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, vt eſſent & mala, nullo modo eſſe ſinerentur ab omnipotente bono.* Quod ab Auguſtino dictum in Enchiridio capite 96. de permiſſione peccatorum rectè declaratur à Magiſtro, & communiter Scholaſ. 1. ſentent. diſtinctione 46. capite *Quæ enim.* Conſequens igitur eſt eſſe bonum, vt Deus, non modò faciat bona, ſed etiam permittat ab hominibus & dæmonibus fieri mala. Hoc autem non eſſet abſolutè bonum, ſi minueret abſolutè decorem & perfectionem diuinorum operum: eſſet enim malum, qua ratione perfectionem ſimpliciter minueret.

Mala eſſe, bonum eſt.

9 Probatur quartò, quia comparatione cuiuſcumque totius integritas omnium partium, ac virium & potentiarum eſt maior perfectio, quàm multiplicatio, vel augmentum præſtantiorum partium, aut potentiarum, deficientibus illis, quæ minùs perfectæ ſunt; ſed quædam partes ac potentiæ minùs perfectæ deficerent Vniuerſo, ſi non permitterentur peccata: ergo comparatione Vniuerſi talium partium ac potentiarum integritas eſt maior perfectio, quàm multiplicatio, vel augmentum gratiæ, vel donorum, quæ forent ſublato peccato.

Perfectio totius quoiu.

10 Ponderat hanc rationem Auguſtin. variis in locis. Nam libro tertio de libero arbitrio capite quinto, non longè à principio, ſic vrget accuſatorem diuinorum operum: *Illud quoque moneo, caueas, ne fortè non dicas quidem, meliùs fuiſſe, vt non eſſent, ſed dicas aliter fieri eas debuiſſe* (videlicet animas abſque peccato debuiſſe fieri.) *Quidquid enim tibi vera ratione, meliùs occurrerit, ſcias feciſſe Deum tamquam bonorum omnium conditorem. Non eſt autem vera ratio, ſed inuida infirmitas, cùm aliquid meliùs faciendum fuiſſe cogitaueris, iam nihil aliud inferiùs velle fieri, tamquam ſi perfecto cælo, nolles terram factam eſſe vnquam omnino.*

Auguſtin.

11 Inferiùs autem oſtenſis plurimis vtilitatibus, & pulchritudinibus terræ, demonſtrat fuiſſe meliùs, non repleri totum Vniuerſum cœli ſubſtantia, ſed in eo terram quoque produci. Vnde repetit: *Nec enim tu potes aliquid meliùs in creatura cogitare; quod creaturæ artificem fugerit.* Et paulò inferiùs: *In eo pleriſque homines errant, quia meliora cum mente conſpexerint, non in ſedibus congruis ea oculis quærunt. Velut ſi quiſquam perfectam rotunditatem, ratione comprehendens, ſtomachetur, quod talem in nuce non inuenit.* Quod exemplum & alia præſenti rationi coaptat.

12 Idem lib. 11. de Geneſ. ad litt. poſtquam in capite ſeptimo, initio & in medio *conceſſit, meliorem eſſe naturam, quæ omnino peccare nolit,* ſequenti capite octauo ſub init. eorum ſtultitiam, qui dicebant: *Talem faceret hominem, qui nollet omnino peccare*, ita redarguit: *cùm æquare volunt genera bonorum, numerum minuunt, & immoderatè augendo vnum genus alterum tollunt. Quis autem eos audiret, ſi dicerent, quoniam excellentior ſenſus eſt videndi, quàm audiendi, quatuor oculi eſſent, & aures non eſſent? ita ſi excellentior eſt creatura rationalis, quæ Deo ſubditur, &c. Quis rectè intelligens dicat, talis eſſet iſta, qualis illa, nec videat ſe nihil aliud dicere, quàm non eſſet iſta ſed ſola eſſet illa?* Eandem rationem repetit capite decimo, quibus conſonat libro primo contra Aduerſarium legis & Prophetarum capite decimo quarto, & libro de natura boni, capite trigeſimo ſecundo, 33. & 37.

13 Vniuerſale verò fundamentum, videlicet, ad perfectionem Vniuerſi pertinere, vt non excludantur minora, propter multiplicanda, ſeu amplificanda maiora bona, tradit etiam libro octoageſimo tertio quæſtionum, quæſtione quadrageſima prima, quadrageſima ſecunda, & 53. & lib. 11. de Ciuit. cap. 22. vbi potiſſimùm eſt notandum exemplum ſupercilij. *quod ſi radatur, quàm prope modum, nihil corpori, & quàm multum detrahitur pulchritudini.*

Non excludenda minora, vt multiplicentur maiora.

14 Quintò probatur; nam Auguſtinum alij Patres nonnulli ſequuntur inter quos Hugo Victorin. de Sacramentis fidei lib. 1. part. 4. cap. 23. parum à principio. *Non debes, ait, in compenſatione minoris boni, impedire quod maius eſt bonum ab illo, qui optimus eſt. Et diximus quod maius bonum eſt eſſe bonum ex malo & bono, quam ex ſolo bono. Permitti itaque mala debuerunt, vt eſſent; quoniam vt eſſent, id bonum erat, ex quibus bonum futurum erat.* Bonum erat, vt eſſent mala, intellige, permiſſionem

Hug. Vict.

Peccata per-mittere bo-num eſt.

nem illorum eſſe bonum. Dicit autem princi-pium iſtius ratiocinationis à cap. 17. in quo & ſe-quentibus oſtendit, eſſe maius bonum vniuerſa-le, quàm id quod in parte conſtat; atque vniuer-ſale bonum procedere non ſolùm ex his, quæ per ſe bona ſunt, ſed etiam ex his, quæ in ſe ipſis non ſunt bona, ſed ex illis colliguntur bona.

Durius lo-quitur Hugo.

15 Duriùs, quàm par erat loquitur Hugo tam in illis capitibus, quàm in ſumma ſent. tract. 1. ca. 13. eum dicit, Deum velle, vt ſint mala, quod im-pugnatum eſt tomo præcedenti de Volontate Dei diſp. 26. ſect. 2. Nunc autem accipimus ex eo cap. quod verum eſt, ait enim paulo poſt med. *Quid enim melius eſt eſſe, an ea, quæ ſunt bo-na in ſe tantùm, an ea, quæ & ſi non ſunt bona in ſe, tamen ad aliud ſunt bona?* Loquitur autem de pec-catis. Et ad finem eiuſdem capitis rationé red-dens, ob quam aliquibus hominibus præcipit Deus ea, quæ non vult efficaci voluntate ab illis impleri, ait. *Licet bonum ſit iſti quod præcipitur ei, non tamen bonum Vniuerſitati: & quod prohibe-tur, licèt illi malum ſit, bonum eſt vniuerſitati. Et quia maius bonum eſt, quod totius, quàm quod partis eſt; & minus malum, quod vnius partis, & maius quod totius: ideo quod bonum eſt vni, & non vni-uerſitati, non vult eſſe: & quod malum eſt vni, & bonum vniuerſitati, vult eſſe;* (ſcilicet ſola volunta-te permittendi) *ne bonum vniuerſitatis impediatur. Nihil enim fit, quod vniuerſitati bonum non ſit: quamuis iudicia Dei nobis occulta ſint.*

16 Anſelmus in Elucidario columna quarta de malis angelis ita loquitur: *Cum Deus præſciret eos tales futuros, quare creauerit eos. Propter or-natum ſui operis, vt enim Pictor nigrum colorem ſubſternit, vt albus vel rubeus pretioſior ſit, ſic collatione malorum iuſti clariores fiunt.* Et longè inferiùs multò propiùs ad medium quàm ad principium. *Quidquid mali, vel peccati agitur, to-tum in laudem Dei vertitur, & ideo in omni creatu-ra Dei nihil mali eſſe, vel fieri comprobatur*, nimi-rum prout eſt creatura Dei.

Humana voluntatis ſuauior gu-bernatio per-miſſione pec-catorum.

17 Sextò, quia ſuauiùs gubernatur hóminum libertas permittendo peccata, quàm ſi nulla per-mitterentur. Quia licet ad ſtatum vltimæ fœli-citatis & patriæ conuenientior ſit confirmatio in bono; nihilominus ad ſtatum viatorum fuit conuenientius communiter omnes (pauciſſimis exceptis) eſſe relictos in manu conſilij ſui cum indifferentia non ſolùm phyſica, ſed etiam mo-rali tam ad bonum, quàm ad malum. Hæc enim indifferentia naturalis eſt, nec niſi ſupernatura-liter confirmatur in bono. Quæ ratio valdè con-firmabitur ſect. ſequenti ſolutione ad 9. argu-mentum.

Deficiente peccato In-carnatio de-ficeret.

18 Septima ratio ſit, quia ſi peccatum non per-mitteretur; defuiſſet vniuerſo ſummum bonum Incarnationis: vel ſaltem defuiſſet ſummum bo-num oſtenſionis perfectiſſimæ omnium attribu-torum, perfectiſſimum exercitium omnium vir-tutum, excellentiſſimúmque ſacrificium Deo pro nobis oblatum, quæ omnia per mortalem vi-tam, & paſſionem Chriſti Domini conſummata ſunt. Conſequenter autem defuiſſet Vniuerſo Beatiſſima ſemper Virgo: defuiſſent etiã abun-dantiora dona gratiæ, multis hominibus ea oc-caſione collata, vt vbi abundauit delictum, ſu-perabundaret & gratia, idque propter infini-ta merita Redemptoris & ad eius gloriam ac-cidentalem augendam. Quam rationem Scho-laſtici ſuprà citati non immeritò corroborant verbis Gregorij. *Fælix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem.* Gregorius.

19 *Vniuerſum diuinarum perfectionum ſpeculum.*

Octaua ratio conſiderat Vniuerum prout eſ-ſentialiter deſtinatur ad oſtendenda Dei attribu-ta, & augendam eius gloriam, tanquam ſpecu-lum, in quo reluceãt diuinæ perfectiones. Quem-admodum igitur vitreum ſpeculum ſtanno ter-minatum & opacatum, perfectius eſt in ratione ſpeculi, quàm foret argenteum, vel aureum ſpe-culum, etiam pretioſis lapidibus ornatum; idque non obſtante viliori pretio vitri, & ſtanni: ſic etiam Vniuerſum quoniam eſſentialiter, atque potiſſimùm eſt deſtinatum, vt ſit ſpeculum diui-narum perfectionum, tantò perfectius eſt, quan-tò melius earum ſimilitudines reddit huma-nis mentibus. At multò meliùs eas reddit, qua-tenus vmbra peccatorum terminat & opacat creaturarũ virtutes capaces luminis & ſplẽdoris.

20 *Deus occaſione peccatorum melius ſuas perfectiones oſtendit.*

Imprimis enim occaſione peccatorum Deus meliùs oſtendit ſupremum dominium ſuorum donorum, debilitatem humanarum virium, gra-tiam ſummopere gratuitam, eximiam miſericor-diam, patientiam, longanimitatem, clementiam, amorem virtutis, odium peccati, iuſtitiam diſtri-butiuam, & punitiuam, ac præ cæteris omnibus eximiam potentiam, ſapientiam, & bonitatem, quæ ſciat, velit, ac poſſit, ex malis bona collige-re, quámque nulla malitia vincere poſſit. Hæc attributa ſingula clariùs oſtendi reproborum occaſione, fusè probabitur, quando fuerit expo-nenda cauſa reprobationis in generali, tomo ſeq.

21 Nunc verò, quod iſtam prædeſtinatorum peccata ſint occaſio manifeſtandi magis attribu-ta Dei, canit Eccleſia dicens: *Deus qui omnipoten-tiam tuam parcendo maximè, & miſerando manife-ſtas.* Petrus Chryſologus ſermone 97. de parabo-la zizaniorum poſt med. *Maius*, inquit, *eſt repara-re perdita, quàm illæſa reſeruare.* Auguſt. 8. confeſ-ſionum cap. 4. poſt medium. *Plus*, inquit, *hoſtis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures te-net.* id eſt in eo, qui grauioribus peccatis tenetur, & qui pluribus eſt ſcandalum, & occaſio pec-candi, quando conuertitur ad Deum plus vin-citur diabolus. Dominium autem ſimul & poten-tia manifeſtatur, Sapientiæ 12. *Ob hoc quod om-nium Dominus es omnibus te parcere facis*, & poſt pauca: *Tu autem dominator virtutis cum tranquil-litate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos; ſubeſt enim tibi cùm volueris, poſſe.*

Chryſologus. *Auguſt.* *Sapient. 12.*

SECTIO V.

Argumentorum ſolutione roboratur & amplia-tur concluſio præcedentis ſectionis.

1 *Ad primum.*

AD argumenta poſita in ſect. 3. reſpondetur. Ad 1. cum ex aliis locis adductis ſect. præ-præced. pro concluſione ſatis conſtet, S. Tho-mam rectè ſenſiſſe de maiore perfectione Vni-uerſi, reſultare ex permiſſione peccatorum; di-cendum eſt, vel ſententiam mutaſſe, vel potiùs in eo loco tantum non voluiſſe, quod Vniuerſum genus humanum foret perfectius; ſi omnes pro-pria ſponte relicti communi prouidentiæ non peccaſſent, ſicut dicitur in ſolutione ad 6.

2 *Ad ſecũdum. Mala iuxta bona poſita reddunt ea commenda-biliora.*

Ad ſecundum reſpondetur Mala, iuxta bona poſita, reddunt ea commendabiliora non tantùm ſecundùm apparentiam, ſed etiam ſecundùm exiſtentiam duplici ratione. Prima eſt, quoniam ipſamet apparentia conducit ad exiſtentiam, qua-tenus melior cognitio, ſuauiori modo cõparatur experimento, per quam penetratur profundiùs

debilitas virium humanarum, neceſſitas gratiæ, dignitas & excellẽtia virtutis ob difficultatem & victoriam ac ſublimitatem virtutis Dei, ſeruantis theſaurum in vaſis fictilibus; ex qua profundiori notitia, plerique alij conſequuntur effectus, eo ipſo pertinentes ad perfectionem Vniuerſi, quoniam hominem perficiunt, quantùm ad virtutes intellectus & voluntatis. Secunda ratio eſt, quoniam alia pleraque bona colliguntur independenter à relucentia, quæ conſurgit ex collatione bonorum cum malis. Cuiuſmodi ſunt Redemptio, oſtenſio diuinæ miſericordiæ, iuſtitiæ, & clementiæ, martyriũ, pœnitentia, fidei, & ſpei & eximiæ charitatis exercitia, cæteraque permulta.

3 *Ad tertium. Innocentia ſecundùm ſe melior pœnitentia.*

Ad 3. negatur antecedens, & ad eius probationem reſpondetur. Innocentia, ſecundùm ſe conſiderata, maius bonum eſt; cæterum in ordine ad Vniuerſum, & ad eius integritatem, ſuauitatem, ordinem, ac proportionem, maius bonum eſt collectio multarum virtutum & donorum, quæ non eſſent, niſi ſuppoſito peccato propter rationes dicendas ad argumentum quartum.

4 *Soluitur confirmatio prima.*

Ad 1. confirmationem conſequentia negatur. Ratio diſparitatis eſt, quoniam Vniuerſum, ſiue Mundus conſtituitur collectione rerum omnium: vnde fit ad eius integritatem pertinere quaſlibet res, & quaſlibet virtutes etiam minùs perfectas. Quæ tamen non pertinent ad integritatem vniuſcuiuſque hominis ſingularis, quoniam nullus hominum conſtituitur collectione rerum omnium. Adde diſcrimen aliud, quoniam homo deficiens ab innocentia per peccatum, totus redditur deterior, & odio dignus, nec poſſumus aſſignare partem aliquam hominis, quæ reddatur perfectior occaſione peccati, quamdiu peccatur. Mundus autem plurimis partibus conſtat, quarum aliquæ perfectiores redduntur occaſione peccantium. Denique Mundus non peccat, ſed hic aut ille homo in Mundo: ideò comparatione Mundi minus malum eſt peccatum, quo tollitur innocentia huius vel illius hominis, comparatione cuius eſt ſummum malum, quoniam ipſe eſt, qui peccat.

5 *Soluitur 2. Duplex genus rerum, & partium.*

Ad ſecundam confirmationem Reſpondeo, Negando conſequẽtiam & ſimilitudinem. Conſtabit autem diſſimilitudo, ſi diſtinguas duo genera rerum, quorum aliud non exigit plures partes heterogeneas, ſiue diuerſæ rationis; cuiuſmodi ſunt corpora inanimata & ſtatua illa, quæ proponitur vt exemplum in argumento. Talia namque corpora nec perfectiora redduntur, nec pretioſiora per additionem rerum minoris valoris & perfectionis; ſi per illas excluditur aliæ res maioris valoris & perfectionis. Aliud genus rerũ eſſẽtialiter exigit plures partes heterogeneas: cuiuſmodi sũt omnia viuẽtia, & potiſſimũ animalia. His enim perfectio creſcit additione partiũ minùs nobiliũ: redderentur autẽ monſtroſa, turpia, & imperfectiſſima; ſi partes ignobiles detraherentur, licet maior quantitas adderetur de nobilioribus partibus. Foret enim turpiſſimus & imperfectiſſimus equus, ablatis pedibus, licet Deus eorum loco multiplicaret quatuor, vel plura capita, vel vnicum caput decuplo maius tribueret. In quo non ſolùm defectus pedum, ſed etiam capitis magnitudo propter ſe ſolam, pugnaret contra perfectionem & pulchritudinem; quoniam deficeret à debita ſimmetria & proportione, cum cæteris partibus.

6 Quin etiam in rebus artificialibus idem intueri licet. Nam ſi rotundam figuram præferens quadratæ, velis omnes lapides in ædificio ponere rotundos, nihil efficies; ſi autem velis ſaltem eos lapides, qui veſtibuli ſuperficiem ornant, eſſe rotundos, aut nullum eſſe lapidem angularis figuræ; totam ædificij pulchritudinem confundes. Nunc igitur quoniam Vniuerſum eſt illa res, quæ ſupra cunctas poſſibiles eſſentialiter exigit omnes partes diuerſæ rationis: multum decoris ac perfectionis illi detraxiſſet Deus; ſi detraxiſſet eas perfectiones, quæ ſupponunt peccata, quamuis alias perfectiones incomparabiliter maiores augeret, aut multiplicaret. Quin etiam earum multiplicitas, & augmentum, quoniam eſſet incommenſuratum, & improportionatum cæteris partibus Vniuerſi, tantò redderet turpius Vniuerſum quanto maius eſſet.

Mundus partes diuerſæ rationis exigit.

7 *Soluitur 3.*

Ad tertiam confirmationem ſolutio conſtat ex dictis. Illa namque limitatio Ferrarienſis eſt contra veritatem, & contra mentem S. Thomæ. Nam apud illum (ſicut etiam apud Auguſtinum locis citatis in ſectione præcedenti) bonorum omnium integritas non modo maiorum, ſed etiam minorum, eſt abſolutè maius bonum Vniuerſo ſimiliter maius bonum eſt ordo, & commenſuratio proportionata bonorum; quàm improportionatum augmentum eorum, quæ ſunt maiora bona. Sic enim non eſſet *intenſiuè* perfectior equus, habens quatuor oculos ſine auribus; ſed abſolutè dicendus eſſet imperfectior, quàm habens duos oculos, & duas aures; licet aures ſint oculis imperfectiores.

Oculi auribus perfectiores.

8 *Ad quartum.*

Ad quartum reſpondetur. Primò diſtinguendo Maiorem. Mundus enim eo bono redditur abſolutè perfectior, quo potiſſima pars, & caput illius euadit perfectior, ſeruata proportione & commenſuratione cum cæteris partibus, & retenta integritate cunctarum partium Vniuerſi. Cæterùm ſi deſit integritas, aut commenſuratio, Mundus erit abſolutè minùs perfectus, licèt illius caput euadat perfectius, prout conſideratur per ſe ſolum. Reſpondetur 2. Maior Mundi perfectio prout eſt opus Dei, eſſentialiter conſiſtit in eo, quod perfectiorem afferre poſſit notitiam diuinorum attributorum. Hæc autem notitia foret imperfectior (quantùm eſſet ex parte diuinorum operum, excitantium ad illam) ſi nullos Angelorum, aut hominum peccauiſſet, omnibus in Dei obedientia perſeuerantibus: ſicut explicatum fuit ad finem præcedentis ſectionis.

Mundi maior perfectio in quo poſita.

9 *Ad primam confirmationem.*

Ad primam confirmationem reſpondetur. Illæ virtutes per ordinariam prouidentiam, magis conformem humanis mentibus & affectibus, non potuiſſent à Deo cauſari, niſi in gradu inferiori: nec expedit extra ordinariam & magis ſuperiorem, ac ſuperabundantem gratiam, niſi rariùs communicari. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur. In eiſdem locis Auguſtinus docet eſſe melius, atque perfectius creari ſubſtantiam vtramque non ſolùm illam, quæ numquam peccauerit, ſed etiam illam, quæ præſciebatur, eſſe peccatura. Verba Auguſtini poſuimus ſectione præcedenti probatione quarta.

Ad ſecundam.

10 *Ad quintum.*

Ad quintum reſpondetur. Etiam dato caſo, quod Verbum incarnaretur, licet nullum peccatum committeretur, & omnes illæ perfectiones communicarentur Mundo: nihilominus defuiſſent aliæ perfectiones, quæ ſupponunt peccata & pertinent ad integritatem Vniuerſi, & ad eius decorem, ordinem pulchritudinem, oſtenſionem maiorem

maiorem, attributorum, magis ſuauem, & magis accommodatam rerum naturis gubernationem; vt probatum eſt ſectione præcedenti.

11 *Ad ſextum. Qua ratione antecedentis voluntatis obiectum ſit optimum.* Ad 6. Maior eſt abſolutè vera, ſed indiget explicatione, qua falſitatis illatio caueatur. Quod enim Deus innata ſibi inclinatione, atque voluntate antecedente præoptat, illud eſt ſimpliciter perfectiùs & melius, præcisè prout obtineri poſſet per media, quæ per antecedentem voluntatem offeruntur. Nihilominus quod vult conſequenti voluntate, ſimpliciter eſt perfectius, & melius ex ſuppoſitione, quod non obtinetur obiectum voluntatis antecedentis per ea media, *Conſequens voluntas qua ratione coacta.* quæ ſola vult offerre. Nec alia ratione quaſi coacta dicitur voluntas conſequens; niſi quatenus ex ſuppoſitione reſiſtentiæ libertatis humanæ, ſimpliciter melius eſt ea facere, quæ ſunt obiecta voluntatis conſequentis. Quapropter ſicut Deus innata ſibi propenſione per antecedentem voluntatem præoptat omnium hominum & Angelorum perſeuerantiam in obſeruatione diuinæ legis, necnon æternã gloriam; ſed non aliter, niſi prout obtineri poteſt hic finis per media, quæ Deus offert, permittendo liberam reſiſtentiam illorum, qui voluerint reſiſtere: ita ſimpliciter perfectius, & melius eſt eorum reſiſtentiam & peccata permittere, ex ſuppoſitione quod liberè ſe determinant ad illa; & ex illis peccatis maiora bona colligere per voluntatem conſequentem: ad quam propterea quaſi compulſus adigitur Deus, quoniam hoc eſt melius bonum ex ſuppoſitione culparum, quas ipſe vellet potiùs non committi, propterea que prohibet, ac pœnas minatur.

12 *Ad ſeptimũ.* Ad ſeptimum reſpondetur. Licet non defuiſſent habitus illarum virtutum, neo actuales animi præparationes ad illos exercendos, ſi daretur occaſio: nihilominus defuiſſent proprij & abſoluti actus illarum virtutum, & conſequenter illarum perfectio ſumma defuiſſet. *Virtutum ſumma perfectio.* Etenim ſumma perfectio virtutum conſiſtit in actuali operatione; proptereàque fœlicitas in operatione conſiſtit vt oſtendit Ariſt. lib. 1. Ethicor. cap. 7. à medio, & lib. 12. Metaphyſic. capite 7. in medio.

13 *Ad octauum.* Ad octauum reſpondetur. Maiorem abſolutè falſam eſſe. Quamuis enim aliquod animal, v. g. equus, excedat alium additione materiæ & formæ ſubſtantialis; ſi tamen captus ſit oculis, auribus, aliiſque potentiis, ac deſtitutus conuenientibus diſpoſitionibus accidentalibus; erit multò imperfectior, quàm alter habens minus materiæ ac formæ ſubſtantialis, præditus autem debitis potentiis ac diſpoſitionibus.

14 *Ad nonum. Tantorum peccatorum permiſſio ad colligenda maiora bona neceſſaria.* Ad nonum reſpondetur. Quamuis ad aliqua bona colligenda ſufficerent pauciora peccata, paucioréſque reprobi: nihilominus ad colligenda plura & maiora bona, neceſſarium fuit tot, ac tanta peccata permittere. Quod probatur primò, quoniam ante Incarnationem Verbi neceſſarium fuit tanta, támque diuturna colluuione ſcelerum fuiſſe manifeſtatam euidentiùs humanarum virium infirmitatem, & ſummam humani generis miſeriam, atque indignitatem illius ad recipiendam gratiam, quo faciliùs & profundiùs cognoſceretur & amaretur beneficium Redemptionis, iuxta illud ad Galat. 3. *Galat. 3.* *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur.* Cuius rationis & earum, quæ cum illa cohærent, plurima Patrum teſtimonia poſuimus in tomo de ſcientia Dei diſputatione 66. ſectione ſecunda.

Secundò, quia prauorum & infidelium hominum multitudo prærequiritur ad frequentes, ac rigidiſſimas perſecutiones, & tormenta Sanctorum, & ad vehementiores tentationes, ac difficultates, retrahentes à virtute, quarum victoria ſit excellentioris fortitudinis & conſtantiæ. Vehementiſſima namque tentatio, difficultáſque conſurgit ex tanta multitudine infidelium, & iniquorum, impune peccantium in hoc ſæculo, atque diuitiis eorum & poteſtate contra fideles, & iuſtos inſultantium. Cum enim humana ignorantia pœna ſit, & vehementer propenſa, vt inſtar pecorum, ſequatur multitudinem, & amet illi placere, & cum illa verſari pacificè; requiritur eximia fidei lux, & conſtantia, vt ab impiorum multitudine recedat. Diximus alias rationes tomo præcedenti de voluntate Dei, diſputat. 10. ſect. 8. & dicemus ſuo loco tractantes rationem reprobandi tantam multitudinem hominum, tomo ſequenti. 15

Ad decimum reſpondetur. Licet ex optimo prouidentiæ modo circa vnam, aut alteram partem Vniuerſi ſeruato, non ſequatur illam partem eſſe perfectiorem in ſe ipſa: nihilominus ex optimo prouidentiæ modo, ſeruato circa totum Vniuerſum rectè ſequitur, Mundum eſſe perfectiorem: quoniam infinita ſapientia atque omnipotentia Dei, nouit, & poteſt, ſuauitatem & conformitatem cum rerum naturis ita temperare, vt non impediat, ſed potiùs promoueat, & augeat perfectionem Mundi totius, quoad integritatem & ordinem omnium bonorum, quorum collectione conſtituitur: ſicut probatum eſt. Erit autem illa prouidentiæ modus optimus, qui has omnes perfectiones fuerit aſſecutus. Adde quod ipſe modus prouidendi ſuauior & melior, numerari poteſt inter effectus prouidentiæ, quibus Vniuerſum redditur perfectius. Modus enim conſeruandi & gubernandi creaturas, eſt modus operationis tranſeuntis, receptus in ipſis creaturis, ideóque perficit Vniuerſum. 16 *Ad decimũ.* *Qui modus prouidentiæ optimus.*

Ad vndecimum reſpondetur. Peccatum ad Vniuerſi perfectionem pertinet, non per ſe, ſed omnino per accidens, contra ſuam innatam inclinationem ad oppoſitum ſibi finem retortum per Dei omnipotentiam. Atque ita communiter Scholaſtici locis citatis in præcedentibus ſectionibus intelligunt prædictam ſententiam Dionyſij. Permiſſio verò peccati bona eſt, & per ſe conferens ad perfectionem Vniuerſi, vt oſtendimus præcedenti tomo de voluntate Dei diſp. 26. ſect. 6. & 7. Vnde Dionyſius in eodem capite 4. propè finem efficaciter probat, meliorem eſſe prouidentiæ modum, quo peccata permittuntur, & conuertuntur ad priuatum vel communem vſum Vniuerſi: cuius verba retulimus alibi. 17 *Ad vndecimum. Peccatum per accidens Vniuerſum perficit.*

SECTIO VI.

Materiales actiones peccatorum peculiari modo ſubijciuntur diuinæ prouidentiæ.

MODVS, quo diuina prouidentia gubernat materiales actiones peccatorum, medius eſt inter gubernationem cæterarum creaturarum, & gubernationem malitiæ, ſiue formalis rationis peccati. Quamuis enim cum omnibus conueniat præſcientia materialium actionum, ſiue ſub eſſe poſſibili, ſiue quantùm ad actualem 1 *Modus gubernãdi materiales actiones peccatorum medius.*

Digitized by Google

exiſtentiam, & contingentem veritatem, tam abſolutæ, quàm conditionatæ futuritionis (nihil enim eſt bonum aut malum, poſitiuum aut negatiuum, neceſſarium, aut contingens, quod diuinam ſcientiam effugiat) nihilominus volitio, & imperium quibus conſtat prouidentia Dei, circa materiales actiones peccatorum, quantum ab aliqua, conuenit magis cum modo prouidendi cæteris creaturis ſimpliciter bonis: quantùm ad alia tamen ſimilior eſt modo prouidendi & gubernandi formalem rationem malitiæ.

2 *Conueniunt prouidentia malorum, & bonarum actionum. Primò.*

Dico igitur primò. Cum modo prouidendi creaturis ſimpliciter bonis, conuenit prouidentia materialium actionum prohibitarum, quantùm ad ſequentes conditiones. Primò, quoniam diuina prouidentia per ſe poſtulat, offerre concurſum, paratum ad omnem actionem liberam non excipiendo materiales actiones peccatorũ. Hunc autem concurſum Deus offert, ſuppoſita præſcientia, qua certiſſimè prænouit, quænam actiones, illo dato, forent eliciendæ, inſuper poſitiuè atque directè intendens, concurrere ad omnem actionem, qua ratione actio eſt: vt explicuimus præcedenti tomo de Voluntate Dei, diſputat. 50. ſect. 2. & 3.

3 *Secundò.*

Secundò conuenit in eo quod diuina prouidentia per ſe poſtulat actualiter concurrere ad eas actiones ex ſuppoſitione, quod creata voluntas ſe determinauerit ad illas.

Tertiò.

Vnde tertiò conſequens eſt, creatam voluntatem, vtpote cauſam ſecundam, exigere per ſe concurſum primæ cauſæ, ſine quo non poſſet operari: quod ipſum eſt materialem actionem peccati per ſe ſubiectam eſſe concurſui prouidentiæ diuinæ, & ab illo quidditatiuè dependentem.

Quartò.

Quartò. Qualibet ſpecifica differentia, quantumcumque ſit contraria diuinæ legi continet eſſentialiter communem rationẽ entis & actionis: & eo ipſo continet eſſentialiter eam rationem, quæ per ſe reſpicitur à diuina cauſalitate, & conſequenter etiam à prouidentia. Sicut enim eſt indiſſolubilis nexus differentiæ particularis cum tranſcendenti ratione entis, & actionis: ita nexus eſt indiſſolubilis inter diuinam cauſalitatem, & prouidentiam illius differentiæ.

4 *Prouidentia formalis malitiæ, & prouidẽtia materialium actionum conueniunt. Primò.*

Dico ſecundò. Cum modo prouidendi & gubernandi formalem rationem peccati, prouidentia materialium actionũ conuenit ſequentibus conditionibus. Primò nãque materialis actio quidditatiuè contraria diuinæ legi, per diuinam prouidentiam non eſt per ſe volita & intenta, nec Deus vult, vt creata voluntas eiuſmodi volitiones & operationes eliciat; nec vult, vt exiſtãt, & fiant tales operationes; ſed potiùs antecedenti voluntate vult, & intendit, vt non fiant, nec exiſtant: quemadmodum probatum eſt præcedenti tomo de Voluntate Dei, diſp. 33. & 35. præter alias multas ſequentes.

5 *Secundò.*

Secundò. Quando Deus vult, ad materialem actionem peccati concurrere, non vult ſpecificam differentiam actionis, quæ realiter, & poſitiuè contraria eſt rationi, & diuinæ legi: ſed abſtrahit, ac præſcindit communem rationem creatæ volitionis, & actionis, & ad eam vult concurrere vbicumque reperiatur: ſimiliterque vult cætera prædicata generalia, quæ poſſunt ita præſcindi à malitia, vt ex illis non ſequatur neceſſariò: quoniam talia prædicata eſſentialiter non repugnant rationi, nec diuinæ legi. Nam alia prædicata quidditatiuè & realiter oppoſita rationi, & diuinæ legi, Deus non vult, niſi quatenus vult generalia prædicata ſupra dicta, quæ ſcit, eſſentialiter contineri in quibuſlibet realibus differentiis, quantumcunque monſtroſis, & vult, illas differentias permittere, & ad maiora bona ordinare: ſicut fuſiùs explicatum fuit, & probatum tomo præcedenti de Voluntate Dei, diſp. 50. ſect. 2.

Tertiò ſuppoſitâ conditionali præſcientiâ, quâ Deus prænouit quænam peccatorum actiones elicerentur à qualibet voluntate, ſi conſtituerentur ſub talibus, aut talibus circumſtantiis, vult has actiones non permittere, ſed illas tantùm permittere. Patres enim non tantùm ad formalem rationem malitiæ, ſed etiam ad materiales actiones peccatorum permiſſionẽ pertinere putant, dicentes, eas à Deo non fieri, ſed permitti: quemadmodum probatum eſt fusè in eodem tomo præcedenti diſp. 31. & 32. 6 *Tertiò.*

Dico tertiò. Prædictus modus verſandi circa materiales actiones peccatorum, permittendo potiùs, quàm eas cauſando, nihil obſtat, quominùs Deus perfectiſſimè prouideat, non ſolùm in vniuerſali; ſed etiam in particulari quibuſlibet actionibus materialibus peccatorum: quamuis aliter illis prouideat, quàm actionibus totaliter bonis. 7 *Materialium peccatorum actionũ perfectiſſima prouidentia.*

Probatur primò ex Patribus. Sic enim Auguſtinus lib. 8. ſuper Geneſ. ad lit. capit. 23. *Deus*, inquit, *naturas creat bonitate, & voluntates ordinat poteſtate, vt in naturis nulla ſit, quæ ab illo non ſit; in voluntatibus autem nulla bona ſit, cui non præſit; nulla mala ſit, qua bene vti non poſſit.* Nota verbum *ordinat* quod eſt propriiſſimum prouidentiæ, referri non ſolùm ad bonas, ſed etiam ad malas voluntates, quibus Deus non aliter præſit, niſi quatenus illis vtitur ex ſuppoſitione, quod ab arbitrio creato producantur. *Probatur primò Auguſt.*

Vnde ſequenti cap. 24. *Deus*, inquit, *bipartito ſuæ prouidentiæ opere, præeſt vniuerſæ creaturæ; naturis, vt ſiant, voluntatibus autem, vt ſine ſuo iuſſu vel permiſſu nihil faciant.* Malis ergo volitionibus non præeſt, vt fiant, neque vt ſuo iuſſu, vel voluntate eas faciat voluntas creata, ſed vt ſine ſuo permiſſu nũ faciat. Præterea lib. 3. de Trinit. cap. 4. circa med. ait: *Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili, atque intelligibili aula ſummi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarũ, & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica.* Nota, intelligibilem illam ſummi Imperatoris aulam nihil aliud eſſe, quàm Dei prouidentiam iubentem, aut permittentem. Recipitur hæc ſententia à Proſpero in lib. ſententiarum ex Auguſtino: ſententia. 58. & à Magiſtro, & communiter à Scholaſticis. 1. diſt. 45. cap. *voluntas ergo.* 8

His conſonat Auguſtinus lib. 5. de Geneſi ad lit. cap. 20. fine dicens: *Dum iniqui iuſtos exercere permittuntur, explicat ſecula, quæ creatura cum primùm condita ſunt, tanquam implicita indiderat: quæ tamen in ſuos curſus non explicarentur, ſi ea ille, qui condidit, prouido motu adminiſtrare ceſſaret.* Obſerua prouidum motum etiam circa actiones, quibus iniqui iuſtos exercere permittuntur. 9

Apoſtolo Petro præſente, & approbante, diſcipulus eius Aquila, apud Clementem lib. 8. recognit. verſus finem. *Eos*, inquit, *qui ad mala declinarent, Angelis regendos permiſit: his qui non per ſubſtantiam, ſed per propoſitum cum Deo permanere noluerunt inuidia, & ſuperbiæ vitio corrupti: dignos* 10 *Clemens.*

ergo

ergo dignorum principes fecit. Ita tamen eos tradidit, vt non habeant poteſtatem in eos faciendi, quod volunt, niſi ſtatutum ſibi ab inuito terminũ tranſeant. Obſerua primò permiſſionem operationis prauæ. Deinde prouidentiam, quæ limitat dæmonis poteſtatem, ne faciat quantum vult mali, ſed quantum expedit illi permitti propter hominum peccata. Poſtremò recole doctrinam eius libri octaui pagina. 4. de prouidentia non modo generali, ſed etiam ſpeciali quarumlibet partium, & omnium in ſingulari. Nam ad huius declarationem addita eſt prædicta doctrina de permiſſione malorum.

11 *Nihil ſine Dei prouidentia.* Origenes homilia. 3. in Geneſ. ſub init. *Memento*, inquit, *quia nihil ſine Dei prouidentia geri, diximus; non ſine voluntate. Multa enim ſine voluntate eius geruntur. Prouidentia namque eſt, qua procurat, & diſpenſat, & prouidet, quæ geruntur: voluntas verò eſt, qua vult aliquid vel non vult.* Quæ ſine voluntate Dei geruntur, & Deus non vult fieri, non ſunt alia, niſi actiones contrariæ diuinis præceptis, eas tamen Dei prouidentia diſpenſat, & prouidet permittendo. vt fiant, nonniſi tales, & cum tali menſura, & termino.

12 Chryſoſtomus 2. ad Timoth. cap. 4. homil. 8. in morali col. 2. *Scito*, inquit, *quod omnia Deus prouidet, quod liberi arbitrij conditi ſumus, quod alia quidẽ operatur, alia verò permittit: quod nihil mali vult fieri, quod non ex ſola ipſius voluntate fiunt omnia, ſed ex noſtra quoque. Mala omnia ex noſtra tantũ modo fiunt. Bona omnia ex voluntate noſtra, & ipſius adiutorio. Quod nihil ipſum latet; non tamen quia nihil ipſum latet, idcirco omnia operatur ipſe.* Vides igitur, breui linearum interuallo Chryſoſtomum ſæpius repetere, quod mala opera non fiant ex Dei voluntate, nec Deus operetur illa: nihilominus retineat certiſſimum dogma. *Quod Deus omnia prouidet.*

13 Damaſcenus lib. 2. fidei cap. 29. ante medium diſtinguit opera prouidentiæ dicens: *Ea quæ in nobis ſunt, non prouidentiæ ſolùm ſunt, ſed liberæ poteſtatis noſtræ, & arbitrij. Prouidentiæ verò, hæc quidem, ſecundùm acceptationem, hæc autem ſecundùm permiſſionem. Secundum acceptationem ſunt, quæcunque ſine controuerſia bona ſunt. Sunt & quædam ſecundùm permiſſionem.* Vnde collige non tantùm bona ſubiici diuinæ prouidentiæ, quæ ſecundùm acceptationem ab illa fiunt ſimul cum noſtra libera poteſtate & arbitrio; ſed etiam mala opera, quæ permittuntur, & non fiunt, nec acceptantur per diuinam prouidentiam. His conſonat Nemeſius lib de animæ facultatibus c. 44. ante med. cuius ſententiam ſub nomine Gregorij Nyſſeni declarat S. Thomas lib. 3. contra Gentes, cap. 90. in fine.

14 *Secundò probatur.* Secundò probatur à fortiori, quoniam à cauſalitate & voluntate Dei multò magis diſtat ratio formalis peccati, quàm materialis actio peccati; ſed illa diſtãtia nõ obſtat quominus ratio formalis peccati ſubiiciatur prouidẽtiæ, atque ordinetur ab illa (ſicut probatum eſt ſectione 1. 2. & 3.) ergo minor hæc diſtantia materialis actionis minùs obſtabit, quo minùs diuinæ prouidentiæ ſubiiciatur, & ordinetur ab illa. Maior probatur, quia generalem rationem entis, actionis, volitionis, & cætera prædicata, quæ non ſunt rationi contraria, Deus vult, & cauſat, & eo ipſo concurrit etiam ad ſpecificam rationem actionis monſtroſæ: at verò circa formalẽ rationẽ peccati non poteſt Dei voluntas, neque caſualitas ita verſari.

Probatur 3. quidquid enim non fit caſu vel fortuna, gubernatur prouidentia: ſed materiales actiones peccatorum non fiunt caſu, neque fortuna, ergo diuina prouidentia gubernantur. Minor probatur, quia quod fit caſu vel fortuna, præter intentionem & conſilium & ſcientiam euenit (vt conſtat ex dictis diſp. 1. ſect. 7.) ſed materiales actiones peccatorum non fiunt præter intentionem, & ſcientiam & conſilium Dei; ſed potiùs eius conſilio ex voluntate permittente, limitãte, atque dirigente fiunt. Actor. 2. *Hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum interemiſtis.* Et cap. 4. *Conuenerunt Herodes & Pilatus cum Gentibus & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Geneſ. 45. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* 15 *Tertiò. Peccatorum actiones non fiunt caſu.* *Act. 2. & 4.* *Geneſ. 45.*

Cyprianus etiam lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium, inter principium & medium, Dei permiſſionem appellat voluntatem & prouidentiam, quando ponderans illud Matth. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine Patris voluntate* (ſic enim legit ipſe) ait: *Cum ille neque minima fieri ſine voluntate Dei, dicat, exiſtimat aliquis ſumma & magna aut non ſciente, aut non permittente Deo in Eccleſia Dei fieri?* Celebrior eſt Auguſtini ſententia Enchirid. cap. 96 *Non ergo fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo.* Vnde Magiſter & communiter Scholaſtici 1. diſt 45. prope finem & S. Thomas ſuprà q. 19. art. 12. colligunt permiſſionem appellari voluntatem: quamuis iſte modus loquendi non ſit proprius, ſed figuratus: quia ſignum voluntatis appellat voluntatis nomine. Quapropter propria & communiter à Theologis vſurpanda loquutio negare debet, prauas operationes, à Dei voluntate fieri, quemadmodum loquuntur Patres ſuprà citati. 16 *Matth. 10.* *Auguſt.*

Præcedens probatio confirmatur, quia, quod non fit prouidentia, ſed caſu vel fortuna, non euenit ſemper, neque vt plurimùm, ſed raro (ſicut ex Ariſtotele retulimus diſp. 1. dict. ſect. 7. fine) materiales autem actiones peccatorum contingunt, non raro, ſed vt plurimùm, imò ſemper eueniunt, ſuppoſita Dei voluntate permittendi, & oblato concurſu generali. 17

Vnde colligo & dico 4. Veriori fundamento, ac minùs impropriè poteſt concedi, materiales actiones peccatorum eſſe prouiſas à Deo, quàm conceditur eſſe prouiſa mala ſeu peccata (ſecundùm ea quæ diximus ſect. 2. dub. 2.) quoniam in materialibus actionibus peccatorũ exercet prouidentiæ cauſalitatis & voluntatis aliquid, quod non exercet circa formalem rationem peccati. Obſtare videtur Theodoretus Ezechiel 29 ad illa verba: *Et merces non eſt reddita ei. Per hæc*, inquit, *declarat Deus nihil ſe inuito, factum iri. Duo enim paſſeres*, inquit, *aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſine Patre veſtro, qui in cœlis eſt. Quem nihil latet eorum, quæ fiunt. Verùm alia quidem ipſe moderatur, alia verò fieri permittit modo libero.* Quapropter apud Theodoretum hoc loco, Deus non moderatur malas operationes, quas fieri permittit modo libero. Reſpondetur tamen illius mentem eſſe, non ita totalem & plenam eſſe cauſalitatem & voluntatem diuinæ prouidentiæ circa prauas actiones, ſicut impenditur in bonas. 18 *Materiales peccatorum actiones prouiſæ.* *Obiectio. Ezechiel 29. Theodoret.* *Solutio.*

Dico quintò. Diuinæ prouidentiæ circa materiales actiones peccatorum repugnat magis phyſicè prædeterminare ad illas, quàm repugnat 19

phyſicè

Digitized by Google

phyſicè prædeterminare ad actiones bonas;quia repugnat non ſolùm titulo libertatis, ſed etiam horrore malitiæ: ſicut probatum eſt tomo præcedenti à diſput. 27. vſque ad 50.

SECTIO VII.

Circa malum pœna quomodo verſetur prouidentia.

1 *Contraria videntur Scriptura loca.* BReuis erit huius quæſtionis reſolutio, quoniam eam fuſiùs explicuimus præcedenti tomo de Voluntate Dei, diſp. 25. Mouere poſſent difficultatem Scripturæ loca,quæ contraria videntur verborum cortice. Quibuſdam enim dicitur, Deum non velle mortem, neque mala pœnæ; cùm tamen aliis dicatur eſſe illorum author. *Ezech. 18. & 33.* Sic enim Ezechiel 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus.* Et cap. 33. *Nolo mortem impij.* *Sapien. 1.* Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit neque lætatur in perditione viuorum: creauit enim, vt eſſent, omnia: & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum & non eſt in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra:* E cõtrario Deum *Deut. 32.* eſſe authorem malorũ pœnæ traditur. Deuteron. *Eccleſ. 11.* 32. *Congregabo ſuper eos mala.* Eccleſ. 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* *2. Reg. 12.* 2. Reg. 12. *Suſcitabo ſuper te malum.* Hieremiæ 18. *Hier. 18. & 36.* *Fingo contra vos malum*, & cap. 11. & cap. 36. *Adducam ſuper eos omne malum, quod loquutus ſum.* Similia ex Iſaiæ 45. & Amos 3. retulimus diſp. 1. ſect. 8. pro aſſertione 2.

2 *Conciliatio quatuor puncta continens.* Facilis tamen eſt conciliatio, quatuor puncta continens. Primum eſt malum pœnæ formaliter, quia malum eſt, diuina prouidentia non poteſt velle, neque cauſare; quoniam diuina voluntas non poteſt amplecti aliquod obiectũ, niſi propter infinitam bonitatem, tanquam propter obiectum formale: nullum autem malum formaliter, quia malũ eſt vt proportionatur, vt poſſit amari propter infinitam bonitatem. In hoc igitur puncto diuina prouidentia circa malum pœnæ verſatur *Malum pœna ſimpliciter Deus vult.* eodem modo, ſicut circa malum culpæ. Secundum punctum. Malum pœnæ ſimpliciter Deus vult; quoniam ſimpliciter eſt ens, & iuſtum, nec habet eſſentialem repugnantiam cum recta ratione & lege diuina.

3 *Per accidens illud vult.* Tertium eſt. Malum pœnæ diuina prouidentia per accidens vult, & non per ſe; quia præoptaret nullum eiuſmodi malum inferre: ſed tamen quaſi compellitur ad inferenda ſupplicia propter bonum iuſtitiæ, vel correctionis, vel exercitij virtutum, vel propter alia maiora bona. Quartum punctum eſt, culpæ malum in eo diſtingui à malo pœnæ, quoniam diuina prouidentia neque per ſe, neque per accidẽs poteſt illud velle, quamuiscũque ſumma bona ſint, illius occaſione colligenda, ſicut vidimus ſect. 1. & 2.

DISPVTATIO III.

Quid ſit prouidentia tam naturalis quàm ſupernaturalis.

SECTIO I.

Quæ ſine controuerſia ſunt, præmittuntur, & aperitur ſtatus controuerſiæ.

1 *Prouidentia Dei operatio ad intra.* TRIA ſupponenda ſunt. Primum eſt, prouidentiam eſſe Dei operationem ad intra, quæ proinde non poteſt eſſe niſi intellectio, aut volitio; quoniam ſubſtantiis ſpiritualibus non ſunt poſſibiles aliæ operationes immanentes, præter intellectiones & volitiones.

2 Secundò. Reiicitur ex hoc fundamẽto modus ille loquendi potiùs, quàm ſentiendi, non ſatis idoneus eorum, qui prouidentiæ, vel prædeſtinationis nomine potiùs tranſeuntem operationem Dei, quàm immanentem intelligunt. S. Maximus Centuria. 3. cap. 13. tomo 5. Bibliothecæ. *S. Maximus.* *Scimus*, inquit, *prouidentiam ea, quæ ſunt continentem eſſe definitionem, ac legem diuinam rebus inſitam, &c.* Nihilominus in præcedenti cap. 12. initio prouidentiam accipit pro æterno principio, ex quo procedit prædicta definitio, & lex rebus inſita, cùm ait: *Ex prouidentia procul dubio definitio atque lex diuina ineſt rebus.*

3 Alexander Aphrodiſæus lib. 1. quæſtionum naturalium cap. 25 apud Iulium Sirenium lib. 4. de prouidentia cap. 27. duas definitiones prouidentiæ, tamquam ex Ariſtotelis mente deprompta inuenit. Prima, *prouidere eſt in aliquod quouis modo mutationem, & motum propter aliquid inducere.* Secunda *prouidere eſt nonnulla propter alia mouere*; vt eorum dicatur quiſpiam curam & procurationem habere, quorum gratia res alias mouet. Definitiones iſtæ ſunt à præſenti inſtituto alienæ, quoniam effectum ſiue operationem tranſeuntem, quæ tamquam à cauſa procedit ab ipſa prouidentia, non interiorem & immanentem Dei prouidentiam definiunt: vt omittam excutere defectus alios earum definitionum.

4 Eadem ratione deuiant ab inſtituto præſenti, qui prædeſtinationis nomine intelligunt ipſam creatam hominis, aut Angeli tranſmiſſionem, ſiue ordinationem ad gloriam, quæ tranſmiſſio, ſiue ordinatio eſt obiectum, & effectus intellectionis & volitionis diuinæ. Ratio eſt, quoniam ſecundùm Doctores ſacros, prouidentia eſt cauſa gubernationis tranſeuntis, & manet in mente diuina (vt in ſequentibus ſectionibus conſtabit.) Similiter prædeſtinatio cauſa eſt ſalutis *Prædeſtinatio cauſa ſalutis.* æternæ, & mediorum ad eam ſalutẽ conſequendam. E contrariò tamen motio, & quæcumque gubernatio tranſiens, & creata ordinatio, ſiue tranſmiſſio ad vitam æternam ſunt obiectum intellectionis, & volitionis diuinæ. Quapropter à prouidentia, & prædeſtinatione diſtinguuntur; ſicut obiectum, & effectus diſtinguitur ab actione vitali, quæ eſt illius cauſa. De hoc fuſiùs Aureolus 1. diſt. 40. art. 1.

5 *Ad prædeſtinationem neceſſaria intellectio, & volitio.* Tertiò ſupponendum eſt, tamquam certum apud omnes, ad prouidentiam & prædeſtinationem eſſe requiſitos actum intellectus & actum voluntatis ſimul, & copulatiuè ſumptos. Nec enim voluntas poterit decernere, quas res, ad quos fines, per quæ media, quando, & vbi perducere conueniat; niſi per ſcientiam dirigatur; & conſequenter non poterit voluntas decernere quibus hominibus, quæ media conferenda ſint, vt efficaciter gloriam conſequantur: niſi prælucea ſcientia proponens voluntati diuinæ tales homines, talia media, & proportionem eorum ad obtinendum finem prædeſtinationis. Similiter è contrariò ſcientia Dei proponens quaſcumque res, quoſcumque fines illarum, & quæcumque media, per quæ poſſint obtineri, non erit prouidentia, niſi accedente decreto diuinæ voluntatis determinetur ad operandum. Nam ſcientia ſine voluntatis beneplacito prorſus indifferens eſt ad cauſandum, vel nõ cauſandum: determinatur

autem

Digitized by Google

autem per beneplacitum voluntatis; vt vidimus in tomo de Scientia Dei, diſp. 15. & præcedenti tomo de Voluntate, diſp. 14. Eandem ob cauſam diuina ſcientia proponens voluntati quos homines, per quæ media poſſit ad gloriam perducere; non erit prædeſtinatio, quouſque diuino decreto determinetor, vt tales homines potiùs quàm alij, per hæc, & non per illa media deſtinentur ad tantam gloriam.

Communior ſcientia, quà prouidentia.

6 Confirmatur primò, quia ſcientia communis eſt prædeſtinatis, & reprobis, ſicut & rebus prouiſis, atque non prouiſis, nec productis. At verò prouidentia, & prædeſtinatio non eſt ita communis, ſed prouidentia reſpicit ſolas res, quas gubernat, & dirigit; prædeſtinatio verò ſolos prædeſtinatos, & non præſcitos perducit ad gloriam; quoniam ad hos determinat decretum, & electio diuinæ voluntatis: ergo ſola ſcientia Dei abſque decreto diuinæ voluntatis non erit prouidentia, nec prædeſtinatio.

Prouidentia quandoque voluntas, quandoque ſcientia dicitur.

7 Confirmatur ſecundò. Nam ea de cauſa Theologorum definitionibus quandoque prouidentia, vel prædeſtinatio dicitur eſſe voluntas, quandoque verò dicitur eſſe ſcientia, vt videbimus inferiùs. Aliquando verò exprimitur actus vterque. Sic enim Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. Quem ſequuntur Magiſter, & Scholaſtici 1. ſentent. diſt. 40. initio. *Prædeſtinatio*, inquit, *eſt gratiæ præparatio, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt; poteſt autem ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus: ſed præſciuit etiam, quæ non eſſet ipſe facturus.* & lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & paratio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Ex quibus & aliis definitionibus conſtat, prædeſtinationi neceſſariam eſſe ſcientiam, ſed non eſſe ſatis abſque decreto voluntatis. *Poteſt itaque ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia: Prædeſtinatio autem ſine præſcientia eſſe non poteſt*, vt concludit Proſper ad caput 15. Gallorum, ex eo quòd *prædeſtinaſſe*, dicitur Deus, *quæ ipſo erant authore facienda.*

Auguſt.

Proſper.

Controuerſiæ ſtatus.

8 His ſuppoſitis controuerſiæ præſentis ſtatus eſt. Vtrùm actus ille, per quem prouidentia & prædeſtinatio conſtituitur vltimò, atque completur in ratione prouidentiæ, vel prædeſtinationis, ſit intellectio vel volitio. Quapropter minus probo doctrinam eorum, qui dicunt hanc controuerſiam non eſſe rerum ſed vocum. (vt Vazquez 1. p. quæſt. 87. cap. 3. fine. Suarez autem 1. part. lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 17. nu. 13. dicit multum habere de vſu vocum, quibus accedunt recẽtiores alij.) Nec enim præcipuè quæritur, vtrùm prouidentiæ vel prædeſtinationis voces ſignificent actum intellectus in recto, & voluntatis actum in obliquo, vel potiùs è contrario voluntatis actum in recto, & actum intellectus in obliquo; ſed præterea quæritur de re ipſa, vtrùm vltra ſcientiam oſtendentem, quænam res, in quos fines, per quæ media, & quomodo poſſint ordinari, & vltra decretum voluntatis, quo res & fines & media decernuntur, neceſſarius ſit in diuino intellectu alius actus decreto poſterior, quo immediatè exequatur opus; de quo peculiariter dicendum erit ſectione nona, & ſequentibus.

Controuerſia non eſt vocum, ſed rerum.

SECTIO II.

Prouidentiam & prædeſtinationem in voluntate conſtituens prima ſententia.

PRætermittimus eos authores, qui nihil fixum de hac controuerſia conſtituerunt, ſed nunc prouidentiam, aut prædeſtinationem appellant ſcientiam, nunc autem electionem, aut propoſitum, aut dilectionem. Sic enim Magiſter 1. diſt. 35. ſub initio: *Dicitur, ait, non tantùm ſcientia, ſed etiam præſcientia, vel prouidentia.* Et paulò inferiùs: *Prouidentia eſt gubernandorum, quæ vtique eodem modo videtur accipi, quo diſpoſitio. Interdum tamen prouidentia accipitur pro præſcientia.* Dixerat autem paulò ſuperiùs, diſpoſitionem eo differre à prouidentia, quoniam diſpoſitio eſt tantùm de faciendis, ac proinde non eſt de malis, quoniam à Deo facienda non ſunt; prouidentia verò eſt *de omnibus bonis ſcilicet & malis.* Sed in d. 40. c. 1. & cap. vltimo ait; *Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio. id eſt, diuina electio, quâ elegit quos voluit ante mundi conſtitutionem.* Hoc pertinet ad voluntatem; nihilominus in eodem cap. vltimo, cum Auguſtino lib. de bono perſeuerantiæ cap. 17. dicit: *Præparauit Deus in præſcientia ſua quibus voluit bona ſua. & quibuſcumque donat procul dubio ſe donaturum eſſe præſciuit.* 1

Magiſter.

Eadem varietate, atque ambiguitate Altiſiodorenſis lib. 1. ſummæ cap. 9. q. 1. & 2. prædeſtinationem nunc præſcientiam, nunc dilectionem appellat; ac ſimili varietate reprobationem denominat ab intellectu, vel à voluntate, & cap. 10. ſequitur Damaſcenum dicentem: *Prouidentia eſt diuina voluntas*, vt ſtatim referemus. 2

Damaſcen.

Prima verò ſententia determinatè docet prouidentiam, & prædeſtinationem formaliter ac potiſſimum eſſe voluntatis actum præſuppoſita ſcientia dirigente. Hanc tradit S. Bonauent. 1. diſtinct. 40. art. 1. q. 2. vbi Scotus quæſt. 1. in principio, Gregorius quæſt. 1. art. 1. Henricus quodlibeto 4. q. 19. Echius lib. de prædeſtinatione centuria 1. numero 17. apud Suarez, Vazquez 1. p. diſp. 87. cap. 3. cuius fundamentum poſuit diſp. 81. cap. 2. fine, Suarez lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 17. Leſſius de prædeſtinatione ſect. 2. §. 1. ad finem (quamuis alibi faueat oppoſitæ ſententiæ.) Henric. 1. p. tractatu 3. diſp. 22. cap. 6. num. 51. & cap 7. numero 57. & 58. Tribuitur Aureolo non ſine fundamento, quoniam 2. diſt. 40. art. 1. impugnat primam & ſecundam opinionem de actu intellectus; verè tamen eſt alterius ſententiæ, quam referemus inferiùs. Tribuitur Gabrieli, verùm ille magis accedit ad oppoſitam ſententiam, vt referemus ſect. ſequenti. Fauent etiam eidem ſententiæ Doctores, qui putant, exequutiuum imperium eſſe voluntatis actum, quos referemus ſect. 6. Huic etiam ſententiæ fauet Argentina diſtinctione 40. quæſtione 1. articulo 2. 3

Prouidentia formaliter in voluntate, qui conſtituerint.

Primum argumentum, quoniam Damaſcenus lib. 2. fidei cap. 29. initio. *Prouidentia*, inquit, *eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, conuenientem gubernationem ſuſcipiunt.* Et paulò inferiùs: *Et factiua eius virtus, & contentiua, & prouiſiua, bona ipſius voluntas eſt*, & poſt pauca: *Vt igitur bonus prouidet.* Bonitas autem ad voluntatem pertinet. Nemeſius refert & approbat definitionem illam: *Prouidentia eſt Dei voluntas, per quam omnia, quæ* 4

Argumentum primũ. Damaſcen.

Nemeſius.

ſunt

ſunt aptè gubernantur. lib. de facultatib. animæ, cap. 43.

5 *Secundum.* Secundum argumentum, quia prouidentia eſt cura de omnibus: ſed cura eſt poriſſimùm actus voluntatis: ergo prouidentia eſt poriſſimùm actus voluntatis. Maior probatur Sapient. 6. *Sap. 6.* *Æqualiter eſt illi cura de omnibus.* 1. Petri 5. *1. Pet. 5.* *quoniam ipſi eſt cura de vobis.* Ideo Patres diſp. 1. ſect. 2. citati, nonnumquam de prouidentia ſub nomine *cura* diſſerunt, vt Ambroſius lib. 1. Officior. cap. 13. & 1. Corinth. 1. part. 4. Nazian. orat. 3. in Iulianum propiùs ad medium quàm ad principium, poſt numerum 44. Gregor. lib. 24. moral. cap. 11. aliàs cap. 16. *Chryſoſt.* Chryſoſtomus 1. Timoth. 5. homil. 14. ſub. init. ait: *Curæ nomine prouidentiam animæ, corporiſque ſignificat Apoſtolus.* Minor verò probatur, quia cura dicitur, quaſi cor vrens, vt notant expoſitores linguæ Latinæ. *Iſidor.* Vnde Iſidorus lib. 1. de verborum differentiis numero 175. *Sic habet.* *Inter curam,* inquit, *& diligentiam hoc intereſt, quod cura cruciatum habet, qui commonet, diligentia rerum adminiſtratio.* Atque in ſacris Litteris frequenter occurrens hoc nomen denotat affectum voluntatis ſatagentem circa rerum adminiſtrationem.

6 *Damaſcen.* Confirmatur: nam & Damaſcenus dicto c. 29. initio dixit: *Prouidentia eſt in ea quæ ſunt cura.* Et *Nemeſ.* rurſus: *Prouidentia eſt voluntas.* Similiterque Nemeſius dicto cap. 43. initio: *Prouidentia eſt rerum procuratio à Deo ſuſcepta*, cui ſubiungit eſſe voluntatem, vt diximus. *Hug Vict.* Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 2. cap. 19 initio: *Prouidentia eſt,* inquit, *cura eorum, quæ exhibenda ſunt ſubiectis, & quæ commiſſis conuenit impertiri.*

7 *Tertium. Auguſt.* Tertium argumentum, quoniam Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. diſtinxit prædeſtinationem à præſcientia dicens, præſcientiam eſſe poſſe ſine prædeſtinatione, (ſicut vidimus in ſectione præcedenti) & potiſſimùm quoniam addidit: *Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio*; ſicut etiam lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. dixit: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei.* Hanc autem præparationem, quamuis ad intellectum Dei referant S. Thomas 1. p. q. 23. art. 2. ad 3. & eius ſequaces; videtur tamen potiùs ad voluntatem pertinere; quia voluntarium agens per propoſitum, & decretum voluntatis, eſt proximè præparatum ad agendum: perſcientiam autem non eſt vltimò præparatum, quoniam eſt indifferens ad augendum & non agendum.

8 *Proſper.* Confirmatur primò. Nam Proſper in cap. 8. Gallorum, initio, negat, *aſſerendum eſſe indifferentem per omnia ſæcula voluntatem Dei*, vt oſtendat, voluiſſe diſcrimen prædeſtinatorum à reprobis. Et clariùs in ſententia ad idem caput 8. Gallorum, ait: *Voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos præſcitos prædeſtinauit, prædeſtinatos vocauit, &c.* *Fulgent.* Confirmatur 2. quia Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 7. præmittens prædeſtinationis nomine, *diuini operis ſempiternam diſpoſitionem prædicari*, concludit. *Vtrumque autem prædeſtinando Deus præparauit in illa incommutabili voluntate, in qua ſic futurum effectū hominis renouādi diſpoſuit, vt eius voluntas in opere nouo, noua eſſe non poſſet.* Similiter de diſpoſitione, & conſilio diuinæ voluntatis loquitur in cap. 12. & aliis eiuſdem libri. Confirmatur tertiò, quia prædeſtinationem eſſe *propoſitum miſerendi*, ex Auguſtino in libro de prædeſtinatione Sanctorum referunt S. Thomas, Alenſis, & alij Scolaſtici, quæ verba licet in ipſo Auguſtino non reperiantur formaliter; videntur ex eo deducta, quòd præparatio ſit idem, quod propoſitum.

Quartum argumentum, quoniam Scriptura nominibus, & verbis ſignificationibus operationem voluntatis, prouidentiam, ac prædeſtinationem intelligit. *Quartum.* 9 Electio namque propoſitum, decretum, dilectio, odium, miſeratio, ira, complacentia, & alij ſimiles actus, non intellectus, ſed voluntatis proprij ſunt: ab illis autem nomen accipiunt prædeſtinati, vel reprobi. Matth. 20. *Matt. 20. & 24.* *Pauci verò electi,* & cap. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Ioannis 13. *Ego ſcio quos elegerim,* & *Ioan. 13 & 15.* cap. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* 1. Corinth. 1. *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus*: Epheſ. *1 Corinth. 1. Epheſ. 1.* 1. *Elegit nos in ipſo*, & alibi frequenter electos & electionem reperies.

Propoſitum autem legimus in eodem cap. 1. 10 ad Epheſeos. *Epheſ. 1.* *Prædeſtinauit nos ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ,* & iterum: *Prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Roman. 4. *Roman 4. & 8.* *Secundum propoſitum gratiæ Dei,* & cap. 8. *Qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti,* & cap. 9. *Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret.* 1. Tim. 1. *1. Tim. 1.* *Qui vocauit nos ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam.* Dilectionem & alios actus accipe: Roman. 9. *Rom 9.* *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui,* & infrà: *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* & iterum: *diſtinguntur vaſa iræ, & vaſa miſericordiæ*, Lucæ 12. *Luc. 12.* *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Sapien. *Sap. 4.* 4. *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.*

Confirmatur primò. Quoniam deſtinare eſt 11 actus proprius voluntatis, quæ per intentionem finis, & electionem mediorum deſtinat media in finem, 1. Corinth. 9. *1. Corint. 9.* *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia.* 2. Machab. 6. *2. Machab. 6.* *Deſtinauit non admittere illicita.* Sed prædeſtinare ſupra deſtinare ſolùm addit anteceſſionem, quam importat præpoſitio *præ*. Conſequens igitur eſt, vt prædeſtinare ſit etiam actus voluntatis, præcedens media & finem. Confirmatur ſecundò. Nam vbi Græcè legitur verbum *prædeſtinandi*, Latinè quandoque reddit Vulgatus *decernere*, quemadmodum Actor. 4. *Actor 4.* *Quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Quod Proſper ad *Proſper.* cap. 13. Gallorum, ſecundùm Græcum exemplar, legit: *Quæ manus tua & conſilium tuum prædeſtinauit fieri.* Quod autem decretum ſit voluntatis actus probatur Eſther 13. *Eſther. 13.* *Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreueris ſaluare nos,* & Iſaiæ 14. vbi nos legimus. *Dominus decreuit*, Græca habent *Dominus voluit.* Confirmatur tertiò. Quia præſcientiam à prædeſtinatione diſtinguit Apoſt. Roman. 8. *Rom. 8.* *Quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Ergo prædeſtinatio non eſt præſcientia.

Quintum argumentum. Prouidentia eſt cau- 12 ſa efficax ſui effectus; ac potiſſimùm prædeſtina- *Quintum.* tio eſt cauſa efficax gratiæ & gloriæ: ergo in illo actu debet conſiſtere qui potiſſimùm confert cauſalitatem & efficaciam. Sed cauſalitatem & efficaciam confert potiſſimùm decretum voluntatis: ergo in illo conſiſtit prouidentia & prædeſtinatio. Sextum. *Argumentum ſextum.* Dilectio manifeſtè eſt actus voluntatis; ſed prædeſtinare eſt actus ſummæ dilectionis: ergo eſt actus voluntatis. Septimum *Septimum.* argumentum. Data prædeſtinatione cuiuſdam hominis, implicat contradictionem, illum non eſſe

eſſe prædeſtinatum? ſed data ſcientia gratiæ & gloriæ poſſibilis alicui homini; non implicat illum non eſſe prædeſtinatum: hoc autem implicat, data volitione efficaci conferandi gratiam & gloriam alicui homini: ergo in volitione potiùs quàm in ſcientia conſiſtit eſſentia prædeſtinationis.

13 Octauum. Prouidentia & prædeſtinatio non eſt naturalis, & neceſſaria, ſed eſt ſimpliciter libera: ſed ſcientia mediorum & finis non eſt libera, ſed ſimpliciter neceſſaria, & naturalis: contrariò tamen voluntatis decretum eſt ſimpliciter liberum; ergo prouidentia & prædeſtinatio non eſt ſcientia, ſed decretum voluntatis. Nonum, quoniam ad explicand præcipuas difficultates prædeſtinationis, ſemper eſt agendum de voluntatis actibus potiùs, quàm de actibus intellectus; in illis enim eſt prima origo beneficiorum Dei; ex amore namque conſiderandum eſt, verùm prædeſtinatio ſit gratuita, & vtrùm ſupponat noſtra merita, quæ ſint aliquo modo cauſa illius amoris: ergo veriſimiliùs eſt Doctores de prædeſtinatione diſputantes, eius nomine ſignificare potiùs actum voluntatis, quàm intellectus. Alia argumenta, quæ pertinent ad imperium, tractabuntur ſectionibus ſequentibus.

Nonum.

SECTIO III.

Prouidentia & prædeſtinatio conſiſtit potiſſimum in actu intellectus.

1 MAgis proprios & accommodatus rerum quiditatibus eſt modus intelligendi, & loquendi plurium Scholaſticorum qui prouidentiæ & prædeſtinationis nomine concipiunt in recto ſcientiam ſiue intellectionem aliquam & in obliquo voluntatis actum. Actus intellectus in prædeſtinatione, prouidentiáque præcipuus eſt, quo non ſolùm oſtenditur mediorum omnium ſeries, ordo, atque diſpoſitio, quibus electus, verbi gratia, deſtinetur efficaciter ad gloriam; ſed etiam intimatur, & imperatur, (vt explicabitur ſectionibus ſequentibus.) Actus verò voluntatis, qui connotatur in obliquo, eſt approbatio, atque decretum efficax adhibendi media ad finem prædeſtinationis conſequendum.

Prædeſtinatio in recto ſcientiam, in obliquo voluntatis actum importat.

2 Hanc ſententiam omnes agnoſcunt fuiſſe S. Thomæ, quoniam conſtanter aſſerit; prouidentiam eſſe *rationem ordinis rerum in finem*, & conſequenter ait: *Prædeſtinatio eſt ratio transmiſſionis aut ordinis creaturæ rationalis in vitam æternam, in mente diuina exiſtens.* Ita definit in præſenti q. 22. art. 1. fine & art. 2. corpore & q. 23. art. 1. corp. & 3. p. q. 24. art. 1. lib. 3. contra gentes cap. 77. & cap. 163. De veritate q. 5. art. 1. & q. 6. art. 1. latè, lib. 1. ſentent. diſt. 39. q. 2. art. 1. & 3. diſt. 7. q. 3. art. 2, q. 1. corpore. Rurſus aſſerit, in recta ordinatione ad finem, quæ includitur in ratione prouidentiæ, importari rectitudinem conſilij, iudicij, & præcepti. Ita ſcribit 2. 2. q. 49. art. 6. ad 3. At verò conſilium & iudicium manifeſtè ſunt actus intellectus, imperium autem ſimiliter apud. S. Thomam citandum ſect. 9. licèt apud alios pertineat ad voluntatem. Magis apertè in præſenti quæſt. 22, art. 1. ad. 3. *Prouidentia*, inquit, *eſt in intellectu, ſed præſupponit voluntatem finis: nullus enim præcipit de agendis propter finem, niſi velit finem.* Et quæſt. 25. art. 4. corpore initio. *Prouidentia*, inquit, *ſicut & prudentia eſt ratio in intellectu exiſtens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem.*

Tenet S. Thomas.

Sunt etiam in hac ſententia, qui dicunt prouidentiam & prædeſtinationem formaliter eſſe ſcientiam practicam, ſiue ſcientiam approbationis; hæc enim neceſſariò præſupponit decretum voluntatis. Ita docent Alexander 1. p. quæſt. 26 membro 2. & quæſt. 28. membro 1. art. 2. Albertus. 1. p. quæſt. 63. membro 1. & quæſt. 67. membro 2. Ricardus 1. diſtinctio 39. art. 2. quæſt. 2. & diſtinctio. 40. artic. 1. quæſt 1. Durandus 1. diſtinctio. 39. quæſtione 3. artic. 2. iuncta diſtinctio. 40. quæſtione 1. & diſtinctio. 41. quæſtione 1. Carthuſianus 1. diſtinctio. 39. quæſtione 2. inter med. & finem, & diſt. 40. qo. 1. poſt med. referens pro eadem ſententia Petrum de Tarantaſia, & Vdalricum. Magis ad hoc inclinant Gabriel. 1. ſentent. diſtinctiò. 40. quæſt. 1. artic. 1. initio, Marſilius 1. quæſtione 41. artic. 1. in principio, S. Bonauent. citatus ſect. præced. dicit hanc ſententiam eſſe probabilem. 3

Magis apertè & ex profeſſo præſentem doctrinam defendunt Capreolus 1. diſtinctio. 40. q. 1. art. 1. concluſione 1. & art. 2. conc. 2. & 3. Caietanus & reliqui expoſitores communiter ad præſentem quæſtionem 22. art. 1. & ſequenti q. 23 art. 1. Vbi Bañez. Zumel, Nauarrete, Nazarius, & Albelda, Bellarmino, tomo 3. lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 9. §. *diſputant*, Molina in præſenti quæſt. 22. art. 1. diſput. 1. §. *quod ſi petas*, & quæſt. 23. art. 1. diſp. 2. §. *ſtatuenda*, & art. 4. & 5. diſp. 3. §. *his ita conſtitutis*, Valentina quæſt. 22. puncto 1. §. *eſt autem*, & quæſt. 23. priori parte quæſtionis, puncto 2 §. *mihi primum*, & poſteriori parte puncto 1. initio, Fonſeca tom. 3. Metaphyſic. lib. 6. cap. 2. q. 5. ſect. 2. §. *verum alij*, Teſſius de perfectionibus diuinis lib. 11. cap. 1. num. 2. ad finem, Aluares. lib. 5. de auxilijs diſp. 35. n. 5. §. *dicendum eſt*, Iulius Sirenius lib. 5. de prouident. cap. 6. Penoorus lib. 5. Propugnaculi cap. 1. 4

Quod generaliter attinet ad prouidentiam, probatur 1. nam cuius negatio eſt ignorantia, poſitiua forma eſt ſcientia, ſiue intellectio: ſed prouidentiæ priuatio eſt ignorantia: ergo ipſa prouidentia eſt ſcientia, ſiue intellectio. Minor probatur, Eccleſiaſtes cap. 5. *Neque dicas coram Angelo: non eſt prouidentia.* Vbi Septuaginta leguot: *Ne dicas, quia eſt ignorantia.* Quam eandem blaſphemiam quorundam ita refert Pſalm. 93. & *dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Quorum ſenſum ex ſubiecta refutatione intelligimus, quæ conſtituit ſcientiam, quæ eſt prouidentia, cum ait: *Qui corripit gentes, non arguit, qui docet hominem ſcientiam? Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Conſideratio ſimiliter eſt aliqua intellectio, quam negantes impij dicebant Iob. vigeſimo-ſecundo, *Circa cardines cæli perambulas, nec noſtra conſideras.* 5

Probatio prima.

Prouidentiæ priuatio ignorantia.

Eccleſiaſtes 5

Pſalm 93.

Iob 22.

Vnde accipitur probatio ſecunda, quia nominibus ſignificantibus cognitionem in Sacris literis promittitur, aut petitur, aut narratur Dei prouidentia toties, vt loca numerare non liceat, ſed tantùm pauca prælibare per capita. Primò namque verbo *videndi*, quod proprium eſt cognitionis euidentis, ſignifica- 6

Probatio 2. ex Scriptura.

ri prouidentiam, conſtat Geneſ. 22. conferendo verſum octauum, cum verſu decimoquarto. Ait enim Abraham; *Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti.* Quo facto, *Appellauit nomen loci illius, Dominus videt, vnde vſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* Itaque quod priùs dixerat, *Prouidebit*, poſtea dicitur, *Videbit*. Ex eo fõte videtur in omnes fideles, etiam in pueros, vel rudes manaſſe modus implorandi prouidentiam Dei, aut comminandi ſupplicium iis, à quibus patiuntur iniuriam dicendo: *Deus videt.* Atque ita Cyprianus lib. de Idolorum vanitate poſt medium ad probandam Dei prouidentiam, hoc argumento vtitur. *Nam & Vulgus in multis Deum naturaliter confitetur; cùm mens & anima ſui authoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, O Deus, & Deus videt; & Deo commendo; & Deus mihi reddet,* &c.

Cyprianus.

7 Geneſ. 16. Agar itaque docta phraſim Abrahami, Geneſ. 16. *Vocauit nomen Domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus, qui vidiſti me. Dixit enim: Profectò hic vidi poſteriora videntis me. Propterea appellauit puteum illum, puteum viuentis, & videntis me.* Exodi 3. *Vidi afflictionem populi mei.* Threnor. 1. *Vide Domine afflictionem*, & huiuſmodi alia ſexcenta.

Exodi. 3. Threnorũ 1.

8 Prouerbior. 22. Secundò, prædictis teſtimoniis conſonant ea, quæ *oculorum*, nomine prouidentiam ſignificant. Quemadmodum Prouerbior. 22. *Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam*: vbi, *cuſtodiendi*, verbo ſignificatur conſeruatio, & gubernatio, quæ prouidentiæ propria eſt, per quam & ſcientia cuſtoditur, *& ſupplantantur verba iniqui*, quod eſt alterum membrum einſdem verſus. Pſalm. 10. *Oculi eius in pauperem reſpiciunt; palpebra eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iuſtum & impium.* Iob. 34. *Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi*, &c. *Oculi enim eius ſuper vias hominum*, &c. Quod optimè ponderat Gregorius libro vigeſimo quinto capite tertio. Confirmatur, nam & humana prouidentia definitur quandoque nomine videndi quemadmodum Ambroſius, vel apud illum quilibet author commentariorum ad Romanos, cap. 12. ad illud: *Prouidentes bona*, dicit: *Prouidere eſt bona futura ante oculos habere, vt ea gerantur*, ſcilicet, bona opera.

Pſalm. 10. Iob. 34. Ambroſius. Roman. 12.

9 Tertiò. *Reſpiciendi* verbo, quod peculiarem videntis reflexionem, & animaduerſionem denotat, prouidentia ſignificatur multoties; vt Exodi 2. *Reſpexit Dominus filios Iſraël*, & cap. 4. *Quòd reſpexiſſet afflictionem.* & cap. 14. *Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum.* Pſal. 21. *Deus Deus meus reſpice in me; quare me dereliquiſti?* Pſalm. 79. *Reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam*, & alia id genus.

Exodi 2. & 4. & 14. Pſalm. 21. Pſalm 79.

10 Quartò, manifeſtum eſt *iudiciorum* nomine ſacras Literas ſignificare diuinæ prouidentiæ actus, qua ratione diſcernunt inter vnam & alteram perſonam, & inter vnum & aliud opus: omnibus autem Philoſophis eſt compertum non appetitiuæ virtutis, ſed intellectiuæ actum eſſe iudicium. Hac ratione prouidentiæ proprios actus eſſe intellectus potiùs, quàm voluntatis, probatur Roman. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Omnes penè voces ad intellectum pertinent. Prouerb. decimo ſexto. *Pondus & ſtatera iudicia Domini*, & cap. 29. *Iudicium a Domino egreditur ſingulorum.* Sapientiæ 17. *Magna ſunt enim iudicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua.* Apocalyp. 15. *Iudicia tua manifeſta ſunt*, & ſequenti cap. 16. *Vera & iuſta iudicia tua.* Idem repetitur capit. 19. Ideo Dauid iudicandi verbo diuinam prouidentiam imploret, vt iuſtos liberet, & nocentes damnet, veluti Pſalm. 5. *Doloſè agebant, iudica illos Deus*, Pſalm. 7. *Dominus iudicat populos*, & infrà, *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me*, & alibi frequenter. Sed apud Patres Eccleſiæ multò frequentior eſt vſus iudiciorum Dei ſub prædicta ſignificatione.

Roman. 11. Prouerb. 16. & 29. Sap. 17. Apocalyp 15. & 16. Pſalm. 5. Pſalm. 7.

11 Fateor has voces ad tranſeuntes operationes diuinæ prouidentiæ ſignificandas frequentari: nihilominus eùm à ſuo principio immediato & præcipuo denominationem accipiant: Conſequens eſt actum prouidentiæ immanentem eſſe iudicium. Huius exemplum præbuit Baſilius oratione 11. de potentia, initio dicens: *Nemo ob eas moleſtias, quibus conflictatur cogitare, aut dicere audeat, nullam omnino prouidentiam res noſtras gubernare, nec adminiſtrationem ac iudicium Domini in crimen vocet.*

Baſilius.

12 Quintò, quoniam ad cognitionem pertinet, & recordatio, per eam ſignificatur Dei prouidẽtia, quia voluit ab æterno, mutare nouos effectus poſt aliquod ſpâcium temporis: Vt Geneſ. 8. *Recordatus Dominus Noe* & cap. 9. *Recordabor fœderis mei.* Threnor. 5. *Recordare Domine, quid acciderit nobis.* His & aliis vocibus, quæ vulgariter cognitionem ſignificant, Scriptura ſacra denotat ſcientiam practicam & ſcientiam approbationis, & beneplaciti, quæ videlicet, ſuppoſito decreto voluntatis, dirigit & immediatè cauſat ordinem rerum in finem, vt magis explicabitur ſect. 9. & ſequentibus.

Geneſ. 8. & 9. Threno. 5.

13 Probatur 3. quoniam eandem ſcientiam practicam & beneplaciti reſpiciens Anſelmus in Elucidario, verſus medium, interrogat; *Quid eſt prouidentia?* Reſpondet autem; *Ea cognitio, qua omnia futura præſciuit, imo aſpexit, vt præſentia.* Et Beda tomo. 5. in lib. cui titulus eſt, *Mundi conſtitutio*, prope finem ait: *Prouidentia eſt per quam aliquid futurum videtur, antequam fiat.*

Probatur tertiò. Anſelmus. Beda.

14 Probatur quartò definitione Boetij, communiter à Theologis recepta, lib. 4. de conſolatione proſa. 6. inter principium & medium. *Prouidentia eſt ipſa illa diuina ratio, in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Non eſt otioſum illud pronomen *ipſa*, quo ſignificatur non figuratè poni aliud pro alio, ſed ipſam rationem, ſiue ſcientiam eſſe prouidentiam. Ne quis *rationis*, nomen velit ad voluntatis actum detorquere, recolat, ſiue Logicam, ſiue Theologiam tractantem de Verbo, quod *rationis*, nomine ſignificatur, quoniam per intellectum procedit. Deinde ponderet quæ paulò inferiùs ſubiungit Boëtius: *Vt hæc temporalis ordinis explicatio, in diuinæ mentis adunata proſpectu, prouidentia ſit.* Obſerua *proſpectum mentis.* Nazianz. oration. 3. in Iulianum propiúſque ad principium, numero quadrageſimo ſeptimo, Dei prouidentiam vocat, *Rationes quibus omnia reguntur.* Baſilius homilia in Pſalm. 48. columna penultima ad illud: *Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo*, quaſi prouidentię proprium actum ponit, *quod interuiſat noſtra, &*

Quartò probatur definitione Boetij. Nazianz. Baſilius. Sic habet.

exploret

exploret, & prouida inſpectio noſtra contempletur.

15 *Quartò probatur.* Quintò peculiariter quod attinet ad prædeſtinationem probatur, quoniam *ſcientiæ* nomine multoties appellatur in ſacris Literis. Quemadmodum *Roman. 11. Auguſt.* Roman. 11. *Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſciuit.* Quo fundamento Auguſtinus libro de bono perſeuerantiæ cap. 17. parum à principio definit: *In ſua quæ falli, mutarique non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam eſt, niſi prædeſtinare.* Conſequenter igitur in fine eiuſdem capitis 17. *Hæc*, inquit, *Dei dona ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo, præſciuntur autem: hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam defendimus.*

16 Continuò igitur initio ſequentis capitis 18. hoc probat, quoniam *Eadem prædeſtinatio aliquando ſignificatur nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus. Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſciuit. Hoc quod, ait, præſciuit, non rectè intelligitur, niſi prædeſtinauit, quod circumſtantia ipſius loquutionis oſtendit: loquebatur enim de reliquis Iudæorum, quæ ſaluæ factæ ſunt*, &c. Quæ ponderat ſtatim. Conſonat Proſper libro primo *Anſelmus.* de vocatione Gent. cap. 10. Anſelmus autem in eius loci commentario ait: *Præſciuit, id eſt, ad vitam prædeſtinauit.*

17 *2. Tim 2.* Prædictum argumentum Auguſtini corroboratur aliis Scripturæ teſtimoniis, veluti 2. ad Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, nouit Dominus qui ſunt eius.* Signaculum autem eſt poſtremum & maximum quod firmitatem confert, ne res aliena cenſeatur eſſe. *Sapien. 10.* Sapien. 10. *Hæc ſciuit iuſtum, & conſeruauit ſine querela*, ſcilicet Abrahamum. *Roman. 8.* Roman. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit.* *Matth. 11.* Matt. 11. *Ego ſcio quos elegerim.* *1. Pet. 1.* 1. Petr. 1. *Electis ſecundum præſcientiam Dei Patris in ſanctificationem.* Ac de vocatione Gentium ad Eccleſiam, Iacobus, *Actor. 15.* Actor. 15. *Notum*, ait, *à ſæculo eſt Domino opus ſuum* *Exod. 33.* Exodi 33. *Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me.* *Hier 1.* Hieremiæ 1. *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te.* *& 12.* Hieremiæ 12. *Tu Domine noſti me, vidiſti me, & probaſti cor meum tecum.* Quapropter ad idem confirmandum valet omnia teſtimonia, quibus ſignificatur ſcientia approbationis. Quibus annumerari poſſunt quærendi & inueniendi verba, quando tribuuntur Deo, ſignificant enim actum intellectus, ſicut homines tunc inueniunt, quando ſciunt, quis ſit, & vbi ſit, & qualis ſit aliquis. *1. Reg. 13. Actor. 13.* Sic Regum 1. c. 13. *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum*, de quo Actorum 13. *Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* *Pſalm. 88.* & Pſalm. 88. *Inueni Dauid ſeruum meum*, &c.

18 Confirmatur, nam & Auguſtiniani Patres eodem modò definiunt prædeſtinationem. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 24. prope med. ait. *Fulgentius.* *Prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio eſſe manſuros*, & cap. 26. parum à principio. *Quod autem daturum ſe præſciuit, in æterna bonitatis diſpoſitione prædeſtinauit. Ipſa eſt enim prædeſtinatio Dei, ſempiterna, ſcilicet diſpoſitio futuri operis Dei.* Idem docet toto libro 1. ad Monimum, cuius epilogus eſt caput primum ſecundi libri, vbi prædeſtinationem, vt complectitur etiam reprobationem, definit his verbis: *In Sanctis Auguſtini & Proſperi definitionibus agnoſcant, prædeſtinationem nihil aliud eſſe, niſi præparationem operum eius, quæ in æterna ſua diſpoſitione aut miſericorditer ſe facturum eſſe præſciuit, aut iuſtè.*

Ruiz de Prouidentia Dei.

Proſper ad excerpta Genuenſium proponit 19
dubium octauum de verbis Auguſtini lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. vbi dicit: *Hæc prædeſtinatio ſanctorum, nihil aliud eſt, quàm præſcientia, ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei. quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Hanc ſententiam defendens prope medium reſponſionis concludit: *Præſciſſe incommutabiliter Deum, quibus eſſet daturus, vt crederent, aut quos daturus eſſet Filio ſuo, vt ex eis non perderet quemquam. Et ſi hæc præſciuit, beneficia ſua illum, quibus nos dignatur liberare, præſciſſe & hanc eſſe prædeſtinationem ſanctorum, præſcientiam, ſcilicet & præparationem gratiæ Dei*, &c. In eadem doctrina perſiſtit dum reſpondet ad capita Gallorum, præſertim ad caput 15. & vltimum.

Beda in collectaneis ad epiſtolas Pauli recipit 20
eas ſententias, quas ex Auguſtino retulimus. Sic enim ad illud Roman. 11. ponit quod retulimus ex lib. de bono perſeuerantiæ cap. 18. & alibi ſæpe repetit, prædeſtinare eſſe præſcire, & præparare, quæ Deus eſt facturus, veluti Roman. 8. *Rom 8.* ad illud: *Quos præſciuit, & prædeſtinauit*, &c. Ephe. *Epheſ. 1.* 2. ad illud: *Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu*, &c. Author hypognoticon apud Auguſtinum lib. 6. paulò poſt principium: *Prædeſtinatio*, inquit, *à prouidendo, & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid, dicitur; & ideo Deus,* *Author hypognoticon.* *cui præſcientia non accidens eſt, ſed eſſentia, fuit* *Sic habet.* *ſemper, & eſt, quidquid ante quàm fit, ſic præſcit, prædeſtinat, & propterea prædeſtinat, quia quale futurum ſit, præſcit. Ideo & Apoſtolus: Nam quos præſciuit*, inquit, *& prædeſtinauit.* & poſt pauca: *Quod ergo bonum eſt, præſcientia prædeſtinat; id eſt, priuſquam ſit in re præordinat.* Multáque in ſequentibus dicit ad eamdem ſententiam Gregorius in libro 1. Regum cap. 14. ſuo libro 5. verſus finem ad illa verba; *Porro Philiſthim abierunt in loca ſua*, dicit: *Qui ad vitam æternam prædeſtinati non ſunt, loca dæmonum ſunt, quia diuina præſcientia in habitaculum Dei prædeſtinati non ſunt.* Et confirmat Rom. 8. *Quos præſciuit*, &c. Gloſſa Ordin. in id Pſalm. 68. *Deleantur de libro viuentium.* Ex Caſſiod. ait: *Liber iſte eſt notitia Dei qua prædeſtinauit ad vitam quos præſciuit.*

Sextò probatur, prudentia quippe præci- 21 *Prudentia actus intellectus.*
puè conſiſtit in actu intellectus, licèt ſupponat voluntatis actum: ſed prouidentia eſt pars prudentiæ, huius autem pars eſt prædeſtinatio: ergo tam prouidentia, quàm prædeſtinatio præcipuè conſiſtit in actu intellectus; licèt ſupponat voluntatis actum. Maior probatur: nam & in ſacris literis ſapientia pro prudentia, & prouidentia Dei ponitur, ſicut Iſaiæ 40. prope finem. *Nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.* *Iſaia 40.* Quod Septuaginta legunt: *Nec eſt inuentio prudentiæ eius.* Significatur autem incomprehenſibilitas diuinæ prouidentiæ, vt magis explicat Cyrillus ibi.

Confirmatur, nam inter virtutes intellectus 22 *Ariſtot.*
Ariſtoteles prudentiam enumerat lib. 6. Ethicorum, capite nono. ſub initio, & capite quinto, parum à principio. *Eos*, inquit, *prudentes dici, cum bene ad finem ſtudioſum aliquem excogitauerint ea, quorum nulla eſt ars. Quare & omnino prudens is eſt, qui ad conſultandum*

eſt aptus. Et circa medium capitis infert. *Quocirca Periclem & viros tales arbitramur eſſe prudentes, quia quæ ſibi ipſis, & quæ cæteris hominibus ſunt bona, perſpicere poſſunt.* Obſerua verbum excogitandi & perſpiciendi, & conſultandi, qui omnes ſunt actus intellectus.

23 *Ambroſ.* Patres etiam & Scholaſtici prudentiam in actu intellectus conſtituunt. Ambroſius libro tertio de Virginibus, tribus columnis aut finem
Auguſt. ait: *Prudentia humanæ rationis eſt.* Auguſtinus libro octuageſimo tertio quæſtionum, quæſtione trigeſima prima initio, definit: *Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum, & neutrarum ſcientia.* Atque libro primo de libero arbitrio, capite decimo tertio initio. *Prudentia eſt appetendarum,*
Beda. *& vitandarum rerum ſcientia.* Beda de templo Salomonis capite decimo quinto, paulo poſt medium. *Prudentia*, inquit, *eſt qua diſcimus, quid*
Pſal 83. *nos agere, qualiter viuere deceat*, & in Pſalm. 83. ad illud: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit: Prudentia eſt qua diſcernimus inter bonum & malum.*
Author libri de Spiritu & Anima. Author libri de Spiritu & Anima apud Auguſt. capite 51. prope finem dicit, *Prudentiam eſſe in ratione, & in ratione conſiſtere.* Magis Scholaſticè & ex profeſſo, prouidentiam eſſe virtutis cognoſcitiuæ potiùs, quàm appetitiuæ, atque rationis practicæ actum eſſe, probat ſanctus Thoma ſecunda ſecundæ, quæſtione 47. articulo 1. & 2.

24 Minor, videlicet, prouidentiam eſſe partem prudentiæ, probatur, quia propter affinitatem nimiam, factum eſt, vt eadem ſit vtriuſque definitio nominis. Nam & prouidens, & prudens dicitur, quaſi *porrò videns*, vt ex Boëtio, Auguſtino, Iſidoro, & Cicerone retulimus diſputatione prima, ſectione prima, & Beda in Prouerbia, libro ſecundo ad caput decimum, verſu vi-
Beda. geſimo tertio. *Prudentia, à prouidendo nomen accepit.* Denique prouidentiam eſſe partem prudentiæ, docet expreſſè ſanctus Thomas in præſenti quæſtione vigeſima ſecunda, articulo primo corpore, & ſecunda ſecundæ quæſtione quadrageſima nona, articulo ſexto, ex Tullio lib. 2. de inuentione folio 4. & ex Macrobio in Somnium Scipionis, fol. 2.

25 *Septima probatio.* Septimò probatur à priori, quia iudicium determinatè dictans, quid ſit actualiter, & liberè faciendum, & quæ res, & quomodo ſint in hos, aut alios fines ordinandæ de facto (non meræ poſſibilitatis iudicium) eſt actus vltimatè complens prouidentiam, & habens immediatam vim efficaciæ: ergo in hoc iudicio potiùs quàm in actu voluntatis conſiſtit prouidentia. Antecedens probabitur ſectione 9. & ſequentibus; vbi conſtabit, hoc iudicium eſſe imperium qui eſt vltimus actus prudentiam complens. Confirmatur, quoniam decretum efficax, & electio mediorum ad finem, non tam eſt ordinatio rerum in ſuos fines, quàm approbatio ordinationis, & rationis oſtenſæ per ſcientiam practicam (ordinare namque rationis actus eſt, vt ſanctus Thomas docet 1. 2. quæſt. 17. art. 5. corpore, vbi Caietanus contra Scotum, & idem ſanctus Thomàs 2. 2. quæſt. 83. corpore, & quæſt. 88. corpore, & alibi frequenter.) Prædictum verò iudicium intellectus eſſentialiter ipſa ordinatio, & directio practicè practica, quoniam ex motione voluntatis, & approbatione dictat, eam eſſe mandandam exequutioni.

SECTIO IV.

Solutiones ad Argumenta, quæ contendebant, in voluntate conſtituere prouidentiam & prædeſtinationem.

AD 1. Argumentum poſitum in ſect. 2. reſpondetur. Damaſcenus, & Nemeſius reſpexerunt ad illud, quod mouet, ac determinat, indifferentiam diuinæ libertatis, vt prouideat, & vnde magis excitamur ad cognitionem gratuiti beneficij: ſed non intendebant aſſignare complementum vltimum, & vim exequutiuam prouidentiæ. 1

Ad 2. cum confirmatione reſpondetur, ob eaſdem rationes Dei prouidentiam vocari nomine curæ, quia nihil omittit ad Vniuerſi perfectionem pertinens, perinde, ac ſi cor eius vrgeretur ſolicitudine; ſed non oſtenditur, in cura potiſſimam & vltimam vim prouidentiæ poſitam eſſe, nec id intendebant illi Patres aſſerere. 2

Ad 3. reſpondetur. Auguſtinus prædeſtinationem diſtinxit à præſcientia, quoniam præſcientia generaliter complectitur ea, quæ Deus non operatur, videlicet peccata; ſed prædeſtinatione Deus ea tantùm præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus, vt fuſiùs oſtendimus ſect. præced. probatione 5. vbi retulimus Auguſtin. plura loca, quibus oſtendit apertè, præparationem gratiæ, ſeu beneficiorum quam dicit eſſe prædeſtinationem, non eſſe decretum voluntatis, ſed ſcientiam practicam operis exequendi. 3

Ad 1. confirmationem reſpondetur. Meritò Proſper ad voluntatem Dei recurrit, quando vult aperire primam radicem diſcriminis inter prædeſtinatos & reprobos: ſed quando formaliſſimam rationem prædeſtinationis explicat, ſemper vtitur nominibus *ſcientiæ & cognitionis*, vt vidimus in eadem probatione 5. Ad 2. confirmationem reſpondetur. Fulgentius nomine *diſpoſitionis & præparationis* intelligit cognitioné, motam à decreto voluntatis, vt conſtat ex locis, quæ retulimus ſect. præced. probatione 5. Ad 3. confirmationem reſpondetur. Ille modus loquendi non eſt formalis, ſed quoniam miſerendi propoſitum eſt prima radix, determinans libertatis indifferentiam, vt Deus huic homini potiùs, quàm alteri miſereatur; ideo nomen prædeſtinationis accepit, raró tamen, & apud paucos. 4

Ad 4. ſimiliter reſpondetur. Scriptura ſacra multoties nominibus & verbis ſignificantibus actum voluntatis, prouidentiam ac prædeſtinationem hominibus commendat eo conſilio, quoniam, illa magis accómodatá ſunt ad excitádum amorem, gratitudinem & obſeruantiam. Nihilominus non raró formaliùs Scriptura loquitur, ſignificans prouidentiam & prædeſtinationem vocibus, ad cognitionem pertinentibus, quarum exempla poſuimus ſect. præced. probatione 2. 2. & 5. Ad 1. confirmationem reſpondetur. Illa verba Pauli & Machabæorum ſignificare poſſunt imperium intellectus, dictantis quid ſibi faciendum eſſet ex decreto voluntatis. Nihilominus licet actum voluntatis ſignificare dicantur illis in locis; non concluditur eam eſſe magis formalem, magiſque propriam ſignificationem deſtinationis. 5

Ad 2. confirmationé reſpondetur. In ſacris literis *decretum* quádoque refertur ad actú volútatis quandoque; 6

Decretum quandoque voluntatem quandoque iudicium ſignificat.
Deut. 17. 3. Reg. 8. Daniel. 3.

quandoque verò formalius ſignificat iudicium, & vltimam ſententiam, ſiue legem, procedentem ex determinatione voluntatis. Sic enim Deuter. 17. dicitur; *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire, decreto iudicis, morietur.* 3. Regum 8. *Ambulemus in decretis eius.* Daniel 3. *Tu rex poſuiſti decretum,* Quod nomen in eadem ſignificatione frequentiùs iteratur ibidem. Vnde Actorum 4. nihil mirum ſi diſcernere ſit ipſum prædeſtinare, quamuis prædeſtinare ſit actus intellectus; & quamuis aliis in locis *decretum* ſignificet actum voluntatis. Ad tertiam confirmationem reſpondetur diſtinguendo conſequens. Prædeſtinatio namque non eſt præſcientia operum alienorum, qualia ſunt peccata, nec eſt præſcientia ſolius poſſibilitatis, aut conditionalis futuritionis, quæ communis eſt prædeſtinatis & reprobis; ſed eſt præſcientia operum, quæ Deus decreuit in prædeſtinatis actualiter operari.

7 Ad quintum reſpondetur negando conſequentiam vltimam, quia prouidentia & prædeſtinatio primariò & præcipuè non dicunt radicem determinationis ad cauſandum, ſed immediatam & vltimam vim cauſalitatis, efficaciter ordinantis, quæ formaliter eſt in imperio intellectus quod explicabitur ſect. 9. & ſequentibus. Ad ſextum reſpondetur. Prædeſtinare eſt actus ſummæ dilectionis, tanquam determinantis ad prædeſtinandum, ſed non tanquam conſtituentis formaliter prædeſtinationem.

8 Ad ſeptimum reſpondetur. Solummodo probat, eſſentiam prædeſtinationis non conſiſtere in ſcientia poſſibilitatis gratiæ & gloriæ poſſibilitatis omnium mediorum. Nihil autem probat aduerſus ſcientiam quæ dictat, hunc hominem, per hæc media de facto tranſmittendum eſſe ad gloriam, quoniam ita liberè determinauit voluntas Dei: hæc enim ſcientia data contradictionem implicat, hunc hominem non eſſe prædeſtinatum. Ad octauum reſpondetur. Scientia mediorum & finis, vt poſſibilium, non eſt libera, ſed ſimpliciter neceſſaria. Cæterùm ſcientia mediorum & finis, quæ dictat operi mandanda fore de facto, libera eſt, propter libertatem obiecti, quod liberè voluntas elegit: quia ſola libertate gaudet prouidentia & prædeſtinatio.

9 Ad nonum reſpondetur Licet ad ea declaranda, quæ tanguntur in argumento, tractandum ſit præcipuè de voluntate Dei: multæ ſunt aliæ quæſtiones, in quibus recurrendum eſt potiſſimùm ad ſcientiam incomprehenſibilem Dei; veluti quando cum Apoſtolo Theologi omnes exclamant, & admirantur altitudinem ſapientiæ, & incomprehenſibilitatem iudiciorum Dei, hos eligentis, & illos reprobantis, quando reddunt in generali rationes; ob quas expediens fuerit, non omnes, neque plures, ſed pauciores prædeſtinare; quando libertatem cum efficacitate conciliant; & quando dicunt, Deum ſuo præcepto ſiue imperio cuncta gubernare. Quapropter antecedens argumenti non eſt generaliter verum; nec conſequentia eſt efficax; quia veriſimiliùs eſt, Doctores *prædeſtinationis* nomine intelligere illud, in quo formaliter eſt & vltimatè conſiſtit ratio talis efficaciæ, quæ nec libertati repugnet, nec poſſit vlla ratione fruſtrari, & quæ ſit imperium, cui obediunt omnia.

SECTIO V.

Quænam ſit intellectio illa, in qua conſiſtit prouidentia & prædeſtinatio, num iudicium de poſſibilitate obiectorum?

SVpponendum eſt primò, præſenti quæſtioni locum eſſe non ſolùm, apud Authores, qui prouidentiam & prædeſtinationem conſtituunt in intellectu; ſed etiam apud alios, qui eas conſtituunt in voluntate. Quia cum ſit exploratum, prouidentiæ, atque prædeſtinationi neceſſarium eſſe actum aliquem intellectus; inueſtigare debent, verum intellectio magis directè magiſque proximè ſeruiens prouidentiæ & prædeſtinationi, ſit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua parte proponit vt poſſibilia finem & media; & rationes conuenientiæ propter quas poſſunt efficaciter amari: vel potiùs alia intellectio, ſiue imperium magis proximè & immediatè prouidentiæ ac prædeſtinationi ſubſeruiat. 1

Scientia ad prædeſtinationem neceſſario practica eſſe debet.

Secundò certum eſt, practicam eſſe debere cognitionem intellectus diuini; ſi conſiſtat in ea prædeſtinatio & prouidentia: Practicam, inquam, ex ratione atque perfectione, qua diuinus intellectus praxim eminenter continet, prout modum rei faciendæ cognoſcit; quamuis omnia cognoſcat modo ſpeculatiuo (ſicut explicuimus tomo de ſcientia Dei diſput. 16. ſect. 4 & ſequentibus) ita Alexander 1. parte quæſt. 28. memb. 1. art. 1. Albertus prima parte quæſt. 63. membro primo. Durand. prima diſtinctione 41. q. 1. num. 7. collato cum num. 8. & 9. Ricardus diſtinctione 39. artic. 2. quæſt. 1. & diſtinct. 40. art. 1. q. 1. 2

Tribus partibus conſtat ſcientia prædicta.

Tertiò ſupponendum eſt, totam intellectionē, quæ concurrit ad prouidentiam & prædeſtinationem tribus partibus conſtare, noſtra conſideratione diſtinctis. Prima intellectio eſt, quæ dictat, eſſe poſſibile tales res ordinare ad tales fines; & eſſe poſſibile prædeſtinare multos homines, idque ad oſtenſionem bonitatis, & aliorum attributorū expedire. Secunda intellectio eſt, quæ dictat media omnia poſſibilia & conuenientia, quibus illæ res ordinentur ad ſuos fines; & hi atque alij homines, ſuauiter non minus, quàm efficaciter, & ineuitabiliter poſſint ad beatitudinem deſtinari. Tertia intellectio, quæ dictat has res de facto ordinandas eſſe, & hos homines, potiùs quàm alios, per hæc media potius, quàm per alia de facto producendos ad beatitudinem fore, quoniam libero decreto voluntatis ſunt electi. Quo ſuppoſito quæritur in præſenti, verum in aliqua ex his tribus intellectionibus conſiſtat prouidentia, & prædeſtinatio, vel potius quærenda reſtet vlterior intellectio, in qua conſiſtat. 3

Prima ſententia.

Prima igitur ſententia dicit, prædeſtinationem eſſe iudicium intellectus, dictans omnia media poſſibilia & conuenientia, quibus hi & illi homines per ſuauem & ineffabilem efficacitatem poſſunt ad beatitudinem perduci. Solam itaque poſſibilitatem dictat hoc iudicium. Tenet hanc ſententiam expreſsè Durand. 1. prima diſtinct. 41. quæſt. 1. ſub finem. Et eiuſdem eſſe videntur Alexand. Albertus & Ricardus citati ſupra §. 2. Eandem ſequitur Molina quæſtione 23. art. 1. diſputatione 2. Huius verò ſententiæ fundamentum eſt, quia prædictus actus 4

Eius fundamentum.

eſt iudicium practicum, & ſupponit motionem voluntatis, qua vult hominibus communicare beatitudinem; proptereáque mouet intellectum, vt inueniat opportuna media ad eum finem infallibiliter conſequendum.

5 *Scientia de poſſibilitate mediorum non eſt formaliter prædeſtinatio.* Vniuerſalior tamen concluſio debet eſſe certa. Prædictum iudicium de mediis neceſſariis ad ſalutem, non eſt formaliter actus prædeſtinationis, quamuis ad prædeſtinationem ſupponatur: & generaliter quodlibet iudicium abſtrahens ab abſoluta futuritione finis, aut mediorum, & ſolùm dictans poſſibilitatem eorum, ac rationes conuenientiæ propter quas amari poſſunt à voluntate diuina, non eſt formaliter actus prouidentiæ, nec prædeſtinationis. Ita exiſtimant authores, qui ſect. 7. & 9. docebunt imperium eſſe formaliter prouidentiam, atque prædeſtinationem, & omnes illi qui ſect. 2. dixerũt, prouidentiam & prædeſtinationem in operatione voluntatis potiùs, quàm intellectus conſiſtere.

6 *Probatur, quia prouidentia libera eſt.* Probatur primò, quoniam prouidẽtia & prædeſtinatio eſt actus non neceſſarius, ſed liber; ſed quodcumque iudicium dictans ſolam poſſibilitatem, & abſtrahens à futuritione non eſt liberum, ſed neceſſarium: ergo non eſt prouidentia, nec prædeſtinatio. Maior explicatur, & probatur, quia prouidentia & prædeſtinatio, vel eſt libera formaliter ratione ſui, ſi conſiſtit formaliter in actu voluntatis; vel eſt libera ratione obiecti, quod potuit non eſſe ſi conſiſtit formaliter in actu intellectus. *Cõfirmatur.* Confirmatur, quia prouidentia & prædeſtinatio potuit non eſſe, potuit enim Deus nihil creare, potuitque non gubernare res iſtas, ſed alias; potuit non prædeſtinare hos homines, quos de facto prædeſtinauit, ſed alios, aut nullos: at verò iudicium prædictum non potuit non eſſe; pertinet enim ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ quæ non minùs neceſſariò ſequitur ex eo, quòd Deus comprehendat ſeipſum, independenter à qualibet ſuppoſitione libera, quàm quælibet Scientia ſpeculatiua.

7 *Probatio ſecunda.* Vnde conſurgit probatio ſecunda, quoniam omnes propoſitiones, quæ per illud genus iudicij cognoſcuntur, ſunt perpetuæ veritatis: ergo iudicium illud ab obiecto non habet indifferentiam, aut poſſibilitatem, vt non fuerit: ſed ſcientia conſtituens prouidentiam, & prædeſtinationem ab obiecto habet indifferentiam, & poſſibilitatem, vt non fuerit: igitur iudicium dictans ſolam poſſibilitatem, non conſtituit prouidentiam, neque prædeſtinationem.

8 *Probatur 3. quia prouidentia non reſpicit æqualiter res poſſibiles.* Tertiò probatur, quoniam actus, conſtituens prouidentiam & prædeſtinationem, non reſpicit æqualiter omnes res poſſibiles, ſiue producantur de facto, ſiue numquam producantur: nec reſpicit æqualiter omnes homines poſſibiles, ſiue prædeſtinentur, ſiue reprobentur, ſiue numquam producantur: iudicium autem illud de fine, ac de mediis & eorum poſſibilitate, rationibúſque conuenientiæ, reſpicit æqualiter omnes res poſſibiles, & omnes homines poſſibiles, etiam reprobos, vel numquam exiſtentes: ergo iudicium iſtud non conſtituit prouidentiam nec prædeſtinationem. *Cõfirmatur.* Confirmatur, quia poſito actu, conſtituente prouidentiam talis rei, non eſt poſſibile Deum illi rei non prouidere: ſed, poſito prædicto iudicio, poſſibile eſt Deum tali rei non prouidere: ergo prædictum iudicium non conſtituit prouidentiam. Eodem modo ratiocinare de prædeſtinatione, cuius actu poſito, non poteſt non eſſe prædeſtinatus homo, quem reſpicit.

9 *Quartò probatur quia non eſt prouidus, qui poſſibilia ſolum cognoſcit.* Quartò probatur, nec enim eſt prouidus, qui bona, vel mala poſſibilia cognoſcit, niſi caueat à malis, & bona proſequatur: igitur prouidentia non eſt mera cognitio mediorum, vt poſſibilium; niſi copuletur cum actibus pertinentibus ad executionem operis: idem ergo dicendum erit de ſupernaturali prouidentia, quæ eſt prædeſtinatio.

10 *Oppoſitum fundamentum ſoluitur.* Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur. Prædictum iudicium practicum in Deo non ſupponit motionem voluntatis, qua vult hominibus communicare beatitudinem: imò quamuis Deus efficaciter decreuiſſet, omnino nullum hominem prædeſtinare; nulliſque rei prouidere: nihilominus neceſſariò intelligeret, quidquid eo iudicio practico dictatur. Quin etiã in hominibus tale iudicium practicum de poſſibilitate finis & mediorum, & de rationibus conuenientiæ & vtilitatis, contingit hominibus, abſque vlla motione voluntatis. Veluti quando præter intentionem occurrũt media meliùs gubernandi rempublicam ſæcularem, aut Eccleſiaſticam; vel quando peccatoribus in mentem veniunt media, quibus poſſent conſequi ſalutem, vel etiam perfectionem religionis. Hoc ſolum inter Deum & homines intereſt, quod talia iudicia de poſſibilitate mediorum multoties in hominibus excitãtur à libera voluntate hominum: in Deo tamen excitari nequeunt à libera voluntate Dei, quoniam ſunt ſimpliciter neceſſaria.

SECTIO VI.

Monaſticum imperium negandi Authores & argumenta.

1 PRæcipua difficultas de quiditate prouidentiæ, vel prædeſtinationis eò deuoluitur, vtrũ vltra ſcientiam ſupra dictam, qua cognoſcitur poſſibilitas & conuenientia finis & mediorum, alia intellectio requiratur ad prouidendum & prædeſtinandum, & illa cognitio ſit imperium. *Imperium duplex.* Pro quo diſtinguendum eſt imperium duplex, aliud monaſticum, aliud gubernatiuum alterius perſonæ. Monaſticum appellatur imperiũ, quod nullam obligationem inducit in aliam perſonam, ſed tantùm habet vltimam vim exequendi proprias operationes imperantis: quapropter hoc imperium attinet ad functionem propriæ facultatis. Aliud autem imperium ſuauem & liberam aliis perſonis obligationem inducit tamquam ſubditis; ideóque gubernationem reſpicit alterius perſonæ. Poteſt igitur imperium iſtud eſſe vel œconomicum, vel ciuile.

2 *Vtrumque in Deo reperitur.* Hoc diſcrimen accipiendum eſt formaliter & cum præciſione, diligenter aduertendo formalitatem vtramque multoties in Diuino imperio copulari. Nam idem imperium Dei, quatenus efficaciter mouet ac dirigit prædeſtinatos ad credendum, ſperandum, & diligendum, ſicut oportet; vt ſic eſt imperium monaſticũ, quo Deus ſuas operationes exequitur, & propria ſibi facultate operandi fungitur. Idem autem imperium, quatenus homines obligat ad credendum, ſperandum, diligendum, & cooperandum operationi Dei, vt ſic præciſè non eſt imperium monaſticum; ſed aliis obligationem inducens.

Imperium

3 *Imperium gubernatiui intellectus actus.* Imperium obligans alias perſonas, formaliter & præciſè conſideratum pertinere ad intellectum, clariori ratione probari poteſt, quoniam tale imperium eſt locutio, & iudicium affirmans obligationem, quam voluntas liberè ſe ipſam determinans, vult alteri perſonæ imponere. Sine quo iudicio, quamuis per impoſſibile conciperet voluntas obligandi volitionem, nondum exiſteret obligatio, niſi radicaliter. Formalis enim obligationis ratio deſideraretur, quouſq; volitionem illam conſequeretur iudicium, affirmans obligationem. Verumtamen hoc munire, atque propugnare argumentis, ac ſolutionibus, alienum eſt ab inſtituto præſenti. Proprius locus eſt 1.2.q.17.præſertim art.1.

4 *Duplex quæſtionis membrum.* Reſtat igitur imperium monaſticum & executiuũ, de quo diſputari poſſit, vtrùm in eo formaliter conſiſtat prouidentia & prædeſtinatio. Sub qua generali quæſtione duo membra continentur; alterum erit vtrum ad omnem volitionem eliciendam prærequiratur imperium, mouens & applicans voluntatem ad eam operationem. Hoc negatiua deciſione faciliùs expedietur infrà ſect. 8. Difficiùs eſt alterũ membrum magis proprium prouidentiæ & prædeſtinationis, videlicet, vtrum ad executionem operationis tranſeuntis, præter decretum efficax voluntatis, requiratur etiam imperium intellectus, & qualis actus ſit hoc imperium.

5 *Prima ſententia monaſticum imperium negat.* Prima ſententia, licet concedat imperium, quo alios obligamus, eſſe actum intellectus: nihilominus exiſtimat, nullum aliud imperium intellectus eſſe neceſſarium, quo Deus, Angeli, vel homines exequantur eas operationes, quæ ſuæ voluntati & potentiæ deſpoticè ſubiiciuntur: ſed has omnes exteriores actiones præcedente cognitione, proponente obiectum voluntati, ex eius libera electione immediatè reſultare. Ita exiſtimat Molina 1.p.quæſt.23. art. 1. diſput. 2. Eandem ferè ſententiam ſequitur Vazquez 1. p. diſput. 87.cap.3.& diſp.81. cap.2. & 1. 2. diſp. 49. cap.4. Suarez 1.p lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 16. & 17. & in Metaphyſ. diſp.19. ſect.6.& 7. Henric.tract.3. diſput.22. de natura prouidentiæ & prædeſtinationis cap.4. Azor.tomo 1.lib. 1.cap.29. quæſt.2. Arrubal.1.p.qu.22. art.1 diſp.63.cap.3.

6 Colligitur apertè ex Doctoribus, qui ſect. 2. dixerunt, prouidentiam, & prædeſtinationẽ formaliter eſſe voluntatis actum, ac potiſſimum ex Aureolo, qui magis ex profeſſo, refutat imperium requiſitum ad prouidentiam & prædeſtinationem. Præterea colligitur ex eiſdẽ, aliiſque Doctoribus, vniuerſaliter affirmantibus, imperium eſſe actum voluntatis, & non intellectus, aut ſaltem negantibus imperium intellectus. Ij ſunt Maior lib. 3. ſentent. diſt. 33. quæſt.7. de prudentia, Almain.tractatu 3. Moralium cap. 2. Ocham 3.ſentent.q.12,art.4. concl.3. Henricus quodlibeto 9.quæſt. 6. Hangeſtus in moralibus cap.1.§.3. corolario 3. Caſtro lib. 1.de lege pœnali cap.1. & 2. Ioan. de Medina codice de oratione cap.2. Tribuitur S. Bonauent. 3. ſentent. diſt.17.art.1.queſt.1 ad 3. Sed obiter loquens parum fauet.

7 Argumenta, quæ contendunt probare, nullum imperium eſſe de quiditate prouidentiæ, nec prædeſtinationis, nec ad eas requiri; ſunt quæ ſequuntur. *Fundamentum primũ.* Primum, quia ſuperfluus eſt talis actus, ac ſubinde impoſſibilis Deo. Nec enim requiritur, vt voluntas Diuina determinetur ad volendum: quia potiùs imperium ſupponit liberam determinationem voluntatis. Quod ſi ad omnem determinationem voluntatis eſſet prærequiſitum imperium, cùm ad omne imperium prærequiratur determinatio voluntatis; dabitur proceſſus in infinitum. Aliqui danda eſt aliqua volitio efficax, quam non præceſſerit imperium. Porro qua ratione illa volitio non indiget imperio præcedente: eadem ratione non indigebunt aliæ volitiones. Rurſus imperium non requiritur, vt Deus exequatur tranſeuntem operationem, quoniam hæc neceſſariò reſultat ex efficaci voluntate Dei. Confirmatur, quoniam ad actionem immanentem voluntatis, non minùs requiritur rationis directio, quàm ad actionem tranſeuntem: ſed ad actionem immanentem voluntatis non requiritur rationis imperium: ergo nec ad actionem tranſeuntem.

Secundum argumentum, quoniam imperium eſt locutio: ſed hæc non poteſt dirigi ad res non exiſtentes: quapropter propriè loquendo Deus non alloquitur res nondum exiſtentes, imperando illis, vt in lucem prodeant. Confirmatur, quia multæ res, etiam poſtquam exiſtunt, incapaces ſunt audiendæ locutionis diuinæ, præſertim inſenſibiles & irrationales: ergo gubernans imperium non poterit illas alloqui. 8 *Secundum.*

Tertium, quia nos experimur ad noſtras operationes tranſeuntes nullo imperio indigere: ergo multò minus indigebit Deus. 9 *Tertium.* Quartum, quoniam bruta per appetitum ſenſitiuum abſque vllo alio imperio ſe mouent, & ſuas operationes exequuntur: minor autem eſſe debet indigentia perſonarum rationalium. *Quartum.* Quintum, Quamuis enim Angeli & homines indigerent imperio, vt tranſeuntes operationes exequerentur: adhuc Deus non indigeret. *Quintum.* Quia creatis voluntatibus ea ratione fuiſſet imperium neceſſarium, vt imperium illarum intimatione quadam deferret facultatibus exequentibus. Cum autem in Deo nulla facultas exequens à voluntate diſtinguatur; nihil opus eſt intimando deferre voluntatis imperium.

Sextum, quia Deus ſibi ac ſuæ potentiæ operatiuæ non imperat, quoniam non eſt inferior & ſubiecta: nec imperat creaturis, quoniam propriè non ſunt capaces imperij, ſed tantùm metaphoricè. 10 *Sextum.* Septimum argumẽtum, Nam in Deo, & hominibus ſcientia vel imperium rei faciendæ, non ſe habent quaſi ſigillum imprimens figuram ſui (vt quidam Theologi voluerunt:) ſed potiùs voluntas immediatè operatur. *Septimum.* Alia argumenta videbimus ſect. ſequentibus præſertim ſect. 10.

SECTIO VII.

Refutatur imperium intellectus, quod non ſit iudicium aſſertiuum.

PRiuſquàm veniamus ad explicandum imperium, in quo prouidentia, prædeſtinatióque conſiſtit, duas concluſiones præmitto, quibus conſentio prædictæ ſententiæ, poſtea contradicturus eidem quantum ad alias concluſiones. Secundam concluſionem dabit ſectio ſequens. 1 Nunc ſit prima concluſio. Actus imperij, qui non ſit iudicium ſimpliciter aſſertiuum, nec à nobis explicari poſſit per propoſitionem indicatiui modi, non eſt poſſibilis in diuino intellectu; & *Imperium indictiuum actus.*

conſequenter nec ad prouidentiam nec ad prædeſtinationem pertinet, imo nec ad mouendas operationes hominum, aut Angelorum. Quantum ad hoc rectè exiſtimant authores præced. ſect. citati, aduerſus paucos referendos ad finem præſentis ſectionis.

2 *Probatur primò.*

Explicatur & probatur primò, quia ſicut in voluntate nullus actus eſt poſſibilis, qui non ſit volitio, & in potentia viſiua nullus actus eſt poſſibilis, qui non ſit viſio; ſic etiam in intellectu nullus actus eſt poſſibilis, qui non ſit intellectio. Omnis autem intellectio eſt quiditatiuè cognitio. Rurſus omnis cognitio præſertim intellectiua, vel eſt ſimplex apprehenſio, vel iudicium. Cum igitur in Deo non ſit poſſibilis apprehenſio mera, quæ non ſit incluſa eſſentialiter in iudicio: conſequens eſt non eſſe poſſibilem actum imperij, quod non ſit iudicium in Deo ſimpliciter aſſertiuum, nec à nobis ſignificari poſſit per propoſitionem indicatiui. Confirmatur, quia licet in Deo fuiſſet poſſibilis apprehenſio merè ſimplex (ſicut in hominibus eſt poſſibilis) illa non poſſet eſſe imperium, quoniam ex natura rei foret prior, quàm iudicium diuinæ ſcientiæ, dictans rerum omnium poſſibilitatem, & omnem poſſibilem ordinationem illarum: hæc autem ſcientia eſt prior imperio: ergo à fortiori, illa ſimplex apprehenſio foret prior imperio.

In Deo non eſt poſſibilis apprehenſio.

3 *Probatur ſecundò quia intellectus reſpicit verum vt verum.*

Probatur ſecundò, quoniam intellectus eſſentialiter reſpicit verum, vt verum; ergo nullum actum habere poteſt circa obiectum aliquod, niſi ſub ratione veri, ſed nullus actus verſatur circa verũ ſub ratione veri niſi iudicando, vel ſaltẽ apprehendendo, quatenus ſimplex apprehenſio eſt quodda͂ initium iudicij (vt expoſuimus in tom. de ſcientia Dei diſp. 87.) ergo non eſt poſſibili actus in intellectu diuino, qui nec ſit iudicium, nec apprehenſio ſimplex. Cum igitur in Deo repugnet apprehenſio mera, ſicut probatum eſt nuper, conſequens eſt, omnem actum intellectus diuini eſſe iudicium.

4 *Prouidentia determinat ordinationes in fines.*

Tertiò probatur, quia prouidentia determinat ordinationem rerum in ſuos fines, & prædeſtinatio determinat talem hominem per talia media eſſe tranſmittendum ad gloriam: ergo actus conſtituens prædeſtinationem & prouidentiam (quicumque ſit ille) non poteſt eſſe indifferens ad prædeſtinatos, & reprobos, vel ad homines numquam producendos, nec ad alias res numquam producendas. Sed intellectus non poteſt elicere actum determinatum circa ſua obiecta, niſi ſolùm iudicium: ergo ſi quis actus intellectus prouidentiam & prædeſtinationem conſtituit, ille debet eſſe iudicium.

5 Confirmatur primò, quoniam actus intellectus non poteſt eſſe determinatus circa ſua obiecta, niſi per modum intellectionis; intellectio verò non aliter determinatur circa ſuum obiectum, niſi adhærendo vero, tanquam vero; hoc autem eſt ipſum iudicare (ſicut explicatum eſt tomo de ſcientia diſp. 57. ſect. 3. & ſequentibus) ergo nullus actus poteſt eſſe conſtitutiuus prouidentiæ, vel prædeſtinationis; niſi ſit iudicium aſſertiuum alicuius veritatis. Confirmatur ſecundò, Quia ſimplex apprehenſio mera, & ſeparata à iudicio, licet exiſteret in Deo, non poſſet conſtituere prouidentiam & prædeſtinationem, quoniam indifferenter, ac ſine vlla determinatione, verſaretur circa gratiam & gloriam poſſibilem hominibus reprobis, aut hominibus prædeſtinatis, nec inter illos conſtitueret vllum diſcrimen. Eadem autem indifferentiæ & indeterminationis ratio ſequeretur ex quocumque alio actu, qui ponatur in intellectu, ſi non eſt iudicium, quod ſolum eſt determinatum.

Quartò probatur, quoniam omnis actus intellectus indiget ſpecie intelligibili, vel obiecto præſenti, quæ ſui repræſentationem efficiat: ergo omnis actus intellectus eſt formalis repræſentatio obiecti, reſultans ex repræſentatione effectiua, vel quaſi effectiua. Omnis autem formalis repræſentatio, ſi non adhæret intellectus ei, ſimplex apprehenſio eſt: ſi autem ei adhæret intellectus, illam amplectendo, quaſi veram, eſt iudicium: ergo nullus actus eſt poſſibilis in intellectu, qui nec ſit apprehenſio, nec iudicium. Sub nomine iudicij comprehendo etiam diſcurſum, quia non ſolùm continet tria iudicia, quæ ſunt Maior, Minor, & Concluſio, ſed etiam iudicat Conſequentiam eſſe bonam. 6

Omnis intellectio ſpecie indiget.

Omnis actus intellectus apprehenſio vel iudicium.

Quintò probatur, quoniam vt videbimus ſect. 9. & ſequentibus, datur imperium intellectus diuini, quod eſt propriè iudicium aſſertiuum: ergo ſuperfluè, ac ſine vtilitate fingitur aliud imperium, non aſſertiuum nec iudicatiuum. 7

Sextò probatur ex his, quæ dicemus ſtatim, exponentes ſententiam ſancti Thomæ; quam aliqui Thomiſtarum ſiniſtrè interpretantur dicentes imperium intellectus eſſe diſtinctum à iudicio, nec poſſe ſignificari verbo indicatiui modi. Sic Sotus lib. 1. de iuſtitia quæſt. 1. art. 1. præſertim ad 1. Bartholom. Medina 1. 2. qu. 17. art. 1. dum explicat ſolutionem ad 2. Valentia 1. 2. q. 17. diſp. 2. q. 1 a. punct. . Salaſ. 1. 2. tractatu 6. diſ. 2. ſect. 2. opinione 3. & ſect. 4. fine & ſect. 5. Tribuitur hæc ſententia S. Thomæ, quoniam 1. 2. quæſt. 17. art. 1. corpore aſſerit, imperare eſſe actum rationis, intimantis & mouentis in virtute voluntatis: *Et talis*, inquit, *intimatio exprimitur per verbum imperatiui modi, puta, cum alicui dicitur, fac hoc.* Dixerat autem priùs hoc nomen exprimi per verbum indicatiui: *Veluti ſi alicui aliquis dicat: Hoc eſt tibi faciendum.* 8

S. Thomam quidam ſiniſtrè interpretantur.

S. Thom.

Reſpondetur S. Thomæ ſenſus legitimus eſt, imperium non eſſe qualemcumque iudicium, ſiue qualemcumque propoſitionem, quæ poſſit indicatiuo modo ſignificari conſulendo, hoc, aut illud expedit facere, vel prædicendo rãtum, quod eſt futurum, veluti dicendo. Hoc eſt faciendum. Quoniam imperium debet eſſe tale iudicium aſſertiuum, quod habeat virtutem cauſandi neceſſitatem intimando determinationem voluntatis; Huiuſmodi iudicium eſt hoc: *Ego volo, vt Petrus per talia media efficaciter perueniat ad gloriam.* Supponitur autem quòd perſona concipiens tale imperium, potens eſt inducere neceſſitatem, vt illa res fiat quam tali iudicio. 9

Imperium quale iudicium.

Hanc eandem imperij quiditatem, qua diſtinguitur ab aliis iudiciis explicuit S. Thom. accommodatius ad tem præſentem 1. 2. q. 3. a. 1. corpore dicens: *Ratio ſpeculatiua eſt apprehenſiua ſolũ rerum: ratio verò practica eſt non ſolum apprehenſiua, ſed etiam cauſatiua. Eſt autem aliquid alterius cauſa dupliciter, vno quidem modo perfectè neceſſitatem inducendo, & hoc contingit, quando effectus totaliter ſubditur poteſtati cauſæ.* Vnde infert, ad rationem practicam pertinere, neceſſitatem imponere potentiis ſibi ſubiectis imperando. 10

S. Thom.

Quòd ſi petas quam ob cauſam D. Thomas 11

con

Digitized by Google

confugerit ad modum imperatiuum *fac*, ſi verè iudicium illud eſt aſſertiuum, & ſignificabile modo indicatiuo. Reſpondeo, rationem eſſe, vt ipſe qooque loquendi modos præ ſe ferret aliquid actualiter exercens vim motiuam, & cauſatiuam neceſſitatis ex præſuppoſita motione voluntatis. Quod totum breuiſſime ſignificatur illa voce *fac*. Sed opus haberee pluribus dictionibus, vt indicatiuo modo ſignificaretur totum, quod eâ voce denotatur.

12 Confirmatur primò, nam & aliis dictionibus, quibos nihil veri vel falſi declaratur expreſſè, niſi fictè proferantur, ſubeſt in mente iodicium aſſertiuuoi alicuius affectus: veluti cum ex corde dicis: *Vtinam dirigantur via mea ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas*. Subeſt in mente iudicium, affirmans, te deſiderare. Similiter com ſine fictione profert interiectiones *heu*, *va*, *vah*, ſubeſt in mente iudicium de eiſdem affectibus.

Conradus. Confirmator 2. Conradus enim meliùs, quàm alij S. Thomam interpeeratus, dicta quæſt. 17. art. 1. fine, dicit: Imperium *non eſſe rationis tantùm, ſed in virtute voluntatis; ſicut cum alteri denunciatur voluntas ſuperioris, qua iungitur ſibi aliquid. Illa denunciatio, vt continet voluntatem ſuperioris, tunc monet, ſicut cum dicitur: Eſt omnino voluntatis mea. vt facias hoc, vel illud.*

13 Confirmatur 3. nam & in ſacris Literis indicatioo modo ſignificatur imperium aliquando, veluti Ioan. 15. *Hac mando vobis, vt diligatis inuicem*, & iterum: *Mandatum nouum do vobis*. Aliud notem genus præcepti legimus. Marci 9. verſu 24. *Surde & muta Spiritus, ego pracipio tibi: exi ab eo*. In locutionibus vulgaribus frequentior hoc reperimus, præſertim in teſtamentis, aut legibus, vel mandatis principum aut Prælatorum. *Hac eſt noſtra voluntas*, *Mandamus*. & ſimilia verba indicatiui modi. Confirmatur 4. imperatiuus quippe loquendi modus indifferens eſt ad ſignificandam orationem, ſiue petitionem, vel ſignificandum imperiuoi: vt in oratione Dominica: *Panem noſtrum quotidianum da nobis*, & tamen indicatiuo modo ſignificatur aliquando, veluti Tobiæ 3. *Peto Domine, vt de vinculo improperij eius abſoluas me.*

Ioan. 15. *Marc. 9.* *Tobie 3.*

14 Authores denique plures, qoi citantur pro imperio, quod non ſit iudicium aſſertiuum, nihil ampliùs dicunt, quam quod hactenus explicuimus dictum à D. Thoma, videlicet, exprimi verba imperatioi modi: *fac*, & contiuere motionem voluntatis. Ita loquuntur Aotoninus 1. part. titulo 4. cap. 10. in principio. Ricard. 3. ſentent. diſtinct. 33. art. 2. quæſt. 6. ad 3. Caiet. 1. 2. q. 17. art. 1. Capreol. 3. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 1. fine. Viguerius inſtitotionum moralium lib. 1. cap. 3. §. 6. initiò. Cooſultò prætermitto reliqoos, qui citantur, qooniam in illis nihil ad rem præſentem reperio.

SECTIO VIII.

Nullum imperium rationis mouet volitiones diuinas.

1 *Ad diuinas volitiones imperium nullum requiritur. Probatur primò.*

SEcunda concluſio, quam præcedentis ſectionis initio promiſi. Nullus actus ratioois imperantis prærequiritur ad diuinas volitiones, vt illas moueat, & conſeqoenter tale imperium, nec ad prooidentiam, nec ad prædeſtinationem pertinet. Probatur primò, quia nec in hominibus requiritur imperium ad omnem volitionem; ſiquidem imperium eſſentialiter ſopponit volitionem, in cuius virtute moueat (vt ouper vidimus) vnde ſi quælibet volitio præſupponeret aliqood imperium; præſuppooeret etiam aliam volitionem, & ita procederetur in infinitum, nec eſſet poſſibilis prima volitio, nec primum imperium.

Probatur ſecundò, quia vel volitio determinanda foret ab imperio, vel non: ſi determinanda foret ab imperio; nulla volitio foret libera formaliter, & ratione ſui: vnde nec eſſet libera, tanquam actus imperatus ab alia volitione formaliter libera, quia nulla eſt formaliter libera. Quòd ſi volitio non eſt determinanda ab imperio; nullum reſtat munus imperij proprium, nam obiectum proponere, & rationes allicientes, ac veluti perſuadere, totum hoc præſtat ſcientia poſſibilitatis, quæ nullam præcedentem volitionem ſupponit, ac proinde non eſt imperiom. 2 *Secundò.*

Reſtant nihilominus explicandæ ſequentes difficultates. Prima, vtrùm ſi oon ad omoes, ſaltem ad aliquas Dei volitiones prærequiratur imperium rationis, & conſequenter prærequiratur ad volitiones interuenientes io prædeſtinatione, & prouidentia. Ratio dubitandi eſt, quoniam aliqoæ volitiones humanæ requirunt imperium. Sic eoim S. Thomas 1. 2. quæſt. 17. art. 3. docet rationis imperium eſſe prærequiſitum ad eam volitionem, quæ eſt vſus. Quam doctrinam ſeqoontur communiter Thomiſtæ, & alij non pauci. 3 *Prima difficultas expedienda.* *Ratio dubitandi.*

Reſpondetur primò. S. Thomas ibi non dicit, rationis imperium eſſe neceſſarium, vt humana voluntas concipiat eam volitionem, quæ eſt vſus; ſed tantùm, vt volitio concepta independenter ab imperio, poſſit eſſe actualiter vſus, quatenus actualiter operatur ad extra, vtendo inſtrumentis. Itaque formaliter loqueodo, non ad operationem immanentem, ſed ad operationem tranſeuntem vtendi, requiritur illud imperium. Reſpondetur 2. Si fortè neceſſarium eſt rationis imperium, ad concipiendam volitionem, quæ eſt vſus; id propterea contingit hominibus, quoniam eſt volitio realiter diſtincta ab intentione finis, & electione mediorum, & propter maiorem difficultatem executionis impeditur voluntas maiori repugnantia laboris, & ignauia maiori, ne volitionem illam efficacem eliciat. Imperium autem rationis adiuuat & ſtimulat hanc voluntatis inertiam & repugnantiam. Ceſſant autem omnes iſtæ rationes in diuina volitione, vt ſtatim dicemus. 4 *Soluitur.*

Secunda difficultas eſt, vtrùm imperium rationis mouere poſſit ad aliquas volitiones diuinas, quamuis ad illas non ſit abſolutè neceſſarium. Ratio dubitandi eſt, quoniam moltoties homines per vnam volitionem liberam determinamus intellectum, vt illius virtute imperet aliam volitionem, quamuis eam elicere poſſemus abſque præcedente imperio. Veluti quando volentes attentè orare, atque deuotè, imperamus volitiones ſpei, charitatis, contritionis, aut alius affectus. Sic enim poſſe quoſdam actus imperare, rectè docuit S. Thomas 1. 2. quæſt. 17. art. 5. & fatentur communiter authores etiam ex illis, qui negant imperium eſſe neceſſarium. 5 *Secunda difficultas.* *Ratio dubitandi.* 6

Reſpondeo & dico primò. Realiter imperare volitiones, requirit realem productionem & cauſalitatem; ac proinde requirit diſtinctionem volitionis imperatæ, qua realiter differat à volitione *Realiter imperare volitiones, requirit productionem realem.*

virtute

Digitized by Google

virtute cuius imperium mouet, & ab ipſo imperio. Talis autem diſtinctio manifeſtè repugnat Deo. Quam ob cauſam illud tantùm ſupereſſe poterat difficultatis, vtrum noſtro modo concipiendi, rationis imperium virtute cuiuſdam volitionis diuinæ imperet aliam volitionem; ſicut noſtro modo concipiendi volitio quædam mouet ad aliam volitionem, vt volitio finis ad volitionem mediorum.

7 *Neque noſtro modo concipiendi imperium mouet volitionem diuinam.* Dico ſecundò. Nullum imperium intellectus, etiam noſtro modo concipiendi mouet ad aliquam volitionem diuinam. Probatur, quoniam noſter modus concipiendi, ſi non ſit alienus à ratione, correſpondere debet realibus motionibus, quibus humanum imperium virtute præcedentis volitionis affert neceſſitatem voluntaris ſequentis, illam cauſando. Cauſat autem dictando quod hac propoſitione ſignificatur: *Ego volo efficaciter, vt velim obedire, & humiliari.* Exempli gratia. Talis autem cauſalitas, neque ſecundùm rationem datur in Deo, quoniam eſſentialiter inuoluit imperfectionem eius volitionis, quæ imperatur; eſt enim ſubiecta & inferior imperanti. Explicatur ampliùs & confirmatur primò, quoniam vt aliqua volitio ſit imperata, requiritur, eam priùs eſſe obiectum alterius volitionis imperantis, & obiectum etiam imperij, nec aliter exiſtere, niſi dependenter ab illis, iuxta prædictam explicationem imperij. Eſt autem hic imperfectus modus voluntatis, quæ paulatim per gradus pergit ad volenda, quæ vult, nec ſemel vno indiuiſibili actu velit omnia quæ vult.

8 *Diſcurſus repugnat Deo.* Vnde confirmatur ſecundò, quia non ſolùm diſcurſus actuum realiter diſtinctorũ, ſed etiam diſcurſus continens præmiſſas & concluſionem ſola ratione diſtinctas, diuinæ perfectioni repugnat; idque propterea, quoniam Deo repugnat aſſentiri concluſioni propter ordinem illationis, quem habet ad præmiſſas (vt fuſiùs explicauimus tomo de ſcientia Dei, diſput. 14.) ſed ſimiliter imperata volitio, prout imperata, non elicitur, niſi propter ordinem, quem habet ad imperium & ad volitionem, virtute cuius imperatur. Hoc igitur erit imperfectio non minùs, quàm ille diſcurſus. Nam perfectio diuinæ volitionis poſtulat, immediatè propter ſuum obiectum formale, videlicet, diuinam bonitatem verſari circa quæcumque volibilia materialia, ſeruato ordine ipſorum obiectorum, & conſequenter ſeruata naturali & neceſſaria connexione, ſeu conſecutione volitionum.

9 Confirmatur tertiò, quoniam in hominibus plures volitiones ex aliis neceſſariò reſultant; & tamen non ſunt imperatæ, quia non ſunt volitæ per priores volitiones, quod tunc præcipuè contingit, quando mouentur ab eodem obiecto formali. Sic enim dilectio proximi, quem video neceſſitate laborantem, neceſſariò ſequitur ex dilectione, qua diligo Deum: nec tamen eſt volitio imperata, ſed eſt extenſio ad materialia obiecta. Ergo quamuis in Deo nonnullæ volitiones ex aliis neceſſariò reſultent, non datur ſufficiens fundamentum concipiendi, quod imperentur ab illis. Mouentur enim ex eodem obiecto formali, & ſunt quaſi partes extenſionis materialis obiecti. Vnde confirmatur, 4. quia non modò realiter, ſed neque ſecundùm noſtrum modum concipiendi cenſeri debet imperatus in hominibus amor obiectorum materialium, contentus in vna ſimpliciſſima volitione, qua diligitur obiectum formale. Sic autem ſe habent omnes volitiones in Deo.

Ex eiſdem principiis ſoluitur tertia difficultas, poſtulans rationis diſcrimen, ob quam imperium diuinæ rationis abſolutè neceſſarium ſit ad actionem tranſeuntem; cum neceſſarium non ſit ad actionem immanentem, quæ eſt volitio Dei. Reſpondetur enim, hæc eſſe manifeſta diſcrimina. Primum eſt. Quælibet actio tranſiens realiter diſtinguitur ab imperio, & volitione Dei; nulla verò volitio realiter diſtinguitur ab alia volitione vel imperio. Secundum. Quælibet actio tranſiens realiter cauſatur, & realiter eſt ſubiecta imperio diuino. Tertiũ. Quælibet actio tranſiens, neceſſario prærequirit fuiſſe priùs obiectum volitum & cognitum, vt faciendum, prout ſect. ſequenti conſtabit. Quartum. Operatio tranſiens non ſeipſam determinat, ſed debet neceſſariò determinari à volitione per imperium, determinatè dirigens, & præſcribens executionem, & omnes eius circumſtantias. At verò diuina volitio ſe ipſam determinat, nec indiget alio priori determinante; hoc enim eſt proprium operationis formaliter liberæ. 50 *Tertia difficultas.*

SECTIO IX.

Imperium intellectus, neceſſarium ad actiones tranſeuntes explicatur.

Deuenimus iam tandem ad explicandam eam operationem intellectus, in qua formaliter, ac præcipuè conſiſtit prouidentia, & prædeſtinatio iuxta ſententiam Sanctum Thomæ conſtituentis eam eſſe imperium. in præſenti quæſt. 22. art. 1. ad 1. & ad 3. & qu. 23. art. 4. corpore ſub initium. Cui conſonat 1. 2. qu. 17. art. 1. Quem ſequuntur Caiet. & cæteri Thomiſtæ in expoſitione eorumdem articulorum. Capreolus 1. diſt. quæſt. 1. art. 1. ſub finem, & 1. diſt 40. art. 1. concluſ. 1. & art. 2. concl. 2. & 3. 1

Sit igitur concluſio prima. Operatio illa, in qua præcipuè conſiſtit prouidentia & prædeſtinatio, debet eſſe iudicium intellectus, affirmans Dei volitionem liberè decernentem de finibus rerum, & ordinationibus mediorum ad illos, & eo ipſo affirmans, eſſe producendas res contingentes, quas facere decernit. Quod noſtro modo intelligendi, perinde eſt, ac ſi Deus apud ſemetipſum ita loquatur exempli cauſa de prædeſtinatione Petri. *Ego volo Petrum ad beatitudinem perducere, & volo illi conferre talia, & talia media, quibus efficaciter eam, & liberè conſequetur.* 2 *Actus in quo prouidentia conſiſtit, Dei volitionem eſſe & creaturas producendas eſſe affirmat.*

Supponit hanc concluſionem Chryſoſtomus, ita diſcurrens homil. 2. in Pſal. 50. colum. 5. *Si Deus, dixerit adultero: iam nolo vt adulter ſis: verba ſtatim vertuntur in opera. Si dixerit fornicatori: fornicari ceſſa ab immunditia tua: illico mens eius in melius mutatur, & vt ſcias, quia ita eſt, dixit: fiat cœlum, & factum eſt cœlum. Præcepit fieri terram, & verbum eius in opere ceſſit. Volo fieri luminaria, ſtatim facta ſunt, & aſtris completum eſt cœlum. Sol & Luna præcepto eius conſumant curſum ſuum, volo fieri Angelos, & in puncto horæ tanta millia facta ſunt. Et qui ex nihilo hæc omnia fecit, ſi vult ſermone ſuo tua peccata non valet ſoluere; & poſt pœnitentiam in Angelicum conſtituere gradum?* Perpende, quomodo Chryſoſtomus indifferenter vtitur verbo *præcipiendi*, & propoſitionibus affirmantibus; *volo, vt hæc* 3 *Chryſoſt.*

hoc fiat. Nolo vt fiat illud. Supponit igitur præceptum aut imperium Dei factiuum,eſſe propoſitiones illas affirmantes, quid Deus velit, aut nolit.

4 Ratione probatur ex ſuperioribus ſectionibus,quoniam operatio illa,in qua præcipuè conſiſtit prouidentia,& prædeſtinatio,debet eſſe intellectiu;ſicut probatum eſt ſect. 3.& 4. Rurſus non poteſt eſſe mera cognitio finis,& mediorum, vt poſſibilium, nec vlla alia cognitio ſimpliciter neceſſaria;ſicut probatum eſt Sect.5.Nec poteſt imperium eſſe aliquis actus, qui non ſit iudicium, ſed debet eſſe iudicium aſſertiuum; ſicut probatum eſt ſect.7.Denique imperium non debet aſſerere volitiones diuinas, per quas volitæ ſint aliæ volitiones diuinæ; ſicut probatum eſt ſect. 8.Reſtat igitur, vt imperium ſolummodo poſſit eſſe iudicium Dei affirmans veritates liberas,quas expoſuimus in concluſione. Confirmatur quoniam cognitio,in qua conſiſtit prouidentia & prædeſtinatio, potuit non eſſe; ſicut vidimus ſect. 5.nec alia ratione potuit non eſſe cognitio diuina,niſi quia potuit eius obiectum non eſſe; quapropter talis cognitio eſt de obiecto libero. Nec ſunt alia obiecta libera, quæ potuerint non eſſe, ſimúlque pertineant ad prouidentiam & prædeſtinationem,niſi ea quibus generalibus verbis comprehendimus in concluſione, videlicet, volitio libera Dei & actualis futuritio finis & mediorum,quibus obtinetur.

Cognitio in qua conſiſtit prouidentia potuit non eſſe.

5 Secunda concluſio. In prædicto iudicio continetur eſſentialiter,& explicitè tota ſcientia ſimplicis intelligentiæ qua parte dictat poſſibilitatem finis & mediorum,& oſtendit, quænam via ſit conuenientior ad obtinendum illum finem. Cuius euidens ratio eſt, quia ſicut nulla res poteſt actualiter exiſtere, niſi eſſentialiter ſit ens poſſibile, contineátque omnia ſua prædicata neceſſaria: ita non eſt poſſibile iudicium perfectè penetrans & enuncians,fore,vt talis res actualiter exiſtat niſi penetret ſimul,& aſſerat,rem eandem eſſe poſſibilem & illi neceſſariò conuenire ſua prædicata eſſentialia.

In prædicto iudicio ſcientia ſimplicis intelligentiæ continetur.

6 Atque hinc ampliùs commendatur,& confirmatur, eſſe magis aptum ad prouidentiam & prædeſtinationem, illud iudicium, quod poſuimus concluſione prima:quoniam comprehendit totum illud, quod requiritur ad opus exterius dirigendum:dictat enim, quomodo poſſit,& expediat fieri: atque ſimul etiam eſt in ſe ipſo determinatum, quatenus ab intrinſeco eſt cognitio dictans, & intimans liberam determinationem voluntatis, de futura executione mediorum & finis. Hac determinatione præcellit hoc iudicium. Nam aliud iudicium de poſſibilitate (refutatum ſect. 5.) non ab intrinſeco, ſed tantùm per extrinſecam appoſitionem ſuperuenientis volitionis liberæ poteſt eſſe determinatum.

7 Tertia concluſio. Euidens eſt, Deum intellectu iudicare,& aſſerere,ſe velle, Petrum ad beatitudinem perducere per talia media, & de facto Petrum per ea media peruenturum eſſe ad beatitudinem (idem intellige de quibuſcumque operibus prouidentiæ tam naturalis, quàm ſupernaturalis.) Ratio demonſtrat, quia nullum verum latere poteſt diuinam ſcientiam, & illud maximè,quod pertinet ad ſuas volitiones, & ad perfectam expletionem earum.

Deus ſe velle iudicat.

8 Quarta concluſio. Prædictum iudicium intellectus,per ſe,directè,formaliter, ac neceſſariò requiritur ad executionem operis, quod Deus vult efficaciter operari. Probatur, quoniam ad executionem operis dirigendam, requiritur cognitio practica;ſed Deus non exequitur omnia, quæ cognoſcit eſſe poſſibilia, ſed tantùm aliqua illorum,& ea nõ exequitur omnibus modis, nec omnibus temporibus, neque omnibus locis aut circunſtantiis, ſub quibus poſſent executioni mandari;ſed tantùm quibuſdam modis,temporibus,locis,ac circunſtantiis:oportet igitur practicam Dei cognitionem eſſe talem,quæ dirigat, & intimet,vt hoc opus fiat,potiùs, quàm illud, & fiat nunc,& non alio tempore,hîc, & non alibi, cum his circunſtantiis & modis,ac non cum aliis. Nullus autem alius reperiri poteſt actus in intellectu diuino, qui prædicto modo poſſit executionem dirigere, niſi iudicium explicatum in præcedentibus concluſionibus: ergo tale iudicium,per ſe,directè,formaliter,ac neceſſariò requiritur ad executionem operis diuini.

Per ſe ad operis executionem requiritur.

Confirmatur,quia licet conſideres practicam ſcientiam omnium poſſibilium, & illis ſuperaddas volitionem efficacem, ac determinatam ad vnum opus;illa ſcientia non erit determinata in ratione ſcientiæ practicæ, & conſequenter non erit fixa regula,nec determinata directio, & gubernatio futuri operis, quouſque determinatè cognoſcatur,quid,quomodo, quando, & vbi ſit faciendum,& quid omittendum. 9

Scientia ſimplicis intelligentiæ nõ eſt determinata regula.

Vnde conſurgit probatio ſecunda, quoniam agens intellectuale cæco modo prorumperet in opus ad inſtar agentium irrationabilium; niſi cognoſceret, ſe facere iſtud opus, & non aliud, hoc modo, & non alio, tali tempore, & loco. Quapropter non eſſet ſatis cognoſcere illud opus illo modo,tempore, & loco poſſe fieri, ſed per ſe neceſſarium eſt ſcire faciendum eſſe. Vnde conficitur hic ſyllogiſmus. Ad executionem operis dirigendam,per ſe,directè, formaliter, ac neceſſariò requiritur in Deo, quidquid opus eſt ad operandum ſcienter,& non cæco modo,ignorando, quid ſit facturus: ſed prædictum iudicium hoc præſtat, & abſque illo ſemper ignorabitur,quid Deus actualiter ſit operaturus: ergo prædictum iudicium per ſe,directè, formaliterque neceſſarium eſt ad executionem dirigendam. 10

Ad operis executionem neceſſarium quid ſit faciendum ſcire.

Confirmatur verbis Auguſtini lib. 15.de Trinit.cap. 13.circa med. *Vniuerſas creaturas & ſpirituales & corporales, non quia ſunt, ideo nouit, ſed ideo ſunt, quia nouit. Non enim neſciuit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſciuit, creauit, non quia creauit,ſciuit.* Itaque ſcire quæ fuerat creaturus, fuit per ſe cauſa creandi. 11

Auguſtinus.

Tertia quoque probatio cognata eſt præcedenti, quoniam hoc iudicio, dictante Dei volitionem,& effectum abſolutè futurum,ac producendum à Deo,meliùs explicantur paradigmata, ſiue rationes exemplares, quas Dionyſius cap. 5. de diuinis nomin. prope finem,tradit his verbis: *Omnium cauſa priùs conſtituiſſe omnium rerum exemplaria, concedendum eſt.* Et paucis interpoſitis: *Exemplaria autem dicimus eſſentia rerum effectrices rationes, quæ in Deo coniuncta antè fuerunt, quas ſcripta diuina prædeſtinationes appellant, diuináſque ac bonas voluntates, quæ conſtituunt & faciunt omnia.* Vbi ponderandum imprimis eſt nomen *Rationes*, quod plane pertinet ad intellectum. Deinde notandum eſt, hæc exemplaria non eſſe ideas præcisè conſideratas,vt ſunt communes 12

Dionyſius.

Digitized by Google

virtute cuius imperium mouet,& ab ipſo imperio. Talis autem diſtinctio manifeſtè repugnat Deo. Quam ob cauſam illud tantùm ſupereſſe poterat difficultatis, vtrum noſtro modo concipiendi, rationis imperium virtute cuiuſdam volitionis diuinæ imperet aliam volitionem; ſicut noſtro modo concipiendi volitio quædam mouet ad aliam volitionem, vt volitio finis ad volitionem mediorum.

Neque noſtro modo concipiendi imperium mouet volitionem diuinam.

7 Dico ſecundò. Nullum imperium intellectus, etiam noſtro modo concipiendi mouet ad aliquam volitionem diuinam. Probatur, quoniam noſter modus concipiendi, ſi non ſit alienus à ratione, correſpondere debet realibus motionibus, quibus humanum imperium virtute præcedentis volitionis affert neceſſitatem voluntatis ſequentis, illam cauſando. Cauſat autem dictando quod hac propoſitione ſignificatur: *Ego volo efficaciter, vt velim obedire, & humiliari.* Exempli gratia. Talis autem cauſalitas, neque ſecundùm rationem datur in Deo, quoniam eſſentialiter inuoluit imperfectionem eius volitionis, quæ imperatur; eſt enim ſubiecta & inferior imperanti. Explicatur ampliùs & confirmatur primò, quoniam vt aliqua volitio ſit imperata, requiritur, eam priùs eſſe obiectum alterius volitionis imperantis, & obiectum etiam imperij, nec aliter exiſtere, niſi dependenter ab illis, iuxta prædictam explicationem imperij. Eſt autem hic imperfectus modus voluntatis, quæ paulatim per gradus pergit ad volenda, quæ vult, nec ſemel vno indiuiſibili actu velit omnia quæ vult.

Diſcurſus repugnat Deo.

8 Vnde confirmatur ſecundò, quia non ſolùm diſcurſus actuum realiter diſtinctorũ, ſed etiam diſcurſus continens præmiſſas & concluſionem ſola ratione diſtinctas, diuinæ perfectioni repugnat; idque propterea, quoniam Deo repugnat aſſentiri concluſioni propter ordinem illationis, quem habet ad præmiſſas (vt fuſiùs explicauimus tomo de ſcientia Dei, diſput. 14.) ſed ſimiliter imperata volitio, prout imperata, non elicitur, niſi propter ordinem, quem habet ad imperium & ad volitionem, virtute cuius imperatur. Hoc igitur erit imperfectio non minùs, quàm ille diſcurſus. Nam perfectio diuinæ volitionis poſtulat, immediatè propter ſuum obiectum formale, videlicet, diuinam bonitatem verſari circa quæcumque volibilia materialia, ſeruato ordine ipſorum obiectorum, & conſequenter ſeruata naturali & neceſſaria connexione, ſeu conſecutione volitionum.

9 Confirmatur tertiò, quoniam in hominibus plures volitiones ex aliis neceſſariò reſultant; & tamen non ſunt imperatæ, quia non ſunt volitæ per priores volitiones, quod tunc præcipuè contingit, quando mouentur ab eodem obiecto formali. Sic enim dilectio proximi, quem video neceſſitate laborantem, neceſſariò ſequitur ex dilectione, qua diligo Deum: nec tamen eſt volitio imperata, ſed eſt extenſio ad materialia obiecta. Ergo quamuis in Deo nonnullæ volitiones ex aliis neceſſariò reſultent, non datur ſufficiens fundamentum concipiendi, quod imperentur ab illis. Mouentur enim ex eodem obiecto formali, & ſunt quaſi partes extenſionis materialis obiecti. Vnde confirmatur, 4. quia non modò realiter, ſed neque ſecundùm noſtrum modum concipiendi cenſeri debet imperatus in hominibus amor obiectorum materialium, contentus in vna ſimpliciſſima volitione, qua diligitur obiectum formale. Sic autem ſe habent omnes volitiones in Deo.

Ex eiſdem principiis ſoluitur tertia difficultas, 10
poſtulans rationis diſcrimen, ob quam imperium diuinæ rationis abſolutè neceſſarium ſit ad actionem tranſeuntem; cum neceſſarium non ſit ad actionem immanentem, quæ eſt volitio Dei. Reſponderur enim, hæc eſſe manifeſta diſcrimina. Primum eſt. Quælibet actio tranſiens realiter diſtinguitur ab imperio, & volitione Dei; nulla verò volitio realiter diſtinguitur ab alia volitione vel imperio. Secundum. Quælibet actio tranſiens realiter cauſatur, & realiter eſt ſubiecta imperio diuino. Tertiũ. Quælibet actio tranſiens, neceſſariò prærequirit fuiſſe priùs obiectum volitum & cognitum, vt faciendum, prout ſect. ſequenti conſtabit. Quartum. Operatio tranſiens non ſeipſam determinat, ſed debet neceſſariò determinari à volitione per imperium, determinatè dirigens, & præſcribens executionem, & omnes eius circumſtantias. At verò diuina volitio ſe ipſam determinat, nec indiget alio priori determinante; hoc enim eſt proprium operationis formaliter liberæ.

Tertia difficultas.

SECTIO IX.

Imperium intellectus, neceſſarium ad actiones tranſeuntes explicatur.

DEuenimus iam tandem ad explicandam eam operationem intellectus, in qua formaliter, ac præcipuè conſiſtit prouidentia, & prædeſtinatio iuxta ſententiam Sanctum Thomæ conſtituentis eam eſſe imperium. In præſenti quæſt. 22. art. 1. ad 1. & ad 3. & qu. 23. art. 4 corpore ſub initium. Cui conſonat 1.2. qu. 17. art. 1. Quem ſequuntur Caiet. & cæteri Thomiſtæ in expoſitione eorumdem articulorum. Capreolus 1. diſt. quæſt. 1. art. 1. ſub finem, & 1. diſt 40. art. 1. concluſ. 1. & art. 2. concl. 2. & 3. 1

Sit igitur concluſio prima. Operatio illa, in 2
qua præcipuè conſiſtit prouidentia & prædeſtinatio, debet eſſe iudicium intellectus, affirmans Dei volitionem liberè decernentem de finibus rerum, & ordinationibus mediorum ad illos, & eo ipſo affirmans, eſſe producendas res contingentes, quas facere decernit. Quod noſtro modo intelligendi, perinde eſt, ac ſi Deus apud ſemetipſum ita loquatur exempli cauſa de prædeſtinatione Petri. *Ego volo Petrum ad beatitudinem perducere, & volo illi conferre talia, & talia media, quibus efficaciter eam, & liberè conſequetur.*

Actus in quo prouidentia conſiſtit, Dei volitionem eſſe, & creaturas producendas eſſe affirmat.

Supponit hanc concluſionem Chryſoſtomus, 3
ita diſcurrens homil. 2. in Pſal. 50. colum. 5. *Si Deus, dixerit adultero: iam nolo vt adulter ſis: verba ſtatim vertuntur in opera. Si dixerit fornicatori: fornicari ceſſa ab immunditia tua: illico mens eius in melius mutatur, & vt ſcias, quia ita eſt, dixit: fiat cœlum, & factum eſt cœlum. Præcepit fieri terram, & verbum eius in opere ceſſit. Volo fieri luminaria, ſtatim facta ſunt, & aſtris completum eſt cœlum. Sol & Luna præcepto eius conſumant curſum ſuum, volo fieri Angelos, & in puncto horæ tanta millia facta ſunt. Et qui ex nihilo hæc omnia fecit, ſi vult ſermone ſuo tua peccata non valet ſoluere; & poſt pœnitentiam in Angelicum conſtituere gradum?* Perpende, quomodo Chryſoſtomus indifferenter vtitur verbo *præcipiendi*, & propoſitionibus affirmantibus; *volo, vt hoc*

Chryſoſt.

Digitized by Google

hoc fiat. Nolo vt fiat illud. Supponit igitur præceptum aut imperium Dei factiuum, eſſe propoſitiones illas affirmantes, quid Deus velit, aut nolit.

4 Ratione probatur ex ſuperioribus ſectionibus, quoniam operatio illa, in qua præcipuè conſiſtit prouidentia, & prædeſtinatio, debet eſſe intellectio; ſicut probatum eſt ſect. 3. & 4. Rurſus non poteſt eſſe mera cognitio finis, & mediorum, vt poſſibilium, nec vlla alia cognitio ſimpliciter neceſſaria; ſicut probatum eſt Sect. 5. Nec poteſt imperium eſſe aliquis actus, qui non ſit iudicium, ſed debet eſſe iudicium aſſertiuum; ſicut probatum eſt ſect. 7. Denique imperium non debet aſſerere volitiones diuinas, per quas volitæ ſint aliæ volitiones diuinæ; ſicut probatum eſt ſect. 8. Reſtat igitur, vt imperium ſolummodo poſſit eſſe iudicium Dei affirmans veritates liberas, quas expoſuimus in concluſione. Confirmatur quoniam cognitio, in qua conſiſtit prouidentia & prædeſtinatio, potuit non eſſe; ſicut vidimus ſect. 5. nec alia ratione potuit non eſſe cognitio diuina, niſi quia potuit eius obiectum non eſſe; quapropter talis cognitio eſt de obiecto libero. Nec ſunt alia obiecta libera, quæ potuerint non eſſe, ſimúlque pertineant ad prouidentiam & prædeſtinationem, niſi ea quibus generalibus verbis comprehendimus in concluſione, videlicet, volitio libera Dei & actualis futuritio finis & mediorum, quibus obtinetur.

Cognitio in qua conſiſtit prouidentia potuit non eſſe.

5 Secunda concluſio. In prædicto iudicio continetur eſſentialiter, & explicitè tota ſcientia ſimplicis intelligentiæ qua parte dictat poſſibilitatem finis & mediorum, & oſtendit, quænam via ſit conuenientior ad obtinendum illum finem. Cuius euidens ratio eſt, quia ſicut nulla res poteſt actualiter exiſtere, niſi eſſentialiter ſit ens poſſibile, contineátque omnia ſua prædicata neceſſaria: ita non eſt poſſibile iudicium perfectè penetrans & enuncians, fore, vt talis res actualiter exiſtat niſi penetret ſimul, & aſſerat, rem eandem eſſe poſſibilem & illi neceſſariò conuenire ſua prædicata eſſentialia.

In prædicto iudicio ſcientia ſimplicis intelligentiæ continetur.

6 Atque hinc ampliùs commendatur, & confirmatur, eſſe magis aptum ad prouidentiam & prædeſtinationem, illud iudicium, quod poſuimus concluſione prima: quoniam comprehendit totum illud, quod requiritur ad opus exterius dirigendum: dictat enim, quomodo poſſit, & expediat fieri: atque ſimul etiam eſt in ſe ipſo determinatum, quatenus ab intrinſeco eſt cognitio dictans, & intimans liberam determinationem voluntatis, de futura executione mediorum & finis. Hac determinatione præcellit hoc iudicium. Nam aliud iudicium de poſſibilitate (refutatum ſect. 5.) non ab intrinſeco, ſed tantùm per extrinſecam appoſitionem ſuperuenientis volitionis liberæ poteſt eſſe determinatum.

7 Tertia concluſio. Euidens eſt, Deum intellectu iudicare, & aſſerere, ſe velle, Petrum ad beatitudinem perducere per talia media, & de facto Petrum per ea media peruenturum eſſe ad beatitudinem (idem intellige de quibuſcumque operibus prouidentiæ tam naturalis, quàm ſupernaturalis.) Ratio demonſtrat, quia nullum verum latere poteſt diuinam ſcientiam, & illud maximè, quod pertinet ad ſuas volitiones, & ad perfectam expletionem earum.

Deus ſe velle iudicat.

8 Quarta concluſio. Prædictum iudicium intellectus, per ſe, directè, formaliter, ac neceſſariò requiritur ad executionem operis, quod Deus vult efficaciter operari. Probatur, quoniam ad executionem operis dirigendam, requiritur cognitio practica; ſed Deus non exequitur omnia, quæ cognoſcit eſſe poſſibilia, ſed tantùm aliqua illorum, & ea nō exequitur omnibus modis, nec omnibus temporibus, neque omnibus locis aut circunſtantiis, ſub quibus poſſent executioni mandari; ſed tantùm quibuſdam modis, temporibus, locis, ac circunſtantiis: oportet igitur practicam Dei cognitionem eſſe talem, quæ dirigat, & intimet, vt hoc opus fiat, potiùs, quàm illud, & fiat nunc, & non alio tempore, hîc, & non alibi, cum his circunſtantiis & modis, ac non cum aliis. Nullus autem alius reperiri poteſt actus in intellectu diuino, qui prædicto modo poſſit executionem dirigere, niſi iudicium explicatum in præcedentibus concluſionibus: ergo tale iudicium, per ſe, directè, formaliter, ac neceſſariò requiritur ad executionem operis diuini.

Per ſe ad operis executionem requiritur.

Confirmatur, quia licet conſideres practicam 9
ſcientiam omnium poſſibilium, & illis ſuperaddas volitionem efficacem, ac determinatam ad vnum opus; illa ſcientia non erit determinata in ratione ſcientiæ practicæ, & conſequenter non erit fixa regula, nec determinata directio, & gubernatio futuri operis, quouſque determinatè cognoſcatur, quid, quomodo, quando, & vbi ſit faciendum, & quid omittendum.

Scientia ſimplicis intelligentiæ nō eſt determinata regula.

Vnde conſurgit probatio ſecunda, quoniam 10
agens intellectuale cæco modo prorumperet in opus ad inſtar agentium irrationabilium; niſi cognoſceret, ſe facere iſtud opus, & non aliud, hoc modo, & non alio, tali tempore, & loco. Quapropter non eſſet ſatis cognoſcere illud opus illo modo, tempore, & loco poſſe fieri, ſed per ſe neceſſarium eſt ſcire faciendum eſſe. Vnde conficitur hic ſyllogiſmus. Ad executionem operis dirigendam, per ſe, directè, formaliter, ac neceſſariò requiritur in Deo, quidquid opus eſt ad operandum ſcienter, & non cæco modo, ignorando, quid ſit facturus: ſed prædictum iudicium hoc præſtat, & abſque illo ſemper ignorabitur, quid Deus actualiter ſit operaturus: ergo prædictum iudicium per ſe, directè, formaliterque neceſſarium eſt ad executionem dirigendam.

Ad operis executionem neceſſarium quid ſit faciendum ſcire.

Confirmatur verbis Auguſtini lib. 15. de Tri- 11
nit. cap. 13. circa med. *Vniuerſas creaturas & ſpirituales & corporales, non quia ſunt, ideo nouit; ſed ideo ſunt, quia nouit. Non enim neſciuit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſciuit, creauit, non quia creauit, ſciuit.* Itaque ſcire quæ fuerat creaturus, fuit per ſe cauſa creandi.

Auguſtinus.

Tertia quoque probatio cognata eſt præce- 12
denti, quoniam hoc iudicio, dictante Dei volitionem, & effectum abſolutè futurum, ac producendum à Deo, meliùs explicantur paradigmata, ſiue rationes exemplares, quas Dionyſius cap. 5. de diuinis nomin. prope finem, tradit his verbis: *Omnium cauſa priùs conſtituiſſe omnium rerum exemplaria, concedendum eſt.* Et paucis interpoſitis: *Exemplaria autem dicimus eſſentia rerum effectrices rationes, quæ in Deo coniunctè antè fuerunt, quas ſcripta diuina prædeſtinationes appellant, diuináſque ac bonas voluntates, quæ conſtituunt & faciunt omnia.* Vbi ponderandum imprimis eſt nomen *Rationes*, quod plane pertinet ad intellectum. Deinde notandum eſt, hæc exemplaria non eſſe ideas præcisè conſideratas, vt ſunt communes

Dionyſius.

munes omnibus rebus poſſibilibus: ſed ſunt ideæ, prout vltimò determinatæ ſunt repræſentando, quid de facto, quomodo, & quando ſit exequendum. Ideo S. Thomas in illius loci commentario lect. 3. initio docet, non omnes rationes rerum eſſe exemplaria, ſed illas tantùm rationes, ad quarum imitationem Deus vult res producere. Eandem Dionyſij doctrinam recipit Damaſcenus orat. 1. de imaginibus pag. 3. *Sunt,* inquit, *in Deo imagines, & exemplaria rerum, quæ ab ipſo futura ſunt, nempe conſilium eius æternum, quod ſe habet ſemper eodem modo. Immutabilis eſt omnino Deus, in quo nulla eſt commutatio, aut viciſſitudinis obumbratio. Has imagines, & hæc exempla præfinitiones appellat ſanctus ille Dei munere, diuinis in rebus conſiderandis & explicandis excellentiſſimus Dionyſius: omnia enim ab illo præfinita, & ſine vlla commutatione futura, in eius conſilio non aliter antequam fierent, erant expreſſa, quàm ſi quis velit domum ædificare prius imaginem ac formam ipſius in animo effingit, cogitationéque complectitur.*

13
Exemplo res declaratur
Confirmatur primò & declaratur exemplo, ſicut enim Ignigraphia, & ortographia templi tunc ſolùmmodo determinat architectum, ac dirigit, vt illud templum, illius amplitudinis, altitudinis & formæ faciat, & non aliud, nec alio modo, quando habet inſcriptum decretum epiſcopi, vel ſenatus Eccleſiaſtici, præſcribens, vt illud, & non aliud exemplar templi deducatur in opus. Deſcriptiones autem cæteræ poſſibilium templorum, carentes hac intimatione decreti, non habent completam, & perfectam vim dirigendi & determinandi ſtructuram templi. Sic etiam illa demum cognitio practica Dei poterit eſſe vltimatè, & plenè directiua, & determinatiua operis à Deo faciendi, quæ non ſolùm in ſe continuerit rerum ideas & exemplaria, quorum inſtar fieri poſſunt, ſed etiam dictauerit, eſſe decretum à voluntate diuina, vt tales ideæ & non aliæ deducantur ad opus tali tempore.

14
Dionyſius.
Secundò confirmatur hanc eſſe Dionyſij mentem, quia dicit, paradigmata ſeu exemplaria eſſe *rationes, quas prædeſtinationes vocant ſcripta diuina,* vel (vt alij vertunt) *præconceptiones, præordinationes, prædefinitiones.* Subiungit autem etiam appellari. *Diuinas voluntates,* ſiue quia denunciant, & intimant Dei voluntates, (ſolemus enim ſcriptum, quo declaratur alicuius voluntas appellare voluntatem eius:) ſiue quoniam à diuinis voluntatibus accipiunt determinatam vim & applicationem ad actualiter operandum.

15
Exemplar rei faciundæ, prout facienda eſt.
Confirmatur tertiò, nam exemplar vltimatè potens operationem dirigere, debet eſſe exemplar rei faciendæ, prout facienda eſt, non verò præciſè prout eſt factibilis. Non erit autem determinatè exemplar rei faciendæ, prout facienda eſt, niſi dictauerit eſſe faciendam. At, inquies,
Obiectio ſoluitur.
non ipſa cognitio, ſed eſſentia diuina, prout imitabilis, obtinet rationem ideæ, iuxta noſtram ſententiam probatam tomo de ſcientia diſp. 82. ſect. 6. & ſequentibus. Reſpondetur tamen hanc imitabilitatem eſſentiæ diuinæ, non poſſe determinatè regulare, & dirigere creaturam vnam potius, quam aliam, niſi determinetur prædicto iudicio, quod appellauimus exemplar, in quo ſimul repræſentetur imitabilitas poſſibilis, & iudicetur eam executioni fore mandandam. Confirmatur 4. Sapienter enim Boetius, & alij Theologi dicunt, prouidentiam eſſe cauſam exemplarem
Prouidentia exemplaris cauſa
ſequenti diſp. 4. ſect. 1

- Probatur 4. quoniam Auguſtinus & alij Patres, dicentes, prædeſtinationem eſſe præſcientiam, non dicunt eſſe præſcientiam operum Dei, quaſi poſſibilium, ſed quaſi actualiter & abſolutè faciendorum. Ergo prædeſtinatio debet eſſe præſcientia, dictans abſolutè futurum eſſe, vt hic homo per hæc media perducatur ad gloriam. Antecedens probatur ex Auguſtino lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. *Prædeſtinatione Deus præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus.* Quæ propoſitio non erit formalis, nec abſolutè vera, ſi de rebus, quas facturus eſt Deus, nihil aliud prædeſtinatione præſcit, niſi poſſibilitatem & modum quo fieri poſſint, quod idem præſcit de infinitis rebus poſſibilibus, quas non eſt facturus. Requiritur ergo prædeſtinatione præſcire, futurum eſſe, vt res illæ actualiter à Deo fiant. 16
Auguſtinus.

17
Eadem ratione verificanda ſunt alia verba Auguſtini ex lib. de bono perſeuerantiæ cap. 17. & 18. quæ retulimus ſect. 3. probat. 5. in cuius confirmatione reperies multa teſtimonia Fulgentij, Proſperi, Bedæ, & Hypognoſtici, quibus idem modus præſciendi futura opera, tanquam abſolutè futura, & à Deo facienda, ponitur, vt pertinens ad quidditatem prædeſtinationis. Sufficiat repetere, quod Fulgentius ſcribit lib. 1. ad
Fulgentius.
Monimum cap. 1. vbi prædeſtinationem, vt complectitur etiam reprobationem, definit his verbis: *In Sancti Auguſtini & Proſperi definitionibus agnoſcant, prædeſtinationem nihil aliud eſſe, niſi præparationem operum eius, quæ in æterna ſua diſpoſitione, aut miſericorditer ſe facturum eſſe præſciuit, aut iuſtè.* Ergo ſe facturum eſſe præſciuit Deus, & hoc præſciuit in diſpoſitione, ſeu præparatione ſuorum operum, & hæc eſt prædeſtinatio.

18
Quintò probatur, hac enim via propriùs, ſimplicius, & formalius accipiuntur verba Scripturæ, quæ nomine præſcientiæ, vel notitiæ, vel viſionis prædeſtinationem, aut præuidentiam intelligunt. Quæ retulimus dicta ſect. 3. probatione 5. Exemplum ſit illud Roman. 11. *Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſciuit,* nimirum
Roman. 11.
præſciuit fore, vt eſſet ſua plebs. Alioqui poſſe plebem ſuam eſſe, præcognouit Deus etiam de cunctis, quos repulit, quos ipſe ſi vellet, potuiſſet in plebem ſuam cooptare, 2. Timoth. 2. *Firmum*
2. Timoth. 2.
fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc; Nouit Dominus qui ſunt eius. Itaque non modo nouit, quinam illius eſſe potuiſſent, verum etiam nouit, quinam actualiter ſunt illius per æternam electionem, & prædeſtinationem; & hæc ſcientia pertinet ad ſignaculum, ſiue ſigillum diuinæ prædeſtinationis. Atque ita intelligit Auguſtinus lib. 20. de ciuitate cap. 7. & 8. & lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 17. & tractatu. 45. in Ioann. col. 2. & tractatu 48. poſt med. ad illud: *Proprias oues vocat nominatim.* Adde illud Actor.
Actorum. 15.
15: *Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum,* non quidem, quaſi ſolum ſit notum eſſe poſſibile, ſed notum eſt à ſæculo quodnam ſit opus ab illo faciendum actualiter.

19
Pſalm. 61.
Generaliter autem de prouidentia locus inſignis eſt verſus Pſalm. 61. *Semel loquutus eſt Deus, duo hæc audiui: quia poteſtas Dei eſt: & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes vnicuique ſecundum opera eius. Quod enim dictum eſt: ſemel loquutus eſt intelligitur immobiliter, hoc eſt, incommutabiliter eſt loquutus, ſicut nouit incommutabiliter omnia, quæ futura ſunt, & quæ ipſe facturus eſt.* Sic ponderat Auguſtinus lib. 5. de ciuitate cap. 9. poſt. med.
Auguſtinus.

Breuius

Breuius autem id attigit lib. de ſpiritu & litera c. 33. circa med. Obſerua poſtremum membrum. *Quæ ipſe facturus eſt.* Eadem Auguſt. verba deſcripſit Iſid. lib. 8. Orig. ſiue Etymologiarum propiùs ad finem, quàm ad med. §. *Fatum*: Eadem ratione poſſet hoc ipſum colligi ex verbis Iob. 33. *Iob. 33.* *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit.*

20 Sextò probatur, quoniam per hoc iudicium & imperium, quod hactenus expoſuimus, propriè ac ſine metaphora intelligũtur verba ſacræ Scripturæ, quibus aſſeritur, Deum, dicendo & imperando feciſsè. *Geneſ. 1.* Quemadmodum Geneſis. 1. *Dixit Deus: Fiat lux. Dixit Deus: Producat terra*, & reliqua, quæ referuntur ibi. *Pſal 33. & 143.* Vnde Pſal. 32. & 143. *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mãdauit, & creata ſunt.* *Threnor. 3.* Threnor. 3. *Quis eſt iſte qui dixit, vt fierent, Domino non iubente* *Pſal. 32.* Pſalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* *Hebræ. 11.* Hebræ. 11. *Aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Referuntur autem in Euangelio multa ſimiliter facta dicendo & imperando, ſicut Matt. 9. Mar. 2. & *Luca. 5.* Lucæ 5. *Ait paralytico: tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Dicere autem nullus poteſt, niſi per actum intellectus, & nemo prudenter imperat, niſi ſciat, quid actualiter imperandum ſit, & fieri velit.

21 *Matth. 8.* Matthæi 8. Centurio dixerat: *Tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Hanc vocem admiratione probauit Ieſus D. Noſter. Vbi Hieron. & author imperfecti homil. 22. à medio notant, aut ſolo verbo & præcepto, aut miniſteriis Angelorum morbos à Deo ſanari. In eodem octauo capite Matth. notat Hieron. leproſo dictum eſſe primum *volo*, deinde imperando dictum eſſe, *Mundare*, vnde neceſſitas imperij poſt voluntatem colligi poteſt. *Matth. 14.* Matth. 14. Petrus ait: *Iube me venire ad te ſuper aquàs.* *Hieron.* Vbi Hieron. ait: *Tu præcipe, & illico ſolidabuntur vndæ, & leue fiet corpus.* *Chryſoſt.* Chryſoſt. homilia 51. in Matth. paulò poſt princip. *Non dixit: ora & deprecare, ſed, iube,* &c.

22 Greg. Nyſſenus homilia 5. in Cantica multò propiùs ad med. quàm ad princip. ait: *Surge, inquit, & veni. O vis iuſſus & imperij? eſt reuera vox virtutis. Ipſe dixit & facta ſunt, ecce nunc quoque dixit iacenti: Surge, & veni: & ſtatim ad opus deducitur, quod iubetur. Nam ſimul atque accepit vim verbi, ſtat & aſſiſtit*, &c. Plura ex hoc loco referemus, diſp. 6. ſect. 3. *Baſilius.* Quibus concinit Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 8. verſus med. illis verbis: *Per imperium ſuæ potentiæ operatur in nobis.*

23 Ambroſ. lib. 3. de Sacramentis cap. 4. *Sermo Chriſti*, ait, *hoc conficit ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? nempe is, quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cælum,* &c. *Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe, quæ non erant. Quantò magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur?* Idem Ambroſ. ad illud Hebræ. 6. *Generans herbam opportunam. Neque enim*, ait, *agricolarum eſt terram excitare ad fructus, ſed imperium Dei*, &c. *Hilarius.* Hilarius quoque Arelatenſis homil. in feſto corporis Chriſti, parum à principio. *Inuiſibilis ſacerdos*, inquit, *viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui, verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, dicens: Accipite, &c. Sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum*, &c.

24 *Sacramentorum forma in verbis inſtituta.* Nec dubito, quin ea de cauſa Sacramentorum præcipua pars & forma fuerit in verbis inſtituta, quoniam Dei nomine miniſtri loquũtur, qui verbo ſuo facit quæcumque facit. Ideo etiam Apoſtolis, miracula patrantibus eam præcipiendi formam Dei nomine præſcripſit Spiritus ſanctus, vt *Actor. 3.* Actor. 3. Petrus dixit: *In nomine Ieſu Chriſti, ſurge & ambula.* Hoc etiam confirmant Patres exponentes illud Hebræ. 1. *Hebræ. 1.* *Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ.* Quos referemus diſp. 5. ſect. 2. & qui exponunt illud Roman. 4. *Roman. 4.* *Vocat ea quæ non ſunt*, &c. vt referemus infrà ſect. 11. ad finem.

25 Obiectionem autem eorum, qui contendunt, non eſſe imperium propriè, ſed metaphoricè dictum, quo Deus imperat rebus, vt fiant, diluemus ſect. 10. ad 6.

26 Poſtremò notandum eſt, imperio, denunciatiuo electionis iam factæ, viam aperuiſſe Conradum 1. 2. q. 17. art. 1. ad finem, cuius verba retulimus ſect. 7. prope finem. Clarius autem illud explicuit Fonſeca lib. 9. Metaphy. cap. 2. q. 7. ſect. 3. & dicit eſſe probabile Suarez Metaph. diſp. 19. ſect. 7. n. 12. & 13. & 1. p. lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis c. 16. n. 7. & n. 13. & c. 17. n. 14.

SECTIO X.

Soluuntur argumenta, quæ pugnant aduerſus imperium enunciatiuum liberæ volitionis & operis exequendi.

1 *Argumentum primum.* ADuerſus poſtremas concluſiones ſect. præced. poſitas directè pugnant argumenta Aureoli. 1. diſtinctione quadrageſima, articulo. 1. opinione 2. Primum argumentum eſt. Scientia, pertinens ad prædeſtinationis eſſentiam, debet eſſe ſcientia practica: ſed nulla ſcientia rei futuræ, tanquam futuræ, poteſt eſſe ſcientia practica: ergo nulla ſcientia rei faciendæ, prout facienda eſt, pertinet ad eſſentiam prędeſtinationis. Minor probatur, quoniam omnis ſcientia rei futuræ, prout eſt futura, ſupponit eiuſdem rei futuram exiſtentiam, quaſi iam factam, & ab illa determinatur, tanquam à conditione obiecti: ergo ſcientia rei futuræ, prout eſt futura, non eſt factiua eiuſdem rei, & conſequenter non eſt practica comparatione illius. *Confirmatur.* Confirmatur, quia ſcientia rei futuræ, vt futuræ, non tribuit determinationẽ rei futuræ, ſed potiùs ab illa determinationem accipit: Imperium autem & prædeſtinatio determinationem tribuunt rei futuræ; ergo imperium & prædeſtinatio non ſunt ſcientia rei futuræ, prout eſt futura.

2 *Duplex modus cognoſcẽdi futura.* Reſpondeo, ſupponendo, duplicem eſſe modum cognoſcendi futura contingentia. Primus modus ratione præſentiæ in æternitate, in qua præſupponitur rerum contingentium futuritio, vt ex parte obiecti materialis determinet diuinã cognitionem (prout explicatum eſt in tomo de ſcientia diſp. 28. & 29.) Huiuſmodi cognitio nullomodo poteſt eſſe imperium, neque prædeſtinatio, neque ſcientia practica, ſicut euidenter demonſtrat argumentum, & fuſiùs oſtendimus to. de ſciẽtia diſp. 15. ſect. 4. & ſeq. *Cognitio futurorum in decreto libero.* Secundus modus eſt, præcognoſcere futura contingentia in libero decreto, quo Deus ab æterno voluit efficaciter, illa producere (ſiue ſe ſolo, aut per cauſas naturales independenter à libertate creata, ſiue dependẽter à libertate creata.) Huiuſmodi ſcientia, quamuis affirmet, rẽ eſſe futurã, non ſupponit rei futuræ exiſtentiam, neq; determinatur ab illa, ſed determinatur à diuino decreto (ſicut oſtenſum eſt fuſè prædicto to. de ſcientia, tota diſp. 25.) Hæc igitur ſcientia poteſt, & eſſe debet factiua rei futuræ.

3 Contra ſolutionem hanc militat ſecundum argumentum Aureoli quia ſi aliqua ſcientia Dei dictaret, rem eſſe futuram, non ſupponendo futuritionem illius; eo ipſo neceſſitatem afferret. Quapropter, ſi prædeſtinatorum operationes eo genere ſcientiæ præcognoſcerentur, & cauſarentur; non eſſent liberæ, nec meritoriæ. Reſpondetur. Si Dei ſcientia non ſupponeret ſaltem futuritionem conditionatam; neceſſitatem afferret, libertati contrariam. Verumtamen, vt ſeruet illæſam libertatem, ſatis eſt, Deum præcognouiſſe, quid Petrus eſſet facturus, ſi conſtitueretur in talibus circunſtantiis, & hac luce præuia Deum voluiſſe, & imperaſſe, vt Petrus exiſteret in talibus circunſtantiis, & in illis conciperet tales operationes. Sed de hoc fuſiùs alibi.

2. Argumentum Aureoli.

Soluitur.

4 Tertium argumentum, quia præſcire prædeſtinationem non eſt prædeſtinare: ſed iudicium dictans, Petrum eſſe peruenturum ad vitam æternam per hæc, & illa media, eſt idem, quòd præſcire, Petrum fore prædeſtinandum: ergo tale iudicium non eſt prædeſtinatio. Reſpondetur. Argumentum vim habet ex ſola vocis æquiuocatione. Prædeſtinatio quippe nonnunquam accipitur obiectiuè pro his rebus, quæ hominem conſtituunt intrinſecè & formaliter in eſſe prædeſtinati, videlicet, fide ſpe, charitate, gratia perſeuerantia in obſeruatione mandatorum & gloria. Sed tamen in præſenti prædeſtinationem accipimus formaliter pro actu diuino prædeſtinante. Nunc igitur actiua prædeſtinatio, formaliter accepta, non eſt præſcire prædeſtinationem actiuam & formalem. Nihilominus eſt præſcire prædeſtinationem obiectiuam, & paſſiuam, præſcire, inquam, ex vi decreti mouentis efficaciter ad illius executionem.

Prædeſtinatio actiua, & paſſiua.

5 Quartum argumentum ſit, quod aliqui recentiores apponunt, quia iudicium, affirmans futurã gratiam & gloriam, ſupponit, prædeſtinationem iam eſſe factam: ergo non conſiſtit in illo prædeſtinatio Antecedens probatur, quoniam per illud iudicium cognoſcitur homo fore ſaluandus. Eſt enim veluti ſententia ſcripta in diuino intellectu de dando præmio, quæ ſententia ſupponit prædeſtinationẽ. Reſpond. negando antecedens. Ad probationem autem reſpondetur, hanc eſſe vim & proprietatem imperij, vt affirmet, & dictet, eſſe futurum id ipſum, quod dicendo facit, ac proinde non ſupponit, iam eſſe factum, neque priùs eſt prędeſtinatũ, ſed potiùs eſt ipſa prędeſtinatio.

6 Quintum argum. obiiciunt, quia prædictũ iudicium non eſt aliud, quàm ſcientia practica, ſiue prudentialis: ergo nõ eſt prouidentia neque prædeſtinatio. Reſp. negando conſequẽtiam, meliùs enim oppoſitũ inferret argum. quia prouidentia & prædeſtinatio no eſt aliud, quàm ſpecialis ſciẽtia practica, nimirũ, quæ non ſolùm dictat poſſibilitatem, ſed etiam futuram executionẽ operis.

7 Sextum eorum argumentum eſt, quia prædictum iudicium non mouet diuinam voluntatem, niſi ratione obiecti propoſiti: ergo non confert ad efficaciam prouidentiæ, vel prædeſtinationis. Reſpondetur negando Conſequentiam, quoniam iudicium, à nobis explicatum, non eo fine ponitur, vt diuinam voluntatem moueat, ſed ponitur, vt voluntas efficaciter exequatur operationem tranſeuntem, non temere, ac veluti caſualiter, & cæco modo, ſed prudenter, & ſcienter, videlicet, non ignorando, quid ſit actualiter faciendam.

Vt quid prædictum iudicium aſſeratur in Deo.

8 Septimum argumentum addit ex recentioribus vnus, quia ſola cognitio voluntatis Dei, quo ad intrinſecam illius perfectionem, non eſt ſatis ad applicandam virtutem exequentem; nam intrinſeca volitionis diuinæ, & illius intellectio, ex neceſſitate ſunt in Deo; cùm tamen virtus effectiua Dei non ex neceſſitate ſed liberè applicetur ad operandum. Aliunde verò cognitio habitudinis, qua volitio diuina terminatur ad media, ſicut ad obiecta volita, non poteſt concurrere ad applicationem Diuinæ virtutis, nec ad conſtitutionem prouidentiæ. Quod probat, quia cognitio hæc ſupponit habitudinem volitionis diuinæ; hæc autem habitudo volitionis, cùm ſit extrinſeca diuinæ voluntati, ſupponit operationem ad extra, & conſequenter ſupponit applicationem virtutis ad operandum.

Reſp. & dico 1. Supponit falsũ hic totus diſcurſus, nam libera Dei volitio eſt realis perfectio, realiter intra Deũ exiſtens, & increata, non conſiſtens in extrinſeca habitudine, quæ ſumatur ab operatione ad extra; prout fusè probatũ eſt tomo præced. de voluntate Dei diſput. 11. & 12. dico. 9

Volitio libera realis & intrinſeca Dei perfectio.

Prædictum argum. inuoluit contradictionem Etenim fatentur, quòd habitudo diuinæ volitionis ſupponit operationem ad extra, & conſequẽter ſupponit applicationem virtutis ad operandum: ergo nec habitudo diuinæ volitionis poteſt concurrere ad operandum. Rurſus hac habitudine præciſa, non remanet, niſi perfectio ſimpliciter neceſſaria diuinæ volitionis, quæ indifferens eſt ad quælibet opera poſſibilia, & ad quamlibet applicationem virtutis: conſequens igitur eſt, vt nulla prorſus volitio diuina poſſit concurrere ad applicationem virtutis, & ad operationem in particulari, ſicut nulla cognitio concurrit, iuxta diſcurſum iſtius argumenti. Denique conuelli, & perturbati quàm plurima theologiæ præcepta, ſemel admiſſa conſtitutione, liberæ volitionis diuinæ per extrinſecam habitudinem ad operationes tranſeuntis, probauimus dicta. diſp 11. ſect 6. de voluntate Dei. Alia duo argumenta eiuſdem authoris, quoniam eodem fundamento nituntur, ſoluta manent ex dictis. 10

Octauum argum. Vt volitio efficax intellectũ moueat, & applicet ad intelligẽdũ, non requiritur priùs imperiũ intellectus dictans, quid voluntas velit, & quid operaturus ſit intellectus: igitur vt volitio efficax potentiam executiuam moueat & applicet ad opus externũ, nõ requiritur priùs imperium intellectus, dictans, quid volũtas velit, & quid ſit exterius exequendũ. Conſequentia probatur à paritate rationis. Antecedens autẽ eſt manifeſtum, quia ſi quando volumus aliquam intellectionem elicere, neceſſariò præcederet imperium intellectus; eadem ratione ante illud imperium præcederet aliud imperium, & ſic eſſet proceſſus in infinitum. 11

Reſpondeo & dico primò Nullã habet in Deo difficultatẽ hoc argum. quia diuinus intellectus naturali neceſſitate cognoſcit quidquid eſt cognoſcibile: proptereáque non poteſt per liberam volitionem ad aliquod obiectum intelligendum applicari; niſi præciſè, quatenus volitio libera cauſat obiecta cognoſcibilia. 12

Dico ſecundò. Quod attinet ad humanũ intellectũ oſtenditur, iſtius argumenti conſequentiã nõ valere: quoniã alioqui probaret, aliquod opus exterius nõ indigere præcedente cognitione ſuæ poſſibilitatis, & modi, quo fieri poſſit: etenim aliquod imperiũ intellectus ſaltẽ quod eſt primũ, nõ 13

Opus externum eget imperio.

iodiget

indiget præcedente cognitione ſuæ poſſibilitatis, & modi, quo fieri poſſit. Quin potiùs pauciſſimi reperiuntur inter homines, qui ſciant, quomodo fiat hæc operatio intellectus, eius enim productio non dirigitur noſtra ſcientia practica, ſicut dirigitur opus externum. Hæc igitur eſt præcipua ratio, propter quam cognitio poſſit eſſe ſine præcedenti imperio, ac ſine præcedente cognitione poſſibilitatis: licet opus externum fieri non poſſit ſine præcedente imperio, ac ſine præcedente cognitione poſſibilitatis.

14 *Voluntas mouet intellectũ.* Dico tertiò. Nonnunquam humana voluntas intellectum mouet ad intelligendum, non præcisè, tanquam proponens obiectum, quod neceſſariò cognoſcitur ab intellectu (ſic enim cognoſcuntur à quolibet homine propriæ cognitiones) ſed per modum proprium voluntatis, cuius eſt alias potentias mouere ad operandum. *Tunc ad intellectionem, requiritur imperium.* Quando igitur voluntas iſto modo mouet intellectum ad intelligendum, tunc neceſſarium eſt imperium intellectus, antequàm ſequatur intellectio, quam voluntas mouere vult: nec inde ſequitur proceſſus in infinitum, quoniam illud imperium ex volitione ſequitur, per naturalem reſultantiam, & non per modum proprium voluntatis. Exempl. eſt. *Imperium ex voluntate naturaliter reſultat.* Si datur in me voluntas efficax intelligendi Ioann. Apoc. ex ea voluntate per naturalem connexionem & reſultantiam neceſſariò ſequitur iudicium, affirmans, me velle intelligentiam Apoc. & à me procurandã eſſe. Hoc igitur imperio mediante, voluntas applicat intellectũ, vt diſcurrat, & inquirat, quibus libris, ac magiſtris, qua ratione & via meliùs penetrare poſſit intelligentiã Apoc.

SECTIO XI.

Soluuntur argumẽta, quæ ſuprà ſectione ſexta pugnabant contra monaſticum imperium intellectus.

1 *Ad primum.* AD primum reſpondetur. Imperium intellectus ad diuinas volitiones non eſt neceſſarium, (ſicut probatum eſt ſect. 8.) ſed requiritur ad tranſeuntem operationem, & executionem operis, quippe quę licèt neceſſariò reſultet ex efficaci voluntate Dei, tanquam ex prima radice determinationis & applicationis ad opus externum: prærequirit etiam cognitionem eiuſdem volitionis, & rei faciendæ, tanquam actualiter faciendæ, vt hæc cognitio ſit certa, determinata, & fixa regula rei faciendæ, tanquã faciendæ, quemadmodum probatum eſt tota ſect. 9. Ad confirmationẽ maior negatur: atque diſcriminis rationem, propter quam imperium non requiratur ad volitiones diuinas, explicuimus ſatis ſect. 8. difficult. 3.

2 *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum argumentum reſpondetur. Vt Deus per imperium operetur ad extra, non requiritur res producendas intellectu pollere, quia nõ eſt illis intimandum hoc imperium phyſicum, ſicut perſonis rationalibus intimatur imperiũ morale. Quapropter nec Deus creaturas illas alloquitur, tanquam intelligentes, ſed alloquitur ſeipsũ, vt videns, animaduertens, ſciens & prudens prodeat in opus certum, ac determinatum cum directione determinata rei faciendæ, tanquam de facto faciendæ. Dirigitur autem hoc imperium ad ipſas res producendas, tanquam afferens illis phyſicam neceſſitatem: vt dicemus ad argumentum ſextum. Hinc conſtat ſolutio confirmationis.

3 *Ad tertium. Creaturæ rationales imperio indigẽt.* Ad tertium reſpondetur. Quin potiùs experimur, nos etiã indigere prædicto imperio: vt quoties nobis faciendum eſt aliquid, quãuis alia plura poſſibilia cognoſcamus, adhuc tamen intellectus dictet, hoc opus & non aliud, hoc & non alio modo faciendum eſſe à nobis, quoniam hoc liberè volumus. Quòd ſi frequenter hanc cognitionem non animaduertimus, nihil eſt mirandum; ſiquidem multoties experimur multa verba legendo pronuntiari, vel à dictantibus accepta cõſcribi per nos ipſos, quando diuerſis cognitionibus, vſque adeo diſtracti ſumus, vt paulo pòſt, minimè recordemus, quas voces pronunciauerimus, vel ſcripſerimus: cum tamen euidens ſit, nec ſcribi, nec pronuntiari potuiſſe, niſi prædictæ voces fuiſſent à nobis cognitæ, ſaltẽ cognitione ſenſitiua phantaſiæ. Contingit ergo frequẽter in nobis eſſe cognitionẽ, quã præſentẽ nõ experimur, ſed præteritã per diſcursũ colligimus ex effectis.

Ad quartum reſpondetur primò. Bruta propterea non indigere imperio, quoniam ad omnes motus animales determinatur appetitus ſẽſitiuus per determinatam cognitionem ęſtimatiuę. Quapropter non eſt neceſſarium iterum determinari cognitionem ab appetitu ſenſitiuo. Reſpondetur ſecundò, eam cognitionẽ, qua bruto proponitur talis motus hîc, & nunc, quaſi magis delectabilis, quadam analogia correſpondere noſtro imperio, quod attinet ad determinationem, & directionem operis faciendi. 4 *Ad quartũ. Bruta imperio non indigent.*

Ad quintum reſpondetur. Verùm in Deo potentia operatiua tranſeunter, diſtinguatur ab intellectu & voluntate, nihil ad præſens attinet, quoniam neque in Deo, neque in hominibus imperiũ requiritur, vt deferat impetũ voluntatis ad facultates exequentes intimatione quadam: ſed requiritur, vt agens ad ſuam operationem dirigatur animaduertẽs, & ſciens, quid à ſe ſit actualiter operandum, & quid omittendum, vtque habeat fixam & determinatam regulam operis exequendi, prout eſt exequendum. 5 *Ad quintum*

Ad ſextum reſpondetur. Deus per imperium ſibi loquitur, ſed nõ imperat ſibi. Cæterùm creaturis imperat, propriè loquẽdo, non quidem imperio morali, ſed imperio phyſico. Quod vt magis explicetur, audiamus, quod Suarez obiicit lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis c. 16. n. 15. contendens, imperium, quo Deus dicitur efficere res ad extra, relatum ad ipſas eſſe metaphoricum, & non proprium, & in re non eſſe aliud, quàm voluntatem exequentem, qua definitè vult talem rem facere, aut mouere. Probat autem, quia proprium imperium ſolùm poteſt referri ad rem intelligentem, vt ſic, quod patet ex eius proximo effectu, & quaſi correlatiuo, quod eſt obedire: ſolùm enim agentibus per intellectum cum proprietate conuenit. 6 *Ad ſextum. Deus non imperat ſibi.* *Obiectio Suarez.*

Confirmatur primò, & declaratur, quia proprio morali imperio reſpondet moralis motio, media obligatione alteri impoſita, & manifeſtata per tale imperium. Confirmatur ſecundò, nam in Sacris literis lex &, vocatio quando refertur ad irrationales creaturas, non accipitur propriè, ſed metaphoricè ſignificat efficaciam diuinæ potentiæ, cui nihil poteſt reſiſtere, ne protinus fiat, quod vult. Sic Prouerb. 14. *legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Quæ lex traditur Iob 38. cum Deus ad mare ſic loquitur: *Vſque huc venies, & non procedes ampliùs*, &c. Et Rom. 4. *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* *Prouerb 14. Iob 38.* *Rom. 4.*

8 *Communis ratio imperio morali & phyſico.* Reſpondeo, prædictã obiectionẽ ita procedere, quaſi non poſſet abſtrahi ratio quædã cõmunis, (verũ analogicè, vel vniuocè non intereſt) ad imperiũ phyſicum, & imperiũ morale. Poteſt autem abſtrahi communis ratio, propriè conueniẽs

vtrique imperio, quæ conſiſtit in hoc, quod iudicium, intimans efficacem volitionem, eo ipſo neceſſitatem inducat, vt fiant res, quas iudicat eſſe faciendas. Quòd ſi neceſſitas, quam inducit, fuerit moralis neceſſitas obligationis, & obedientiæ, tunc erit imperium morale. Si verò neceſſitas, quam inducit fuerit phyſica neceſſitas, quemadmodum ex naturali cauſa neceſſariò ſequitur effectus: illius imperium erit phyſicum. Vides ergo genus imperij & ſpecificas differentias, quibus contrahitur. Sumitur hæc doctrina ex D.
S. Thomas. Thoma 2. 2. q. 83. art. 1. corpore cùm ait: *Ratio dupliciter eſt cauſa aliquorum, vno quidem modo, ſicut neceſſitatem imponens. Et hoc modo ad rationem pertinet non ſolùm imperare inferioribus potentiis, & membris corporis, ſed etiam hominibus, & ſubiectis, quod quidem fit imperando.*

9 *Obedire correlatiuum imperij moralis non phyſici.* Vnde ad principalem obiectionem reſpondetur. Obedire propriè ſumptum, non eſt correlatiunm imperij, prout eſt genus ad imperium phyſicum & morale, ſed tantùm eſt correlatiuum imperij moralis. Niſi fortè velis ampliare vocabulum obediendi, vt comprehendat quamlibet conſecutionem effectus abſque vlla reſiſtentia. Ad primam confirmationem reſpondetur. Moralis motio, media obligatione propriè dicta, non reſpondet imperio generaliter, & propriè ſumpto, ſed tantùm reſpondet imperio morali.

10 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur. Quando Scripturæ voces multoties, & variis in locis reperiuntur, non debent ad metaphoram traduci, niſi ratione cogente. Porro quàm frequens ſit in ſacris literis vſus imperij, vel præcepti, prout refertur ad creaturas producendas, vel ordinandas, iam diximus ſect. 9. probatione 6, Quòd autem nulla ſufficiens ratio compellat, eas metaphoricè intelligere, conſtat ex generali ratione imperij, quam explicuimus. Et præterea confirmatur, quoniam vſus harum vocum ſub prædicta generalitate legitur apud Philoſophos, & Scholaſticos qui metaphoras fugiunt, & proprietatem ſectantur.

11 Sic enim Ariſtoteles lib. 6. Ethicor. cap. 10. à
Ariſtoteles. medio. *Prudentia,* inquit, *præcipua eſt. Finis enim ipſius eſt, quidnam ſit agendum, aut non agendum,*
S. Thomas. *præcipere,* Quod exponens S. Thom. 2. 2. q. 47. art. 8. corpore dicit: *Eſt tertius actus prudentiæ præcipere, qui quidem actus conſiſtit in applicatione conſiliatorum & iudicatorum ad operandum. Et quia iſte actus eſt propinquior fini rationis practicæ, inde eſt, quod iſte eſt principalis actus rationis practicæ, & per conſequens prudentiæ.*

12 Auguſtinus etiam. Iuſſionem & imperium Dei comparatione brutorum explicat lib. 9. de Geneſi ad literam cap. 14. circa medium, priùs admonens, non obedire bruta intelligendo, quod illis præcipitur, atque ſubiiciens: *Neque in poteſtate illius animæ eſt, quæ illi viſa veniant, ſiue in ſenſum corporis, ſiue in ipſum ſpiritum interiùs: quibus viſis appetitus moueatur cuiuſlibet animantis: ac ſic cùm ea viſa per Angelorum obedientiam deſuper miniſtrantur, peruenit iuſſio Dei non ſolùm ad homines, nec ſolùm ad aues & pecora, verùm etiam ad ea, quæ*
Ionæ 2. *ſub aquis latent, ſicut ad cetum, qui glutiuit Ionam. Nec ſolùm ad iſta maiora, verùm etiam ad vermiculum nam & huic legimus diuinitus iuſſum, vt radicem cucurbitæ roderet.*

13 *Matth. 8.* Confirmatur, nam Matth. 8. Surgens Ieſus, *imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas. Porro homines mirati ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.* Vbi Hieron. *Ex hoc* *Hieronym.*
loco intelligimus, quod omnes creaturæ ſentiant creatorem. Quas enim increpauit, & quibus imperauit, ſentiunt imperantem, non errore hæreticorum, &c. Quod intelligendum eſt, quantum ad inferendam neceſſitatem effectus abſque reſiſtentia; ſicut explicatū eſt nuper. Chryſ. hom. 29. in Matt. *Chryſoſt.*
inter med. & finē ait. *Quod de patre dictū eſt: Dixit* *Pſalm. 106.*
& ſtetit ſpiritus procella, hoc Chriſtus opere impleuit. Solo. n. verbo, & præcepto mare ſedauit & refrenauit.

Legis nomen pertinet ad gubernationem reipublicæ, proptereáque non poteſt eſſe commune ſecundùm proprietatem imperio monaſtico, cauſanti phyſicam neceſſitatem. Nec mirum eſt, quoniam libri Prouerb. & Iobi metaphoris abūdāt; quod admonuiſſe Patres obſeruauimus alibi. 14

Denique quando Deus dicitur vocare quæ nō 15
ſunt, vel irrationalia, ſi quis exiſtimet eſſe metaphoricam locutionem, non contradixero; dummodo fateatur, veritatem ea metaphora ſignificatam, non eſſe aliam, niſi iuſſionem loquentis efficaci imperio. Quemadmodum Auguſt. in Pſal. *Pſalm 104.*
104 ad illud: *Vocauit famem ſuper terram,* ait: *In-* *Auguſtinus.*
telligendum eſt, dixit, vt fames eſſet, vt hoc ſit vocare, quod eſt appellare, hoc appellare, quod dicere, hoc dicere, quod iubere: nam ille vocauit famem, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ſint. Nec ibi Apoſtolus dixit: *Rom 4.*
qui vocat ea, quæ non ſunt, vt ſint, ſed tanquam ſint. Apud Deum quippe iam factum eſt, quod eius diſpoſitione futurum eſt, quia de illo alibi dicitur: Qui fecit ea quæ futura ſunt. Ex hoc loco Auguſt. ſuam expoſitionem tranſtulit magiſter in comment. ad Rom. 1. Primatius quoque in eundem locum *Primatius.*
ait: *In principio vocauit ea, quæ non erant, & ad nutum iubentis ſtatim eſſe cœperunt.* Oecumen. verò: *Oecumen.*
Verbo enim, ait, ea quæ non ſunt, ſimul eum vocatione adducit, vt ſint.

Ad ſeptimum argumentum reſpondetur illam 16
metaphoram ſigilli, & alias ſimiles eſſe reducendas ad eam proprietatem, vt imperium operetur in quantum agenti dictat modum, & regulam operis faciendi, iam determinatam & præſcriptam à voluntate Nec contemnenda eſt metaphora ſigilli; cùm ad explicandam communicationem diuinæ bonitatis, creaturis impreſſam, adducta fuerit à Dionyſio cap. 2. de diuinis nominibus circa med.

DISPVTATIO IV.

Num prouidentia contineat aſſecutionem finis, creationem, diſpoſitionem, fatum, ſcientiam, & artem.

SECTIO I.

Authores, & rationes ad probandum, conſecutionem finis eſſe de ratione prouidentiæ.

PRæſens quæſtio quando fuit à Caiet. 1
excitata, videbatur ad vocis acceptionem potiùs, quàm ad rem ipſam pertinere, ſolummodóque diſcutere, quid propriè ſignificetur *prouidentiæ, prouiſíque* nominibus. Verumtamen ineunte tempore potiſſimúmque accedentibus placitis Neotericorum, magis apertè conſtitit momentum, & realitas iſtius controuerſiæ. Reuocatur enim illius difficultas ad illam quæſtionem, vtrùm volitio antecedens, qua Deus vult omnes homines

nes ſaluos fieri, ſit tantummodò metaphoricè volitio, non exiſtens realiter in Deo; vel potiùs ſit volitio propriè dicta realiter exiſtens in Deo. Nam ſi talis fuerit, eo ipſo dabitur in Deo intentio vera, & realis conſequendi ſalutem omnium hominum; & conſequenter dabitur imperium huic intentioni proportionatum. Dabitur itaque prouidentia de ſalute omnium hominum; cùm tamen non obtineatur omnium hominum ſalus.

2 Interponitur etiam alia difficultas, vtrùm ad perfectionem diuinæ prouidentiæ pertineat prædefinite omnes actiones in ſingulari, ita vt nihil in particulari fiat, quod non ſit prædefinitum, & nihil ſit prædefinitum, quod non fiat. Sed de hoc magis ex profeſſo dicendum erit diſp. 6. & multis ſequentibus.

3 *Prima ſententia.* Circa primariam difficultatem, prima ſententia dicit, ad prouidentiam ſpectare non modò rationem ordinationis in finem, ſed ipſam etiam conſecutionem finis. Author eſt Caietanus ad præſentem quæſt. 22. art. 1. & q. 23. art. 6. verſus finem. Cui conſcribunt Bañez, Ripa, & Nazarius in eadem quæſtion. 22. art. 1. Aluarez de auxiliis diſp. 30. Colligitur eadem ſententia ex authoribus aſſerentibus, antecedentem voluntatem ſaluandi omnes homines non eſſe realem volitionem realiter exiſtentem in Deo, ſed tantùm eſſe in Deo volitionem mediorum, quæ requiruntur ad ſalutem omnium hominum: qui conſequenter dicunt, nullam eſſe volitionem Dei, quæ non impleatur. Inde namque manifeſtè ſequitur, nullam eſſe prouidentiam Dei, quæ non aſſequatur effectum. Illud igitur antecedens docent Scotus. 1. diſt. 46. q. vnica. Clariùs id docet maior diſt. 45. q. vnica, & diſt. 46. q. vnica, Marſilius q. 45. art. 1. Ocham & Gabriel diſt. 46. q. 1. vbi Herueus. q. 2. *1 Timoth. 2.* Caietanus in id. 1. ad Tim. 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri*. Driedo de concordia liberi arbitrij cũ prædeſtinat. part. 1. cap. 4. ad. 2. argumentum.

4 Colligitur etiam ex magiſtro, qui quamuis nullibi ſub nomine voluntatis antecedentis meminerit de illa; nihilominus diſputans de ipſa re, quæ eſt voluntas antecedens, videlicet, qua Deus vult omnium hominum ſalutem, 1. ad Tim. 2. ait, hanc non eſſe voluntatem, quæ eſt ipſe Deus, vt conſtat. 1. diſt. 46. §. *Nunc videre* & tota diſt. 45. 46. & 47. conſtanter docet, voluntatem beneplaciti, quæ eſt ipſe Deus, ſemper impleri, nulla addita exceptione. Quam generalem loquendi formam ſine limitatione ſumpſit ex Gloſſ. Rom. 12. & recipiunt omnes Scholaſtici nuper citati.

5 *Primum fundamentum. Damaſcenus* Primũ argumentum accipi poteſt ex Damaſceno lib. 2. fidei cap. 29. initio, definiente: *Prouidentia eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, conuenientem gubernationem ſuſcipiunt.* Ergo quæ non ſunt, non ſuſcipiunt conuenientem gubernationem per prouidentiam. Alioqui diminuta foret prædicta definitio, quoniam non adæquaret definitum. Confirmatur, nam paulò inferiùs ſubiungit: *Deus igitur eſt, qui eſt factor & prouiſor; & factiua eius virtus, & contentiua, & prouiſiua bona ipſius voluntas eſt. Omnia enim, quæcumque voluit, Deus fecit & in cælo & in terra, & voluntati eius nullus reſiſtit.* Ergo quæcumque Deus prouidit in cælo, & in terra, fecit, ac proinde nihil eſt, quod prouiderit, & fuerit euentu fruſtratum.

6 *Secundum.* Secundum argumentum, quoniam res omnes ſunt fixæ & ſtabiles, quantum ad prouidentiæ ordinem: igitur ordo prouidentiæ certam, & ſtabilem conſecutionem finis adducit. Antecedens probatur ex Nazian. orat. in Iulian. multò propius ad princip. quàm ad med. dicente: *Naziaz.* *Reſque omnes noſtræ fluctuantes ſimul, miniméque fluctuantes, vt quæ per mutationes quidem moueantur, ac ſurſum, deorſúmque agitentur, aliáſque aliter ſe habeant; at quantum ad diuinæ prouidentiæ ordinem, & conſtitutionem, fixæ & ſtabiles ſunt, etiamſi per contraria gradiantur.*

Idem antecedens probatur ex Boetio lib. 4. de conſolatione proſa. 6. inter princip. & med. 7 *Boetius.* dicente: *Deus prouidentia quidem ſingulariter, ſtabiliterque facienda diſponit.* Et paulò inferiùs: *Illud certe manifeſtum eſt immobilem, ſimplicémque gerendarum formam rerum eſſe prouidentiam.* Et circa medium proſæ: *Hæc*, ſcilicet prouidentia, *actus etiam, fortunáſque hominum indiſſolubili cauſarum connexione conſtringit: quæ cum ab immobilibus prouidentiæ proficiſcantur exordiis, ipſas quoque immutabiles neceſſe eſt eſſe. Ita etiam res optimè reguntur, ſi manens in diuina mente ſimplicitas indeclinabilem cauſarum ordinem premat. Hic verò ordo res mutabiles, & alioqui temere fluituras propria incommutabilitate coerceat.* Aliqua ex his verbis recipiunt S. Thomas & alij Scholaſtici, iuxta *S.Thomas.* quæ S. Thomas in præſenti q. 22. artic. 4. ad 3. dicit: *Immobilitas, quam Boetius tangit, pertinet ad certitudinem prouidentiæ, quæ non deficit à ſuo effectu, neque à modo eueniendi, quem prouidit.* Præterea ſunt peculiariter obſeruandæ dictiones iſtæ, *ſtabiliter, immobilem, incommutabilem indiſſolubilis nexu, indeclinabilem*; Quæ omnes & ſingulæ ſignificant certitudinem effectus obtinendi. Agebat autem Boetius non ſolùm de prouidentia, prout verſatur circa res in communi, ſed etiam prout verſatur circa res in particulari, quod ſignificat illud aduerbium *ſingulariter*.

Tertium argumentũ; Eccleſia namq; ſic orat: 8 *Tertium.* *Deus cuius prouidentia in ſui diſpoſitione nõ fallitur.*

Quartum argumentum accipiunt ex authoritate S. Thomæ quem putant ſententiam mutaſſe, quam ſcripſerat q. 6. de veritate art. 1. corpore, 9 *Quartum. S.Thomas.* & art. 3. corpore, & 1. diſt. 40. q. 1. art. 2. Quoniam in præſenti q. 22. art. 2. ad 1. *Cum omnes*, inquit, *cauſæ particulares contineantur ſub vniuerſali cauſa, impoſſibile eſt, aliquem effectum ordinem cauſæ vniuerſalis effugere.* Et in art. 4. ad 2. *In hoc eſt immobilis & certus diuinæ prouidentiæ ordo, quod ea, quæ ab ipſo prouidentur, cuncta eueniunt eo modo, quo ipſe prouidet ſiue neceſſariè, ſiue contingenter.* Et 3. contra gentes cap. 94 docet, quòd diuina prouidentia eſt certa, quantum ad ordinem mediorum, & quantum ad euentum: ſed præſertim in §. *Præterea Ordo*, ait, *diuinæ prouidentiæ immutari omnino non poteſt*, & §. *Si autem. Diuina prouiſio omnino caſſari non poteſt.* Ex quibus argumentantur authores iſtius ſententiæ, quoniam ſi aliquem effectum intentum non aſſequeretur diuina prouidentia: ſequeretur, illum finem effugiſſe diuinam prouidentiam, nec ſubiiceretur illi; & quantum ad illum, non fuiſſe certam, & immutabilem, & incaſſabilem diuinam prouidentiam.

10 *Quintum.* Quintum argumentum Caietani, quoniam prouidentia pertinet ad voluntatem conſequentem; voluntas autem conſequens ſemper impletur, ac proinde non caret aſſecutione finis. Confirmat, quoniam prouidentia, tanquam per ſe cauſa extenditur ad omnia quomodolibet entia: at verò per ſe cauſa ſemper aſſequitur effectum.

11 *Sextum.* Sit ſextum argumentum, quod addit Caietanus q. 23. art. 6. quoniam S. Thom. in eius cor-

Digitized by Google

pote prouidentiæ infallibilitatem æquiparat certitudini prædeſtinationis; ſiquidem ea ratione probat, prædeſtinationis certitudinem, quoniam eſt pars prouidentiæ, cuius ordo eſt infallibilis, vt oſtenderat præſenti quæſt. 22. art. 4. Confirmat autem, quoniam ordo, deficiens à proprio euentu, non eſt prouiſus à Deo, quo ad euentum; ſed quo ad ipſum ordinem, & non euentum proprium, & propterea nihil certitudinis adimit prouidentiæ huiuſmodi non euentus.

12 *Septimum.* Septimum Argumentum Aluarez, quoniam prouidentia ſupponit abſolutam volitionem, ſeu intentionem finis: imprudens enim eſſet agricola, ſi mitteret ſemina in agrum, niſi abſolutè vellet fructus colligere; quamuis per accidens impediatur aliquando per concurſum aliarum cauſarum ſecundarum ab aſſecutione huius finis. Antecedens probatur ex S. Thoma 1. p. quæſt. 22. art. 1. ad 3. vbi ſic ait: *Prouidentia præſupponit volitionem finis, nullus enim præcipit de agendis, niſi velit finem.* Voluntas autem finis apud S. Thomam ſignificat abſolutam voluntatem ipſius finis; nam conditionata voluntas non eſt ſimpliciter voluntas, ſed eſt velleitas. Confirmatur, nam efficax voluntas mediorum, non poteſt oriri, niſi ex abſoluta volitione finis, cum medium, vt medium, non ſit appetibile, niſi propter finem: ergo voluntas abſoluta ordinandi media apta ad finem conſequendum, naſcitur ex abſoluta intentione finis.

S. Thomas.

Confirmatur

13 *Octauum.* Octauum argumentum. Nam in omni gubernatore imperfectio eſt non aſſequi finem, quem intendit, & non applicare media ad hoc ipſum efficacia: quia vel hoc prouenit ex ignorantia, vel impotentia, vel ignauia. Foret igitur imperfecta diuina prouidentia, ſi non aſſequeretur aliquem finem intentum. Confirmatur, quoniam intentio & procuratio rei non obtinendæ ſuapte natura propendet ad contriſtandum, & affligendum eum, qui prouidet, & intendit.

14 *Nonum.* Nonum, quia Dei prouidentia foret conditionalis tantùm, & non abſoluta, ſi prouideret aliquem finem non obtinendum: ſed impoſſibile eſt Dei prouidentiam eſſe conditionalem: talis enim modus prouidendi proprius eſt prouiſoris, qui non poteſt conſequi finem intentum, niſi conditione poſita. Exemplum eſt prouidentiæ mercatoris ad ſeruandas merces; quem finem non poteſt conſequi, niſi vitato naufragio, vel iactura mercium facta.

15 *Decimum.* Decimum argumentum, quia ſequeretur, repugnantiam volitionum & aliquid inuoluntarij permixtum eſſe diuinæ prouidentiæ: ſi ſalutem omnium hominum antecedenti voluntate deſiderans vera & reali volitione; nihilominus voluntate conſequenti & efficaci vult, & diſponit multorum hominum reprobationem. Confirmatur, quia ſequeretur, prouidentiam de ſalute præſcitorum, eſſe non ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid prouidentiam, quia nec ſimpliciter intenditur finis, nec ſimpliciter procuratur.

16 Alia argumenta prætermitto, quibus recentiores oppugnant velleitatem ſalutis omnium hominum, ſeu volitionem conditionatam; quibus abundè ſatisfecimus præcedenti tomo de voluntate Dei diſputat. 19. & 20. præſertim ſection. 4. & 5.

* *
*

SECTIO II.

Finis aſſecutio non eſt de ratione prouidentiæ.

SEcunda ſententia dicit, prouidentiam non ſemper ad finis aſſecutionem peruenire. Ita docent Alexander. 1. p. quæſt. 26. mem. 6. Alber. 1. p. quæſt. 63. membro. 2. part. 2. S. Thomas de veritate quæſt. 6. art. 1. corp. & lib. 1. ſentent. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2. vbi Durand. quæſt. 1. num. 6. Marſil. 1. quæſt. 41. art. 1. notabili. 2. Capreolus. 1. diſt. 40. quæſt. 1. art. 1. conc. 2. Ferrar. 3. contra gentes cap. 94. Communiter recentiores Theologi, vt Molina in præſenti quæſt. 22. art. 1. vbi Zumel ſua quæſt. 5. conc. 5. & 7. (refertur etiam Silueſter in Conflatorio quæſt. 22. art. 2.) Vaſquez. 1. p. diſput. 87. cap. 4. Suarez 1. lib. de eſſentia prædeſtinationis cap. 18. num. 7. Valentia 1. p. quæſt. 22. punct. 1. §. *eſt autem*, Becanus parte 1. cap. 3. conc. 4. Iulius Sirenius lib. 5. de prouidentia cap. 6. fine, Pennottus lib. 5. Propugnaculi cap. 2. Arrubal, Herice, & alij ad præſentem quæſtionem. 22. 1 *Prouidentia non ſemper aſſequitur finem.*

Colligitur eadem ſententia ex multis Scholaſticis, aſſerentibus, eſſe realem & propriè dictam volitionem antecedentem, qua Deus verè & realiter intendit omnium hominum ſalutem, etiam eorum, qui eam de facto non conſequuntur. Sic apertè docet Albertus. 1. p. quæſt. 79. memb. 2. art. 2. in quæſt. incidenti & in vltima particula, Alexand. 1. p. quæſt. 36. membro. 2. D. Bonauent. 1. diſtinct. 46. art. 1. quæſt. 1. & diſtinct. 47. art. 1. quæſt. 1. Ricardus 1. diſtinct. 46. art. 1. quæſt. 1. vbi Durand. 1. diſtinct. 47. quæſt. 3. Carthuſianus 1. diſtinct. 46. quæſt. 1. verſus finem, Soto ad Roman. 9. in digreſſione pag. 277. Corduba lib. 1. Quæſt. q. 56. notabili 1. 2

Probatur primò, quoniam ad perfectiſſimam & vniuerſaliſſimam prouidentiam pertinet adhibere cauſis liberis media proportionata earum libertati, quibus poſſint non cooperari, ſi velint; ſicut poſſunt cooperari: & ad eandem pertinet ea media præbere non amore ficto, ſed vera dilectione, ac deſiderio, procurando bonum & fœlicitatem earum perſonarum, quibus hæc media conferuntur; pertinet etiam ad candẽ prouidentiam permittere, vt cauſæ liberæ non cooperentur, ſed abutantur, aut reſiſtant mediis ſibi conceſſis, ſicut probatum fuit diſput. 2. ſect. 3. & ſequentibus. Ergo prouidentia, tunc erit perfectiſſima, quando multorum mediorum finem, ita voluerit, & procurauerit, vt permittat eundem finem nón obtineri. Eum igitur finem prouidentia non aſſequetur, licet intenderit. 3 *Probatur primò quia prouidentia adhibere debet media proportionata libertati.*

Confirmatur & explicatur exemplo. Foret enim perfecta prouidentia medici, qui omnia, quæ humana, & diuina cognitione poſſent inueniri remedia morbis applicaret opportunè; quãuis infirmus ſanitatem non conſequeretur, quoniam remediis reſiſtit liberè atque abutitur illis, & aliunde maioris boni deſiderio medicus retinetur, ne talem abuſum impediat. Sic igitur diuina prouidentia perfectiſſima poterit eſſe, quamuis multoties finem non aſſequatur. 4 *Exemplo res declaratur.*

Secundò probatur euidentius, quoniam circa reprobos, ac præcipuè circa illos, qui nunquam perueniunt ad fidem, neque ad aliquem alium ſupernaturalem effectum recipiendum, verſatur prouidentia ſupernaturalis, intendens, quod ex ſe eſt, 5 *Probatur ſecundò.*

Digitized by Google

Quibus mediis vtatur diuina prouidentia circa reprobos.

ſe eſt, illos etiam homines ſaluos fieri, pro illis redemptionem & merita Chriſti offerens, Scripturarum, & concionatorum vocibus excitans, miraculorum teſtimonio, & martyrum ſanguine confirmans, temporalibus & æternis ſupplicijs terrens, præſentibus bonis & futurorum promiſſis alliciens, internis inſpirationibus pulſans, inuitans ſacramentis, præceptis dirigens, atque compellens. Hæc igitur & aliæ multæ actiones, ad ſupernaturalem prouidentiam pertinentes, in reprobis non conſequuntur finem beatitudinis, ad quem diriguntur, & ab aliquibus nullum actum ſupernaturalem obtinent. Confirmatur plurimis teſtimonijs Scripturę & ſanctorum Patrum, ac Theologicis rationibus, quibus in præced. tomo de voluntate Dei tota diſp. 19. & 20. demonſtratum eſt, veram & abſque fictione conuenire Deo voluntatem antecedentem, qua realiter voluit, quantum in ſe fuit, ad beatitudinem perducere Iudam, & alios præſcitos, quamdiu non peruenerant ad terminum viæ.

Duo infallibilitatis principia.

6 Vnde conſurgit probatio tertia, quia duo ſunt infallibilitatis principia circa finis conſecutionem. Primum & radix totius infallibilitatis eſt intentio, qua Deus velit finem infallibiliter conſequi. Secundum eſt immediata cauſa infallibilitatis, videlicet, applicatio mediorum, quibus poſitis, Deus præcognouerat, finem fuiſſe conſequendum efficaciter. Neutrum autem principium concurrit ad omnem finem intentum per diuinam prouidentiam. Multi namque fines ſunt, quos diuina prouidentia intendit velleitate, ſeu volitione conditionata, non autem abſoluta, & prorſus efficaci voluntate (ſicut probatum eſt dicta diſput. 19. ſect. 11. 12. & 13. & diſput. 20. ſect. 1. vſque ad 5) talis autem intentio finis non habet infallibilem connexionem cum eius conſecutione, quia conſecutio pendet etiam à conditione poſita in aliena voluntate. Deficit igitur his primum illud principium infallibilitatis. Deficit etiam alterum principium infallibilitatis, quia multoties iuſtiſſimis, & occultiſſimis de cauſis per diuinam prouidentiam ad prædictos fines adhibentur ea tantum media, quibus poſitis, Deus præcognouit, non eſſe conſequendum finem, & voluit permittere, vt non obtineretur.

7 Confirmatur, quia Deus non tenetur ita ſemper gubernare libertatem, vt illam ſemper infallibiliter inducat in meliorem partem (quamuis hoc potuiſſet de potentia abſoluta) melior eſt enim modus prouidendi, quo tribuuntur ſufficientia & abundantia remedia, quamuis præſciantur non eſſe profutura propter hominis culpam; ſicut probatum eſt diſputat. 2. ſect. 3. 4. & 5.

8 Quartò probatur ea ratione, quæ peculiariter vrget in aliquibus præſcitis. Sunt enim non pauci, qui verè conſequuntur fidem, ſpem, charitatem, & gratiam, & ideo tunc temporis verè & propriè ſunt amici Dei: ergo Deus erga illos, non ſimulatum & fictum, ſed verum & realem gerit amorem amicitiæ pro illo tempore. Cui affectui non modo conſentaneum eſt, ſed etiam ex quadam iuſtitia debitum, prouidere de medijs ad perſeuerantiam, & æternam ſalutem neceſſarijs ex vera & non ſimulata intentione finis illius, quantum ex parte Dei, quamuis Deus præſciat, illos ſua culpa ruituros in damnationem æternam. Eſt autem talis prouidentia debita, ſicut Patris erga filios, quamdiu ſunt obedientes; ſicut ſponſi erga ſponſam, quamdiu non eſt adultera, ſicut paſtoris in gregem. Tunc igitur verè datur prouidentia, quantum ex ſe eſt procurans perſeuerantiam, & æternam ſalutem illorum iuſtorum; quæ tamen de facto non erit obtinenda. Vim iſtius rationis, Scripturæ, Patrúmque teſtimonijs corroborauimus tomo præcedenti de voluntate, diſp. 34. ſect. 1. 2. & 3.

Multiplex diſcrimen inter ſimplicem complacentiā ſalutis, & antecedentē voluntatem.

Quintò probatur obſeruando multiplex diſcrimen inter ſimplicem complacentiam ſalutis, & antecedentem voluntatem ſalutis. Primò 9 namque complacentia, ſi fuerit omnino ſimplex, eſt actus ſimpliciter neceſſarius, ita vt fuerit impoſſibile non placere Deo poſſibilem ſalutem omnium hominum; ſed antecedens voluntas ſaluandi omnes non eſt actus neceſſarius, ſed liber, quem Deus potuit omittere. Vnde ſequitur diſcrimen ſecundum, quia complacentia omnino ſimplex refertur ad ſalutem omnium hominum poſſibilium, etiam ſi nunquam fuerint producendi: Sed volitio antecedens ſaluandi omnes homines, non refertur, niſi ad homines exiſtentes. Tertiò complacentiam mere ſimplicem ſalutis hominum exiſtentium retineret Deus, quamuis de potentia abſoluta, nullum prorſus adhiberet ſalutis æternæ remedium, ſed hanc curam prorſus negligeret: voluntatem verò ſalutis antecedentem Deus non retineret; ſi nulla prorſus adhiberet ſalutis æternæ remedia; imo licet afferret aliqua; ſi tamen eſſent inſufficientia: non retineret voluntatem antecedentem ſalutis.

10 Denique complacentia merè ſimplex æqualiter intuetur poſſibilem ſalutem omnium hominum, etiam poſtquam damnati ſunt in inferno: ſed antecedens voluntas ſalutis reſpicit homines pro eo tantùm tempore, quo poſſunt ſalutem conſequi, videlicet, quamdiu viatores ſunt. Ex hoc igitur multiplici diſcrimine colligitur veram & propriè dictam prouidentiam, & procurationem ſalutis verſari circa homines etiam præſcitos; quoniam circa illos non verſatur ſola complacentia, merè ſimplex, & neceſſaria, ſed verſatur libera volitio multa faciens ad eorum ſalutem procurandam.

Qui vult media vt media, vult finem.

11 Probatur ſextò, quia quicumque vult media formaliter, vt media, vult eo ipſo finem: ſed Deus ſua prouidentia ſupernaturali vult paſſionem, redemptionem, miracula, prædicationem, ſacramenta, cæteráque media ſalutis omnibus hominibus, & ea vult non materialiter, ſed formaliter; in quantum ſunt media ſalutis hominum; ergo vult eo ipſo ſalutem hominum, ſaltem eorum, quibus datur proxima poteſtas fruendi prædictis remedijs, ſi voluerint. Maior probatur, quia medium formaliter vt medium quiditatiuè conſiſtit in eo quod deſtinetur ad finem actualiter conſequendum: Ergo qui vult medium formaliter vt medium, vult eius deſtinationem, & eo ipſo vult finem ſub ea conditione, ſub qua continetur in medio. Rationem hanc teſtimonijs Scripturæ, ſanctorúmque Patrum corroborauimus tomo præced. de voluntate, diſp. 20. ſect. 6. & ſequentibus.

12 Septimò probatur peculiariter, quantum ad effectus procedentes à cauſis naturalibus, independenter à qualibet voluntate creata. Hæc enim agentia naturalia per cognitionem, & intentionem primæ cauſæ diriguntur ad ſuos fines conſequendos, à quorum tamen conſecutione multoties impediuntur aliarum cauſarum concurſu; vnde proueniunt monſtroſi partus, &

caſuales effectus. In illis igitur diuina prouidentia, & intentio multoties non conſequitur eum finem particularem, quem antecedenter & ineſficaciter intendit per vnam cauſam, licet conſequatur fines, quos intendit tota collectione cauſarum.

SECTIO III.

Magis explicatur quo ſenſu prouidentia non requirat aſſecutionem finis.

1 *Non eſt de ratione prouidentiæ conſequi particulares fines.*

AD explicandam ſententiam præced. ſect. probatam, dico primò. Non eſt de ratione prouidentiæ conſequi quemlibet particularem finem, quem intendit, quoniam aliquos fines intendit volitione conditionata, & non totaliter efficaci, ſed tantum aliquomodo efficaci, prout præcedentibus probationibus explicatum eſt.

2 *Dei prouidentia non poteſt fruſtrari.*

Dico ſecundò. Nihilominus certum eſt, & ab omnibus Theologis conceſſum Dei prouidentiam non poſſe fruſtrari, nec caſſari, nec impediri, nec falli, nec in ambiguo fluctuare, nihilque fieri poſſe contra diuinam prouidentiam, quod illi contrarium ſit abſolutè, ſimpliciterque loquendo. Ratio eſt, quia nihil fit, niſi Deo volente, vt fiat, ſi non eſt malum; aut ſi malum eſt Deo volente permittere, vt fiat. Similiter etiam quidquid non fit, Deus vult, vt non fiat, ſi poteſt citra culpam non fieri; alioqui vult permittere, vt non fiat.

3 *Quomodo prouidentia Dei ſem per conſequatur finem intentum.* *Prouidentia eſt efficax comparatione finis, qui eſt effectus Deo proximior.*

Dico tertiò. Si reſpiciamus totam prouidentiam, & totum finem adæquatum illius, ſemper conſequitur intentum finem, & hæc efficacitas eſt de ratione diuinæ prouidentiæ. Quod explicatur magis diſtinguendo partes iſtius efficacitatis. Primò namque prouidentia eſt efficax comparatione finis, qui eſt effectus Deo proximior, & eſt medium ad vlteriorem finem. Exemplum ſit prouidentia ſupernaturalis. Hæc enim efficaciter conſequitur hunc finem, quòd in Eccleſia ſint omnia requiſita ad ſalutem æternam, videlicet, valor meritorum Chriſti Domini, Scriptura ſacra, miracula, doctrina, ſacramenta, inſpirationes internæ, ac cætera ſalutis remedia.

4 *Eſt efficax quantum ad finem particularem.*

Secundò. Prouidentia eſt efficax, quantum ad finem particularem obtinendum, non in omnibus hominibus, ſed in aliquibus vagè. Quod explicuit optimè parabola ſeminis Matth. 13. Cuius licet amiſſa fuerint grana plurima, fructum tamen copioſum agricultura retulit. Ita prouidentia ſupernaturalis Dei pleriſque hominibus re ipſa & efficaciter confert vltimum, & particularem finem ſalutis æternæ.

5 *Efficax quantum ad finem vniuerſaliſſimum.*

Tertiò. Prouidentia eſt efficax, quantum ad finem vniuerſaliſſimum, & adæquatum ſemper obtinendum, per varios fines vagè, & quaſi ſub diſiunctione intentos, & colligendos ex quolibet homine in ſingulari, & ex quolibet ſingulari medio ſalutis, ei conceſſo per Dei prouidentiam. Ex omnibus enim rerum euentibus, ſiue quos facit, ſiue quos permittit maior Dei gloria, & oſtenſio attributorum reſultat, qui eſt finis vniuerſaliſſimus & adæquatus totius prouidentiæ. Ad quem colligendum intendit etiam prouidentia fines intermedios, & non vltimos vagè, ac veluti ſub diſiunctione; quatenus antecedenter intendit, vt hic homo bene vtatur conceſſis remediis, & ita conſequatur ſalutem æternam, & vult efficaciter, vt nemo reſiſtat eiuſmodi remediis, niſi Deo volente permittere; vult autem permittere, vt hic, & ille homo reſiſtat, & vult ex hac permiſſione colligere gloriam ſuæ liberalitatis, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*, Matth. 5. nulli deficiens in neceſſariis ad ſalutem, & oſtendens diuitias bonitatis, & patientiæ in præſenti ſæculo: ſed in futuro vult oſtendere ſuam iuſtitiam, quo reſplendeat illuſtrior miſericordia circa homines, qui prouidentiæ remediis cooperari voluerunt.

6 *Hæc efficacia probatur.*

Hanc efficaciam, & actualem conſecutionem finis eſſe de ratione prouidentiæ; ſufficienter probant argumenta poſita in ſect. 1. Atque ita S. Thomam intellexiſſe non tantum in diſputatis, ſed etiam prima parte conſtat ex illius doctrina ſupra quæſt. 19. art. 6. vbi adducto exemplo formalis cauſæ vniuerſaliſſimæ, ſic ratiocinatur de vniuerſaliſſima cauſa efficiente: *Cum igitur voluntas Dei ſit vniuerſalis cauſa omnium rerum, impoſſibile eſt, quòd diuina voluntas ſuum effectum non conſequatur. Vnde quod recedere videtur à diuina voluntate ſecundum vnum ordinem, relabitur in ipſam ſecundum alium, ſicut peccator, qui quantum eſt in ſe, recedit à diuina voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iuſtitiam punitur.* S. Thom. Recole, ordinem eſſe proprium diuinæ prouidentiæ, vt vidimus diſp. 3. ſect. 1. & ſequentibus. Vnde conſtat in hoc loco diuinæ prouidentiæ talem tribui conſecutionem finis, quæ diſiunctiua ſit & vaga, quantum ad fines particulares: quia quod recedit ab vno ordine, incidit in alium. Quam eandem ſententiam repetit infrà q. 103. art. 7. corpore. Quomodo autem hæc diſiunctiua & vaga diſpoſitio non impediat determinatam rerum omnium prædefinitionem, explicabimus diſp. 8. ſect. 4. & 8.

7 Idem igitur eſt quod aſſeuerat S. Thomas de veritate quæſt. 6. art. 3. corpore parum à principio: *Ordo prouidentiæ dupliciter certus inuenitur. Vno modo in particulari, quando ſcilicet res quæ à diuina prouidentia in finem aliquem ordinantur, abſque defectu ad finem illum particularem deueniunt, ſicut patet in motibus cæleſtibus, & in omnibus, quæ neceſſario aguntur in natura; alio modo in vniuerſali & non in particulari, ſicut videmus in generabilibus & corruptibilibus, quorum virtutes quandoque deficiunt à propriis effectibus ad quos ſunt ordinatæ, ſicut ad proprios fines, ſicut virtus formatiua deficit quandoque à perfecta conſummatione membrorum; ſed tamen ipſe defectus diuinitus ordinatur ad aliquem finem; & ſic nihil poteſt deficere à generali fine prouidentiæ, quamuis quandoque deficiat ab aliquo particulari fine.* Cui doctrinæ conſonat etiam in eiuſdem quæſtionis art. 1. corp. Non igitur ſententiam mutauit S. Thomas 1. p. ſiquidem paulò ſuperiùs quæſt. 19. art. 6. & inferius quæſt. 103. art. 7. notauit, aliquas res ab vno ordine deficere, & in alium relabi, & ita demum ſemper impleri diuinam voluntatem.

8 Eadem vaga & diſiunctiua mediorum intentio ad exponendam efficacitatem infallibilem diuinæ prouidentiæ traditur ab Auguſtino lib. de ſpiritu & litera cap. 33. propius ad med. quàm ad princip. dicente: *Infideles contra voluntatem Dei faciunt cùm eius Euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt verùm ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper inuicta eſt, vinceretur autem, ſi non inueniret quid* Auguſtinus.

de con

de contemptoribus faceret, aut vllo modo poſſent euadere, quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit, v.g. Volo vt hi omnes ſerui mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur, ita vt quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat: videtur quidem quicumque contempſerit, contra voluntatem domini ſui facere: ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate. Eandem veritatem probant quæ ex Anſelmo lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 15. in med. Gregorio lib. 33. Moralium cap. 10. alias 13. Boetio lib. 4. de conſolat. proſa 4. Iſidoro lib. 1. ſentent. cap. 2. & aliis retulimus præced. tomo de voluntate diſp. 18. ſect. 3. atque etiam ſect. 2.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta poſita in Sectione prima.

1 *Ad primum.* AD primum cum illius confirmatione præmittimus, Damaſcenum in eodem cap. 9. libri. 3. propiùs ad finem quàm ad med. authorem fuiſſe, qui, poſt Chryſoſtomum, primus diſtinxit voluntatem Dei antecedentem & conſequentem ad explicádos varios modos prouidentiæ, dicens: *Damaſcen.* *Sciendum eſt, quòd multi ſunt modi prouidentiæ Dei, qui nec ſermone explicari, nec mente comprehendi poſſunt: Nec latendum eſt, omnia triſtia damna, iis ſuperuenientia, qui cum gratiarum actione ſuſcipiunt, ad ſalutem induci, & omnino vtilitatis cauſas effici. Et denuum præſertim præcedentérque velle omnes ſaluari; non enim ad puniendum nos plaſmauit, ſed vt efficiat nos bonitatis ſuæ participes*, &c. Perpende primò. Voluntatem, qua Deus vult omnes ſaluari, Damaſcenus enumerat inter præcipuos modos prouidendi. Secondò. Quod Deus *præſertim præcedentérque* vult, non vult metaphoricè, ſed propriè & realiter. Tertiò. Dei prouidentia non conſequitur hunc effectum volitum, qui eſt omnes ſaluari.

2 *Exponitur.* Quo ſuppoſito, definitio prouidentiæ, quam in principio eiuſdem capitis tradiderat ita debet exponi, vt non repugnet voluntati antecedenti. Dupliciter autem poteſt intelligi, primò, vt ſit ſenſus, ea quæ non ſunt, non ſuſcipere gubernationem per Dei prouidentiam, quatenus eorum volitio, & intentio non erat propter ſe ipſam, ſed propter alia: dirigebatur enim ad gubernationem hominum exiſtentium: Sic etiam per antecedentem volitionem ſaluandi omnes, conuenientem gubernationem accipiunt homines exiſtentes, & exiſtentia media ſalutis, quamuis omnium ſalus non exiſtat. Secundam explicationem miniſtrare poteſt communis regula dialecticorum: Verba in definitione non dicunt actum, ſed aptitudinem. Quo ſenſu omnia, quæ poſſunt eſſe, ſunt apta, vt conuenientem gubernationem accipiant à prouidentia.

3 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem autem reſpondetur. Voluntati Dei nullus reſiſtit, ſed facit omnia quæ vult facere, ſicut explicatum eſt ſect. præced. aſſertione 2. & 3.

4 *Ad ſecundũ Certiſſimus eſt effectus diuinæ prouidentiæ. Boetius.* Ad ſecundum argumentum reſpondetur. Certiſſimus eſt effectus obtinendus per diuinam prouidentiam quantum ad finem vltimum, adæquatum & principalem ſuæ gloriæ, inſuper quãtum ad fines particulares, non determinatè, ſed diſiunctiuè ſeu vagè; ſicut idem Boetius in eodem lib. 4. de conſolat. eadem proſa. 6. prope finem ait: *Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quòd ab aſſignata ordinis ratione deceſſerit, hoc licet in alium tamen ordinem relabatur, ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati.* Sic igitur intelligendæ ſunt *ſtabilitas, immobilitas*, incommutabilitas, & indiſſolubilis nexus prouidentiæ, non alligans ad vnum particularem finem, ſed conſtringens, vt in alium finem relabatur, qui deceſſerit ab vno. Hic igitur eſt modus eueniendi, quem Deus prouidit, à quo non deficit prouidentiæ certitudo iuxta verba S. Thomæ, quæ referuntur in eodem argumento ſecundo.

Ad tertium reſpondetur. Nunquam fallitur Dei prouidentia, quoniam etiam ille finis particularis, quem non conſequitur, non deficit niſi prouidentia volente permittere, vt deficiat, & volente permiſſionem ordinare ad maiora bona, ſicut vidimus ſect præced. aſſertione 2. & 3. 5 *Ad tertium.*

Ad quartum reſpondetur Imprimis S. Thomam idem ſenſiſſe prima parte, quod ſcripſerat in quæſt. 6. de veritate & lib. 1. ſentent. diſtinct. 40. iam probatum eſt ſect præced. poſt explicatam aſſertionem tertiam. Vnde conſtat quod in præſenti quæſt. 22. art. 2. ad 1. aſſerit: *impoſſibilem eſſe aliquem effectum ordinem cauſæ vniuerſalis effugere*, intelligendum eſſe, ſicut paulò ſuperiùs q. 19. art. 6. explicuerat eam vim vniuerſaliſſimæ cauſæ, vt quod recedit ab vno ordine relabatur in alium, ſicut ſect. præced. retulimus. Quod autem aſſerit, *ea quæ à Deo prouidentur, cuncta euenire eo modo quo ipſe prouidet, ſiue neceſſariò, ſiue contingenter.* Rectè conſonat dictis, quia quæ prouidet modo contingenti, prouidet volendo permittere, vt multoties deficiant à fine particulari, propter meliùs obtinendum finem vniuerſalem, & adæquatum: Quare ſi ſemper obtineretur finis particularis diuinæ prouidentiæ, non euenirent cuncta eo modo, quo Deus prouidet. Ad ea quæ afferuntur ex lib. 3. contra gentes, expoſitio manifeſta eſt ex ſuprà dictis. 6 *S. Thom. non mutauit ſententiam.*

Ad quintum negatur Antecedens. Prouidentia omnique complectitur voluntatem antecedentem & conſequentem, ſicut ad primum referebamus ex Damaſceno, à quo Scholaſtici omnes acceperunt diſtinctionem voluntatis antecedentis, & conſequentis. Ad confirmationem reſpondetur. Per ſe cauſa non ſemper aſſequitur effectum, ſi vult ſibi temperare à concurſu, & vult permittere, vt effectus impediatur à libero arbitrio recuſante operari cum per ſe cauſa. 7 *Prouidentia voluntatem antecedẽtem & conſequentem complectitur.*

Ad ſextum reſpondetur. Prædeſtinationis certitudo rectè colligitur ex infallibilitate prouidentiæ, quantum ad totalem, adæquatum, & vltimum finem obtinendum. Inde tamen non infertur eodem prorſus modo ſe habere prouidentiæ certitudinem, quantum ad omnes particulares fines. Nam prædeſtinatio quidem, licet ſit pars prouidentiæ, non imitatur totam latitudinem prouidentiæ, ſed eam tantùm prouidentiæ partem aſſumit, qua Deus efficaciter prædeſtinat bona facere. Ad confirmationem. Antecedens negatur. Quin potiùs etiam ipſe euentus non ſecutus, eſt prouiſus, quoniam eſt intentus per voluntatem antecedentem, & ad illum obtinendum ſunt adhibita media ſufficientia & abundantia, cum ſincero & non ſimulato affectu conſequendi euentum. 8 *Prædeſtinationis certitudo.*

Ad ſeptimum negando antecedens, quod eodem argumentis exemplo monſtratur eſſe falſum. Nec enim foret imprudens agricola, ſi mitteret ſemina in agrum, quamuis non haberet abſolu- 9 *Ad ſeptimũ.*

tam voluntatem colligendi fructum ex ſingolis granis,ſed tantùm ex aliquibus;& quamuis certo ſciret,quæ grana comedenda forēt ab auibus, & quæ conculcanda à viatoribus. Prudentiùs enim atque ſuauiùs conſuleret granis fructificaturis,ea ſeminando ſimul cum granis perituris. Foret autem exemplum magis ſimile , ſi grana ſingula digna forent, quæ propter ſe ipſa diligerentur antecedenti voluntate agricolæ , deſiderantis,vt ſingula fructificarent,niſi per eorum liberum arbitrium ſtaret. Quapropter ex rebos materialibus nullum poteſt exemplum accipi, quod vndique quadret in diuinam prouidentiam, quæ gubernat creaturas mente præditas. Hoc igitur ſenſu debent intelligi volitio finis ad prouidentiam præſuppoſita,quæ,videlicet,ſit efficax & abſoluta comparatione finis vltimi & vniuerſaliſſimi , & comparatione multorum finiom particularium:licèt non ſit efficax & abſoluta comparatione quorundam finium particularium : quemadmodum conſtat ex eodem S. Thoma de veritate quæſt.6.art.1. corp.poſt medium collato cum art. 3.corpore.

10 Ad octauum reſpondetur , negando antecedens. Quin potiùs in ſapientiſſimo & vniuerſaliſſimn gubernatore ſumma perfectio eſt non applicare media , quæ nouit futura fuiſſe efficacia, ſed potiùs adhibere media,quæ potuiſſent,quantum ex ſe eſt, effectum actualiter obtinere , niſi per liberum alterius arbitrium impedirentur , & permittere,vt impediantur propter rationes maioris momenti,ſæpius repetitas. Ad confirmationem reſpondetur.Intentio & procuratio rei non obtinendæ ſuapte natura propendet ad contriſtandum , & affligendum eum , qui prouidet & intendit;quando propter defectum potentiæ impeditur rei conſtitutio,vel illa res augeret aliquo modo fœlicitatem prouidentis. Quæ rationes, quoniam in Deo ceſſant,& aliunde maiora bona conſequitur ex occaſione rei non obtinendæ: propterea, nec contriſtare , nec affligere poteſt prouidentem.

11 *Prouidentia conditionata* Ad nonum reſpondetur. Conditionata prouidentia non eſt ſolius prouiſoris,qui non poteſt conſequi finem intentum,niſi conditione poſita: ſed magis propria eſt prouiſoris, qui poteſt , ſed non vult propter meliorem & ſuauiorem prouidentiæ modum ſæpius explicatom. Et iuuare poteſt idem exemplum mercatoris , qui poſſet quidem omnes merces abſque iactura ſeruare in aliquo euentu:in quo tamen iactura quarondam mercium prudenter eligeretur ad meliùs, ſuauiùs , & fructuoſiùs ſecundas pretioſiores merces.

12 Ad decimum reſpondetur. Repugnantia volitionum , quæ non ſimpliciter & abſolutè , ſed tantùm ſecundùm quid eſt repugnantia & inuoluntarium ſecundùm quid non eſt imperfectio, ſed maior perfectio prouidentiæ. At verò non eſt abſolutè repugnantia, ſed tantùm ſecundùm quid,nec eſt ſimpliciter inuoluntarium, ſed tantùm ſecundùm quid, quando prouidentia ſalutem quorundam hominum antecedenti voluntate procurans,nihilominus conſequenti voluntate,vult & diſponit eorundem hominum reprobationem.

13 *Antecedens voluntas nō eſt ſimpliciter voluntas.* Ad confirmationem reſpondetur negando ſequelam. Pro cuius explicatione recolendum eſt ex tomo de voluntate Dei,diſp.18.ſect.4.& diſp. 19.ſect.2.& 3.ſed præſertim ſect.10.conc.2.voluntatem antecedentem ſalutis non eſſe ſimpliciter voluntatem , quantum ad modum amplectendi ſalotem omnium , quoniam illam amplectitur ſecundùm ſe,abſtrahendo à particolaribus circunſtantiis, quod eſt eam amplecti ſecundùm quid (vt ex Chryſoſt, Damaſceno & D. Thoma oſtendimus locis citatis.)Nihilominus eadem voluntas antecedens eſt ſimpliciter voluntas,quantum ad realitatem increatam & æternam,realiter exiſtentem in Deo , nec non quantum ad perfectè ſatisfaciendum muneri gubernatoris. Quemadmodum enim , quando ſcribo non ſimpliciter papirum imbuo atramento , ſed tantum ſecundùm quid intingo , quantum ſatis eſt ſingulis characteribus : nihilominus ſimpliciter ſcribo: quin potiùs non ſimpliciter ſcriberem ſi papirum ſimpliciter inficerem atramento:ſic etiam quamuis prouiſor non ſimpliciter , & totaliter amplectatur ſalutem omnium hominum; nihilominus ſimpliciter prouidet eorum ſaluti. quoniam prouidendi modus non requirit totalem & plenam volitionem ſalutis,ſed ſatis eſt eam velle , quantum eſt ex parte ſua.

Commodius exemplum accipere poſſumus ex gubernatore,qui ſimpliciter prouidet vitæ & incolumitati ſuorum ciuium,ſtatuens generales leges iuſtitiæ & pacis,& præbens ſufficientiam alimentorum , quamuis non omnes ciues in ſuam domum recipiat alendos & protegendos , & quamuis permittat , vt multi ſe mutuò vulneribus conficiant. Itaque prouidentia de intentione reali & reali procuratione ſalutis omnium habet totum , quod requiritur ad prouidentiam perfectiſſimam ſimpliciter dictam, quæ potiùs deficeret à perfecta ratione prouidentiæ, ſi plus haberet intentionis & procurationis. 14

SECTIO V.

Quomodo prouidentia diſtinguatur à creatione.

ALiqui patres omnino ſeparare videntur creationem à prouidentia,ita vt creatio ſupponatur ad prouidentiam , & non includatur in illa. Sic enim Nemeſius lib.de facultatib.animæ cap. 42. proplus ad med. quàm ad finem : *Non idem eſt*, inquit , *prouidentia , quod creatio. Nam creationis eſt , rectè efficere , quæ fiunt. Prouidentiæ, conſulere iis,quæ effecta ſunt. Neque hæc omnino coniuncta ſunt , vt licèt videre in hominibus , quamlibet artem , & rationem ſcientiæ exercentibus. Horum enim alij in hoc ſolùm ponunt operam , vt rectè efficiant,neque quicquam curant amplius : vt qui in fabricandi,pingendi,fingendique arte occupantur. Alij ſolùm procurant,& prouident , vt bubulci , & pecudum paſtores. Quare etiam nos in diſp. de creatione, aptum ſit demonſtrare,rectè facta eſſe,quæ facta ſunt. At in tractatione de prouidentia, eſſe procurationem, quæ illis , poſtquam facta ſint , conſulat , declarandum eſt.* 1 *Nemeſius.*

Damaſcenus lib.2.fidei cap.29.ſub init.ſignificauit apertè diſtinctionem eandem dicens: *Deus igitur eſt,qui eſt factor & prouiſor : & factiua eius virtus,& contentatiua,& prouiſiua : bona ipſius voluntas eſt.* Concinit Ambroſius lib.1. Officior. cap.13.& 1.Corinth.1.colligens Deum eſſe prouiſorem,ex eo quòd ſit creator;vt vidimus diſp. 1. ſect. 4. initio. Concinit etiam Cyrillus lib. 5. theſauri c. 2. verſus finem,illis præſertim verbis: *Ipſe omnium creator eſt , etiam minimorum & omnibus* 2 *Cyrillus.*

S.Thomas. *bus prouidet.* Colligitur etiam ex S. Thoma de veritate quæſt.5.art.1.ad 9.dicente: *Prouidentia differt ab arte diuina & diſpoſitione, quia ars diuina dicitur reſpectu productionis rerum, ſed diſpoſitio reſpectu ordinis productorum, prouidentia autem dicit ordinem in finem artificiati.* Colligitur etiam quoniam 1.p.quæſt.65.tractatu de opere creationis; poſtea verò quæſt.105. de opere gubernationis, vnde gubernationem à creatione diſtinguit. Gubernatio autem eſt proprium & adæquatum opus prouidentiæ.

3 *Creatio ſub prouidentia comprehenditur.* *Auguſtinus.* Communior tamen eſt apud Patres loquendi modus, quo ſub prouidentia comprehenditur etiam creatio, tanquam eius operatio, vel effectus. Sic enim Auguſtinus lib.8.de Geneſi ad literam cap.9.à principio. *Gemina,* inquit, *operatio prouidentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem qua etiam lignis & herbis dat incrementum, voluntaria verè per Angelorum opera & hominum. Secundum illam primam, cæleſtia ſuperiùs ordinari, inferiúſque terreſtria, luminaria ſyderáque fulgere, dies noctiſque vices agitari, aquis terram fundatam interlui, atque circumlui, aerem altiùs ſuperfundi, arbuſta & animalia concipi & naſci,* &c. Hoc bipartitum opus prouidentiæ repetit lib. 9. de Geneſ.ad literam paulò poſt princip. & cap. 15. circa med.& cap.18.initio ait: *Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eáſque implet non illo opere prouidentiæ, quo naturas ſubſtituit, vt ſint, ſed illo, quo eas adminiſtrat.* Conſtituit igitur primum opus prouidentiæ, quo naturas ſubſtituit, vt ſint.

4 Boetius lib.3. de conſolat.proſa 11. verſus finem ait: *Dedit enim prouidentia creatis à ſe rebus hanc vel maximam manendi cauſam, vt quoad poſſint naturaliter permanere deſiderent*, & ſequenti lib.4.proſa.6.propiùs ad med. quàm ad princip. ait: *Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens, mouet operis effectum, & quoad ſimpliciter, præſentariéque proſpexerat, per temporales ordines ducit: ita Deus prouidentia quidem ſingulariter ſtabilitérque facienda diſponit.* Lactant.lib. 1.inſtitutionum cap.2.& lib.7.de ira Dei cap.9. & 10. prouidentiæ nomen ampliat, vt comprehendat opera creationis. Quod idem ſupponere videntur alij Patres, quando prouidentiam probant ex prædictis operibus creationis, ſuprà diſp. 1. ſect. 3.4.& 5.

5 *Prouidentia, & creatio diſtincta realiter.* Conciliantur iſti modi loquendi & veritas explicatur ſequentibus aſſertionibus. Dico primò. Prouidentia realiter diſtinguitur à creatione ſumpta pro actione tranſeunte, quæ definitur eſſe productio rei ſecundùm totam ſubſtantiam ſuam, nullo præſuppoſito, ſiue abſque præiacenti materia, ſiue ex nihilo. Nam creatio tranſiens eſt ens temporale, & creatum de prædicamento actionis; ſed prouidentia eſt quid diuinum & æternum.

6 *Creatio ſumpta pro actione immanente Dei formaliter differt à prouidentia.* Dico ſecundò. Si creatio ſumatur pro immanente operatione, per quam Deus creat iuxta illud Pſalm. 148. *Ipſe mandauit, & creata ſunt.* Differt formaliter à prouidentia, quoniam prouidentia non reſpicit formaliter tanquam adæquatum obiectum & effectum productionem totius ſubſtantiæ ex nihilo, quam dicit creatio, etiam illa, quæ eſt immanens in Deo: E contrario tamen immanens actus creationis non reſpicit formaliter & expreſsè rerum ordinationem in finem, quam formaliter reſpicit prouidentia.

Dico tertiò. Prouidentia & creatio materialiter ſumptæ, ſe inuicem includunt. 7 *Prouidentia, & creatio ſe inuicem includunt.* Imprimis enim prouidentiam materialiter ſumptam includit creatio (maximè ſi creationis nomen extendatur ad quamlibet productionem cuiuſlibet creaturæ) quoniam creatio, producit non modò ſubſtantiam rerum, ſed etiam illarum ordinationem in finem: vt docet S.Thomas in præſenti quæſt. 22.art. 1. corpore. Prouidentiæ verò proprium eſt rebus tribuere ordinationem in finem. Aliunde verò creationem materialiter ſumptam in prouidentia contineri, probatur 1. quia res omnes creatæ ſunt non caſu, ſed conſilio, quo ſunt in proprios fines ordinatæ, maximè verò in generalem finem, qui eſt ipſe Deus, iuxta illud Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* *Prouerb. 16.* Proprium autem eſt ſolius prouidentiæ, non caſu, ſed conſilio agere, & in finem dirigere.

8 Probatur ſecundò, quia proprium eſt prouidentiæ tribuere media proportionata ad fines obtinendos: at verò creaturæ omnes per creationem acceperunt vires, qualitates, locum, ordinem, figuram, & omnia requiſita, prout congruebat ſtatui, functionibus, & finibus vniciuique propriis. Tertiò probatur, nam prædeſtinatio, & reprobatio ſunt partes prouidentiæ, quarum effectus ſunt creationes hominum, & circunſtantiarum naturalium, quæ præſciuntur fore occaſiones, aut opportunitates virtutis aut vitij.

9 *Creatio mouetur à prouidentia.* Vnde infero & dico quartò. Creatio ſumpta pro actione immanente Dei, qua res producit ex nihilo, mouetur à prouidentia, quoniam ea ratione Deus corporeum mundum creauit, quoniam intendebat homines quoſdam prædeſtinare, & alios reprobare, & ea ratione creauit Petrum & Ioannem, quoniam intendebat eos prædeſtinare. *S.Thomas.* Rectè namque S. Thomas de veritate quæſt. 5. art.1.ad 9 poſt med.ait: *Ex fine artificij colligitur quidquid eſt in artificiato: Ordo autem ad finem eſt fini propinquior, quam ordo partium ad inuicem, & quodammodo cauſa eius, & ideo prouidentia quodammodo eſt diſpoſitionis cauſa.*

10 *Prouidentia propriè non comprehendit creationem.* Dico quintò. Licet prouidentia latè ſumpta comprehendat creationis opus: propriè tamen ſumpta non comprehendit illud; ſed ſolam gubernationem, ſuppoſita creatione. Ita docent Alexander 1.p.quæſt.26.membr.7.art.1. Albertus 1.p.quæſt.67.memb. 4.art.1.partic. 4. Durand 1.diſtinct.39.quæſt. 3.num.6.Suarez lib.3. de attributis cap. 10.num. 2. Vtramque partem aſſertionis probant teſtimonia Patrum initio propoſita pro vtraque parte. Acceptionem autem prouidentiæ propriè dictæ, colligere poſſumus ex Sapient.14.*Tu autem Pater, prouidentia ab initio cuncta gubernas,* & Sapient.6.*Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* *Sapien. 14. & 6.* Vbi ſupponit factos homines, & illis iam productis æqualem curam tribuit.

SECTIO V.

Diſpoſitio, fatum, ſcientia, & ars diſtinguntur à prouidentia.

Diſpoſitionem à prouidentia magiſter ita diſtinguit, quoniam diſpoſitio eſt tantùm de faciendis, prouidentia verò eſt etiam de non faciendis videlicet, peccatis. Ita lib.1.ſent.diſt.35. ſub initium. 1

Nihilominus dico primò. Aliquando diſpoſitio

Digitized by Google

tio ſumitur pro ipſa prouidentia, rarò tamen: ſicut Prouerb. 24. *Cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus, vbi multa conſilia.* Vbi diſpoſitio complectitur omnem actum interiorem prudentiæ. Confirmatur, quoniam prædeſtinatio eſt præſtantiſſima prouidentia: ſed prædeſtinatio dicitur eſſe diſpoſitio: ſic enim Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 7. ſub init. *prædeſtinationis*, inquit, *nomine non aliqua voluntatis humanæ coactiua neceſſitas exprimitur; ſed miſericors & iuſta futuri operis diuini ſempiterna diſpoſitio prædicatur.* Vnde ſubiungit in fine: *Vtrumque prædeſtinando Deus præparauit illa incommutabili voluntate, in qua ſic futurum effectum hominis renouandi diſpoſuit, vt eius voluntas in opere nouo noua eſſe non poſſet.* Atque ità diſpoſitionem actiuè ſumptam nonnunquam idem eſſe quod prouidentia docent Albertus 1. p. q. 67. memb. 2. verſus finem, & Alexand. 1. p. q. 26. membro 2. colum. 3.

Diſpoſitio rarò ſumitur pro prouidentia.
Prouerb. 24
Fulgent.

3 Dico ſecundò. Communis & proprius eſt alter vſus, iuxta quem diſpoſitio eſt ipſa executio, ſiue actio tranſiens prouidentiæ, atque ordinationis illius. Ita S. Thomas in præſenti q. 22. art. 1. corp. fine, & ad 2. & lib. 1 ſenteot. diſt. 39. q. 2. art. 1. corp. fine: *Diſpoſitio*, inquit, *dicitur ratione duplicis ordinis, quem ponit in rebus*, ſcilicet, *rei ad rem, ſecundùm quod iuuant ſe inuicem ad conſequendum finem vltimum; & iterum totius vniuerſi ad ipſum Deum. Sic etiam Philoſophus ponit in vndecimo Metaph. vbi etiam ponit exemplum de ordine partium exercitus ad inuicem, & ad bonum ducis. Prouidentiæ autem dicitur, ſecundùm quod rebus, ita ordinatis, attribuit ea, quæ ordinem conſeruent, & propellit omnem inordinationem.* Atque in ſolutione argumentorum magis explicat prouidentiam includere diſpoſitionem, & aliquid addere ſupra diſpoſitionem. Videtur autem non aliam incluſionem dicere, niſi quemadmodum in prouidentia continetur eius executio. S. Thomam ſequitur Capreol. 1. diſt. 40. art. 2. ſub initium.

Diſpoſitio ipſa executio.
S. Thomas.
Prouidentia diſpoſitionem includit.

4 Sacræ literæ frequenter exteriorem actum prouidentiæ, atque executionem illius ſignificant verbo *diſponendi*. Lucæ 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* Sapient. 3. *In paucis tentati, in multis bene diſponentur*, & cap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*, Sapient. 11. *Omnia in numero, & menſura & pondere diſpoſuiſti*, & cap. 12. *Iuſtè omnia diſponis*, & infrà: *Cum magna reuerentia diſponis nos.* Eccleſiaſtici 33. *Quaſi lutum figuli in manu ipſius plaſmare illud & diſponere; omnes viæ eius ſecundum diſpoſitionem eius, ſic homo in manu illius, qui ſe fecit.* Confirmatur defioitione Boetij lib. 4. de conſolat. Philoſoph. proſa 6. inter princip. & med. *Prouidentia eſt ipſa ratio, in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit. Fatum verò inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam prouidentia, ſuis quæque nectit ordinibus.* Nota diſpoſitionem inhærere rebus mobilibus: prouidentiam verò non niſi in Deo conſtitutam eſſe. Fateor tamen Boetium ibi nonnunquam diſponendi verbum tribuere ipſi diuinæ & æternæ actioni prouidentiæ.

Lucæ 22.
Sapient. 3. & 8. 11 & 12.
Eccleſiaſtic. 33.
Boetius.

5 Dico tertiò. Diſpoſitio ſpecialiter ſumpta non adæquat totam executionem prouidentiæ. Habet enim hoc peculiare diſpoſitio, quod non refertur, niſi ad res habentes partes, quæ ordinentur, vt S. Thomas obſeruat 1. 2. quæſt. 49. art. 1. ad 3. & art. 2. ad 1. Dorand. 1. diſt. 39. quæſt. 3. num. 5. & 6. ſed prouidentia & eius executio vniuerſalior eſt ad res omnes, quantumcunque indiuiſibiles.

Diſpoſitio nõ adæquat totam executionem.

Dico quartò. Nullum ſolidum fundamentum inuenio diſcriminis illius quo diſpoſitionem ſtrictè ſumptam pertinere ad *fieri* rerum, ſed prouidentiam ad *factum eſſe*, docent Alexander 1. p. quæſt. 26. memb. 2. verſus finem, & Albert. 1. p. quæſt. 67. memb. 2. ad argumenta collatis ſolutionibus ad 1. & ad 4. in contrarium. Cui ſimile eſt quod alij dicunt, diſpoſitionem eſſe illam rationem, cuius executio eſt creatio; ſed prouidentiam eſſe rationem, cuius executio eſt gubernatio rerum iam creatarum. Ita Durand. 1. diſt. 39. quæſt. 3. num. 6. Suarez lib. 3. de attributis c. 10. num. 3. Vtraque igitur differentia gratis excogitata videtur. 6

Dico quintò. Fatum à prouidentia differt eodem ferè modo, quo diſpoſitio. (Accipimus autem fati nomen non ſiniſtro Gentilium, ſed Catholico Theologorum ſenſu) eſt enim fatum ipſe rerum ordo, per prouidentiam cauſatus; maximè verò denotat fatum connexionem cauſarum ſecundarum, quam prouidentia cauſat. Vnde prouidentia realiter diſtinguitur à fato, ſicut ab effectu creato & temporali diſtinguitur cauſa increata & æterna, & ſicut exemplar ab exemplato, ſiue vt forma & idea, quæ eſt in mente artificis differt à forma poſita exteriùs in re artificata. Ita exiſtimant S. Thomas infrà quæſt. 116. de fato art. 2. corp. & ad 3. & lib. 1. ſentent. diſt. 39. quæſt. 2. art. 1. ad 5. & de veritate quæſt. 5. art. 1. ad 1. Alexand. 1. p. quæſt. 26. memb. 2. prope finem, Albert. 1. p. quæſt. 67. memb. 2. argumento 5. & 6. Ricard. 1. diſtinctio. 39. artic. 2. quæſt. 1. ad 1. 7

Fatum à prouidentia differt.

Probatur teſtimonio Boetij lib. 4. de Conſolat. proſa 6. inter princip. & medium dicentis: *Fatum eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Et poſt pauca *Fatum ſingula digerit in motu, locis, formis, ac temporibus diſtributa, vt hæc temporalis ordinis explicatio in diuinæ mentis adunata proſpectu, prouidentia ſit: eadem verò adunatio digeſta, atque explicata temporibus, fatum vocetur.* Et adducto exemplo artificis, *qui faciendæ rei formam mente percipiens, mouet operis effectum*, concludit: *Illud certè manifeſtum eſt, immobilem, ſimplicémque gerendarum formam rerum eſſe prouidentiam: fatum verò eorum, quæ diuina ſimplicitas gerenda eſſe diſpoſuit, mobilem nexum, atque ordinem temporalem.* 8

Boetius.

Colligit hoc ipſum S. Thomas ex vocis etymologia, quia fatum dicitur à fando; ideo quæ Deus *dixit & facta ſunt*, ea ſunt fata: ſed ipſa locutio & imperium eſt prouidentia. Prior autem Auguſtinus lib. 5. de ciuitate cap. 9. poſt med. ita ratiocinatus fuerat: *Fati nomen, vbi ſolet à loquentibus poni, id eſt, in conſtitutione ſyderum, qua quiſque conceptus, aut natus eſt: quoniam res ipſa inaniter aſſeritur, nihil valere monſtramus. Ordinem autem cauſarum, vbi voluntas Dei plurimum poteſt, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, niſi fortè vt fatum à fando dictum intelligamus, id eſt à loquendo, non enim abnuere poſſumus, eſſe ſcriptum in literis ſanctis: ſemel loquutus eſt Deus, duo hæc audiui quoniam poteſtas eſt Dei: & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique ſecundùm opera eius. Quod enim dictum eſt, ſemel loquutus eſt: intelligitur immobiliter hoc eſt, incommutabiliter eſt loquutus, ſicut nouit incommutabiliter omnia, quæ futura ſunt, & quæ ipſe facturus eſt. Hac itaque ratione poſſemus à* 9

Fatũ à fãdo.
Auguſtinus.
Pſalm. 61.

fando

Digitized by Google

fando fatum appellare, niſi hoc nomen iam in alia re ſoleret intelligi, quo corda hominũ nolumus inclinari.

10 Breuius autem id attigit ipſe Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 33. circa medium. Quod autem ponderauit ex Pſalm. 61. poſſet eadem ratione ponderare in verbis Iob. 33. *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit.* Quod autem aduerbium *ſemel* ſignificet immobilitatem conſilij, magis apertum eſt Pſalm. 88. *ſemel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiar.* Plura de fato reperies apud S. Thomam infrà tota quæſt. 116. Alexd. 1. p. q. 17. Albertũ 1. p. q. 68. & alios. Diximus aliqua tomo de ſcientia diſp. 48. tractantes, quo ſenſu fatalis neceſſitas refutetur à Patribus.

Iob 33.

Pſalm. 88.

2

11 Dico ſextò: Ars, & ſcientia Dei ſecundùm rationem differunt à prouidentia. Primò quoniam ſcientia vniuerſalior eſt ad omnia cognoſcibilia per ſcientiam ſpeculatiuam, ſed prouidentia & ars eſt ſolum cognitio practica. Secundò quoniam ſcientia etiam practica, & ars eſt de omnibus, quæ fieri poſſunt: at verò prouidentia tantùm eſt de faciendis à Deo vel ab arbitrio libero. Tertiò ſcientia, & ars nec includunt, nec ſupponunt decretum voluntatis: quod tamen includit vel ſupponit prouidentia ratione imperij determinantis ad opus. Atque in hoc ſenſu prouidentia addit aliquid ſupra ſcientiam, & artem, vt notauit S. Thomas lib. 1. ſentent. diſt. 39. q. 2. art. 1. & de veritate q. 5. art. 1. corpore, & ad 9. Quem ſequitur Capreol. 1. diſt. 40. art. 2. cõcluſ. 1. & 3. & hoc ſenſu debet intelligi Ricard. 1. diſt. 39. art. 2. q. 1. dicens, prouidentiam pertinere ad ſcientiam practicam, ſimilitérque loquitur Durand. 1. diſt. 39. q. 6. art. 1. Quoniam igitur ars continetur in prouidentia, meritò Boetius lib. 4. de conſolat. proſa 6. prouidentiam cum arte comparat.

Ars, & ſcientia Dei ſecũdum rationẽ differunt à prouidentia.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Deus immediatè prouideat omnibus rebus.

DISPVTATIO V.

Quouſque ſit mediata vel immediata conſeruatio, cooperatio, & gubernatio rerum.

SECTIO I.

Quodnam genus cauſæ contineatur in quidditate prouidentiæ.

1 Dico primò. Prouidẽtia eſt cauſa exẽplaris rerũ. Ita docẽt Alexãd. 1. p. q. 26. mẽb. 2. prope finẽ & mẽb. 3. art. 3. Albert. 1. p. q. 67. mẽb. 2. argumẽto. 5. & 6 & mẽb. 4. art. 1. S. Thom. 1. p. q. 116. art. 2. corp. & ad 3. & de veritate q. 5. art. 1. ad 1. & lib. 1. ſent. diſt. 39. q. 2. art. 1. ad 5. Quem ſequitur Capreol. 1 diſt. 40. art. 2. conc. 1. & 3. Probatur authoritate & ratione, Boetij lib 4. de conſolat. proſa. 6. inter princip. & med. dicẽtis: *Sicut artifex faciendæ rei formã mente percipiens, mouet operis effectũ, & quod ſimpliciter præſentarièq; proſpexerat, per temporales ordines ducit: Ita Deus prouidentia quidem ſingulariter, ſtabilitérque facienda diſponit.* Et poſt pauca: *Illud certè manifeſtũ eſt, immobilem ſimplicémque gerendarũ formã rerum eſſe prouidẽtiam.* Obſerua *formã* non quidẽ rebus intrinſecã, per quã earũ eſſentia conſtituatur: ſed formã extrinſecam rebus artificatis, exiſtẽtem autem in mẽte artificis. Hæc autẽ forma nõ eſt aliud, quàm idea, vel exẽplar rei faciendæ. Prouidentia igitur eſt cauſa exẽplaris. Confirmatur ex dictis diſp. 3. ſect. 9. probat. 3. nam Dion. Areop. *paradigmata,* ſiue rationes exẽplares appellauit prouidentiam.

Prouidentia exemplaris cauſa.

Boetius.

2 Notandũ eſt autẽ Alexandrũ, Albertum, & Ricardũ initio citatos, prædictã rationẽ exemplaris cauſæ referre tantũmodo ad rationẽ ſcientię practicæ; quæ pręcedit imperiũ. Melius autẽ & exactiùs exẽplaritas ſupradicta conſtituitur in ſcientia practica, iam determinata per imperium intellectus, dictans, quid voluntas operari decreuerit, & immediatè operationem attingens: vt explicatum eſt in eadem diſp. 3. ſect. 9. & ſequentibus.

3 Dico ſecundò. Prouidentia eſt etiam efficiens cauſa rerũ, quæ prouidentur. Hanc cauſalitatem Theologi omnes agnoſcũt. Probatur 1. Pſ. 103. *omnia in ſapiẽtia feciſti,* Prou. 3 *Dominus ſapiẽtia fũdauit terrã, & ſtabiliuit cælos prudẽtia.* Dei verò prudẽtia eſt idẽ quod prouidẽtia; vt cõſtat ex diſp. 3.

Prouidentia efficiens cauſa rerum. Pſalm. 103. Prouerb 3.

4 Secũdò probatur ex Patribus, qui vim effectiuã ſimul cũ exẽplari cauſalitate copulãt in prouidẽtia, tanquã in artifice. Clem. Rom. lib. 8. Recog. pag. ante pen. propoſito exẽplo artificis, qui *paulatim excudẽs, & ad librã ſuæ artis exſculpẽs, exprimat formã, quã mente cõceperit. Ita ergo,* ait, *ex informitate, vel deformitate, artificis manu peruenitur ad forma, & vtrũq; ab artifice procedit: ſimili igitur modo, & ea, quæ in mũdo gerũtur, per artificis prouidentiam fiunt, etiamſi minus ordinata videantur.* Sic etiam Dionyſius exemplaria vocauit *effectrices rationes,* vt vidimus diſp. 3. ſect. 9. probat. 3.

Clem Rom.

5 Tertiò probatur ex alijs Patribus Damaſc. 2. de fide toto fere c. 29. plane cõcedit prouidentiæ vim effectricẽ rerũ omniũ: Auguſtinus multoties eandẽ efficientiã cõcedit, præcipuè quãdo declarat bipartitũ opus prouidẽtiæ lib. 8 de Gen. ad lit. c. 9. & lib. 9. c. 13. 14. & 15. circa mediũ, Boetius lib. 4 de conſol. proſa. 6. parũ à principio. *Omniũ,* inquit, *generatio rerũ, cunctúſque mutabiliũ naturarũ progreſſus, & quidquid aliquo mouetur modo, cauſas, ordinem, formas ex diuinæ mentis ſtabilitate ſortitur. Hæc in ſuæ ſimplicitatis arce compoſita, multiplicem rebus gerendis modũ ſtatuit, qui modus cũ ipſa diuinæ intelligentiæ puritate conſpicitur, prouidentia nominatur.* Generatio igitur & progreſſus rerum cauſam ſortiuntur ex prouidentia diuina.

Boetius.

6 Quartò probatur, quia prouidẽtia eſt eſſentialiter ſcientia practica (vt diſp. pręced. ſect. 6. ad finẽ dicebamus) ſcientia verò practica Dei eſt cauſa rerũ efficiens, modo probato, & explicato in tomo de ſcientia diſp. 15. ſect. 1. & 2. Magis ad rẽ præſentẽ facit, quod Aug. lib. 6. de Trinit. c. 10. circa mediũ ait: *Ibi nouit omnia Deus, quæ facit per ipſam, & ideo cũ decedant & ſuccedãt tẽpora, non decedit aliquid, vel ſuccedit ſcientiæ Dei. Non enim hæc, quæ creata ſunt, ideo ſciũtur à Deo, quia facta ſunt: ac nõ potius ideo facta ſunt, vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo ſciuntur.* Hæc igitur ſcientia, quæ rebus eſt cauſa, vt ſint, non poteſt eſſe ſciẽtia ſolius poſſibilitatis, quoniã hæc eſt indeterminata, & cõmunis rebus nunquã futuris: ſed debet eſſe ſcientia ſupponens decretum liberum, & dictans, quid Deus ſit facturus: ſicut magis explicuit eandem ſententiã repetens Auguſtinus lib. 15. de Trinitate c. 3. circa med. illis verbis: *Vniuerſas autẽ creaturas ſuas, & ſpiritales & corporales, non quia ſunt, ideo nouit, ſed ideo ſunt, quia nouit. Non enim neſciuit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſciuit, creauit; non quia creauit, ſciuit.* Hoc *ſciuit* intelligere debes ſicut proximè dixerat: *Quæ fuerat creaturus.* Hæc autẽ ſcientia eſt vltimum complementum prouidentiæ iuxta dicta diſp. 3. ſect. 9. & ſequentibus.

Auguſtinus.

7 Quintò probatur, quia prouidentia volitionẽ Dei vel eſſentialiter includit, vel ſupponit: volitionẽ autem Dei eſſe cauſam rerũ effectricem, ex Scriptura, & Patribus oſtendimus præced tomo

de voluntate Dei diſp. 11. ſect. 4. & diſp. 14. ſect. 1. Sextò probatur omnibus teſtimoniis, Scripturæ & Patrum, quibus diſputat. 3. ſectione 9. conc. 4. probatum eſt Deum agere per imperium intellectus: nam ibidem fuit oſtenſum, hoc imperium eſſe qood præcipuè conſtituit prouidentiam.

8 *Diuina ſcientia rerum effectrix.*

Vnde colligo & dico 3. Dei prouidentia vim efficientiæ cauſæ ſortitur, non præcisè ratione voluntatis, quam includit, ſed etiam ratione intellectus, quantum ad ſcientiam & imperium: licet multoties voluntati potiùs, quàm intellectui tribuatur Dei operatio tranſiens; quoniam voluntas eſt, quæ liberè determinat ad illam, cum poſſet non determinare, ſicut fuſiùs explicatum eſt. diſp. 14. ſect. 3. in tomo de voluntate Dei. Hoc igitur ſenſu debent intelligi Alexand. & Albertus initio citati, quando cauſam efficientem eſſe referuant voluntati, formalem cauſam relinquentes intellectui.

9 *Finis formalitas non affertur in quidditate prouidentiæ.* *Auguſtinus.*

Dico 4. Formalitas cauſæ finalis non affertur in quidditate prouidẽtiæ; quamuis ex illa neceſſariò conſequatur: Pro cuius declaratione præmitto Auguſtini verba libro octoginta trium quæſtionum q. 24. ante med. *Summè enim eſt illud bonum, cuius participatione ſunt bona cætera, & omne quod mutabile eſt, non per ſeipſum ſed boni immutabilis participatione, in quantum eſt, bonum eſt. Porro illud bonum, cuius participatione ſunt bona cætera quæcumque ſunt, non per aliud ſed per ſeipſum bonum eſt, quam diuinam etiam prouidentiam vocamus.* Hinc argumentantur Alexand. & Albertus initio ſectionis citati, quia ſummum bonum eſt finis omnium: ſed prouidentia eſt ſummum bonum; ergo prouidentia eſt finis omnium.

10 Bene tamen iidem Doctores diſtinguendo reſpondent, ſummo bono, quia ſummum bonum eſt conuenire diffuſionem, & communicationem, quæ pertinet ad cauſam efficientem & formalem, & quam Auguſt. his verbis expreſſit, & vt aſſeruit eſſe prouidentiam. Eidem tamen bono ſummo, quia ſummum bonum eſt, conuenit eſſe vltimum finem: ſed hæc formalitas finis non affertur in quiditate prouidentiæ, niſi conſecutione quadam, & quaſi in obliquo. Cuius ratio eſt, quia prouidẽtiæ propriiſſimum eſt ſapienter omnia media diſponere propter finẽ; ſed nõ diſponerentur ſapienter, niſi propter illum finem, qui eſt ſummum bonum, vt idem eſſet principium primum, & vltimus finis.

11 *Ariſtoteles, & Auerroes Dei efficientiam circa mundum agnouerunt.*

Dico quintò: licet plures ſcholaſtici putauerint Ariſtotelem, & Auerroem negaſſe Dei efficientiam, circa Mundum, & ſolam agnouiſſe cauſalitatem finalem: probabilior eſt S. Thomæ & aliorum ſententia, dicentium vtramque cauſalitatem agnouiſſe. Quod probat copiosè Pennottus in propugnaculo lib. 8. c. 2. tangit breuiter Scaliger exercitatione 362. & 365. §. 4.

SECTIO II.

Conſeruationem creaturarum, & cooperationem cum omnibus cauſis, ad regimen prouidentiæ pertinere, probatur Scripturis & Patribus.

1 POſtea ſeparatis ſectionibus acturi de conſeruatione & cooperatione, nunc ſimul eas probamus, quoniam ex ſacra Scriptura ſimul inferuntur à Patribus, in hac, & ſequenti ſect. citandis. Prouidentiam igitur ſtrictè ſumendo, prout creationem non includit, (iuxta dicta diſp. 4. ſect. 5.) duo ſolent à Theologis aſſignari præcipua capita operationum illius: alterum eſt conſeruatio; alterum verò gubernatio, quamuis vtrumque ſoleat multoties gubernationis nomine contineri.

2 *Conſeruatio opus prouidentiæ.* *Hebræor. 1.* *Chryſoſt.* *Non eſt minus conſeruare quàm creare.*

Conſeruationem opus eſſe prouidentiæ proprium probatur ex ſacris literis, & Patribus eas exponentibus. Imprimis enim Apoſt. inquit, Hebræor. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ.* Vbi Chryſoſtom. homil. 2. circa med. ait: *Ecce & hic idem ipſe verbo ſuo cuncta facit. Ferâtque inquit omnia, hoc eſt gubernet omnia. Siquidem cadentia, & ad nihilum tendentia continet. Non enim minus eſt continere Mundum, quam feciſſe: ſed ſi oportet aliquid, quod admireris, dicere, adhuc amplius eſt. Nam in faciendo quidem, ex nullis extantibus rerum eſſentiæ productæ ſunt: in continendo verò, ea quæ facta ſunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Et poſt pauca *dicendo: Verbo potentiæ ſuæ ſignificauit iterum, quod ſine labore cuncta contineat. Et benedixit, verbo potentiæ ſuæ.*

3 Theodoretus eundem locum ita exponit; *Non ſolùm enim fecit omnia, ſed ea etiam dirigit & gubernat. Inſignem autem eius oſtendit potentiam, cum dixit, verbum ei ſufficere ad omnium fabricationem, & eorum curam, & prouidentiam. Dixit enim fiat lux, & facta eſt lux*, &c. Eodémque modo exponunt Theophylactus & Haymo. Commentarius autem, qui tribuitur Ambroſio partem ſententiæ Chryſoſtomi deſumpſit his verbis: *Portans, id eſt gubernans omnia eo verbo virtutis ſuæ, per quod fecit omnia. Non enim minus eſt gubernare Mundum, quam creare. Nam in creando quidem, ex nihilo rerum ſubſtantiæ productæ ſunt: in gubernando verò ea quæ facta ſunt, ne ad nihilum redeant continentur.*

4 *Anſelmus.* *Oecumenius*

Beda in Collectaneis ad huius loci expoſitionem affert Auguſti. verba ex lib. ſentent. Proſperi & ex lib. 8. de Geneſi ad liter. quæ referemus in hac & ſequenti ſectione; Anſelmus autem in eundem locum: *Portat*, inquit, *omnia, id eſt, ſurſum tenet, ne decidant, & in nihilum reuertantur, vnde creata ab ipſo fuerant: & ſuſtentat ea, non labore & difficultate, ſed imperio ſuæ potentiæ* Oecumenius ex Photio in collectaneis ad Hebræ. 1. *Moderatur* inquit, *omnia, hoc eſt, viſibilia & inuiſibilia verbo circunferens & gubernans.*

5 *Magiſter.*

Primaſius autem ait: *Dicendo: Portans, facilitatem continendi voluit exprimere, poſuitque: Portans pro eo quod eſt gubernans, & regens, Verbum igitur Dei Patris, omnia, quæ fecit, verbo virtutis ſuæ portat, hoc eſt, potentia virtutis ſuæ & verbo iuſſionis ſuæ omnia gubernat & regit: Non enim minus eſt gubernare Mundum, quàm creaſſe; nam in creando ex nihilo ſubſtantiæ rerum productæ ſunt: in gubernando verò ea, quæ facta ſunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Magiſter ſent. in eiuſdem loci commentario ait; *Portans, id eſt, continens, & gubernans omnia: Verbo, id eſt, ſolo imperio: virtutis ſuæ, id eſt, potentiæ & charitatis ſuæ, quæ non minor apparet gubernando, quàm creando.* Obiter tandem admoneo, nec ſacro textui, nec imperio iubentis repugnare; ſed potiùs optimæ Theologiæ conſonare magis, quod

S. Thomas ibid. lect. 2. longè poſt med. exponit, Filium portare omnia *Verbo virtutis ſuæ*, id eſt, ſeipſo, quod eſt Verbum omnipotens. Cuius ratio declarata fuit in tomo de Trinitate diſp. 57. ſect. 4. num. 12. & ſequentibus.

6 *Coloſen. 1.* Idem dogma probatur ſecundò ex eodem Apoſt. Coloſ. 1. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* *Chryſoſt.* Quæ Chryſoſt. homilia 3. ſic exponit: *Quod verò dicit, in ipſum, quid eſt? hoc ſcilicet; In ipſum pendet omnium hypoſtaſis. Non ſolùm ipſe ea ex nihilo ad hoc, vt eſſent produxit; ſed & idem ipſe nunc quoque ea conſeruat, & tuetur, ita vt ſi ipſius cura deſtituerentur, mox perirent, & corrumperentur. Sed non dixit: conſeruat, quòd craſſius fuiſſet; ſed quod ſubtilius, nempe quòd omnia in ipſum pendent. Duntaxat ad ipſum annuere, & inclinare ſatis eſt ad conſeruandum, & conſtringendum.* Et infrà: *dicit eum omnia conſeruare, quod non minùs eſt, quàm omnia creare.* *Theodoret.* Theodoretus in eundem locum: *Non ſolùm, ait, eſt omnium opifex, ſed etiam curam gerit eorum, quæ fecit: & gubernat creaturam, quæ ſtat per eius ſapientiam & potentiam.*

7 Theophylactus verò ait: *Nec ipſe ea tantùm condidit, verum etiam ea ipſe continet. Itaque ſi ab eius prouidentia auellantur, pereunt. Non dixit autem: Ad ipſum pertinent, ſed quod exactius eſt, in ipſum reſpiciunt, vergunt, & ab eo pendent. Atque hoc ipſum in eum reſpicere ſatis eſt vt contineat, atque pariter ea cingat. Hoc autem non minùs eſt, quàm creare. Quantum enim ad eas res, quæ à nobis proficiſcuntur, eſt multò maximum. Etenim nos conficimus pallium quoddam fortaſſe, vel domum extruimus: conſeruare autem ipſum à corruptione non poſſumus.* *Anſelmus.* Anſelmus ibidem: *Omnia in ipſo conſtant; quia ſicut omnia creauit, ſic omnia continet & regit. Omnia in ipſo conſtant, quia ſecundum immenſitatem incircunſcripta & incomprehenſa diuinitatis eius omnia ſunt intra ipſum, & ne in nihilum redeant, per eum conſiſtunt.*

8 *Sap. 11.* Tertiò probatur Sapientiæ capite vndecimo. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes? aut, quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?* Vocatio hæc; ſine qua nihil conſeruaretur eſt illa, qua Deus imperando dicit, vt res conſeruentur, ſicut imperando dicit vt ſint, & ita *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Quam vocationem eſſe iuſſionem. ex Auguſtino, aliiſque Patribus vidimus diſputatione tertia ſectione vndecima ad finem. Porrò ſummam indigentiam diuini concurſus, quo ſublato, protinus interirent vniuerſæ creaturæ, ſignificauerat paulò ſuperiùs exemplo guttæ roris, *Quoniam tanquam in momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum; & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.* Illæ namque guttæ, quæ ſuper herbam, aut alias quaſdam res deſcendunt, permanent, licet breuiſſimo tempore matutino, ſed gutta roris deſcendens in terram, ſtatim euaneſcit, præſertim ſi fuerit ſingularis & ſola, non verò multæ guttæ.

9 Quartò diuinæ prouidentiæ proprium regimen, gubernationem & adminiſtrationem eſſe, non modo conſeruationem rerum, ſed etiam concurſum & cooperationem cum quibuſlibet cauſis ad earum actiones, probatur *Ioan. 5.* Ioannis quinto. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* *Auguſtinus.* De hoc Auguſtin. lib. quarto de Geneſi ad literam capite duodecimo tractans quo ſenſu dicatur requieuiſſe Deus die ſeptimo. *Poteſt*, inquit, *intelligi Deum requieuiſſe, à condendis generibus creaturæ, quia vltra iam non condidit aliqua genera noua: deinceps autem vſque nunc, & vltra operatur eorundem generum adminiſtrationem, quæ tunc inſtituta ſunt, non vt ipſo ſaltem die ſeptimo potentia eius à cœli & terræ, omniumque rerum, quas condiderat, gubernatione ceſſaret. Alioquin continuò dilaberentur. Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret. Proinde & quod Dominus ait: Pater meus vſque modo operatur; continuationem quandam operis eius, qua vniuerſam creaturam continet, atque adminiſtrat, oſtendit.*

Magis autem explicat vim iſtius teſtimonij ſequenti libro. 5. de Geneſi ad literam capite 20. initio. 10 *Sunt*, inquit, *qui arbitrantur, tantummodo mundum ipſum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipſo mundo, ſicut ille ordinauit, & iuſſit, Deum autem ipſum nihil operari. Contra quos profertur illa ſententia Domini: Pater meus vſque nunc operatur.* *Ioan. 5.* *Et ne quiſquam putaret, apud ſe illum aliquid operari, non in hoc mundo: Pater in me manens, inquit, facit opera ſua; & ſicut Pater, ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic filius quos vult, viuificat.* Quæ paulò ſuperius retulimus ex lib. quarto capite duodecimo recipiunt Proſper. lib. ſentent. ex Auguſtino ſententia 277. & Beda in collectaneis ad *Hebræ. 1.* Hebræ. 1. ad illud. *Portans omnia verbo*, &c. Rurſus *Auguſtinus.* Auguſtinus epiſt. 146. ad Conſentium columna vltima quæſt. 2. *Quomodo*, inquit, *negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta, quæ creantur, cum Dominus dicat: Pater meus vſque nunc operatur? Cum ergo natura rerum à creatore adminiſtretur, & per ordines præfinitis locis & temporibus ſuis cuncta naſcantur, Deus vſque nunc operatur. Nam ſi Deus nunc iſta non format, quomodo legitur: Priuſquam te formarem in vtero noui te.*

11 Chryſoſtomus in Ioan. homilia. 37. propius ad med. quàm ad princip. *Quòd ſi percontareris, & quomodo Pater operatur, cum ſeptima ab omni opere ceſſauerit; accipe quomodo prouidet, continet, temperat omnia quæ fecit. Cum igitur ſolem orientem, lunæ curſum, ſtagna, fontes, fluuios, naturæ vim ſeminibus in noſtris, & brutorum corporibus progreſſum, cætera omnia, quibus hoc totum conſtat, vides: intellige perpetuam Patris operationem.* Idque confirmat *Cyrillus.* aliis locis Euangelij. Cyrillus Alexand in Ioan. lib 2. cap. 133. poſt med. ſimiliter docet, *nutu & voluntate operis Dei ſabbati quoque die omnia gubernari, ac ſolem quidem oriri, fontes fluere, plantas è terris prorumpere, &c.*

12 Anaſtaſius Synaita de rectis fidei dogmatibus lib. 2. propius ad med. quàm ad princip. *Credere debemus*, inquit, *vim hanc operatoriam eſſe ipſam conſeruationem. Conſeruatur enim & continenter perſeuerat ipſa rerum vniuerſitas, quod dum fit, circa eam ipſa efficax ratio verſatur, à qua ſeparari neutiquam poteſt eſſentia. Proinde circum eam rerum machinam atque eius ſingulis partibus conſiſtit eſſentia Dei. Ad hunc ſanè ſenſum intelligimus* *Ioan. 5.* *quod à ſaluatore dicitur: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor: non quod vniuerſitati rerum vlla fiat acceſſio (requieuit enim Deus die* *Gen. 2.* *ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, quæ cœperat Deus facere; & iuxta Salomonem, nihil ſub ſole* *Eccleſiaſtes 1.* *nouum) ſed conſeruationis nomine exprimitur opus*

Patris. Ipſa enim rerum genera, & quas ſub ſe complectuntur ſpecies videre vtique poſſis, nullo non tempore ſalua perſiſtere, nec vllam omnino admittere acceſſionem, aut imminutionem; vt quæ (veluti prædiximus) à verbo conſeruantur. Multáque ſubiungit, oſtendens, ad prouidentiam & gubernationem Dei pertinere perpetuam rerum omnium, conſeruationem, ſine qua perirent.

13 Theophyl. quoque Ioan. 5. prædicta verba ſic exponit: *vis diſcere, quomodo operetur adhuc Deus? Vide diſpenſationem rerum, & diſce opera prouidentiæ, ſolem orientem, occidentem, mare, fontes, flumina, animalia, & ſimpliciter omnes facturas, & videbis creaturam opera ſua operari, imo operationem recipere, & moueri, ineffabili prouidentia verbo. Omnino autem prouidentia, & in ſabbatho ſua operatur.* Eandem conſeruationem & gubernationem perpetuam, ſignificari prædictis verbis Euangelij, notauit Nazianzenus oratione 36. quæ eſt 4. de Theologia verſus med. (vt referemus ſect. ſeq.) Ambroſ. lib. 7. in Lucam ad caput 13. ſub titulo de curatione mulieris, & Hieronym. ad Cteſiphontem prope med. cuius verba referemus ſect. ſequenti.

14 Quintò probatur. Actor. 17. *In ipſo enim viuimus, & mouemur & ſumus*, quibus verbis pro-
Actorum 17 ductionem, conſeruationem & operationem complectitur, operationémque ſignificarur nomine motus. Porro dictio, *in*, denotat efficientem cauſam hic, vt in multis Scripturæ locis, vt Pſal.
Pſalm 17. 17. in *Deo meo tranſgrediar murum*, & Pſal. 59. In
Pſal. 59. *te faciemus virtutem, in te inimicos noſtros ventillabimus cornu.* Hoc ita ponderat Auguſt. lib. 4. de
Auguſtinus Geneſi ad literam c. 12. poſt medium. *Illud, quod ait Apoſtol. In illo viuimus, mouemur & ſumus, liquidè cogitatum, quantum humana mens valet, adiuuat hanc ſententiam, qua credimus, & dicimus, Deum in his, quæ creauit indeſinenter operari.*

15 Probat autem valida & acuta ratione, hoc intelligendum eſſe de prædictis operibus prouidentiæ: *Nec enim tanquam ſubſtantia eius, ſic in illo ſumus, quemadmodum dictum eſt; quod habeat vitam in ſemetipſo: ſed vtique cum aliud ſimus quam ipſe non ob aliud in illo ſumus, niſi quia id operatur, & hoc eſt opus eius, quo continet omnia.* Et paucis interpoſitis: *Crede igitur ne vno quidem die ceſſaſſe Deum ab opere regendi, quæ creauit, ne motus ſuos naturales, quibus aguntur, atque vegetantur illico amitterent, & eſſe aliquid omnino deſinerent, ſi eis ſubtraheretur motus ille ſapientiæ Dei, quo diſponit omnia ſuauiter.* Eandem ponderationem verborum Apoſtoli deſumpſit ex hoc loco Proſper
Origenes. ſententia 277. Origenes autem lib. 2. Periarchon cap. 1. ante med. *Quomodo*, inquit, *in Deo viuimus, & mouemur, & ſumus, niſi quia virtute ſua vniuerſum conſtringit & continet mundum?*

16 Sextò probatur verbis Apoſtoli 1. Corinth.
1 Corinth. 15. 15. *Quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum; vt puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus, ſicut vult.*
Auguſtinus. Ex quo loco Auguſt. lib. 5. de Geneſ. ad lit. c. 20. ante med. ita concludit: *Sic ergo credamus, vel ſi poſſumus, etiam intelligamus, vſque nunc operari Deum, vt ſi conditis ab eo rebus, operatio eius ſubtrahatur, intereant.*

17 Septimò probatur aliis pleriſque teſtimoniis Scripturæ, quorum ſingula ponderare prolixum
Pſal. 138. eſſet. Quale eſt illud Pſal. 138. *Tu formaſti me, &*
Iob 10 *poſuiſti ſuper me manum tuam.* Iob. 10. *Manus tuæ Domine, fecerunt me, & plaſmauerunt me totum. Nõne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum* &c. Hie- Hierem. 1.
ron. 1. *Prius quàm te formarem in vtero.* Pſal. 138. Pſal. 138.
Quò ibo à ſpiritu tuo, &c. *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Pſalm. 103. & 146. *Qui producit in montibus fœnum.* Multa de curſibus ſyderum, & operationibus elementorum & animalium enumerat Iob cap. 9. & cap. 38. & 39. Sic etiam ad huius dogmatis confirmationem Chryſoſt. homil. 37. in Ioan. propiùs ad med. quàm ad princip. & Proſper lib. ſent. ex Auguſt. ſent. 281. producunt illud Matth. 5. *So-* Matt. 5. & 6.
lem ſuum oriri facit, & pluit, &c. Et iterum Matth.
6. *Si autem fœnum agri*, &c. *Deus ſic veſtit*, & Lucæ Luca 12.
12. *Pater meus cæleſtis paſcit illa.* Matth. 10. *Vnus* Matth. 10.
paſſer non cadit ſuper terram ſine Patre veſtro.

Multa plura conſultò prætermitto, & illa potiori ratione, quibus probari ſolet ſupernaturalitas operationis, cui non ſufficiant vires naturæ cum generali Dei concurſu, quorum robur eneruabitur, ſi deprimantur ad probandam neceſſitatem generalis concurſus ad opera naturalia. 18
Qualia ſunt Iſai. 26. *Omnia opera noſtra operatus* Iſaia 26.
es nobis. 1. Corinth. 12. *Qui operatur omnia in omni-* 1. Corinth. 12.
bus. Philip. 2. *Operatur in nobis velle & perficere.* Philipenſ. 2.
Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere* 2. Corinth. 3. Ioannis 15.
ſufficientia noſtra ex Deo eſt. De quibus dicemus 2. Corinth. 3.
inferiùs diſp. 18.

SECTIO III.

Cætera teſtimonia Patrum pro neceſſitate prouidentiæ conſeruantis & cooperantis.

Dionyſius de diuinis nominibus cap. 10. initio, *Ipſe eſt ſedes, quæ tenet omnia quæ omnia & continet, & complectitur, & firmat, & fundat, & conſtringit, & vniuerſum in ſe indiſſolubile abſoluit, & ex ſe omnia, quaſi ex ſtirpe, quæ omnia teneat, in lucem profert, & ad ſe, vt ad profundum quòd omnia capit, conuertit omnia, eáque continet, quaſi ſedes capax omnium, & omnia, quæ continentur vno complexu, qui omnia ſuperat, munit, nec ſinit ea ab ſe, tãquam perfecta domo delapſa, agitatione & impulſu perire.* Perpende, quot, & quàm ſignificatiuis metaphoris Dionyſius explicet vim rerum omnium conſeruatiuam, qua conſeruatione ceſſante, continuò res interibunt, & cap. 12. poſt med. ait: *Diuina prouidentia, quæ contemplatur, & conſeruat ea, quæ curat.* Et cap. 13. parum à princip. inter rationes, ob quas Deus dicitur eſſe perfectus, hãc reddit, quoniam *vltra omnia pertineat perpetuis progreſſionibus, interminatiſque actionibus.* Et prope med. eiuſdem capitis. *In qua*, ſcilicet diuinitate, *ſigillatim collecta, & coniuncta ſunt omnia præſtandi modo, & ante eximiè inſunt. Itaque ad eam rectè referuntur, eíque tribuuntur omnia, à qua, ex qua, per quam, & in qua ſunt omnia, & ordine quodam diſpoſita ſunt, manéntque ac continentur.* 1

Nazianz. orat. 36. quæ eſt 4. de Theol. verſus med. ait: *Hoc fortaſſe eſſe queat, quòd & Pater vſque modo operari dicitur, & Filius. Nec verò hoc dumtaxat nomine, ſed etiam ratione gubernationis, & conſeruationis eorum, quæ facta ſunt: & indicat illud: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & qui fundat terram ſuper ſtabilitatem ſuam: cùm ſemel & hæc formata, atque ſtabilita ſit, & illi procreati. Quò etiam pertinet quòd firmare tonitru dicitur, & ventum creare: quorum ipſa quidem ratio ſemel* 2 Pſal 103.

condita

condita eſt, cæterum nunc quoque perpetua vis eſt ac facultas.

3 Damaſcen. lib. 1. fidei cap. 3. inter med. & finem *Ipſa*, inquit, *conditionis mundi coaptatio, conſeruatio, & gubernatio, nos apertè edocent Deum eſſe, qui hoc totum conſiſtentia firmat, & continet, & conſeruat, ſempérque prouidet.* Sequentique capitis contextu docet, contrariarũ rerum concordiam, & optimam Mundi conſtitutionem permanere non potuiſſe, niſi Deo conſeruante. Eodem ſpectant illa verba lib. 2. fidei cap. 29. poſt princip. *Et factiua eius virtus, & contentiua, & prouiſiua bona ipſius voluntas eſt*, & poſt pauca: *Vult conſiſtere Mundum, & conſiſtit.*

4 Anaſtaſius Synaita lib. 2. de rectis fidei dogmatibus propiùs ad med. quàm ad finem ait: *Eſſentia*

Hier. 23. *eiuſmodi in omnibus eſt iuxta Prophetæ dictum: Nónne cælum & terram ego impleo, dicit Dominus? Implet ſane entia, & quæ entibus iſtis eminentiora ſunt. Nihil enim ſinit inane eſſe, nihil non eius particeps.* Et paulò inferiùs: *Quod cùm probè noſ-*

Pſalm. 138. *ſet Propheta ait: Quò ibo à ſpiritu tuo, &c. Vnde refutat eorum errorem qui ſtatuit, Dei actiones quaquaverſum cuncta peruadere, nec vllam cuiuſuis materiæ particulam eſſe, quæ non ſit opus Dei.*

5 Hieronymus ad Cteſiphont. prope med. epiſtolæ: *Fraudulenter*, inquit, *prætendis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referat, & non in ſingulis operibus auxilium Dei requiras; ne ſcilicet, liberum arbitrium, videaris amittere, & eum Dei contemnas adminiculum hominum quæras auxilia. Audite, quæſo, audite ſacrilegum. Si, inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, ſedere, ſtare, ambulare, &c. Semper mihi auxilium Dei neceſſarium erit? Audi in-*

1. Corint. 10. *grate, imo ſacrilege Apoſtol. prædicantem, Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid agitis, omnia in no-*

Iacobi 4. *mine Domini agite, & illud Iacobi, Ecce nunc qui dicitis, hodie, aut cras proficiſcemur in illam ciuitatem, & faciemus illi annum, vt negotiemur &c. pro eo quod debeatis dicere: ſi Dominus voluerit.*

6 Rurſus dialogo 1. aduerſus Pelagian. col. 2. libenter concedit conſequens, quod Critobolus Pelagianorum nomine obiiciebat, inferent: *Si in ſingulis rebus quas gerimus, Dei vtendum eſt adiutorio: ergo & calamum temperare ad ſcribendum, & temperatum pumice terere, manúmque aptare literis, tacere, loqui, ſedere, ſtare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cætera huiuſmodi niſi Deus iuuerit, non poterimus? Iuxta meum ſenſum*, inquit Hieron. *non poſſe perſpicuum eſt.* Et paulò inferiùs ex errore negante neceſſitatem diuini adiutorij ad ſingula opera etiam naturalia, tanquam inconueniens infert: *Dormitat ergo Deus in operibus noſtris, ſemel data liberi arbitrij poteſtate; nec orandus eſt, vt in ſingulis operibus nos adiuuet:* Et fuſiùs pergit, eandem veritatem confirmare. Præterea epiſtola 139. ad Cyprian. de Pſal. 89. col. 3. *Homo*, inquit, *a principio conditionis ſine Deo viuit adiutore; & cum illius ſit gratia quòd creatus eſt; illiúſque miſericordiæ, quòd ſubſiſtit & viuit; nihil boni operis agere poteſt abſque eo, qui ita conceſſit liberum arbitrium, vt ſuam per ſingula opera gratiam non negaret, ne libertas arbitrij redundaret ad iniuriam conditoris, & ad eius contumeliam, qui ideo liber conditus eſt, vt abſque Deo nihil eſſe ſe nouerit.*

7 In prædictis Hieron. verbis ad Cteſiphontem & contra Pelagian. obſeruare debes, ſimul atque promiſcuè tractari de ſupernaturalibus, ac de naturalibus operibus, nõ modò difficilibus, ſed etiã facillimis, & conſequenter promiſcuè citari teſtimonia Scripturæ quæ propria ſunt operum ſupernaturalium, & quæ communia ſunt etiam naturalibus operibus: idque propterea, quoniam Pelagiani contendebant arbitrij libertatem impediri, atque ligari, ſi Dei adiutorium aſſeratur eſſe neceſſarium ad quodlibet opus voluntatis humanæ. Cum igitur Hieronymus ad opera naturalia, quantumcunque facillima requirat adiutorium Dei nõ poteſt intelligere, niſi generalẽ concurſũ vniuerſalis cauſæ; quãuis ad opera ſupernaturalia requiratur altius adiutoriũ eiuſdẽ ordinis cũ illis.

Auguſtinus de Ciuitate lib. 22. c. 24. non longe à principio: *Conformatio*, inquit, *in illo eius eſt opere, quo vſque nunc operatur. Efficacem quippe potentiam ſuam ſi rebus ſubtrahat, nec progredi poterunt & ſuis dimenſis motibus peragere tempora, nec prorſus in eo quòd creata ſunt aliquatenus permanebunt.* Et Enchirid. cap. 27. paulò poſt princip: *Non ſane creatoris deſiſtente bonitate, & malis Angelis ſubminiſtrare vitam, viuacémque potentiam, quæ ſubminiſtratio, ſi auferatur interibunt: & hominũ quamuis de propagine vitiata, damnatáque naſcentium formare ſemina, & animare, & ordinare membra per temporum ætates, per locorum ſpatia vegetare ſenſus, alimenta donare.* Toto ferè lib. 3. de Trinitate præſertim cap. 3. 4. 5 & 9 probat primam & vniuerſaliſſimam cauſam adminiſtrare creaturam conſeruando, & ad omnes actiones cooperando, prout vult. 8

Plura reperies in libris de Geneſ. ad liter. præter ea, quæ ſuprà retulimus; veluti lib 8. de Geneſ. ad lit. cap. 26. (cuius teſtimonium Beda & Magiſter ſententiarum amplectuntur ad illud Hebr. 1: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*) & lib. 9. Hebr. 1. de Geneſ. ad liter. cap. 15. circa medium docet, conſeruationem & cooperationem ſuprà dictam pertinere ad bipartitum prouidentiæ opus, quod Proſper. priùs explicuerat. Proſp. in Pſalm. 148. ad illud: *Ignis, grando, nix, glacies, quorum.* ait, *nihil fortuitis motibus ſubiacet, & ſingula quæque eius legibus ſeruiunt qui vt vult, de omnibus, atque in omnibus ſecundùm cauſas occulta ratione operatur.* Similia ſcribit lib. ſententiarum ex Auguſtino ſententia 281. 9

Gregor. lib. 2. Moralium c 8. aliàs c. 52. paulò poſt initium *Cælum*, inquit, *palmo metiens, & terram pugillo concludens, oſtenditur, quod ipſe ſit circumquaque cunctis rebus, quas creauit exterior. Idcirco namque quod interius concluditur a concludente exterius continetur. Per ſedem ergo eum præſidere, intelligitur eſſe interiùs, ſupráque. Per pugillum quo continet, exteriùs ſubtérque ſignatur. Quia enim ipſe manet intra omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſupra omnia, ipſe infra omnia, & ſuperior eſt per potentiam, & inferior per ſuſtentationem, exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem: ſurſum regens deorſum continens: extra circundans, interiùs penetrans, nec alia ex parte ſuperior, alia inferior aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior: ſed vnus idemque totus vbique præſidendo ſuſtinens, ſuſtinendo præſidens, circundando penetrans, penetrando circundans.* Quod magis explicat & confirmat ſequenti contextu. 10

Præterea lib. 16. Moral. cap. 36. poſt medium, aliàs cap. 18. initio ponderans illud Iob 23. *Ipſe enim ſolus eſt: ſũt*, inquit, *hæc omnia, ſed principaliter non ſunt, quia in ſemetipſis minimè ſubſiſtunt, & niſi gubernantis manu teneantur, eſſe nequaquam poſſunt.* Et paulò inferiùs, *Numquid nam hæc quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, ſuis inſtinctionibus, & non magis diuinis impulſionibus agitantur.* 11

12 Anſelmus lib. de caſu Diaboli cap. 20. docet, quamlibet operationem etiam, illam, quæ mala eſt, non fieri ſine diuino concurſu. Vnde ad finem capitis concludit: *Quid mirum, ſi dicimus, Deum facere ſingulas actiones, quæ fiunt mala voluntate, cùm fateamur, eum facere ſingulas ſubſtantias, quæ fiunt iniuſta voluntate, & inhoneſta actione?* Idem tractatu de concordia liberi arbitrij cum gratia & prædeſtinat. cap. 1. col. penul. *Omnis*, inquit, *qualitas, vel omnis actio & quicquid aliquam habet eſſentiam, à Deo eſt à quo eſt omnis iuſtitia, & nulla iniuſtitia; facit igitur Deus omnia, quæ iuſta, vel iniuſta voluntate fiunt; id eſt, bona opera & mala.*

13 Bernard. ſermone. 6. in dedicatione Eccleſiæ circa medium. *Eſt*, inquit, *in omni loco, omnia vniuerſaliter continens, omniáque diſponens.* Idem in præfactione in Pſalm. *Qui habitat. Quid enim tremendum nobis, ſi adſit qui portat omnia? Quid eſt, quod totam terræ molem ſuſtinet, & vniuerſus orbis cui innititur? Nam ſi eſt aliquid, quod ſuſtineat omnia, ipſum à quo ſuſtinetur? Non inuenitur, niſi virtutis verbum omnia portans. Verbo enim Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Rurſus lib. 5. de Conſiderat. multò propiùs ad med. quàm ad princip. *Quid item Deus, ſine quo nihil eſt; tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt. Ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe.* Et paulò inferiùs: *Quid eſt Deus? ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter; non ſeminabiliter: per quem omnia, nec alium authorem, alium opificem arbitreris: in quo omnia, non quaſi in loco, ſed quaſi in virtute.*

14 Hugo Victor. Erudit. Theolog. ſummæ ſentent. tractatu 1. cap. 4. inter med. & finem ex Auguſtino dicit: *Indubitanter credimus, Deum vbique eſſentialiter eſſe: nec ſine eo poteſt aliquid ſubſiſtere etiam per momentum ex omnibus, quæ fecit: quia omnia continet & penetrat, & à nullo continetur.* Quibus ſimilia repetit lib. 1. eruditionis de Sacrament. parte 3. cap. 17. prope finem. Denique primæ cauſæ generalem concurſum ad omnes effectus Pantoleum diaconus ſignificauit in encomio Michaelis Archang. prope initium, & in narratione miraculorum eius §. 3. Nam Deum vocat *primum bonum, & quod præcipuè primò operatur*: & infrà, *Vniuerſi, quod dicitur, & intelligitur, boni efficiens & impertiens, & largiens cauſa, & prima cauſa.* Habetur apud Surium 29. Septemb. ex Metaphraſte 8. Nouembris.

SECTIO IV.

Ratione probatur, omnes creaturas indigere prouidentia conſeruante.

1 *Rerum omnium dependentiam à Deo docet fides.* CAtholica fides docet, rerum omnium dependentiam ab aſſidua Dei operatione & influxu, tantam eſſe, vt niſi perpetuò & indeſinenter Deus conſeruet, omnibus momentis influens ad ſuſtentandum, ſed vnico momento vel inſtanti contineat influxum; tota creatura recedat in nihilum, vnde fuit per creationem educta. Hæc veritas efficaciter colligitur ex locis Scripturæ ponderatis in ſect. 2. Clariùs tamen traditur à Patribus in eadem ſect. 2. & 3. citatis.

2 *Quatuor metaphoræ.* Quatuor autem ſunt præcipuæ metaphoræ, quibus Patres illuminant, & quaſi manu ducunt intellectus noſtri tarditatem, vt meliùs hanc dependentiam penetremus. Prima eſt & firmiſſimi fundamenti, & fundi; quod inferiùs ſubſiſtens, creaturam ſuſtinet, ne recidat in centrum ſui nihili. Secunda eſt metaphora rei ſuperioris, quæ ſuſpenſam retinet rem inferiorem, ne decidat, & relabatur ad ſtatum, in quo iacebat. Tertia eſt metaphora interioris principij fouentis, & viuificantis, & ſubminiſtrantis halitum, ac motum. Quarta eſt fortiſſimæ manus conſtringentis, copulantis, & continentis, ne res diffluant, ac diſſoluantur.

Has omnes metaphoras ſimul complectuntur aliqui Patres, vt Hilarius lib. 1. de Trinitate col. 4. ita ponderans verba Iſaiæ 66. *Concluſum palmo cælum, rurſum Deo thronus eſt, & terra, quæ pugillo continetur, eadem & ſcabellum pedum eius.* Et poſt pauca: *Vt in his cunctis originibus creaturarum Deus, intra, & extra, & ſupereminens, & internus, idem circumfuſus & infuſus in omnia noſceretur, cum & palmo, pugilloque continens poteſtatem naturæ exterioris oſtenderet, & ipſe rurſus exterior interna concluderet*: Quod ſtatim confirmat Pſal. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo.* &c. 3 *Hilarius.* *Pſalm. 138.*

Sed magis aptè ad rem præſentem Gregor. lib. 2. Moral. cap. 8. relatus ſect. præced. num. 10. expoſuit, quo modo Deus ſit intus & extra, ſuprà, & infrà, & omnia circundans, atque conſtringens. Rurſus Deum eſſe interiorem qualibet re, docet Auguſtinus lib. 8. de Geneſ. ad liter. cap. 26. Quem ſequitur Beda Hebræor. 1. ad illud, *Portans omnia verbo.* Dionyſi ſect. 3. initio citat. dixit, Deum eſſe fundum, & ſedem, quæ omnia fundat, & firmat, & vnum complexum, qui continet omnia. Anſelmus autem ſect. 2. citatus ait, Deum omnia tenere ſurſum, ne decidant. Similia reperies apud alios Patres in eiſdem ſectionibus citatos. 4

Rationem à priori, propter quas res omnes indigent aſſiduo influxu Dei conſeruantis copioſè. S. Thomas & Caietanus exponunt infrà q. 104. art. 1. Cuius efficacia ſic poteſt ad ſyllogiſticam formam reuocari, fortaſſe claritate maiori. Quilibet effectus non retinens ſibi coniunctam radicem ſuæ conſeruationis, indiget ſua cauſa, non minùs vt conſeruetur in eſſe, quàm vt primò producatur: ſed totum eſſe creaturarum non retinet ſibi coniunctam radicem ſuæ conſeruationis: ergo totum eſſe creaturatum indiget Deo, non minùs vt conſeruetur, quàm vt primò producatur. Semper autem intelligo retinere radicem conſeruationis, ſublata cauſa primò producente. 5 *Ratio à priori pro dependentia rerum omnium à Deo.*

Maior probatur oſtenſa ratione diſcriminis, propter quam, quorundam effectuum conſeruatio non indiget quibuſdam cauſis, quibus indiguit eorum prima productio: ſed aliorum effectuum conſeruatio requirit eaſdem cauſas, quas requirit eorum prima productio. Domus enim licet ad primam ſui productionem indigeat actione artificis; illa tamen non indiget, vt conſeruetur, ſaltem aliquo tempore, quia ſubiectum formæ domus ſunt lapides & ligna, quæ quoniam ſuapte natura ſunt ſolida & firma, retinent ſibi coniunctam radicem conſeruandi formam domus, quod eſt conſeruare domum. Eadem ratione leo, productus ab alio leone, recipit in ſe ipſo naturalem virtutem retinendi formam leonis, quæ radicalis virtus eſt forma leonis, & diſpoſitiones eius, propter quas non indiget alio leone conſeruante, licet indiguerit alio leone producente, quia nondum habebat formam & 6 *Cur aliquorum effectuũ conſeruatio indigeat cauſa primò producente, aliorum verò conſeruatio non item.*

diſpoſitiones

diſpoſitiones leonis : vt videbimus ſect. 7. & 8. Quin etiam calor in aqua, vel in ferro productus, vt ſaltem breui tempore conſeruetur, non indiget igne, vel ſole calefaciente; quoniam aquæ, vel ferri materia radix eſt conſeruandi calorem aliquo tempore, eo quòd eſt ſuſceptiua formæ ignis, & ad eam formam recipiendam diſponitur per calorem.

7 E contrario, lumen in aëre, nec ad momentum conſeruatur, ceſſante actione corporis luminoſi, quoniam aër non habet radicem conſeruandi lumen. Siquidem aëris materia per lumen non diſponitur ad ſuſpiciendam formam corporis luminoſi. Nam ad recipiendam formam ſolis aut lunæ non diſponi materiam aëris, ſatis euidens eſt; ad alias verò formas ignis, aut alterius corporis luminoſi, non diſponitur materia per lumen directè & per ſe, quoniam lumen non eſt diſpoſitio conſtituens materiam aptam ad recipiendam formam: quamuis per accidens & conſequenter iuuet lumen ad introducendam formam ignis, quatenus idem agens, producto lumine, producit etiam cum illo calorem, diſponentem ad formam ignis.

8 Euidentior autem eſt hæc ratio in ſpeciebus intentionalibus, viſus & auditus, quarum conſeruationem aëris materia non appetit, nec illius radix eſt, quoniam ad nullam formam ſubſtantialem diſponunt. Conſtat igitur ex prædictis exemplis, quòd quilibet effectus, non retinens ſibi coniunctam radicem ſuæ conſeruationis, indiget ſua cauſa non minùs vt conſeruetur, quàm vt primò producatur.

9 *Existentia de eſſentia Dei, non creaturæ.* Minor autem prioris ſyllogiſmi, videlicet, totum eſſe creaturarum non retinere ſibi coniunctam radicem ſuæ conſeruationis, probatur, quoniam eſſe, id eſt exiſtentia non eſt de eſſentia alicuius creaturæ, ſed ſolius Dei, nec exiſtentia habet neceſſariam connexionem cum eſſentia alicuius creaturæ: Ideóque non eſt neceſſarium, ſed merè contingens, & Deo liberum quòd eſſentia creaturarum exiſtat, vel non exiſtat nunc, aut poſtea, tanta, vel tanta duratione. Igitur ſublato influxu Dei, volentis conſeruare exiſtentiam, totum eſſe creaturarum non retinet ſibi coniunctam radicem conſeruationis.

10 *Iob 23. Exod 3. Ioan 8. & 13.* Confirmatur primò, quia Deus ipſe ſolus eſt Iob 23. ille namque, *Ego ſum, qui ſum,* dixit Exod. 3. & Ioan. 8. *Niſi credideritis quia ego ſum.* & Ioan. 13 *Vt cum factum fuerit credatis, quia ego ſum.* Vnde communiter Patres inferunt, ſolum Deum eſſe, de cuius eſſentia ſit ipſum eſſe, vel exiſtere; proptereáque ſolum Deum exiſtere neceſſariò, & independenter ab alio principio: cætera verò contingenter exiſtere, dependenter à Deo, qui eſt fons & pelagus entitatis. Loca Patrum citauimus in tomo de Trinitate diſp. 8. ſect. 5. nu. 7. & ſequentibus, & diſp. 25. ſect. 1.

11 Magis expreſsè atque directè ad rem præſentem vtuntur hoc teſtimonio Gregor. lib. 16. Moral. cap. 16. & Bernardus lib. 5. de Conſid. ad Eugenium. Vtriuſque verba retulimus ſect. præced. *Auguſtinus.* Auguſtinus lib. de immortalitate animæ cap. 8. à medio *illa,* inquit, *effectoria vis vacare non poteſt, quin id, quod ab ea factum eſt, tueatur, & ſpecie carere non ſinat, qua eſt, in quantumcumque eſt. Quod enim per ſe non eſt, ſi deſeratur ab eo per quod eſt, profectò non erit.* Robur igitur iſtius rationis eſt, ſolum Deum per ſe eſſe. *Anaſtaſius.* Anaſtaſius Synaita lib. 2. de rectis fidei dogmatibus paulo poſt med. *Diuina,* inquit, *virtute contrahit ad ſe vniuerſa & continet. Non enim ens vllum ſubſiſtere poſſit, niſi entis illius particeps. Deus ſanè ſolus eſt ens propriè ſumptum, quod pari modo ſe ſemper habeat, nec mutetur. Si quid præterea in eius participium venit, vt vocetur ens, non ſtatim primituè eſt ens, ſed participio eius, qui propriè & primituè, fortè autem ſingulariter & ſolitariè eſt ens.*

Confirmatur ſecundò, nam eadem omnino 12
ratio conſeruationis eſt, & creationis, quæ ſumitur ex eo, quòd Deus ſolus eſt Hæc autem rationis identitas manifeſtior inſpicitur in creaturis incorruptibilibus, videlicet, Angelis, anima rationali, & cælis. Huiuſmodi quippe ſubſtantiæ, cum non poſſint ab aliquo agente creato corrumpi, vel deſtrui, nec pendeant ab inhærentibus diſpoſitionibus, aut influentiis conſeruantibus: nihil amplius habent virium, nec intra, nec extra ſe, quibus conſeruentur independenter à Deo pluribus annis potiùs, quàm in primo inſtanti producerentur independenter à Deo. 13

Confirmatur tertiò, quoniam dependentia cælorum, animarum rationalium & Angelorum à Deo, non eſſet eſſentialis eiſdem, ſi non ſemper, ſed primò tantùm momento dependerent ab influxu Dei. Quod enim per æternitatem eſſentialiter habet à ſe ipſo ſubſiſtere, independenter ab influxu Dei, eadem virtute atque ſoliditate eſſentiæ potuiſſet à ſe ipſo ſubſiſtere ſuæ creationis inſtanti, niſi hoc impediretur per accidens, eo quòd non præceſſiſſet illius exiſtere præced. tempore. Nam præcedentis temporis exiſtentia per accidens ſe habet ad exiſtentiam præſentis temporis, aut præſentis æui.

Confirmatur quartò quia ſi res incorruptibi- 14 *Poteſt Deus deſtruere Angelos.*
les non penderent ab aſſiduo concurſu Dei conſeruantis: ſequeretur, Deum non poſſe redigere in nihilum illas, videlicet, Angelos, animas rationales, & cælos; conſequens autem eſt manifeſtè abſurdum. Sequela probatur, quia prædictas creaturas non poteſt deſtruere Deus, creando aliquid poſitiuum, ita repugnans earum vitæ vel ſubſiſtentiæ: quia ſicut non pendent ab vllis diſpoſitionibus, aut ab vllo influxu creato; ſic etiam nihil creatum poteſt eſſe deſtructiuum illarum; præſertim cùm non ſint ſubiecta receptiua qualitatis nociuæ, alioqui forent naturaliter corruptibilia. Reſtat igitur eiuſmodi creaturas non aliter deſtrui poſſe; niſi per ſubtractionem concurſus conſeruantis, quæ ſubtractio non inferret annihilationem; niſi foret ſimpliciter neceſſarius concurſus ille conſeruatiuus.

Falſitas autem illius conſequentis eſt adeo ma- 15
nifeſta, vt neque Platonem latere potuerit, nam in Timæo, ſiue lib. de anima inter princip. & med. inducit Maximum Deum ita verba facientem ad Deos creatos, id eſt, Angelos. *Dei deorum,* *Plato.*
quorum ego ſum opifex, & pater operum, quæ per me facta, me volente ſolui non poſſunt. Quidquid igitur ligatum eſt ſolui poteſt. At quod pulchrè coaptatum eſt, & bene ſe habet, hoc ſoluere velle, mali eſt. Quapropter quando quidem facti eſtis, immortales quidem non eſtis, neque penitus indiſſolubiles: non tamen ſoluemini, neque mortis ſortem ſequemini, cum mea voluntas maius adhuc eſt præſtantius vinculum vobis contigerit, quàm ſunt illa, quibus quando producaremini, colligati eſtis. Agnouit itaque Plato non ſolùm annihilari poſſe Angelos, ſed etiam vt non ſoluantur, id eſt, annihilentur, indigere diuinæ voluntatis vinculo, quod ſit præſtantius, quàm

vinculum primæ creationis: quoniam maioris eſt beneficij conſeruare in æternum, quàm ſemel producere. Vnde oon eſt alienum à mente ſui Magiſtri, quod aliqui Platonici ſenſerunt, mundum, ſemper fieri, & pendere à Deo; ſicut vmbra pendet à corpore, & lumen à ſole: quemadmodum refert Marſilius Ficinus lib. 2. Theolog. Platon cap. 7.

16 Confirmatur quintò, nam indigentiam influxus conſeruatiui, venientis à ſuperioribus & vniuerſalibus cauſis, agnouit Ariſt. quando lib. 1. de cælo cap. 9. ſub finem dixit: *Per eandem etiam rationem finis vniuerſi cæli; ac finis is, qui tempus totum, infinitùmque continet ſemper, ſempiternitas eſt, à ſemper eſſendo appellatione ſumpta, immortalis ſanè atque diuina, vnde & cæteris, aliis exactius, aliis obſcurius ipſum eſſe, viuereque dependet.* Aſſerit igitur Ariſt. ſempiternitatem earum ſubſtantiarū, quæ ſunt extra mundum, eſſe cauſam, à qua deriuatur ad cæteras res, vita & exiſtentia, pro cuiuſque modo, conditione, & gradu. Sic etiam Scaliger exercitat. 361. §. 4. prope finem, docet iuxta ſententiam Ariſtotelis intelligentias æternas producere & conſeruare. Quamuis igitur intelligentiis, ſiue ſubſtantiis, extra mundum exiſtentibus, (excepto Deo) falsò tribuatur virtus conſeruatiua: verè tamen aſſeritur indigentia conſeruationis, prouenientis ab agente ſuperiore.

Ariſtoteles.

17 Confirmatur ſextò, quoniam effectus, recipiens formam eiuſdem rationis cum ſuo principio producente, non indiget eodem principio ad ſui conſeruationem; propterea quòd forma ſubſtantialis, quam accepit, affert vires æquales viribus principij producentis. Qua ratione leo productus à leone, non indiget conſeruari ab eodem generante, quoniam recepit ſubſtantialem formam leonis (idem intellige de cæteris rebus corruptibilibus.) E contrario tamen effectus, non recipiens formam eiuſdem rationis cum ſuo principio producente, indiget eodem principio ad ſui conſeruationem: propterea quod forma ſubſtantialis, quam accepit, non affert vires æquales viribus principij producentis. Omnis autē creatura, comparatione Dei, eſt effectus, non recipiens formam eiuſdem rationis cum ſuo principio producente. Hanc rationem ſub nomine cauſæ vniuocæ, vel æquiuocæ docuit S. Thomas dicta. q. 104. art. 1. corpore.

Effectus recipiēs formam eiuſdem rationis non indiget eodem principio conſeruante.

18 Confirmatur ſeptimò authoritate, & ratione Auicennæ tractatu 6. Metaphyſicæ cap. 1. cuius poſtrema verba ſunt hæc conclusio: *Cauſatum & eget datore ſui eſſe ſemper & inceſſanter, quamdiu habuerit eſſe.* Huius demonſtrationem attulerat poſt medium capitis, cuius vim ita poſſumus breuiùs, & clariùs explicare. Quidquid non neceſſariò eſt, ſed poteſt non eſſe, requirit cauſam, per cuius actionem determinetur, & neceſſitetur, vt exiſtat: ſed quælibet creatura non neceſſariò exiſtit, etiam poſtquam ſemel creata eſt, ſed poteſt non eſſe, ſiue non exiſtere: ergo requirit cauſam per cuius actionem determinetur, vt exiſtat. Maior probatur, quidquid enim non neceſſariò eſt, ſed poteſt noo exiſtere, non habet ab intrinſeco, nec à ſe ipſo rationem, propter quam determinetur ad exiſtere potiùs, quàm ad oon exiſtere; ſed eſt indifferens: igitur vt determinetur ad exiſtendum, indigebit actione cauſæ determinantis; maximè cum nulla res ſit libera ad exiſtendum, & non exiſtendum; ſicut voluntas eſt libera ad volendum & non volendum, quæ præterea ſeipſam determinare poteſt ad volendum.

Auicēna ratione probatur rerum dependentia à Deo.

Minor verò probatur, quia ſi creatura vlla neceſſariò exiſteret, poſtquam ſemel creata fuit; talis neceſſitas exiſtendi vel proueniret ab eſſentia rei, quæ iam cœpit exiſtere, vel proueniret ab inceptione ipſa; ſed non poteſt ab aliquo iſtorum principio, nec ab vtroque prouenire: ergo nulla creatura neceſſariò exiſtit etiam ſi iam cœperit exiſtere per creationem, aut per aliam productionem. Quòd illa neceſſitas exiſtendi non proueniat ab eſſentia rei, quæ iam cœpit exiſtere, probatur, quia ſi proueniret ab eſſentia; ſequeretur etiā rem illam ſemper extitiſſe; & in æternum ſemper exiſtere. Quod enim eſſentialiter & neceſſariò conuenit, oon variatur propter id, quod conuenit contingenter, & accidentaliter: at verò cœpiſſe atque productam fuiſſe, vel non fuiſſe productam conuenit creaturæ contingenter, & accidentaliter: igitur neceſſitas eſſentialis exiſtendi oon variaretur ex eo quòd res fuerit producta, vel non fuerit producta. 19

Quòd autem neceſſitas exiſtendi non proueniat ab inceptione, probatur, quoniam inceptio ipſa non habet eſſe neceſſarium, ſed contingens: igitur ab inceptione non poteſt prouenire, vt res quæ iam cœpit, neceſſariò exiſtat, poſtquam cœpit. Confirmatur, quoniam inceptio poſt vnicum inſtans protinus perit neceſſariò; quod autem habet intrinſecam neceſſitatem non exiſtendi ampliùs, neque permanendi; non poteſt eſſe ratio à qua proueniat rem productam permanere in ſua exiſtentia. Eiſdem igitur rationibus concluditur, etiam ſi conflaueris vnum complexum ex rerum eſſentia, & inceptione illarum, in eo non afferri principium, vnde proueniat neceſſitas exiſtendi. 20

Confirmatur vltimò primaria ratione initio poſita: quia ſi naturales cauſæ potuiſſent ſuos effectus conſeruare, ſine influxu conſeruatiuo Dei, ſequeretur eadem ratione poſſe producere illos, Deo non concurrente ad primam productionem. Conſequens autem eſſe falſum conſtabit ſect. 8. 21

Magis explicando prædictum dogma, dico primò. Duplex eſt indigentia diuinæ conſeruationis. Alia per ſe & directa, quæ conuenit omnibus creaturis, tam incorruptibilibus, quàm corruptibilibus. Et hanc huc vſque probauimos. Alia eſt dependentia indirecta, & per accidens propria rerum corruptibilium, quæ per generalem influxum omnibus entibus requiſitum, indigent prouidentia, remouente contraria corrumpentia. 22

Diuina conſeruationis indigentia duplex.

Dico ſecundò. Neque de potentia abſoluta poſſibile eſt alicui creaturæ communicari virtutem ſui ipſius conſeruatiuam, ita vt non indigeat diuina prouidentia conſeruante: ſicut non poteſt ei communicari virtus creatiua ſui ipſius. Sicut enim omnis creatura non poteſt primò exiſtere, niſi Deo principaliter producēte; propterea quòd ſoli Deo neceſſariò & eſſentialiter conuenit exiſtere: ob eandem rationem non poteſt continuare exiſtentiam, nec in illa perſiſtere ſicut probat totus diſcurſus præſentis ſectionis. Atque ita docent Alexand. 1. part. quæſt. 26. memb. 5. artic. 1. Albertus 2. parte quæſt. 67. membro. 4. artic. 1. particul. 4. §. vltimo, S. Thomas infrà quæſtione 104. articul. 1. ad 2. (vbi Caietan. & cæteri expoſitores) & art. 2. ad 2. & lib. 1. ſentent. diſtinct. 37. quæſt. 1. artic. 1. corpore & ad 3. & diſtinct. 47. art. 4. 23

47.art.4.corpore & lib.2.contra gentes cap. 25. fine,& de potentia quæſt. 5.art.2.

SECTIO V.

Vtrùm eſſe debeat totaliter immediatus & adæquatus concurſus,per quem diuina prouidentia conſeruat creaturas incorruptibiles,atque ſit ipſemet concurſus creatiuus.

1 MEdiationis & immediationis voces quid valeant,quando diuinæ prouidentiæ , vel gubernationi vel cauſalitati iunguntur , explicabimus magis ſectione 12. Inde nunc ſupponimus,fuiſſe totaliter immediatum influxum,quod Deus primò produxit res incorruptibiles,Angelos, animas noſtras , & cælos quoniam omnino nulla cauſa præter Deum interceſſit , per quam Deus deriuauerit partem aliquam ſui concurſus productiui ; ſiquidem nulla cauſa creata potuit vllo modo concurrere ad illarum rerum productionem. Quod magis explicatur à contrario. Nam quoties generatur leo, v. g. Deus concurſum aliquem deriuat per cauſas creatas,videlicet, per patrem & matrem leonis,per ſolem, & aſtra & elementa,quoniam omnes iſtæ cauſæ concurrunt ad generationem leonis per virtutem acceptam & deriuatam à Deo. Et quantum ad hoc præciſè , Deus concurrit mediatione ſuppoſiti: quamuis maxima ſit immediatio ſuppoſiti,quantum ad vniuerſalem influxum primæ cauſæ: prout dicemus in eadem ſectione 12.

Deus totaliter incorruptibilia primò produxit.

2 Non defuere qui putauerint , non eſſe totalem immediationem diuini concurſus,per quem prædictæ res incorruptibiles conſeruantur à diuina prouidentia ; ſed interuenire mediationem quandam. Putant enim , eiuſmodi res accepiſſe vires ad ſui conſeruationem intimè continuandam , Deo præbente tantummodo generalem concurſum. Vnde vis conſeruatiua , quæ per illas vires, inſitas rebus incorruptibilibus, deriuatur à Deo , mediat inter Deum & illos affectus mediatione ſuppoſiti;quamuis concurſus generalis ſit immediatus immediatione ſuppoſiti. Hanc ſententiam vel docuit, vel ſuppoſuit Henricus quodlibet.4.quæſt. 6.paulò poſt med.inter alia dicens ; Magnum etiam videtur eſſe inconueniens,quod eſſe creaturæ,cum ſit eſſe ſubſtantiale permanens,ſemper ſit in continuo fieri:licet non poſſit niſi ad præſentiam ſuæ cauſæ permanere. Cui conſequens eſt, quod ſcribit quodlib. 9.q.2.circa med.

Res ſe conſeruare putarūt aliqui.

3 Eius autem argumentum eſt,quoniam in generatione rerum naturalium ceſſat actio particularis agentis poſt primam productionem;& corpus generatum conſeruatur ab vniuerſalibus cauſis,videlicet,corporibus cæleſtibus,& motore illorum:ergo ſi agens vniuerſaliſſimum primò rem ipſam per ſe,& immediatè generaret,& generatam poſt modum conſeruaret;actio eius eſſet alia generandi & alia conſeruandi. Vnde tandem concludit , eſſe dicendum idem in iis , quæ creantur à Deo, videlicet,poſtquam ſemel creata ſunt,non indigere niſi generali quodam concurſu. Confirmari poteſt Ariſtotelis teſtimonio,qui lib.2.de anima textu 47.dicit:*Generat nihil ſeipſū, ſed conſeruat*.

Eorum fundamentum primum.

Ariſtoteles.

4 Secundum argumentum additur ab aliis,quoniam faciliùs eſt aliquid iam productum conſeruare , quàm ab initio producere ; ergo licet ad primam productionem opus ſit pleno & totali influxu ; nihilominus ad conſeruationem ſufficiet ſolus influxus generalis. Confirmatur , quoniam faciliùs eſt pondus, ſemel eleuatum tenere ſuſpenſum, quàm illum primò eleuare;per creationem autem res eleuatur à nihilo ; per conſeruationem verò quaſi ſuſpenſa tenetur:ergo facilior eſt conſeruatio , quàm creatio , antecedens conſtat , quia columna vel clauus poteſt ſubſtinere corpus ſuſpenſum ; ſed non poteſt illud eleuare.

Secundum.

Tertium argumentum ſit,quoniam ad primā productionem corporum corruptibilium requiritur duplex actio,alia cauſæ particularis,alia verò Dei,tanquam vniuerſalis cauſæ : nihilominus ad eorum conſeruationem ſatis eſt actio Dei, tanquam vniuerſalis cauſæ : igitur generalis influxus , non ſufficiens ad primò producendum, ſufficit ad conſeruandum : eadémque ratione etiam Angeli & aliæ res incorruptibiles conſeruari poterunt ſolo generali concurſu Dei , nec opus erit illo totali concurſu , quo fuere creatæ. Confirmatur, quoniam ædificiis, & quibuſlibet rebus artificialibus eſt neceſſarius concurſus artificis & inſtrumentorum , vt primò producantur , non autem vt conſeruentur. Exemplum ſit imago per ſigillum impreſſa materiæ ſolidæ,quę deſtructo,vel recedente ſigillo,conſeruabitur. 5

Tertium.

Quartum. Impetus impreſſus lapidi proiecto, & calor in aquam introductus,paulatim deſtruitur:concurſus igitur , illa breui tempore conſeruans hos affectus , eſt minor , quàm concurſus primò producens. Conſequentia probatur, quia ſi concurſus primò producens non eſſet maior & fortior,non vinceret reſiſtentiam aquæ, ſe reducentis ad priſtinam frigiditatem,ſicut eam non vincit concurſus conſeruatiuus,ſed tandem vincitur. Idem intellige de concurſu primò imprimente impetum,proiectis corporibus. 6

Quartum.

Quintum argumentum. Animal in extrema ſenectute,vel morbo lætali;cōſeruatur aliquamdiu per diſpoſitiones inhærentes , & cauſas extrinſecas,ſub quibus non poſſit & primò produci : ſimiliter aliquamdiu aqua conſeruatur ſub tanto calore ; & tam exigua frigiditate , ſub qua non potuiſſet primò produci:ergo minùs requiritur ad conſeruandum, quàm ad primò producendum. 7

Quintum.

Sextum. Difficiliùs eſt longum iter ad diſtantem locum acquirendum,quàm quies & permanentia in eodem loco : ſed creatio eſt via & iter à nihilo ad eſſe,quæ longiſſimè diſtant ; conſeruatio verò eſt quies , & permanentia in eodem eſſe : ergo difficilior eſt creatio , facilior autem conſeruatio. 8

Sextum.

Septimum argumentum addunt aliqui, quoniam rupes,& montes abſque vlla actione ſeipſos conſeruant in ſuis locis , ne poſſint ab eis dimoueri,& homo erectus firmus manet in ſtatu ſuo abſque vlla actione:ergo quamuis res incorruptibiles non agant in ſeipſas per veram efficientiam:adhuc ſe ipſas conſeruabunt , propter ſoliditatem & conſtantiam ſui eſſe. 9

Septimum.

Octauum argumentum. Summæ virtutis & efficacitatis eſt ex nihilo producere aliquid : ſed hæc eſt propria quiditas creationis : ergo creatio eſt ſummæ virtutis & efficacitatis. Rurſus conſeruatio non eſt productio rei ex nihilo:ergo non 10

Octauum.

eſt ſum

eſt ſummæ virtutis & efficacitatis: ac proinde minor virtus requiritur ad conſeruandom. Confirmatur, qoia ſi conſeruatio foret productio rei ex nihilo; conſeruatio eſſet creatio; & conſequenter nõ differtent, nec ad prouidentiam ſtrictè propriéque ſumptam pertineret conſeruatio potiori ratione, quàm creatio. Contra ea quæ dicta ſunt diſput. 4. ſect. 5.

SECTIO VI.

Totalis immediatio concurſus conſeruatiui, & identitas cum creatiuo.

1 *Conſeruatio, concurſus totaliter immediatus.* DIco primò. Totaliter immediatus eſt concurſus, per qnem prouidentia conſeruat creaturas incorruptibiles; quin potiùs eſt ipſemet concurſus creatiuus. Probatur imprimis impugnando prædictam ſententiam, quæ putat, res accepiſſe vires ad ſui conſeruationem intimè continuandam: *Nihil ſeipsũ conſeruat.* Hoc enim probatur eſſe impoſſibile generali principio Philoſophorum & Patrum, aſſerentium nihil poſſe ſibi ipſi principium vel cauſam eſſe, vt ſit: alioqui foret ſeipſo prius, & poſterius. *Auguſtinus.* Sic Auguſtinus, de immortalitate animæ c. 8. *Sit igitur*, ait, *noſtræ ratiocinationis exordium. Nulla res ſe facit, aut gignit; alioqui erat antequam eſſet*, & lib. 1. de Trinitate cap. 1. ante med. *Nulla res eſt quæ ſeipſam gignat.* & lib. vnico contra ſermon. Arianor. cap. 2. à medio: *Non enim per ſeipſum fieri potuit, tãquam iam eſſet, antequam fieret, vt eſſet ipſe, per quem fieret idẽ ipſe.*

2 Clemens Alexand. 8. ſtromat. pag. penultima ait: *Non eſt aliquid ipſum ſui ipſius cauſa, nec eſt aliquis Pater ſuus: nam ſic primum ſuturum eſſet ſecundum. Cauſa quidem certe agit, & afficit: quod à cauſa factum eſt, patitur, & afficitur. Non poteſt autem idem à ſe ipſo ſumptum, operari ſimul & affici*, & poſt pauca confirmat, *quia non poteſt idem ſimul & tempore eſſe priùs quo ad materiam, quatenus eſt cauſa, & tempore eſſe poſteriùs, quatenùs eſt opus cauſæ.* *Anſelmus.* Anſel. Monolog. cap. 28. circa med. *Locutio Dei per ſe fieri non potuit. Nihil quippe per ſeipſum fieri poteſt, quia quidquid fit, poſterius eſt eo per quod fit, & nihil eſt poſterius ſeipſo.* *Bernard.* Bernard. de conſideratione ad Eugen. lib. 5. prope med. *A ſe*, inquit, *cœpit nihil. Niſi forte quis putauerit, quod non erat dare ſibi potuiſſe vt eſſe inciperet, aut fuiſſe aliquid antequam eſſet. Quod vtrumque rationi nõ conſentit, conſtat nihil ſibi extitiſſe principium.* Ricard. Victorin. lib. 1. de Trinitate cap. 6. à medio & cap. 8. à medio rectè probat, nihil temporale poſſe dare ſibi ipſi eſſe, ne ſe ipſo prius & poſterius eſſet, atque eſſet priùs, quàm eſſet.

Sic etiam plerique Patres ratiocinantur, Arium
3 deducentes ad inconueniens, dicentem, verbum eſſe factum, vnde ſequitur verbum eſſe factum per ſeipſum, ſiue feciſſe ſeipſum; quia facit omnia quæ Pater, & per ipſum facta ſunt omnia. Hanc impoſſibilitatem & abſurditatem notat Athanaſius epiſt. ad Africanos poſt med. & dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæum propiùs ad med. quàm ad princ. Cyrillus Alexand. lib. 5. Theſauri cap. 1. in med. & lib. 10. theſauri cap. 4. inter princ. & med. & lib. 4. dialogor. de Trinitate. Multò propiùs ad finem quàm ad med. videlicet, quinque columnis ante finem Ambroſ. lib. 1. de fide ad Gratianu. cap. 6. inter princ. & med. & lib. 3. de fide cap. 3. ad finem. Greg. Bœticus lib. de Trinitate col. 3. & alij, quorum teſtimonia retulimus tomo de Trinit. diſp. 110. ſect. 9. Alia quoque retulimus diſp. 19. ſect. 4. probantes, nihil poſſe generare ſeipſum & diſp. 63. ſect. 6. probantes, Patrem non eſſe principium ſui.

Dicet aliquis, prædicta teſtimonia & eorum rationem habere vim aduerſus primam produ- 4 *Euaſio refutatur.* ctionem ſui ipſius; non autem aduerſus conſeruationem ſui ipſius, quoniam quod conſeruatur, iam priùs extiterat, & ea ratione poterat eſſe priùs ſeipſo, conſiderato prout poſtea conſeruatur. Nihilominus non ſatisfaciet prædictis teſtimoniis, nec eorum rationi. Primò quia diuini verbi productio nunquam fuit prima, ſed ſemper fuit conſeruatio, & , vt ita loquamur, continuatio productionis æternæ: quapropter, quantum eſt ex hoc capite, verbum potuiſſet producere, ſeu facere ſeipſum, quoniam prout fuerat priùs, ante quodcumque tempus, potuiſſet conſeruare ſeipſum, quòd eſſet ab æterno facere, ſeu producere: Patres autem ſuprà citati dicunt eſſe abſurdiſſimum, & impoſſibile, quòd verbum producat, ſiue faciat ſeipſum, idque probant generali ratione ſupradicta: ergo reiiciunt non modo primam productionem, quæ ſequitur poſt non eſſe, verùm etiam conſeruationem, ſeu continuationem exiſtendi.

Secundò refutatur eadem ſolutio, quia præcedentis temporis duratio, cum iam prætericrit, 5
iam non exiſtit; ergo illa duratio non poteſt eſſe cauſa, vt res exiſtat in ſequenti tempore. Quod enim non exiſtit, non poteſt agere. Si reſpondeas, *Res non exiſtens agere non poteſt.* eſſe ſatis præceſſiſſe immediatè ante productionem effectus: id quidem erit poſſibile agentibus, quæ relinquunt iam in materia introductas diſpoſitiones, quas naturali neceſſitate ſequitur aliqua forma: cæterum aliis agentibus naturaliter agere, quando non ſunt, licet immediatè priùs extiterint, non erit poſſibile.

Tertia & præcipua refutatio eſt, quia præce- 6
dentis inſtantis productio non affert diſtinctio- *Præcipua refutatio.* nem realem inter Michaelem & eundem Michaelem, vt idem pendeat à ſeipſo. Præcipuum verò fundamentum ſuperioris doctrinæ eſt, quoniam opus eſt id, quo pendet aliqua res, eſſe realiter diſtinctum ab illa re, quæ dependet, vt priùs natura concipiatur exiſtere, & eſſe actu, poſteà verò communicare eſſe rei, quæ pendet ab illo.

Confirmatur primò: ſic enim Ariſtóteles lib.
1. de Generatione cap. 9. initio text. 77. docet, id 7 *Ariſtoteles.* agere, quòd quatenus tale, actu eſt; id pati, quod quà tale; eſt in potentia. Quod adeo premit, vt ſequenti textu 78. inferat: *continuum igitur quodque, & vnum exiſtens affectionis expers eſt*, nimirum, quandó in continuationem quantitatis cõmutatur omnimoda ſimilitudo qualitatum: eo namque caſu pars vna non poteſt in aliam agere: ergo multò minùs poterit quando totaliter vnum abſque vlla prorſus diſſimilitudine fuerit ens, de quo quæritur, an efficiat in ſeipſum. Ideo S. Thomas 1. p. q. 2. art. 3. corpore ſub. init, ait: *De poten-* *S Thomas.* *tia non poteſt aliquid reduci in actum, niſi per aliquod ens in actu.* Idem autem ens non eſt in actu, & in potentia eodem tempore vt à ſeipſo, prout eſt actu, producatur, prout erat in potentia. Vnde paulò inferiùs ait. *Nec eſt poſſibile, quod aliquid ſit cauſa efficiens ſui ipſius, quia ſic eſſet prius ſeipſo, quòd eſt impoſſibile.*

Expreſſit autem clariùs S. Thomas, iſtius im- 8
poſſibilitatis rationem eandem eſſe circa conſeruationem,

Digitized by Google

uationem, quæ circa primam productionem, quando 1.p.quæ.104.art.2.ad 2. dixit: *Sicut nulli effectui præſtari poteſt, vt ſit cauſa ſui ipſius, poteſt tamen ei præſtari, vt ſit cauſa alterius; ita etiam nulli effectui præſtari poteſt, vt ſit ſui ipſius conſeruatiuus; poteſt tamen ei præſtari, vt ſit conſeruatiuus alterius*. Similia docet de potentia q.7.art.8.corp. & alibi non rarò, nec non Alexand. & Alber. citati ſect.4.fine.

9 Confirmatur 2. quia licet admitteremus eorum ſententiam, qui putant in Euchariſtia Chriſti Domini corpus ſeipſum producere, nihil inde ſequeretur contra præſentem diſcurſum; quoniam illa vis producendi ſeipſum tribueretur per eleuationem ſupernaturalem corpori tanquam inſtrumento, atque ſuppoſita productione, ſeu conſeruatione alia, per quam conſeruatur in cælo prorſus independenter ab Euchariſtia. Nos autem in præſenti non loquimur, niſi de cauſa, quæ non tanquam inſtrumentum, ſed tanquam principalis cauſa particularis, (ſolo generali Dei concurſu præſuppoſito) nec eleuata ſupernaturaliter, ſed naturali virtute; nec ſuppoſita conſeruatione alia prorſus independenti, ſed vnica & ſola conſeruatione conſeruet ſeipſam. Hoc igitur euidentiorem habet rationem impoſſibilitatis.

10 Secunda probatio concluſionis eſt, quia ſi creaturæ ſemel conditæ, poſſunt ſeipſas in ſuo eſſe conſeruare tanquam particulares cauſæ, ſolum præbente Deo generalem concurſum; manifeſtè ſequitur, minorem eſſe, Dei operationem conſeruatiuam rerum, quàm creatiuam; quoniam non totaliter cauſat, ſed partem cauſalitatis relinquit cauſæ particulari. Conſequens autem eſſe falſum, apertè docent Patres, quorum verba retulimus ſectione 2. Dicunt enim, conſeruare, vel gubernare, ne res ad nihilum redeat, non eſſe minus, quàm creare. Ita Chryſoſt. duobus in locis, Theophylactus Oecumenius ex Photio, Commentarius ad Hebræos inter opera Ambroſij Primaſius & Magiſter.

Conſeruare non minus, quàm creare.

11 Quin etiam Chryſoſt. ad Hebræ. & Theophylactus ad Coloſſen. citati in eadem ſect. 2. dicunt, plus eſſe ac multò maius conſeruare; nec immeritò, ſi reſpiciamus diuturnitatem durationis, præcipuè ſi fuerit æterna: tum quia maius eſt longiſſima duratione continuare eandem actionem creandi. quàm vnico tantùm inſtanti talem actionem exhibere: tum etiam, quoniam agentia particularia, (ſiue per naturalem virtutem, ſiue per artem) producunt effectus, quos tamen non niſi breui tempore conſeruare poſſunt maiori, aut minori, iuſta cuiuſque naturam, nullum autem poſſunt in æternum conſeruare.

12 Tertia probatio ſit, quoniam eadem eſt actio, qua Deus creat entia incorruptibilia, & qua conſeruat illa, ſed concurſus creatiuus eſt totaliter immediatus, ita vt non deriuetur per aliquam particularem cauſam, nec per aliquod inſtrumentum, & non eſt tantùm generalis concurſus, ſed eſt concurſus totaliter productiuus, ergo concurſus conſeruatiuus erit totaliter immediatus, & totaliter productiuus eodem ſenſu. Maiorem, videlicet, eandem actionem eſſe creatiuam & conſeruatiuam, docent plerique Scholaſtici. S. Thomas 1.p.q.104.art.1. ad 4. & q.3. de potentia art.3.ad 6. & q.5.art. 1. ad 2. & 3. contra Gen.cap.65.ratione 2.Duran.2.ſent.diſt. 1.q.2. num.19.in med.Scotus eadem diſt.2.quæſt.1.§. *ad argumenta pro prima opinione*, & ſequentibus. & quodlib. 12.art.1.& 2. Carthuſian. 2. diſt.1. quæſt.7.poſt med. Capreol. eadem diſt. 1. q. 2. art.1.concl.3.& art. 2. ad argumenta. contra 3. concluſionem Ferrarien. 3.contra Gent. cap.65. §.*circa probata* Caiet. 1.p.q.104.art.2.§. *ad cuius euiden*. Molina.1.p.q. 10.art. 5. diſp. 1. §. *quarta actio &* in reſponſione ad 2. Vaſquez. 1.p. diſp. 26.num. 18.& diſp.28.num.10.& diſp.33.num. 23.& 3.p.tomo 3.diſput. 182. cap. 4. num.24. Suarez Metaphyſ. diſput.21.ſect. 2. num. 4. & 11.& ſect.3.num. 20. Leſſius de perfect. diuina lib. 10.c.4. Connimbric.lib.8 Phyſic.cap.2. art. 4. §. *hoc poſito*. Albertinus quæſt. 1. Theologica ex 2.princip.philoſophico num.24.& ſequen. q. 2.num.6.& q.16. num.8. §. *reſpondeo* Mayro.2. ſent.diſt. 1.q.4.iuncta quæſt. 1.dicit, eſſe productionem eandem creationem & conſeruationem, ſed actionem exiſtimat non eſſe, niſi qua producuntur accidentia in ſubiecto. Referuntur pro eadem I-Cerbæus tract. de æternitate Mundi q. 1.& Ægidius de ente & eſſentia qu.7.

Conſeruatio & creatio actio eadem.

Quin etiam Ricardus, Aureolus & Gregorius, licet aſſerant, diſtinctas actiones, ſiue diſtinctas productiones eſſe creationem & conſeruationem; in eo nobiſcum conueniunt, quod eandem potentiam & virtutem & æquè fortem influxum & actionem requirunt ad conſeruandum, quam requirunt ad creandum res incorruptibiles, vt videre eſt in Ricardo 2.diſt. 1. toto art. 1.præſertim quæſt. 1.& 4. vbi defendit, eas res immediatè à Deo conſeruari per totalem influxum, & non minus indigere Deo, vt conſeruentur, quàm vt creentur. Aureolus autem in 2. diſt. 1.in poſtrema parte. diſtinctionis q. 2. art.2. poſt med. videtur plane recedere à ſententia, quam prius probauerat, obiiciens contra illam ſeptem argumenta quæ non ſoluit: atque vt minimum fatetur eſſe virtutis eiuſdem conſeruare, cuius eſt creare. Idem colligitur ex Gregorio lib. 2.ſent.diſt.1.q.6.art.2 iuncto lib. 1.ſent.diſt.45. q.1.art.2.con.3.& 5. 13

Fauet poſtremo Auguſt. lib.4 de Geneſi ad lit. cap.12 illis verbis: *cum Dominus ait, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, continuationem quandam operis eius, quo vniuerſam creaturam continet. & adminiſtrat, oſtendit*. Nam illud aduerbium *vſque modo*, denotat, continuationem ab ipſo primo inſtanti, quo cæpit operari Deus, ita vt actionem creationis, qua tunc operatus eſt Mundum, continuet vſque modo. Auguſtinus enim ibi nomine operis non intelligit effectum, ſed actionem, vt conſtat ex ſequentibus verbis: *Si hoc opus ſuum rebus ſubtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus*. Non eſt igitur diuerſa actio conſeruatio, vel certe non eſt minoris efficaciæ, nec minus totalis, & immediata, quàm creatio. 14

Auguſtinus

Quarta probatio ſit: Quia ſi Gabriel, v.g. vim haberet conſeruandi ſeipſum per aliquod genus cauſalitatis, dependenter à concurſu generali Dei, ſequeretur Gabrielem, tanquam particularem cauſam, afferre ſibi naturalem neceſſitatem exiſtendi, quemadmodum, ſol affert neceſſitatem naturalem, vt exiſtat lux in aëre. Quapropter aliqua neceſſitas exiſtendi conueniet Gabrieli, poſt quam creatus eſt: Hoc autem eſſe falſum videbimus, probantes aſſertionem ſequentem. 15

Quarta probatio quia res non afferunt ſibi neceſſitatem exiſtendi.

Ex præcedentibus infero & dico. 2. Res incorruptibiles, poſt quam ſemel creatæ ſunt, nihil amplius habent ſufficientiæ ſibi, ratione cuius indigeant 16

Incorruptibilia vt con-

Digitized by Google

ſeruentur nō indigeat Dei minori concurſu.

geant minori Dei enncurſu, aut minus totali, quàm ante creationem. Hæc aſſertio dirigitur ad præoccupandam euaſionem, quæ dicere poſſet, res incorruptibiles, à ſolo Deo productas, non concurrere efficienter ad ſui conſeruationem:

Euaſio,

nihilominus non indigere maiori cõcurſu, quàm generali, propter ſoliditatem, & conſtantiam ſuæ ſubſtantiæ. Ad hoc enim reſpicere videntur, aliqua ex argumentis propoſita in ſect. præcedenti, præcipuè ſeptimum argumentum. Hunc igitur

Refutatur primò.

modum ſentiendi refutant 1. ſupradictæ probationes ſecunda & tertia de concurſu ad conſeruandum, non minori, nec diuerſo, quàm ad primò producendum.

Secundo quia à res eſſentia non fluit neceſſario exiſtentia.

17 Sed prætetea refutatur 2. quia ſublata reali cauſalitate, & efficientia, qua res conſeruet ſeipſam, non poteſt alia ratione fingi, rem productam ſibi ſufficere, vt conſeruetur, niſi quatenus exiſtentia neceſſariò fluat ab eius eſſentia, dependenter tamen à generali Dei concurſu (ſicut à generali Dei concurſu pendet omnis neceſſitas, proueniens à cauſis naturalibus, quo modo neceſſarium eſt ſolem illuminare.) At verò poſtquam creatus eſt Michael, non habet maiorem rationem iſtius neceſſitatis, quam ante creationem. Creatio namque, poſt vnum inſtans elapſa, non habet vim conferendi talem oeceſſitatem eſſentiæ Michaelis: nec eſſentia Michaelis ex ſe prædictam vim habet, vt ab ea neceſſariò fluat exiſtentia. Si enim talem vim haberet; etiam vt produceretur Michael in primo inſtanti, ſufficeret generalis concurſus Dei, quia quod amplius requirebatur de concurſu particulari, ſuppleret neceſſarius ille effluxus exiſtentiæ ab eſſentia.

Abſque Dei concurſu res ſibi ad primam productionem ſufficeret.

18 Confirmatur, quia ſicut ex eo, quod res ſibi ſufficeret ad ſui conſeruationem abſque vllo Dei concurſu, ſequitur, quod eadem res ſibi ſufficeret ad primam ſui productionem abſque vllo Dei concurſu (quod vidimus ſect. 4. præſertim confirmatione 7.) ſic etiam ex eo, quod res ſibi ſufficeret ad ſui conſeruationem, cum ſolo generali concurſu Dei; ſequitur, quòd eadem res ad primam ſui productionem ſibi ſufficeret cum ſolo generali concurſu Dei.

Corruptibilia ſe indirectè conſeruant.

19 Refutatur tertiò, quoniam inter res corruptibiles illæ, quæ à ſuis agentibus pendent in fieri tantùm, & non in conſeruari, non conſeruant ſeipſas directè & per ſe, quamuis ad ſui conſeruationem indirectè concurrant, producendo & conſeruando res alias, à quibus viciſſim ipſæ conſeruantur, concurrentibus cœlorum influentiis, vt videbimus ſect. ſequentibus: ergo quantum eſt ex communi & generali ratione ſubſtantiæ permanentis, nullum habemus ſufficiens principium aſſerendi, quod res ſemel producta poſſit ſeipſam conſeruare abſque vlla efficientia ſaltem indirecta. At verò res incorruptibiles non poſſunt habere efficientiam indirectam ad ſui conſeruationem; quoniam à nulla alia cauſa, præter Deum, dependere poſſunt; alioqui forent corruptibiles; ergo res incorruptibiles neque directè, nec indirectè poſſunt ad ſui conſeruationem cooperari, nec aliqua ratione ſibi ſufficiunt; vt ad conſeruationẽ oon indigeant tanto Dei concurſu, quanto ad creationem.

⁂

SECTIO VII.

Corruptibiles ſubſtantias & accidentia prouidentia conſeruat mediantibus cauſis ſecundis.

Corruptibilia à ſolo Deo conſeruari putarunt aliqui.

SVnt authores, qui putent, omnes corruptibiles ſubſtantias, & omnia earum accidentia conſeruari à ſolo Deo per determinatum, & integrum influxum, qualis, & quantus ſufficeret, vt illi effectus à ſolo Deo producerentur abſque vllo concurſu ſecundarum cauſarum: ideóque nullam ſubſtantiam corruptibilem conſeruari mediante concurſu alicuius cauſæ creatæ; atque idem ſentiunt de accidentibus, quæ non pendent in fieri & conſeruari à cauſis creatis, vt pendet lumen. Ita ſentiunt Suarez Metaphyſ. tota diſp. 21. Leſſius de perfectionibus diuinis lib. 10. cap. 4. num. 41. & ſequentibus. 1

Tribuitur hæc ſententia Capreolo lib. 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. ad 4. contra 3. concluſ. Veruntamen ille nihil aliud aſſerit, niſi quod S. Thomas de potentia quæſt. 5. ſtatim citandus. 2

Primum argumentum. S. Thoma.

Primum argumentum accipiunt ex authoritate. S. Thomæ de potentia quæſt. 5. art. 1. ad 7. dicentis. *Actio corporalis agentis non ſe extendit vltra motum; & ideo eſt inſtrumentum primi agentis in eductione formarum de potentia in actum, quæ eſt per motum; non autem in conſeruatione earum, niſi quatenus ex aliquo motu diſpoſitiones in materia retinentur, quibus materia fit propria forma. Sic enim per motum corporum cæleſtium inferiora conſeruantur in eſſe.* Vnde colligitur, quod agens corporeum non poteſt eſſe inſtrumentum Dei ad conſeruandas ſubſtantias corruptibiles illo modo & actione, qua eſt inſtrumentum Dei ad illas generandas. Confirmatur, quia 3. p. quæſt. 18. art. 2. corp. ad finem ait: *Solus Deus creaturas conſeruat, ne in nihilum decidant.* 3

2. Argumentum.

Secundum argumentum conſtituamus in leone, vt idem intelligatur de cæteris rebus corruptibilibus. Hic leo, genitus naturaliter ab alio leone, ad ſui conſernationem eget diuino concurſu non minori, quàm indigebat primos leo, à ſoln Deo creatus, & indigeret iſte leo, ſi fuiſſet à ſolo Deo creatus, ſed leo creatus à ſolo Deo, indigeret eadem creatione continuata, & eodem concurſu, prorſus independenti à cauſis ſecundis: eadem igitur creatione continuata ſiue concurſn creatiuo indiget hic leo, naturaliter genitus ab alio leone. Minor probatur quia non minus requiritur ad conſeruandum, quàm ad primò producendum, imo idem eſt concurſus creatiuus & conſeruatiuus, & eadem actio; ſicut præced. ſectione dicebamus. 4

Confirmatur, quoniam hic leo, ad primam ſui productionem eguit alio leone generante: ſed ille generans iam eſt mortuus, & licet viueret, non poſſet concurrere ad conſeruandum filium: ergo neceſſe eſt, ad conſeruationem alterius agentis operatione ſuppleri concurſum generantis, conſequentia probatur quoniam ad conſeruationem requiritur efficientis cauſæ concurſus non minùs, quàm ad primam productionem. 5

Tertium.

Tertium argumentum quia cœlum, & aliæ cauſæ oaturales non poſſont concurrere ad conſeruationem ſubſtantiæ. Quod probant, quia quandocuoqoe cauſa concurrit ad effectum perfectiorem medio inſtrumento minus perfecto; coocurrit taotùm ad fieri, oon autem ad conſeruari, 6

conſeruari ; quoniam hoc requirit maiorem perfectionem cauſarum eriam inſtrumenralium; ſed cœlum & aliæ cauſæ naturales non cuncurrunt, niſi mediis accidentibus, quæ ſunt inſtrumenta minus perfecta, quàm ſubſtantiæ corruptibiles: ergo non concurrunt ad earum conſeruationem, ſed tautùm ad earum productionem.

7. *Quartum.* Quartum. nam elementa nou pendent in conſeruari à cœlo, ſiquidem perſeuerant ſemper ſub quacumque mutatione Solis, & aliorum aſtrorum: ergo neque mixta pendebunt, quia ſunt perfectiura.

Confirmatur experientia quorumdam mixtorum inſenſibilium, vt auri, vel marmoris, aut adamantis, quæ conſeruantur ſub quacumque mutatione influenriarum.

8. *Corruptibilium conſeruatio medyſ creaturis.* Nihilominus ſit prima concluſio. Corruptibiles ſubſtantias, & earum diſpoſitiones prouidentia conſeruat mediantibus cauſis ſecundis. Hanc ex profeſſo probat S. Thomas 1. part. quæſt. 104. toto artic. 2. vbi non agit ſolummodo de accidentium conſeruatione, ſed etiam ſubſtantiarum, quæ generantur & corrumpuntur per ordinem cauſarum ſecundarum atque cœlorum, quod obſeruandum eſt in fine corporis. Vnde Caietanus in fine cummenrarij generalem doctrinam explicat exemplo cuiuſdam animalis. Confirmatur ex verbis S. Thomæ poſitis in argumenro primn. nam per motum corporum cœleſtium inferiora conſeruantur iu eſſe, quatenua per illum diſpoſitiones in materia retinentur, quibus materia ſit propria formæ.

9. Quibus couſonat de malo quæſtion. 5. artic. 5. ad 6. dicens; *Sicut contraria elementa non ſe inuicem corrumpunt, quia conſeruantur per virtutem corporis cœleſtis, à quo actiones eorum regulantur: ita contraria qualitates in corpore mixto regulantur, & conſeruantur, ne ſe inuicem corrumpant, per formam ſubſtantialem.* & ad ſeptimum concedit in forma mixti virturem reparandi qualitares, diminutas per coutrariorum actionem, & ita couſeruandi mixtionem elementorum.

10. Præterea quamlibet rem naturaliter conſeruare ſe ipſam in eſſe, ac reſiſtere corrumpentibus, quantum poteſt, expreſsè docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 64. articul. 5. & 7. corp. & de veritat. quæſtion. 21. articul. 2. corp. & de Malo quæſt. 1. articul. 1. corp. fine. Probat autem ex Boëtio lib. 3. de conſolation. proſa 11. versùs finem, dicente: *Dedit enim prouidentia creatis à ſe rebus hanc vel maximam manendi cauſam, vt quoad poſſunt, naturaliter manere deſiderent.* Eſt igitur manendi cauſa naturaliter inſitum deſiderium manendi, quatenus eo mouentur ad loca tuta, & connaturalia, vel in orbem ſe ipſa colligunt, vt fortiura reddantur, vel reparant amiſſam parteui ſuarum diſpoſitionum, vel adhærent ſimilibus, & conſeruatiuis corporibus. Nec enim directè & immediatè poteſt aliquid agere in ſeipſum ad ſui conſeruarionem, ſed producendo alias res, quibus conſeruatio iuuatur, ſicut iam explicare aggredior ſequenti concluſione, quæ erit etiam probatio primæ concluſionis.

11. *A forma diſpoſitiones reſultant.* Secunda concluſio. Modus conſeruandi ſubſtantias corruptibiles, mediantibus cauſis ſecundis, ita diſpoſitus eſt à diuina prouidentia; vt ex vnaquaque forma reſultent per naturalem emanationem eius diſpoſitiones. Reſultant autem illæ diſpoſitiones eodem genere cauſalitatis, & emanationis, quo propriæ paſſiones, atque potentiæ reſultant ex qualibet eſſentia (reducitur autem hæc cauſalitas ad efficientem, vt oſtendimus 2. Phyſic.) Porrò diſpoſitiones in alio genere cauſalitatis ſibi proprio conſeruant formam in materia. *Diſpoſitiones formam conſeruant.* poſitis enim diſpoſitionibus vltimis, naturaliter ſequitur introductio formæ in materia, cuius expulſio naturaliter ſequitur, ſublatis diſpoſitionibus: ergo manentibus diſpoſitionibus, numquam naturaliter expelletur forma; quod ipſum eſt conſeruari ſubſtantiam corruptibilem. Hanc autem operationem mutuam in diuerſo genere, *Cœlum corruptibilia conſeruat.* qua forma conſeruat diſpoſitiones, & viciſſim conſeruatur ab illis, adiuuat altiori modo cœlum. Totum hoc colligitur ex locis S. Thomæ nuper citatis, præcipuè de malo quæſt. 5. articul. 5. ad 6. & 7. & de potentia quæſt. 5. articul. 1. ad 7.

Confirmatur autem primò communi Philoſophorum ſententia, dicentium. Aqua calefacta, recedente principio calefactiuo, ſe ipſam naturaliter reducit ad priſtinam frigiditatem: ergo fortiùs eam retinebit, & conſeruabit: ſicut agens, quod potens eſt calorem producere, poteſt etiam illum ſemel productum conſeruare, ſicut experimur in ſole & in igne. Confirmatur ſecundò, quia naturalis & neceſſaria concatenatio eſt formæ ſubſtantialis cum ſuis diſpoſitionibus, itaut poſitis diſpoſitionibus, neceſſariò conſequatur productio formæ ſubſtantialis, atque propter eandem rationem manentibus diſpoſitionibus, neceſſariò conſequatur permanentia formæ ſubſtantialis in materia, virture illius principalis agentis, quod potens fuit omnes illas diſpoſitiones ita temperatas conſeruare. 12.

Agens calorẽ producens poteſt illũ conſeruare.

Secunda probatio magis propria præſentis articuli, deducitur ex ſumma perfectione diuinæ prouidentiæ. nam vt in articul. 3. præſenti corpore S. Thomas ait: *Sunt aliqua media diuinæ prouidentiæ; quia inferiora gubernat per ſuperiora, non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, vt dignitatem cauſalitatem etiam creaturis communicet.* Recolendum autem eſt, ex diſputat. 4. ſection. 5. conſeruationem magis propriè pertinere ad prouidentiam, quàm creationem, aut primam productionem; ideo præcipuè de conſeruatione venit intelligenda prædicta abundantia bonitatis, communicans creaturis dignitatem cauſalitatis. 13.

2. Probatio ex prouidentiæ perfectione.

Confirmatur, quia nulla nec apparens ratio contradictionis inuenitur in hac communi ratione virtutis conſeruatiuæ: & aliunde dignior eſt diuina bonitate & maieſtate. Nec enim poteſt excogitari ſufficiens ratio diſcriminis, propter quam ſit dignius Deo, communicare cauſis ſecundis virtutem producendi, non verò virtutem conſeruandi, ex ſuppoſitione quòd hæc virtus ſit poſſibilis. 14.

Nulla eſt in eo contradictionis ratio.

Confirmatur ſecundò, nam & Dionyſ. de diuinis nomin. cap. 4. propius ad med. quàm ad princip. ſummum bonum inde laudat, quoniam ex eo ſunt *non confuſa res, & proprietates, ſuperiorum prouidentia, parium inter ſe connexiones, conuerſiones inferiorum: omnium ſui conſeruatrices, & immutabiles ſtabilitates atque firmitates.* Obſerua, *immutabiles ſtabilitates ſui conſeruatrices*; deinde nota

connexiones, quibus addit poſt pauca *indiſſolubiles rerum cohærentias*, vt inde colligas, eiuſmodi connexionibus & cohærentiis res conſeruare ſe mutuo, atque hoc pertinere ad ſummam laudem diuinæ prouidentiæ.

15. *Prouidentia ſuauitas idè probat.*

Confirmatur tertiò, quoniam hæc ſuauitas & maieſtas diuinæ prouidentiæ, quæ mediis ſecundis cauſis corporeum mundum adminiſtrat, reduceretur ad inceptionis inſtantia, quæ nulla ratione comparari poſſunt cum duratione conſeruationis: præſertim cùm lapides pretioſi poſſint vltra mille annos conſeruari, & multæ arbores, & olim homines vltra nongentos annos vixerent, & nunc vltra ſeptuaginta nonnulli. Cum quibus ſpatiis conſeruationis nullo modo poteſt comparari primum inſtans generationis. Itaque contraria ſententia contrahit vltra modum, & anguſtat ſuauitatem & maieſtatem prouidendi per cauſas creatas.

16. *Angelorum laus redderetur exigua.*

Confirmatur quartò, quia perexigua redditur laus primarum ſubſtantiarum, ſcilicet, Angelorum, *quas ad primas ſua prouidentia actiones permouet, & impellit Deus* (vt Dionyſ. loquitur de cœleſti hierach. cap. 13. prope fin.) ſi ſolùm vtitur eorum miniſterio ad inſtantaneas productiones quarumdam rerum, applicando actiua paſſiuis per motum localem, non autem vt ſuos effectus conſeruent, tempore ſequenti; ſed Deus continuò poſt primum inſtans ſuſcipit totum negotium conſeruationis. Quod ſi foret ita, videretur eſſe melius non interponi miniſterium Angelorum pro tam breui duratione, quæ pro nihilo habetur comparatione temporis, quoniam eſt inſtans indiuiſibile.

17. *Extenuaretur potentia diuina.*

Præcedenti cognata eſt probatio tertia, quia nimirum extenuatur ars, & potentia diuina; ſi nec ſciuit, nec potuit harmoniam orbis ita componere, vt ſufficeret eius generalis concurſus, abſque concurſu totali & prorſus immediato ad ſingula quæque conſeruanda quantumcumque minima. Quod exemplo declaratur horologij tam imperfecti, vt ſingulis horis atque momentis indigeret artificis manu, pulſantis cymbalum, & mouentis indicem, & agentis rotas, ne ſiſterent. Confirmatur, quoniam in tota collectione rerum corruptibilium nullus effectus reperitur, cuius non poſſit aſſignari determinata cauſa particularis, ita vt non requiratur maior Dei concurſus, quàm generalis, vt oſtendemus ſect. 8. diſcurrendo per plures illorum, qui ſolent nobis opponi.

18. *Quarta probatio ex experientia.*

Probatur quartò, quoniam ignis iudicatur eſſe cauſa caloris, & ſol luminis, & nix frigiditatis: idque reputatur euidens ab omnibus Philoſophis (vno vel altero tantùm excepto, vt videre eſt apud S. Thomam 1. part. quæſt. 115. artic. 1.) Huius autem euidentiæ non eſt alia ratio potior, quàm experientia ſenſus, animaduertentis lumen ſole præſente, & eo abſente tenebras; ſimilitérque calorem admoto igne, & frigus admota niue. Similiter autem experimur, ſubſtantias aliquas conſeruari quibuſdam aliis ſubſtantiis præſentibus, quibus abſentibus corrumpuntur: ſicut arbores conſeruantur ſole & aſtris, aqua, ſtercore, cultura, & aëre benigno; contrariis autem corrumpuntur. Hæc igitur experientia ſufficiens eſt ad aſſerendam euidentiam naturalem, qua monſtretur, eiuſmodi ſubſtantias conſeruari per naturalem actionem aliarum ſubſtantiarum.

Confirmatur primò, quia ſi ſemel admittamus illud genus euaſionis, quòd ſolus Deus, tanquam totalis cauſa conſeruat arbores, v. g. quando tales ſubſtantiæ ſunt præſentes, & non illis abſentibus: eadem ratione dicere licebit, ſolum Deum eſſe cauſam totalem luminis, præſente corpore ſolari, atque idem ſentire de cæteris omnibus, quæ putantur naturaliter agere. Nec enim poteſt afferri ſufficiens ratio diſcriminis. Illa quippe ratio, quam ſolus Leſſius affert, quamuis probet, idem non poſſe conſeruare ſeipſum directè & immediatè: minimè tamen probat, res naturales non poſſe per mutuam actionem in diuerſo genere ſe inuicem conſeruare. 19. *Liceret dicere Deum eſſe cauſam totalem luminis.*

Confirmatur ſecundò. nam illud genus euaſionis extinguit omnem euidentiam naturalem. Eadem quippe ratione licebit alicui defendere, ſub accidentibus ignis non latere ſubſtantiam ignis, nec ſub accidentibus hominis, latere formam hominis; ſed ſolùm Deum eſſe cauſam totalem, vt omnia accidentia ſine ſubiecto ſuſtententur, & vt actiones humanæ fiant, nulla concurrente ſubſtantia hominis. Hanc enim abſurdiſſimam exiſtimationem non poteris refutare, niſi ſuppoſita experientia ſenſus. 20. *Extinguit omnem euidentiam naturalem.*

Confirmatur tertiò, quia fruſtrà Deum ſuum concurſum conſeruatiuum arboris alligaſſet, vt prædictis ſubſtantiis præſentibus, conſeruaret, & illis abſentibus, non conſeruaret arborem; ſi prædictæ ſubſtantiæ nihil iuuant, vt ſecundæ cauſæ conſeruationis. Imò talis alligationis nullus alius fructus proueniret, niſi noſtra deceptio, qui putamus, eſſe cauſas eas res, quibus poſitis, ponuntur effectus, & quibus ſublatis auferuntur. Quàm verò ſit indignus Dei veracitate, & maieſtate prædictus modus alligationis ad res, omnino nihil conferentes, oſtendit exemplum præſtigiatoris, qui circumſtantibus oculorum aciem præſtringit, vt eius efficientia lateat occulta, videantúrque quidam effectus ex quibuſdam inutilibus rebus oſtentatis prouenire, à quibus prouenire non poſſunt. 21.

Probatur quintò, quia viuentibus, ac potiſſimum animalibus ineſſe naturalem virtutem nutritiuam, attractiuam, & expulſiuam, qua ſe ipſa conſeruent per actionem in alimenta, & excrementa; nemo Philoſophorum dubitat: & animalia quidem, quoniam longè perfectiora ſunt, rebus inſenſibilibus, & perfectius temperamentum, atque plura membra diuerſæ rationis requirunt: perfectiorem accipere debuerunt virtutem conſeruatricem. Hoc igitur indicio ſufficienter oſtenditur, etiam rebus inſenſibilibus & inanimatis potuiſſe concedi virtutem conſeruatiuam reciprocam, quatenus vnaquæque res naturaliter mouetur, vt adhæreat rebus ſibi ſimilibus & amicis, atque illas fouet, & fouetur ab illis. 22. *Quinta probatio ex virtute nutritiua.*

Probatur ſextò. Niſi res naturales vim habeant ſe mutuò conſeruandi per actionem reciprocam: non poterit ratio reddi, propter quam lumen ſtatim extinguatur, & ſuccedant tenebræ, cùm primùm recedit corpus luminoſum, Ignis autem non ſtatim extinguatur, recedente alio igne, qui genuit illum; nec calor in qua productus, recedente igne, protinus intereſcat, ſed duret aliquandiu. Idem intellige de 23.

cæteras

cæteris effectibus permanentibus, poſtquam eorum cauſa receſſit.

24. *Reſponſio.* Reſpondent Authores contrariæ ſententiæ, natiuam conditionem quarundam rerum eſſe, vt durare poſſint, amota particulari cauſa, quia ſunt res ſolidæ, & multoties ſunt eiuſdem rationis in agente & paſſo. *Refutatur.* Veruntamen hæc ratio principium petit, & aliæ circumlocutiones, quibus explicatur, reſoluuntur eodem. Etenim calor, aut ignis ſi totaliter pendet à Deo, recedente ſua cauſa particulari, nec habet aliam cauſam naturaliter ſui conſeruatiuam, nec eſt magis ſolidus, quàm lumen, nec magis eius natura poſtulat conſeruari, amota cauſa. Quòd autem effectus ſit eiuſdem rationis cum ſua cauſa particulari, rectè probat ab illa non pendere per ſe, quia ſicut ſua cauſa potuit conſeruari per alias cauſas, ſic etiam eius effectus vniuocus poterit per alias cauſas conſeruari.

25. *Supernaturalis foret conſeruatio.* Probatur ſeptimò, quia ſupernaturalis, aut præternaturalis foret concurſus, quo Deus omnes ſubſtantias corruptibiles, & earum diſpoſitiones conſeruat: ſi ſolus totali concurſu conſeruat, quemadmodum ſupernaturalis, aut præternaturalis eſſet concurſus, quo Deus conſeruaret in aëre meridianum lumen, abſente ſole. hoc enim foret miraculum, quoniam eſt inſolitum, illud non, quia ſolitum: nihilominus, quantum ad naturalitatem, aut præter, aut ſupernaturalitatem, nihil omnino differrent.

26. *Nulla eſſet naturalis ratio ex rerum eſſentia orta.* Probatur octauò, quoniam ex ſententia, quam impugnamus, euidenter infertur, nullam eſſe rationem naturalem, ex rerum eſſentia profectam, propter quam hoc animal tamdiu viuat, & cum talibus diſpoſitionibus moriatur, neque quare calor in ferro tamdiu conſeruetur, & non ampliùs. Idem intellige de menſura durationis cæterarum rerum, quæ conſeruantur abſentibus illis, à quibus ſunt generatæ: nam illis omnibus ſola Dei voluntas, abſque præſuppoſita ratione diſcriminis ex parte rerum ipſarum, præfiget durationis menſuram. Vnde præterea ſequitur aliud inconueniens, non minus conuenienter potuiſſe mundum inferiorem conſeruari ſine continuo circulo generationum & corruptionum; quia ſicut Deus pro libito voluit hoc indiuiduum ſe ſolo conſeruare tot annis, potuit pro libito velle illud ipſum indiuiduum conſeruare viginti millibus annorum, ſi tamdiu duraturus eſt mundus; atque ita conſeruatis ſingulis indiuiduis, nihil opus eſſet ſucceſſione generationum & corruptionum, maximè ſi nullius corruptio conducit naturaliter ad conſeruationem nullius indiuidui.

27. *Contrarium non deſtrueret aliud.* Confirmatur, quia ſi totalis & plenus eſt influxus Dei ad conſeruandum frigus, v. g. præſente igne; ſicut illud conſeruat aliquamdiu, poterit quamdiu voluerit, conſeruare, & ita impedire actionem ignis abſque vlla ſupernaturalitate. Quapropter, quod tribus pueris contigit in camino Babylonico, licèt miraculum fuerit ea tantùm ratione, quoniam fuit inſolitum; cæterùm quantum ad modum agendi, & conſeruandi res naturales nihil habuiſſet ſupra naturam, ſi vera foret ſententia, quam impugnamus.

28. *Vitiorum habitus conſeruaret Deus.* Probatur nonò. Si quilibet effectus, deficiente cauſa illius productiua, conſeruatur à ſolo Deo per totalem concurſum: conſequens eſt, omnes habitus vitiorum, & ipſum etiam habitum odij Dei, vel blaſphemiæ conſeruari à ſolo Deo, conſequenterque ſolus Deus inclinabit ad ſequentes actus odij Dei, vel blaſphemiæ, ad quos inclinant habitus, quos conſeruat. Ideóque Deus erit illorum peccatorum cauſa. Quæ omnia quàm ſint abſurda, conſtat ex dictis tomo præcedenti de voluntate Dei diſputat. 27. plurimiſque ſequentibus, præſertim verò diſputat. 40. & 41.

Reſpondet contraria ſententia. Sicut ad munus authoris naturæ pertinet ſuo influxu cooperari, etiam ad actus peccatorum; ſic etiam ad eiuſdem munus pertinet conſeruare effectus productos ab illis, quando non poſſunt ab illis effectiuè conſeruari. 29. *Solutio.*

Cæterùm hæc ſolutio minimè ſatisfacit, quoniam influxus generalis ad materiales actus peccatorum, propterea non infert, Deum eſſe cauſam peccatorum, quoniam indifferens eſt; quin potiùs, quod ex ſe eſt, inclinat magis ad actus virtutum (quam rationem probant omnes illæ diſputationes nuper citatæ,) ſed è contrario totalis concurſus, ſe ſolo conſeruans habitum odij Dei, non eſt indifferens, nec inclinans ad bonum, ſed quantum ex ſe eſt, vehementer inclinat ad malum actum odij Dei, quantum ipſe habitus inclinat. *Refutatur.*

Confirmatur, quoniam ſi præcedens actus odij Dei ſuaptè natura non habuit vim, niſi producendi habitum, & ille habitus, ceſſante actu, naturaliter ceſſare debuiſſet, ſicut lumen ceſſat recedente ſole; nulla ſubeſt ratio, propter quam generalem gubernatorem deceat conſeruari talem habitum.

Quòd ſi petas, quænam cauſa naturalis conſeruat habitus ſpirituales in potentiis intellectus, & voluntatis? reſpondeo, ipſam animam mediis potentiis conſeruare habitus naturaliter ad inſtar emanationis potentiarum. Sicut enim intellectus, & voluntas naturaliter emanant ab anima propter illius perfectionem, & hac emanatione perpetua conſeruantur: ſic etiam habitus, producti per actus, quadam emanatione conſeruantur à potentiis & ab anima, quoniam facilitatem afferunt potentiis ad repetendos actus ſimiles illis, à quibus producti ſunt; ideóque ſunt conſentaneæ diſpoſitiones potentiarum, ex ſuppoſitione quod priùs ita fuerint operatæ. 30. *Anima, & potentia conſeruant habitus.*

Tertia concluſio deducitur ex toto præcedenti diſcurſu, quæ primariò intenditur ab illo, videlicet Subſtantiæ corruptibiles & earum diſpoſitiones non indigent ſpeciali, vel totali, & adæquato concurſu diuinæ prouidentiæ, ſed concurſus generalis ſufficit, vt conſeruentur, ſicut ſufficit, vt primò producantur. 31. *Solo generali concurſu corruptibilia conſeruat Deus.*

SECTIO VIII.

Ordinaria prouidentia ſemper vtitur cauſis ſecundis ad quoſlibet effectus determinandos, producendos, & conſeruandos.

NOn parum debilitabitur diſcurſus præcedentis ſectionis, ac potiſſimū eius probatio ſecunda & tertia, ſi contrariæ ſententiæ permiſſum fuerit aliquod exemplum inuenire, in quo 1.

Dei concurſus totalis intercedere debeat, ſupplendo vires cauſarum naturalium, quoniam illæ non ſufficiant in ſuo genere ad determinandum, vel producendum, vel conſeruandum aliquem effectum. Sed quia res hæc inuoluit multa membra philoſophica, ſatis erit attingere ſingula breuiter, ne longiùs ab inſtituto theologico diuagari videamur.

Forma ſubſtãtialis productio.

2. Primum igitur exemplum ſit productio formæ ſubſtantialis, ad quam aliqui Doctores accerſunt concurſum totalem Dei, ne mediis accidentibus, quę ſunt imperfectiora inſtrumẽta, producatur à cauſa particulari ſubſtantialis forma. Nihilominus Ariſtoteles, & communiter Philoſophi, necnon S. Thomas, & communiter Theologi (præter animam rationalem) cæteras omnes exiſtimant ab agentibus naturalibus produci, prout expoſuimus in 2. Phyſic.

3. Secundum exemplum continet cunctas beſtiolas, quæ generantur ex putrefactione, abſque cauſa eiuſdem ſpeciei: loquemur autem de mure, vt idem intelligatur de cæteris omnibus.

Naturalis cauſa eorum, quæ ex putrefactione fiũt.

Dico igitur naturalem cauſam muris, ex putrefactione geniti, conflari ex collectione elementorum, & ſtercoris & influentiis aſtrorum, pro vt ordinatè producunt & temperant, atque miſcent primas qualitates, ex quibus etiam ſecundæ qualitates naturaliter reſultant, & ex illis omnibus diſpoſitionibus naturaliter reſultat in materia forma muris, ſicut ex ſummo calore naturaliter reſultat forma ignis.

Principale agens Angelus.

Nec inde ſequitur huius animalis ſubſtantiam produci ab agente minoris perfectionis: quoniam agens principale eſt Angelus, mouens cœlos ordinato quodam acceſſu atque receſſu, & ita temperans influentias, & effectus cœlorum immediatos, vt reducantur ad proportionem aptam productioni talium animalium. Hoc igitur ſenſu verum eſt cœlum agere; vt inſtrumentum Angeli, ad ſimiles effectus producendos, vt S. Thomas docet 1. part. quæſt. 70. artic. 3. ad tertium. Quem ſequitur Capreolus 2. diſt. 14. & quidam alij. Sed quia res hæc quibuſdam huius temporis Philoſophis durior eſſe videtur, nec vacat in ea diutius immorari, vt ſaltem authoritas emolliat difficultatem, placuit referre verba S. Thom. cuius eſt huiuſmodi argumentum. *Cauſa nobilior eſt effectu. Sed ſol & luna & alia luminaria ſunt cauſa vitæ, vt patet maximè in animalibus ex putrefactione generatis, quæ virtute Solis & ſtellarum vitam conſequuntur. Ergo multò magis corpora cœleſtia viuunt, & ſunt animata.* Reſpondet autem: *Corpus cœleſte, cùm ſit mouens motum, habet rationem inſtrumenti, quod agit in virtute principalis agentis, & ideo ex virtute ſui motoris, qui eſt ſubſtantia viuens, poteſt cauſare vitam.*

Ignis excuſſus ex ſilice à quo producatur.

4. Tertium exemplum faciliorem ſolutionem habet; videlicet, ignis excuſſus ex ſilice, vel inter nubes frigidas per antiperiſtaſin genitus, vel in viſceribus montium, quos ſemper nix tegit. Data enim naturali cauſa, quæ ſummam raritatem efficere poſſit in aërè, fortiter intercepto inter duriſſima corpora collidentia, raritatem tantam ſequitur tantus calor, quæ naturaliter ſequitur forma ignis virtute cœlorum tanquam principalis agentis poſt Deum. Cauſa verò antiperiſtaſis adeò celebris eſt in Philoſophia, vt non egeat explicatione noſtra.

Determinatio ad indiuidua.

5. Quartum exemplum eſt determinatio naturalium agentium, vt producant hoc indiuiduum potius, quàm aliud, vtque nunquam reproducant indiuiduum ſemel corruptum. Hanc enim determinationem agentibus naturalibus denegare, ſolique diuino concurſui reſeruare, coguntur authores, qui negant effectus naturales indiuiduari per ordinem tranſcendentalem ad hanc materiam ſub his diſpoſitionibus, vel ad hoc ſubiectum, hoc loco, & hoc tempore. Hæc autem eſt vna ex præcipuis rationibus recedendi ab ea ſententia, quoniam cogitur fateri tantam imperfectionem in agentibus naturalibus, vt quamuis Deus offerret illis concurſum generalem, ſi tamen negaret particularem illam determinationem, à ſolo Deo prouenientem, nihil prorſus agere poſſint; quia non eſſet maior ratio producendi hoc indiuiduum potius, quàm aliud ex infinitis, poſſibilibus intra eandem ſpeciem. Hæc autem imperfectio naturalium agentium, qua redduntur quaſi manca, vel mutilata minueret laudem diuinæ prouidentiæ bonitatis, artis, & omnipotentiæ, ſicut in præcedenti ſectione dictum eſt.

Rerum indiuiduatio.

Minimũ ignis in centro mũdi conſtitutũ quorſum moueretur.

6. Quintum exemplum adduci ſolet de minimo quodam ignis perfectè rotundo, conſtituto in centro mundi tam perfectè, vt centrum iſtius ignis correſpondeat centro mundi. Nam eo caſu dato, neceſſarium eſſe putant, ignem moueri ſurſum: nihilominus cauſa nulla naturalis erit, vt moueatur versùs polum Arcticum, potius quàm versùs Antarcticum, aut versùs Oriens potius, quàm versùs Occidens.

Sed facilè ſoluitur difficultas ipſa veritate: dato namque caſu, qui fingitur, minimum ignis non mouebitur ſurſum, quoniam æqualiter retinebitur ab inclinatione mouendi versùs quamlibet partem. Sic enim res dura & grauis poſita ſupra cuſpidem acutiſſimam in æquilibrio, nullam in partem mouetur, quamdiu nullum agens impellit magis ad vnam partem. Idque propterea, quia grauitas illius corporis non habet ſufficientes vires ad diuidendas partes illius: ideóque quantum ad partem orientalem inclinant quædam partes illius, tantum retinent aliæ partes inclinantes ad partem occidentalem. Idem igitur eueniet in illo minimo ignis.

Moles planiſſima cadens ſuper vitrum planiſſimum illud nõ frangeret.

7. Sextum exemplum adiungunt de planiſſima mole magni ponderis, quæ cadat ſupra vitrum planiſſimum, æqualiter illud percutiens. Frangetur enim vitrum, nec dabitur cauſa naturalis determinans, vt his fractionibus cõminuatur potius, quàm aliis; cùm non poſſit in omnem partem diuidi, ſed neceſſariò manere debeant aliquæ partes integræ, quarum continuatio ſolui potuiſſet, ſi non fuiſſent ſolutæ continuationes aliæ.

Nihilominus reſpondetur. Caſus eſt naturaliter impoſſibilis, itaut vitrum ſit æqualiter forte, & æqualiter craſſum ex omni parte, & corpus collaterale vitri reſiſtentiam æqualiter adiuuet. Cæterùm, eo caſu dato, vitrum non frangeretur ex vlla parte; quoniam ad diuiſionem requiritur diſtractio partium ad oppoſita loca, quæ non erit poſſibilis in illo caſu. Tandem ad inſtar prædictorum exemplorum excogitari poterunt alia plurima: quibus ſolutio debebitur ad inſtar præcedentium ſolutionum.

SECTIO

SECTIO IX.

Satisfit argumentis poſitis in ſect. ſeptima; deinde verò argumentis poſitis in ſectione quinta.

1. ARgumenta, quæ contendont probare, naturales cauſas nihil efficere ad rerum naturalium conſeruationem, vel certè non eſſe ſufficientes ad eam conſetuationem efficiendam in genere cauſarum partieularium, poſita ſunt ſect. 7. ſub init. ex cuius doctrina facilè colligitur eorum ſolutio.

Solutio primi.

Ad primum reſpondetur. S. Thomas de potent. q. 5. art. 1. ad 7. probat potius, quàm oppugnat conſeruattices vires naturalium cauſarum: vt oſtendimus in eadem ſect. 7. probantes primam concluſionem.

2. Ad confirmationem reſpondetur. S. Thomas 3. p. q. 13. art. 2. corpore, loquitur de conſetuatione totali, quæ directè & adæquatè correſpondet creationi totali. & propria eſt earum rerum, quæ non poſſunt produci, niſi per creationem. Ita notat Caietanus ibi. Propterea namque ſubiunxit ſanctus Thomas, *ne in nihilum decidant*, quia ſolus Deus poteſt annihilare totalem concurſum auferendo, ſicut ſolus poteſt creare. Nihilominus ſicut cauſæ naturales producere poſſunt, eodem genere cauſalitatis conſeruare poſſunt, ne res corrumpantor; licèt non annihilentur. Quibus conſonant alia loca S. Thomæ, ponderata in eadem ſect. 7. concl. 1.

3. Secundum argumentum expreſsè ſoluit S. Thomas 1. p. quæſtio. 104. artic. 2. ad 1. negando minorem illius ſyllogiſmi. Nam *Deus immediatè omnia creauit; ſed in ipſa rerum reparatione* (ſub hac intelligit conſeruationem etiam, vt conſtat ex argumento, & ex toto diſcurſu articuli) *ordinem in rebus inſtituit, vt quadam ab aliis dependerent, per quas ſecundariò conſeruarentur in eſſe* (videlicet tanquam per cauſas ſecundas) *præſuppoſita tamen principali conſeruatione, quæ eſt ab ipſo.* Itaque leo creatus à ſolo Deo non indigeret eadem creatione continuata, & eodem concurſu; ſed poſtquam primò creatus eſſet, potuiſſet per cauſas ſecundas conſeruari, ſuppoſito generali Dei concurſu.

Solutio ſecundi.

Leo à ſolo Deo productus poſſet à cauſis ſecundis cōſeruari.

Ad probationem minoris reſpondetur. In rebus, quæ non poſſunt ab alio agente produci, niſi à ſolo Deo, ſimpliciter eſt verum, non minus requiri ad conſeruandum, quàm ad primò producendum. At verò ſubſtantiæ corruptibiles, & earum accidentia ſicut potuerunt à cauſis naturalibus produci, licèt à ſolo Deo productæ ſint, poſſunt ab eiſdem cauſis conſeruari.

4. Ad confirmationem reſpondetur. Ad conſeruationem requiritur talis efficientis cauſæ concurſus, qui ſufficiat continere diſpoſitiones formæ, quibus poſitis eſt introducta. Quoniam autem quælibet ſubſtantia, poſtquam eſt producta, poteſt concurrere ad ſuas diſpoſitiones retinendas, ſed ad illas inducendas non poteſt concurrere prius, quàm producatur; ideo ad conſeruationem non requiritur agens extrinſecum, quod requiritur ad productionem, ac proinde non eſt opus Dei concurſo ſuppleri concurſum generantis.

5. Ad tertium reſpondetur. Merè gratis aſſeritur, cauſam perfectiorem, medio inſtrumento minus perfecto, non poſſe concurrere ad conſeruationem, licèt concurrat ad productionem. Deinde cælum, prout eſt inſtrumentum Angeli ordinatè mouentis, concurrere ad productionem & conſeruationem, vidimus præcedenti ſect. exemplo 2.

Perfectior cauſa imperfectiori inſtrumēto vti poteſt.

Ad quartum reſpondetur. Multæ partes elementorum corrumpuntur, & totum aliquod elementum corrumperetur, niſi cœlum viciſſitudine motus fauerer vno tempore magis, quàm alio. 6.

Ad confirmationem reſpondetur. Etiam marmor & adamas ceſſante motu cœli & eius influentiis, vergeret in corruptionem, & aliquando tandem corrumperetur. Nec poteſt aduerſùs hoc experientia vlla notari.

Argumenta, quæ probare contendunt, ad conſeruandas ſubſtantias incorruptibiles, non requiri tantum influxum Dei, quantus requiritur ad eas creandas, poſita ſunt ſect. 5. 7.

Ad primum eorum reſpondetur negando primam conſequentiam, quoniam concurſus conſeruatiuus, qui præſtatur à tota collectione cauſarum ſecundarum, videlicet ab intrinſeca eſſentia, ſemper influēte conſeruationem ſuarum diſpoſitionum, & ea influentia præſuppoſita, præſtatur etiam ab elementis, & ab Angelo mouente cœlos ordinatè, totus, inquam, iſte concurſus ſimul ſumptus, æqualis eſt concurſui omnium cauſarum, concurrentium ad productionem: ideo ſi agens vniuerſaliſſimum primò rem ipſam per ſe immediatè generaret, & genitam conſeruaret; eadem, vel nihilo minor eſſet eius actio conſeruatiua, quàm fuerat creatiua.

Conſeruatio creationi æqualis.

Ad confirmationem reſpondetur. Ariſtotel. lib. 2. de anima textu 47. loquitur de vegetatiuis animantibus, quæ ſeipſa nutriendo conſeruant, ſed non generant ſeipſa. Nutritio verò fit per actionem viuentis in alimentum, de qua alibi.

Ad ſecundum reſpondetur. In ſpeciem, & ad ſenſum eſſe videtur facilius res corruptibiles conſeruare, quàm primò producere; quoniam ſenſibus eſt magis expoſita virtus actiua, & efficacitas exterioris agentis, primò producentis, eo quòd prima productio plures motus locales, & alterationes contineт, quàm conſeruatio. Cæterùm in re ipſa, & ad mentis conſiderationem, non eſt faciliùs conſeruare; cùm requirat occultos illos influxus, & reciprocas actiones ſubſtantiæ in ſuas diſpoſitiones, & diſpoſitionum in ſubſtantiam, vltra cœlorum influxum & elementorum. 8.

Ad confirmationem reſpondetur. Omiſſo antecedente negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quoniam pondus, ne eleuetur, reſiſtit poſitiuè ratione grauitatis, conſeruantis inferiorem locum, quem appetit: nihil autem eſt, quod reſiſtat poſitiuè conſeruando nihilum. Propterea tota difficultas creationis, eſt ſumma totalitas agendi ſine vllo prorſus adiutorio: hæc autem tota concurrit in conſeruatione cuiuſlibet incorruptibilis ſubſtantiæ, quoniam ad illam nullum aliud agens concurrere poteſt. Explicatur magis ſolutio, nam vbi maior eſt reſiſtentia contrarij, maior eſt difficultas. Vnde prouenit, vt comparatione creatorum agentium, ſit maior difficultas, vtplurimum, in productione rerum corruptibilium, quàm in conſeruatione: per accidens tamen 9.

ratione maioris teſiſtentiæ. Quæ cùm ſit umnino nulla reſpectu Dei, non poteſt ex eo capite creſeere difficultas ereationis, vr propterea ſit faciliùs conſeruare.

10. Ad tertium reſponderur, negando minotem. Quin potiùs ad conſeruationem corporum corruptibilium vltra generalem influxum Dei, tequiritur iofluxus totius eullectionis aliarum cauſarum, quas expoſuimus ſect. 7. & 8.

Ad confirmationem reſpondetur. Vt conſetuentut res attificiales, velut ædificium, aut ſigillum, eſſentialis vittos corporum, ex qoibus conſtat, præſtat concurſum non minorem quàm artifex pet omnia inſtrumenta contulit ad eas produeeodas. Quoniam eſſentia talium eorpotum præſtat ſoliditatem & duritiem, pet quam retinet figuram ſemel impreſſam, & vnom cotpus ſuſtentat, & continet aliud, ne machina cortuat. Obſetuauimus hoc ſupià ſect 4. ex S. Thom. 1. p. q. 104. art. 1.

11. Ad quattum fateor, minorem eſſe concutſum; quo minot effectus, & ad cottuptionem propetans, conſeruarur, quàm coocurſus primò producens maiotem effectum. Calot autem, in aquam introductus, à primo inſtanti, quo ſeparatur à caoſa calefaciente, incipit eſſe minor & minot, & ad corruptioneio propetat: ac multo eeletiùs impetus impreſſus corporibus cœleſtibus. At tocorruptibiles ſubſtantiæ, de quibos nunc agimus, nec ad cotruptionem vergunt, nec ſuſcipiunt magis & minus: ideo requirunt, vt conſeruentur, coneurſum non minotem productiuo.

12. Ad qointom conſequeotia negatur. Si enim ſumantur cætera paria, nihil minus requiritur ad conſeruandum animal in vita conſtanti, & non propinqua motti, quàm ad primò producendum, Ad conſeruandum autem animal motti propinquum, minus tequiretur, quàm ad primò produeendum, niſi fortè ptoducatut ſtatim motiturum, tunc enim non erit concurſus maior ad productionem primam. Vetùm id contingit rariùs, & ſub diuerſis diſpoſitionibus, quæ non poſſunt compatari cum diſpoſitionibus animalis, ſeneſeentis, aut ægtotantis poſt adultam ætatem.

Non aliter exiſtimo, potuiſſe produci aquam cum tanto ealore, & tam exigua frigiditate, ſi tanta denſitas & ſiccitas adeſſet, ſub quibus nec forma aëris, nec ignis introduci poſſet, nec adeſſeot diſpoſitiones requiſitæ ad formam alicuius mixtæ.

13. Ad ſextum teſpondetut. Quies & permanentia in eodem loeo proptetea facilior eſt, quàm longum iter, quoniam non ſeruat totum effectum, productum pet longum iter, qui eſt vbi ſueceſſiuum, ſed tantùm eonſeruat vbi terminatiuum motus. Quòd ſi per impoſſibile conſeruanda ſimul forent omnia vbi longi itineris; non eſſet faciliot qoies & permanentia in illis omnibus ſimul. At verò conſeruatio ſubſtantiarum incorruptibiliom, eſt quies & permanentia io toto effectu producto per creationem: ideo tequirit æqoalem influxum.

14. Ad ſeptimum reſpondetut. Rupes & montes ſeipſos conſeruant in locis ſuis eadem actione, qua mooerentur ad ea loca, ſi ſuſpenderentur ab Angelo, vel à Deo, poſteáque demitterentur. Grauia ſiquidem & leuia mouentur à generante pet inſitas qualitates grauitatis & leuitatis, ſemper emanantes, & conſetuatas ab intrinſeca forma. Eodem igitur ſenſu & modo conſetuantur à genetante in ſuis locis naturalibus actione tanto fortiori, quanto plus habent iſtaruio qualitatum; ſiue quo ad extenſionem, ſiue quo ad intenſionem.

Grauia & leuia mouentur à generante.

Denique homo erectus non abſque vlla actione manet firmus in ſtatu ſoo, ſed potiùs corruit protinus, quando impedirur actio cerebri, ſeruantis lineam directionis, & eentrum ponderis, vel impeditut actio cordis per animales ſpiritus ſuſtentantis.

Ad octauum abſolutè negatut minot. Quamuis enim conſeruatio non ſit productio ex nihilo immediatè antea præcedente; cæterùm eſt productio ex nihilo ſemper imminente, & quaſi concomitante, quia ſemper abiret in nihilum creatura, ſi vel vnico inſtanti conſeruatio ceſſaret, atque vt non redeat in nihilum, nulla protſus cauſa materialis, nec formalis, nec efficiens præſtat vllum adiutorium Deo. Hoc igitut eſt ex nihilo conſeruare continuò producendo.

Ad confirmationem reſpondetur. Creatio, prout eſt actio productiua, noo differt ab intrinſeco, ſed pet intrinſecam denominationem adiunctę mutationis & tranſitus de non eſſe ad eſſe, quam mutationem non habet adiunctam conſeruatio. Hoc igitut diſcrimen ſufficit, vt ad prouidentiam, propriè, ſtrictéque ſumptam pertineat conſetuatio potius, quàm creatio, propter rationem dictam diſp. 4. ſect. 5.

Creationis & conſeruationis differentia quanta.

SECTIO X.

Nulla mediante prouidentia, ſed variis executoribus mediantibus, Deus prouidet.

PRima concluſio. Quantum ad rationem ordinis rerum prouiſarum in finem, Deus immediatè rebus omoibus prouidet. 1.

Rebus immediatè prouidet.

Probat S. Thomas, quoniam Deus in ſuo intellectu habet tationem omnium, etiam minimorum: & quaſcunque cauſas aliquibus effectibus præfecit, ad eos produceudos virtutem eis contolit. Quapropter neceſſariò ſupponitur in ſua ratione præhabuiſſe rationem illorum effectuum, quæ eſt prouidentia. Conſequens igitur eſt, vt quantum ad immanentem operationem prouidentiæ, nulla poſſit alia prouidentia mediare, cui Deus commiſerit, vr arbitrio ſuo res gubetnet, abſque ordine præſcripto per diuinam prouidentiam, ſicut Plato ſomniabat; de cuius errore diximus diſp. 1. ſect. a. cæteris ſectionibus ex profeſſo probantes, prædictam immediationem prouidentiæ generalem eſſe rebus omnibus.

Aduertit igitur bene Caietanus ad præſentem artic. 3. ex lib. 3. cont. gent. cap. 76. non eſſe intentionis D. Thomæ inter medios prouiſores excludere, tanqoam executores prouidentiæ immanentis in Deo (ſic enim Aogelorum & hominum prouidentia tolleretur, aduerſùs ea, quæ dicemus ſequentibus concluſionibus.) Sed tantùm intendit excludere prouiſores primarius, id eſt, non ſubordinatos, quantum ad omnia præſcriptis ordinibos à ſuperiori prouidentia. 2.

Intermedij prouiſores.

Secunda concluſio. Quantum ad executionem ordinis, quæ gubernatio dicitur, Deus mediatè prouidet; quoniam inferiora gubetnat per ſuperiora, non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, vt dignitatem 3.

Quantum ad executionem mediatè prouidet.

tem cauſalitatis, etiam creaturis communicet. Ita S. Thomas non ſolùm in præſenti articulo, ſed etiam infrà q. 103. art. 6. & q. 104. art. 2. & lib. 3. contra Gent. c. 77. & 78. Alexander 1. p. q. 26. memb. 5. art. 2. & 3. & memb. 7. fine. Albertus 1. p. q. 67. memb. 4. art. 1. partic. 4. Richardus 1. diſt. 39. art. 2. quæſt. 3. & diſt. 45. art. 2. tota q. 2. & lib. 2. diſtinct. 1. artic. 3. quæſt. 4. & artic. 4. quæſt. 2. corp. fine. Ægidius 2. diſtinct. 1. part. 1. quæſt. 2. artic. 6. vbi Gabriel diſt. 1. quæſt. 2. Caietanus non modò 1. p. citata, ſed etiam opuſculo de infinitate Dei propius ad finem, quàm ad med.

4. *Deus non cauſat per ſuam eſſentiam.* Tertia concluſio. Deus prouidet non immediatè per ſuam eſſentiam, prout eſſentia eſt, ſed prout eſt libera voluntas, & imperium. Itaque ſecundùm conſiderationem noſtram, inter Dei eſſentiam & executionem operis mediat libera voluntas & imperium: ſicut probatum eſt tomo de voluntate tota diſput. 14. Cæterùm quia prouidentia eſt ipſamet libera voluntas & imperium (vt probatum fuit tota diſput. 3.) nihil diuinum neque ſecundùm rationem mediat inter Dei prouidentiam & operis executionem.

5. *Angeli prouidentiæ miniſtri.* Quarta concluſio. Præcipui miniſtri, quibus mediantibus Dei prouidentia cuncta gubernat, ſunt Angeli: atque illi potiſſimum, qui ſunt motores cœlorum; eorum quippe ſapientiæ, virtutique præcipue tribuuntur ordinatæ generationes, conſeruationes, & alterationes rerum ſublunarium, mediis ſyderibus, tanquam inſtrumentis, vt præcedentibus ſectionibus dicebamus. Vtitur etiam Deus ad particulares operationes Angelis, non modò bonis, ſed etiam malis, atque etiam hominibus, non modò iuſtis, ſed etiam peccatoribus. Ita docet Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 3. & multis ſequentibus. Breuiùs autem lib. 8. de Geneſi ad lit. cap. 9. *Gemina*, inquit, *operatio prouidentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem, qua etiam lignis & herbis dat incrementum; voluntaria verò per Angelorum opera & hominum.* Vtramque verò magis diſtinguit, & explicat per ſingula membra.

6. *Angeli nihil creant.* Et ſequenti lib. 9. de Geneſi ad lit. cap. 15. ſub init. ſic explicat quid poſſint, quidve non poſſint Angeli diuinæ prouidentiæ executores: *Angeli nullam omnino poſſunt creare naturam: ſolus enim vnus cuiuſlibet naturæ, ſeu magnæ, ſeu minimæ, creator eſt Deus, ideſt, ipſa Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Aliter ergo quæritur, quemadmodum ſit operatus Adam, coſtáque eius ſine vllo doloris ſenſu à corporis compage detracta ſit. Hæc enim fortaſſe dicantur potuiſſe per Angelos fieri: formare autem, vel ædificare coſtam, vt mulier eſſet, vſque adeò non potuit, niſi Deus, à quo vniuerſa natura ſubſiſtit, vt ne illud quidem carnis ſupplementum in corpore viri, quod in illius coſtæ ſucceſſit locum, ab Angelis factum eſſe crediderim.*

7. Et prope finem eiuſdem capitis: *Quale itaque miniſterium Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare? Certiſſimè tamen dixerim ſupplementũ illud carnis in coſtæ locũ, ipſiuſq; fœminæ corpus & animam, conformationémque membrorum, omnia viſcera, ſenſus omnes, & quidquid erat, quo illa, & creatura, & homo, & fœmina erat, non niſi in illo opere Dei factum, quod Deus non per Angelos, ſed per ſemetipſum operatus eſt, nec dimiſit, ſed ita continuanter operatur, vt nec vllarum aliarum rerum, nec ipſorum Angelorum natura ſubſiſtat, ſi non operetur.*

Hieronymus Matth. 8. ad illa verba: *Nam & ego homo ſum. Volens*, inquit, *oſtendere, Dominum quoque non per aduentum tantùm corporis, ſed per Angelorum miniſteria poſſe implere, quod vellet. Audiens autem Ieſus miratus eſt, quod vidit Centurionem ſuam intelligere maieſtatem. Perinde enim erant, vel infirmitates corporum, vel fortitudines contraria (quibus homo ad debilitatem ſæpe conceditur) & verbo Domini, & miniſteriis Angelorum.* 8.

Boëtius lib. 4. de Conſol. proſa 6. propius ad med. quàm ad princip. ait; *Siue igitur famulantibus quibuſdam prouidentiæ diuinæ ſpiritibus, fatum exerceatur: ſeu anima, ſeu tota inſeruiente natura, ſeu cœleſtibus ſyderum motibus, ſeu Angelica virtute, ſeu dæmonum varia ſolertia, ſeu aliquibus horum, ſeu omnibus fatalis ſeries texitur: illud certè manifeſtum eſt immobilem ſimplicémque gerendarum formam rerum eſſe prouidentiam.* 9.

Plurimas res mediante Angelorum miniſterio gubernari Dei prouidentia probari poteſt quamplurimis teſtimoniis vtriuſque Teſtamenti, quæ ſigillatim expendere, atque exponere, pertinet ad diſputationes de Angelis. Nam in Gen. 3. præficitur Cherubin ad cuſtodiam paradiſi. Exod. 23. Angelus mittitur, qui præcedat & cuſtodiat & introducat in locum, &c. & Iſaiæ 6. Seraphin ignito calculo tetigit & mundauit os Prophetæ. Tobiæ 12. Raphael vnus ex ſeptem qui adſtant ante Dominum, & viæ dux fuit, & expulſor dæmonij, & ſanator ſenioris Tobiæ. Zachariæ 1. & 2. multa curant Angeli circa felicitatem Eccleſiæ. Iudith capit. 13. teſtatur, ſe ab Angelo cuſtoditam. Danielis 3. Angelus Domini deſcendit cum Azaria, &c. & excuſſit flammã ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem. & capit. 10. Michaël vnus ex Principibus primis venit in adiutorium. 4. Reg. 19. prope finem. *Angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Denique *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, Hebr. 1. Nam cætera teſtimonia referre longum eſſet, ac minimè neceſſarium. 10.

Quinta concluſio. Plurimi ſunt effectus, ad quos vtitur prouidentia bonorum Angelorum miniſterio, quorum capita ſunt hæc. Inferiores ſpiritus illuminare per ſuperiores, viatorum hominum illuminare mentes atque docere, necnon voluntates excitare, ſeu viſibiliter per ſigna ſenſibilia, ſenſibus obiecta, ſeu inuiſibiliter, mouendo humores & ſpiritus animales circa cor, & mouendo circa phantaſiam eas partes ſpirituum, in quibus recipiuntur ſpecies aptiores ad illam excitandam, inſuper homines cuſtodire, propulſando dæmones, & alia nocumenta, necnon procurando, quæ poſſint illis proficere. In apparitionibus non modò propriam, ſed etiam alienam perſonam gerere, loquentes nomine Dei, vel etiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, atque Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum. 11. *Primi effectus ad quos Deus Angelorum vtitur miniſterio.* *Inferiores ſpiritus ſuperioribus illuminantur.*

Quin etiam mali dæmones ſunt inſtrumenta, quibus mediantibus Deus infligit mala pœnæ, ſiue tentationis, probationis, ac purificationis cauſa (quantum eſt ex parte Dei,) ſiue cauſa punitionis temporalis, aut æternæ. Supponimus autem Angelos omnes per ſolas vires naturæ, ſecluſa ſupernaturali eleuatione, non aliter eſſe 12.

inſtrumenta prouidentiæ diuinæ, niſi quatenus immediate producere poſſunt motum localem.

Nullas ſubſtantias poſſunt Angeli producere.

Quia quantum ad ſubſtantias & qualibet accidentia corporalia, nihil immediate poſſunt Angeli producere; ſed per motum localem, applicando actiua paſſiuis, efficiunt quoſcunque mirabiles effectus.

13. Sexta concluſio. Ad generationes, alterationes, & motum localem rerum inferiorum mediare propriis actiuitatibus cauſas naturales atque ſecundas, pro comperto ſupponimus ex lib. 2. Phyſic. in quo probatur earum actiuitas. Mediare quoque ſyderum influentias, iam diximus ſect. 7. 8. & 9. pro cuius cauſalitatis maiori declaratione videri poteſt S. Thomas 1. p. q. 115. art. 3. & ſeqq. & 1. 2. q. 95. art. 9. & de potentia q. 5. art. 7. 8. 9. & 10 & lib. 3. contra Gentes cap. 82. & multis ſeqq.

Cauſarum naturalium influentias mediat actiuitas.

14. Septima concluſio. Nullum additamentum mediat inter actionem Dei & cauſas ſecundas, vel earum operationes, aut effectus, nec aliquis influxus Dei deriuatur in cauſas, per quem præmoueantur, aut determinentur ad ſuas operationes. Hoc genus immediationis probatum eſt fusè tomo præcedenti de voluntate diſp. 46. & tribus ſeqq.

Cauſa ſecundæ non præmouentur.

SECTIO XI.

Immediatio maxima generalis concurſus.

Generalis concurſus neceſſitas probatur.

1. PRima concluſio non tam diſputatur hic, quàm ſupponitur ex Philoſophia, Theologicis rationibus corroboranda. Generalis Dei concurſus, & cooperatio ſimpliciter eſt neceſſaria, vt omnes cauſæ creatæ poſſint ſuas operationes exercere. Ex ſacris litteris & Patribus hæc probata fuit ſect 2. & 3. Rationes autem, quibus iſtud dogma deducitur ex teſtimoniis ibi relatis, hæ ſunt.

Prima, quia Patres & Scriptura teſtantur, Deum aſſiduè operari, etiam in die Sabbati. Quòd ſi ſolùm diceretur Deus illa facere, quia olim res creauit, & tales vires atque potentias eis indidit; non ſequeretur inde, Deum ſemper & aſſiduè operari. Conſequens igitur eſt, vt aſſiduitas operationis verificetur, quantum ad rerum conſeruationem & cooperationem cum cauſis ſecundis; etenim ſi Deus non operatur ſimul cum cauſis ſecundis, conſequens erit cauſas ſecundas conſeruare poſſe ſine concurſu Dei, quoſcunque effectus naturaliter conſeruant. Quòd ſi Dei operatio requiritur ad eorum conſeruationem, eo ipſo requiritur, vt cauſæ naturales conſeruationem poſſint efficere.

Secundò probatur quia impropriè diceretur res corruptibiles facere.

2. Secunda ratio, quia remotè & impropriè diceretur Deus producere herbas, arbores, animalia, cæteráſque res corruptibiles facere; ſi fierent immediate & totaliter à cauſis ſecundis, independenter à generali concurſu Dei; quemadmodum impropriè & remotè dicetur ignis me calefacere, quando me calefacit aqua per calorem, acceptum ab igne iam extincto.

Tertiò probatur.

Tertia ratio ſit, quoniam Scriptura, & Patres eiſdem in locis intendunt, commendare nobis quotidianam & aſſiduam cœleſtis Patris beneficentiam, qui oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, quibus operationibus Chriſtus Dominus complectitur omnes effectus naturales, & ſupernaturales, quos ad hominum ſalutem, & commoditatem operatur; quamuis iidem ſint effectus cauſarum ſecundarum, ſicut pluuia eſt effectus aſtrorum, & elementorum, & ortus Solis eſt effectus intelligentiæ mouentis.

Quarta ratio ſit, quia ſi Deus non alio modo concurreret ad effectus naturales producendos, niſi quia tribuit cauſis ſubſtantiam, & virtutem actiuam; ſequeretur eas non eſſe cauſas eſſentialiter ſubordinatas reſpectu Dei, quoniam in cauſando non penderent à Deo, ſed tantum penderent, quantum ad exiſtere, & poſſe operari. 3.

Quartò.

Prima productio, & rei conſeruatio differunt ſolum penes cõnotata.

Quinta ratio, quia conſeruatio prout actio eſt, nihil differt à prima productione, niſi quatenus hæc connotat, effectum immediatè antea non fuiſſe; conſeruatio verò connotat, effectum immediatè antea fuiſſe. Sed Deus immediatè conſeruat omnes effectus: igitur etiam immediatè producit productione prima. Argumenti vis eſt clarior in effectis, quę pendent in fieri & conſeruari à ſuis cauſis particularibus (quales ſunt lux, ſpecies intentionales, & actiones vitales.) Hæc enim numquam conſeruabuntur à Deo, niſi Dei concurſu generali cooperante cum cauſis particularibus.

Sexta ratio, quoniam omnis cauſa naturalis eſt cæca in ſuis operationibus: igitur neceſſarium eſt, eius operationes dirigi & gubernari aliquo ſuperiori concurſu immediatè cooperante. Nec enim ſatis erit mediate gubernari per aliquam cauſam naturalem, quia cùm illa ſit etiam cæca, non minus erit expoſita erroribus, & inordinatis operationibus, quàm alia quæcunque cauſa naturalis. 4.

Probatur ſextò ex cæcitate naturalium cauſarum.

Angeli immediatè ſolũ motum producunt.

Confirmatur primò, quoniam Angeli nihil poſſunt producere immediatè præter motum localem (vt præcedenti ſect. dicebamus.) Vnde non poſſunt intimè, & immediatè dirigere operationes cauſarum naturalium, ſed tantùm extrinſecè iuuare. Requiritur ergo altior, & intimior concurſus dirigens.

Confirmatur ſecundò, quia Machabæorum mater lib. 2. cap. 7. hac ipſa ratione ſuæ ignorantiæ circa filiorum productionem, probat, Deum fuiſſe præcipuum authorem illius, dicens. *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, nec enim ego ſpiritum & animam donaui vobis, & vitam & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inueniet originem, &c.* 5.

Confirmatur tertiò, quia nec homines rationis compotes ſciunt, vel aduertunt, quos muſculos debeant contrahere, quos verò locare, quando conuertunt oculos in vnam, aut aliam partem, & quando ſpiritum ducunt, aut voces emittunt dormientes, aut vigilantes ignorant quibus inſtrumentis corporis vtantur, & quomodo. Denique ſi fortè ſciunt aliqui, cuius ſpeciei operationes per intellectum, aut voluntatem concipiant: nemo tamen ſcit cuius differentiæ numericæ futurum ſit indiuiduum præſentis volitionis, aut intellectionis. Ad hæc igitur intimè & immediatè dirigenda requiritur intimus & immediatus Dei concurſus.

Septimò probatur à priori.

Septima ratio magis à priori, magiſque metaphyſica, cui ſemper nititur S. Thomas, præſertim 1. p. q. 8. art. 1. & q. 104. art. 1. & 2. & quæſt. 105. articul. 5. corp. fine, & de potentia quæſtio. 2. 6.

art.

Digitized by Google

art. 7. corp. ad fin. & fundamentum habet in Dei nomine, *ſum qui ſum*, prout fuſiùs explicuimus ſuprà ſect. 4. confirmat. 1. quoniam eſſe, quantum ad communem rationem eſſendi, proprius & adæquatus effectus eſt Dei, quia ſolus Deus eſt ſuum eſſe (quemadmodum ignitè proprius effectus eſt ignis, quoniam ille ſolus eſt ignis.) Igitur eſſe quantum ad communem rationem eſſendi, non poterit producere ſola cauſa particularis, niſi concurrente Deo ad eſſe, in quantum eſſe; cauſa verò particulari concurrente ad eſſe, in quantum eſt tale eſſe.

7. Confirmatur primò, quia ſicut eſſe generaliſſimus effectus eſt in omni creatura repertus: ita Dei efficientia, debet eſſe generaliſſima cauſatio, correſpõdens illi effectui non minori generalitate: proptereàque reperiri debet in omni creatura.

Confirmatur ſecundò; quia ſicut eſſe primus effectus eſt: ita ſemper tribuendus eſt primæ cauſæ.

Confirmatur tertiò, quoniam inter omnia rerum prædicata magis intimum eſt ipſum eſſe, tranſcendens vltimas quaſque differentias; ergo ſimiliter operatio vniuerſaliſſima, quæ adæquatè correſpondet eidem eſſe, debet eſſe magis intima, tranſcendens vltimas differentias cuiuſque operationis.

8. Accedat octauò Philoſophorum ſententia, potiſſimum autem Procli, nam in principio libri de cauſis: *Omnis*, ait, *cauſa primaria plus eſt influens ſupra cauſatum ſuum, quàm cauſa vniuerſalis ſecunda. Cum ergo remouet cauſa vniuerſalis ſecunda virtutem ſuam à re; cauſa vniuerſalis prima non aufert virtutem ſuam ab ea. Quod eſt, quia cauſa vniuerſalis prima agit in cauſatum cauſæ ſecundæ; antequam agat in ipſum cauſa vniuerſalis ſecunda, quæ ſequitur ipſum.* In cuius commentario S. Thomas: *Intentio*, inquit, *huius propoſitionis in his tribus cõſiſtit. Quorũ primum eſt, quòd cauſa prima plus influit in effectũ, quàm ſecũda. Secundum eſt, quod impreſſio cauſæ primæ tardiùs recedit ab effectu. Tertium eſt, quod priùs ei aduenit.*

Octaua probatio ex Philoſophorũ ſententiis idem demonſtrat.

9. Hæc poſtquam Proclus demonſtrauit circa vniuerſaliora prædicata, quæ ſunt quaſi formales cauſæ vniuerſaliores, ex illis colligit, idem prioritatis genus intelligendum eſſe de cauſis efficientibus. Præſertim ſunt notanda illa verba: *Cauſa longinqua eſt prima, & prima eſt plus comprehendens, & vehementius cauſa rei, quàm cauſa propinqua; & propter id fit eius operatio vehementioris adhærentiæ cum re, quàm operatio cauſæ propinquæ. Et hoc quidem non fit ſecundum hoc, niſi res in primis non patitur, niſi à virtute longinqua. Deinde patitur à ſecunda virtute, quæ eſt ſub prima.* Inde paulo inferiùs infert. *Non figitur cauſatum cauſæ ſecundæ, niſi per virtutem cauſæ primæ: quod eſt, quia cauſa ſecunda, quando facit rem, influit cauſa prima, quæ eſt ſupra eam, ſuper illam rem non de virtute ſua.*

10. Quæ omnia recipit Auerroes in comment. eiuſdem libri, & S. Thomas ibidem magis explicat, dicens: *Quanto aliqua cauſa efficiens eſt prior, tanto eius virtus ad plura ſe extendit. Vnde oportet, vt proprius effectus eius communior ſit; cauſæ verò ſecundæ proprius effectus in paucioribus inuenitur. Vnde & particularior eſt. Ipſa enim cauſa prima producit, vel mouet cauſam ſecũdo agentẽ, & ſic fit ei cauſa, vt agat.*

11. Prædicta generalitas diuini concurſus, agentis in quolibet agente particulari, traditur ab omnibus Scholaſticis, vnico tantùm excepto Durando, cuius opinio notatur erroris ab aliquibus, ſed vt minimum eſt periculoſa; quoniam repugnat teſtimoniis Scripturæ, & ſanctorum Patrum, adductis ſect. 2. & 3. iunctis eorum ponderationibus, & illationibus in præſenti ſect. notatis. Plures Scholaſticos retulimus circa Dei cooperationem in liberis volitionibus, quantumcunque vitioſis, tomo præcedenti de voluntate Dei diſp. 28. ſect. 1. & tota diſp. 39.

Durandi opinio periculoſa.

Denique difficultates, quas excitant argumenta Durandi, expeditæ ſunt non tantùm in 2. lib. Phyſic. ſed etiam in præcedenti tomo de voluntate per varias diſputationes, præſertim diſp. 45. & ſequentibus.

Secunda concluſio. Generalis iſte concurſus applicat, excitat, & determinat cauſas naturales ad totam operationem, non modò ſecundùm rationem vniuerſalem, ſed etiam ſecundùm particulares rationes, quatenus eò concurſu dato, cauſæ particulares agunt protinus, & neceſſariò, ſed eodem negato, non agunt. 12.

Generalis concurſus Dei applicat naturales cauſas.

Tertia concluſio. Voluntatem creatam non niſi ad vniuerſalem amorem boni in communi determinat prædictus generalis concurſus, & eodem amore excitat ad particularia bona. Vtraque concluſio declarata eſt & probata tomo præcedenti de voluntate tota diſp. 45. 13.

Prædictus generalis concurſus voluntatem ſolum ad bonum in communi determinat.

SECTIO XII.

Magis explicatur immediatio diuini concurſus.

Dico primò. Immediatus & intimus eſt concurſus primæ cauſæ ad omnes operationes in particulari. Quod præter Proclum, & S. Thomam præcedenti ſect. citatos, docet iterum D. Thomas de Potentia quæſt. 3. art. 7. corp. & fine & ad 4. & lib. 1. ſent. diſt. 12. & diſt. 37. (pro vt referemus ad probandam ſecundam & tertiam aſſertionem) Alexander 1. p. quæſt. 35. membr. 2. S. Bonauent. 1. diſt. 45. art. 2. quæſt. 2. Richard. 1. diſt. 45. art. 2. q. 2. Gabriel 2. diſt. 1. q. 2. art. 2. & in 1. diſt. 45. fine. Marſilius 1. q. 44. art. 1. conc. 7. & communiter Scholaſtici variis in locis. Hanc intimam & immediatam cooperationem imbibitam in omnibus actionibus cauſarum ſecundarum, ſimul cum præſentia ſubſtantiali, & actuali conſeruatione docere videntur Patres, quando dicunt, Deum eſſe interiorem omnibus rebus, & exteriorem, ſuperiùs, & inferiùs atque vndique continentem. Sic enim loquuntur Hilarius lib. 1. de Trinitate col. 4. & 5. & Gregorius lib. 2. Moral. relatus ſect. 3. & ſect. 4. ſub init. 1.

Concurſus cauſæ primæ immediatus, & intimus.

Auguſtinus autem lib. 8. de Geneſ. ad lit. c. 26. à med. *Non debemus*, inquit, *opinari, eius ſubſtantiam, quæ Deus eſt, temporibus locíſque mutabilem, ſed in opere diuinæ prouidentiæ iſta cognoſcere: non in illo opere, quo naturas creat, ſed in illo, quo intrinſecus creatas, etiam extrinſecus adminiſtrat, cum ſit ipſe nullo locorum vel internallo, vel ſpacio incommutabili æternitate excellentique potentia, & interior omni re, quia in ipſo ſunt omnia, & exterior omni re, quia ipſe eſt ſuper omnia.* 2.

Dico ſecundò. Duplex eſt immediatio, alia virtutis, alia verò ſuppoſiti. Solius Dei propria eſt immediatio virtutis: ſed immediatio ſuppoſiti conuenit etiam cauſis particularibus (quamuis illa quoque conueniat diuino concurſui generali, prout inferiùs explicabimus.) Ita S. Thomas obſeruauit 3. contra Gent. cap. 70. in ſolutione primæ difficultatis, & de potentia q. 3. art. 7. corpore poſt med. illis præſertim verbis: *Si conſideremus* 3.

Immediatio virtutis, & ſuppoſiti.

Vtraque conuenit diuino concurſui.

deremus ſuppoſita agentia, quodlibet genus particulare eſt immediatum ad ſuum effectum; ſi autem conſideremus virtutem, qua fit actio, ſic virtus ſuperioris cauſa erit immediatior effectui, quam virtus cauſa inferioris. Eandem diſtinctionem aliis verbis tradit lib. 1. ſent. diſt. 12. q. 1. art. 3. ad 4. & diſt. 37. q. 1. art. 1. ad 4. vt ſtatim dicemus. Eandem ſequuntur Capreolus 2. ſent. diſt. 1. q. 2. art. 1. concl. 6. & art. 3. p. 6. ad argumenta contra 6. concluſionem. Ferrarienſ. lib. 3. contra Gent. cap. 70. §. *de immediatione.* Caietanus 1. p. q. 8. art. 1. quos ſequuntur communiter Theologi & Philoſophi, qui poſt illos ſcripſerunt.

4. *Immediatio virtutis ſolius Dei propria.*

Pro cuius declaratione dico tertiò, triplicem eſſe comparationem immediationis virtutis: vnde triplex ratio proficiſcitur, probans eam eſſe ſolius Dei propriam. Prima ratio eſt, quoniam virtus efficiendi primæ cauſæ competit non mediante virtute alterius efficientis, quod primæ cauſæ virtutem tribuat. Eſt autem hic modus loquendi ſimilis alteri, quo prima principia, quæ non poſſunt à priori demonſtrari, dicuntur eſſe immediata; quoniam eorum extrema copulantur, nulla mediante propoſitione, per quam probetur eorum vnio. Ita S. Thomas adnotauit lib. 3. contra Gent. cap. 70. & lib. 1. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 3. ad 4. dicens. *Quando ſunt multæ cauſæ agentes ordinatè, poſſunt dupliciter conſiderari, ſecundum quod eſt duo inuenire in agente, ſcilicet, ipſum agens, quod exercet actionem: & virtutem ipſius, quæ eſt principium actionis in ſuppoſito. Si igitur conſiderentur cauſæ agentes ordinatè ſecundum rationem agentis, cuius eſt agere, ſic quanto agens eſt poſterius, tanto magis eſt proximum & immediatum ad actionem, & ad id, quod per actionem educitur: ſi autem conſiderentur quantum ad virtutem, quæ eſt principium operationis; quanto cauſa eſt magis prima, tanto eſt magis immediata: eo quod agens ſecundum non agit, niſi in quantum eſt motum à primo, & ſecundum quod virtus primi eſt in ipſo. Unde oportet vt ſemper reſoluatur virtus vltimi agentis in virtutem agentis primi.* Et poſt pauca: *Inde eſt, quòd quia Deus eſt agens primum, ipſe immediatius ſe habet ſecundum virtutem ſuam ad quamlibet operationē naturæ, quàm aliquod agens naturale. Et inde eſt etiam quod propoſitiones primæ dicuntur immediatæ, quia prædicatum non coniungitur ſubiecto per virtutem alterius cauſæ præcedentis.*

Prima principia quo.

5. Idem explicat aliis verbis in eodem lib. 1. ſent. diſt. 37. q. 1. art. 1. ad 4. & bene Ferrarienſis ac fuſiùs lib. 3. contra Gent. cap. 70. dicto §. *de immediatione.* Caietanus autem obiter 1. p. q. 14. art. 3. §. *neque ſuſtinendus,* ait, prioritatem primæ cauſæ eſſe tantummodo *ſecundum dependentiam, & immediationem virtutis, quia prior, independentius, & immediatiùs immediatione virtutis attingit effectum, quam ſecunda.* Sic etiam Ægidius in 2. diſt. 1. p. 1. q. 2. art. 6. §. *Proſecutis: Accipiendo,* inquit, *immediatum pro eo, quod ex propriys attingit rem, quilibet talis effectus eſt immediatè a Deo totus.*

6. Secunda ratio ducitur ex alia comparatione, quatenus virtus primæ cauſæ comparari poteſt cum cauſis particularibus, quas ad agendum applicat effectui. Hoc igitur modo virtus primæ cauſæ eſt etiam immediata & intima: quoniam, vt S. Thomas obſeruat dicta q. 3. de potentia art. 7. corpore poſt med. *Virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui, quàm virtus cauſæ inferioris. Nam virtus cauſæ inferioris non coniungitur effectui niſi per virtutem cauſæ ſuperioris: vnde dicitur in libro de cauſis, quòd virtus cauſæ primæ prius influit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum.* Eadem ſequitur Capreolus in 2. diſt. 1. quæſt. 2. art. 1. prope finem. Quomodo autem inferioris cauſæ virtus coniungatur, & applicetur effectui, iam attigimus præcedenti ſect. ad finem, remittentes ad locum, vbi fuſiùs explicatum eſt.

Tertia ratio ducitur ex comparatione virtutis primæ cauſæ cum ſuo formali termino, quem primariò reſpicit. Formalis enim terminus illius eſt eſſe: at eſſe magis intimum eſt cuilibet, & profundius omnibus ineſt, cùm ſit formale reſpectu omnium, quæ in re ſunt: vt loquitur S. Thomas 1 p. q. 8. art. 1. corpore. Vnde 1. p. q. 105. art. 5. corp. fine concludit: *Quia forma rei eſt intra rem, & tantò magis quantò conſideratur vt prior, & vniuerſalior, & ipſe Deus eſt propriè cauſa ipſius eſſe vniuerſalis in rebus omnibus, quod inter omnia eſt magis intimum rebus, ſequitur, quod Deus in omnibus intimè operetur.* Attigit eandem rationem prædicta q. 3. de potentia art. 7. corpore prope finem. 7.

Prima cauſa formalis terminus.

Eam accommodato exemplo declarauit Ægidius lib. 2. ſent. diſt. 1. p. 1. q. 2. art. 6. ad finem corporis, dicens: *Sicut, amota cortice, remanet medulla, & ideo dicitur medulla intimior & immediatior rei, quàm cortex: ſic, amoto à re, quòd ſit tale ens, remanet quod ſit ens: vnde cùm quilibet effectus ſit immediatè à Deo, vt eſt ens, & immediatè à ſecundo agente, vt eſt tale ens, immediatius eſt quilibet effectus à Deo, quàm à ſecundo agente.* 8.

Ex his ſequitur & dico quartò. Licèt nihil falſitatis contineat alia ſignificatio & acceptio *immediationis virtutis*, quàm tradit Vaſquez in præſenti q. 22. art. 3. §. penultimo, nihil tamen lucis, aut vtilitatis affert præſentibus diſputationibus de immediatione diuini concurſus; eſt etiam nouus, & inauditus apud Scholaſticos, proptereàque non vſurpandus. Dicit enim, eſſe immediationē virtutis, quoties agens operatur nō virtute ab ipſo defluēte, ſed ſibi innata: quomodo multa agentia creata operantur immediatione virtutis. 9.

Dico quintò. Circa immediationem ſuppoſiti conciliari poteſt Caietanus cū Ferrarienſi (quamuis communiter ab eo diſſidere putetur.) Quod enim Caietanus 1. p. q. 8. art. 1. & alij plures ibidem obſeruant, cùm cauſis particularibus Deum concurrere immediatione ſuppoſiti; ſatis commodè verificatur de generali concurſu primæ cauſæ. Nam hic non deriuatur per cauſas ſecundas & particulares, ſed immediatè attingit actionem & effectum: ſicut probatum eſt in hac, & præcedenti ſectione. Quod autem Ferrarienſis cū S. Thoma, & Capreolo locis ſuprà citatis aſſerit, eſſe mediatum primæ cauſæ concurſum, eſt limitandum ad eum concurſum, quem Deus deriuat per cauſas ſecundas, quibus mediantibus, agit actione determinata, non verò de generali concurſu indifferenti. Alia tamen miſcent Caietanus & Ferrarienſis, quæ non poſſunt verificari. 10.

Ex quibus tandem colligo, & dico ſextò. Cum cauſis particularibus ad earum effectus Deus concurrit mediatione ſuppoſiti ſecundùm vnam rationem, ac ſimul concurrit immediatione ſuppoſiti ſecundùm aliam rationem. Quia quantum ad generaliſſimum & indifferentem concurſū primæ cauſæ concurrit immediatiſſimè immediatione ſuppoſiti: ſed quantū ad concurſum particularem & determinatum, qui per cauſas creatas deriuatur, Deus concurrit mediatione ſuppoſiti. 11.

Deus cū cauſis ſecundis mediatione, & immediatione ſuppoſiti concurrit.

TRAG

TRACTATVS SECVNDVS DE PRÆDEFINITIONIBVS.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm prouidentia rebus prouiſis neceſſitatem imponat.

EXPOSITIO TEXTVS, ET PROOEMIVM.

1. *S. Thomæ reſponſio.* SANCTVS Thomas reſpondet concluſione bimembri. Prouidentia Dei quibuſdam rebus neceſſitatem imponit, videlicet, effectibus cauſarum naturalium, aut effectibus, qui fiunt à ſolo Deo: non autem imponit neceſſitatem rebus omnibus, quoniam operationibus, procedentibus à libero arbitrio creato, non imponit neceſſitatem. Probat autem ex D. Dionyſio cap. 4. de diuinis nomin. non remotè ante finem, quia diuinæ prouidentiæ non eſt naturam corrumpere, ſed illam potiùs ſeruare, & ſuam perfectionem vniuerſo communicare; ideo pertinet ad diuinam prouidentiam omnes gradus entium producere, atque illum præcipuè, qui præſtantiſſimus eſt, videlicet, liberum arbitrium & eius operationes, in quibus conſiſtit imago diuinitatis.

2. Sed quoniam ineuitabilis diuinæ prouidentiæ certitudo pugnare videbatur cum libertate creata, aggreditur S. Thomas concordiam explicare, dicendo, ineuitabilem certitudinem prouidentiæ in eo conſiſtere, quòd iis effectibus, quos vult liberè & contingenter euenire, diſponit & præparat cauſas contingentes & liberas: ideóque fiunt omnia, quæ Deus fieri vult, & fiunt eo modo, quo Deus vult ea fieri, ſeu liberè, ſeu neceſſariò. quam doctrinam expoſuimus in tomo de ſcientia Dei diſp. 51. reiicientes eam doctrinam, per quam euertitur iſta præparatio cauſarum contingentium, ſub introducta cauſa ſimpliciter neceſſaria.

3. *Cõcordia ratio diuinæ præſcientiæ certitudini nititur.* Hæc veriſſima ratio concordiæ nititur certitudini diuinæ præſcientiæ, qua non ſolum abſolutè futura præuidet in ſe ipſis, ſed etiam præcognoſcit omnia conditionaliter futura. Cùm enim Deus certiſſimè ſciat, quid quælibet voluntas faceret ſub quibuſlibet circunſtantiis conſtituta; nullum omnino periculum imminet fruſtrationis, aut euitabilitatis incertæ; quando decernit, vt Petrus liberè velit ambulare ſuper aquas, ſimul volens atque præcipiens illi volũtati talia motiua & circunſtantias interiùs & exteriùs adhiberi, ſub quibus certiſſimè præcognouit eam volitionem conditionaliter eſſe futuram.

Satis fusè conditionalem ſcientiam probauimus in tomo de ſcientia Dei à diſput. 61. vſque ad 84. Peculiariter autem ibidem diſp. 69. probatum eſt diuinæ prouidentiæ ſuauitatem & efficaciam, prærequirere conditionis ſcientiæ ductum, quo præeunte conſequitur, vt infallibiliter & liberè fiat, quod vult fieri liberè, & quanta libertate vult fieri.

Veruntamen exacta prouidentiæ cum libertate concordia, nec non quidditatiuus & intrinſecus modus prouidendi liberis operationibus, intimè penetrari non poterit; niſi probata & explicata duplici ratione, ſeu via prædefiniendi bonas operationes, ac prædefiniendi permiſſionem peccatorum, quod ipſum eſt infallibiliter permittere. Id quod obſeruare fuit duobus præcedentibus tomis de ſcientia & voluntate Dei, vbi diuinæ voluntatis efficacitas inſuperabilis, certitudo prædefinitionis, aut prædeſtinationis, & infallibilitas permiſſionis frequenter nobis obiectæ, tunc autem obiter expeditæ, ſuo iure poſtulant, vt aliquando tandem in propria ſede pleniùs differantur, veluti præſtantiſſimum caput totius prouidentiæ. 4.

Prædefinitionem autem aliquando Patres reſtringunt ad omnes tantùm effectus, quos Deus operatur, prorſus independenter à qualibet libertate creata: vt Damaſc. lib. 2. fidei cap. 30. declarandus infrà diſp. 27 ſect. 5. & diſp. 28. ſect. 4. fine. Nos autem ob maiorem commoditatem expediendi negotij, quod aggredimur, & iuxta communiorem modum loquendi Theologorum huius ætatis, prædefinitionem in ſequentibus diſputationibus accipimus pro illa tantùm prouidentiæ parte, quæ diſponit fieri actiones liberas, ſiue naturales fuerint, ſiue ſupernaturales. Aliquis enim eſt prouidentiæ modus, quaſi genericus, & vtriſque communis, de quo potiſſimum tractamus in præſenti. 5. *Prædefinitionem quandoque reſtringunt Patres.* *De qua prædefinitione ſermo futurus.*

Pro clariori quoque rerum tractandarum notitia præmoneo, duplicem infallibilitatis rationem interuenire poſſe, ſiue in prædefinitione bonarum operationum, ſiue in prædefinitione permiſſionis peccatorum. Altera ratio infallibilitatis fundatur in mera ſcientia media, dictante, quid hæc voluntas faceret, ſi conſtitueretur in his circunſtantiis abſque vlla infallibilitate connexionis: interuenientis inter circunſtantias & electionem, 6. *Duplex infallibilitatis ratio.*

nem, ſed potiùs cùm ex vi circunſtantiarum non magis poſſet colligi talis electio, quàm eius oppoſitum. Altera infallibilitatis ratio fundatur in connexione, moraliter infallibili, per quam talis electio libera ſequitur infallibiliter ex voluntate cum tali connexione omnium circumſtantiarum.

Infallibilitas connexionis vaga, & determinata.

Eſt autem duplex infallibilitas connexionis; alia videlicet vaga, quæ refertur ad varias temporis partes, vel ad varias operationes diſiunctim (de qua dicemus diſputatione octaua.) Alia verò eſt infallibilitas connexionis determinatæ, per quam electio libera hîc & nunc infallibilitate morali ſequitur ex hac voluntate, talibus motiuis & circunſtantiis affecta & impulſa, de qua dicendum erit diſp.10.

7. Præſens itaque tractatus, octo ſequentibus diſputationibus, tractabit primùm de prædefinitione in communi, & eius infallibili certitudine, abſtrahendo à prædictis differentiis infallibilitatis: probabit poſtea infallibilitatem vagam, deinde verò infallibilitatem in particulari cum omnibus circunſtantiis: ac poſtremò infallibilem permiſſionem peccatorum. Nam eorum neque malitiam, neque materiales actiones, contrarias diuino præcepto, prædefiniri poſſe, monſtratum eſt abundè præcedenti tomo de voluntate Dei à diſput.26. vſque ad 51. De illa tandem certitudine prædefinitionis, cuius fundamentum eſt ſola ſcientia media ſine connexione liberæ volitionis, cum motiuis & circunſtantiis, dicendum eſt diſp.9. ſect.1. præterea, quæ dicta ſunt tomo de ſcientia Dei diſp.69. ſect.5.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm Deus prædefiniat liberas operationes, quæ bonæ ſunt.

SECTIO I.

Poſſibilem eſſe prædefinitionem bonarum operationum.

1. NVNC in communi de prædefinitione tractamus, abſtrahendo ab ea quæſtione; vtrùm operationes bonę prædefiniantur in particulari cum omnibus circumſtantiis determinatè, vel prædefiniantur vagè; rurſus abſtrahendo ab altera quæſtione: vtrùm ſupernaturales tantùm operationes, vel etiam naturales; & vtrùm omnes operationes, vel aliquæ ſolummodo prædefiniantur. Verumtamen vt à certioribus incipiamus, ſtatuendum eſt in primis de poſſibilitate prædefinitionis; poſtea verò de actuali exiſtentia illius.

Bonarũ actionum prædefinitio poſſibilis.

2. Sit igitur concluſio vnica, de qua dubitare non licet, quoslibet actus bonos, ac liberos Deus poteſt certò & infallibiliter prædefinire. Ad meliuş penetrandam vim & robur omnium argumentorum, quæ in hac & ſequentibus ſectionibus deſumuntur ex ſacra Scriptura & Patribus, ſupponendum eſt, quoties affirmant, Deum poſſe, ſi velit facere, vel iam feciſſe, aut facturum eſſe, vt homines operentur aliquos actus virtutum; eo ipſo docere prædefinitionem eorumdem actuum. Quoniam prædefinitio eſt ille actus voluntatis, ac potiſſimum intellectus diuini, quo Deus ordinat, & efficaciter imperat talium effectuum executionem; vt oſtendimus tota diſputatione 3.

Quo ſuppoſito cõcluſio probatur primò, Mat.3. 3.
Potẽs eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Lucæ 18. *Quis poteſt ſaluus fieri? quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.* 2 Cor.9. *Potens eſt autem Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Epheſ.3. poſtquam precatus fuerat omnium virtutum plenitudinem, addit Apoſtolus: *ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus, aut intelligimus.* Rom.11. *Potens eſt Deus inſerere illos,* videlicet in bonum oleum. Rom. 14. *Potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* videlicet in perpetua mandatorum obſeruantia. Et Iudas in fine canonicæ: *Ei autem, qui potens eſt vos conſeruare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos.*

Secunda probatio non minus valida, quàm 4.
ſubtilis, attingitur ab Apoſtolo, quoniam qui promittit prudenter, non promittit, niſi quæ poſſunt ab ipſo fieri, ſiue per ſe ſolùm, ſiue per alias perſonas, faciendo, vt illæ faciant, quod ipſe promiſit. Hoc argumentum virtualiter continetur in illa fide, quam tantopere commendat in Abrahamo Roman.4. *Pleniſſimè,* inquit, *ſciens, quia, quæcumque promiſit* (Deus) *potens eſt & facere.* Loquitur autem de fide totius Eccleſiæ, per Chriſti Domini gratiam impleta, ſicut Abrahæ fuerat promiſſa. Eius autem rationis robur expreſſit Auguſtinus lib. de Prædeſtinat. ſanctor. cap.2. verſùs finem: *Cauendum eſt*, inquit, *ne homo ſe extollat aduerſùs Deum, cùm ſe dicit facere quod promiſit Deus. Nónne fides gentium promiſſa eſt Abrahæ, & ille dans gloriam Deo, pleniſſimè credidit. Quoniam qui promiſit, potens eſt & facere. Ipſe ergo fidem gentium facit, qui potens eſt facere, quod promiſit.*

Eadem verba luculentiùs ponderat in eodem 5.
lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap.10. in medio, dicens: *Quando ergo promiſit Deus Abrahæ in ſemine eius fidem gentium, dicens: Patrem multarum gentium poſui te. Vnde dicit Apoſtolus: Ideo ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini: non de noſtra voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim, quod ipſe facturus fuerat, non quod homines: quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, vt illi faciant, quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipſe faciat, quod promiſit: alioquin vt Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod à Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ.* Semper itaque Auguſtinus inſiſtit in eo principio, quòd fidei opera, quæ promiſit Abrahæ, Deus ipſe facturus eſt, & promiſſa redditurus, faciendo, vt homines faciant.

Quod etiam confirmat, quoniam *non ait* (Apo- 6.
ſtolus) *prædicere, non ait præſcire: nam & aliena facta poteſt prædicere, atque præſcire; ſed ait, potens eſt & facere: ac per hoc facta non aliena, ſed ſua;* vnde tandem collige, quòd Deus non ſolum facit opera fidei, quæ per charitatem operatur, ſed etiam facit ipſam fidem, & illius initium. Vnde ſequenti capite 11. infert, *vtrumque in Dei eſſe poteſtate, & quod iubet, & quod offertur.* Tractans eundem locum Proſper lib. 1. de vocat. gent. cap.20. fine: *Quis,* inquit, *iam alienus eſt à fide Abrahæ, qui promiſſionem Dei aut non impleri, aut ab alio præter eum, qui promiſit, dicat impleri: ille quidem erit mendax, Deus autem eſt verax.*

Probatur

7. Probatur tertiò, ex efficacitate diuini Verbi, & imperij, vnde Chryſoſtomus hom. 2. in Pſal. 50. col. 5. *Si Deus*, inquit, *dixerit adultero: Iam nolo, vt adulter ſis; verba ſtatim vertuntur in opera. Si dixerit fornicatori: Fornicari ceſſa ab immunditia tua; illicò mens eius in melius mutatur. Et vt ſcias, quia ita eſt, dixit: Fiat cœlum, & factum eſt cœlum, præcipit fieri terram, & verbum eius in opere ceſſit. Volo fieri luminaria, ſtatim facta ſunt, & aſtris completum eſt cœlum, ſol & luna præcepto eius conſummant curſum ſuum. Volo fieri Angelos, & in puncto horæ tanta millia facta ſunt. & qui ex nihilo hæc omnia fecit, ſi vult, ſermone ſuo tua peccata non valet ſoluere; & poſt pœnitentiam in angelicum conſtituere gradum?* Valet igitur Deus in perditiſſimis hominibus, quencumque, licèt altiſſimum virtutis gradum infallibiliter prædefinire. Nam, vt poſt pauca ſubiungit, *Si Deus voluerit, nullus impediet.*

8. Hoc totum argumentum virtualiter & eminenter continet 2. Cor. 4. *Deus, qui dixit, de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris*, vt ponderat Fulgent. de Incarn. & grat. c. 19. poſt med.

9. Quartò ex efficacitate diuinæ voluntatis ita probat Auguſt. in enchiridio cap. 97. fine: *Vbi eſt illa omnipotentia, qua in cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit; ſi colligere filios Ieruſalem voluit, & nō fecit: An potiùs & illa filios ſuos ab ipſo colligi noluit? Sed ea quoque nolente, filios eius collegit ipſe, quot voluit; quia in cœlo & in terra non quædam voluit, & fecit; quædam verò voluit, & non fecit: ſed omnia, quæcumque voluit, fecit. Quis porrò tam impiè deſipiat, vt dicat, Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonum non poſſe conuertere?* Eandem ſententiam inſeruit Gloſſa ordinaria Rom. 9. ad illa verba, *Non volentis, neque currentis.* Obſerua præcipue poſtremam illam propoſitionem, quæ ſub generaliſſimis circumſtantiis perſonarum, temporum, & locorum comprehendit cæterarum omnium circunſtantiarum collectionem. Quapropter Auguſtinus docet, eſſe poſſibilem prædefinitionem liberæ volitionis in particulari cum omnibus circunſtantiis, de qua dicemus diſp. 9. ſect. 7. initio.

10. Hieron. Matth. 9. ſubitam illius conuerſionem exponens, ait: *Dominus omnium creaturarum, ad ſe trahere poterat, quos volebat.* Ambroſius Lucæ c. 9. ſuo lib. 7. c. 5. propius ad princip. quàm ad med. de Samaritanis, non recipientibus Chriſtum, ait: *Si voluiſſet, ex indeuotis deuotos feciſſet.* & poſt pauca: *Dominus quos dignatur, vocat; & quem vult, religioſum facit.* Quo teſtimonio vtitur Auguſt. de bono perſeu. c. 19. & lib. 1. de grat. Chriſti c. 46. vbi exclamat: *O cenſura hominis Dei, ex ipſo hauſtum fonte gratiæ Dei.* & in fine concludit, niſi à Deo fiat, vt homo faciat opera religionis, neminē ea facere.

11. Confirmatur, nam efficacitati diuinæ voluntatis nullū arbitriū reſiſtit. Vnde Aug. de corrept. & grat. c. 14. ſub initium ait: *Volenti ſaluum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium, ſic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* & paulo inferiùs Auguſtinus: *De ipſis*, inquit, *hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult facit.*

12. Baſilius apud Petr. Diacon. de incarn. & grat. Ieſu Chriſti c. 8. in oratione, quam tota Orientalis Eccleſia frequentabat: *Malos quæſumus*, inquit, *bonos facito: bonos in bonitate conſerua; omnia enim potes, quem enim volueris ſaluas, & non eſt, qui reſiſtat tibi.* Sed impoſſibilitas reſiſtendi bonitati diuinæ ex profeſſo declarata eſt, & probata præcedenti tomo de voluntate Dei diſputatione 18. & 19.

13. Probatur quintò, nō auerſas etiam & aduerſas voluntates Deus conuertere poteſt: vt Auguſtinus docet de gratia, & lib. arb. cap. 14. in medio. *Rectiſſimè credimus*, inquit, *etiam peruerſas, & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum poſſe conuertere: liberum quidem hominis arbitrium pulſatur, vbi dicitur: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* (Pſalm. 94.) *ſed niſi poſſet Deus etiam duritiam cordis auferre, non diceret per Prophetam: Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum.* Cyrillus Ieroſolymitanus in Præfatione ad catecheſes fine: *Potens eſt*, inquit, *Deus, qui nouit corda veſtra, & ſcit, quis ſit verus, quis verò ſimulator: germanum quidem ſuum ſeruare, hypocritam verò fidelem efficere, ſi modò cor illi præbuerit.* & catecheſi 16. ante med. *Alius temperantiam corroborat, alium inſtruit ad eleemoſynam, alium docet ieiunare & exerceri ad martyrium.* Aliiſque pluribus effectibus enumeratis, concludit cum Apoſt. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis, prout vult.* Et inter med. & fin. eiuſdem catechiſ. *Reſpice magnum hunc præſulem, & gratiarum parochum* (id eſt, exhibitorem) *quomodo in vniuerſo mūdo alij quidē caſtitatem, alij ſtudiū paupertatis, alij vim repellendi aduerſarios ſpiritus tribuit.*

14. Probatur ſextò, quoniam Deus poteſt efficere, vt humana volūtas nullis tentationibus ſuccumbat, ſed perſeueret in gratia: vt Auguſt. de bono perſeuer. c. 8. fine: *Poſſibile eſt*, inquit, *Deo auerſas & aduerſas in fidem ſuam hominū conuertere voluntates, & in eorū cordibus operari, vt nullis aduerſitatibus cedant, neq; ab ipſo aliqua ſuperati tentatione diſcedāt.* Id quod Gamaliel confirmat Act. 5. perſuadens, Iudæorum perſecutionem nihil aduersùs Apoſtolorum conſtantiam eſſe valituram. *Quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur; ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud.*

15. Confirmatur, nam eos etiam homines, qui de facto ceciderant, potuit Deus efficaciter ſuſtentare, vt infallibiliter euitarent lapſū, vnde Proſper lib. 2. de vocat. gent. c. 28. de Petro negatore ſic loquitur. *Potuit Deus hanc firmitatem animi præcipuo conferre diſcipulo, vt ſicut ipſum Dominum nihil ab explendo paſſionis propoſito deterrebat: ita neque Beatum Apoſtolum vlla tunc formido ſuperaret.*

Peccantes ſuſtentare potuit Deus.

16. Generaliùs idem dogma cecinit Prudentius in Hamartigenia, propius ad med. quàm ad finem:

Inuito ne aliquis potis eſt peccare tonante?
Cui facile eſt in corde hominis componere ſenſus,
Quos libeat, fibráſque omnes animare pudicis
Pulſibus, & totum venis infundere honeſtum.

17. Probatur ſeptimò, nam eos etiam homines, quos de facto reprobauit, potuit Deus prædeſtinare, vt nunquam peccarent, vel vt conuerterentur, & æternam ſalutem conſequerentur. Vnde Auguſt. lib. 11. ſuper Geneſ. ad lit. cap. 10. ait: *Sed poſſet ipſorum voluntatem in bonum conuertere, quoniam omnipotens eſt, poſſet planè. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur non voluerit, penes ipſum eſt.* quam eandem poteſtatem Dei, & voluntatem defendit Fulgent. de incarn & grat. c. 28. & 29.

Reprobi potuerunt prædeſtinari.

18. Idem confirmant primò plurima teſtimonia Auguſtini, Proſperi, Fulgentij, & aliorum Patrum; imò & Apoſtoli Rom. 9. & 11. quibus ad inſcrutabilia Dei iudicia refertur ratio diſcriminis, propter quam Deus plurimos homines interire permittat, etenim ſi Deus illos non potuiſſet efficaciter conuertere, atque ſaluare; promptum eſſet huius diſcriminis reddere rationem ex im-

poſſibilitate deſumptam: nec opus eſſet confugere ad altitudinem ineuitabilem iudiciorum Dei. Vide quæ retulimus tomo de ſcientia Dei diſput. 59. præſertim ſect. 8.

19. Confirmatur ſecundò, nam idem Auguſtinus de Prædeſt. Sanct. c. 8. paulo poſt med. *Etſi illos*, ait, *quibus ſtultitia eſt verbum crucis, vt ad Chriſtum venirent, docere voluiſſet, proculdubio venirent & ipſi. Non enim fallit, aut fallitur, qui ait: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.*

Ioan. 6.

20. Confirmatur tertiò, ex Proſpero lib. 1. de vocat. gent. c. vlt. dicente. *Quantumlibet impiorum malignitas accuſetur, reſiſtens gratia Dei; nunquid probabitur eam, quibus eſt collata, meruiſſe? aut illa virtus gratiæ, quæ ſibi quos voluit ſubdidit, conuertere eos, qui inconuertibiles permanſere, non potuit?* Idem Proſper epiſtola de libero arb. ad Ruffin. inter med. & finem: *An dicendum eſt*, inquit, *voluntati Dei humanas obſiſtere voluntates, & tam feros, támque intractabiles horum hominum mores, vt Euangelium ideò non audiant, quia prædicationi impia corda non pateant? & quis iſtis corda mutauit, niſi qui finxit ſigillatim corda eorum.*

21. Similiter Petrus Diaconus de incarn. & gratia Ieſu Chriſti c. 7. & 8. tradit, quòd Deus, ſi vellet, potuiſſet omnes homines bonos facere, & ſaluare. Eandem doctrinam ſæpe repetit gloſſa toto c. 9. ad Rom. peculiariter verſu, *Quid adhuc queritur?* ait: *Talis erit vnuſquiſque, qualem vult Deus eſſe.*

22. Probatur octauò, nam quod in particulari de Tyriis, & Sidoniis, & de Corozain, & Bethſaida docent Proſper, Auguſtinus, & alij Patres, idem propter rationis paritatē affirmatur de quibuſlibet hominibus. Proſper itaq; ad excerpta Genuenſium, reſponſione 8. poſt medium: *Manifeſtiſſimè ſcimus*, inquit, *non ſolùm Tyrios & Sidonios, ſed etiam Corozain, & Bethſaida potuiſſe conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, ſi hoc in eis Dominus voluiſſet operari. Neque enim vlli falſum videri poteſt, quod Veritas ait: Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. &, Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum, illis autem non eſt datum. &, Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. &, Sicut Pater viuificat mortuos, ita & Filius quos vult viuificat.*

23. Auguſtinus de Bono perſeuer. c. 14. propius ad principium, quàm ad med. aſſerit, *in maſſa perditionis Tyrios & Sidonios fuiſſe relictos, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent. Sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent, eſt negatum.* Et paulo inferiùs de Iudæis excæcatis ſubiungit: *Nec iſtis obfuiſſet, quòd non poterāt credere, ſi ita prædeſtinati eſſent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.*

24. Nonò eandem veritatem probat certitudo & generalitas ſpei. Liceret enim alicui perditiſſimo, & obſtinatiſſimo deſperare; niſi Deus poſſet quemlibet conuertere, atque ſaluare. Hanc rationem attigit Cœleſtinus Papa epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ, cap. 2. dicens: *Deſperat de clementia Dei, qui eum ad ſubueniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credit.*

Spei certitudo, & generalitas.

25. Probatur decimò communi Scholaſticorum conſenſu. D. Th. 1. p. q. 111. art. 2. corp. ait: *Solus Deus efficaciter poteſt mouere voluntatem.* Nec dubiū, quin intelligat quēlibet: vt colligitur ex aliis plurimis locis, quorū aliquos ſtatim citabimus.

26. Duo ſunt Scripturæ teſtimonia, quibus præcipuè Scholaſtici communiter confirmant, quòd Deus poſſit immutare voluntatem, & facere, vt inclinationi voluntatis ſuccedat contraria inclinatio, per quam voluntas ſeipſam liberè moueat ad quamcumque partem Deus voluerit: videlicet Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini*, de quo dicemus tomo ſeq. tractantes de cauſa totali prædeſtinationis, & Lucæ 14. *Compelle eos intrare*, de quo dicemus diſputat. 12. Ita D. Thom. de verit. q. 22. art. 8. corp. & ad argumenta, & art. 9. corp. & in fine ſolutionis argumentorum, necnon 1. 2. q. 112. artic. 2. ad 2. & q. 113. art. 7. corp. Quem ſequuntur omnes eius diſcipuli. Bonauent. 2. diſt. 25 parte 2. art. vnico q. 5. corp. D. Anton. 1. p. tit. 4. c. 2. §. 9. Ægidius 2. diſt. 25. q. 1. art. 3. dum reſpondet ad argumenta dubij lateralis §. *Aduertendum.* Argentina in eadem diſt. 25. q. vnica art. 4. in medio. Richardus in eadem diſt. 25. art. 4. q. 2. corpore, & ad arg. in 1. diſt. 47. art. vnico q. 1. corp. & ad 2. & diſt. 40. art. 3. q. 3. Conradus 1. 2. q. 36. art. vlt. ad finem corporis. Gabriel. 2. diſt. 25. q. vnica, art. 3. dub. 1. propoſ. 2. Maiorin. 1. ſent. diſt. 1. q. 15. prope finem, & conſonat in 2. diſt. 28. q. 1. ad 7. Idem docet Nicolaus de Orbellis 2. ſent. diſt. 25. fine. Rich. art. 7. contra Luther. propius ad princ. quàm ad med. pag. 301. & longè inferiùs inter principium, & med. eiuſdem articuli. pag. 812. in medio, Driedo de redempt. generis humani tract. 2. part. 1. conſider. 1. ad finem, eandemque doctrinam multoties repetit tam in eodem libro de redemptione, quàm in libro de concordia gratiæ & liberi arbitrij, & lib. 1. de grat. & libero arb.

Idem fatentur omnes noſtri Doctores, aduersùs phyſicam prædeterminationem diſputantes, & à fortiori colligitur idem ex iis, qui docent prædefiniri quaſlibet actiones bonas in particulari cum omnibus circumſtantiis, quos referemus diſp. 9. ſect. 2. Idem ſupponunt Ocham in 1. diſt. 41. q. vnica, poſt med. & Gabriel ibid. art. 1. concl. 3. tractantes de inſigniter prædeſtinatis per ſpecialem gratiam, qui præueniuntur, ita vt non ſit poſſibile, eos damnari. 27.

SECTIO II.

Prædefinitione Dei cauſari quælibet opera pietatis, probatur ex electione, ſorte & diſcernente cauſa.

QVam præcedenti ſectione probauimus eſſe poſſibilem, eandem iam aggredimur probare, bonorum operationum prædefinitionem actualiter exercere, Deúmque pro ſuo beneplacito decreuiſſe ab æterno efficaciter cauſare liberas operationes honeſtas prius ratione, quàm illas præuideret, vt abſolutè futuras. Intelligimus autem, talem eſſe cauſalitatem, & efficaciam huius decreti, ex qua infallibiliter ſequatur liberi arbitrij operatio; infallibilitatem verò ſemper eam intelligimus, quæ procedit ex diuina præſcientia, atq; propoſito, ſuppoſita ſcientia conditionata; non verò infallibilitatem, quæ ratione cauſalitatis præcisè imponat antecedentem neceſſitatem. 1.

Prædefinitio liberarum operationum ante ſcientiam.

Rurſus quæ dicenda ſunt, intelligimus non ſolùm de hominibus, qui ſunt abſolutè prædeſtinati, videlicet, ad finalem gratiam, & gloriam; ſed etiam de hominibus, qui licèt abſolutè ſint præſciti, & reprobi, propter finale peccatum; nihilominus ſecundùm quid prędeſtinati ſunt ad fidem, vel etiam, ad charitatem aliquo tempore habendam, vel ad aliquod ſaltem opus pietatis quantumcumque inchoatum & imperfectum. Sed quoniam ingens eſt numerus atque moles argumentorum, 2.

Google

mentorum, quæ huiuſmodi prædefinitionem probant; viſum eſt illa omnia reuocare ad præcipua capita, & in ſequentes ſectiones diſtribuere.

3. *Prædeſtinatorum & electorum à reprobis diſcrimen ex Dei electione ante merita.* Primum caput eſt eorum teſtimoniorum Scripturæ, quibus fides, ſãctitas, & quodlibet diſcrimẽ Sanctorum à reprobis, reducitur ad electionem gratuitã, vt Ioannis 13. cùm dixiſſet Dominus: *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* ſubiungit: *Non de omnibus vobis dico. Ego ſcio, quos elegerim.* Quæ verba cum præcedentibus non cohærerent, niſi electorum proprium foret, quòd Deus re ipſa, & cum effectu conferat, ea quæ ſcit, eſſe neceſſaria, vt beatitudinem conſequantur. Vnde Aug. tract. 59. in Ioan propè initium: *Eſt,* inquit, *inter vos, qui non erit beatus, neque faciet ea, & ego ſcio, quos elegerim: quos, niſi eos, qui beati erunt, faciendo, quæ præcepit, ac facienda monſtrauit, qui efficere beatos poteſt? Non eſt igitur traditor Iudas electus.*

4. Secundò idem conſtat Ioan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Vbi Aug. tract. 86. à medio. *Hic certè,* inquit, *vacat vana illorum ratiocinatio, qui præſcientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, & ideo dicunt, nos electos ante mundi conſtitutionem, quia præſciuit nos Deus futuros bonos, non ſe ipſum nos facturum bonos.* Et poſt nonnulla de eodem argumento concludit: *Hæc igitur gratia non inuenit, ſed efficit merita; & videte, quemadmodum non eligat bonos, ſed quos elegit, faciat bonos.* Vrget idem argumentum lib. de præd. Sanct. toto c. 17. & c. 19. prope med.

5. Tertiò probatur Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Quod profectò non propterea dictum eſſe, quia præſciuit Deus credituros, ſed quia facturus fuerat ipſe credentes, probat Aug. de prædeſt. Sanct. c. 17. ante medium, & toto c. 18. cuius hic eſt ſcopus: *Non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus. Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans, vt tales per gratiam eius eſſemus.* Quod etiã confirmat ſeq. cap. 19. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. col. 4. dicens: *Non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius; ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes; ideo inuenit opera quæ iam eligat ad regnum cælorum.*

6. Probatur quartò Matth. 24. vbi ad declarandam perſecutionis acerbitatem, ſub Antichriſto futuram, dicit: *Ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Vnde primùm colligo, reliquos, eo ipſo quòd electi non ſint, in errorem fore inducendos infallibiliter. Secundò colligo, electos non poſſe in errorem induci, idque ratione electionis, & non ratione præſcientiæ, vt ſupponunt huius loci expoſitores: & Aug. ad Heſichium epi. 80. Greg. lib. 14 Moral c. 12. & colligitur ex ſeqq. verbis: *& niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro; ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Electio itaque cauſa eſt circunſtantiarum, quibus ab errore liberantur electi; neque ſupponit præuiſam immunitatem ab errore. Quod clariùs indicat Marcus c. 13. dicens: *Niſi breuiaſſet Dominus dies, non fuiſſet ſalua omnis caro; ſed propter electos, quos elegit, breuiauit illos.*

7. Probatur quintò, Iacobi 2. *Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni.* Quod ita exponit Auguſt. de prædeſt. Sanct. c. 17. ad finem. *Eligendo ergo Deus facit diuites in fide, ſicut & hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos elegit.*

8. *Obiectio.* Obiicies, quod Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 2. col. 4. ait: *Nemo eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reiicitur. Vnde quod dictum eſt: Quia elegit nos Deus ante mũdi cõſtitutionẽ; nõ video, quomodo ſit dictũ, niſi præſciẽtia.*

Solutio. Reſpondetur, non intendit Auguſtinus, eligẽdi à reiiciendo diſtantiam præſupponi præcognitam vt abſolutè futuram tanquam rationem eligendi vnum, & reiiciendi alterum. Hoc enim Auguſtinus refutat non ſolùm aliis in locis, ſed etiam in eadem quæſtione, vt ſuper retulimus. Sed illius commentarius hic eſt; Nemo eligitur ad gloriam, niſi ab eo, qui reiicitur, iam diſtet per bona opera ſupernaturalia, quæ Deus illi decreuit infallibiliter conferre; non verò alteri homini, qui reiicitur. Atq; inde fit vt præſcientia electionis ante mundi conſtitutionem, videlicet præſcientia illius boni, quod Deus decreuit in nobis facere: quæ præſcientia practica eſt, & meritorum factiua, ideóque prior eſt quolibet merito. De qua ſcientia diximus abunde tota diſp. 3. Pluribus aliis difficultatibus, cum hoc argumento coniunctis, ſatisfaciemus tom. ſeq. tractates de cauſa prædeſt.

9. Hoc igitur ſenſu Anſelmus vtramque ſententiam Auguſtini non quaſi repugnantem, ſed quaſi bene cohærentem attexuit commentario epiſt. ad Rom. c. 9. ad illa verba: *Antequam aliquid egiſſent boni aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret. Non enim dicit* (Apoſtolus) *electionem voluntatis humanæ, vel naturæ; compar enim eſſet in vtroque mortis damnationiſque conditio; ſed electionem proculdubio gratiæ, quæ non inuenit eligendos, ſed facit. Propoſitum iuſtificationis manet non ſecundum debitũ, ſed ſecundum gratiæ electionẽ, qua eligendos facit Deus, non inuenit, quia nequaquam inuenit, opera bona in hominibus, quæ eligat, ſed facit, vt ipſi faciant opera, quæ poſſit eligere. Nemo autem eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reiicitur.* Eam igitur diſtantiam bonorum operum quam prærequirit electio ſtrictè ſumpta, facit alia prior electio, ſiue propoſitũ efficax faciendi, vt eligendi faciant bona opera.

10. Conſonat Bernardus ſer. 67. in Cantica, Deum inducens, ita cum Eccleſia loquentem: *Neque vt te eligerem tua merita inueni, ſed præueni.* quod fuſiùs perſequitur tam ibi, quàm ſerm. 78. in Cantica.

11. *Sortis analogia* [illegible] Secundum caput, præcedenti proximum, continet analogiam ſortis. Pro qua ſupponendum eſt tum ex natura rei, tum etiam ex vſu Scripturæ ſacræ, eam eſſe vim ſortis, vt oſtendat, quid tribuendum ſit vnicuique perſonę quando vel nulla ſubſiſtit, vel ignota eſt ratio ſufficiens, ob quam vni potius, quàm alteri munus aliquod tribuatur. Rectè quippe Ambroſius in exhortatione ad virgines prope medium: *Videtis,* inquit, *myſteria, videtis gratiam Chriſti, gratiam Spiritus ſancti, quæ velut qualam ſorte defertur: quoniam non ex operibus, ſed ex fide vnuſquiſque iuſtificatur à Domino. Sicut enim ſortis euentus non in noſtra eſt poteſtate, ſed quem caſus detulerit: ſic gratia Domini non quaſi ex mercede meriti, ſed quaſi ex voluntate defertur. vnde & Apoſtolus ait de diuiſionibus gratiarum, quæ diuerſo modo Dei ſeruulis deferuntur. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* 1. Cor. 12. *Prout vult, inquit, non prout debetur.*

12. *Sors non ab humanis meritis, ſed ab electione diuina.* Confirmatur primò, quia non ab humanis meritis, vel induſtria, ſed ab electione diuina ſortem prouenire, clariùs colligitur Actuũ 1. in fine: *Oſtende quẽ elegeris ex his duobus vnũ.* Deinde verò *cecidit ſors ſuper Matthiam.* Obſeruandum eſt illud, *cecidit*, denotans caſum, ſeu fortuitum euentum comparatione Mathiæ, qui non potuit eſſe per ſe cauſa illius electionis. Quapropter cùm omnis euentus fortuitus, vel caſualis reducendus ſit in aliquam priorem per ſe & cauſam (vt ex Ariſt. Auicen. & S. Thom. oſtendimus ſupra diſp. 2. ſect. 7. versùs fin.) conſequens eſt, vt ſola diuina electio

fuerit prima . per ſe cauſa determinans, vt ſors illa eccid . . Et quamnis id maximè verificet . . præueniente, quoniam nollo mo . de- . . . ſiet ab exercitio libertatis human . ; nihilominus verificatur etiam de liber . . ctionibus pietatis, quatenus diuina . . ctione prædefiniuntur, vt infallibiliter fi . . æ. Rectè igitur Aug. in Pſal. 30. ad verſu . . ſtrà confirmatione 5. citandum, ex prædi . . verbis Actorum primo colligit, vnum di . . no iudicio electum fuiſſe ex duobus electis iudicio humano.

13. Confirmatur ſecundò, nam comparatione cuiuſlibet arbitrij creati, fortuitam eſſe contingentiam diuinæ electionis ad gratiam, ſignificatur Pſalm. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, ideſt, *ſorte ceciderunt*, vt exponit Auguſt. ibi. nam Deus *ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis*, Pſal. 77. vnde & Chaldæos legit, *ſortes ceciderunt mihi in dulcedine*; ideo caſus, (vt Haymo notat in hunc locum) indicat arcanum prædeſtinationis myſterium, cuius proprios effectus præcedens & ſequẽs verſus indicat. *Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* Porrò non ſolùm caſum fortuitum eſſe comparatione hominum; ſed etiam eſſe conſilium diuinæ prædeſtinationis, vno verbo ſignificauit Eccleſiaſticus c. 17. dicens: *deſtinauit illis ſortem veritatis.* Nec prætermittit liberam arbitrij cooperationem excitare, poſt pauca ſubiiciens: *ſta in ſorte propoſitionis, & orationis altiſſimi Dei.*

14. Confirmatur tertiò. nam, vt ſapienter exponit Beda in commentariis Prouerbiorum, quæ tribuuntur Hieron. c. 18. versùs finem; *Sors eſt occulta, & incomprehenſibilis prædeſtinatio, ex diuina regula procedens. Quæ inter potentes, hoc eſt, electos, dum ſingulis propria aſſignat, diiudicat.* Sic etiam ſortem ad electos refert Ambroſius lib. 4. epiſt. 16. ad Irenæum inter princip. & med.

15. Confirmatur quartò. nam in veteri lege, quoniam Dei authoritate mittebantur ſortes, ideo vim habebant oſtendendi diuinam voluntatem, vt conſtat Ioſue 18. & 19. vnde Prouerb. 16. fine: *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.*

Sors hæreditatem ſignificat. Sors etiam in Scriptura ſacra nonnunquam hæreditaté ſignificat. inde accepta occaſione, quoniam promiſſionis terra ſorte diuiſa fuit Ioſue 13. & 19.

16. Hinc ergo in nouum Teſtamẽtum deriuata eſt

Sors gratuita dona ſignificat. & tranſlata ſignificatio ſortis ad ſignificanda gratuita dona, præcipuè verò fontem illorum, videlicet electionem Dei: quoniam hæreditas eſt & pars nobis obueniens, non conſilio noſtro, aut diligentia, ſed ſolius Dei beneplacito. Ideo Paulus Epheſ. 1. *In quo & nos*, inquit, *ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum voluntatis eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.*

17. Rurſus Coloſſ. 1. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.* Vnde Proſper epiſt. ad Ruff. circa med. *Hoc*, inquit, *tanto & tam ineffabili bono nemo inuentus eſt dignus; ſed quicumque electus eſt à Deo, factus eſt dignus: ſicut dicit Apoſtolus: Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum.* Vnde idem dogma colligit 2. de vocat. gent. c. 15. Petrus verò Simonem Magum Actuum 8. ſic repulit: *Non eſt tibi pars, neque ſors in fide hac.* & Actuum 26. *vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos.*

18. Confirmatur quintò. nam de electione diuina præſertim intelligendum eſt illud Pſal. 30. *In manibus tuis ſortes meæ.* Vbi Aug. *Sortes dixit, quantum ego exiſtimo, gratiam qua ſaluati ſumus. Quare ſortis nomine appellat gratiam Dei? quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. Nam vbi dicitur: Iſte facit, iſte non facit, merita conſiderantur: & vbi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra inuenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſaluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc eſt ſors.*

Teſtium caput eſt cauſa diſcernens, cauſánſque diſcrimen iuſtorum ab impiis. de qua 1. Cor. 4. 19.

Cauſa diſcernens iuſtos. *Quis enim te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti?* nam diuinam electionem abſque meritis humanis eſſe cauſam, quę diſcernit, & tribuit quæcumque accipimus. Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & alij Patres inde frequenter colligunt, quorum plurima teſtimonia videbimus tomo ſeq. tractantes de cauſa prędeſt. Dubium quippe non eſt, quin per huiuſmodi prædefinitionem radicalius & plenius, quàm ſine illa, verificetur, Deum eſſe, qui bene operantes diſcernit ab iis qui operantur iniquitatem. Quamuis enim liberum arbitrium ſit ſecundaria cauſa, ſeipſum diſcernens, quatenus potuit reſiſtere Deo, vel conſentire; nihilominus hæc etiam cooperatio liberi arbitrij tandem reuocatur in Deum, tanquam in primariam cauſam ſuauiter prædefinientem.

Liberum arbitrium ſecũdaria cauſa ſe diſcernens.

Ad cauſam diſcernentem, & effectiuam diſcriminis, pertinent manſiones illæ diuerſæ, quas Chriſtus D. reuelauit Ioan. 14. init. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* De quibus Naz. orat. 33. quæ eſt prima de Theologia col pen. n. 28. ſic diſſerit: *Multæ ne apud Deum manſiones ſunt, quemadmodum Scriptura docet, an vna tantùm? Multæ, inquies, non vna. Rectè. Age verò eas ne omnes impleri, an quaſdam quidem impleri, cæteras autem minimè, vt inanes, vt fruſtrà paratas? vtique omnes. Neque enim à Deo quicquam temere atque incaſſum factum eſt. An porrò hoc quoq; dicere queas, quid tandem ſit hæc manſio? Num requies & gloria, quæ beatis in cœlo recondita eſt, an quid aliud. Nihil aliud, quàm hoc, inquies. De hoc igitur quando inter nos conſtat, illud inſuper expendamus. Eſtne aliquid, quod nobis manſiones has conciliet, vt mea eſt ſententia, an omnino nihil? Eſt ſanè, inquis. Quid nam hoc? hoc nimirum, quod diuerſa ſint viuendi genera & inſtituta, quodque pro fidei proportione alia vita aliò ducat: quas nos vias appellamus.* Deus igitur non fruſtrà & inaniter, ſed ineuitabiliter & certò parauit diuerſas manſiones & gradus gloriæ: conſequentérque decreuit diuerſas vias atque virtutes, per quas peruenitur ad illas. 20.

SECTIO III.

Diuinæ voluntatis abſolutum dominium, imperium, & cura ſeruandi ſuos, & ſibi relinquendi, probant eandem prædefinitionem.

Quartum caput eſt diuina voluntas, & eius ſupremum, abſolutúmque dominium, vt quibus voluerit ſupernaturalem vitam conferat, hoc eſt, operationes, quibus Deo ſpiritualiter viuitur. De qua vita eſt Pſal. 19. & Ioan. 5. Fulg. lib. de incarn. & grat. Ieſu Chriſti c. 31. prope finem, ita loquitur: *Sola Dei voluntas humanæ ſaluationis eſt cauſa. Ira enim in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Ira igitur eius noſtræ iniquitatis eſt meritum, vita verò noſtra voluntatis eius eſt donum: ſicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & Filius quos vult viuificat. Eoſdem autem viuificari vult, quos vult ſaluos fieri. Sic ergo quos vult ſaluat, quemadmodũ quos vult viuificat. Nihil namque voluit, & non fecit, qui, Scriptura teſte, omnia quæcunque voluit, fecit.* 1.

Diuinæ voluntatis abſolutum dominium.

Ad idem intentum probandũ Proſper in epiſt. ad Ruff. circa medium vtitur eiſdẽ verbis Ioan. 5. *Sicut Pater viuificat mortuos, ita & Filius, quos vult viuificat.* 2.

viuificat. cui meritò ſubiungit illud Matth. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* & ſuperiùs dixerat. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* 1. Corinth. 12. *Diuidens ſingulis, prout vult.* Pſalm. 17. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.*

3. Proſper in ſententia ſuper cap. 8. Gallorum, *Qui ſaluantur,* inquit, *ideo ſalui ſunt, quia illos voluit Deus ſaluos fieri.* Vniuerſaliter quòd nemo fiat ſaluus, niſi quem Deus vult ſaluum fieri; & ſaluetur quicumque, quem Deus efficaciter vult ſaluum fieri; docent multis in locis Auguſtinus, Fulgentius, Proſper, Anſelmus, & Beda, & alij, quos retulimus, & expoſuimus præcedenti tomo de voluntate Dei. diſp. 19. ſect. 8.

4. *Dei efficax imperium.* Quintum caput eſt Dei efficaciſſimum imperium, de quo Gregorius Nyſſenus orat. 5. in Cantica inter principium & medium, explicans illa verba, *ſurge, veni;* ſic exclamat: *O vim mandati huius! Reapſe Dei vox eſt, vox poteſtatis, quemadmodum in Pſalmorum libro dicitur: Ecce dabit vocem ſuam. quæ vox eſt poteſtatis: ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. En etiam modò prolatis ad iacentem verbis hiſce: Surge, ac veni, mox emendato ſit opus ipſum, ſimul enim atq; vim, poteſtatemq; ſermonis illa recepit, exurgit, & adſiſtit ei, iamque propius ad lumen accedit, quemadmodũ is ipſe teſtatur, qui eã vocat.*

5. Et inter med. & finẽ eiuſdẽ orationis: *Quoties,* inquit, *adeò tum verbum hoc, tum alterum illud* veni, *profert, toties facultatem aſcẽdendi ad potiora largitur. ſic & illa, quæ ſequuntur, intellige. Nam cùm hortatur, vt ex formoſa fiat etiam formoſior; prorſus idem vult, quod Apoſtolus præcipiens, vt eadem imago ex gloria in gloriam transformetur.* quibus conſonat Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 8. versùs medium; quando appellat *auxilium, quod per imperium ſuæ potentia operatur in nobis.*

6. *Specialis cura & prouidentia Dei.* Sextum caput eſt ſpecialis cura & prouidentia, qua Deus ſeruat ſuos, ne pereant. de qua Ioan. 10. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Vbi Auguſt. tract. 48. in Ioan. prope med. *Quid poteſt lupus? quid poteſt fur, & latro, non perdunt niſi ad interitum prædeſtinatos. De illis autem ouibus, de quibus dicit Apoſtolus: Nouit Dominus, qui ſunt eius, & quos præſciuit, ipſos & prædeſtinauit. de ouibus iſtis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit: ſecurus eſt de numero earum, qui pro eis nouit, quod dedit, & hoc eſt, quod ait: Non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

2. Tim. 2. Rom 8.

7. *1. Petri 2.* Proſper ad capita Gall. reſp. 8. poſt med. de tota collectione prædeſtinatorum ſic loquitur: *Hæc eſt Ieruſalem, quæ ab initio vſque in finem lapidibus viuis, & electis ædificatur. vt ciuitas fundata in ipſo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in Templum ſanctum in Domino. De hiis lapidibus nihil eiicitur, nihil minuitur, nihil rapitur. Veritas enim dicit: Omne, quod dat mihi Pater, veniet ad me; & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.* Et iterum, *Non creditis, quia non eſtis de ouibus meis.* Eiſdem teſtimoniis eandem veritatem confirmat 1. de vocat. gent. c. 24. ad finem, & 2. de vocat. cap. 29. ſub initium.

Ioan. 6. Ioan. 10.

8. Confirmatur primò Chriſti Domini oratione Ioan. 17. *Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur.* Vbi Cyrill. lib. 11. c. 21. ait: *Quod ſeruare poteſt, quos velis, longè à natura creaturarum abeſt.* Proprium igitur creatoris eſt vt quos voluerit, ſeruare poſſit. Et Auguſt. de corrept. & grat. cap. 9. ante medium. *Hi ergo Chriſto intelliguntur dari, qui ordinati ſunt in vitam æternam. Ipſi ſunt illi prædeſtinati, & ſecundùm propoſitum vocati; quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam; quoniam ſic eſt ordinatus, & ideo Chriſto datus, vt non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Confirmat ſecundò. Matth. 15. *Omnis plantatio, quam non plantauerit Pater meus, eradicabitur.* & 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, nã ſi ex nobis fuiſſent, permanſiſſent vtique nobiſcum.* 9.
Vnde Cyprianus lib 1. epiſtolarum epiſtol. 3. ad Cornelium, alias epiſt. 55. propius ad med. quàm ad principium docet, *Plantationem, plantatam à Deo Patre, non eſſe, quos videmus non frumenti ſtabilitate ſolidari, ſed tanquam paleas diſſipantis inimici ſpiritu ventilari. De quibus & Ioannes in epiſtola ſua dicit: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.* Vnde colligitur, infallibiliter in gratia manere, quos Pater æterna prædeſtinatione plantat, & infallibiliter perire, quos non plantat. Cæterùm ſua libera culpa perire, priùs notauerat Cyprianus, illis præſertim verbis. *Homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe vel mortem appetit, vel ſalutem.*

Auguſt. de prædeſt. Sanct. c. 16. fine, de vocatis ſecundùm propoſitum, & electis: *Iſtorum,* inquit, *nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quicquam. Quiſquis ergo inde eſt, omnino non perit, nec erit inde, qui pereat. Propter quod dictum eſt. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, ſed qui eliguntur, vt credant.* 10. *Vocati ſecundum propoſitum. Ioan 6. 1 Ioan. 2.*

Deinde lib. de bono perſeuer. cap. 8. ad finem: *Non erant,* inquit, *ex eis, quia non erant ſecundùm propoſitum vocati: non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi: non erant in eo ſortem conſecuti: non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui vniuerſa operatur. Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent.* Eadem eſt expoſitio gloſſæ & S. Thomæ 1. Ioan. 2. de qua videri poteſt etiam Gratianus cap. *ſi ex bono.* quod eſt 8. de pœnit. diſt. 4. & Bellarminus lib. 2. de gratia & libero arb. cap. 12. col. 3. §. *Denique vt alia.* Non ſolùm autem hanc expoſitionem eſſe veram, ſed etiam textui repugnare aliam, quæ intelligit, propterea non eſſe ex nobis, quoniam fictè, non verè crediderant, & iuſtificati erant; probat Aug. de corrept. & grat. c. 9. paulò poſt initium. Ex his collige, niſi referatur ad præſcientiam practicam & factiuã, non eſſe veram expoſitionem commentariorum, quæ tribuunt Ambroſ. Rom. 9 ad illud: *Iacob dilexi.* & gloſſæ ordinariæ ad illud, *vt oſtenderet diuitias.* exiſtimantium, *ideo non fuiſſe in nobis, quia iuxta præſcientiam numquã fuerunt in libro vitæ.* 11.

Septimum caput, quaſi præcedentis appendix, pertinet ad eàs reliquias, ſeu paruum electorum numerum, quem Deus merè gratis reliquit ſibi, quando cæteros homines, permittendo, tradidit in deſideria cordis eorum, & in tentationes inimici. De his Paulus ad Rom. 9. *Iſaias autem clamat pro Iſrael, ſi fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam* 12. *Electorum reliquiæ gratis relictæ.*

arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. & poſt pauca:
Iſai. 1. *Et ſicut prædixit Iſaias: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus.*

13. Clarius autem ex ſuperiori contextu conſtat ſolo Dei beneplacito decerni, vt hi homines potius, quàm illi, ſint quos Deus relinquat ſibi tanquam vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Vnde Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 2. col. antepenult. *Cæteri autem*, inquit, *tanquam perditionis vaſa debito ſupplicio perierũt: & vt nõ omnes periiſſent, ſicut Sodoma & Gomorrha, non meritum eorum fecit, ſed gratia Dei relinquentis ſemen: vnde alia meſſis toto orbe conſurgeret.* His conſonat Hieron. Iſaiæ 1.

14. Ex actione relinquendi colligitur electio merè gratuita Rom. 11. ſub initium, vbi poſito Dei ad Eliam reſponſo 3. Reg. 19. *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerũt genua ante Baal.* inde continuò colligit: *ſic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt: ſi autem gratia, iam non ex operibus.* Hæc Beda, & totidem ferè verbis Anſelmus in eius loci commentario ſic ponderant: *Non ait, Deus, relicta ſunt mihi, aut reliquerunt ſe mihi, ſed reliqui mihi: vbi non humanum opus, ſed diuina gratia patenter oſtenditur. In ſeptem vero millibus virorum, perfecta ſumma viriliter agentium exprimitur: Reliqui*, inquit, *mihi, ideſt, per gratiam reſeruaui ſeptẽ millia virorum, quia tunc erant multi, quos Deus ſibi reſeruauerat, quamuis neſciret Helias, quoniam grana latebant ſub aceruo palearũ.*

15. Addit autem vltra Bedam Anſelmus: *Sic ergo & in hoc tempore gratia facilius ſalua facta ſunt reliquia, hoc eſt, quandoquidem ante tempus gratiæ Deus tot millia ex ſua gratia reſeruauit contra opinionem S.*
Prædeſtinatio ante præuiſa merita. *Prophetæ: ergo ſic, ideſt, ſimili modo etiam in hoc tẽpore gratiæ, & prædicationis Euangelij, credendum eſt, multos eſſe quos Deus præſciuit; & ſuos eſſe prædeſtinauit, & hoc non ſecundùm humanum meritum, ſed ſecundùm electionem gratiæ, quam nulla operũ merita præceſſerũt.* Eadem planè mens eſt Aug. de prædeſt. Sanct. c. 6. lib. 1. ad Simplic. q. 2. col. antep. tract. 86. in Ioan. poſt med. lib. 5. contra Iul. c. 3. longè poſt med. & ſerm. 7. de verbis Domini ſecundùm Matth. & in id Pſal. 94. *Quia non repellet Dominus plebem ſuam.* Proſperi de vocat. gent. lib. 1. c. 10 & ad excerpta Genuenſ. reſp. 4. S. Thom. in eum locum Rom. 11.

16. Præcedenti expoſitioni contrariam eſſe putant
Auguſtiniana prædeſtinationis expoſitio. expoſitores nonnulli, quam tradit Chryſoſt. in eum locum ſerm. 18. paulo ante Morale. Cæterùm eadem ratione dicere potuiſſent, ſibi ipſis contrarios eſſe Auguſt. Anſelm. Bedam; imò & ipſum Apoſtolum. Nam prædeſtinationẽ ex præſcientia eodem ſenſu ponunt hoc loco, ſicut Chryſoſt. cuius hæc ſunt verba in prædicto ſerm. 18. paulo ante Morale. *Quid ergo vereris accedere, cùm nihil operum poſtulatus ſis? Quid propoſita gratia tumultuando contendis? Nam ſi ex lege ſaluari contendis, gratiam hanc è medio tolles.* & poſt pauca: *cùm diceret, quod nunc quoque reliquiæ ad eum modum ſecundùm electionem gratiæ factæ ſint, oſtendit & olim ſeptem millia per gratiam eſſe ſalutem adepta. Iſtud autem non ſolùm ex hoc, ſed & ex eo oſtendit, quod dicit: Reliqui mihi ipſi. Nam & ipſum oſtendentis eſt, quòd potiorem partem ad ſalutem attulerit ipſe.*

17. His aliiſq; pluribus Chryſoſtomus ibi, quem-
Electio non ex operibus, ſed ex beneplacito merè gratuito. admodum alibi ſæpe docet, electionem prouenire non ex operibus, ſed ex beneplacito Dei merè gratuito. Cæterùm quantum ad executionem illius requiri liberi arbitrij conatum & diligẽtiam, & propter eius defectum impediri ſalutem in reprobis, ſemper mouet Chryſoſtomus, ideòque in loco nuper citato continuò ſubiungit: *At dices, ſi ex gratia ſaluus eſt, cur non omnes ſaluamur? Quia noluiſtis. Gratia ſiquidem licèt gratuita ſit, volentes tamen tantummodo ſaluas, non eos, qui nolunt, qui continuò auerſantur, qui contradicunt, vides, quomodo omnino hoc probet, quod ſcilicet, impoſſibile ſit, ſermonem Dei excidiſſe, oſtendens, quòd permiſſio ad eos pertigerit, qui digni fuerunt.* Hæc igitur expoſitionis pars eſt, quę Auguſtinianæ prædeſtinationi exiſtimatur eſſe contraria.

Cæterùm optimè cum illa conſentire, probatur primò, quoniam volentes, & dignos diuinâ gratiâ fieri efficaciter homines Dei vocatione ſecundùm propoſitum, docet expreſsè Chryſoſt. 2. Theſſal. 1. hom. 3. col. 2. vt referemus ſect. 4. n. 7. & vniuerſaliter pręſcientiam dignitatis, & operis, quam Chryſoſtomus ſupponit ad prædeſtinationem, nihil pugnare cum prædeſtinatione ante præuiſa opera, vt abſolutè futura, probandum eſt infrà diſp. 27. ſect. 5. num. 20. & ſeq. 18.

Eadem concordia probatur ſecundò. nam & Apoſtolus paulo ſuperiùs præmiſerat *Non repulit* 19. Roman. 11.
Dominus plebem ſuam, quam præſciuit. vbi Beda ait: *In hac electione, & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ ſalua facta ſunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præſciuit.* Obſerua cauſalem, quam poſt pauca ſic explicat: *Nullus ergo, qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, vbi ait Apoſtolus: Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit, prædeſtinationem ſignificare voluiſſe; præſciuit enim eorum reliquias, quas ſecundùm electionem gratiæ fuerat ipſe facturus.* Nihil autem prohibuit, ne Chryſoſtomus eandem præſcientiam intelligeret in prædeſtinatione.

Probatur tertiò. nam & Auguſt. ſerm. 7. verbis 20.
Domini ſecundùm Matth ex profeſſo ponderans præſens teſtimonium ad Rom. 11. ſic loquitur: *Elegit autem, ſicut dicit Apoſtolus, & ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm illorum iuſtitiam.* Obſerua electionem factam non ſolùm ſecundùm gratiam Dei, ſed etiam ſecundùm iuſtitiam hominum. Vnde propoſitis verbis Apoſtoli, ait: *Quid eſt: Reliqui mihi? Ego illos elegi quia vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal.* Ecce manifeſtam electionis cauſam ex præſcientia fiduciæ, collocandæ in Deo.

Nihilominus hæc opera, quæ præſciuntur, ex 21.
diuina electione & cauſalitate procedere, notat, continuò ſubiungens. *Non ſunt mutati. ſic ſunt, vt à me facti ſunt: & tu qui loqueris, niſi de me præſumeres, vbi eſſes? Niſi gratiâ meâ plenus eſſes, nonne ante Baal etiam ipſe genuflecteres.* & iterum: *Sunt*, inquit, *quos elegi ſicut & te, de me ſcilicet præſumentes.* Nihilominus ſubdit: *Totum gratiæ ſemper reputa, quia vt eſſet aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit.*

Quomodo præſcientia bonorum operum, & 22.
prædeſtinatio merè gratuita conſentiant, clariùs Præſcientia bonorum operum, & gratuitæ prædeſtinationis concordia.
expoſuit Anſelmus ad Rom. 11. cùm ait: *In hac electione, & in his reliquiis eſt illa plebs, quam propterea Deus non repulit, quia præſciuit.* Obſerua cauſalem, qua nulla clarior reperitur apud Chryſoſtomum, & alios Græcos, & conſidera continuò ſubiunctam expoſitionem: *Præſciuit enim reliquias, quas ſecundùm electionem gratiæ fuerat ipſe facturus, hoc eſt, prædeſtinauit.* Plura videbimus tomo ſeq. tractantes concordiam prædeſtinationis cum libertate. conſonat Proſper lib. 1. de voc. gent. c. 10. in medio, dicens. *Plebs ergo præſcita, plebs non repulſa, hi ſunt, qui in Chriſto iuſtificati ſunt.* Cyrill. Alex. in Iſai.

Iſai.c.65.text.4.tractâs exemplum vuæ,ait:*Prouidentia Dei ſeruatus eſt, quiſquis inter illos erat ſalute per Chriſtum dignus.* Quòd autem inde colligunt aliqui, præuiſam dignitatem, fuiſſe rationem & cauſam prouidentiæ ſeruantis,demonſtrant quæ proximè ſequuntur: *Nimirum diuinus Paulus gratuita electione partem quandam deſumptam fuiſſe dicit,& ſecretione,ac ſegregatione quadam, tanquam ex amni Iudæorum regione, reliquias Iſraelis ad fidem irretitas & illaqueatas. Non ergo inquit,perdam omnes, ſed tollam ex Iacob ſemen,& ex Iuda,& excelſum reddam & ſuſcipiendum.* Perpende quanta fuerit efficacitas electionis gratuitæ,vt videatur ad fidem compellere, dum irretitos tenet & illaqueatos, quos vult excelſos reddere. Vide eundem Cyrill. lib.10.in Ioan.c.24.ad illud, *non vos me elegiſtis.*

SECTIO IV.

Vocatio ſecundùm propoſitum, & præparatio voluntatis probant eandem prædefinitionem.

1. *Vocatio duplex ex Auguſtino. Matth. 22.*

OCtauum caput conſiſtit in eo diſcrimine, quod apud Auguſtinum meritò celebratiſſimum eſt, inter duas vocationes, quarum altera ſuo fruſtratur effectu, ſecundùm quam *multi ſunt vocati,pauci verò electi.* Altera verò vocatio ſuum effectum infallibiliter ſortitur;quoniam ſuam efficacitatem accipit ex Dei præſcientia & propoſito,mouente noſtram voluntatem,vt conſentiat. De hac Paulus Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,iis,qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* 2.ad Timoth.1. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta,non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum,& gratiam Dei.*

2. Auguſtinus itaque de prædeſt. Sanct.c.3. inter med. & finem: *Vocatio*, inquit, *ſecundùm propoſitum Dei non omnium,qui vocantur,eſt,ſed tantùm electorum.* Et alibi frequenter, ac luculenter exponit, quanta ſit infallibilitas in vocatione ſecundùm propoſitum, vt neminem, illâ vocatum,interire contingat. Quemadmodum lib. de gratia Chriſti c.13.de prædeſt.Sanct.c.16.& 17. de bono perſeuerant. c 8. versùs finem,& c.23. fine de corrept.& grat.cap.7.9.10.& 12.lib.5.contra Iul. c.3.longè poſt medium.lib.5.de baptiſmo contra Donatiſtas. c.17.epiſt.106. ad Bonifacium col.9. epiſt.46.lib.33.qq. q.68.lib.1.Retract.c.23.Beda Roman.8.& 1.Ioan. 5.& Anſelm.Rom.8. Hugo Victorinus in epiſt.ad Rom.q.225.tom.1.

3. *Vocatio prædeſtinatorum propria.*

Confirmatur primò. nam vocationem,electorum,ſeu prædeſtinatorum propriam, Apoſtolus appellat aliquando ſine addito & antonomaticè *vocationem*, quemadmodum 1.Cor.1. *Prædicamus Chriſtum crucifixum:Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Quæ ſic ponderat Auguſt.de prædeſt.Sanct. c.16. initio: *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici Filij ſui,non ea vocatione,qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione,& Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt,& gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt: ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat,quam diſtinxit Apoſtolus,dicens, ipſis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam; ſic enim ait:Ipſis autem vocatis, vt illos oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe quandam certam vocationem eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui.*

Duplicis vocationis diſcrimen.

Idem vtriuſque vocationis diſcrimen ex eiſdem verbis 1. Cor. 1. breuiùs attigit Proſper ad capitula Gall.reſp.5.& de vocat.gent.lib.1.cap.9. fine,ſic ponderat. *Sed quoniam quidam ex eiſdem iuſtificabuntur fide,quidam autem ſua impietate obdurabuntur: vnum credentium & non credentium genus ſub vocatorum appellatione diſcreuit, vt quos à fide ſignificabat alienos, eos quamuis audiſſent Euangelium, oſtenderet vocationis extraneos.* 4.

Confirmatur ſecundò. nam de hac vocatione, ſimpliciter,& antonomaticè dicta,Rom.8. *Quos*, inquit,*prædeſtinauit, hos & vocauit:& quos vocauit, hos & iuſtificauit:quos autem iuſtificauit,illos & glorificauit.* Quo teſtimonio vocationem ſecundùm propoſitum confirmat Auguſt lib. 5. contra Iul. cap. 3. longè poſt medium. Vnde Fulgentius lib.1.ad Monim.c.21.poſt medium,colligit quòd *hæc omnia,ideſt,& vocationis noſtræ initia,& iuſtificationis augmenta,& glorificationis præmia,in prædeſtinatione Deus ſemper habuit:quia & in vocatione,& in iuſtificatione, & in glorificatione Sanctorum, gratia ſua opera futura præſciuit. Ob hoc totum Deo aſſignat Apoſtolus,dicens: Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Propterea Hugo Victorin. in q. 225. circa eundem locum notat, Apoſtolum hîc non agere *de vocatione communi,ſed de ſpeciali,quæ fit ſecundùm propoſitum,ſecundùm quam nullus vocatur,niſi electus.* 5.

Confirmatur tertiò,quoniam de eadem vocatione, prædeſtinatorum propria, loquitur Apoſtolus ad Rom. 9. dicens. *Non ex operibus, ſed ex vocatione dictum eſt ei: quia maior ſeruiet minori*, vt notat Auguſt.de prædeſt.Sanctor.cap.16.

Secundæ ac tertiæ confirmationis doctrinam tradit Auguſt.de corrept.& grat.cap.7.in medio, dicens: *Ex iſtis nullus perit, quia omnes electi ſunt: electi ſunt autem, quia ſecundùm propoſitum vocati ſunt: propoſitum autem, non ſuum, ſed Dei. De quo alibi dicis,vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, & non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori.* & alibi: *Non ſecundùm opera noſtra*, inquit, *ſed ſecundùm ſuum propoſitum, & gratiam. Cùm ergo audimus: Quos autem prædeſtinauit, illos & vocauit, ſecundùm propoſitum vocatos debemus agnoſcere, quoniam inde cœpit, dicens: Omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt.* 6.

Confirmatur quartò. nam inſuperabilis virtus vocationis ſecundùm propoſitum ſignificatur 2. Theſſal. 1.fine:*Oramus ſemper,vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.* Vbi Chryſoſtomus homil. 3. colum. 2 prior quam Auguſtinus obſeruauit prædictum diſcrimen vocationis ſecundùm propoſitum, à cæteris vocationibus: *Nam & qui ſordidis,*inquit,*erat indutus,vocatus fuerat; ſed in vocatione non manſerat, ſed ob hoc ipſum magis dignus factus erat, qui vocationem hanc ad nuptias amitteret. Etenim & quinque Virgines vocatæ fuerant:Exurgite,*inquit,*ſponſus venit. Et parabant etiam ſe; ſed non ſunt ingreſſæ. Declaramus igitur de qua vocatione dicat,ſubdit: & omne propoſitum bonitatis ſuæ, & opus fidei,cum potentia compleat. Iſtam,* inquit, *vocationem inquirimus.* 7.

Vocationis ſecundùm propoſitum inſuperabilis virtus.

Et poſt pauca: *Omne*, inquit, *propoſitum, hoc eſt, beneplacitum, firmam deſtinationem, &* πρόθεσιν. *Vt fiat, inquit, firma deſtinatio, & propoſitum Dei, ne quid vobis deſit, vt ſitis, quemadmodum vos eſſe vult.* Perpende quomodo Chryſoſtomus 8.

prior quàm Auguſtinus, diuinę vocationis efficaciam in Dei prędeſtinationem, propoſitum, beneplacitum, potentiſſimam operationem retulerit. Atque inde collige libertatis indifferentiam, frequentiùs à Chryſoſtomo, & luculentiùs explicatam, quæ poſſit Dei vocantis diſſentire, ſi velit, non repugnare prædeſtinationi, nec prædefinitioni, nec illius infallibilitati.

Libertatis indifferentia prædeſtinationis infallibilitati non pugnat.

9. Confirmatur quintò, eadem quippe vocatio ſecundùm propoſitum eſt *vocatio ſine pœnitentia*, de qua Roman. 11. *Sine pœnitentia*, inquit, *ſunt dona, & vocatio Dei.* id eſt, *ſine mutatione ſtabiliter fixa ſunt. Ad hanc vocationem, qui pertinent, omnes ſunt docibiles Dei.* & cætera, quæ notat Auguſt. de prædeſtinatione Sanct. cap. 16. ad finem. Et de bono perſeuer. c. 17. ſub initium: *Quos ergo prædeſtinauit, ipſos & vocauit vocatione illa, quam me ſæpe commemorare non piget; de qua dictum eſt: Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Nam in ſua, quæ falli, mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam eſt, niſi prædeſtinare.* Similia notat in lib. de corrept. & grat. cap. 12. non procul à princip.

10. Proſper ad obiectiones Vincent. reſp. 12. initio: *Prædeſtinatio*, inquit, *Dei, etſi apud nos, dum in præſentis vitæ periculis verſamur, incerta eſt; apud illum tamen, qui fecit, quæ futura ſunt, incommutabilis permanet: nec quæ illuminauit, obcæcat: nec quæ ædificauit, deſtruit: nec quæ plantauit, euellit: ſine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei: & firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Cognouit Dominus, qui ſunt eius.*

2. Timoth. 2.

11. Eſt etiam hęc vocatio propria ſegregatorum, quemadmodum Galat. 1. *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, continuò non acquieui carni & ſanguini.* Rurſus vocationem eandem appellat *altam atque ſecretam.* Aug. epiſt. 107. ad Vitalem col. 2. & lib. de prædeſt. Sanct. c. 17. poſt med. *eam vocationem, qua Deus, id, quod prædeſtinauit, implebit.* Proſper autem lib. 2. de vocat. gent. cap. 33. appellat *ſpecialem vocationem*, aliam verò *generalem.* idem ſignificat duplex ſuaſio Dei: altera, per quam *ſuadetur ita, vt perſuadeatur*; alia verò *non ita.* quam diſtinguit Auguſt. de ſpiritu, & lit. c. 34.

Alta & ſecreta vocatio.

Vocatio ſpecialis, & generalis.

12. Confirmatur ſextò. nam iſtius vocationis efficacitatem agnouit etiam Gregor. lib. 11. Moral. cap. 5. poſt med. dicens: *Sicut nemo obſiſtit largitati vocantis, ita nullus obuiat iuſtitiæ relinquentis.* & ſeq. cap. 6. inter princip. & med. *Si ſancti Spiritus gratia ſuperno munere iuxta vocem prædicantis infunditur, ſtatim terra ſubuertitur: quia peccatricis mentis duritia ab immobilitate ſua obſtinationis permutatur, vt tantum ſe poſtmodum præceptis Dominicis flendo ſubiiciat, quantum ſuperbiendo priùs contra Dominum ceruicem cordis erigebat.* Ex toto igitur ſuperiori diſcurſo conſtat quòd vocatio ſecundùm propoſitum ſit effectus proprius prædefinitionis bonorum operum; ac ſubinde prædefinitio licèt à poſteriori, validè tamen probatur per eiuſmodi vocationem.

Vocationis huius efficacitas.

Vocatio ſecundùm propoſitum prædeſtinationis effectus.

13. Nonum probationis caput eſt præparatio voluntatis. nam illud celebre Prouerbior. 8. *Præparatur voluntas à Domino* (de quo plura dicemus diſp. 30. ſect. 3. num. 4. & ſeqq.) probat, non ſolùm gratiam præuenientem & excitantem à Domino tribui; ſed etiam conſenſum, & quaſlibet pias operationes æterna prædefinitione præparari, quod ſignificauit Arauſican. II. can. 23. dicens: *Quando homines ita faciunt, quod volunt, vt diuina ſeruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod volunt; illorum tamen voluntas eſt, à quo præparatur, & obitur quod volunt.*

Præparatio voluntatis probat prædefinitionem.

14. Idem ſupponit Aug. de prædeſt. Sanct. cap. 6. ſub initium, illis præſertim verbis: *Volunt ergo iſti credere; nolunt autem illi; ſed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.* Vnde ſic ratiocinari licet. Hominibus etiam illis, qui non credunt, tribuitur gratia pręueniens & excitans: nihilominus ſecundùm Auguſtinum in hoc loco, non præparatur illis voluntas à Domino: ergo præparatio voluntatis, apud Auguſtinum in præſenti, eſt electorum propria, veniens ex miſericordia, quæ directè pugnat cum iudicio, id eſt, cum reprobatione: quod magis conſtat ex ſequenti contextu Auguſtini.

Gratia præueniens non credentibus tribuitur.

15. Clariùs autem loquitur Fulgent. lib. 1. ad Monimum c. 8. in medio, dicens: *Hæc autem* (ſcilicet initium, profectum, & conſummationem voluntatis bonæ) *Deus ſicut in prædeſtinatione ſemper habuit, ſic per gratiam, ſicut prædeſtinauerat facit. Prædeſtinationis itaque ipſius inſtituatur agnitio, cùm dicit Scriptura: Et præparatur voluntas a Domino. Non autem ob aliud præparata dicitur, niſi quia danda prædicitur. A quo enim præparatur per voluntatem ſempiternam, ab ipſo datur per indebitam gratiam.*

1. Quod in c. 9. confirmat verbis Apoſt. ad Hebr. 13. *Aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius.* & Epheſ. 2. *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Sicut ergo præparata eſt per prædeſtinationem voluntas à Domino, qua bonum velimus: ſic etiam opera bona præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Ita Paulum exponit Fulgent. prædicto c. 9. fine, & c. 14. prope medium: *Hoc*, inquit, *homini gratuita iuſtificatione tribuit præparatũ, quod in æterna prædeſtinatione præparauerat tribuendum. Hanc voluntatis præparationem ſuperiùs ſancta Scriptura teſtimonio demonſtraui, quo dictum eſt: Præparatur voluntas à Domino. Ab ipſo ergo voluntas præparatur, qui in nobis & velle, & perficere miſericorditer operatur.*

17. Nec mirandum, in præparatione voluntatis infallibilitatem afferri, cùm præparatio hæc ſit idem quod ſanitas, vt videbimus loco nuper citato. Sanitas autem importat etiam infallibilitatem æternæ ſalutis, ſecundùm illud Ieremiæ 17. *Sana me Domine, & ſanabor; ſaluum me fac, & ſaluus ero.* cui concinit illud Pſalm. 89. *Adiuua me, & ſaluus ero.* Ad eandem veritatem confirmandam adduci poſſunt omnia Scripturæ teſtimonia, quæ Deum authorem faciunt tangendi cor, permutandi, ad pœnitentiam adducendi, atque alia his ſimilia, quæ tractabimus infrà diſp. 10. ſect. 4.

SECTIO V.

Prædefinitio fidei, & perſeuerantiæ in obſeruantia omnium mandatorum.

1. DEcimum caput eſt fidei prædefinitio, de qua Actorum cap. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternã, id eſt, prædefiniti à Deo*, vt exponit Chryſoſt. ibi hom. 30. colum. 1. Vnde meritò in notali in principio colligit, quòd *ipſa fides non eſt noſtrum opus, ſed magis Dei.* Prędefinitionem, in hoc loco poſitã, pertinere ad ſolam fidem probabilius videtur, quoniã neq; conſtat, omnes illos, qui eo tẽpore crediderũt, fuiſſe prædeſtinatos, ad perſeuerãtiã in gratia, & ad æternã gloriã: neque

Fidei prædefinitio.

neque videtur, cum fuiſſe animum Lucæ, vt illis verbis ſignificaret, ſibi per diuinam reuelationem conſtare, quòd eorum, qui tunc crediderunt, nemo foret à fide, & gratia finaliter receſſurus, & amiſſurus vitam æternam; & multo minus videtur veriſimile, in ea ciuitate neminem alium fuiſſe prædeſtinatum ad vitam æternam, niſi qui per illam prædicationem illo tempore crediderunt.

2. Neque contradicentium multitudo, & cætera illius temporis pericula probare poſſunt, omnes eo tempore credentes fuiſſe perſeueraturos, cùm conſtet, plurimos defeciſſe; quia licèt magnum eſſet hunc robur fidei & gratiæ, ſumma tamen vrgebant pericula, & difficultates. Propterea rectè Proſper de lib. arb. ad Ruff. poſt med. hunc locum Actor. 13. referre videtur ſolummodo ad fidem.

3. *Fides vitæ æternæ nomine ſignificata.*

Non obſtat, quòd illi dicuntur eſſe *præordinati ad vitam æternam.* nam æternæ vitæ nomine non ſolùm viſio beatifica, ſed etiam fides intelligitur, tanquam via, & inchoatio vitæ æternæ: quemadmodum Ioan. 17. *Hæc eſt,* inquit, *vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Vnde Aug. tract. 105. in Ioannem: *Si cognitio Dei eſt vita æterna,* inquit, *tanto magis in vita æterna, quanto magis in hac cognitione proficimus.* Quapropter Actorum ſenſus erit, in ea ciuitate, tunc, propter illam prædicationem credidiſſe omnes & ſolos illos homines, qui præordinati, ſeu prædefiniti ab æterno fuerant, vt tunc per fidem inchoarent vitam æternam, quæ inchoatio, quantum erat ex ſe, dirigebat & ordinabat ad conſummatam & perfectam vitam æternam viſionis beatæ.

4. Cæterùm robur argumenti præſentis nihil eneruatur, licèt ſimul cum prædefinitione fidei, exponamus prædefinitionem etiam perſeuerantiæ, & æternæ gloriæ: quemadmodum Auguſt. de corrept. & grat. c. 6. prope finem, *Crediderunt,* inquit, *quotquot erant ordinati in vitam æternam. Quis in æternam vitam potuit ordinari, niſi perſeuerantiæ dono? Quandoquidem qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Qua ſalute, niſi æterna.*

5. Inde tamen collige, nihil eneruari prædefinitionem, etiam ſi legamus *ordinati,* (vt Catherinus, & alij contendunt ex Græco ad eneruandá prædefinitionem ante præuiſum concurſum arbitrij, tanquam abſolutè futurum.) Hoc enim non obſtat tunc, quoniam Auguſtinus legit, *ordinati,* & tamen colligit, prædefinitam, & Dei dono cauſatam eſſe perſeuerantiam. Tum etiam, quoniam apud Chryſoſtomum, nuper citatum, legimus *præordinati, & prædefiniti:* vnde colligitur in Græco ſic eſſe legendum. Denique quoniam Vulgata lectio ſemper eſt præferenda.

Vulgata lectio præferenda.

6. *Fidei perſeuerantia prædefinita.*

Vndecimum caput ſit perſeuerantia in fide, quam à Deo prædefiniri & cauſari, colligitur ex verbis Chriſti Domini Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* quod notat Auguſt. de corrept. & grat. c. 6. in medio, & c. 8. ſub initium: *Si ad liberum,* inquit, *arbitrium hominis, quod non ſecundum Dei gratiam, ſed contra eam defendis, pertinere dicis, vt perſeueret in bono quiſque, vel non perſeueret, non Deo donante, ſi perſeueret, ſed humana voluntate faciente: quid moliturus es contra verba dicentis: Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Chriſto, ne deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi eam vſque in finem perſeuerare noluiſſet, quaſi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet, vt vellet? Nam quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea, quæ fidelis erat, voluntas ipſa deficeret: & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo non poſſet eſſe inanis oratio. Quando rogauit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimã, fortiſſimam, inuictiſſimã, perſeuerantiſſimam voluntatem? Ecce quemadmodum ſecundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis: voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potiùs libertatem conſequitur, & vt perſeueret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Eadem eſt mens Proſperi lib. 1. de vocat. gent. c. 24. ſub finem.

Lucæ 22.

Quin etiam Tertull. lib. de fuga in perſecutione (tametſi eam reprobans, contra fidem errauerit) non longè à principio ait: *Ecce,* inquit, *Dominus, poſtulauit Satanas, vt diſcerneret vos velut frumentum: verùm ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua: id eſt, ne tantum Diabolo permitteretur, vt fides periclitaretur. Quo oſtenditur, vtrumque apud Deum eſſe, & concuſſionem fidei, & protectionem, cùm vtrumque ab eo petatur, concuſſio à Diabolo, protectio à Filio.* id eſt, à Deo Diabolus petiit, vt permitteret, fidem Petri concuti; ſed Chriſtus Dominus in quantum homo petiit, vt protegeret Deus. 7.

Chryſoſtomus 1. Corinth. 3. hom. 8. col. 4. dicit: *Vt ſemina non areſcerent tentationibus, accedente Apollinis opera, effectum eſt, totum autem opus eſt Dei.* Auguſtinus autem de bono perſeuerat. c. 7. *Dei opus eſſe, vt permaneamus cum Deo & non diſcedamus à Deo, ſicut opus Dei fuit, vt accederemus ad Deum.* Confirmat Ierem. 32. *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant.* 8.

Idem lib. de corrept. & grat. c. 12. prope initium: *Sanctis,* inquit, *per gratiam Dei prædeſtinatis tale adiutorium perſeuerantiæ datur, vt eis perſeuerantia ipſa donetur, non ſolùm vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm etiam vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint.* & prope finem eiuſdem capitis duodecimi: *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur; & ideo quamuis infirma non deficeret, nec aduerſitate aliqua vinceretur.* Sed de eiſdem teſtimoniis dicemus iterum diſput. 5. ſect. 2. 9.

Eandem doctrinã de prædeſtinatione ad infallibiliter perſeuerandum probauit, & ab Auguſtino defendendam curauit Hilarius Arelat. in epiſt. ad Aug. in medio, vt videbimus tom. ſeq. vniuerſaliter autem Dei efficaci decreto, & electione quamlibet hominum perſeuerantiam cauſari, multis Scripturæ teſtimoniis probat Auguſt. toto libro de bono perſeuerantiæ, præſertim c. 16. & 17. & de corrept. & grat. c. 6. 7. & 14. 10.

Infallibilis perſeuerantia prædeſtinatio.

Idem probat Fulgentius lib. 1. ad Monim. à c. 7. vſque ad 14. præſertim c. 11. circa med. dicens: *Præuenit igitur impium, vt fiat iuſtus: ſubſequitur iuſtum, ne fiat impius. Præuenit eliſum, vt ſurgat: ſubſequitur eleuatum ne cadat. Præuenit, donans homini bonam voluntatem: ſubſequitur beneuolentem, operando in illo boni operis facultatem.* & poſt pauca: *Hæc autem omnia, id eſt, & vocationis noſtræ initia, & iuſtificationis augmenta, & glorificationis præmia in prædeſtinatione ſemper Deus habuit.* Idem probat in lib. de incarn. & grat. Ieſu Chriſti cap. 29. & cap. 31. & in epilogo ſub initium: *Donum,* inquit, *illuminationis ad credendum, & donum perſeuerantiæ ad perficiendum, & permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparauit.* 11.

Eandem electionem & prædeſtinationem ad omnia bona opera, & ad perſeuerantiam in illis tradit Proſper ad c. 7. Gallorum, & opuſculo de libero arb. ad Ruffin. poſt medium, & ad excerpta 12.

Digitized by Google

cerpta Gen. dub. 9. Petrus Diaconus de incarn. & grat. Ieſu Chriſti c. 7. & Iſidorus lib. 2. ſent. c. 5. fine: *Quibuſdam*, inquit, *Dei dona dantur, perſeuerantia verò doni non datur: & inde eſt quòd quidam principia habent conuerſionis bona, fine vero malo clauduntur. Electi vero accipiunt & conuerſionis donum, & perſeuerantiam doni; ea verò cauſa eſt, quòd quidam bene incipiunt, & bene finiunt.* & ſeq. c. 6. *Vtraque*, inquit, ſcilicet prædeſtinatio, & reprobatio, *agitur diuino iudicio, vt ſemper electus ſuperna, & interiora ſequi faciat; ſempérque reprobos, vt infima, & inferiora deferendo delectentur, permittat.* & infra *Vult aliquis eſſe bonus, & non valet; vult alter eſſe malus, & non permittitur interire.*

SECTIO VI.

Prædefinitio cauſat, vt omnia cooperentur in bonum, & generatio Dei ſeruat electum.

1. *Prædeſtinatus ſi ceciderit infallibiliter ſurget.* DVodecimum caput, velut appendix præcedentis continet ſpecialem, & infallibilem prouidentiam, vt prædeſtinatus ſi ceciderit, reſurgat, & illi omnia, etiam ipſe caſus cooperētur in bonum. De quo Aug. lib. 5. contra Iul. c. 3. paulo poſt medium, cùm propoſuiſſet obiectionem: *Ait*, inquis, *Apoſtolus, bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Reſpondet: *Verum eſſe conſtat, ſed quem prædeſtinauit, adducit, quamuis ſecundum duritiam, & cor impœnitens, quantum ad ipſum attinet, theſaurizet ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius. Quantumlibet enim præbeat patientiam, niſi ipſe dederit, quis aget pœnitentiam: an oblitus es, quod idem ipſe Doctor ait: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis.* (2. Tim. 2.)

2. *Reprobis ſalus poſſibilis.* Vbi cauendum eſt, ne mens Auguſtini putetur eſſe limitate ad ſolos prædeſtinatos, quod Paolus dixit: *Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Hoc enim ad reprobos primariò pertinet, vt videbimus ſeq. tom. de Præd. oſtendentes reprobis dari poſſibilitatem ſalutis. Sed Auguſtinus, illud prædeſtinatis affirmat eſſe peculiare, vt Deus adducat eos efficaciter, ſuperando eorum reſiſtentiam, & molliēdo duritiā, & dādo efficaciter pœnitentiā.

3. Idem lib. de corrept. & grat. c. 7. prope medium: *Quicunque ergo ab illa originali damnatione iſta diuina gratia largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quòd & procuratur eis audiendum Euangelium: & cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vſque in finem perſeuerant: & ſi quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum etſi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt: & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis huius vitæ, mortis celeritate ſubtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ.*

4. Et ad finem eiuſdem capitis, ponderans Apoſtoli verba 2. ad Tim. 2. *Firmum*, inquit, *fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: ſcinit Dominus, qui ſunt eius. Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit: aut ſi qui ſunt quorum deficit, reparatur, antequam vita iſta finiatur, & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate vſque in finem perſeuerentia deputatur.*

5. Quòd autem *omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*, hoc eſt, prædeſtinati, docuit Apoſt. Rom. 8. Vnde Auguſt. de corrept. & grat. c. 9. propius ad med. quàm ad finem: *Quicunque*, inquit, *in Dei prouidentiſſima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, iuſtificati, glorificati ſunt, non dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, iam filij Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt.* Modum autem prouidentiæ, per quem Deus efficit, vt perire non poſſint, paulo inferiùs ſubiungit, dicens. *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, vſque adeo prorſus omnia, vt etiam ſi qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.*

Et poſtquam multis confirmauit vtilitatem iſtius humiliationis, & experimenti propriæ fragilitatis, in fine capitis de Petro reſipiſcente ſic loquitur: *Quid eſt enim aliud, Reſpexit eum, niſi faciem ſuam, quam paululum ab illo auerterat, reuocauit ad eum? Factus ergo fuerat conturbatus: ſed quia didicit non de ſeipſo fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo, qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, quia ſecundum propoſitum vocatus erat, vt nemo eum poſſet eripere de manu Chriſti, cui datus erat.* Eandem veritatem breuiùs attigit lib. 5. contra Iulian. cap. 3. longè poſt med. 6. (Luc. 22.)

His ergo fit manifeſtum ex Auguſtini mente loquutum eſſe quicunque fuerit author quorundam ſoliloquiorum in to. 9. Auguſt. quando c. 28. has inter alias propoſitiones interſerit: *Quos tibi eligis de multis in templum ſanctum tuum, ipſos mundas; quorum nomina, numerorúmque tu noſti: qui etiam ſcripti ſunt in libro vitæ, qui nequaquam perire poſſunt; quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipſa peccata. Cùm enim cadunt, non colliduntur, quia tu ſupponis manum tuam, cuſtodiens omnia oſſa eorum, vt vnum ex his non conteratur.* & poſt pauca de præſcitis ita loquitur: *Quos reliquiſti in immunditiis ſuis, quibus omnia cooperantur in malum, & ipſa etiam oratio vertitur in peccatum.* 7. *Alia ſunt quæ habētur tom. 1. quæ ipſe cognoſcit in retractationibus.*

Bern. ſerm. 23. in Cant. col. vlt. *Stat*, inquit, *propoſitū Dei, ſtat ſententia pacis ſuper timentes eum, ipſorū & diſſimulans mala, & remunerans bona, vt miro modo eis non modò bona, ſed & mala cooperentur in bonum.* 8.

Decimumtertium caput eſt generatio Dei, de qua 1. Ioan. 5. *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſeruat eum.* Bernardus autem in eod. ſerm. 23. in Cant. non procul à fine: *Generatio cæleſtis, inquit, æterna prædeſtinatio eſt, qua electos ſuos Deus dilexit, & gratificauit in dilecto filio ſuo ante mundi conſtitutionem, ſic in ſancto apparentes ſibi, vt viderent virtutem ſuam, & gloriam ſuam, quo eius forent conſortes hæreditatis, cuius & apparerent conformes imaginis. Hos ergo aduertit, quaſi nunquam peccaſſe, quoniam etſi quæ deliquiſſe videntur in tempore, non apparent in æternitate, quia charitas Patris ipſorum cooperit multitudinem peccatorum: & dixi beatos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* 9. *Generatio Dei prædefinitionem probat.*

Secundùm eundem intellectū ſer. 1. in Septuag. ſub initium eundem locum exponit, dicens: *Non peccat*, inquit, *id eſt, non permanet in peccato, quia conſeruat illum, vtique vt perire non poſſit, ea quæ falli non poteſt generatio cæleſtis. Siue non peccat, id eſt, tantundem eſt, ac ſi non peccet, pro eo ſcilicet, quòd non imputatur ei peccatum, generatio enim cæleſtis etiam in hac parte conſeruat illum.* 10.

Ab hac expoſitione ſola voce diſſident, qui exponunt: *Non peccat peccato ad mortem.* Ita Beda & S. Thomas in commentario. Vnde quod ſequitur: *Sed generatio Dei conſeruat eum.* ſic exponit Beda: *Gratia Chriſti, qua renati ſunt fideles, conſeruat eos, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti, ne peccatum ad mortem committant: & ſi in quibuſlibet pro humana conditionis fragilitate deliquerint, ne ab hoſte maligno poſſint tangi, defendit.* 11.

12. Et quamuis Auguſtinus hunc locum expreſsè non tractauerit; nihilominus iſtius expoſitionis fundamenta poſuit in lib. de corrept. & grat. capit. 9. prope med. ponderans Chriſti Domini verba Ioan. 8. *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.* Vnde ſic ratiocinatur. *Quia ergo non habuerunt perſeuerantiam, ſicut non verè diſcipuli Chriſti, ita nec verè Filij Dei fuerunt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergo nos & electos Chriſti diſcipulos, & Dei filios, quia ſic appellandi ſunt, quos regeneratos piè viuere cernimus: ſed tunc verè ſunt, quòd appellantur, ſi manſerint in eo, propter quod ſic appellantur. Si autem perſeuerantiam non habent, id eſt, in eo, quod cœperunt eſſe, non manent, non verè appellantur, quod appellantur, & non ſunt: apud eum enim hoc non ſunt, cui notum eſt, quòd futuri ſunt, id eſt, ex bonis mali.*

13. Homines ergo preſciti quamdiu verè credunt, & verè de peccatis pœnitent, & in charitate permanent, quorum ad illud tempus, & ſecundùm præſentem iuſtitiam, ſunt verè diſcipuli Ieſu Chriſti, verè iuſti, verè filij diligentes Deum, & adeò dilecti. Neque hoc negare intendit Auguſtinus; ſed tantùm docere, hæc omnia ſi comparentur ad durationis tempus & fructum hæreditatis propriæ filiorum, ſecundùm quid tantùm cõuenire præſcitis: ſimpliciter autem & abſolutè ſolis prædeſtinatis, in æternum permanſuris in ſermone Chriſti in filiatione, & dilectione mutua, & percepturis hæreditatem & regnum Patris: quæ mens colligitur ex toto illo cap. 9. de correptione & gratia.

SECTIO VII.

Prædefinitionis eiuſdem aliæ multa probationes attinguntur & remittuntur.

1. *Ratio & modus eligendi.* DEcimumquartum probationis caput eſt modus & ratio eligendi Iacobum, Eſau reprobato, Rom. 9. *Sed & Rebecca ex vno concubitu habens, Iſaac patris noſtri. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quo tanquam illuſtriſſimo & maniſeſtiſſimo exemplo docet Apoſtolus omnium hominum prædeſtinationem, & reprobationem factam eſſe ante præuiſa opera, vt abſolutè futura, ita vt iſtius diſcriminis ratio, ſeu motiuum non fuerit præſcientia meritorum. Hanc verè fuiſſe mentem Apoſtoli ex profeſſo probat Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. col. 6. & epiſt 105. ad Sixtum col. 10. & epiſt. 106. ad Bonifac. col. 5. propius ad med. quàm ad principium epiſtolæ, & de prædeſt. & grat. c. 7. Beda, & Anſelmus ad Rom. 9. & D. Thomas Rom. 9. lect. 3. & 1. p. q. 23. art. 5.

Geneſ 25. Malach. 1. Prædeſtinatio ante præuiſa merita.

2. Quamuis hæc expoſitio refutetur à nonnullis authoribus, eorum tamen obiectionibus ſatisfit, & præſens expoſitio diffusè probabitur tom. ſeq.

3. *Rom. 9.* Secundò præcedenti probationi conſequens eſt, quod adiungit Apoſtolus. *Moyſi enim dicit: Miſerebor, cui miſereor; & miſericordiam praſtabo, cuius miſerebor.* Hebraïſmus ſignificat liberrimam eſſe Dei volũtatem, vt vni homini miſericordiam electionis & gratiæ præſtet potius, quàm alteri, nulla ratione diſcriminis præſuppoſita ex parte vtriuſque hominis. Propterea vulgatus interpres Exod. 33. ſenſum magis, quàm verba reſpiciens, vertit: *Miſerebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Quem etiam intellectum expoſuit Apoſtolus paulò inferiùs colligens: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quod ad rem præſentem ponderat Auguſtinus in enchirid. ad Laurent. c. 98. & 99. de prædeſt. & grat. c. 4. & 6. & de verbis Apoſtoli ſermon. 20. Proſper in id Pſal. 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.*

Tertiò confirmatur exemplo figuli, quod ſubiungit Apoſtolus, dicens: *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vnde mero Dei beneplacito fieri delectum prędeſtinatorum, rectè colligit Aug. de Præd. Sanct. c. 8. lib. de Præd. & grat. c. 16. lib. 1. ad Simplic. q. 2. col. 10. & ep. 105. ad Sixtum. Eandem expoſitionem pluribus Auguſtini locis concatenatis illuſtrat Beda in prædicta verba Rom. 9. cui concordat Anſelmus, & D. Thomas ibidem. Vnde Petrus Diaconus de incarn. & grat. c. 7. ad fin. *Alios, inquit, ſaluat gratuito dono, alios derelinquit iuſto iudicio, qui poteſtatem habet ex eadem maſſa facere.* 4. *Ibid.*

Hunc autem eſſe legitimum ſenſum illius loci, probabimus tomo ſeq. tractantes de cauſa prædeſtinationis ante præuiſa merita. Nunc ſolummodo reſtat ex tomo præced. diſp. 42. 43. & 44. recolere vaſa in contumeliam non propriè & per ſe à Deo fieri, ſed permiſſiuè ſolùm; vaſa verò in honorem Deus facit propriè, & per ſe: vt conſtat ex Trident. ſeſſ. 6. can. 6. 5.

Confirmatur quartò, nam eâdem analogia figuli & luti, necnon ſimilitudine dierum, Eccleſiaſticus c. 33. oſtendit, mero Dei beneplacito cauſari ſanctitatem quibuſdam in hominibus potius, quàm in aliis: quemadmodum Deus mero beneplacito dies quoſdam ſanctificat, & clariores aliis reddit. Vnde meritò Auguſt. lib. 1. ad Simplician. q. 2. versùs finem agnoſcit eandem vim eſſe in ſequentibus verbis Eccleſiaſtici, quæ in ſuperioribus verbis ad Rom. 9. quod fuſiùs explicabimus loco nuper citato. Ait igitur Eccleſiaſticus c. 33. *Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à ſole? A Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto ſole, & præceptum cuſtodiente, & immutauit tempora & dies feſtos ipſorum, & in illis dies feſtos celebrauerunt ad horã. Ex ipſis exaltauit, & magnificauit Deus, & ex ipſis poſuit numerum dierum. Et omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ Dominus ſuperauit eos, & immutauit vias eorum. Ex ipſis benedixit, & exaltauit: & ex ipſis ſanctificauit, & ad ſe applicauit: & ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum. Quaſi lutũ figuli in manu ipſius, plaſmare illud, & diſponere. Omnes via eius ſecundum diſpoſitionem eius: ſic homo in manu illius, qui ſe fecit, & reddet illi ſecundum iudicium ſuum.* 6.

Decimumquintum caput complectitur omnia ferè teſtimonia Scripturæ ſacræ & ſanctorum Patrum declaranda in prædicta diſputatione de cauſa prædeſtinationis. Probant enim quam in præſenti tractamus prædefinitionem bonorum operum, illa verò velut ad indicem redigendo, ſunt quæ ſequuntur. 7.

In primis, quæ oſtendunt totum bonum eſſe tribuendum Deo, vt authori, & nihil eſſe tribuendum libero arbitrio, ac proinde nihil eſſe noſtrum, ſed totum Dei. Hoc enim ea præcipuè ratione verificatur, quoniã Deus per congruam, & opportunam gratiam, quibus hominibus vult, tribuit, vt bene operentur; aliis verò negat.

Secundò

Secundò quæcunque teſtimonia docent, ipſum actualiter cõcurrere per liberũ arbitrium, & actualiter velle, & operari quodlibet bonum, eſſe Dei gratiam, & effectum diuini auxilij: hoc idem ea præſertim ratione verificant, quoniam Deus ſuo libero beneplacito, & prædefinitione infallibili tales effectus cauſat.

9. Tertiò eadem eſt præcipua ratio, propter quam pleniùs, & perfectiùs impletur, quod per Ezechielem cap. 11. & 36. Deus promiſerat, dare cor nouum, & facere, vt in præceptis eius ambulemus. Quamuis enim hoc & alia ſimilia teſtimonia quantum ex parte Dei, & ex intentione Scripturæ ſacræ, referantur ad omnes homines, maximè fideles, ſiue fuerint prædeſtinati, ſiue præſciti. Nihilominus prædeſtinatis potius quàm præſcitis accommodantur à Patribus: quoniam illis excellentiori, & efficaciori modo Deus tribuit cor nouum, & facit vt efficaciter velint, & operentur; quatenus per æternam prædefinitionem bonorum operum illis accommodat opportunam vocationem. Hæc verba Ezechielis tractabimus tomo ſequenti.

10. Quartò, idem prorſus argumentum ſumitur ex verbis ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere.* quibus ſimilia ſunt Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ,* & Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis.*

Quintò, celebre non minus, quàm validum argumentum ſumitur etiam ex verbis Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei,* aliiſq; Scripturæ teſtimoniis, quæ curſum, vias, & greſſus nõ hominis, ſed Dei ſolius eſſe tradiderũt. Hæc omnia ponderabimus loco nuper citato.

11. Sextò Dei æterna prædefinitio eſt, quæ principaliter agit filios, *qui ſpiritu Dei aguntur.*

Septimò eximiam præcipuè cæleſtis electionis efficaciam ſignificauit Chriſtus Dominus Ioan. 6. cùm dixit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Vtriuſque loci vires ad mouendum & trahendum infallibiliter, non minus quàm ſuauiter ponderabimus tomo ſequenti.

12. Octauò eãdem infallibilitatem diuinæ prædefinitionis probat illud Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* & infrà: *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Quæ verba ponderat Auguſtinus lib. 1. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 7. fine, & cap. 8. & 9. & Proſper 1. de vocat. Gent. cap. 24. & epiſtola ad Ruffinum, & ad excerpta Genuenſ. reſponſ. 8. & ad capitula Gallor. reſponſ. 8 inter medium & finem. Quæ autem ſit explicatio legitima eorum verborum, videbimus in eiſdem diſputationibus tomi ſequentis. Clariùs autem indeclinabilem infallibilitatem diuinæ prædefinitionis dantis continent ſuperiora verba Chriſti Domini in eodem cap. 6. Ioannis: *Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me, Patris: vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.* Vnde rectè Auguſtinus de prædeſt. Sanct. c. 16. colligit neminem perire ex his qui dati ſunt à Patre, & Proſper lib. 1. de vocat. gent. cap. 24. fine.

13. Idem confirmant alia plurima teſtimonia, quę ſupernaturales operationes, aſſerunt, eſſe datas à Patre. Nam, vt rectè Auguſtinus lib. de bono perſeuer. cap. 14. in medio, *Audiunt hæc, & faciunt, quibus datum eſt; non autem faciunt, ſiue audiant, ſiue*
Matth. 13. *non audiant, quibus non datum eſt, quia vobis,* inquit, *datum eſt noſſe myſterium regni cælorum, illis autem non eſt datum: quorum alterum ad miſericordiam, alterum ad iudicium pertinet.*

Nonò probatur ex eodem cap. Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quod ad probandam infallibilem efficaciam interioris doctrinæ procedentis à diuino propoſito, ſæpe ponderat Auguſtinus, vt lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 8. & 16. & libro de bono perſeuerant. cap. 14. & lib. 1. de grat. Chriſti cap. 13. & 14. quorum verba referemus & explicabimus in eiſdem diſputationibus de cauſa prædeſtinationis. 14.

Decima probatio, cum præcedentibus cohærens conſiſtit in eo, quòd Deus legem ſuam in electorum cordibus ſcribit, vt eam infallibiliter impleant, de qua Paulus ad Hebr. cap. 8. & 10. verbis Ieremiæ 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam; & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Vides igitur 15.

Deus legem ſuam in electorum cordibus ſcribit.

Primò infallibilem certitudinem practicæ cognitionis, hoc eſt, fidei operantis per charitatem ſcriptam in cordibus fidelium.

Secundò huius cauſam eſſe, quia Deus propitiatur iniquitatibus noſtris.

Tertiò, quam firma & indefectibilis ſit infallibilitas prædicta, continuò Propheta declarat exemplis: *Hæc dicit Dominus: Qui dat ſolem in lumine diei, & ordinem Lunæ, & ſtellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & ſonant fluctus eius. Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint iſtæ leges coram me, dicit Dominus: tunc & ſemen Iſrael deficiet, vt non ſit gens coram me cunctis diebus. Hæc dicit Dominus: Si menſurari potuerint cæli ſurſum, & inueſtigari fundamenta terræ deorſum: & ego abiiciam vniuerſum ſemen Iſrael propter omnia, quæ fecerunt, dicit Dominus.* Hæc autem eò diriguntur, vt oſtendant decretum adeò ſtatutum de perpetua ſucceſſione fidelium, qui Euangelio credunt, eſſe ratum & inuiolabile non minus, quàm leges cælorum, & elementorum: vt eleganter exponit Hieronymus ibi, & ponderat etiam Auguſt. de ſpiritu & lit. cap. 20. & 21. & Fulgent. de incarn. & grat. Ieſu Chriſti, cap. 27. à med. 16.

Vndecimò idem probant omnia Scripturæ teſtimonia, quæ in eiſdem diſputationibus tomi ſequentis per multiplices tranſlationes Deo adſcribunt cauſalitatem noſtræ ſalutis. Quales ſunt, cor in manu ſua habere, vt quocunque voluerit vertat, inclinet, immutet, regat, circũcidat, aperiat, conuertat, præparet, & creet. Deinde ſunt eiuſmodi, quòd Deus redimit, vincula diſrumpit, & ſoluit animas à morte, & à peccato liberat, deponit, & proiicit noſtra peccata, lauat, & mundat, viuificat, reſuſcitat, ſeruat, conſeruat, cuſtodit, ædificat & ſaluum facit. 17.

Præterea idem probant omnia, quæ teſtantur, quòd Deus illuminat, & facit oculum videntem, intellectum dat, docet, ſapientiam donat, imò & cogitationem, greſſus, & vias dirigit, appropinquat hominibus, quærit, & inuenit. Denique colligitur idem ex omnibus, quæ teſtantur robur, fortitudinem, atque victoriam eſſe Dei donum; Deum eſſe, qui confortat, corroborat, hominem ſtatuit, ne cadat, protegit vt refugium; ſcutum, & arma induit veſtimentis ſalutis, tribuit incrementum, & alia eiuſmodi præſtat, quæ referemus in eiſdem diſput. tomi ſequentis. 18.

Deus illuminat, intellectũ dat, docet ſapientiam.

Duodecimò

19. Duodecimò ad verificandas cauſales propoſitiones,ſignificantes,ideo liberum arbitrium benè operari,quoniam Deus volt,& facit,&c.præcipua ratio ſumitur ex prædefinitione bonorum operum,& conſequenter illam confirmat. Tractabuntur autem iſtæ propoſitiones inter eaſdem diſp. tomi ſequentis.

Decimutertiò validum, & frequenter ab Aug. ponderatum ad probandam prædefinitionem,ſeu prædeſtinationem eſt illud 1. Cor.4. *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis.* Præcipua quippe ratio, propter quam omnia bona Deo referuntur accepta,nihilque nobis relinquitur, vnde gloriemur, niſi in Deo, prædefinitionis virtus eſt atque potentia; vt oſtendemus in eiſdem diſputationibus.

20. Decimoquartò neceſſitas orandi,& poſtolandi à Deo, vt nobis tribuat velle,& operari; necnon obligatio gratias agendi,& noſtram ſpem non in viribus noſtris,ſed in ſolo Deo,& eius beneplacito collocandi,confirmat, Dei prædefinitione, & libera voluntate fieri vt homines exerceant quæcunque virtutum opera. Hoc argumentum frequenter vrgent Auguſtinus & alij Patres in locis, quæ referemus inter diſpp. de cauſa prædeſt.

SECTIO VIII.

Impiorum etiam & reproborum voluntates Dei prædefinitio flectit, vt velint fauere prædeſtinatis.

1. Dictum eſt hue vſque de prædeſtinatis, ſiue ſimpliciter ad perſeuerantiam & gloriam, ſiue ſecundùm quid ad temporalem iuſtificationem,vel ſaltem ad fidem, aut aliquā aliam ſupernaturalem actionem,prout ad ipſorum vtilitatem dirigitur. Nunc dicendum eſt præcipuè de præſcitis,& Impiis,& eorū actionibus moraliter bonis, & nonnunquam etiam ſupernaturalibus, in quantum Deus eas prædefinit, cauſat, & ordinat in vtilitatem prædeſtinatorum.

Impiorum actiones in vtilitatē prædeſtinatorum ordinat Deus.

2. Non itaque diſſerimus in præſenti de prauis volitionibus,quibus nocere intendunt, quantum ex ſe eſt, quarum euentum contra earum intentionem Deus conuertit ad vtilitatem electorum (de hoc enim proprio in loco diſſeruimus tomo præcedenti de volunt. Dei diſp.18. ſect.2. & 3.& diſp.44. ſect.2.& ſequentibus.) Sed de volitionibus honeſtis,quas Deus inſpirat,vt illi, qui priùs oderāt,& nocere pertinaciter intendebant, poſtea diligant ardenter, & prodeſſe cupiant. Hoc autem præcipuè probandum erit exemplis Scripturæ ſacræ.

3. Primum Gen.39.ad finem. *Fuit*, inquit, *Dominus cum Ioſeph, & miſertus illius dedit ei gratiam in conſpectu Principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos*,&c. Quod ponderans Hieronymus Dialogo 3.aduersùs Pelagianos cól.7.ſubiungit,quod in eadem hiſtoria ſequitur: *Vnde & eunuchis ſomnia ſuggeruntur, & Pharao videt ſomnium inextricabile: vt per hanc occaſionem liberaretur Ioſeph,pater paſceretur, & fratres, Ægyptus tempore famis ſaluaretur.* Rurſus Geneſ.43. ad filios in Ægyptum redeuntes Iacob ait; *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiſcum fratrem veſtrum*,&c.

Gen. 40. & 41.

4. Inſuper ex cap.46. Hieronymus nuper citatus, ita ratiocinatur: *Dixit autem Deus ad Iſraël in viſione noctis: Ego ſum Deus patrum tuorum,noli timere deſcendere in Ægyptum, in gentem enim magnam faciam te ibi: & ego deſcendam tecum in Ægyptum, & educam te inde: & ponet Ioſeph manus ſuas ſuper oculos tuos. Vbi hîc eſt liberi arbitrij poteſtas? An non totum quod ire audet ad filium, & genti ſe committere Dominum neſcienti, Dei patrum eius auxilium eſt?* Videlicet, quoniam ſolus Deus poterat Pharaonis,& aliorum infidelium voluntates conuertere, vt Iſraëlitis fauerent, quandiu illorum fauor expediebat ad fines, Dei prædefinitione præſcriptos.

5. Ad hæc Exodi 11.initio: *Adhuc*, inquit, *vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum: & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet. Dices ergo omni plebi,vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Ægyptijs.* Et ſequenti cap.12. n.35. *Feceruntque filij Iſrael, ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Ægyptijs vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptijs,vt commodarent eis: & ſpoliauerunt Ægyptios.*

6. Ioſue cap.2.Deus implet,quod promiſerat,immittendo pauorem in corda Palæſthinorum ad vtilitatem Iſraëlitarum, quibus è contrario prædixit Deus Leuitici 16. & Deuteron. 28. in pœnam futurorum criminum, *Dabo vobis cor pauidum,& oculos deficientes.*

7. 1. Regum 10. *Cùm auertiſſet* (Saul) *humerum ſuū vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud.* Quod egregiè ponderat Gregorius in primum Regum ſuo lib.4. versùs finem, vt oſtendat Reges & prædicatores pro Dei beneplacito in bonum commutari. Rurſus ad finem eiuſdem capitis 10. *Abijt cum Saule pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda; filij verò Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum.* Vnde Auguſtinus libro de corrept.& grat. cap.14. poſt med. diuinæ prædefinitionis infallibilitatem ita colligit. *Nunquid aliquis dicturus eſt, non iterum fuiſſe cum Saul quemquam eorum, quorum tetigit corda Deus, vt irent cum illo, aut iſſe aliquem peſtilentium, quorum, vt hoc facerent, corda non tetigit?* Idem colligitur ex 1.Reg.11. quando *irruit ſuper eum ſpiritus Domini*, videlicet, vt abſque dubitatione & formidine Saul præliaretur aduersùs Ammonitas.

8. Ex libris autem Paralipomenon Auguſtinus nuper citatus adducit illud: *Et ambulabat David proficiens,& magnificabatur,& Dominus erat cum illo. Hoc cùm præmiſſum fuiſſet, paulo poſt dictum eſt: & ſpiritus Domini induit Abiſai principem inter triginta, & dixit: Tui ſumus David, & tecum futuri filij Ieſſe. Pax tibi,& pax adiutoribus tuis,quia auxiliatus eſt tibi Deus. Nunquid ille poſſet aduerſari voluntati Dei, & non potius eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus eſt per ſpiritum ſuum, quo indutus eſt, vt hoc vellet,diceret, & faceret?* Hæc Auguſtinus; idē poſtea confirmans facto bellatorum, qui ſua ſponte Dauidem conſtituerunt Regem in Hebron. Idem colligitur ex 1.Paralip.22. *Filius qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum; & ob hanc cauſam pacificus vocabitur; & pacem & otium dabo in Iſrael cunctis diebus eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo.*

1. Paralip. 11 & 22.

9. Eſdræ lib.1.cap.5.ſub initium: *Oculus autem Dei eorum factus eſt ſuper ſenes Iudæorum,& non potuerunt inhibere eos.* Videlicet duces Samariæ non potuerūt impedire inſtaurationē tēpli,quod nomine Babylonis Regis tentauerant.& c.6. fine: *Lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor Regis Aſſur ad eos, vt manus eorum adiuuaret in opere domus Domini*

Dei Iſrael. necnon ſequenti cap.7. *Dedit ei rex ſecundum manum Domini Dei eius ſuper eum, omnem petitionem eius.* & in fine capitis: *Benedictus Dominus Deus Patrum noſtrorum, qui dedit hoc in corde Regis, vt glorificaret domum Domini, quæ eſt in Ieruſalem, & in me inclinauit miſericordiam ſuam coram Rege, & vniuerſis principibus.*

10. Tobiæ 1. *Dedit ei Deus gratiam in conſpectu Salmanazar Regis, & dedit illi poteſtatem, quocunque vellet ire.* In quo & aliis ſimilibus Deus conceſſit quod Salomon 3.Reg.8. precatus erat: *Da eis miſericordiam coram eis, qui eos captiuos habuerunt, vt miſereantur eis.* Quod Iudith cap.9.poſtulauerat à Deo, vt Holofernes caperetur laqueo oculorum ſuorum in ea, vt ei beneuolentiam & fauorem exhiberet. hoc Deus opere compleuit abundè toto cap.10. & 11.

11. Sic etiam Eſther cap.14. orauit: *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, vt & ipſe pereat, & cæteri, qui ei conſentiunt. Nos autem libera manu tua, & adiuua me, nullum aliud auxilium habentem niſi te Domine.* Denique Danielis 1. *Dedit Deus Danieli gratiam, & miſericordiam in conſpectu Principis Eunuchorum*; nimirum vt timore depoſito, tentaret abſtinentiam permittere quam deprecabatur. Vbi Hieronymus; *Ex quo intelligimus,* inquit, *pro neceſſitate rerum ſi quando diliguntur ſancti ab infidelibus, Dei eſſe miſericordiam, non bonitatis hominis peruerſorum.*

12. Inſigniora cæteris omnibus exempla ſunt odia Saulis aduerſus Dauid, toties in beneuolentiam ſubitò commutata, vt videre eſt lib.1. Reg. c.19. vſque ad 26. præſertim verò capite 19. lictores & nuncij per tres vices à Saule miſſi, vt Dauid caperent, & Saul poſtremò veniens, iras in Dei laudes & prophetiam commutarunt, facto ſuper eos ſpiritu Domini: vt facto prædicerent, quod Ioãnis 7. legimus. *Nam miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum.* Cuius concione lictores, & perſecutores conuerſi ſunt in fortiſſimos & intrepidos præcones laudum Ieſu Chriſti, ſiquidem interrogantibus Principibus. *Quare non adduxiſtis illum,* non excuſauerunt impoſſibilitatem, ſed laudauerunt doctrinam, dicentes. *Nunquam ſic locutus eſt homo.*

SECTIO IX.

Rationibus probatur prædefinitio bonarum operationum.

1. SEquentium rationum robur & firmitas nititur illi fundamento, quod tanquam exploratum traditur communiter à Philoſophis & Theologis, videlicet Deum facere ſemper id quod optimum, & quod perfectiſſimæ prouidentiæ, atque rationi maximè cõſentaneum eſt, vt melius aliud nec fieri poſſit, nec excogitari. Hoc ex profeſſo probatum fuit tomo præcedenti de volunt. Dei diſp.9.& 10. Ex quo fundamento ſequitur, ſi probatũ fuerit prædefinitionem bonarum operationum eſſe prouidentiæ modũ meliorem, magiſque conſentaneum rationi ſapientiæ, bonitati & omnipotentiæ Dei; eo ipſo probatum manere, Deum de facto prædefiniuiſſe bonas operationes; licèt potuerit eas non prædefinire. Quia licèt potuerit non eligere modum prouidendi meliorem: de facto tamen ſemper elegit meliorem, vt ex fundamento conſtat.

Bonarũ operationũ prædefinitio melior prouidẽtiæ modus.

2. Ad hoc igitur probandum ſit ratio prima, quoniam erit melior prouidẽtiæ ratio: ſi prima cauſa, mouens ad quodcunque bonum & finem particularem, pro ſua libertate decernat etiam & præconſtituat media omnia, per ſe ordinata ad illum finem, in perſona, in qua voluerit, quando, & vbi voluerit, & quo gradu & modo voluerit, iudicans expedire. Contra verò fuerit minus perfecta prouidentiæ ratio; ſi Deus finem, à ſe conſtitutũ, non obtineat per talia media determinata, & per tales actus humanos; niſi expectando præuiſionem eorumdem actuum bonorum, quaſi abſolutè futurorum. Hoc enim eſſet aliquid remittere de ſupremo & abſoluto dominio, quod poſſit exerceri ſalua libertate, & ſeruatis rerum naturis.

Secunda ratio, quoniam magis commendatur diuina miſericordia & liberalitas erga quoſlibet homines fideles, aut iuſtos; ſi nullius operis vt abſolutè futuri præuiſionem expectans, decreuerit efficaciter & infallibiliter præbere huic homini potius, quã alteri, tales actus fidei, ſpei, charitatis, aut aliarum virtutum. Nam de quibuſlibet aliis virtutibus, & earum actibus dicere potuit, quod de fide dixit Aug. de prædeſtinat. Sanctorum c.17. *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt; ſed qui eliguntur, vt credãt.* Contra verò reprobis, quoniam non erant prædeſtinati ad credendum, non eſt illis datum adiutorium illud, quod præſciebat Deus fore, vt fidem obtinerent, ſi daretur. ſic de bono perſeu. cap.17. *Quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent eſt negatum.* 3.

Diuina miſericordia cõmendatur maior.

Confirmatur primò, quoniam miſericordia & liberalitas ſpecialiſſima eſt quibuſdam hominibus potius, quàm aliis, præbere talia auxilia, in talibus circumſtantiis, ex efficaci intentione, vt bene operentur. Hæc autem miſericordia & liberalitas ceſſaret; ſi Deus non prædefiniret bonas operationes.

Intentio efficax vnius in alio.

Confirmatur ſecundò, nã inde ſequeretur etiam, quòd præſcindendo ab actuali cooperatione Dei & hominis ad actum, & conſiderando ſolũmodo gratiam & liberalitatem in actu primo, non eſſet maior gratia & liberalitas Dei erga quoſdam homines efficaciter cooperaturos, quàm erga alios homines non cooperaturos, qui Dei fauoribus, & donis abundantioribus reſiſtunt, vt olim obſtinati Iudæi reſiſtebant Chriſti D. prædicationi, miraculis & exemplis, cùm Niniuitæ credidiſſent, & pœnitentiam egiſſent Iona prædicante. 4.

Inde naſcitur ratio tertia, quoniam maiorem laudem auxiliatrici gratiæ, ſubindéque maiorem gloriam Deo conciliat prædefinitio bonorũ operũ. Nam ſine prædefinitione non eſt illa prædeſtinatio, de qua Epheſ.1. *Qui prædeſtinauit nos,* inquit, *in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* 5.

Confirmatur primò, ſic enim Deus oſtendit *diuitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*, Rom.9.

Confirmatur ſecundò, nam gratiæ tantum minueretur, quantum Deus euentui, & cooperationi liberæ committeret, non intendens efficaciter bonam arbitrij cooperationem obtinere.

Quarta ratio, quoniam ſecũdùm ſe conſideratum, opus infinita ſapiẽtia & omnipotẽtia magis dignum, & magis oſtenſiuum illius eſt, homines efficaciter & infallibiliter mouere, vt eliciant liberè pietatis opera. Hoc eſt enim à fine vſque ad finem fortiter attingere, & ſuauiter omnia diſponere, etiam actus liberos, vt manente libertate nihilominus à Deo prædefiniantur, & ſtatuantur certò & infallibiliter. 6.

Quinta

7\. Quinta tatio, quia Deus eſt, qui præbet omnia motiua, cunctáſque circunſtantias, quibus volũtas incitatur ad bouum; & per cõditionalem ſcientiam præſcit quid hic homo ſub talibus motiuis & circunſtantiis foret operaturus. Quo ſuppoſito nulla ratio melioris prouidentiæ potuit cohibere voluntatem Dei, ne per exhibitionem talium motiuorum & circuuſtantiarum, plena & abſoluta volitioue intenderet honeſtam operationem iſtius hominis, quam conditionaliter pręſciuit eliciendam fuiſſe ſub his motiuis, & circũſtantiis. Hęc autem abſoluta volitio & imperium, quod ex ea neceſſariò ſequitur, eſt prædefinitio.

Plena, & abſoluta volitio operationum liberarum.

8\. Confirmatur primò, quia cùm Deus ſit natluo ingenio propenſiſſimus ad amorem talium bonorum; feretur ad illorum amorem efficacem, quando per illum nihil prorſus impediuntur alia maiora bona. Conſtat autem ex eo quòd talis amor efficax Dei antecedat opera bona, quæ de facto fiunt, nihil impedire, niſi quod impediretur, etiamſi talis amor non præcederet.

Efficax Dei amor antecedit opera bona.

Confirmatur ſecundò, nam & homines, Dei charitate & ſapiẽtia pleni, vellent efficaciter conſequi quemcunque bonum actum proximorum, quem ſcirent iufallibiliter eliciendum propter media per ipſos adhibenda: nulláque ratio maioris charitatis poſſet eos auocare, ne talem volitionem efficacem conciperent.

9\. Sexta ratio eſt, quoniam ſapientiſſimo artifice dignius eſt, præordinare atque conſtituere apud ſe omnia, quæ ſecundùm ſuæ artis directionem eſt facturus prius quàm ea deducat in opus, & ea ratione certò præſcire quid facturus ſit, & quid non facturus: at verò Deus facturus eſt in hominibus & cum illis quælibet opera bona, quæ fiunt ab ipſis. Ergo prius quàm Deus videat, ſe cooperaturum eſſe cum hominibus, præconſtituit, ac prædefiniuit, quæ opera debeant eſſe illa. Confirmat, nam in hoc principio fuudatur illud axioma: Prædeſtinatione ſua Deus ſciuit ea, quæ ipſe facturus eſt, quod tradit Auguſt. lib. 1. de prædeſt. Sanct. c. 10. 17. & 19. lib. de bono perſeu. c. 18. fine, & alij Patres, quos retulimus ſuprà diſp. 3. ſect. 3. probat. 5. & ſect. 9. vbi etiam ponderata ſunt Scripturæ loca, vnde prædictum axioma deſumitur.

10\. Septima tatio ſit, quoniam hæc prædefinitio bene operantibus imponit maiorem obligationem agendi gratias, & referendi per dilectionem, & magis ſe ipſos deſpiciendi, & humiliandi. Quoniam ſi Deus illis prædefinitionis gratiam uegaret; nihilo meliores cæteris peccatoribus euaſiſſent.

Deo gratias agendi obligatio maior.

DISPVTATIO VII.

Eorum qui compelluntur intrare Lucæ 14. quibus medijs, illæſa libertate, prædefinitur conuerſio.

SECTIO I.

Scopus diſputationis, & vniuerſalior concordia compulſionis cum indifferentia libertatis.

1\. LICET non inuenerim ab hæreticis contra libertatem opponi, nec aduersùs diſſentiẽdi poſſibilitatẽ in ſenſu compoſito, ab authoribus phyſicæ prædeterminationis adduci: prætermittere non debui, quod accuratè tractatur ab antiquis & recentioribus Theologis, quando diſſerunt de fortiſſima, & infallibili motione diuinæ prouidentiæ concilianda cum libertatis indifferentia, videlicet, quòd Paterfamilias dixit ſeruo, *Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* *Lucæ 14.*

Sex autem ſunt præcipuæ propoſitiones, ad quas corroborandas dirigitur iſtius compulſionis declaratio. 2.

Prima eſt, Deum de facto prædefinire bona opera: quamuis hoc iam ſatis in præcedenti diſp. fuerit probatum.

Secunda, compulſionem hanc non eſſe infallibilis efficaciæ comparatione ſingulorum hominum in particulari: ſed comparatione plurimorum hominum vagè, & aliquorum determinatè.

Compulſionis efficacia cõparatione quorum.

Tertia eſt, prædefinitionis inuincibilem potentiam non conſiſtere ſolùm atque præcisè in phyſica cauſalitate concurſus effectiui, ſed cum illa ſimul requirere plurima motiua & circumſtantias, non ſolùm interiores, ſed etiam exteriores, ſine quibus uon conſequeretur infallibiliter effectum ille concurſus phyſicus, quem Deus offert huic homini ſub tali temperamento & limitatione.

Prædefinitionis inuincibilis potentia.

Quarta eſt, libertatem ſimpliciter, quæ dicitur libertas phyſica, manere multoties integram, & ſolutam: licèt moralis indifferentia, ſeu libertas ſublata ſit per moralem neceſſitatem, id eſt, efficacitatem motiuorum, infallibiliter inducentium ad conſenſum. 3.

Libertas phyſica, & moralis neceſſitas.

Quinta ſequitur ex tribus præcedentibus, videlicet in eiuſmodi compulſione non interuenire phyſicam prædeterminationem. Hæc enim foret infallibilis efficaciæ non circa homines vagè, ſed circa ſingulos determinatè: præterea ex vi ſolius efficientiæ phyſicæ ſortiretur infallibilem efficaciam: ac denique phyſicam libertatem abſolutè ligaret antecedenti neceſſitate, vt probatum eſt tomo de ſcientia Dei diſp. 58. vſque ad diſp. 59.

Sexta eſt ad prædefinitionem per motiua infallibilia ſatis eſſe ſcientiam conditionaliũ infallibiliũ, vt certa ſit, & omnino tuta, ne fruſtretur. Hæc tamen ſcientia non ſufficiet ad prædefiniendos alios actus, non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter liberos, ſed requiretur ſcientia media; de qua re dicemus diſp. 10.

Infallibilium ſcientia ſat ad prædefinitionem per infallibilia motiua.

Dico igitur primò. Compulſio, ſiue coactio non ſemper in ſacris litteris affert infallibilitatem moralem, quin potiùs aliquando compulſioni reſpondit actualis diſſenſus illi contrarius (tantum abeſt vt phyſicam, & antecedentem neceſſitatem afferat;) ideóque tunc compulſio tantùm ſignificat vehementiam motiuorum. 4.

Compulſio non ſemper moraliter infallibilis.

Probatur primò, nam 2. Reg. 12. *Venerunt ſeniores domus, & coegerunt Dauid, vt ſurgeret de terra. Qui noluit, nec comedit cum eis cibum.* Itaque coactio ibi ſignificat inſtantiam & importunitatem precum, additis rationibus & perſuaſionibus vehementibus. Quod etiam conſtat ſequenti cap. 13. *Cùm rogaret Abſalon, & noluiſſet venire* (Dauid ad conuiuium,) *coegit*, inquit, *Abſalon eum*, &c.

Probatur ſecundò, quia 2. Machab. 6. in med. *Eleazarus aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare.* qui tamen conſtantiſſimè recuſauit. Sicut & ſequenti cap. 7. in princ. reſtiterunt *ſeptem fratres vna cum matre ſua*, de quibus dicitur, *compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris, & taureis cruciatos.* 5.

Tertiò ad idem probandum valent Angeli verba Iudic. 13. *Si me cogis, non comedam panem.*

6. *Cōpulſio aliquando moraliter infallibilis.* Dico ſecundò, compulſio, ſiue coactio in ſacris literis ſignificat aliquando moralem infallibilitatem conſentiendi, non quidem ſingulis hominibus impoſitā determinatè & in particulari; ſed vagè, ita vt ex vi motiuorum impellentium ſit infallibile plures homines liberè conſenſuros. Sic 2. Machab. 6. initio. *Miſit rex ſenem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt ſe transferrent à patriis & Dei legibus.* & paulo inferiùs: *Cogebantur hedera coronati Libero circuire.* quibus coactionibus licèt plurimi conſentirent, alij reſiſtebant.

7. Præterea qui prædicabant, circumciſionem eſſe ad ſalutem neceſſariam, dicuntur à Paulo coëgiſſe Gentiles, vt circunciderentur, quemadmodum Galat. 6. *Hi cogunt vos circumcidi.* Imò & Galatas 2. quoniam Petrus diſſimulabat, Paulus ait: *Cogis gentes iudaizare.* vt ſapienter exponunt Auguſtinus lib. contra mend. cap. 12. ad med. & S. Thom. Galat. 2 lect. 3. col. 2. & tamen huic coactioni non omnes Gentiles, ad Chriſtum venientes parebant, repugnante Paulo, vt conſtat de Tito Galat. 2. ſub initium.

8. Ex his colligo, & dico tertiò, compulſio illa, quam Paterfamilias præcipit adhiberi, non affert infallibilitatem intrandi quibuſlibet hominibus, quibus adhibetur; ſed multis illorum vagè & inderminatè.

Ad efficaciā compulſionis ſufficit vaga infallibilitas. Probatur primò, quoniam vaga infallibilitas ſufficit ad verificandam efficaciam compulſionis, iuxta receptam Scripturæ phraſim, vt conſtat ex ſuperioribus aſſertionibus.

9. Probatur ſecundò, quoniam illa compulſio refertur ad vehementiſſimas vires euangelicæ prædicationis, propter euidētiſſimas rationes, quibus contrarios errores reuincit, propter miracula, exempla, & vocationis vehementiam, ad conuertendos præcipuè Gentiles deſtinatam; vt multi Patres exponunt, citandi ſectionibus ſequen. & tamen plurimi Gentiles determinatè, & in particulari audientes, atque videntes prædicta motiua non crediderunt, ſed quoniam alij plurimi credituri erant, conuicti prædicationis virtute; ideo comparatione plurimorum vagè, & indeterminatè vim habebat compulſionis infallibilis.

10. Confirmatur, nam plerique de facto reſiſtunt vehementibus inſpirationibus internis, quæ etiam intelliguntur hoc loco nomine compulſionis, vt videbimus ſect. 2. & 3.

Tractio, pro compulſione. Tertiò probatur à ſimili, nam vbi Pater trahit homines ad filium, Ioannis 6. tractio ſignificat compulſionem: & tamen multi trahuntur, quantum eſt ex parte Dei, qui tamen ex parte ſua reſiſtunt trahenti, vt probabimus ſequenti tomo inter diſputationes de cauſa prædeſtinationis. Vnde Bernardus tract. de gratia & libero arbitrio, longè poſt med. ait: *Quantoſcunque compellere, vel trahere videatur ad ſalutem benignus pater, qui omnes vult ſaluos fieri: nullum tamen iudicat ſalute dignum, quem antè non probauerit voluntarium.* Supponit ergo plures compelli, qui de facto non ſaluantur, quia noluit.

11. *Compulſio ſecūdùm quid.* Colligo præterea, & dico quartò, compulſio, ſiue coactio tam Lucæ 14. citato, quàm in aliis locis ferè omnibus, non eſt coactio ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid; abſolutè autem relinquit expeditam indifferentiam libertatis.

Probatur primò, quia compulſio, cui de facto diſſentire contigit, non eſt abſolutè compulſio: at verò compulſionibus, de quibus Scriptura loquitur, nonnunquam diſſentire contingit: vt probatum eſt in præcedentibus aſſertionibus.

Probat ſecundò VValdenſis lib. 1. doctrinalis cap. 23. ad finem; quoniam in ſacris litteris nonnunquam homines dicuntur compelli, aut cogi ad committenda peccata; quæ tamen illis imputantur ad culpam; ac proinde vitari potuerunt, reſiſtendo compulſioni, hæc enim poſſibilitas euitandi requiritur ad peccatum, vt vidimus tomo præcedenti diſp. 27. & ſequentibus, præcipuè diſp. 28. Antecedens autē conſtat in illa compulſione 2. Machab. 6. quam retulimus in aſſert. 2. & Prouerb. 30. *Aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei.* Danielis 14. *Vidit Rex quòd irruerunt in eum vehementer, & neceſſitate compulſus tradidit eis Danielem.* 4. Reg. 5. *dixit Naaman: Melius eſt vt accipias duo talenta, & coegit eum,* ſcilicet Giezi; & Paulus Actorum 26. *Per omnes,* inquit, *ſynagogas frequenter puniens eos cōpellebā blaſphemare.* 12.

Idem argumentum fuſiùs expendit Bernardus tract. de gratia & libero arbitrio, propius ad medium, quàm ad finem, oſtendens, Petrum & cæteros Chriſtianos, qui metu vel tormentis compulſi ſunt Chriſtum Dominum negare, fuiſſe nihilominus abſolutè liberos, & potuiſſe cōfiteri Chriſtum Dominum, quoniam non peccarent negando, ſi non poſſent non negare. 13.

Probatur tertiò, quia metus grauis, cadens & inconſtantem virum, vel vrgens neceſſitas dicuntur compellere, & tamen multi contractus per talem coactionem initi, non redduntur irriti, ſed valent: igitur eiuſmodi coactio, ſiue compulſio libertatem non ligat, ſine qua nemo poteſt validos inire cōtractus. Minor probatur Leuitici 25. *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus.* & Geneſis 47. cunctos Ægyptiorum laicos fame fuiſſe compulſos vendere poſſeſſiones ſuas, ſupponitur, quando dicitur, ſacerdotes *non fuiſſe compulſos vendere poſſeſſiones ſuas.* Porrò venditionis contractus ſicut & cæteri, ſine libera poteſtate non contrahendi, non erit validus. Sicut nec illa promiſſio valeret eligendi Iephte Principem populi, ſi viciſſet, quoniam ad illum *venerunt neceſſitate compulſi,* Iudicum 11. 14. *Compulſio, & metus libertatem non ligant.*

Confirmatur, nam & appellatio, ſicut & cæteri iudiciales actus, libertatem requirunt, & tamen Paulus Actuum 28. *Coactus ſum,* inquit, *appellare Cæſarem.* 15. *Appellare liberum.*

Probatur quartò, quia præceptum Dei, comparatione filiorum obedientium, quando eos cohibet ab aliqua propenſione, quod ex ſe eſt, bona & laudabili, compellere dicitur. Ideoque Mat. 14. *compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam,* qui nimirum *amore præceptoris ne ad punctum quidem ab eo ſeparari vellēt,* vt notat ibi Hieronymus, & Marci 6. Chryſoſt apud S. Thom. in catena, vel potiùs Theophyl. ad illa verba, *coëgit diſcipulos ſuos aſcendere nauim.* Attamen in ea re diſcipulorum obedientiam fuiſſe imputabilem ad meritum, ac ſubinde liberam, dubitabit nemo; vt bene ad rem præſentem obſeruauit VVald. lib. 1. doctrinalis c. 23. fin. 16. *Dei præceptū aliquando compellere dicitur.*

Quintò vniuerſalius & à priori probatur verbis Auguſtini lib. de ſpiritu & littera cap. 31. ſub initium: *Etiam quod quiſque facere cogitur, ſi facit, voluntate facit: ſed quia malit aliud, ideo inuitus, hoc eſt, nolens facere dicitur. Nam ſi tam a voluntas ſit, vt malit hoc non facere, quam illud non pati, cogenti* 17. *ita dicit.*

procuidubio

Digitized by Google

proculdubio reſiſtit, nec facit. Et poſt pauca. *Hinc eſt, quòd etiam illi, qui cogunt, vel qui ſuadent, ſolent dicere: Quod habes in poteſtate quare non facis, vt hoc malo careas?* Quapropter in iis hominibus, qui dicuntur compelli, conſiſtit in eo libertatis indifferentia, quod ſi velint, abſolutè poſſunt eligere minus bonum, & immunitatem à minori malo, tolerando maius malum, & carentiam maioris boni. Cæterùm poſſunt etiam recta ratione duci ad electionem, & tunc eo ipſo coguntur eligere maius bonum & immunitatem à maiori malo.

Minus bonũ velut & maiori eligi poteſt.

18. Ideo Bernardus tract. de gratia & libero arbitrio propius ad medium, quàm ad finem, ea ratione coactionem, de qua loquimur, cum libertate conciliat, quia voluntas *cogi ab alio non potuit, quàm à ſe ipſa: quòd ſi ſe ipſa coegit; compulſa, & compellens; vbi amittere, ibi recipere viſa eſt libertatem. Vim quippe, quam ipſa ſibi intulit, a ſe pertulit. Porrò quod à ſe voluntas pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, iam non eſt neceſſitate, ſed liberum.*

19. *Mediorum electio libera.* Confirmatur primò, nam compulſio hæc prouenit ex ſuppoſitione libera, quemadmodum qui vult efficaciter aliquem finem obtinere, compellitur eligere medium vnicum; & tamen liberè eligit, quia poteſt non velle efficaciter illum finem, vt vidimus tomo de ſcientia Dei diſp. 34. ſect. 6.

20. *Vaga neceſſitas libertati non obſtat.* Confirmatur ſecundò, quia neceſſitas vaga, ſeu diſiunctiua nihil obſtat libertati determinandi vnum ex illis, ad quæ vagatur neceſſitas; vt magis conſtabit diſp. 8. ſect. 5. & ſequentibus; ſed compulſio, de qua tractamus, eſt neceſſitas vaga, ſeu diſiunctiua ad eligendum vnum è duobus, aut ex pluribus ſub eam neceſſitatem comprehenſis. Hac ratione Anſel. in dialogo de libero arbitrio cap. 5. illum hominem, cui metus mortis incutitur ad extorquendum mendacium, adhuc manere liberum, ne mentiatur, defendit his verbis. *Quamuis neceſſe ſit illum aut occidi, aut mentiri: non tamen neceſſe eſt illum occidi; quia poteſt non occidi, ſi mentitur: neque neceſſe eſt illum mentiri; quia poteſt non mentiri, ſi occiditur; neutrum enim eſt determinatè in neceſſitate, quia vtrumlibet eſt in voluntate, vel poteſtate.* idem poſtea in c. 9. repetit, & in libro de concordia præſcientiæ & prædeſtinationis cum libertate cap. 1. inter medium & finem, ait; *licèt enim neceſſe ſit aut vitam, aut rectitudinem relinquere; nulla tamen neceſſitas determinat quam ſeruet, aut deſerat.* Et remittit ſe ad ea, quæ dixerat in dialogo nuper citato. Semper igitur neceſſitatem excludit Anſelmus ab vno extremo determinatè ſumpto, vt in eo relinquat libertatem; ſupponens tamen, non eſſe libertatem, ſed neceſſitatem circa vtrumque extremum indeterminatè & diſiunctiuè ſumptum.

SECTIO II.

Compulſio ſecundùm quid adhibetur rogante Deo, & illuſtrante intellectum, ac permutante voluntatis affectum.

1. *Aliquibus contingit compulſio, ſiue coactio.* DIco primò, propriè & in rigore contingit coactio ſiue compulſio, quantum ad producenda & adhibenda quibuſdam hominibus ea motiua, ſiue interiora, ſiue exteriora, quibus impellatur ad liberam conuerſionem.

Probatur, quia plerumque non volentibus, imò etiam quantum ex ſe eſt, reluctantibus, & contradicentibus hominibus à Deo, & ab eius miniſtris obtruditur opportunè & importunè prædicatio verbi, obſecratio, increpatio, ſuaſio, exempla, miracula, flagella, beneficia, occaſiones ſalutis, imò etiam interiores illuſtrationes, vehementes impulſus, & ſuauitates, quibus peccator infallibiliter conuertatur: vt in ſimili de vi, & proprietate trahendi ad Chriſtum videbimus tomo ſequenti, tractantes cauſam prædeſtinationis.

Ad hunc ſenſum Bernardus, tract. de gratia & libero arbitrio inter med. & fin. diſtinguit duplicem compulſionem, aliam merè paſſiuam, quæ fit in nobis ſine nobis, hoc eſt, ſine noſtro conſenſu libero; aliam verò compulſionem actiuã, quæ non fit ſine noſtro conſenſu. Quam eãdem diſtinctionem antiquiores Scholaſtici declarabant nomine compulſionis ſufficientis, & inducentis. Compulſio merè paſſiua & ſufficiens, eſt compulſio ſimpliciter & abſolutè; ſed actiua, & inducens non niſi quodammodo eſt compulſio, quas diſtinctiones plenius, quàm cæteri tractauit Alexander 2. p. q. 4. memb. 7. corp. & 3. p. q. 70. memb. 4. corp. 2. *Compulſio actiua & paſſiua.*

Dico ſecundò, non propriè, neque ſimpliciter, ſed quodammodo contingit compulſio, quantum ad cauſandum liberum voluntatis conſenſum, & conuerſionem. Imò nulla neceſſitas antecedens imponitur inuitatis, & compulſis, vt intrent ad cœnam magnam; ſed potiùs in ſenſu compoſito cum tota vocatione tam externa, quàm interna, & cum omnibus motiuis & impulſibus, in actu primo conſideratis, adhuc quicumque intrat ad cœnam, potuit non intrare, ſi vellet. 3. *Actuum liberorum cõpulſio qua.*

Ad huius explicationem dico tertiò, eiuſmodi vocationem ideo ſignificatã fuiſſe nomine compulſionis, vt notaretur illius vehementior actiuitas, quę auerſos, & reluctantes multorum animos infallibiliter conuertat, & quãuis ſignificetur infallibilitas vaga, & indeterminata reſpectu totius communitatis (vt vidimus ſect. præced. aſſert. 3.) Nihilominus principaliùs ſignificatum eſt infallibilitas determinata reſpectu prædeſtinatorum, quos diuina gratia inſeparabiliter & indeclinabiliter intrare compellit, vt impleatur domus Dei. 4. *Nomine compulſionis vehemens ſignificatur vocatio.* *Prædeſtinatorum determinata compulſio.*

Duæ præcedẽtes aſſertiones ac præcipuè libera diſſentiẽdi poſſibilitas ſimul cum euangelica cõpulſione ſubſiſtens, probatur, vnam plenã & adæquatam expoſitionem conflãdo ex plurimis, quas præſentibus verbis Lucæ 14. Patres adhibent, & Scholaſtici Doctores, quæ omnes tantum diſtant à mutua repugnantia, vt ſe inuicem impliciter ac virtualiter includant: mirabimur autem D. Thomam Ioan. 6. lect. 5. enumerantem varios modos, quibus Pater trahit ad filium, quos referemus tomo ſequenti, ponderantes eundem locum. 5.

Deus igitur ad cœnam intrare compellit ſecundùm multiplices modos, quibus homines ſolent ad hoſpitium, vel ad conuiuium cogere, ſalua libertate eorum, quos inuitant. Primus & communior eſt preces importunæ ſupplices & alacres, amanter ac liberaliter adhibitæ. Quemadmodum Lucæ 24. duo diſcipuli *coegerunt Ieſum, dicentes, Mane nobiſcum Domine, quoniam aduesperaſcit*, &c. Nec tamen potuerunt illius libertatem alligare, ne poſſet, ſi vellet, omnino refutare conuiuium. Quod idem potuit Paulus & Lucas Actuum 16. quando Lydia deprecata eſt, dicens: *Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete, & coegit nos.* Geneſis 19. Loth *compulit Angelos oppidò, vt diuerterent ad eum.* 6. *Multiplex compellendi modus. Primus preces importunæ.*

Digitized by Google

7. Sic etiã Iacob, ſuppliciter, & inſtanter obſecrans, compulit Eſau ſuſcipere, quòd priùs recuſauerat munus Geneſ. 33. *Vix fratre compellente ſuſcipiens.* Ad hæc 2.Reg.13. precum inſtantia, recuſantem, atque periculo præcauentem, Danidem *coegit Abſalon, & dimiſit cum eo Amnon, & vniuerſos filios regis.* Eliſeum verò nolentem, ac præſcium inutilis laboris, filij Prophetarum inſtando *coëgerunt donec acquieſceret, ac diceret: Mittite.* Eſt autem vehementior vis compellendi, cùm ſic inuitans ad cibum aut potum, acceptationem iure ſuo repoſcit, velut officium amicitiæ, atque vrbanitati debitum, & oppoſitum iniuriæ loco numerat, de qua compulſione Eſther 1. *Nec erat,* inquit, *qui nolentes cogeret ad bibendum.* Eccleſ. 31. *ſi coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio,* &c.

4. Reg. 2.

8. Prædictum igitur inuitandi modum precibus inſtanter, amanter, modeſtè, atque humiliter, exercent omnes qui munere Apoſtolico compellunt ad fidem & amicitiam Ieſu Chriſti. Quemadmodum Petrus epiſt. 1. cap. 2. *Obſecro vos,* inquit, *tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs,* &c. Similiter obſecrat epiſt. 2. cap. 1. initio, & Paulus Roman. 12. *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem,* &c. Sap. 15. *Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris.* & 2. Corinth. 5. *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Similiter obſecrat 1. Corinth. 1. verſ. 10. & cap. 16. verſ. 15. & 2. Cor. 2. verſ. 8. & cap. 10. verſu 1. & Galat. 4. verſ. 12. & Epheſ. 4. verſ. 1. & 1. Theſſalonicen. c. 4. verſ. 1. & 2. Theſſalon. verſ. 12. & 1. Timoth. 2. verſ. 1. & ad Philem. verſ. 9. & 10.

9. *Deus homines rogat.* Quin etiam Deus ipſe petit & rogat homines, & ita inuitat, vt ſuo iure conſenſum exigat, & recuſantes meritò puniat, vt ingratos, & inimicos. Sic enim Deuteron. 10. *Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs, & diligas eum.* Eccleſiaſtici 30. *Fili mi, miſerere animæ tuæ placens Deo.* Quem locum ponderans Auguſtinus ſermone 102. de tẽpore in med. ait. *Deus te rogat vt tui miſerearis, & non vis? Cauſam tuam apud te agit, & non poteſt impetrare.* Hoc idem ſignificat Lucæ 15. pars illa parabolæ. *Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum.* Quibus in precibus quanta beneuolentia, quantaque vis lateat, vt intrare compellat, explicabitur tomo ſequenti: idcirco Chryſoſtomus ſermone 2. de Spiritu ſancto in Pentecoſte poſt medium tomo 3. *Mirum,* inquit, *inhortatur, obſecrat Deus mortalem, obſecrat Dominus ſeruum, idque intrinſecus in anima, & alios quidem alloquitur amicè vt filios, alios vt fratres, alios vt amicos compellit.*

10. *Secundus rationibus conuincendo.* Secundus modus eſt, vt vnus homo compellit alium rationibus conuincendo: quemadmodum ſolemus dicere, proteruos fuiſſe compulſos aliquam veritatem fateri. Ideo prædicatio euangelica euidenter demonſtrans falſitatem cuiuſlibet ſectæ contrariæ, & credibilitatem Chriſtianæ fidei non ſolùm rationibus, ſed etiam miraculis & exemplis, compellit omnes gentes intrare, vt impleatur domus Dei, quæ eſt Eccleſia. Quibus additur infallibilis actiuitas per interiorem illuſtrationem intellectus, vt penetret veritatem, quæ priùs latebat obſcura.

11. *Tertius: proprijs affectibus deſiderijſque compelluntur.* Tertius modus eſt, vt ſolent homines proprijs affectibus, deſiderijſque compelli, ſiue natura vel conſuetudine fuerint comparata, ſiue aliorum hominum blandimentis, ſuaſionibus, aut etiam faſcinatione, aut veneficio fuerint permutata. Quam permutationem affectuum in ipſam animam immediatè ſolus Deus poteſt influere. Ideóque ſolus Deus potentiſſimè poteſt huiuſmodi compulſionem cauſare. Explicatur exemplis. Nam primò, quemadmodum Prouerbiorum 16. *Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum.* hoc eſt, auiditas & neceſſitas edendi: ſic etiam quibus Deus tribuit, vt eſuriant, ſitiántque iuſtitiam, eo ipſo ſpirituales labores aggredi compelluntur.

12. Secundò amor & fidelitas militis erga Regem compulit Ethai, vt ſequeretur Dauidem ſibi dicentem: *Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi,* &c. Sic etiam milites quibus Deus inſpirat amorem & fidelitatem erga Ieſum Chriſtum, compelluntur nunquam à veſtigiis & imitatione ſummi Imperatoris recedere.

2. Reg. 15.

13. Tertiò inſitus amor officij, ac decori tenax, compellit Exod. 36. ſub initium: *Vnde & artifices venire compulſi, dixerunt Moyſi: Plus offert populus,* &c. Fortius ergo Chriſti Domini gratia compellit ſeruare iuſtitiam, inſpirando illius affectum.

14. *Deus cõpellit ad fidem.* Permutationem intellectus eſſe modum, quo Deus compellit ad fidem, explicuit Origenes lib. 1. contra Celſum poſt medium, dicens: *Irrideat licèt Celſus quod dicetur, aut introductus ab eo Iudæus; dicetur tamen, multos penè inuitos attractos eſſe ad Chriſtianam religionem, ſpiritu quodam repentè mutante intellectum eorum: vt pro verbo exoſo ad id temporis non cunctarentur mortem oppetere, poſt viſiones oblatas ipſis vel dormientibus, vel vigilantibus. Multa enim talia vidimus, quæ ſi memoraremus duntaxat geſta in noſtra præſentia; cachinnum tollerent infideles, rati nos quoque, ſicut illos, de quibus malè ſuſpicantur, fingere. Teſtis autem eſt Deus noſtra conſcientia, conari me non falſis narratiunculis, ſed veris exemplis commendare diuinam Ieſu doctrinam.*

15. Rurſus permutationem affectus & delectationem eſſe vim quodammodo compulſiuam, notauit Cyrillus Alexand. lib. 5. in Ioan. cap. 12. paulo poſt principium, vbi reſponſum miniſtrorum ad Pontifices Ioan. 7. *Nunquam ſic locutus eſt homo,* ſic ponderat: *Verba eius animos vigore ſuo penetrant, feriunt intima cordis: & vel inuitos ad alta de eo cogitanda pertrahunt. Senſimus animos noſtros præter ſolitum in aliud mutatos, raptos inſueto amore, & ſermonibus eius mirum in modum delectatos.* Sic etiam permutationem affectus eſſe rationem, qua Deus ſalua libertate, compellit. Bernardus tractatu de gratia & libero arbitrio longè poſt medium, explicans præſentem locum 14. Lucæ, notauit his verbis: *Hoc quippe intendit, cùm terret, aut percutit, vt faciat voluntarios, non vt ſaluet inuitos: quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem.* Hanc mutationem Eccleſia poſtulat cùm orat, dicens: *Ad te noſtras etiam rebelles, compelle propitius voluntates.* Fuſiùs & clariùs id explicuit Alexand. 2. p. q. 74. memb. 7. & 3. p. q. 70. memb. 4.

Dominica 4. poſt Pentecoſ. in Miſſa.

16. S. Bonauent. 2. diſt. 25. parte 2. articulo vnico q. 5. corp. docet, Deum non ſolùm inducere homines perſuaſione valdè intenſa, quæ nomẽ coactionis ſortitur, licèt non ſit vera coactio; ſed etiam mutare voluntatem. *Tunc autem,* inquit, *voluntas mutatur, quando ipſa volente vnum, potenti virtute, affectio immittitur ei ad contrarium, & de volente fit nolens,*

volens, ita quod vna affectio expellitur, & contraria inducitur; ſicut patet, cùm Deus de amatore temporalium facit temporalium contemptorem, & hac dicitur eſſe quadã compulſio & ratio diuina. Sic aſſerit intelligendom eſſe, quod in Scriptura dicitur, Deum compellere & trahere voluntates hominum. Similia quædam docet ſanctus Antoninus 1. part. titul. 4. cap. 20. §. 9.

17. Vtramque verò tam intellectus, quàm voluntatis motationem Dei potentia factam, explicuit Theophylactus Lucæ 14. dicens. *Vt ſciamus magna virtutis Dei eſſe credidiſſe gentes, in tanta verſantes ignorantia; ideo dixit, compelle. Niſi enim magna fuiſſet eius, qui prædicabatur, virtus, & magna verbi veritas; quo modo perſuaſi eſſent homines, in idolorum cultu inſanientes, & fœda operantes, vt repentè agnoſcerent, verum Deum & ſpiritualem diligerent viam? igitur admirabilem tranſlationem ſignificare volens, neceſſitatem nominauit. Quaſi diceret quis: Gentiles etiam idola & delitias relinquere nolentes, à prædicatione tamen veritatis ea relinquere coacti ſunt. Vel aliter, virtus ſignorum magnam afferebat neceſſitatem, vt transferrentur ad fidem Chriſti.*

18. Chryſoſtomus etiam aliod agens, videlicet enomerans quæ ſanctus Spiritus operatur in anima ſermon. 2. de Spiritu ſancto in Pentecoſte poſt medium tom. 3. tranſmutationem non ſolùm cognitionis, ſed etiam dilectionis atque dulcedinis complectitur, dicens: *Alios vt amicos compellit, inſtigat, ad ſe attrahit, ineffabili, & mentali charitate cor exhilarat, edulcat, calefacit, à terrenis tranſfert, & ad cœleſtia vocat, redire facit animam, & ad Deum tranſire, & volare, vrget mentem, diuino accendit deſiderio, docens, vt bona, quæ illic ſunt, cogitemus, quæ illic ſunt imaginemur.* Hæc autem bona poſtquam enumerauit copioſè, ſubiungit: *Spiritus paraclitus vocat, & obſecrat animam, & oſtendit ei intrinſecus quaſi in ſpeculo cùm in ineffabili gaudio futurum æternum gaudium; adhortatúrque eam, & dicit: Veni,* &c.

19. Non ſolùm animæ, ſed etiam corporis dulcedinem, & affectum ad opera pietatis, compellere authore Spiritu ſancto, declarauit. Antonins Magnus tom. 3. biblioth. epiſtol. 1. de diuina vocatione prope initium, vbi de iuſtificandis, *quos primus vocat ſpiritus,* ita ſcribit: *Præſtat eis lenitate in omnibus iuuans eos ſpiritus, vt indulcentur eis opera pœnitentiæ: ponit eis terminos per modum quemdam pœnitudinis in corpore & anima eorum, vſquequo doceat eos etiam conuerſionis modum ad conditorem proprium Deum; necnon & præbet eis compulſionem in anima diſcurrentem & corpore, vt vtraque ſanctificari queant.*

20. Abulenſ. Ioſue 11. quæſt. 81. circa medium. *Interdum*, inquit, *gratia pulſatiua & ita fortis, vt homines velut inuitos trahat, & tunc quicumque pulſatus ab illa mouebitur: quemadmodum amatores interdum ita vehementi incitantur amore, vt magis furere, quàm amare videantur.* & poſtea quæſt. 82. docet, etiam obduratos infallibiliter rapi, ſi detur illis hæc gratia.

21. Patres alij compulſionem referunt ad fortiorem vocationem & vehementiorem prædicationem; vt Titus Boſtrorum Epiſ. Lucæ 14. (tomo 1. biblioth.) proponit quæſtionem: *cùm credere vnicuique ſit liberum, imò cùm donum hoc non ſine precibus à Deo obtineri ſoleat,* (videlicet precibus procedentibus à ſupernaturali quodam initio & inchoatione fidei:) *Quomodo dicit: Compelle intrare?* & reſpondet. *Quia enim gentes in toleranda quadam errorum ſeruitute tenebantur, diabolo ſubdita, Dei autem, diuinaque cognitionis prorſus erant ignaræ, propterea validiori quadam vocatione egebant; tali nimirum, quæ aliquam compulſionis ſpeciem præſeferret: quo vel hac ratione aliquem doctrinæ cœleſtis guſtum caperent.*

22. Euthymius verò in eundem locum 14. Lucæ ait: *Cogi verò iuſſit eos, qui ex gentibus erant. Non quòd violentiam inferri præceperit; ſed ſubindicans, quòd vehementiorem, ac conſtantiorem adhiberi prædicationem eis oportebat, vtpotè fortiter à dæmonibus detentis,* &c.

23. Hoc eodem ſenſu accipiendom eſt quod ſcribit Gloſſa ordinaria Roman. 9. ad illud, *Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ. Notandum quòd quibuſdam nec gratiam apponit; cùm alijs infert eam quaſi coactis.* Caſſianus verò collat. 13. Cheremonis cap. 18. ante med. docet, *Deum à ruina iam proxima lapſuque præcipitij etiam inuitos, & inſcios reuocare: nunc autem occaſiones, & opportunitates ſalutis ingerere, ac præcipites violentóſque conatus à lethalibus diſpoſitionibus inhibere, & alios quidem volentes, currentéſque ſuſcipere, alios verò nolentes renitentéſque pertrahere, & ad bonam cogere voluntatem.*

24. Origenes in Numeros cap. 55. homil. 50. colum. penultim. poſtquam dixerat: *Liberi arbitrij eſt anima, & in quam voluerit partem, eſt ei liberum declinare,* ſubiungit: *Quodammodo vim nobis facit, vt nos pertrahat ad ſalutem.* videlicet Chriſtus Dominus. Quod inferiùs confirmat Euangelicis verbis: *Quoſcumque inueneritis, cogite introire; ſic ergo non ſolùm inuitamur à Deo, ſed & trahimur, & cogimur ad ſalutem.*

SECTIO III.

Illuſtriora compulſionis exempla Hieremias & Paulus.

1. EO vehementiæ peruenit aliquando inſtinctus, & impulſio voluntatis, cum intimo dolore, mæſtitiáque coniunctus, qui tolerari non poſſit, moraliter loquendo. Quod autem tolerari non poteſt, eo ipſo neceſſitate ſuccumbere, & obedire compellit, etiam nolentem priùs, atque pro viribus reſiſtentem. Quemadmodum Hieremias cap. 20. firmiter apud ſe conſtituerat, tacendo declinare perſecutionis acerbitatem, & ignominiam. *Quia iam olim,* ait, *loquor vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito, & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die; & dixi: Non recordabor eius, nec loquar vltrà in nomine illius.*

Quod tolerari non poteſt neceſſitat & compellit.

2. Nihilominus à prædicatione ſe contineri non potuit, ne ſuſtineret intolerabilem dolorem, quo torquebatur interiùs quamdiu non parebat ſpiritui prophetico. Ideo ſubdit, *& factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus meis, & defeci ferre non ſuſtinens.* Vbi Theodoretus ait: *Hoc ipſum accidit Paulo Athenis, dum tacitus expectaret. Incitabatur, inquit, ſpiritus eius in ipſo, videns idololatriæ deditam ciuitatem.* Gratia enim prophetica incitabat eum nolentem vt loqueretur.

Actuum 17.

3. Eodem exemplo Actorum 17. æſtuantem Hieremiæ zelum declarat Hieronymus in verba Hieremiæ citata, & rationem addit: *Conceptus enim ſermo diuinus, nec ore prolatus, ardet in pectore. Vnde & Paulus loquitur: Si euãgelizauero, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit.* Quam neceſſitatem non ſolùm ad obligationem præcepti, ſed

1. Corint. 9.

ſed etiam ad vrgentem & compellentem interiùs incitationem ſpiritus Hieronymus refert hoc loco. Nec mirum, Spiritus quippe diuinus debilior non eſt, quàm humanus, qui frequenter homines iniuria laceſſitos erumpere compellit in verba, & in opera, quæ prorſus vitare decreuerant.

4. Sed fortior adhuc erat illa neceſſitas, qua Saulus compellebatur ad fidem, quando dictum eſt ei, Act. 9. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitare.* Porrò Eccleſiaſtes cap. 12. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno*, Deo videlicet, & Chriſto Domino.

5. Quapropter non modò Saulus, ſed etiam cæteri homines, ſi per interiorem illuſtrationem & ſpirationem Dei concionatorum verba conſcientiam vehementiùs ſtimulant, & punctionibus, ſeu ſtigmatibus inſtigant, infallibiliter conuertimur, ne durum & intolerabilem dolorem ſuſtineamus: vt eſt in prouerb. *Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.*

Ex Plauto in Truculēto.

6. Conſonat Hieronymus Eccleſ. 12. nuper citato, & Ambroſ. in Pſalm. 118. ſermon. 15. tractans illud: *Confige clauis à timore tuo carnes meas. Qui compungitur*, inquit, *excitatur: qui configitur, mortificatur, vt peccato deficiat, Deo viuat. Vt ſciamus autem clauos ſpirituales eſſe, etiam ſtimuli ſpirituales ſunt, de quibus ſcriptum eſt: Durum eſt tibi aduerſus ſtimulum calcitare. Hoc ſtimulo Paulus ſtimulatus, ſurrexit à terra, & ſe leuauit, vt conuerſaretur in cælo.*

7. Auguſt. epiſtol. 50. prope medium, & refert 23. quæſt. 6. cap. *Schiſmatici*; *Vbi eſt*, inquit, *quod iſti clamare conſueuerunt, liberum eſt credere, vel non credere? Cui vim Chriſtus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apoſtolum, agnoſcant in eo priùs cogentem Chriſtum, & poſtea docentem; priùs ferientem, & poſtea conſolantem.* Vide ſimilia ſect. ſeq. ad finem, imò & Caſſian. coll. 13. Cheremonis c. 15. ſub initium, *Inuitū*, inquit, *ac repugnātem attrahit Paulum.*

8. Compulſionem ſuæ voluntatis Paulus eleganter explicuit metaphora prætoris capientis reum fugientem, aut Imperatoris in bello perſequentis & capientis inimicos, quando Philipp. 3. ait: *Sequor autem, ſi quando comprehendam, in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Ieſu.* Vbi Theodoretus: *Ipſe*, inquit, *me prior apprehenſum irretiit. Eum valde auerſabar, ipſe apprehendit fugientem.* Quod autem huiuſmodi coactio tranſierit in ſpontaneam & libertinam voluntatem, oſtendit, quod præmiſit Paulus, exponente eodem Theodoreto; *Ego quoque eum perſequor, eum cupiens apprehendere, ne à ſalute excidam.* Qui autem perſequitur, non compellitur, ſed potiùs compellit eum, quem perſequitur.

9. Eundem locum Apoſtoli ſic legit & interpretatur OEcumenius. *Sector ſi etiam apprehendam in his, ob quæ apprehenſus ſum à Chriſto Ieſu*, hoc eſt, *in ea re, qua apprehenſus ſum à Chriſto; iam enim fugientem me comprehendit, & fecit vt crederem. In his ergo, ob quæ apprehenſus ſum, nimirum ad prædicandum, & geſtandum nomen eius coram gentibus, & Regibus, ego curro, ſi quomodo apprehendam, vt talis efficiar, qualis vt fierer, electus ſum.*

10. Hæc obiter obſeruentur ad omnem ſuſpicionem OEcumenij, ac Theodoreti diluendam. Hic enim electio præcedit, & facit, vt faciamus etiam quando nos fugimus. Quod ipſum notat ibidem Chryſoſtom. ſerm. 2. colum. 3. illis præſertim verbis. *Ipſe* (ſcil. Deus) *nos cùm fugeremus, magno ſtudio perſecutus eſt, quod non dicit: quoniam & apprehenſus ſum, oſtendit apprehendere volentis diligentiam. & noſtram plurimam auerſionem, & errorem, quod ipſum ſcilicet fugerimus.* Vide quomodo de omnibus hominibus, non de ſolo Paulo Chryſoſtomus pronunciet, fugientis Dei gratia præueniri, & non quærentes inueniri & apprehendi.

Theodoreti, & OEcumenij ſuſpicio diluitur.

Non diſſimiliter Ambroſ. ibid. ait: *Ad hoc ergo comprehenſus eſt, id eſt, à præſcientia Dei requiſitus inuentus eſt, & didicit myſterium Chriſti, vt in omni vita augmentum faciens meritorum comprehendat deſtinatum præmium.* 11.

Retulit etiam nobis Apoſtolus aliud præſentis compulſionis exemplum Actuum 20. *Ecce*, inquit, *ego alligatus ſpiritu vado in Ieruſalem*, vbi interlinealis exponit: *quaſi coactus ad illud iter.* & Lyra: *reuelatione Spiritus ſancti ad hoc aſtrictus*, nimirum, quia iubente, propellente, atque vehementer interiùs vrgente Spiritu ſancto, moraliter erat impoſſibile peregrinationem illam declinare, imò perinde certum erat illud iter ab eo conficiendum eſſe, ac ſi deportaretur vinculis conſtrictus: ideóque laborem perdere diſcipulos diſſuadentes iter. 12.

SECTIO IV.

Terrores & flagella ſuaſionibus addita, liberè intrare compellunt.

INtrandi verbum, ſumma ſignificationis proprietate intellectum, continet libertatem intrandi, & non intrandi, quoniam *intrare* idem eſt, quod ad interiora Eccleſiæ, ſiue ad Chriſtum venire: ſed propriè non venit, niſi qui ſe ipſum mouet, ac proinde poteſt non mouere: alioqui trahitur, & intus proiicitur amotore neceſſitante. Quod Patres obſeruant circa verba Chriſti Domini Ioann. 6. *Nemo poteſt venire ad me*, &c. quos referemus tomo ſequenti. 1.

Intrare ad Chriſtū venire eſt.

Porrò quicumque perſequitur & intulit terrorem & metum imminentis periculi, ſolet homines compellere, vt fugiant, & ciuitatem, aut arcem munitam liberè ingrediantur. Quemadmodum Iudic. 9. *Abimelec perſecutus eſt fugientem, & in vrbem compulit.* Deus verò Gabaonitas compulit Iſraëlitarum populum ingredi, hanc reddentes rationem ſui conſilij: *Prouidimus animabus noſtris veſtro terrore compulſi.* Ioſue 9. Tam infallibilis autem ſolet eſſe nonnunquam terroris iſtius efficacia, vt non temere, ſed tutò Lyſias promiſerit, *ſe compulſurum Regem amicum fieri.* videlicet, *intelligens inuictos eſſe Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes.* 2.

2. Machab. 11.

Terroribus imminentis interitus additur vis efficacior repetita ſæpius exhortatione & confortatione virium, per ſpecialem Dei concurſum, & impulſum. Cuius rei exemplar Deus nobis propoſuit in Loth, quem retinebant irretitum amœnitas paradiſiaci campi, domus, & labore comparatæ diuitiæ, amor & deſiderium ſecum educendi generos. Sed, *cùm eſſet manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. Diſſimulante autem illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus illi. Eduxerúntque eum.* Vbi Chryſoſtomus homil. 43. inter medium & finem; *Animabant*, inquit, *eos manuum contactu,* 3.

Geneſ. 19.

contactu, & roborauerunt eorum alacritatem, ne timor diſſolueret eorum robur.

4. Rupertus autem de quolibet iuſto ſic exponit: *Si apprehenderit Deus manus eius, & poſuerit eum extra ciuitatem, id eſt, extra tentationis incluſionem; tunc demum ad ſe reuertitur.* hic ſcilicet eſt optimus cogendi modus. Petrus Chryſologus ſerm. 10. in Pſalm. 28. ad fin. *Amicus,* inquit, *amicum attrahat ad ſalutem, vt de gratia diuina humanam comprobet charitatem. Peregrinum ciuis, poſſeſſor hoſpitem Dei ducat ad menſam: vt ſine ſuo ſumptu de diuinis copijs ſit humanus. Attrahite nolentes: nemo dicat, non vult: quia & Abraham, vt offerret filium, colligauit & Loth. Angeli, vt ſubtraherent flammis, extractum manibus ſuſtulerunt, & Petrum Dominus, vt iret ad martyrium quo nolebat, auxilij ſui virtute præcinxit dicens: Præcinget te alius, & deducet quo tu non vis. Et Pater cæleſtis non ſolùm volentes ſuſcipit, ſed attrahit, & nolentes, dicente filio: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, attraxerit illum.* Idem ſermo. 50. de paralytico in medio comprobat exemplo medici compellentis ægrotum, & ſubdit: *Si homo iniurias deſpicit, maledicta contemnit, vt ſauciatis morbo ſponte vitam conferat, & ſalutem: quanto magis Chriſtus in dicus bonitate diuina morbos ſaucios peccatorum ad ſalutem etiam inuitos attrahit, & nolentes?* & poſt pauca: *Noſtras quotidie noxias reſpicit voluntates, & ad ſalutaria nos remedia pertrahit, & perurget inuitos.*

Ioan. 6.

5. Sunt etiam in eodem genere compulſiones celeberrimæ, quas Deus fidelibus ſpectandas præbuit, quando Pharaonem & Ægyptum obſtinatiſſimos compulit: vt qui priùs tenaciter retinebant filios Iſraël, poſtea ſe præberent miniſtros & inſtrumenta, quibus Deus cunctabundos & repugnantes exire compelleret. Exod. 11. *Adhuc,* inquit, *vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet.* Timorem autem fuiſſe compulſionis cauſam, legimus in ſeq. cap. 12. *Urgebant Ægyptij populum Iſrael de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.* & poſt pauca. *Cogentibus exire Ægyptijs, & nullam facere ſinentibus moram.*

Compulſiones celeberrimæ.

6. His autem ad compellendum addita ſunt valida inuitamenta, videlicet pretioſa ſupellex, gratus & opportunus commeatus, ac denique tam importunæ preces, vt afferrent violentiam; quæ ſignificatur Sapientiæ 19. *Quos rogantes proiecerant.* Nam motus & impetus, impreſſus à proiiciente, ſemper eſt violentus.

7. Denique duriſſimi labores, & crudeliſſima oppreſſio, quam Iſraëliticus populus patiebatur in Ægypto, nec non truculenta rabies perſequentium fugitiuos donec mare tranſmitterent, diuina prouidentia deſtinata ſunt, vt nos doceret, propter ſuauiorem arbitrij gubernationem, non expedire, vt Deus interioribus inſpirationibus reſeruet ſemper totam difficultatem ſuperandam; ſed potiùs ita munera diuidat, vt terrenis rebus inhærentes, propter aduerſos earum euentus ab illis reſilire compulſi faciliùs diuina gratia trahantur.

Iſraëlitarum in Ægypto duriſſima oppreſſio.

8. Sapienter namque Petrus Damianus epiſt. 3. ad Blancam, cap. 2. in principio: *Sicut ducem Moyſem diuina prouidentia diſpoſuit ad educendum de Ægypto Iſraeliticum populum, cùm iam Pharao ad opprimendum illum duris operibus fuiſſet exercitatus; quatenus Iſraelitarum populus Ægypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret, quaſi traheret, alius velut impelleret, dum ſæuiret; vt dum plebs in ſeruitio turpiter figitur, vel malis impulſa, & prouocata moueretur. Hoc etiam in populo Dei frequentiùs agitur, cùm prædicatis præmijs cæleſtibus, ſæuire in electos reprobi permittuntur; vt ſi vocati ad terram promiſſionis exire negligimus, preſſuris ſaltem ſæuientibus impellamur.*

Eandem artem, animas ad Deum infallibiliter reuocandi, prædictam legimus Oſee 2. *Ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & non inueniet; & dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quàm nunc.* Cuius ſententiæ verba ſingula poſtquam expendit Gregorius homil. 36. in Euangelia circa parabolam Cœnæ Lucæ 14. columna penultima, concludit: *Poſtquam in hoc mundo non poſſumus obtinere quæ volumus, poſtquc in terrenis deſiderijs de impoſſibilitate laſſamur; tunc placere incipit, quod diſplicebat, & ea, cuius nobis amara fuerant præcepta, repente dulceſcit memoria.* & poſt pauca. *Qui ergo huius mundi aduerſitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, iſti compelluntur, vt intrent.* 9.

Eodem modo compulſionem exponunt Gloſſa ordinaria, Beda & Haymo Epiſcopus Lucæ 14. D. Bonauentura Ioan. 6. declarans tractionem Patris. D. Thomas non ſolùm in catena Lucæ 14. ſed etiam de veritate quæſt. 22. artic. 8. fine. Alexandr. citatus ſect. 2. ſub init. Ægidius 2. ſentent. diſtinct. 25. quæſt. 1. artic. 3. dum reſpondet ad ſecundum principale. Richard. in eadem diſt. 25. artic. 4. quæſt. 2. ad primum. 10.

Theophylact. in eadem verba Lucæ: *Multis,* ait, *morbos & pericula immittendo, fecit, eos etiam voluntarios renunciare huic vitæ: quibus indicijs ſolet inducere illos ad cœnam ſuam, neceſſitatem eis faciens periclitationem.* Iſidorus quoque lib. 2. ſententiarum cap. 7. poſt medium ait: *Nonnulli coacti plagis conuertuntur, qui ex deuotione non conuertebantur, iuxta capitulum Pſalm. dicentis: In camo & fræno maxillas eorum conſtringet, qui non approximant ad te.* Hæc ſimilia ſunt, quæ ſcribit Bernardus ſerm. 21. in Cantica, inter medium & finem. 11.

Pſalm. 31.

Non ſolùm omnes cogendi modos, tota præſenti diſputatione notatos copulatiuè complectitur vnicus, & integer intellectus illius præcepti, *compelle intrare*; ſed etiam ad illius integritatem tanquam ſubſtantialis pars requiritur, quæ demandatur Eccleſiæ paſtoribus, poteſtas, & obligatio compellendi per cenſuras Eccleſiaſticas, & leges vindictas Principum ſæcularium. Quamuis enim concederemus compellendi præceptum ſeruo datum eſſe primariò propter Gentiles, qui nondum erant ingreſſi domum Dei, quos directè non poteſt Eccleſia per leges, aut ſupplicia compellere ad fidem: nihilominus eo ipſo ad plenitudinem muneris, ſeruo commiſſi, pertinet exeuntes ab Eccleſia per hæreſes, aut ſchiſmata, fortiori poteſtate tanquam ſibi ſubditos compellere, vt iterum intrent. 12.

Poteſtas compellendi per cenſuras.

Confirmatur, quoniam Paterfamilias præcepto compellendi nullam limitationem adhibuit. Ac proinde voluit intelligi quamlibet compulſionem, quam recta ratio pareretur ſingulis adhiberi pro ratione perſonarum, locorum, & temporum. 13.

Adde quòd Auguſtinus vias intelligit hæreſes, & ſchiſmata ſepes. Ideóque contendit, compellendi præceptum Lucæ 14. Eccleſiam obligare, vt per cenſuras, & per authoritatem Principum ſæcularium hæreticos, & ſchiſmaticos 14.

Compellendi præceptũ Eccleſiam obligat.

redire

tedire eogat. ſic Auguſtinus lib. 2. contra ſecundam epiſtolam Gaudentij cap. 17. tom. 7. ante medium. epiſtola 48. ad Vincent. epiſtola 50. ad Boniſ. circa medium. epiſtola 204. ad Donatum, relatus 23. quæſt. 4. c. *Nimirũ*, & c. *diſplicet*. quod eſt 37. & 38. & ſerm. 33. de verbis Domini ad finem.

15. Atque io eiſdem locis non omiſit explicare rationes, ob quas eiuſmodi compulſio nihil impediat libertatem, quæ requiritur ad fidem. Siquidem lib. 2. contra ſecundam epiſtolam Gaudent. cap. 17. initio. *Erratis*, inquit, *neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit dum cogit inuitos. Nunquid enim pœnitentiam Niniuitæ inuiti egerunt, quia hoc Rege ſuo compellente fecerunt.* Addere poſſumus: Nunquid Ionas inuitus vouit cap. 2. ac ſubinde fuit irritum eius votum, quia conſtrictus teterrimo & mortifero carcere vouit, videlicet in ventre ceti? Poſt pauca verò ſubdit Auguſtinus primariam cauſam libetæ voluntatis eſſe interiorem gratiam & ſuauitatem. *Quia etſi violenter adducuntur, & compelluntur intrare; intus tamen inueniunt vnde ſe lætentur intraſſe.*

Iona 3.

16. Tota epiſtola 48. eximio robore & copia rationum idem dogma confirmat, vnde accipe illud tantùm ex colum. 2. *Putas, neminem debere cogi ad iuſtitiam; cùm legas, Patremfamilias dixiſſe ſeruis: Quoſcumque inueneritis, cogite intrare; cùm legas etiam ipſum primò Saulum, poſtea Paulum, ad cognoſcendam, & tenendam veritatem, magna violentia Chriſti cogentis eſſe compulſum. Lucem qua oculis capitur, cœleſti proſtratus lumine, ſubitò amiſſam, non recuperauit; niſi cùm ſanctæ incorporaretur Eccleſiæ.* Quibus ſimilia de Paulo, & aliis per flagella coactis, ſcribit epiſtola 204. ad Donatum, & dicto ſerm. 33. de verbis Domini fine. *Foris inueniatur neceſſitas*, inquit, *naſcitur inde voluntas.*

17. Compulſionem per timorem ſupplicij deſtinatam eſſe, vt neceſſitas ad libertatem tranſeat faciendo de neceſſitate virtutem, ſatis indicauit Paulus Rom. 13. dicens. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Vbi ſanctus Thomas lect. prima inter medium & finem. *Propter prædictas*, inquit, *rationes ſubditi eſtote voluntaria neceſſitati, quæ vobis imminet præcepto Principum, vt faciatis de neceſſitate virtutem, non ſolùm propter iram, id eſt, vindictam vitandam, ſed etiam propter conſcientiam bonam conſeruandam.*

DISPVTATIO VIII.

Num vaga, & indeterminata infallibilitas ex parte obiecti ſufficiat, vt actus liber in vniuerſali prædefiniri queat.

SECTIO I.

Diſtribuitur in plures infallibilitas vaga, & probatur ea, quæ vagatur circa diuerſas perſonas, actiones, & motiua.

1. *Motiuorũ vis ad infallibiliter inferendos actus.*

IN hac & in duabus ſectionibus proximè ſequentibus ferè nihil agimus de prædefinitione; conſideramus enim ſolummodo vim, & poteſtatem quorumdam motiuorum, & circumſtantiarum ad infallibiliter inſerendos actus liberos; & hanc vim conſideramus ſecundùm ſe præciſam à qualibet præſcientia & prædefinitione diuina; vt ex hac conſideratione poſtea in ſect. 4. & ſequentibus faciamus gradum, ad prædefinitiones quaſdam colligendas, & conciliandas cum libertate.

Propterea multa huius infallibilitatis exempla & probationes ſubiicimus in peccatis, & in eorum materialibus actionibus: quia licèt iſtæ propter turpitudinem ſint prædefinitionis expertes, & incapaces; nihilominus quantum ad infallibilitatis certitudinem, & illius cum libertate concordiam, eadem eſt ratio de bonis, quæ de malis operantibus; ſi omnes conſiderentur abſtrahendo à præſcientia & prædefinitione Dei. 2.

Peccatorum actiones prædefinitionis expertes.

Vnde collige, quòd te præmonitũ eſſe oportet. Quoties in hac & ſequentibus ſectionibus, aſſerimus vagam & indeterminatam infallibilitatem quorumdam bonorum operum, & negamus eorumdem infallibilitatem in particulari, & determinatam; accipienda eſſe omnia, quæ dicimus, cum prædicta præciſione. Quapropter his aſſertionibus non obſtantibus, tota diſputatione 9. probabimus determinatam & omnino ſingularizatam prædefinitionem ac prædeſtinationem ex vi ſententiæ mediæ, atque etiam quandoque ex vi motiuorum, & circumſtantiarum infallibiliter impellentium ad hunc numero actum, hîc, & nunc eliciendum. Cæterùm propter ſolam & præciſam vim motiuorum & circumſtantiarum, quæ vagam infallibilitatem afferunt; nunquam ſequetur determinata infallibilitas, nec fieri poterit prædefinitio determinata & in particulari: vt magis conſtabit ex ſequentibus diſputationibus. 3.

Sit igitur prima concluſio. Plurimæ ſunt res, per quarum disiunctiuam indeterminationem vagari poteſt, infallibilitas, quæ nullam illarum rerum in ſingulari determinet, ſed tantùm in confuſo, & in vniuerſali. Poteſt namque vagari primò circa perſonas: ſecundò circa genera, vel ſpecies, aut indiuidua operationum; & conſequenter circa earum obiecta formalia vel materialia. Tertiò vagari poteſt circa extenſionem ad plura obiecta materialia, vel pauciora. Quartò circa maiorem, aut minorem intenſionem. Quintò circa eliciendum actum in hoc, vel in alio inſtanti. Sextò circa magis, aut minus diuturnam durationem, ſeu continuationem actus. Septimò circa diuerſa loca, in quibus operari poterit. Octauò circa eas circumſtantias omnes, quæ licèt non ſint obiecta formalia operationis: nihilominus ad illam eliciendam adiuuant ſiue per ſe, ſiue per accidens, interiùs, vel exteriùs. 4.

Vaga infallibilitas pluriũ rerum.

Propterea licèt foret phyſica, & antecedens neceſſitas ea, quæ vagatur circa hæc omnia, neceſſitande ad aliquod illorum eligendum, & determinandum: adhuc maneret ſoluta & indifferens poteſtas, vt voluntas ſeipſam determinaret ad vnum, vel ad plura illorum, circa quæ vagatur prædicta neceſſitas. Quemadmodum qui naturali, & diuino præcepto, nec non inſita propenſione ſeruandi vitam, compellitur aliquando manducare aliquem cibum; nihilominus non compellitur, vt hunc cibum determinatè, hîc & nunc comedat, ſed poteſt hunc vel alium cibum, ſic, vel aliter paratum, in hac hora, vel in alia, hîc, vel alibi comedere. 5.

Infallibilitas vaga & libera poteſtas ad vnum vel plura.

Secunda concluſio. Indeterminata, & generalis infallibilitas aliquando vagatur circa illa 6.

omnia,

omnia, quæ numerata ſunt in concluſione prima; aliquando verò non vagatur circa illa omnia; ſed quædam illorum determinat, alia verò non determinat. Huius concluſionis membrum ſecundum conſtabit ſect. 2. & 3. Nunc verò primum illius membrum explicatur, & probatur primò Matth. 18. *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala. Verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Vbi Chriſtus Dominus apertè ſignificat, neceſſitatem vagari per varias perſonas, & varia ſcandalorum genera indeterminatè. Nec enim neceſſe eſt, vt per hunc hominem fiat, nec vt hoc, & non aliud ſcandalum fiat: *Ideo væ ei eſt homini, qui quod neceſſe eſt, vt fiat in mundo, vitio ſuo facit, vt per ſe fiat,* vt Hieronymus expouit in verſu proximè ſequenti poſt ſuprà citatum.

Neceſſitas vaga circa perſonas, & genera delictorum.

7. Eandem ſententiam colligere licet ex Chryſoſt. homil. 60. in Matth. colum. 1. & 2. & Theophyl. Lucæ 17. Porrò neceſſitas hoc loco non eſt ſola & nuda indigentia mediorum ad finem; ſed eſt etiam infallibilis conſecutio effectuum ex cauſis efficientibus ita diſpoſitis, hæc enim ſola neceſſitas æquipollet impoſſibilitati contradictorij. De qua Lucæ 17. initio: *Impoſſibile eſt*, inquit, *vt non veniant ſcandala. Sicut ſi medicus videns quempiam mala diæta viventem, dicat, neceſſe eſt hunc ægrotare.* Ita Theophyl. in catenâ inſertus à D. Thom.

8. Similis fortaſſe neceſſitas indeterminata, & vaga circa perſonas, & genera delictorum quæ in præliis committenda ſint, continetur in illis verbis Matth. 24. *Oportet primùm hæc fieri.* Videlicet, prælia & opiniones præliorum, & quæ comitantur calamitates & ſcelera. & 1. Corinth. 11. *Oportet hæreſes eſſe.* Nam verbum *oportet* in his locis ſignificat non modò indigentiam in ordine ad finem; ſed etiam infallibilitatem euentus, ſuppoſita hominum malitia, quam Dei ordinaria prouidentia permittit.

9. Secundò probatur concluſio eadem in actionibus ex ſe indifferentibus, quæ nonnunquam honeſtè, ac laudabiliter, & quandoque etiam turpiter, & culpabiliter fiunt. In quibus innumeræ ſunt infallibilitates, quæ vagantur circa perſonas, tempora, loca, & alias circumſtantias. Eſt namque infallibile fore vt aliquæ perſonæ vendant aliis ementibus, aliquæ perſonæ dominentur, aliæ verò ſeruiant, & obediant: aliæ bellum, aliæ pacem, aliæ ruſticationem, aliæ nauigationem, aliæ literarum ſtudia ſequantur. Nec vllus prudens timebit, vnquam defuturos eſſe omnes agricolas, nec omnes mercatores, nec omnes fabros, ſi non defuerunt homines. Tutò etiam & certò prædicere poteris, quamdiu Deus vniuerſum ſolita prouidentia gubernauerit, plurimos homines eſſe futuros, qui liberè comedant, bibant, dent operam liberis, & humanæ ſpeciei propagationi, qui cæteris libenter præſint, iudicent, publica negotia curent, & aliis muneribus etiam ſordidis & abiectis occupentur. Ad harum imitationem, promptum eſt infallibilitates alias plurimas excogitare.

Actionũ indifferentium infallibilitates innumeræ.

10. Tertiò quantum ad ſupernaturales operationes ex vi circumſtantiarum, & gubernationis ordinariæ prouidentiæ infallibile eſt, vt aliqui homines ſacris ordinibus initientur, ſeruato iuris ordine, alij contra iuris ordinem: vt aliqui ſacerdotes dignè celebrent, alij indignè: vt aliqui audiant ſacrum; alij negligant audire: vt aliqui cum debita diſpoſitione ſuſcipiant ſacramenta, alij verò ſine diſpoſitione debita: alij ſtatum religionis, alij ſæcularem eligant; & ex religioſis multi perſeuerent, aliqui ab inſtituto deficiant. Quarum ad inſtar inueniri poſſunt aliæ quamplurimæ infallibilitates, quæ nullum hominem determinatè & in particulari reſpiciunt: ſed disiunctiuè hunc, vel illum, aut alium hominem.

Quartò ex populo Gentilico plurimos homines vagè, per varios virtutum actus, & variam intentionem & circumſtantias illorum, variis motiuis allectos, intraturos fuiſſe in Eccleſiam, fuit infallibile ex vi compulſionis, quam Deus adhibuit per miracula, prædicationem, exempla, reuelationes; maximè verò per ſuam exaltationem à terra, qua traxit omnia ad ſeipſum: vt notauimus tota diſputatione 7. præſertim ſect. 1. num. 8. & ſequentibus. 11.

Quintò. Præcedenti ſimilis infallibilitas eſt, vt poſtquam *plenitudo gentium intrauerit*, quando *auferetur velamen quod poſitum eſt ſuper cor eorum,* Iudæi prouocentur ad æmulationem Gentilium, & Iſraël ſaluus fiat, & conuertantur ad veſperam. Etenim huiuſmodi circumſtantiæ non hanc, aut illam perſonam determinatè reſpiciunt, ſed vagè plurimos ex omnibus nationibus Iudæorum, qui multiplici motiuo & variis actibus conuertendi ſunt ad Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. 12.

Rom. 11.
2. Cor. 3.
Pſalm 58.

Sextò circa media inducentia ad credendum, & circa perſonas vagatur infallibilitas illa Exodi 4. *Si non crediderint*, inquit, *tibi, nec audierint ſermonem ſigni prioris; credent verbo ſigni ſequentis. Quod ſi nec duobus his ſignis crediderint, nec audierint vocem tuam; ſume aquam fluminis*, &c. Vnde in fine capitis notatur: *Fecit ſigna coram populo, & credidit populus.* 13.

Septimò. Interitum incurrendi infallibilitas vagatur circa perſonas, & circa media neceſſiones illius, à Deo diſpoſitas in pœnam iniquorum. Quemadmodum Iſaiæ 24. *Formido, & fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ: & erit qui fugerit a voce formidinis, cadet in foueam: & qui ſe explicauerit de fouea, tenebitur laqueo.* Quod idem minatur Heremias cap. 48. verſ. 44. Ezechiel. 6. *Qui longè eſt, peſte morietur: qui autem propè, gladio corruet: & qui relictus fuerit & obſeſſus, fame morietur,* & cap. 33. *Qui in ruinoſis habitant, gladio cadent: & qui in agro eſt, beſtiis tradetur ad deuorandum: qui autem in præſidiis & ſpeluncis ſunt, peſte morientur.* Cui ſimilis eſt illa vniuerſalis, & indeterminata comminatio Ieremiæ 15. *Egrediantur qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatẽ.* Nec diſſimilis eſt altera Amos c. 5. *Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus: & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Numquid non tenebræ dies Domini*, &c. Nam ex cæca ignorantia hominum, Dei autem ſapientia & potentia præuenit, vt quocumque fugerint, Dei punitionem & vindictam incurrant. 14.

Octauò liberandi populum Iſraëliticum infallibilitas, quæ vagaretur per varias perſonas, & varias occaſiones, habetur Eſther 4. vbi Mardochæus Reginam, meritò formidantem accedere ad Regem, ita compellit: *Ne putes quod animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis. Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu & domus patris tui peribitis. Et quis nouit, vtrùm idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* 15.

Nonò

Digitized by Google

16. Nonò decantando laudes Chriſto Domino infallibilitas, quæ per varias perſonas, & varia media vagatur. Lucæ 19. docetur: *Dico vobis, ait, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Veluti petræ ſciſſæ & aperta monumenta expirante Chriſto, & percutientibus pectora ſua Iudæis, qui viuentem blaſphemabant corde lapideo.

SECTIO II.

Comparatione vnius & eiuſdem perſonæ infallibilitas actionum in genere, relicta ſpecierum indifferentia.

1. VEnio iam ad probandum alterum membrum, quod ſect. præcedenti concluſ. 2. propoſui: & ſit concluſio vnica. Comparatione vnius & eiuſdem perſonæ, multæ contingunt collectiones circumſtantiarum, virtute quarum actus in genere & vagè ſunt infallibiles; imò etiam neceſſarium eſt ex ſpeciebus ſub iſto genere contentis, aliquod indiuiduum produci; & conſequenter eſt impoſſibile totam collectionem illarum ſpecierum prætermitti; quamuis illarum ſpecierum ſingulæ poſſint totaliter prætermitti, nullum prorſus indiuiduum vniuſcuiuſque producendo; dummodo producantur aliqua indiuidua aliarum ſpecierum.

Circumſtantia reſpectu vnius perſonæ actum in genere infallibilem reddentes.

2. Hæc infallibilitas, ita intellecta, ſicut prænotauimus in exordio præcedentis ſectionis, non ſolùm ex principiis fidei; ſed etiam naturali ratione, nec non experimento quotidiano tam manifeſtè colligitur, vt non poſſit, niſi cum erroris periculo, negari. Adhuc tamen operæ pretium erit illius aperire fundamenta firmiſſima, ne quiſpiam audeat ab ea reſilire, atque recedere, perterritus ſingulari difficultate conciliandi vagam infallibilitatem, ſeu neceſſitatem, cum indifferentia omnimoda circa ſingulos actus in particulari, quam tractabimus à ſect. 7. vſque ad 12.

Ex principiis fidei, & naturali ratione colligitur.

3. Probatur primò, quoniam comparatione cuiuſlibet hominis in particulari, dum vigilat, eſt ſimpliciter neceſſarium, vel ſemper, vel aliquando ſaltem intra breue temporis interuallum amare bonum, & beatitudinem; ſiue illud ametur ſolummodo in communi & abſtractè, nullum particulare bonum amando; ſiue ametur vt imbibitum in aliquo ſpeciali bono, quod amatur. Hinc verò prouenit vaga neceſſitas, vel infallibilitas eliciendi aliquam ex innumeris volitionibus liberis: quemadmodum explicabitur & probabitur infrà diſp. 42. ſect. 5. & 6.

Cuius b[?]d & beat[?] nem [?] ſim[?]ſſarium.

4. Probatur ſecundò, nam ad inſtar prædictæ motionis naturalis ad bonum Deus perſæpe mouet per excitantem & præuenientem gratiam, protinus indeliberatam, vt peccator vehementer deſideret æternam & ſupernaturalem felicitatem; & remouet eo tempore fortiora impedimenta, quæ liberam electionem ſupernaturalium bonorum impedire poſſunt. Ex vi quorum motiuorum & circumſtantiarum, præciſa qualibet alia cauſalitate, & præciſa præſcientia & prædefinitione Dei hic peccator non eſt infallibiliter determinatus, vt eligat confeſſionis ſacramentum protinus recipere; ſed indifferens eſt, vt incipiat nunc orare, aut ieiunare, vel dare eleemoſynam; & incipiat habere attritionem, vel audiat ſacrum, vel concionem, vel pios libros legat, vel conſilium petat à viro pio, vel deliberet de ſtatu religionis, vel de peregrinatione. Alij demum innumerabiles actus conducunt ad æternam felicitatem obtinendam, circa quos omnes diuiſiuè ſumptos vagatur libera & ſoluta indifferentia iſtius hominis, ſola manente infallibilitate concipiendi liberè aliquem illorum, ex ſuppoſitione illius deſiderij, & inſpirationis atque cæterarum circumſtantiarum.

Excitās gratia indeliberata.

Probatur tertiò, quoniam certum eſt fieri poſſe (id quod de facto frequenter euenire veriſimilius eſt) hominem aliquem iuſtum, & ſanctum à Deo infallibiliter, & determinatè moueri, vt omnino velit ſubuenire neceſſitatibus extremis proximorum. At ex vi huius motionis præcisè non determinatur hic homo ad varias ſpecies actuum interiorum, & exteriorum, quibus ſubuenire poteſt. Sed relinquitur illi vaga & indeterminata indifferentia, vt illi deſiderio ſubueniendi ſatisfaciat per actum merè naturalem compaſſionis, & miſericordiæ, vel per actum ſupernaturalem charitatis Theologicæ, aut miſericordiæ, cuius obiectum formale ſit ſubleuatio miſeriæ illorum, qui Deo coniuncti ſunt, vel actum religionis ad exhibendum honorem Deo in eius imagine, vel in eius filio adoptiuo, vel per actum pœnitentiæ, volendo ſatisfacere pro peccatis, vel per deſiderium obtinendæ caſtitatis, ad illam impetrandam, & fouendam per huiuſmodi labores. Loquor ſemper ex vi talis deſiderij generalis, præſcindendo à qualibet alia cauſalitate, præſcientia, vel prædefinitione. 5.

Rurſus eidem homini quantum ad exteriores actus manet indifferentia, vt ſubueniat indigentibus manè, vel veſpere, vel nocte: nec non vt indigentes in domum ſuam recipiat, vel extra domum alat; vt corroget eleemoſynam ab aliis, vel vt propriis ſumptibus ſuſtentet: vt per ſeipſum, vel per alias perſonas miniſtret infirmis: vt colloquiis piis conſoletur, vel ſolummodo rebus: vt colloquia de his, vel de illis rebus miſceat; vt fauore apud Principes, vel iudices liberet oppreſſos. Ad inſtar quorum excogitare licet alias innumeras operationes interiores, & exteriores, ad quas relinquitur indifferentia; licèt omnino fixum & immutabile ſit decretum ſubueniendi proximis. 6.

Confirmatur. Nam eidem præcepto diuino, vel humano ſatis fieri poteſt per interiores actus ſpecie diuerſos. Vnde quando ex circumſtantiis reddatur infallibilis, aut etiam abſolutè neceſſaria præcepti alicuius obſeruatio; ex eo præcisè manet infallibilitas vaga cum indifferentia libertatis, vt impleat præceptum per actum iſtius ſpeciei, & propter hoc obiectum formale, aut propter aliud, vel aliud obiectum formale, atque per alios actus ſpecie differentes; quemadmodum de Chriſto Domino diximus tomo de ſcientia Dei diſp. 47. ſect. 2. 7.

Euidentiores tamen probationes occurrunt in actionibus peccatorum, quàm in actionibus honeſtis. Ideo ſit probatio quarta & generalis, quam poſtea diſtribuemus in partes. De fide eſt quaſdam circumſtantias occaſionum peccandi, tentationum, & deſtitutionis auxiliorum, quibuſdam hominibus ingruere, ſub quibus eſt illis abſolutè impoſſibile diu ſe continere ab omni peccato lethali. Ex qua impoſſibilitate ſequitur euidenter, eſſe neceſſarium, vt hic homo, ſub hoc ſtatu conſtitutus, aliquando committat aliquod peccatū lethale. Nam ſi vnum contradictoriorum eſt impoſſibile, aliud eſt neceſſarium; alioqui 8.

Sub quibuſdam circumſtantiis diu ſine peccato perſeuerare impoſſibile.

dati

dari potuiſſent duo contradictoria ſimul vera: vt logica demonſtrat.

9. *Quodlibet peccatum vitare poſſumus.*

Hinc vlterius arguitur. Quodlibet peccatum in particulari determinatè eſt poſſibile vitare in quolibet ſtatu: alioqui peccatum non eſſet niſi vitari potuiſſet (vt demonſtratum eſt tomo de voluntate Dei à diſputat. 28. vſque ad 51.) ſed contingit in aliquibus ſtatibus eſſe ſimpliciter impoſſibile vitare quodlibet lethale peccatum collectiuè longo tempore, & neceſſarium eſſe committere aliquod peccatum lethale: vt nuper probatum eſt. Ergo de facto dantur circumſtantiæ, & ſtatus, ex vi quorum ſequitur infallibilitas, aut neceſſitas vaga & indeterminata; cùm tamen relinquatur omnino ſoluta indifferentia libertatis ad ſingulas actiones determinatè, & in particulari.

10. Huius probationis vires clariores emicant in barbaro, valde remoto à notitia fidei, qui communi prouidentiæ relictus, numquam perueniet ad fidem, vt experimento conſtat de nationibus integris barbarorum. Hic licèt cognouerit, furtum, homicidium, periurium, aut alia peccata eſſe à Deo prohibita; nihilominus quamdiu caret fide, auxiliis ſpecialibus gratiæ ſolummodo pulſatus quibuſdam initiis præuenientis gratiæ valde tenuis; infallibiliter ruet de peccato in peccatum etiam lethale. Quoniam arbitrium ad bene operandum, & ad cauenda peccata, non eſt liberum niſi per gratiam; ſed ſupernaturalibus auxiliis deſtitutum, *eſt ſeruum peccati*; vt ex Paulo Romanorum 7. aliiſque teſtimoniis Scripturæ ſacræ colligunt Concilia & Patres communiter.

11. Confirmatur primò pluribus teſtimoniis Auguſtini, & aliorum Patrum, aſſerentium, hominem abſque Dei gratia nihil poſſe, niſi peccare: nihilque habere de ſuo, niſi mendacium & peccatum; proptereàque ſingulis momentis Dei auxilio indigere, vt vidimus præcedent. tomo de voluntate Dei diſp. 36. ſect. 4. & 9.

12. Secundò confirmatur omnibus teſtimoniis Scripturæ, & Sanctorum Patrum, ac rationibus, quibus Theologi, de gratiæ neceſſitate diſputantes, probare ſolent, ſine auxilio gratiæ neminem diu poſſe reſiſtere omnibus tentationibus collectiuè: nec poſſe diu conſtantérque Deum, vt authorem naturalem, ſuper omnia diligere; nec diu ſatisfacere quibuſlibet naturalibus præceptis collectiuè ſumptis. Hanc autem infallibilitatem, ſiue neceſſitatem ſuccumbendi alicui tentationi, & admittendi peccatum appoſito ſimili S. Bonauentura explicuit in 2. ſentent. diſt. 28. art. 2. quæſt. 2. corp. dicens: *Pugil cum ſe cooperit ex vna parte contra ictum, & ex altera diſcooperit à magis experto pugnatore læditur.* Cui doctrinæ valde conſonat Ægidius in eadem diſtinct. 28. quæſt. 2. toto articul. 2. præcipuè ad finem dubij lateralis, & Richardus eadem diſtinct. artic. 2. quæſt. 2. & 3.

13. *In peccato hærenti diu perſeuerare ſine alio impoſſibile eſt ſine gratia.*

Eidem principio nititur probatio 5. quoniam peccator, etiam fidelis, quamdiu hæret in mortali peccato, non poteſt diu perſeuerare, quin aliquod aliud mortale committat: ergo in ſtatu peccati mortalis eſt infallibile aliquod aliud mortale committere, quamuis ſingula quæque mortalia potuerint euitari. Antecedens docuit Gregor. homil. 11. in Ezech. poſt medium, & lib. 25. Moralium cap. 13. quem refert, & ſequitur S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 8. & communiter Scholaſt. tam ibi, quàm in 2. ſent. diſtinct. 27. & 28. Colligiturque ex Mileuitano Concil. cap. 3. 4. & 5.

Nec debilitatur iſtius probationis robur, licèt reſpondeas, peccatori propterea liberum eſſe, atque poſſibile ſingula peccata vitare, quia poteſt, ſi velit, recuperare iuſtificantem gratiam, cooperando ſupernaturalibus auxiliis, quibus ad pœnitentiam excitatur. Hoc enim non obſtante vis argumenti ſic inſtauratur. De potentia abſoluta fuit poſſibile, quòd Deus decreuiſſet alicui peccatori denegare auxilium ſimpliciter neceſſarium, vt rediret in gratiam; & ſolummodo tribueret auxilia, quæ communiter tribuuntur fidelibus exiſtentibus in peccato mortali, vt euitent ſequentia peccata, etiam ſi maneant in mortali. Fingamus igitur hanc hypotheſim, abſolutè poſſibilem, de facto contigiſſe in Iuda, exempli cauſa, poſtquam cœperat furari pecunias, ſibi commiſſas. 14. *Reſponſio.* *Diluitur.* *Auxilium ad gratia recuperationē neceſſariū quare negari potuit.*

Nunc peto, vtrùm Iudas ſub his auxiliis, & circumſtantiis potuerit multis annis ſe continere à quolibet peccato, mortali collectiuè, itaut ampliùs numquam furaretur, nec præceptorem proderet auaritiæ cauſa, nec Euchariſtiam indignè ſumeret, nec vllum aliud lethale committeret. Si enim affirmes, omnia mortalia collectiuè potuiſſe vitari ab illo; conſequens eſt, peccatorem, in peccato hærentem, poſſe diuturno tempore vitare omnia mortalia collectiuè: quod eſt contra ſuperiorem doctrinam Theologorum; imò & contra definitiones Conciliorum, quæ decernunt, etiam homines iuſtos, nedum peccatores, abſque ſpeciali auxilio gratiæ non poſſe diu perſeuerare ſine mortali, vt videbimus probat. ſequenti num. 20. 15.

Si reſpondeas, Iudam in prædicto caſu non potuiſſe vitare omnes illas operationes, ex ſe turpes; verumtamen illi non imputari ad culpam: quoniam non poterat recuperare gratiam iuſtificantem, ſine qua vitari non poterant: conſequens erit, vt plurimos homines excuſes à culpa criminum atrociſſimorum. Quoniam eorum criminum occaſione, & tentatione vrgente, tam longè diſtabant à gratia propter vehementē attentionem ad vindictam, ad bella, ad libidinem, aut alias res, vt ſecundùm ordinariam prouidentiam eſſet illis impoſſibile recuperare gratiam iuſtificantem; niſi longiori mora temporis Dei auxilio præuenirentur, & emollirentur, cui paulatim cooperando ſe diſponerent. Quapropter ita crimina non imputarentur ad culpam. hoc autem eſt prorſus abſurdum, & improbabile. Conſequens igitur eſt, ſufficientem imputabilitatem, & ſufficientem poſſibilitatem non peccandi reperiri poſſe in homine peccatore; etiam ſi quando peccat, non poſſit recuperare gratiam iuſtificantem. 16.

Confirmatur primò, quoniam ſi Iudæ ſub prædicta hypotheſi conſtituto, non imputarentur ad culpam furta, proditio, deſperatio, & alia ſcelera: ſequeretur auxilia ſupernaturalia, quæ Deus per gratiam iuſtificantem communicat, non eſſe neceſſaria, imò nec prodeſſe ad vitandas culpas imputabiles: ſed ſolummodo prodeſſe, vt imputentur ad culpam homicidia, furta, periuria, adulteria, & cætera facinora, quæ omnia licèt fierent, non imputarentur ad culpam; niſi per auxilia ſupernaturalia concederetur peccatori poteſtas recuperandi gratiam. Hoc autem nullus vel mediocriter Theologus concedet. 17. *Auxilia ſupernaturalia ad vitandas culpas.*

18\. Confirmatur ſecundò, quoniam aliqua imputabilitas criminum reperitur prorſus independenter ab imputabilitate omiſſionis recuperandi gratiam; vnde licèt hæc omiſſio non imputetur ad culpam, nihilominus imputantur alia crimina. Quemadmodum quando quis probabiliter exiſtimat, ſe eſſe in gratia; quoniam inuincibiliter obliuiſcitur alicuius peccati, per ignorantiam vincibilem commiſſi: vel quia putat ſe pœnituiſſe ſufficienter; vel inuincibiliter ignorat, neceſſarium eſſe recuperare iuſtificantem gratiam, ad euitanda ſequẽtia peccata. Tunc enim ſequentia peccata imputarentur illi, & tamen non imputaretur illi ad culpam omiſſio recuperandi gratiam. Maneret tamen in eo infallibilitas committendi aliquod mortale peccatum vagè, quamuis poſſet ſingula diuiſiuè vitare.

19\. *De qua impoſſibilitate vitandi peccata loquantur Patres.* Tertiò ad confirmationem præcedentium & ſequentium probationum obſeruandum eſt, quòd teſtimonia Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & Scholaſticorum non loquuntur de impoſſibilitate vitandi peccata, quæ naſcatur ex ſola præſcientia Dei; ſed quæ neceſſariò ſequatur ex humanæ naturæ ignorantia, fragilitate, blanditiis concupiſcentiæ, faſcinatione nugacitatis, impugnatione dæmonum, adiuncta deſtitutione peculiaris inſpirationis.

20\. *Impoſſibilis perſeuerantia in gratia ſine ſpeciali auxilio.* Sexta probatio, præcedenti ſimilis, eſt infallibilitas committendi aliquod lethale peccatum, quæ cuilibet iuſto imminebit, ſi deſtituatur ſpeciali auxilio Dei; cùm tamen peccata lethalia ſingula diuiſiuè vitare ſit abſolutè poſſibile. Nam, vt decernit Trident. ſeſſ. 6. can. 22. *iuſtificatus ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare non poteſt.* Cùm verò perſeuerantia iuſtitiæ non poſſit intermitti, niſi per lethale peccatum; conſequens eſt, vt aliquod lethale committere ſit neceſſarium, aut infallibile: alioqui ſi quodlibet peccatum mortale collectiuè vitare potuiſſet iuſtus abſque ſpeciali Dei auxilio; potuiſſet eo ipſo in gratia perſeuerare.

21\. Confirmatur primò, quoniam de facto contingit non rarò, iuſtificatum hominem deſtitui hoc ſpeciali auxilio, requiſito ad perſeuerandum diuturno tempore: quoniam deſtitutionem hanc meretur propter effrænatam impudentiam & audaciam multiplicandi veniales culpas, præſertim eas, quæ grauiores ſunt, ex obiectu, & magis deliberate committuntur; & propter negligentiam impetrandi huiuſmodi auxilium ſpeciale per orationes, ieiunia, eleemoſynas, & alia pia opera, vt ex eodem Tridentino colligitur, & videbimus diſputat. 13. ſect. 3. & 4. In hoc autem caſu non eſt dicendum, iſtum hominem iuſtum non poſſe vitare ſingula mortalia, quæ committere poteſt. Inde quippe ſequeretur, illi non imputari ad culpam, ſubindéque non poſſe gratiam iuſtificantem amittere; quapropter foret melioris conditionis, & tutioris ſtatus iſte iuſtus, ſpeciali auxilio deſtitutus, quàm alter iuſtus ſpeciali auxilio ſuffultus. Ergo iuſtus, ſpeciali auxilio deſtitutus, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & non vitare; licet non poſſit omnia collectiuè vitare; ideóque neceſſarium ſit aliquod vagè committere.

Venialium multiplicitas ſpecialis auxilij deſtitutionem meretur.

Iuſtus ſine ſpeciali auxilio ſingula venialia vitare poteſt.

22\. Confirmatur ſecundò. Nam ſi quis ferè nudus, & fauos ex alueolo rapiens, numeroſo apum examini circumquaque inuadenti, velit reſiſtere; neceſſarium erit omnino, vt vagè aliquam corporis partem protectione deſtituat, & vulnerandam præbeat aculeis; quamuis ſingulas corporis partes determinatè poſſit protegere: poterit namque brachia protegere; ſed faciem, & collum exponet vulneribus. Poterit faciem protegere; ſed pedes relinquet in manifeſto periculo. Quoniam dum occupatur in retundendo, & arcendo iſtarum impetu, non vacat apibus aliis reſiſtere. Eiuſmodi vaga infallibilitas homini iuſto contingit, quando ſpeciali Dei auxilio deſtituitur. Nam dum attendit ad vnam tentationem ſuperandam, incautus præoccupatur ab alia longè diuerſa, vt meritò dicat: *Omnes gentes circuierunt me. Circumdantes circumdederunt me. Circumdederunt me ſicut apes fauum*, Pſalm. 117. *fauum* in textu legunt antiquiores Patres, Auguſtinus, Proſper, Theodoretus & alij: Hieronymus autem *fauum* addit in commentario, & ſecundùm Theodoretum & Hieronymum ſignificatur frequentia & varietas irruptionum, quibus dæmones conantur eripere dulcedinem, quam Chriſtus infundit. Ideóque omnibus illis collectiuè ſumptis impoſſibile ſit reſiſtere, niſi nomine, auxilio & protectione ſpeciali Dei, cui ſoli tota victoriæ laus decantatur in omnibus ferè verſibus eiuſmodi Pſalmi.

23\. Septima probatio eſt euidentior alia infallibilitas committendi aliquod veniale, nullum in particulari determinando. Quoniam abſque ſpeciali Dei priuilegio nemo, licèt iuſtificatus, poteſt in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare: vt decernit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 23. *Omnia venialia ſine ſpeciali priuilegio nec iuſtus vitare poteſt.*

24\. Ex quibus omnibus colligitur, eandem neceſſitatem, ſeu infallibilitatem vagam, & in communi, cum libertatis indifferentia coniunctam, reperiri poſſe ſimiliter in actionibus honeſtis, etiam ſupernaturalibus, quoniam poteſt Deus ad illas augere motiua tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, vt fortius inuitent, quàm bona ſenſibilia: & aliunde inter infallibilitatem vagam & libertatem in actionibus honeſtis, etiam ſupernaturalibus, diſcordiæ ratio nulla reperietur maior, quàm in actionibus peccatorum. Quod vtrumque probationis membrum conſtabit magis ſect. 4 & ſequentibus.

25\. Octauò eandem veritatem à fortiori demonſtrant omnes rationes adducendæ in 3. ſect. ſeq. nam infallibilem eſſe actionem incerta & determinata ſpecie, maneréque libertatem circa indiuidua & circumſtantias, difficilius videbatur, quàm infallibilem eſſe actionem in genere, manente libertate circa varias ſpecies.

SECTIO III.

Vaga infallibilitas operationum ſub eadem ſpecie, & comparatione vnius perſonæ.

1\. *Vaga infallibilitas actionum ſub eadẽ ſpecie.* REſtat vt probemus infimum infallibilitatis, ſeu neceſſitatis modum, quæ vagari poſſit per varias actiones. De qua ſit cõcluſio. Sæpe Dei prouidentia diſponit talem collectionem motiuorum, & circumſtantiarum omnium, virtute quarum eſt infallibile, quòd hic homo eliciet aliquem actum virtutis vnius ſpeciei infimæ: quamuis non ſit infallibile, ſed potiùs ſit omnino liberum, quòd hunc numero, vel alium actum producat in hoc, vel in alio inſtanti, cum tanta, vel tanta intenſione, vel extenſione ad obiecta materialia, & cum his, vel illis circumſtantiis.

Probatus

2. *Pontificũ, & Conciliorum infallibilis Dei protectio.* Probatur primò. Nam eiuſmodi eſt infallibilitas, qua diuina prouidentia quemlibet Romanum Pontificem, & quodlibet OEcumenicum Concilium protegit, vt vera dogmata decernat, & credenda proponat. Exempli gratia. Quando Arrius oppugnabat conſubſtantialitatem Filij, Spiritus ſancti protectio & aſſiſtentia, ſucceſſoribus Petri promiſſa, non determinabat Sylueſtrum, vt hoc numero fidei actu, in hoc inſtanti, & non in alio, hîc & non alibi, per hæc, & non per alia verba, idem melius vel æquè bene ſignificantia decerneret, & credendum proponeret Filium Patri conſubſtantialem. Nihilominus eadem protectio determinabat, vt aliquo actu fidei, & aliqua profeſſione fidei, aliquando intra breue tempus, & verbis aptis, & conuenientibus eandem veritatem decerneret. Ideo quamuis Syluester eo in actu non potuerit errare, nec ab eo deficere: liberè tamen, præcedente Concilio, & deliberatione illum actum produxit.

3. *Confirmatorum in gratia ſpecialis protectio.* Probatur ſecundò, ſpecialis Dei protectio, & charitatis perfectio diffuſa in cordibus eorum, qui ſunt in gratia confirmati, cauſa eſt, vt ſit infallibile illos numquam peccaturos mortaliter, ac ſubinde quodlibet præceptum impleturos. Ideóque virtute illarum circumſtantiarum erit omnino infallibile, quòd aliquando elicient aliquem actum fidei ad explendum præceptum credendi; quamuis omnino liberum ſit hunc actum fidei potius, quàm illum in hoc inſtanti, cum tanta intenſione, & extenſione producere. Idem intellige de actibus ſpei, charitatis & cæterarum virtutum, quarum imminet obligatio ſub mortali.

4. Magis à priori, & vniuerſalior eſt tertia probatio, quoniam infinita Dei ſapientia, comprehenſiuè penetrans vniuſcuiuſque hominis ingenium & mores, inſuper adquiſitos habitus, & diſpoſitiones actuales animi & corporis, euidenter ſcit quænam bona, & per quam cognitionem propoſita, cuilibet voluntati ſuauiùs arrideant, & efficaciùs blandiantur.

5. Rurſus poteſt Deus nullo negotio mutare actuales & habituales diſpoſitiones corporis & animi: poteſt luce clariſſima ſupernaturalium bonorum pulchritudinem oſtendere intellectui, & voluntatem, priùs faſtidientem, & auerſantem, poteſt ſuauiſſima voluntate perfundere, & eorumdem bonorum auiditate inflammare. Poteſt dæmonis & hominum tentationes propulſare, paſſiones tranquillas & pacatas reddere, vitiorum habitus auferre, vel impedire illorum effectum. Eſt autem inſita voluntati creatæ propenſio ad bonum ita vehemens, vt aliquando tandem & aliquo actu libero ſequatur bonum maximum clarè cognitum, maturè diſcuſſum & nimium arridens, atque conſentiens auiditati, *Inſita voluntatis ad bonū propenſio.* quam indeliberatam, & à ſolo Deo immiſſam habet voluntas: quando nullum malum nec mali periculum occurrit, quod præponderet; ſed omnia repræſentantur tanquam inferioris ordinis & pro nihilo ducenda comparatione ſuperioris boni.

6. *Homines alios ad quaſdam actiones infallibiliter inducunt.* Quartò magis explicatur & probatur à minori. Nam homines, præcipuè qui calidiores ſunt, & potentiores, ad plurimas actiones liberè concipiendas, infallibiliter inducunt aliquos homines: ergo multo certiùs & efficaciùs hoc poterit Deus præſtare.

Probatur conſequentia propter infinitum exceſſum ſapientiæ & potentiæ diuinæ, qua poteſt immediatè illuſtrare intellectum, & mutare propenſiones, ac delectationes cuiuſlibet voluntatis, quod nullus homo poteſt: inſuper maiora bona offerre, & grauioribus terrere periculis.

Antecedens verò probari poteſt exemplis penè innumeris, ex quibus pauca ſubiiciam. 7.

Primū exemplum. Primum. Si homini auaro, & gloriæ humanæ, vel poteſtatis cupidiſſimo, nec illuſtrioribus & vehementioribus inſpirationibus ad mundi contemptum vocato, gratis offerantur aureorum multa millia, vel regnum, aut totius orbis imperium; infallibiliter, & liberè pecunias, aut imperium accipiet, infallibilitérque veniet ad locum, & faciet alias actiones capiendæ poſſeſſioni præſcriptas; & tamen eas omnes actiones interiores & exteriores liberè concipiet, ita vt eas abſolutè poſſit cohibere, ſi velit. In eo genere numera, ſi potes, quot ſint homines, qui liberè, ſed infallibiliter admitterent pinguem Epiſcopatum, aut præbendam oblatam, vel ad ſe deuolutum ius primogenij, vel copioſam hæreditatem ſibi delatam.

Secundum. Negotiatoribus infallibiliter perſuadebis, vt citò merces diſtrahere procurent; 8. *Secundum.* ſi certò annunties, eiuſdem ſpeciei merces aduentare tanta copia, vt propterea vileſcant pretio. Contra verò infallibiliter perſuadebis, vt ſeruent merces in aliud tempus; ſi certò annunties poſtea defuturas.

Tertium. Tertium. Medicus poterit etiam efficere, vt hydropicus infallibiliter abſtineat à nimietate potus, ſi per medicamenta ſitim extinguat, imò & aquæ nimiæ nauſeam prouocet.

Quartum. Quemlibet hominem ſanæ mentis, 9. *Quartum.* magno currentem impetu retinebis infallibiliter ſi certiorem reddas, latere foueas, laqueos, cuſpides æreas, inimicorum inſidias, & per viam tutiorem dirigas eò, quo peruenire cupit.

Quintum. Quintum infallibile eſt, quemlibet patrem prudentem, & copioſum daturum eſſe aliquando panem filio petenti; & non daturum eſſe lapidem, aut ſcorpionem, Lucæ 11.

Sextum. Sextum infallibile eſt vigilaturum fuiſſe patremfamilias prudentem, & ſeruaturum eſſe diuitem ſupellectilem, *ſi ſciret, qua hora fur veniret*, Matth. 26.

Septimum; quoniam perſpectum & exploratum habebat ingenium Idumæi, David, *Sciebam*, 10. *Septimum.* inquit, *in die illa quòd cùm ibi eſſet Doeg, Idumæus proculdubio annunciaret Sauli*, 1. Reg. 22. ad finem. Vide quanta certitudine præſagium ex circumſtantiis acceperit.

Octauum. Octauum. Nauta quilibet infallibiliter maneret in portu; ſi certus foret de naufragio, vel captiuitate ſuperuenturis eo tempore ſoluentibus portu: nec minus infallibiliter quicunque mercator eidem naui merces ſuas non committeret.

Ex infallibilitatibus naturaliū actionum, ſupernaturalium colliguntur. Ex his, & aliis, quæ numerari nequeunt, infallibilitatibus naturalium operationum colligo, alias non minus infallibiles poſſe cauſari adeò circa ſupernaturales operationes, componendo cognitiones ſenſitiuas & intellectiuas, & indeliberatas propenſiones voluntatis, ac cætera motiua & circumſtantias ad inſtar prædictarum infallibilitatum naturalium.

Reſpondebit fortaſſe quiſpiam, negando conſecutionem ab obiectis ſenſibilibus & naturalibus ad ſupernaturalia deductam: quoniam ſegniùs ita, ſicut illa fortiùs irritant animum. 11.

Solutio diluitur. Nihilominus ex hac ipſa ſolutione maiores vires argumentum recuperat: quoniam omnes rationes, propter quas ſenſibilibus & naturalibus obiectis allicitur, rapitúrque voluntas humana; poteſt Deus altiori & validiori modo transferre ad ſpiritualia & ſupernaturalia obiecta; ſimul etiam in obiectis ſenſibilibus debilitando vires, vt parum, & cum faſtidio inuitent: ſed ſupernaturalia infallibiliter rapiant.

12. *Quatuor capita rationum cur ſenſibilia vehementer alliciant.* Probatur. nam in obiectis ſenſibilibus rationes vehementer alliciendi reducuntur ad quatuor capita.

Primum, quia bonitatem & conuenientiám ſenſibilium obiectorum cognoſcimus prius, facilius, melius, euidentius, & certius, quàm bonitatem & conuenientiam obiectorum ſupernaturalium: ad quorum notitiam peruenire non poſſumus, niſi ex auditu & fide, & eorum conceptus debemus per diſcurſum componere per conceptus connotatiuos rerum ſenſibilium, & ad illorum imitationem. Ideóque quaſi per vmbras ſolùm, & alienas ſpecies ſpiritualium bonorum pulchritudinem obſcurè, languidè ac propè moribunda luce cognoſcimus. *Notitia ſpiritualium, & ſupernaturalium per ſenſibilia comparata.*

13. At poteſt Deus per intenſiſſimum, & perfectiſſimum actum fidei, magis illuſtratum dono ſapientiæ, & intellectus, vel per gratiam prophetiæ, aut reuelationis; aut per altiſſimam contemplationem, aut ſcientiam infuſam communicare multo promptiorem, faciliorem, profundiorem, conſtantiorem, certioremque cognitionem bonorum ſpiritualium, quàm ſit cognitio cuiuſlibet obiecti ſenſibilis: potéſtque Deus euidenter intellectui proponere faſcinationem, & vanitatem, & periculum rerum ſenſibilium.

14. *Secundũ caput connaturalitas ſenſibilium bonorum.* Secundum caput eſt conſenſus & connaturalitas bonorum ſenſibilium cum natura humana, propter quem ex illis vehemens delectatio percipitur; cùm tamen è contrario ſupernaturalia bona triſtitiam & anxietatem inferant, præſertim appetitui ſenſitiuo. At verò Deus efficere poteſt, imò reipſa præſtat non raro, vt non ſolùm voluntas, ſed etiam appetitus ſenſitiuus gaudio, & ſuauiſſima delectatione ſuperabundet, quando cruciatur à tyranno, multo magis, quàm, ſi omnium ſenſibilium bonorum delectatione ſimul perciperet. Idem intellige de ieiunio, vigilia, eleemoſyna, paupertate, lachrymis, & cæteris omnibus difficultatibus, quibus horrere videtur ſanctitas, ſi prædicta Dei operatio deficiat.

15. *Tertium frequentia pulſandi animos.* Tertium caput eſt improba & importuna frequentia, per quam ſingulis momentis bona ſenſibilia pulſant animos hominum à primis incunabilis ad extremam vſque ſenectutem in dies ſingulos conſuetudine capiente maiores vires: vnde prouenit, vt prolixa pugna defatigatos, & moleſtiſſimæ vitæ pertæſos, ac prope de victoria deſperantes, deiiciat, & manus infallibiliter demus, niſi diuina gratia ſuccurrat. Nam & fortiſſimus Samſon fictis mulierculæ blandimentis, quibus ſemel atque iterum facilè reſtitit, ſæpiùs iteratis laſſatus eſt vſque ad mortem, ideóque ſuccubuit Iudic. 16. *Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam, &c.*

Poteſt autem Deus comprimere importunam frequentiam inſtantis concupiſcentiæ, terrenarúmque cogitationum ſilente tumultu, diutius, frequentiúſque pulſare, & acrius incitare plurima varietate motiuorum, quæ animum à creaturis ad creatorem auocant. Nec inſolitum eſt Deo ſaltem aliquo tempore ſpatium ad quietem animæ non tribuere, donec diuinæ gratiæ reſpondeat, & obediat. 16.

Quartum caput eſt, quoniam præſentia futuris naturaliter præponuntur, & res præponitur ſpei: ſpiritualia quippe bona prophetantur in longa tempora, ſicut Ezechieli obiiciebatur cap. 12. Nihilominus hanc etiam rationem Deus non raro permutat, & per aliquos menſes, aut annos ſeipſum interiori & prompta cognitione præbet ita præſentem, vt amorem, reuerentiam & obedientiam prouocet efficacius, quàm quæcumque ſubiecta ſunt oculis corporeis. Quemadmodum & Moyſes *inuiſibilem tanquam videns ſuſtinuit*, poſtponens animoſitatem Regis quem videbat, Hebr. 11. Aliis verò mentibus iudicis vibrantem gladium, intentum arcum, ſuccenſáſque flammas inferni, venenatos conſcientiæ morſus, triſtitiámque intolerabilem proponit quaſi præſentem; vt iamiam abſorberi, & interire videantur; niſi celerrimè fugiant. Quid dicam de paradiſi gaudiis, quando Deus ea proponit, vt præſentia & vanas ſæculi delectationes, ita proponit, vt iam euanuiſſe prorſus, & prætеriiſſe videantur, ſolis earum oculis & pudore relictis. 17. *Quartũ præſentia futuris præponuntur.*

Totus præcedens diſcurſus confirmatur, quoniam nemo eſt tam alienus ab amore virtutis tanquam vitiorum illecebris irretitus, qui non præcuperet vitiorum diſrumpere vincula, ſi poſſet ſine dolore ac ſine labore. Quilibet etiam virtutem anteponeret, ſi ſperaret ſtatim, maiores delectationes, ſuauitates ac facilitates inuenire coniunctas cum honeſtate virtutis. Eſt enim prorſus impoſſibile virtutem alicui diſplicere, aut exoſam eſſe propter ſe ipſam: quapropter cùm ratione ſui neceſſariò placeat & ametur; infallibiliter ſequitur, vt abſolutè & efficaciter ametur, ſi Deus ab virtute remoueat moleſtiam, laborem & difficultatem, & cum ea copulet delectationes maiores, quàm in vitiis inueniri queant. 18. *Præcedentis diſcurſus confirmatio.* *Virtutẽ propter ſe diſplicere impoſſibile.*

Probatur quintò. *Nam aliquando voluntatem diuina virtus ſic impellit, vt omnis dubitatio, imò etiam dubitandi facultas animæ ſublata ſit, quominus ſequatur impulſionem talem, ſicut legimus, beato Paulo, & Matthæo, & aliis nonnullis vocante Chriſto, accidiſſe*, vt loquitur ſanctus Pater noſter Ignatius, fundator Societatis Ieſu, in libro exercitiorum ſpiritualium, in quo ſingula quæ continentur, certa ſcientia probauit, & collaudauit felicis recordationis Paulus III. in bulla quæ libro præfigitur. 19. *Sanctus pater Ignatius.* *Eius liber exercitiorum ſpiritualium à ſede Apoſtolica approbatus.*

Confirmatur primò. nam communis fidelium ſenſus eſt, non ſolùm ex præſcientia futurorum, ſed etiam ab intrinſeca & reali fortitudine inſpirationis, infallibilem fuiſſe Magdalenæ pœnitentiam, & lacrymas & latronis in cruce pendentis confeſſionem & orationem de inſuperabili potentia, qua Paulus compulſus eſt non ſolùm credere, ſed etiam Euangelium prædicare, ſatis dictum eſt diſp. 7. ſect. 4. à n. 4. Talis potentia retinuit infallibiliter Petrum quando dicenti Chriſto Domino: *Nunquid & vos vultis abire?* *Ioan. 6.* reſpondit: 20.

reſpondit : *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus*, &c.

21. Confirmatur ſecundò. nam feruente primò religionum ſpiritu ſæpe contigit egregios viros tanto impetu incitari ad earum perfectionem profitendam, vt neque quieſcere, neque aliud cogitare ſinerentur; quamuis dedita opera conarentur animum ad negotia ſæcularia conuertere.

22. Probatur ſextò nam collectio motiuorum & circumſtantiarum omnium poterat ſine dubio prorſus infallibiliter Iacobum impellere vt adiret Ægyptum fruiturus optatiſſima præſentia filij, & extremæ alimentorum inopiæ ſubuenturus, Geneſis 45. & 46. & tamen illa collectio motiuorum non afferebat infallibilitatem talis actionis potius, quàm alterius ſolo numero diſtinctæ in hoc inſtanti, potius quàm in alio propinquo. Præterea peregrinatio virtute circumſtantiarum prædefinita fuit, ſed locus peregrinationis & aliæ circumſtantiæ particulares non ſunt prædefinitæ 4. Reg. 8. quandu *Eliſæus locutus eſt ad mulierem, cuius viuere fecerat filium, dicens : Surge & vade tu & domus tua, & peregrinare vbicumque reperetis. Vocauit enim Dominus famem, & venit ſuper terram ſeptem annis.* Nam fides & amor conceptus experientia ſingularis miraculi & beneficij reſuſcitandi filium, infallibiliter impellebat, ad credendum famis vaticinium, & iudicandum peregrinationis conſilium eſſe ſibi ſaluberrimum: ſed peregrinationis locus omnino permittitur eius arbitrio, nec illum determinant circumſtantiæ ſupradictæ.

Septimò quoties in Scriptura ſacra hoſtes mirabiliter diſperſi, aut interfecti ſunt ex vi circumſtantiarum infallibile, fuit, victores, qui fame ſitique laborabant, citò ex ſpoliis cibum, potúmque rapturos, veluti 4. Regum 7. & Iudith 14. Alia quamplurima exempla lector obſeruare poterit in omnibus ſacris hiſtoriis: ſi cunctas occaſiones, circumſtantiáſque notauerit.

23. *Chriſti Domini humanitas exemplum præſtātiſſimum.* Octauò præſtantiſſimum omnium exemplorum eſt humanitas Ieſu Chriſti Domini noſtri. Nam licèt ab ea per conſiderationem præſcindas vnionem hypoſtaticam, & viſionem beatificam: & ſolummodo conſidates creatas & ſupernaturales dotes altiſſimæ ſcientiæ infuſæ, ſapientiæ, & intellectus, perpetuæ contemplationis Dei, ardentiſſimæ charitatis, & aliarum virtutum in gradu ſuperheroico, deſpoticæ atque omnimodæ ſubiectionis omnium inferiorum virium ad rationis nutum, & imperium Dei: ex vi harum circumſtantiarum fuiſſet prorſus infallibile Chriſtum Dominum libenter obediturum cuicumque præcepto Patris.

24. Nunò neminem, arbitror, dubitare poſſe, quin ex vi amoris, quo Beatiſſima ſemper Virgo, Dei filium, atque ſuum proſequebatur; foret omnino infallibile, quòd lac infanti præberet, cùm opus eſſet, & puero neceſſaria miniſtraret, ſempérque veneraretur, & coleret, vt Deum.

25. *Horum omnium ratio à priori.* Decima ratio à priori eſt inſita propenſio voluntatis ad bonum, quod ſi magnum ſit, & notabiliter præponderans aliis bonis repugnantibus ſibi, & meliùs penetretur euidentiùs & conſtantiùs, exceſſus maioris boni; infallibiliter aliquando & ſub aliquibus circūmſtantiis voluntas eliget maius bonum, poſtpoſito minori bono. Nihilominus eliget liberè, tum quia nullum bonum præter Deum clarè viſum neceſſariò rapit voluntatem; tum etiam, quia quando eligit, poteſt non eligere differendo electionem ad aliud inſtans, vt magis conſtabit ſect. 7. & ſequentibus, præſertim ſect. 11. & 12.

SECTIO IV.

Vaga prædefinitio actionum ſiue in genere, ſiue in vna ſpecie infima deducitur ex dictis.

INter præſtantiſſimos ætatis noſtræ Doctores aliqui negare videntur quamlibet prædefinitionem vagam. Ita Suares lib. 3. de auxil. cap. 17. toto num. 2. & 14. & 1. part. lib. 1. de prædeſt. cap. 13. num. 4. 5. & 6. & lib. 3. de prædeſtin. cap. 10. num. 3. Zumel etiam tomo 1. variarum pag. 360. & ſequenti, Ledeſm. artic. 9. pag. 173. probat. 3. & pag. 179. colum. 2. Quorum argumenta ſunt, 1. *Vagam prædefinitionem negantes.*

Primum & maximum, quoniam hæc prædefinitio ſupponit, repugnare libertati, & impoſſibilem eſſe prædefinitionem actus liberi in particulari cum omnibus circumſtantiis: quod videtur eſſe contra perfectionem diuinæ prouidentiæ, & contra modum loquendi Scripturæ de poteſtate Dei ad immutanda corda hominum, etiam liberè operantium. *Argumentum primum.*

Secundum, quia prædefinitio vaga ſupponit in Deo ſcientiam, ita limitatam & imperfectam, vt prænoſcere non poſſit, quibus modis attrahi poſſit voluntas, vt hîc & nunc in particulari ſimul infallibiliter velit & liberè. 2. *Secundum.*

Confirmatur primò, quoniam videtur hæc prædefinitio tollere ſcientiam mediam, qua Deus ante voluntatem dandi vocationem, prænouit an illa futura eſſet congrua, nec ne, id eſt, an voluntas ſit ei conſenſura ſi ei detur. *Confirmatio prima.*

Confirmatur ſecundò, quia ſi ſupponatur ſcientia media, & poſſibilis eſſe prædefinitio actionis in particulari: fruſtrà tribuitur Deo ille modus prouidendi vagè & in generali. *Secunda.*

Tertium argumentum, quoniam talis modus prouidendi eſt indignus Deo, quoniam eſt imperfectiſſimus, vtpote valde confuſus, incertus, ac indeterminatus. 3. *Tertium.*

Confirmatur primò, quoniam diſiunctio illa, vt ſi vnum medium non habuerit effectum, applicetur aliud medium: & ſi vno tempore non reſponderit, vocetur alio tempore; ſimiléſque diſiunctiones non ſunt requiſitæ, niſi propter ignoratam efficaciam vnius determinati medij: quapropter nemo per illas diſiunctiones operabitur, ſi rectè ſciat vnius medij efficaciam ſatis eſſe. *Confirmatio prima.*

Confirmat ſecundò, quoniam vagè prædefinire foret Deum tentando incedere, vt ſi nunc non conſenſerit homo, iterum, atque iterum eum vocet, alio & alio fortiori modo vocandi. 4. *Secunda.*

Confirmatur tertiò, quoniam ad perfectionem diuinæ prouidentiæ ſpectat, ex certa ſcientia, diſtinctè, & in particulari cuncta diſponere iuxta vniuſcuiuſque rei dignitatem, & capacitatem: præſertim verò quam perfectiſſimam rationem prouidentiæ Deus obſeruat cum prædeſtinatis, quos ſingulariter dilexit, & ad definitum gloriæ gradum elegit & gratiæ. *Tertia.*

5. *Quartum.* Argumentum quartum, quoniam hic modus prædefiniendi nunquam attingere poteſt illum certitudinis gradum, qui neceſſarius eſt ad decretum Dei abſolutum circa finem, eo medio comparandum, & ad prædeſtinationem, factam prius ratione, quàm præuideantur opera, vt abſolutè futura: quoniam decretum Dei abſolutum eſt ita infallibile, vt contradictionem implicet non peruenire ad conſecutionem finis; ſed vagam prædefinitionem fruſtrari non implicaret contradictionem: quoniam ſingula quæque media potuiſſent caſſa reddi ex libertate voluntatis.

6. *Quintum.* Quintum, quoniam talis actus conſentiendi prædefinitus eſt, qualis reſpondet vocationi, ſed Deus decernit huic homini dare hanc vocationem hîc & nunc, quam ſcit huic homini futuram congruam, & penetraturam eius animam, vt conſtat in vocatione Pauli: ergo hic actus conſentiendi prædefinitus eſt in particulari.

7. *Sextum.* Sextum, quia hic modus prædefiniendi non eſt neceſſarius ad conciliandam libertatem cum prædeſtinatione & reprobatione.

Septimum. Septimum, quoniam in negotio Angelorum apertè conſtat, non habere locum illum prouidentiæ modum: nam in ſecundo inſtanti, in quo via omnium Angelorum terminata eſt, ita fuit præparata voluntas electorum, vt omnino non caderent: nam ſi caderent, non reſurgerent, imò etiam vt haberent totum meritum neceſſarium ad illum gradum gloriæ, ad quem comparandum electi erant.

Octauum. Octauum argumentum additur à quibuſdam, quoniam quantumcumque ponatur eſſe vaga prædefinitio; deuoluitur illius certitudo tandem ad inſtans determinatum, & ad determinatum actum, cæterùm de hac difficultate poſtea dicendum erit ſect. 8. & ſequentibus.

8. *Vaga prædefinitio einſdē effectus determinatam excludēs implicat.* Nihilominus ſit prima concluſio. Impoſſibilis eſt prædefinitio, quæ vaga ſit per negationem & excluſionem cuiuſque prædefinitionis determinatæ circa eoſdem actus in ſingulari cum omnibus circumſtantiis. Hanc concluſionem efficaciter probant argumenta, quæ nuper retulimus: & fortaſſe illam ſolummodo intendunt authores illorum argumentorum, nec intendunt contradicere ſequentibus concluſionibus.

9. *Valde notandum.* Eſt autem valde notandum, vagam prædefinitionem tunc affirmari, quaſi per negationem & excluſionem prædefinitionis determinatæ, quando vaga prædefinitio ponitur tanquam ſimpliciter & vnicè requiſita ad concordiam libertatis cum prædeſtinatione ante præuiſa opera. Nam eo ipſo ſupponitur prædefinitionem determinatam actionis in particulari cum omnibus circumſtantiis, non poſſe conſentire cum libertate. Cæterùm quando vaga prædefinitio aſſeritur tanquam vnum ex mediis promptioribus & poſſibilibus ad conciliandam libertatem cum prædeſtinatione ante præuiſa opera, tunc non aſſeritur prædefinitio, quæ vaga ſit per excluſionem & negationem prædefinitionis determinatæ; ſed talis prædefinitio poteſt appellari vaga ſecundùm præciſionem, & abſtractionem a prædefinitione determinata.

10. *Poſſibilis eſt, & de facto datur vaga prædefinitio.* Secunda concluſio. Poſſibilis eſt, & facto datur multiplex prædefinitio vaga circa actiones, quæ ſunt infallibiles in generali; quamuis in particulari & determinatè non ſint infallibiles ex vi illius prædefinitionis, præſcindentis ſolùm, & abſtrahentis à prædefinitione determinata. Loquimur autem de ſolis actionibus honeſtis, vt ante diſputationem primam præfati ſumus.

Probatur in primis authoritate ſancti Thomæ, & multorum Scholaſticorum, quos referemus ſect. ſexta; admittunt enim expreſſe modum prouidendi per vagam infallibilitatem: cùm tamen iidem admittant alibi prædefinitionem determinatam & in particulari: vt referemus diſputat. 9. ſect. 1. & 2. Quare S. Thom. erit ſibi ipſi contrarius, ſimilitérque alij Scholaſtici diſſentient à ſe ipſis; niſi prædefinitionem vagam aſſeruerint, talem, quæ non excludat prædefinitionem determinatam, ſed abſtrahat, ſeu præſcindat ab ea. Nec inueniri poterit alia via, quæ ſufficienter conciliet hæc loca S. Thom. & aliorum Scholaſticorum.

Generalis autem ratio eiuſdem concluſionis eſt, quoniam hic modus prædefinitionis nullam includit imperfectionem, ſed potiùs affert perfectionem maximam, quæ Deo non poteſt deficere, vt oſtendunt rationes ſequentes. Prima colligitur ex tribus ſectionibus præcedentibus. Nam demonſtratum eſt, de facto conſtitutas eſſe à Deo plurimas collectiones circumſtantiarum, ex vi quarum actiones ſunt infallibiles, imò & neceſſariæ in generali & vagè: quamuis in particulari & determinatè ſint omnino liberæ, & poſſint non eſſe. Ergo poſſibile eſt, Deum velle, atque de facto vult, vt tales collectiones circumſtantiarum habeant eam vim tam infallibilem, quam habent ex natura ſua, & ex authoritate, atque conſtitutione ſui creatoris. 11. *Ratio generalis.* *Concluſionis ratio prima.*

Conſecutio videtur ex terminis euidens, ſed præterea confirmatur primò, quoniam Deus amat, & efficaciter vult, quidquid eſt bonum, & cauſatum ab ipſo ad perficiendas creaturas: ſed illa vis infallibilis inclinandi ad actiones aliquas vagè atque in generali, eſt aliquod bonum, à Deo cauſatum ad perficiendas creaturas (nam ea vis reſultat ex innata propenſione voluntatis ad bonum, clarè & conſtanter propoſitum ab intellectu, & longè præponderans aliis inferioribus bonis, & remotis difficultatibus & impedimentis.) Ergo Deus amat & efficaciter vult vt tales collectiones circumſtantiarum habeant vim & fortitudinem infallibilem ad inferendos actus aliquos in generali & vagè. 12.

Confirmatur ſecundò, quoniam prædicta cauſarum infallibilitas eſt quædam participatio illius certitudinis, & efficaciæ, quam habet omnipotentia Dei. Ab illa quippe multo magis diſtaret collectio cauſarum ſecundarum, ſine qua in generali & vagè poſſet aliquos actus liberos infallibiliter inferre. 13. *Vaga infallibilitas efficacia, & certitudinis omnipotentia participatio.*

Vlteriùs autem procedere debet ratiocinatio ſic. Deus efficaciter vult, vt cauſarum & circumſtantiarum collectio habeat prædictam vim infallibiliter vagam: ergo Deus efficaciter vult, vt ex tali genere actuum, vel ex tali ſpecie producatur aliquis actus per vagam infallibilitatem abſque infallibilitate determinata, quantum eſt ex parte illarum cauſarum præciſè: hoc autem ipſum erit vagè prædefinire. Conſequentia probatur, quoniam ad bonam & munificam prouidentiam pertinet efficaciter velle, vt quælibet cauſa ſuas vires exerat, & actualiter exerceat ſuam poteſtatem ad vniuerſale bonum. At verò prædicta cauſarum & circumſtantiarum collectio non aliter ſuas vires exerit, nec poteſtatem exercet aliter, 14.

aliter, niſi producendo aliquem actum vagè modo ſuperiùs dicto.

15. *Potentia ab intrinſeco ordinatur ad producendum actum.*

Confirmatur primò, quoniam ſicut potentia quælibet ab intrinſeco deſtinatur ad producendum actū ſibi proprium: ita potentia talis ab intrinſeco deſtinatur ad talem, atque taliter producendum actum ſibi proprium: ideóque potentia vagè & infallibiliter productiua deſtinatur ab intrinſeco ad ſuum actum producendum tanquam vagè, & indeterminatè infallibilem. Rurſus Dei proprium eſt intendere fines, ad quos ſingulæ res bonæ deſtinantur ab intrinſeco; nec enim ſuauis eſſet prouidentia Dei; niſi res ſingulas ad fines ſibi proprios dirigeret. Ergo Deus intendit actum eſſe in generali & vagè infallibilem, ſicut poſtulatur ab intrinſeca deſtinatione cauſarum.

Dei proprium rerum fines intendere.

Confirmatur ſecundò, quoniam actus, prout virtualiter continetur in tali collectione cauſarum, eſt infallibilis & vagè & in genere. Deus autem efficaciter vult actum virtualiter contineri in tali collectione cauſarum, quoniam hoc bonum eſt, & ab ipſo cauſatum: ergo vult actum eſſe infallibilem vagè & in genere.

16. *Concluſionis ratio ſecūda.*

Ex eodē ferè principio procedit ratio ſecunda, quoniam ex parte rerū, ad extra productarum ſoret imperfectus modus prouidentiæ, ſi Deus hominibus nō imprimeret auiditatem ciborum, atque famem; aut non multiplicaret ciborum abundantiam & varietatem, vt qui faſtidiret vnum, appeteret alium, quo ſuſtentaretur. Porrò nulla prorſus ratio bonitatis excogitari poteſt, quæ Dei liberalitatem, & beneuolentiam vniuerſaliſſimam cohibere potuerit, ne vellet, vt homines conſequerentur eam vtilitatem, quæ ſequitur ex tanta varietate ciborum, videlicet, vt ſecundùm varias conſtitutiones corporum & animorum vnus homo liberè deligeret vnum cibum, & alius alium. hoc enim præciſe conſequitur ex auiditate hominum, & varietate ciborum. Quod non impedit, ne Deus per ſcientiam mediam, vel quouis alio modo determinet hunc hominem ad hunc cibum, hîc & nunc capiendum, potius quàm alium. Nam illa vaga infallibilitas eſt alia ſpecialis bonitas proueniens ex illa naturali, & ordinaria prouidentia famis, & ciborum, eadémque bonitas eſt digna vt ipſa etiam ametur, & intendatur.

17. Quod exempli gratia dictum eſt de ciborum appetentia, & abundantia in ordine ad conſeruationem indiuiduorū; idem proportione ſeruata dicere poteris de naturali propenſione ad conſeruandam ſpeciem per filiorum procreationem. Vnde ſimiliter colligere licebit, Deum efficaciter intendiſſe vt ex ordine cauſarum, à ſe diſpoſito ſequeretur infallibiliter conſeruatio ſpeciei: & tamen ex eodem non ſequeretur infallibiliter, vt hic homo potius, quàm alter, nec in hoc tempore potius, quàm alio, hunc filium, & non alium ſub his circunſtantiis produceret: quamuis hoc ſequeretur ex alia parte diuinæ prouidentiæ.

18. *Exemplum primum.*

Ad horum imitationem excogitare poteris alia quamplurima exempla non ſolùm in prouidentia naturali, ſed etiam in ſupernaturali, ex qua viſum eſt vnum, aut alterum ſubiicere. Magna fuit varietas actionum atque virtutum in vniuerſa vita Chriſti Domini, nec minor varietas miraculorum, exhortationum, parabolarum, argumentorum, in ea varietate vis erat, vt qui non crederent prioribus, ſequentibus crederēt; quemadmodum ad Moyſem dictum eſt Exodi 4. & vidimus ſect. 1. num. 14. Igitur non eſt dubitandum, quin Deus efficaciter voluerit, vt hæc varietas motiuorum ſuas vires quantas, & quales habebat, exerceret. Ac proinde voluit Deus vt quantum erat ea vi talium motiuorum, non eſſet determinatū, vt hic homo crederet propter hoc miraculum, & propter hoc virtutis exemplum; ſed ſolùm eſſet vagè infallibile, aliquos homines, aliquando, propter aliqua ex his motiuis, eſſe credituros.

Varietas actionum & virtutū Chriſti Domini.

19. Non diſſimiliter vaga eſt infallibilitas in tanta varietate rationū, quas Scriptura & Patres offerunt, vt perſuadeant obſeruantiam diuinæ legis. Nā quidam timore, alij amore, alij beneficiis, alij pulchritudine virtutis efficaciùs inuitantur.

20. *Secundum.*

Aliud exemplum accipere poſſumus ex lib. 1. Regum cap. 5. Nam multiplicata flagella ſuper Philiſthæos, & ſuper Deos eorum, & reſponſa ſacerdotum ac diuinorum quoſdam priùs, alios poſtea compulerunt, vt vellent arcam Dei remittere. Nam Azotij priores dixerunt: *Non maneat arca Dei Iſrael apud nos*; ſed alij voluerunt vlteriùs experiri: quoniam ex hominibus obduratis non omnes æqualiter aggrauant corda ſua. Cæterùm quia omnes liberè aggrauant, ideo quidam diutius & magis, alij minus & breuiori tempore aggrauant corda ſua. Ea vi cuius infallibilitatis vagæ conſequitur etiam alia, vt quidam prioribus, alij non niſi poſterioribus flagellis cedant, atque conſentiant. Hanc igitur infallibilitatem potuit Deus velle modo ſuperiùs explicato.

1. Reg. 5.

21. *Vaga prædefinitio imperfectionis expers.*

Tertia ratio, quoniam à prædefinitione vaga, ſic intellecta, ſicut à nobis aſſeritur, procul abſunt omnes imperfectiones, quæ obiiciuntur illi; vt magis conſtabit ex ſequentibus ſectionibus, præcipuè verò confuſio, & indeterminatio, licèt reperiatur ex parte obiecti, nihilominus ex parte ſcientiæ atque decreti diuini eſt ſumma determinatio, & diſtinctio poſſibilis: quod manifeſtum fiet exemplo. Deus euidenter ſcit, aliquem oculum requiri ad videndum, & ſic non requiri determinatè oculum dextrum, nec determinatè requiri ſiniſtrum; ſed requiri alterum illorum ſub diſiunctione dextrum, vel ſiniſtrum. Rurſus diuina voluntas efficaciter vult, vt ad videndum requiratur aliquis oculus, & vult, vt non requiratur determinatè dexter oculus, nec determinatè ſiniſter; ſed vt requiratur illorum alter ſub diſiunctione. Hæc ſcientia & hæc volitio diuina nullo confuſionis vitio notari poteſt, ſed potiùs vitioſa foret; niſi hanc confuſam, & vagam obiectorum indigentiam ita vellet.

Confuſio ex parte obiecti, non ex parte actus.

Aptiſſimo exemplo declaratur.

22. Confirmatur. nam huiuſmodi ſcientia tutiſſima eſt à periculo deceptionis: & conſequenter eiuſmodi volitio tutiſſima eſt à periculo fruſtrationis: vt magis conſtabit ex omnibus ſectionibus ſequentibus, maximè verò ex diſp. 10. ſect. 4. & ſequentibus.

23. Quarta ratio, quoniam ſcientia & volitio diuina non vileſcit, eo quòd viliſſimas quaſdam creaturas ſciat, & velit exiſtere: neque redditur contingens, aut corruptibilis, licèt ſciat, & velit exiſtere res contingentes, & corruptibiles. Ergo eadem ſcientia & volitio non contrahit imperfectionem indeterminationis vagæ; licèt cognoſcat, & efficaciter velit eam ipſam vagam indeterminationem, quę eſt in effectibus creatis comparatione cauſarum. Quapropter quando huiuſmodi prædefinitionem appellamus vagam, vel indeterminatam, ab obiectis, accipimus eam

Prædefinitio ab obiecto dicitur vaga.

appellatiunem : ſicut conditionatam ſcientiam appellamus ab ubiectu cunditionatu.

24. Quinta ratiu. nam ſicut ex parte ubiecti foret minus perfecta diuina ptuuidentia: ſi ſola produceret animalia perfectiſſima, prætermitteretque alia minus perfecta animalia; nec non ſi ſolus ipſe crearet ſemper animalia omnibus membris integra, nec vuquam cum cauſis ſecundis concurreret ad producenda animalia monſtruoſa, vel membris aliquibus diminuta : ſic etiam foret minus perfecta prædefinitio diuina; ſi ſolummodo prædefiniret determinatè, & in particulari, nec vnquã prædefiniret vagè modo ſuperiùs explicato.

25. Confirmatur, quia licèt hic modus prædefiniendi videatur minus perfectus ob minorem determinationem : hanc tamen imperfectionem abundè compenſat ſuauitate magis accommodata ad propenſionem voluntatis, & eius libertatem. Vnde prouenit etiam, vt hic modus prædefiniendi magis immediatè, atque magis per ſe reſpiciat vniuerſale bonum, & vniuerſalem curam illius : cùm tamen prædefinitio prorſus determinata immediatè atque per ſe reſpiciat particulare bonum.

26. *Concluſionis ratio practica.* Suppoſitis ſpeculatiuis rationibus, quæ vagam prædefinitionem probant, practica ratio Thaulogos Doctores admonet, prudentiæ conſentaneum eſſe, vt illam admittant, & doceant, quoniam & faciliùs, & à pluribus intelligitur illius concordia cum libertate. Quamubrem illi etiam Theologi, quibus prædefinitio actuum in ſingulari cum omnibus circunſtantiis, videtur eſſe contraria libertati; non refugiunt concedere vagam infallibilitatẽ, imò & neceſſitatem vagam in committendis peccatis ſuprà ſect. 2. eadem verò ratione admittent, vagam prædefinitionem cunſentire puſſe cum libertate.

Facilis concordia prædefinitionis cum libertate.

27. *Solutiones multiplicãda ſunt.* Confirmatur, quoniam Theologus Doctor, niſi ratione compellatur pro veritate tuenda; nunquam debet imminuere, ſed putiùs multiplicare ſolutiones ad argumẽta, quæ contra fidei dogmata obiiciuntur ab infidelibus. Cuins prudentiæ Patres antiqui teliquerunt exempla, plures ſolutionum vias aperientes, quoties dogmatis veritas patiebatur. Sunt quippe diuerſa hominum ingenia, & ratum eſt eaſdem ſolutiones omnibus plenè ſatisfacere; ideoque curarunt, vt qui reſiliret ab vna ſolutione, inueniens alteram conquieſceret.

28. At inter dogmata theologica maioris momenti numerari debet prædeſtinationis efficacitas infallibilis, quæ poſſit efficere, vt inſeparabiliter, & indeclinabiliter arbitrium cooperetur ad ſuam ſalutem: vnde certa reddatur prædeſtinatio, licèt non ſupponat opera præuiſa, quaſi abſolutè futura (talem quippe modum prædeſtinandi ſaltem Beatiſſimam Virginem & inſigniores alios Sanctos, nemo poterit negare; idque ſufficit ad rem præſentem : quidquid ſit de prædeſtinatione cæterorum hominum.) Rurſus ingenia quædam ſunt, quæ faciliùs, & libentiùs acquieſcunt concordiæ libertatis cum hac prædeſtinatione, ſi fiat per vagam infalibilitatem; contrà verò reſiliunt à concordia libertatis cum prædefinitione cuiuſliber operationis in particulari, & omnium circunſtantiarum : quæ tamen aliis ingeniis multo magis placet. Idcirco Theologus Doctor ſuffragante ratione theologica, debet vtramque concordiæ rationem proponere eo animo, vt vel vtraque admittatur ſimul, quuniam vtraque ſimul eſt vera : ſin minus, altera ſaltem à quibuſdam, altera ab aliis ingeniis admittatur.

Prædeſtinatio ante præuiſa merita.

SECTIO V.

Maior explicatio præcedentis concluſionis, & argumentorum ſolutio.

PRima concluſiu dirigitur ad ampliationem præcedentis. Prædefinitio vagari poteſt circa omnia, per quæ vagari poteſt infallibilitas. Hæc autem numerata ſunt & explicata ſect. 1. 2. & 3. Itaque prædefinitio vagari poteſt circa perſonas operaturas; circa media, & motiua inducentia ad operandum; circa operationes, ſpecie differentes ſub eodem genere, vel numero differentes ſub eadem ſpecie infima; circa intenſionis gradus & extenſionis obiecta; circa durationem, & inſtans inceptionis, & cæteras circunſtantias. Nam hæc omnia probant rationes præcedenti ſectione adductæ pro concl. 2. 1. *Prædefinitionis vaga amplitudo.*

Quòd infallibilitas vagari nequeat per infinita indiuidua æqualis intenſionis, contendunt aliqui Doctores huius temporis, quorum ſententiam refutauimus tomo præcedenti de voluntate Dei diſp. 49. ſect. 4. n. 18. & ſequentibus. 2.

Aduersùs ſundamenta, quibus nititur ſecunda concluſio ſectionis præcedentis, obiectio poſſet occurrere : videntur namque probare, quòd materiales peccatorum actiones Deus prædefiniat per vagam infallibilitatem; quoniam cognoſcit, & producere vult collectionem cauſarum, & circunſtantiarum, quæ vim habet infallibiliter alliciendi ad aliquod peccatum vagè. 3. *Obiectio.*

Reſpondeo & ſit ſecunda concluſio, Deus nec prædefinit de facto, nec prædefinire poteſt etiam in communi & vagè materiales peccatorũ actiones: vt probatum eſt tomo præcedenti de voluntate Dei diſput. 4u. ſect. 3. & ſequentibus. Nec id ſequitur ex fundamentis noſtræ ſententiæ; quoniam ad ſapientiſſimum & optimum gubernatorem ſicut pertinet velle, vt quælibet cauſa ſuas vires exerat, & actualiter exerceat: ita pertinet ad eundem, nullo modo velle, vt eædem cauſæ deficiant à cauſando, & à ſuis iuribus degenerent: hoc autem eſt inclinare ad quamlibet actionem, cui ſit inſeparabiliter coniuncta malitia. 4. *Vaga prædefinitione non prædefiniũtur peccatorum actiones.*

Confirmatur, quoniam ad prædefiniendum aliquem effectum non ſufficit velle producere cauſam, ex qua ſcitur eſſe conſecuturus talis effectus; ſed præterea requiritur velle, vt talis effectus ſequatur: vel ſaltem requiritur quòd effectus per ſe, & non per accidens ſequatur ex tali cauſa. At peccatorum actiones non per ſe conſequuntur ex collectione cauſarum, quam Deus producit, ſed omnino per accidens: nec Deus vult, illas ſequi; ſed tantùm vult, eas permittere, vt probatum eſt tomo præcedenti diſput. 27. & multis ſequentibus, præcipuè verò diſp. 33. 34. & 35. 5. *Requiſita ad prædefinitionem.*

Ad argumenta propoſita initio ſectionis præcedentis, qua parte videntur pugnare contra ſecundam illius concluſionem reſpondetur. 6. *Argumẽtorũ ſolutio.*

Ad primum prædefinitio facta per vagam infallibilitatem, prout à nobis aſſeritur, non ſupponit eſſe impoſſibilem, ſed potiùs vt poſſibilem admitrit prædefinitionem actus in particulari cum omnibus circunſtantiis : abſtrahit tamen ab ea vt in præcedenti ſect. declarauimus.

Ad ſecundum reſpondetur. Hæc prædefinitio non ſupponit, Dei ſcientiam eſſe limitatam & imperfectam; 7.

Digitized by Google

imperfectam ; ſed abſtrahit ab ea perfectione ſcientiæ diuinæ, quæ oſtendit, quibus modis attrahi poteſt voluntas, vt hîc, & nunc infallibiliter eliciat hanc volitionem; quoniam hæc prædefinitio totum fundamentum accipit ab alia perfectione diuinæ ſcientiæ, ſecundùm quam dictat, quæ cauſarum & circunſtantiarum collectio vim habeat cauſandi per vagam infallibilitatem.

Vaga prædefinitio abſtrahit à ſcientia media.

8. Vnde reſpúdetur ad primam confirmationem, hæc prædefinitio non tollit ſcientiam mediam, nec ſupponit illam; ſed abſtrahit ab ea : quemadmodum communis prouidentia diſponens ita mundum, & hominum voluntates, vt infallibiliter & liberè conſeruetur ſpecies humana, non ſupponit ſcientiam mediam, nec tollit eam, ſed abſtrahit ab ea; quoniam ad illam ſufficit ſcientia infallibilitatis, quæ ſequitur ex tali collectione cauſarum, & circunſtantiarum.

Infallibilitatis ſcientia.

9. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur. Hic modus prædefiniendi non fruſtrà tribuitur Deo, tum quia pertinet ad perfectionem diuinæ ſcientiæ, potentiæ, atque prouidentiæ: vt vidimus ſect. præced. concluſ. 2. ratione 1. 2. & 4. tum etiam, quia defendendis fidei dogmatibus prodeſt, non vnam tantùm, ſed plures, etiam ſolutiones, & conciliationes adhibere ; vt vidimus ad finem ſectionis præcedentis.

10. Ad tertium argumentum ſolutio conſtat ex præced. ſect. probatione 3. num. 21. & ſequentibus, oſtendimus enim, non eſſe confuſam & incertam cognitionem, & volitionem ; ſed verſari circa obiectum confuſum & incertum.

Ad primam confirmationem reſpondetur, diſtinguendo antecedens; licèt enim verificari poſſit quando diſiunctiones illæ non clauduntur in quidditate cauſarum, ſed extrinſecus apponũtur. Nihilominus quando diſiunctiones illæ quidditatiuè clauduntur in natura cauſarum & obiectorum; non proueniunt ex ignorata efficacia vnius determinati medij : conſtat enim, Deum eo fine duos oculos tribuiſſe animalibus, vt ſi contigerit altero videre non poſſe, videant altero oculo ; & eo fine tantam ciborum varietatem tribuiſſe, vt ſi vnum reſpueris, alterum appetas. Quapropter diſiunctiones huiuſmodi ſunt requiſitæ propter amorem, & prouidentiæ ſuauitatem, quam omnium cauſarum naturis atque viribus exhibere debet ſapientiſſimus & optimus gubernator : vt ſect. præcedenti probatum eſt.

11. Ad ſecundã confirmationẽ reſpondetur. Tentando Deus incederet ; ſi non ſciret, cui particulari vocationi, ſub quibus circunſtantiis adhibendus foret liber conſenſus à qualibet voluntate ; veruntamen ſimul etiam Deus ſcit aliquam eſſe collectionem vocationum, & mediorum, impellentium ad conſenſum, quæ vagam illius infallibilitatem eſſentialiter continet. Hanc igitur vim infallibilem Deus adhibere vult. Hoc verò non eſt tentando incedere, ſed multiplicem rerum varietate, iuxta cuiuſque naturam adminiſtrare: vt ſectione præcedenti probatum eſt.

12. Ad tertiam confirmationem reſpondetur, illius fundamentum eſſe pro nobis, quoniam ad perfectionem diuinæ prouidentiæ ſpectat, ex certa ſcientia, diſtinctè & in particulari cuncta diſponere, iuxta cuiuſque rei capacitatem, & dignitatem. Sed capacitas & dignitas virtutis, quæ reperitur in quibuſdam collectionibus cauſarum, quidditatiua deſtinatur ad vagam infallibilitatem : ergo ad perfectionem diuinæ prouidentiæ ſpectat, ex certa ſcientia, diſtinctè & in particulari diſponere illam infallibilitatem vagam. Nec enim propterea Dei prouidentia ſuam diſtinctionem, ac determinationem amittit, quoniam verſetur circa obiectum ex ſe vagum & indeterminatum; vt probatum eſt ſect. præced. ratione 3. 4. & 5. præſertim cùm Deus ſimul etiam omnes actiones bonas in particulari prædefiniat.

Ad quartum argumentum reſpondetur, licèt in obiecto non ſit metaphyſica, ſed tantùm moralis infallibilitas : nihilominus ex parte diuinæ ſcientiæ certitudo eſt pluſquam metaphyſica ; & conſequenter etiam certitudo prædefinitionis, vt conſtabit ſect. 11. & 12. & diſp. 5. ſect. 4. & ſequentibus. 13.

Ad quintum argumentum concedo totum, cæterùm non obſtante prædefinitione huius actus in particulari, prædefinitur etiam vagè.

Ad ſextum reſpondetur. Hic modus prædefiniendi licèt non ſit abſolutè neceſſarius ad eum finem; nihilominus eſt vtilis & admittendus, propter rationem poſitam ſectione præcedenti ſub finem: inſuper eſt ad perfectionem diuinæ prouidentiæ ſimpliciter neceſſarius, vt probatum eſt ſectione præcedenti.

Ad ſeptimum manifeſtum eſt, in negotio Angelorum nõ fuiſſe tot infallibilitates vagas, quot ſunt apud homines. Cæterùm an interuenerit aliqua infallibilitas vaga propter multitudinem motiuorum allicientium ad peccandum, vel ad perſeuerandum in obedientia Dei, nihil attinet diſputare, cùm ſatis ſit vagam prædefinitionem hominibus adhiberi. 14.

SECTIO VI.

S. Thomæ & aliorum Scholaſticorum ſuffragia pro vaga prædefinitione, præſertim operationum Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Perſpicuum adeò, vt nulla poſſit declaratione torqueri, vel obſcurari, pro vaga prædefinitione ſuffragium accepimus à S. Thom. de veritate quæſt. 6. art. 3. poſt medium corporis, dicente: *Præter certitudinem præſcientiæ ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem ; neque tamen cauſa proxima ſalutis ordinatur ad eam neceſſariò, ſed contingenter, ſcilicet liberum arbitrium. Quod hoc modo poteſt conſiderari Inuenimus enim ordinem compoſſibilem eſſe reſpectu alicuius dupliciter. Vno modo in quantum vna cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine diuinæ prouidentiæ : alio modo, quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium, & deficere poſſibilium peruenitur ad vnum effectum; quarum vnamquanque Deus ordinat ad conſequutionem effectus loco eius, quæ deficit, vel ne altera deficiat; ſicut videmus, quòd omnia ſingularia vnius ſpeciei ſunt corruptibilia : & tamen per ſucceſſionem vnius ad alterum poteſt in eis ſecũdum numerum ſaluari perpetuitas ſpeciei, diuina prouidentia taliter gubernante, quòd non omnia deficiant, vno deficiente. & hoc modo eſt in prædeſtinatione, liberum enim arbitrium deficere poteſt à ſalute, tamen in eo, quem Deus prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat ; vel ſi cadat, quod reſurgat ; ſicut exhortationem, & ſuffragia orationum, donum gratiæ & alia huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem.* 1.

S. Thomæ ſuffragiũ pro vaga prædefinitione.

2. Ne fortè cauſeris, S. Thomam in ſumma Theologiæ

Digitized by Google

Theologiæ ſententiam reuocaſſe; eandem rationem concordiæ, licet breuiùs, & obſcuriùs attigit 1.p.quæſt.23.art.3.ad 3.his verbis,*Cum dicitur, quòd reprobatus non poteſt gratiam adipiſci; non eſt hoc intelligendum ſecundum impoſſibilitatē abſolutam, ſed ſecundum impoſſibilitatem conditionatam; ſicut ſuprà dictum eſt, quod prædeſtinatum neceſſe eſt ſaluari neceſſitate conditionata, quæ non tollit libertatem arbitrij. Vnde licèt aliquis non poſſit gratiam adipiſci, qui reprobatur à Deo: tamen quod in hoc peccatum, vel in aliud labatur, ex eius libero arbitrio contingit.* Vbi primùm obſerua infallibilitatem vagam circa peccata, nimirum quòd *in hoc peccatum, vel in aliud labatur*; hæc enim ſola ſequitur ex omni reprobatione adultorum, & non infallibilitas determinata ad vnum peccatum hîc & nunc eliciendum; ſed tamen vtrùm ex aliqua peculiari reprobatione ſequatur infallibilitas committendi vnum aliquod ſingulare peccatum, nihil opus eſt in præſenti examinare: dicemus tamen aliquid diſp.12. ſect.5.& ſequentibus, & diſp.13.ſect.1.& 3.

3. Deinde nota, eiſdem verbis tacitè ſignificari, ſimilem vagam infallibilitatem reperiri circa opera bona requiſita ad iuſtificationem & ſalutem hominis prædeſtinati, quod ex triplici indicio deduco.

Primum eſt, quia hoc expreſsè docuit S.Thom. in q 6.de veritate, nuper citata, & nullo alio in loco reuocauit poſtea.

Secundum eſt, quòd virtute continetur in prædictis verbis, ait enim ſimiles eſſe inter ſe conditionatam neceſſitatem ſalutis in prædeſtinato, & conditionatam impoſſibilitatem gratiæ finalis in reprobo: & hanc impoſſibilitatem reducit ad vagam infallibilitatem peccati; ergo ſubindicat neceſſitatem illam pertinere ad vagam infallibilitatem boni operis, quam alibi expreſsè docuerat.

4. Tertium indicium, quia in eadem quæſt.23. art.6.ex profeſſo tractans de certitudine prædeſtinationis ita proponit ſecundum argumentum. *Poſito poſſibili, nullum ſequitur impoſſibile: poſſibile eſt autem aliquem prædeſtinatum (vt Petrum) peccare, & tunc occidi: hoc autem poſito, ſequitur prædeſtinationis effectum fruſtrari. Hoc igitur non eſt impoſſibile.* Huic argumento ita reſpondet, *licèt ſit poſſibile eum, qui eſt prædeſtinatus, mori in peccato mortali ſecundum ſe conſideratum, tamen hoc eſt impoſſibile, poſito, prout ſcilicet ponitur eum eſſe prædeſtinatum. Vnde non ſequitur quòd prædeſtinatio falli poſſit.*

5. *S. Thom. cautio notanda.* Vbi obſeruatione digna eſt cautio quam ſanctus Thomas adhibuit huic ſolutioni. Nec enim dixit, Petrum non poſſe peccare eo tempore, quo occidendus erat. Nam viatorem quemlibet de lege ordinaria, quandiu eſt viator, poſſe peccare mortaliter, & amittere charitatem, docet S.Th. 1.p. quæſt.82. art.2. conc. fin.& quæſt.200. art.2. & 1.2.q.106.art.2 ad 2.& 2.2.quæſt.24. a.11.& 4. contra gentes conc.70. & alij Doctores, vt probatum eſt tomo de ſcientia Dei diſp.47. ſect.4.n.5. Ideo tacitè admiſſa prædicta poteſtate mortaliter peccandi ſanctus Thomas recurrit ad illud, quod eſt in poteſtate ſolius Dei, nimirum ad mortem inferendam, quando Petrus fuerit in peccato mortali: quod impoſſibile eſt Deum facere ex ſuppoſitione, quòd Petrum prædeſtinarit. Quid igitur faciet Deus? adhibebit media ne hoc tempore cadat, vel ſi cadat quòd reſurgat (vt Sanctus Thomas dicebat loco citato ex q. 6. de veritate.) & quando fuerit in peccato mortali expectauit, vt miſereatur illius, & patientia & benignitate adducet ad pœnitentiam, qua conſequuta, rapiet ne malitia mutet intellectum eius.

Sanctum Thomá imitantur communiter eius diſcipuli, quoties tractant vtrùm prædeſtinatus poſſit damnari. Reſpondent quippe non poſſe ex ſuppoſitione prædeſtinationis. Quia quamuis poſſit peccare mortaliter, non poteſt mori in peccato mortali. Ita Rainerius verbo præſcientia cap.10.fine. Inſuper Capreolus in 1.diſt.40. quæſtione vnica concl.7.ad verbum refert, & recipit illam doctrinam de vaga infallibilitate per plures cauſas, quarum vna ſuppleat alterius defectum, quam ex D. Thom. retulimus in principio ſectionis. 6.

Quem imitatus Deza eadem diſputatione 40. quæſtione vnica articulo 3. notabili 4. ad finem ait; *Omnes cauſæ mediæ, quæ ad effectum prædeſtinationis ordinantur, ſunt, abſolutè loquendo, cauſæ contingentes, aut liberæ, ex quibus certitudo & infallibilitas trahi non poteſt, quantum eſt ex ſui natura. Trahitur huiuſcemodi certitudo ex omnibus ſimul collectis in quantum cadunt ſub ipſa prædeſtinatione,* prout accipitur ex dictis S.Thom. de veritate q.6.art.3.corp. videlicet verbis citatis in principio ſect. 7.

Ferrarienſis etiam admittit eandem doctrinam S.Thom. de veritate quæſt.6.& eam adhibet quaſi explicationem & propugnationem alterius doctrinæ, quæ frequens legitur apud S.Thom. videlicet, futura contingentia, pro vt ſunt præuiſa non poſſe non eſſe; quamuis ſecundùm ſe conſiderata poſſint non eſſe. Ita Ferrarienſis 3. contra gentes à c.94. colum.penult.§.*Vbi attendendum.* & inferiùs §.vltimo ſic loquitur. *Quomodo autem cum certitudine diuinæ prouidentiæ ſtet libertas arbitrij, poſſumus hoc exemplo declarare; ſi quis debilem viribus & volentem aliquò proficiſci, iuuaret ſuſtinendo ne caderet in via, ſicque eum ad aliquem deſtinatum locum abſque defectu perduceret, ſuis tamen pedibus gradientem, diceretur vtique quòd iſte perduxit ad terminum abſque defectu eum, qui ſi ſibi relictus fuiſſet, multoties in itinere cecidiſſet, & tamen hoc non obſtante, hic ſuis pedibus ad terminum peruenit, & quantum eſt ex ſe defectibiliter. Simili ratione, cùm per diuinam prouidentiam homo ad aliquem finem perducitur, Deo eius voluntatem mouente, & adiuuante, atque vniuerſa remouente impedimenta; homo quidem liberè, ac propria voluntate, ac quantum eſt ex ipſo, defectibiliter operatur, adiutus tamen per diuinam prouidentiam in quantum huiuſmodi infallibiliter ad illum finem peruenit.* 8.

Vbi perpende primò, præſens exemplum propterea rectè congruere cum vaga prædefinitione, quam idem author paulo ſuperiùs docuerat; quoniam qui debilem viribus iuuat, ſuſtinendo, ne cadat in via, ſuis tamen pedibus gradientem, non prædeterminat, vt hic homo dextrum pedem moueat prius, quàm ſiniſtrum, nec ſiniſtrum prius quàm dextrum; nec determinat, vt celeriùs, vel tardiùs, nec vt maiorem diſtantiam vno paſſu tranſeat, nec vt interponat quietes, nec vt incipiat in hoc vel in alio inſtanti moueri; ſolùm determinat, ne cadat, nec omnino quieſcat; ſed gradiatur, donec ad terminum perueniat. Vnde obiter collige ſecundò, quantum à phyſica & antecedenti neceſſitate diſtet illa certitudo diuinæ prouidentiæ, quam inſignis hic angelici Doctoris explanator admittit. 9.

Caietanus verò nullibi meminit præſentis doctrinæ S.Thomæ, ſiue obliuionis causa, ſiue quia minùs probauerit illam: id tamen certum eſt in magnas fuiſſe redactum anguſtias 1.p. q.21.art.4. 10.

aliorum

aliorum omnium etiam S. Thomæ ſolutiones oppugnans, nouam inuenieos, cui demum non acquieſcit aliter, quàm ſuam ignorantiam profitendo, & intellectum captiuando in obſequium fidei.

11. *Operationes Chriſti Domini & vaga, & determinata prædefinitione prædefinita.* Ad operationes Ieſu Chriſti Domini noſtri veniamus. ab illis namque ſumitur validum argumentum ad cæteras omnes operationes bonas, & prædefinitionis capaces io hunc modum. Chriſti Domini operationes præ cæteris omnibus dignæ ſunt, vt prædefinitæ fuerint in particulari, & cum omnibus circunſtantiis ſuprà ſect. 3. num. 23. & infrà diſp. 10. ſect. 4. & 5. num. 11. Sed non obſtante hac prædefinitione determinata & particulari, eædē operationes prædefinitæ ſunt etiam in generali & vagè abſtrahendo à particularibus earum differentiis & circunſtantiis. Ergo reliquæ operationes bonæ cuiuſque alterius perſonæ potuerunt, ac debuerunt etiam prædefiniri prædefinitione vaga, & in generali, noo obſtante prædefinitione determinata & in particulari.

12. Maior probatur, nam Deus abſoluto & efficaci decreto ſuæ voluntatis conſtituit, vt humanum arbitrium Ieſu Chriſti Domini noſtri ſatisfaceret cuicunque præcepto diuino in particulari determinando ſingula præcepta. Poſſumus autem hoc decretum abſtrahere à quibuſcunque aliis volitionibus diuinis; atque vt ſic ex vi huius decreti præcisè prædefiniuntur plurimæ actiones in generali & vagè, non præfiniendo illarum differentias ſpecificas, neque numericas, nec earum circunſtantias particulares. Cuius ratio eſt, quoniam ex vi huius decreti, ſic præciſi, Deus nihil aliud prædefinit, niſi vt Chriſtus Dominus impleat hoc & illud præceptum ſibi impoſitum. Sed hoc totum obiectum licèt determinet præcepta; non tamen determinat actiones niſi generaliter & vagè relinquens indeterminatas multas ſpecies, indiuidua & circunſtantias: vt probatum eſt tomo de ſcientia Dei diſput. 47. ſect. 1. & 2. Ergo ex vi huius decreti non prædeterminantur ſpecies & indiuidua actionum omnium, ſed illud generale tantùm, videlicet ſatisfacere præceptis Dei.

13. *Chriſti Domini operationes ſolum in generali, & vagè præcepta.* Confirmatur primò, quia nullum particulare præceptum impoſitum fuit Chriſto Domino, per qood obligaretur ad talem actum interiorem, hîc, & nunc cum talibus circunſtantiis eliciendum: nam huiuſmodi præceptum non poſſet liberè impleri, quoniam ad eius impletionem viſio beatifica Chriſti Domini afferret antecedentem neceſſitatem. Nec ſatis erit confugere ad illam cognitionem infuſam & diuerſam viſione beatifica, virtute cuius Chriſtus Dominus eliciat talem actum: quoniam eadem volitio non poteſt eſſe libera in ordine ad vnam cognitionem, ſi neceſſariò ſequitur ex alia cognitione, vt probauimus tomo de ſcientia Dei diſputatione 53. tota ſect. 8.

Confirmatur ſecundò, quoniam per plures actiones ſpecie diuerſas potuit Chriſtus ſatisfacere quibuſdam præceptis, & quemlibet actum, quo ſatisfaciebat præcepto, potuit omittere, diuiſiuè loquendo; vt probatum eſt in eodem tomo diſp. 47. ſect. 1. & 2.

14. Quòd autem operationes Chriſti Domini ſolummodò in generali & vagè fuerint præceptæ, atque neceſſariæ; non verò determinatè, nec in particulari, ſemper docuit S. Thom. nam de veritate quæſt. 29. articulo 6. primum argumentum ita proponit. *Omne meritum ex libertate procedit, quia indeterminatè ſe habet ad multa: ſed liberum arbitrium in Chriſto determinatè ſe habebat ad bonum; ergo mereri non potuit.* Huic argumento reſpondet his verbis: *Licèt anima Chriſti eſſet determinata ad vnum ſecundùm genus moris, ſcilicet, ad bonum; non tamen erat determinata ad vnum ſimpliciter, poterat enim hoc, vel illud facere, & non facere, & ideo libertas in eo remanebat, qua requiritur ad merendum.* *Chriſtus Dominus meruit.*

15. Idem 3. p. quæſt. 18 art. 4. ſic proponit tertium argumentum. *Liberum arbitrium ſe habet ad vtrumque: ſed voluntas Chriſti fuit determinata ad bonum, quia non potuit peccare; ergo in Chriſto non fuit liberum arbitrium.* Reſpondet autem: *Voluntas Chriſti licet ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc, vel illud bonum, & ideo pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, ſicut ad beatos.* Atque de hac difficultate, quæ naſcitur ex repugnantia libertatis cum determinatione ad vnum, nihil meminit S. Thom. in ſeq. quæſt. 19 art. 3. & 4. diſputans de merito Chriſti Domini tacendo ſignificans, requiri & ſufficere ad meritum eam libertatem & indeterminationem, quam expoſuerat in præcedenti quæſt. 18. art. 4. nuper citato. Quam eandem ſolutionem tacendo probat etiam Caietanus vtrobique.

16. Inſuper S. Thom. in 3. diſt. 18. quæſt vnica art. 2. ſic proponit argumentum quintum. *Naturalibus non meremur propter hoc, quod ſunt determinata ad vnum; ſed liberum arbitrium in Chriſto erat determinatum ad bonum; ergo ipſe per liberum arbitrium mereri non potuit.* Reſpondet autem ſic: *Liberum arbitrium Chriſti non eſt determinatum ad vnum ſecundum numerum, ſed ad vnum ſecundùm genus, ſcilicet ad bonum, quia in malum non poteſt, ſed tamen hoc poteſt facere, & non facere, videlicet, hoc bonum, aut illud.*

17. *S Thomæ doctrina exponitur.* Circa illud tamen, quod S. Thomas continuò ſubiungit in ſolutione ſecunda concedens, ad meritum ſatis eſſe ſpontaneam, non coactam volitionem, etiamſi neceſſariò eliciatur, nec poſſit non elici. Notandum eſt, hanc ſolutionem explicandam eſſe de neceſſitate, & impoſſibilitate conſequente, quæ ſupponit exiſtentiam actus liberè futuram: qualis eſt apud S. Thomam neceſſitas ex præſcientia, prouidentia, & voluntate diuina proueniens, vt oſtendimus tomo de ſcientia Dei diſput. 33. ſect. 7. & diſput. 51. præſertim ſect. 2. vel erit explicanda de neceſſitate, & impoſſibilitate vaga, quam in priori ſolutione dixerat: hoc enim modo loquitur etiam S. Bonauentura infrà num. 20. & 21. Alioqui neceſſariò concedendum eſt à D. Thoma reuocatam fuiſſe ſententiam; quoniam, vt ipſe loquitur quæſt. 6. de malo, quæ eſt de electione humana art. vnico. *Non videtur eſſe meritorium, vel demeritorium quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit.* *Ad meritum libertas.* Hoc idem ſupponit in locis nuper citatis ex 3. p. & quæſt. 29. de verit. Clariùs autem conſtat ex aliis plurimis, vbi docet ad libertatem non ſufficere ſpontaneum & voluntarium; ſi neceſſariò velis, nec poſſis velle, & non velle: quæ vidimus io eodem tomo de ſcientia diſput. 45. ſect. 3. & diſp. 49. ſect. 2. & 3. præſertim cùm idem ſentiant communiter Theologi & Philoſophi, citati in prædicta diſp. 45. ſect. 3. & tota diſput. 49.

18. Redeo ad ſolutionem de vaga neceſſitate, atque impoſſibilitate, quam prior tradiderat Alexander 3. p. q. 16. memb. 2. art. 2. ad 1. ita ſcribens: *Ad illud quod obiicitur; mereri eſt voluntarium, ergo*

poterat

Digitized by Google

poterat non mereri. Dicendum quòd mereri poteſt dici dupliciter, in particulari, & vniuerſali; in particulari, vt cùm dicitur mereri hoc motu, vel illo; vel operatione hac, vel illa, & hoc modo poterat Chriſtus mereri, & non mereri, idest, mereri hoc motu, & non mereri illo motu; ſi verò mereri dicatur in vniuerſali, ſic nō poterat non mereri: quia quamuis poſſet nō mereri hoc motu, vel illo, tamen non poterat eſſe quin mereretur aliquo. Neque ex hoc ſequitur quod mereri non ſit voluntarium. Quia voluntarium ſemper determinatur reſpectu actus ſingularis, & particularis. Rurſus ad tertium ait, *liberum arbitrium Chriſti Domini erat determinatum ad bonum in vniuerſali, ſed erat indeterminatum ad bonum in particulari; & poterat hoc opus facere, vel dimittere, & ideo manet indeterminatio, ſecundum quam attenditur meritum.*

19. Eandem Alexandri ſolutionem, ſummatim expoſitam, ſequitur Carthuſianus in tertio libro ſententia. diſputatione 18. quæſtione 1, col. 3. vel circiter.

20. Sanctus Bonauentura in 3. diſtinctione 18. articulo primo, quæſtione ſecunda ad primum tractans de merito Chriſti Domini, *Ad illud*, inquit, *quod obycitur, quòd potentia determinata ad vnum, non facit opus de genere laudabilium; dicendum eſt quod determinatio potentiæ ad vnum, ſi ſit per neceſſitatem naturæ, tunc tollit arbitrij libertatem: ſi autem ſit determinatio meriti per confirmationem gratiæ; cum talis confirmatio ſimul ſtet cum libera voluntate, ſic non tollit qualitatem meriti: in Chriſto autem fuit liberum arbitrium determinatum ad vnum, non per neceſſitatem naturæ, ſed per confirmationem gratiæ.* Cæterùm hæc ſolutio maneret adhuc ambigua, niſi idem ſanctus Doctor in 2. diſtinctione 7. parte prima, articulo ſecundo, quæſtione 1. præſertim ad tertium argumentum explicuiſſet, confirmatis in gratia manere libertatem arbitrij ad oppoſita indifferentem, quantum ad eligendum hoc, vel aliud opus bonum; non verò quantum ad eligendum opus malum. Prout retulimus tomo de ſcientia diſputatione 47. ſectione 3. vnde conſtat, ſolutionem S. Bonauenturæ in re nihil diſſidere à ſolutione S. Thom. & Alexandri nuper adducta.

21. Eodem ſenſu videtur intelligendum quod aſſerit Argentina in tertio, diſtinctione 18. quæſt. vnica, articulo tertio poſt concluſ. primam ad tertium. *Agens naturale non prohibetur à merito ex hoc, quod eſt determinatum ad vnum; ſed ex modo determinationis puta, quia neceſſariò, & non voluntariè tendit in illud vnum; ſed Chriſtus, & quilibet confirmatus in gratia, licèt determinatè tendat in bonum, tamen voluntariè & liberè tendit in ipſum,* &c. Antitheſim illam obſerua, ex qua conſtat, apud hunc authorem fuiſſe libertatem neceſſitati contrariam in actionibus meritoriis Chriſti Domini; & totam illarum determinationem fuiſſe abſque vera neceſſitate, idque magis conſtat ex doctrina generali de libertate, quam idem Argentina tradit in ſecundo, tota diſtinctione 25. ſæpe.

22. Marſilius verò ſeipſum magis explicuit. Nam in ſecundo ſententia. quæſtione 17. ad finem totius quæſtionis aſſeruerat, quòd *Beata Maria poſt conceptionem Saluatoris non potuit ferri in malum: erat tamen libera in facere, & non facere, iuxta illud, quod iudicabat optimum.* Quo ſuppoſito, defendit ſtatim, Deiparam meruiſſe, quandiu fuit in via, non obſtante neceſſitate ad bonum. Nimirum, quoniam intra genus boni, ſecluſo quolibet malo, manebat indifferens ad hoc, vel illud bonum etiam optimum.

Hunc igitur eundem modum neceſſitatis in generali, & libertatis in particulari actionibus Chriſti Domini tribuit idem author in 3. quæſtione 12. in poſtrema parte articuli, dum reſpondet ad primum principale aſſerens, Chriſtum Dominum meruiſſe *per opera, quæ fecit neceſſitate ineuitabilitatis, per gratiæ plenitudinem, in bono confirmantem; ſicut etiam Beata Virgo poſt ſecundam ſanctificationem;* videlicet in conceptione Saluatoris, vt dixerat loco citato, vnde etiam in contextu eiuſdem q. 1. 2. ſatis indicat, Chriſtum Dominum abſolutè potuiſſe non elicere illos actus, quibus meruit. 23.

Ex aliis antiquis, & grauibus Scholaſticis colligi poteſt eadem ratio cōcordiæ libertatis Chriſti Domini cum præcepto ſibi impoſito. Nam omnes ſupponunt, eſſe de fide Chriſtum meruiſſe ſubeundo mortem, & hoc fuiſſe mandatum à Patre, Ioannis 10. Supponunt etiam, eſſe de fide Chriſtum Dominum, non potuiſſe peccare; ac ſubinde non potuiſſe omittere impletionem illius præcepti. Quapropter manifeſtè conuincuntur exiſtimare, non fuiſſe præceptam particularem aliquam & determinatam actionem impletiuam illius præcepti; ſed tantùm vagè & in vniuerſali: quoniam aſſerunt contingentem fuiſſe actionem, qua Chriſtus Dominus meruit, ideóque in eo inſtanti, in quo fuit, potuiſſe non eſſe, & non neceſſariò fuiſſe: quod expreſsè docet Scotus in 3. ſentent. tota diſt. 8. præſertim verò in 4. argumento principali, & in eius ſolutione. 24.

Concordia libertatis Chriſti cum præcepto.

Non diſſimiliter Durand. in 3. diſtinctione 3. quæſtione 4. numero 7. *Non eſt*, inquit, *meritum circa illud vnum, circa quod arbitrium non eſt flexibile ad alterum.* & in eodem libro 3. diſtinctione 18. quæſtione 1. articulo 1. docet, Chriſtum Dominum habuiſſe conditionem illam, ad meritum requiſitam, videlicet, *quòd agens ſit Dominus ſuæ actionis, ita quòd in poteſtate eius ſit agere, vel non agere, nec agat ex neceſſitate, ſed liberè.* Eandem prorſus doctrinam Durandi ſequitur Paludanus in 3. diſtinctione 18. quæſtione ſecunda, articulo 2. ſub initium, & poſtea in tertio & quarto modo dicendi. 25.

Richardus in 3. diſtinctione 17. art. 1. quæſt. 2. ad ſecūdum aſſerit, *Deliberatiuam voluntatem Chriſti non fuiſſe ad vnam partem determinatam.* & conſequenter in proxima diſtinctione 18. articulo 1. quæſtione 1. corp. concedit, arbitrium Chriſti Domini fuiſſe Dominum ſuæ actionis meritoriæ. Cui dominio & libertati repugnare neceſſitatem, ac deberi poteſtatem determinandi ſe ipſum, docuerat in ſecundo, diſtinctione 24. articulo 1. quæſtione 4 ad 3. & diſt. 25. art. 2. quæſt. 1. & art. 4. q. 1. & 2. 26.

Ioan. Maior in 3. diſtinctione 18. quæſtione 1. prope initium corol. 3. ſupponit tanquam certum, de lege ordinaria non eſſe meritorium actum, qui non eſt in poteſtate liberæ voluntatis. Cui conſequentia ſunt, quæ docet in quæſtione ſecunda, colum. penult. §. *contra ſecundam viam.* Similiter Gregorius in ſecundo, diſtinctione quinta, quæſt. vnica, art. 2. colum. 2. ad meritum requirit poteſtatem eliciendi & non eliciendi actum. quamuis nullibi de Chriſti Domini libertate & merito ſcripſerit, quod inuenerim. 27.

Palacios

28. Palacios in 3. diſt. 18. diſp. 1. column. penolt. docet ad meritum cuiuſque perſonæ, etiam Chriſti Domini, non ſufficere actus voluntarios, ideſt, non violentos: ſed requiri actus cootingentes, qui poſiti ſint in libera poteſtate voluotatis libertate contradictionis, ideóque Chriſtum Dominum non potoiſſe mereri viſione Dei, neque fruitiooe beatifica, ſed meruiſſe acceptando mortem, quam cootingenter acceptaoit.

29. Adam in 1. diſt. 1. q. 6. prope finem totius quæſtioois docet, Chriſtum Dominum ideo potuiſſe mereri in primo inſtanti; quia prius natura, quàm cauſaret actum, potuit liberè non cauſare illum, ídque poſitis omnibus viis requiſitis ad eũ actum cauſandum. Cui ſimilia ſunt, quæ docet in 8. q. eiuſdem diſtioctionis art. 1. ad finem, cooferendo cum his; quæ de libertate in primo inſtanti creationis, & de poteſtate deliberandi, atque peccandi in eodem primo inſtanti; dicit in eadem quæſt. artic. 2. circa m.d.dum reſpoodet ad primum argumentum.

30. Almain. io 3. ſent. diſt. 18. verſùs finem totius diſtinctionis in 1. dub. ſupponit tanquam certum, de lege ordinaria non eſſe meritorium actum, niſi fuerit liber libertate contradictionis, per quam potuerit omitti; ideo conſequenter docet, Chriſtum Dominum meruiſſe per amorem non beatificum, ſpecie diſtinctum ab amore beatifico, quia hic erat præditus libertate contradictionis, vel meruiſſe per amorem beatificum, non vt verſabatur circa Deum, ſed quatenus extendebatur ad creaturas, quia ſic etiam erat liber, ſicut etiam, liberæ erant plores aliæ volitiones procedentes ex amore beatifico.

Actus meritorius liber.

31. Addit tamen Almainus tertium diſinnctioois membrum, ſcilicet, aut Deum peculiariſſimo priuilegio acceptaſſe ad meritum Chriſti Domini actum neceſſarium, & non liberum, quod etiam, quamuis ſub dubio, docuit apertè Gabriel in 3. diſt. 18. q. vnica, art. 3. dub. 1. verſùs finem, cùm alioqui rectè ſenſerit indifferentiam agendi, & non agendi requiſitam eſſe ad libertatem in 2. ſent. tota diſtinct. 25. & alibi ſæpè, vt vidimus tom. de ſcientia diſput. 49. ſect. 8. ſub init.

32. Inter recentiores non deſuot, qui ſimul cum prædefinitione bonarum actioonum, facta per directionem ſciẽtiæ medię admittant etiam vagam prędefinitionẽ, quam ex D. Thoma retulimus in principio ſectionis præſentis: quorum vnus fuit Iuan. Alphouſus Curiel cõtrouerſiarum Scripturæ lib. 2. controuer. 4. poſt concl. 4. num. 267. & ſeqq. pag. 301. Alij reiecta prædefinitione bonarum operationum in particulari, quæ fiat virtute ſcieotiæ mediæ, ſolam admittunt prædefinitionem factam per directionem ſcientiæ vagarum iofallibilitatum, vt Ioan. Mariana lib. 2. de morte & mortalitate c. 11. & 12. & lib. 3. c. 8.

SECTIO VII.

Neceſſitas vaga & in generali non obſtat, quominus omnes formalitates ſpecificæ atque genericæ ſint abſolutè liberæ.

1. QVatuor obiectiones contendunt, noo eſſe libertatem ſimpliciter; ſed diminutam & ſecundùm quid illam, quæ relinquitur ex vaga neceſſitate, ſiue infallibilitate, quam ſex præcedentes ſectiones comprobarunt. Prima. Quoniam ſola differentia numerica poterit eſſe libera, quando per vagam oeceſſitatem prædefinitur infima ſpecies alicuius operationis. Cooſequens autem eſt omnino abſurdum. Difficultas explicatur exemplo. Quando contritionis actus prædefinitur, vt iofallibiliter proueniens ex vi motiuorum, & collectione omnium circunſtantiarum; relinquendo tameo iodifferentiam, vt hic homo, io hoc inſtanti, vel in alio, intra plures dies, vel menſes, huoc ſingularem actum contritionis, potius, quàm illum, cum maiori, vel minori intenſione, aliiſque circunſtantiis eliciat; tunc ſpecifica ratio contritionis huic homini non erit libera, ſed neceſſaria: quooiam neceſſariò ſequitur, tãquam ex antecedenti cauſa ex auxiliis & aliis circuoſtantiis. Reſtat igitur vt ſola numerica differentia contritionis, & illios tempus, locus & aliæ circunſtantiæ maneant liberæ.

Obiectio prima quia ſola differentia numerica actus eſſet libera.

2. Cooſequens autem eſſe valde abſordum, probatur, quoniam ad gratiam proximè diſpooere, & illam mereri de congruo, vel de condigno mereri gratiæ & gloriæ augmentom, effectus ſunt tantæ dignitatis, vt non poſſint prouenire ex præciſa differentia numerica contritionis; ſed quidditatiuè requirant ſpecificam rationem contritionis. At verò contritionis actu peccator proximè diſponitur ad gratiam recipiendam, & illã de congruo meretur; ſicut & iuſtus de cõdigno meretur gratiæ, & gloriæ augmentũ. Cùm autem ratio meriti, & diſpoſitionis eſſentialiter requirat libertatem, neceſſarium erit ſpecificam rationem contritionis eſſe ſimpliciter liberam.

3. Cooſirmatur primò, quoniam ratio, propter quam contritio proximè diſponit ad gratiam, eſt illius quidditatiua tendeotia in Deum, & eius legem, omnibus bonis antepooendam; propterea deteſtando peccata ſuper omnia mala, volendóqoe, prout potuerit, reſarcire iniuriam, Deo illatam. Hoc autem bonum totum contioetur io ratiooe generica, & ſpecifica contritionis: & oihil illius continetur in differentia numerica; hæc enim ſolummodo cooſiſtit in limitatione ſingularizante commonem illam tendentiam ad obiecta.

Confirmatur ex eo quod cõtritio quatenus tendit in Deum diſponat ad gratiam.

4. Cunfimatur ſecundò. nam ſi differentia oumerica contritionis in ſe formaliter contioeret aliquam tendentiam io obiectum bonum, ratione cuius eſſet laudabilis, & meritoria: propter eandem rationem differentia numerica odij Dei contineret aliquam tendentiam in obiectum cootrarium charitati, ratione cuius eſſet intrinſecè mala. Ideóque Deus, etiam ex munere cauſæ vniuerſalis noo poſſet ad illam determinare: vt vidimus tom. præced. de volunt. Dei diſp. 44. ſect. 5. fine. Determinat autem Deus differẽtiam numericam odij Dei, ſiue immediatè, videlicet cauſis imprimendo naturalem determinationem, ſiue immediatè ſuo concurſu generali: vt vidimus eodem tomo præcedent. diſput. 49. ſect. 4. num. 8. & ſequentibus.

Confirmatio ſecunda, quia differentiam numericam odij non poſſet Deus determinare.

5. Confirmatur tertiò, quoniam contingit moltoties ex vi circunſtantiarum, & deſtitutionis aoxiliorum eſſe infallibilem lapſum io aliquam ſpeciem infimam peccati, veluti in deſiderium vindictæ poſt ignominioſiſſimam iniuriam, illatam militi gloriæ militaris auidiſſimo, nihilque de futura gloria vel pœna cogitanti. Hic autem miles, conſentiens io deſiderium vindictæ, meretur pœnam, præcipuè propter rationem ſpecificam vindictæ, qua directè tranſgreditor præceptum charitatis & iuſtitiæ, cui præcepto nihil

opponitur differentia numerica, niſi propter ſpecificam rationem, cui adiungitur. Conſequens igitur eſt, non ſolam differentiam numericam, ſed etiam ſpecificam rationem eſſe liberam, & imputabilem in ſimilibus caſibus.

6. *Solutio refellitur.*

Reſpondebit fortaſſe quiſpiam. Ratio ſpecifica contritionis, vel alterius actus, in ſimili caſu non eſt phyſicè neceſſaria, neque per vagam neceſſitatem; ſed eſt ſolummodo infallibilis moraliter. Hæc autem infallibilitas non repugnat phyſicæ libertati, quæ ſimpliciter libertas eſt: vt oſtendemus diſp. 10. ſect. 3. & 4. Ideo etiam ratio ſpecifica contritionis eſt ſimpliciter libera. Veruntamen hæc ſolutio non plenè ſatisfacit, propter duas rationes.

Prima, quia non defendit ſpecialem rationem, & viam conciliandi libertatem cum prædeſtinatione, vel prædefinitione vaga, & in generali, ſed totam rationem concordiæ deuoluit ad illam eandem viam, qua defenditur libertas, non obſtante prædefinitione determinata & in particulari. Vnde ſequitur, D. Thomam & alios Scholaſticos, præcedenti ſectione citatos, inutiliter confugiſſe ad varietatem mediorum, & actionum, per quæ vagatur prædeſtinatio, & obligatio præcepti.

7. *Chriſto phyſicè neceſſarium liberè amplecti mortē.*

Secunda ratio eſt, quoniam Chriſto Domino fuit ſimpliciter, ac phyſicè neceſſarium liberè amplecti mortem; & velle obedire Patris æterni mandato ponendi animam ſuam, quod violare foret ſimpliciter, & phyſicè impoſſibile propter viſionem beatificam: ſicut notatum eſt ſection. præced. num. 13. vt omittamus eam rationem, quæ proueuit ex vnione hypoſtatica, de qua diſp. 10. ſect. 5. num. 11. Nihilominus Chriſto Domino fuit ſimpliciter libera non ſolùm differentia numerica, ſed etiam differentia ſpecifica illius actus, & potuit illam omittere. Hoc enim præcipue ſignificant illa verba Ioan. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* prout ponderantur à Patribus, adductis tomo de ſcientia Dei diſp. 47. ſect. 1. num. 9. & ſeqq.

8. *Concluſio reſponſiua.*

Propterea reſpondeo, & ſit concl. 1. Quamuis foret ſimpliciter, ac phyſicè neceſſarium, vt Petrus intra hunc diem eliceret aliquem contritionis actum vagè, & in generali: nihilominus quando Petrus in hoc inſtanti conciperet contritionis actum, foret libera non ſolùm differentia numerica illius, ſed etiam tota ratio ſpecifica & numerica contritionis.

Ratio ſpecifica realiter multiplex in indiuiduis.

Probatur primò à priori, quoniam ratiò ſpecifica non eſt realiter vna in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei, vnde prouenit, vt vaga neceſſitas diſcurrat disiunctiuè per plures realitates, realiter diſtinctas, relinquendo ſingulas determinatè & in particulari ſimpliciter liberas propter earum realem diuerſitatem.

9. *A differentia numerica refunditur in naturā realis diſtinctio.*

Confirmatur, quoniam à differentia numerica huius equi refunditur realis diſtinctio etiam in naturam ſpecificam equi; quæ quoniam realiter identificatur cum hoc ſingulari equo, diſtinguitur etiam realiter à natura ſpecifica, quæ conuenit, & identificatur realiter cum alio equo. Conſequenter igitur à differentia numerica huius actus contritionis refunditur non ſolùm realis diſtinctio, ſed etiam libertas in ſpecificam naturam contritionis, quæ realiter identificatur cum hoc actu contritionis, & realiter diſtinguitur à quolibet alio actu contritionis.

Probatur ſecundò, quia quæcunque ratio ſpecifica quæ poteſt produci, & non produci ab arbitrio, eſt abſolutè libera, ſed in præſenti caſu non ſolùm hæc differentia numerica contritionis, ſed etiam ratio ſpecifica, & generica, quæ realiter identificatur cum hoc actu contritionis, poteſt produci, & non produci ab arbitrio. Ergo libera eſt etiam ratio ſpecifica & generica, quæ quidditatiuè conuenit huic actui contritionis. Minor probatur, quoniam ſi non produceres hanc differentiam numericam contritionis, non produceres, nec exiſteret in rerum natura ratio generica, & ſpecifica, quæ realiter identificatur cum illo, & quidditatiuè conuenit huic actui: ſed produceres aliam rationem genericam & ſpecificam, realiter diuerſam ab iſta; quoniam realiter identificaretur cum alio actu contritionis. 10. *Quod poteſt produci, & non produci liberum eſt.*

Tertiò probatur exemplo. nam conſeruato cauſarum naturalium ordine, phyſicè neceſſarium eſt in mundo permanere ſpeciem tauri: vnde dicunt Philoſophi ſpecies eſſe incorruptibiles. Nihilominus liberum eſt tibi efficere, vt permaneat, vel non permaneat ſpecifica natura tauri, quæ quidditatiuè conuenit, & identificatur realiter cum hoc tauro. Nam quando liberè interficis hunc taurum, non ſolùm perit eius differentia numerica, ſed etiam perit ſpecifica ratio tauri, quæ realiter inerat illi, & quidditatiuè prædicabatur de illo. 11. *Exemplo res declaratur.*

Confirmatur; quoniam ſi nullus alius taurus foret in mundo, niſi iſte quem interficis; tunc periret cum eo natura ſpecifica tauri: & tamen nihil reale tunc periret, quod tunc non pereat: ergo nunc perit natura ſpecifica, quæ eſt in hoc tauro, licet non pereat ea, quæ conuenit aliis tauris. Eodem modo ratiocinare de tauro ſingulari, cuius generationem liberè procurat is, qui vaccam exponit tauro genitori. Sic igitur, ſeruata propoſitione, liberum erit alicui peccatori concipere, vel non concipere totam rationem ſpecificam & genericam contritionis, quæ identificatur cum hoc actu: quamuis ſit neceſſarium, vt hanc, vel aliam, vel aliam contritionem eliciat. 12.

Secunda obiectio moralem æſtimationem libertatis potius, quàm eius metaphyſicam rationem ita ponderat. Secundùm æſtimationem, prudentiæ conſentaneam, nullius laudis, & nullius præmij digna eſt actio, quam aliquis homo neceſſitate compellitur facere; licèt ei relinquatur libertas circa inſtans, indiuidua, & circunſtantias illius actionis: igitur ad meritum de congruo, vel de condigno nihil valet actus contritionis, ſi neceſſarius eſt in generali; quamuis huic homini relinquatur libertas eliciendi, & non eliciendi hunc actum, in hoc inſtanti, & ſub his circunſtantiis. Propter eandem rationem probabitur, fuiſſe nullius meriti obedientiam, qua Chriſtus Dominus acceptauit mortem. 13. *Moralem æſtimationem ponderat 2. obiectio.*

Antecedentis veritas manifeſta fiet exemplis. Primum ſit obſtinatus ille latro. Hic quando trahebatur inuitus ad crucem, poterat breuiſſimo ſaltem interuallo temporis plus, minúſve retardare greſſum, poterat in hoc, vel in alio inſtanti motum corporis inchoare, dextrum pedem prniicere priuſquam ſiniſtrum, ad vnum latus viæ magis, quàm ad aliud inclinare. Nullus tamen iudicabit eiuſmodi actiones fuiſſe laudabiles & meritorias, etiam attendendo ſolummodo 14. *Exēplis probatur antecedens.*

Digitized by Google

modo laudem & meritum, quod prouenire poteſt ex ſolis viribus naturæ per actiones honeſtas. Nec enim potuit illius arbitrio imputari, quòd pergeret, ad ſoluendas pœnas ſuis criminibus debitas.

15. Secundum exemplum ſit vnuſquiſpiam ex illis Ægyptiis, qui tenebantur incluſi carcere tenebrarum, nec mouit ſe de loco, in quo erat Exodi 10. & Sapientiæ 18. Nam huic homini non poterat imputari tanquam libera quies, & recluſio illius carceris: quamuis poſſet corpus ſuper lectum verſare in vnum, aut alterum latus, vel per cubiculum palpando progredi ad dextrum, vel ad ſiniſtrum latus. Similia cogitare poteris de his, qui deportantur ad inſulas, vel damnantur ad metalla, vel addicti ſunt triremibus, aliiſque quamplurimis exemplis.

16. *Coactio circa rationem ſpecificam tollit rationẽ meriti, etiãſi differentia libera.*

Reſpondeo & ſit ſecunda concluſio. Quando non ſolùm neceſſitas, ſed etiam coactio verſatur circa rationem ſpecificam; tunc non imputatur ad laudem & meritum ratio ſpecifica: etiamſi maneat indifferentia libera circa numericas differentias tempus, locum, aliáſque circumſtantias. Hanc concluſionem probant exempla nuper adducta: & illius ratio à priori eſt, quoniam quidquid eſt inuoluntarium, non eſt liberum, nec imputabile ad laudem: at ratio ſpecifica in hoc caſo eſt inuolontaria, vt magis conſtabit ex probatione concluſ. ſequentis.

17. *Spõtanea propenſio auget rationem meriti.*

Tertia concluſio, vbi nulla interuenit coactio, & violentia circa rationem genericam; ſed potiùs interuenit tam vehemens impetus ſpontaneæ propenſionis ad amandam, & totis viſceribus amplectendam rationem ſpecificam; vt ex hac vehementia voluntarij neceſſitas emergat circa rationem ſpecificam: tunc ſecundùm rectam prudentiam nihil minuitur, ſed potiùs augetur eximiè ratio meriti apud Deum, & homines: dummodo liberum ſit elicere, vel non elicere hunc, aut illum actum, hic, & nunc. Ratio à priori eſt, quoniam tunc tota ratio ſpecifica, quæ identificatur realiter cum hoc actu ſingulari, eſt totaliter voluntaria, & eſt libera propter rationes adductas pro concluſ. 1.

18. *Ratio ſpecifica ſubeundi mortem fuit Chriſto ſpontanea.*

Huiuſmodi autem erat Chriſto Domino ratio ſpecifica ſubeundi crucem, cui veluti calici, quem dedit ſibi Pater, auidiſſimus inhiabat. Similiter ergo philoſophare de prædeſtinato quopiam, cui vehementiſſima vocatio neceſſitatem afferret aliquando producendi aliquem contritionis actum.

19. *Secunda & tertia concluſionis diſcrimen.*

Confirmatur, explicando rationem diſcriminis inter vtrumque caſum ſecundæ concluſionis, & tertiæ. Nam quantum ad realem productionem ratio ſpecifica eundi ad crucem & mortem, non poteſt præſcindi à differentia numerica. Ideoque latro ille, quantum cooperabatur ad rationem numericam eundi ad crucem, cooperabatur etiam ad rationem ſpecificam. Nihilominus quantum ad amorem & complacentiam, præſcindebat latro rationem ſpecificam eundi ad crucem, quam odio proſequebatur omnino, & ita reddebat incapacem imputabilitatis: ideóque nihil imputabatur ad laudem, quòd hîc, & nunc ambularet, licèt poſſet hanc ambulationem omittere. Sed è contrario Chriſtus Dominus amabat ardenter ſpecificam rationem eundi ad crucem; ideóque capacem reddebat illam, vt hîc & nunc imputaretur, quoniam hîc, & nunc poterat non produci, & tamen producta fuit.

20. *Obiectio tertia, quia imputatur Deo odij ſpecifica ratio.*

Tertia obiectio libera poteſtas determinandi, vt producatur hic actus obedientiæ potius, quàm alter, ſufficit, vt humano arbitrio Chriſti Domini imputetur non ſolùm differentia numerica, ſed etiam ſpecifica ratio obedientiæ, & tota illius conſonantia cum charitate; idque non obſtante neceſſitate, qua diuinitas determinauit ſpecificam rationem obedientiæ. Ergo propter eandem rationem libera poteſtas determinandi, vt producatur hic materialis actus odij Dei, potius quàm alter, ſufficit, vt imputetur Deo non ſolùm differentia numerica, ſed etiam ſpecifica ratio odij Dei, quantum ad totam realem oppoſitionem cum charitate; idque non obſtante, quòd homo determinauerit ad ſpecificam rationem odij Dei. Conſequens autem eſt falſum; ergo & antecedens.

21. *Confirmatur quia actuum differentias numericas ignoramus.*

Confirmatur primò, quia cùm homines ignorent prorſus differentias numericas ſuarũ actionum; non eſt in eorum poteſtate deligere hunc actum potius, quàm alium ſolo numero diſtinctum. Quapropter hæc determinatio fit à Deo, ſiue immediatè per generalem concurſum (vt quidam volunt) ſiue mediatè, quatenus voluntati de cæteris cauſis determinationem indidit, vt in hoc inſtanti circa hæc obiecta cum cæteris circunſtantiis non niſi talem actum poſſint producere: vt vidimus præcedenti tomo de voluntate Dei diſp. 49. ſect. 4. num. 8. & ſequentibus.

Confirmatur ſecundò, quoniam ſemper quando mentem intendimus ad eliciendum contritionis actum, nihil cogitamus de indiuiduo, nec de ſpecie; ſed tantùm conſideramus attentè contritionis obiectum, & motiua: quapropter ob ſolam incogitantiam non poſſemus indiuiduum actum determinare; licèt hoc alioqui foret poſſibile.

22. *Soluitur. Peccatũ neceſſario Deus odio proſequitur.*

Huius tamen obiectionis ſolutio deducitur ex diſcrimine, notato in ſecunda & tertia concluſione. conuinceret namque argumentum, ſi Deus ex amore ſibi voluntario & ſpontaneo, quamuis neceſſariò, quo diligeret ſpecificam rationem odij Dei, procederet ad liberè eligendum determinare ad hunc materialem actum odij potius, quàm ad alterum actum ſingularem eiuſdem ſpeciei. Veruntamen aliter ſe res habet. Nam Deus neceſſariò proſequitur odio quemlibet actum odij Dei; ideóque quaſi coactus concurrit ad ſpecificam rationem illius, ſicut & coactus determinat numericam illius differentiam. Coactio autem hæc, in quantum eſt ad tales actus, prouenit per ſe à malitia voluntatis creatæ determinantis ſe ad illos; per accidens autem prouenit ex munere primæ cauſæ, quod ex ſe ex deſtinato & propendente ad oppoſitos actus. Hanc verò Dei coactionem probauimus eodem tomo de voluntate, diſp. 50. ſect. 4.

23. *Quarta obiectio, quia non poſſumus differentiã numericam determinare.*

Quarta obiectio. Non poſſumus homines in hac vita determinare differentiam numericam actus (vt ſemper probatum fuit in confirmatione præcedentis obiectionis.) ergo non eſt nobis poſſibilis indifferentia relicta circa differentias numericas contritionis, ſi per antecedentem neceſſitatẽ determinamur ad rationem ſpecificã illius.

Indirectè determinamus differentias numericas actuum.

Reſpondetur primò, licèt directè non poſſimus determinare numericas differentias contritionis, quoniam illas mente non diſcernimus: poſſumus tamen indirectè, quatenus poſſumus actum contritionis elicere in hoc, vel in alio inſtanti, & poſſumus ſimul eodem

actu plura peccata deteſtari, & alia obiecta materialia diligere, propter eandem rationem formalem contritionis. Ex quorum diuerſitate totus actus redditur numero diuerſus, vt alibi probatum a nobis eſt.

Chriſtus Dominus, & Angeli differentias numericam actuum determinant.

Reſpondetur ſecundò, ſaltem Chriſto Domino, & Angelis poſſibile fuit numericam differentiam determinare ſuis actibus, vt in eodem tomo de voluntate Dei diſp. 49. ſect. 4. num. 17. dictum fuit.

Conſcientia inuincibiliter perplexa cur non imputetur peccatum.

24. Circa conſcientiam inuincibiliter perplexam corollarium colligitur ex toto ſuperiori diſcurſu, præſertim ex ſolutione ſecundæ obiectionis, & tertiæ. Huic itaque conſcientiæ non poteſt imputari aliqua culpa ex eo quòd eligat actionem, quam exiſtimat eſſe leuius peccatum, vel ſaltem æquale peccatum; nec poſſe vitari hoc, niſi committendo aliud grauius, vel æquale peccatum. Exemplum ſit Iephte, offerens in holocauſtum filiam ſuam, Iudicum 11. de quo non diſputo modò, quid fecerit, qua conſcientia, quo ſpiritu impellente: (de quibus ſapienter & eruditè Franciſcus Suarez tomo 2. de religione lib. 2. de materia voti cap. 10. num. 5. & ſequentibus;) ſed conditionaliter loquor ad rei explicationem. Si fortè ille per inuincibilem ignorantiam exiſtimabat, ſe tranſgreſſorem voti conſtitui, niſi mactaret filiam: & ſimul etiam exiſtimabat, parricidium & ſacrilegium committi eiuſmodi ſacrificio; & exiſtimabat, leuius peccatum eſſe filiam mactare: ex hac ſuppoſitione non imputatur illi communis ratio peccati; ſed solùm imputatur illi ſub ratione leuioris, quod eſt imputari ad laudem. Ratio eſt, quoniam totam malitiam vtriuſque peccati proſequebatur odio, & vitare volebat ſi poſſet, & ex hoc odio peccati adductus eſt ad actionem, quam exiſtimabat eſſe leuius peccatum. Non diſſimile exemplum conſtitui poteſt in Ioſue, propter iuramentum non occidendi Gabaonitas, Ioſue 9.

Quorundam obiectio.

25. Hinc ergo ſoluitur quorundam obiectio, qui contendunt, in huiuſmodi perplexitate imputari totam rationem culpæ. Probant autem exemplo actionum Chriſti Domini, quæ licet eſſent neceſſariæ quantum ad ſpecificam rationem vagè, nihilominus tota illarum bonitas imputabatur ex eo ſolùm, quòd Chriſtus Dominus poterat hanc numero actionem omittere, vel producere.

Soluitur.

26. Hoc autem argumentum foret omnino validum in caſu, quo perplexus ille voluntaria propenſione amaret eas operationes, quibus putat ineſſe malitiam. Quemadmodum Herodes volebat occidere Baptiſtam Matth. 14. & volebat Herodiadi & diſcumbentibus ſatisfacere: idcóque adductus eſt ad decollandum Ioannem pro vitanda tranſgreſſione iuriſiurandi, quam culpabiliter errando iudicabat. Contrà verò, quando perplexus, inuincibiliter errans, odio proſequitur, quantum in ſe eſt, communem rationem malitiæ, & cogitur omnino ad determinandam, & eligendam actionem, quam putat æqualiter malam, aut minus malam: tunc interuenit coactio, excludens ſpontaneum & liberum, & ideo ceſſat ratio imputandi malitiam, vtrique actioni communem; quemadmodum colligi poteſt ex concluſione 2. & 3. & ex obiectione 3. & eius ſolutione numero 22. Hæc attingere neceſſarium fuit, quoniam radicitus explicant rationem, & regulam imputandi communem bonitatem, aut communem malitiam tunc, quando ad illam determinat neceſſitas. Cætera quæ ad perplexam conſcientiam pertinent, tractauimus 1. 2. q. 19. art. 5. dubitatione 14.

SECTIO VIII.

Vtrùm termino certo claudatur ac determinetur ſpatium temporis, per cuius varias partes vagatur infallibilitas actus.

EX temporis quidditate ſucceſſiua, & prorſus irreuocabili grauior quædam difficultas oritur aduerſùs prædefinitionem actus liberi, cuius infallibilitas vagatur per varias partes alicuius temporis: quæ difficultas nullum inuenit locum in cæteris omnibus, circa quæ vagari poteſt infallibilitas, dummodo ſimul occurrant, non ſucceſſiuè. Huic viam ſternit argumentum quod aduersùs peccandi neceſſitatem vagam, ſiue infallibilitatem ſolet communiter opponi, & ad prædefinitas operationes poteſt hoc modo accommodari. 1.

Obiectio quia in quocumque ſpatio, & inſtanti temporis collectiuè poſſumus actum omittere.

Quando actio prædefinita eſt, vt elicienda non in particulari, & determinato inſtanti temporis cum omnibus circunſtantiis, ſed prædefinita eſt in generali & vagè: tunc circa ſingula inſtantia temporis, & circa ſingula indiuidua illius actionis retinemus libertatis indifferentiam plenam & integram, ratione cuius in quocunque temporis ſpatio, & in quocunque inſtanti, necnon ſub quibuſlibet circunſtantiis poſſumus talem actionem omittere: poſſumúſque reſiſtere cuicunque motiuo, & cuicunque alteri cauſæ, quocunque modo impellenti ad eum actum. Ergo in quocunque temporis ſpatio, & in quocunque inſtanti collectiuè ſumpto, necnon ſub quibuſlibet circunſtantiis collectiuè ſumptis poſſumus talem actionem omittere, ac ſubinde poſſumus irritam reddere prædefinitionem. 2.

Communis ſolutio.

Communis ſolutio eſt illationem non valere, ductam à diuiſiua diſtributione ad collectiuam. Quemadmodum nihil valet hæc conſequentia. Hic leo poteſt ſuperare quemlibet hominem diuiſiuè; ergo etiam omnes homines collectiuè ſumptos poterit ſuperare. Vel hæc conſequentia. Hic homo poteſt deuorare quælibet poma diuiſiue ſumpta; ergo quælibet poma collectiuè ſumpta poterit deuorare. 3.

Declaratione eget.

Hæc doctrina vera eſt, & inchoatio quædam ſolidæ ſolutionis. Sed maiorem lucem deſiderat, vt plenè ſatisfaciat, quando ſingularia, de quibus agitur, ſunt finita; & tam in antecedenti, quàm in conſequenti accipiuntur ſucceſſiuè: tunc enim illatio valet ex diſtributione diuiſiua collectiuam inferens, præſertim quando ſupponitur, non eſſe imminutam, nec impeditam magis potentiam, de qua loquitur, vt videbimus ſect. 10. Hoc autem modo contingit in caſu præſenti: nam motiua ad actum vagè prædefinitum, occurrunt non omnia ſimul, ſed ſucceſſiuè, & neceſſitas, ſeu infallibilitas eliciendi prædefinitum actum vagatur per ſucceſſiuas temporis partes, & illarum inſtantia. 4.

Exemplo difficultas vrgetur.

Sit exemplum. Si Deus prædefiniat, vt Petrus eliciat electionis agriculturæ actum liberum intra menſem per mille inſpirationes, ſeu cogitationes varias, ſub magna varietate circunſtantiarum allicientium. Si enim omnimoda libertatis indifferentia Petro relinquitur circa quemlibet ſingularem 5.

Digitized by Google

gularem actum prædictæ electionis agriculturæ, & in qualibet parte temporis, ac in qnolibet inſtanti illius menſis (vt requiritur ad vagam prædefinitionem, & oſtendemus ſectionibus ſequentibus) conſequens eſt, Petrum poſſe triginta prioribus diebus illius menſis liberè permanere in otio, non eliciendo prædictum electionis actum. Rurſus eadem ratione poterit electionem omittere vſque ad vltimam horam poſtremi diei illius menſis, & vſque ad minutum poſtremum illius horæ, & vſque ad vltimam partem milleſimam illius minuti, & ſic de reliquis partibus, quæ per cogitationem diuidi poſſunt in illa parte milleſima. Illatio probatur, quoniam in hac hypotheſi non eſt prædefinita prædicta electio, niſi vt elicienda intra menſem. Quare quamuis ante finitum menſem non eliciatur vſque ad poſtremum minutum illius menſis; nihil aduerſus prædefinitionem committitur.

6\. *Dicta difficultas vrgetur amplius.* Ne quis præſentem difficultatem exiſtimet ex temporis diuturnitate pendere, aut ex numero cogitationum: fingat tempus, intra quod elicienda prædefinitur prædicta electio, ſiue mille annorum, ſiue tantùm vnius minuti temporis: fingat etiam quem voluerit numerum cogitationum, & circunſtantiarum allicientium. Nam in ea hypotheſi, prout voluerit, excogitata, præſentem dubitandi rationem inſtaurabimus, accipiendo poſtremam aliquam & perexiguam illius temporis partem, antequam ſemper eſt poſſibile Petrum omiſiſſe dictæ electionis actum. Cùm autem poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequatur inconueniens: demus ita contigiſſe, vt Petrus liberè reſtiterit omnibus ſuaſionibus, omnibúſque motiuis ad electionem oblatis, quæ præceſſerunt poſtremam & perexiguam aſſignati temporis partem. tunc reſtat vnicum motiuum, & vnica tantùm cogitatio, cui ſi Petrus diſſentiat, non eliciet electionem in tempore Dei prædefinitione præſcripto.

7\. Nunc argumentor ita. Poteſt Petrus in hac perexigua & poſtrema temporis parte, quæ reſtat, non aſſentiri huic poſtremæ ſuaſioni quæ reſtat. Ergo Petrus poteſt omnino fruſtrare prædefinitionem de electionis actu faciendo intra hoc tempus, quod ſupponitur in hypotheſi. Huic argumento directè ſatisfaciet ſectio vndecima poſtquam in hac & duabus ſequentibus examinauerimus alias ſolutiones.

8\. *Prædicta difficultas alteri ſimilis.* Fateor præſentem difficultatem eſſe valde ſimilem alteri, quæ circa peccata ſiue mortalia, ſiue venialia tractari ſolet in diſputationibus de neceſſitate gratiæ, videlicet quo modo ſiue ſpeciali auxilio perſeuerantiæ ſit impoſſibile diuturno tempore quodlibet mortale peccatum euitare; vel quomodo ſine ſpecialiſſimo priuilegio ſit impoſſibile longo tempore vitare quodlibet peccatum veniale; cùm tamen omne peccatum, præcipuè verò mortale, quidditatiuè poſtulet liberam poteſtatem illud euitandi. *Solutio circa peccata facilior.* Nihilominus ſuccurrit aliquid quod faciliorem reddit ſolutionem circa peccata. Quoniam licèt veniri poſſit ad vltimam partem, imò etiam ad vltimum inſtans aſſignati temporis, in quo, ſi antea non eſt commiſſum peccatum, ſit infallibiliter committendum, & tamen liberè committatur. Huius tamen infallibilitatis ratio reddi poteſt varietas, & multitudo peccatorum genere differentium, quæ poſſunt diuiſiuè in eodem inſtanti committi, ex quibus peccans liberè deligit vnum, alio relicto; quare circa ſingula peccata diuiſiuè manet libertatis indifferentia in eodem inſtanti. Hæc autem ſolutio non habet locum, quando infallibilitas non vagatur circa varias ſpecies actuum, ſed tantùm circa plures actus, ſolo numero differentes ſub eadem ſpecie electionis. Nam ex his non poteſt voluntas deligere vnum, alio relicto, quoniam non diſcernit ſingularem actum ab alio ſingulari eiuſdem ſpeciei, vt vidimus ſect. præcedenti numero vigeſimoprimo.

9\. *Solutio Ludouici Molinæ examinatur.* Adhuc tamen propter vtriuſque infallibilitatis ſimilitudinem operæ pretium erit eam ſolutionem, quam circa peccata fusè tradit Ludouicus Molina in concordia diſputatione 20. huic argumento accommodatam examinare. Exiſtimat ipſe, in iis, quæ moraliter infallibilia ſunt, & longo tempore repetitiſque vicibus aliquando ineuitabiliter euentura, non poſſe dari deſignatum tempus, in quo neceſſarium ſit eam rem euenire, ita vt in quocunque minore poſſibile ſit non euenire. Exempli gratia, in peccatis venialibus, ait, non dari determinatum tempus, in quo toto non poſſit homo ſe continere à veniali peccato, & in quocunque minori poſſit: nec aſſignari poſſe determinatum tempus in quo toto poſſit homo ſe continere à peccato veniali, & in quocunqne maiori non poſſit. Itaque prorſus negat vtrunque terminum temporis fixum & aſſignabilem, videlicet, intrinſecum terminum, quem appellant Philoſophi maximum quòd ſic: necnon extrinſecum terminum, quem appellant, minimum quòd non.

10\. *Probat Molina.* Hanc aſſertionem probat, quoniam ſi poſſet aſſignari determinatum tempus; ventum foret aliquando ad determinatam aliquam vicem, & perexiguam extremi temporis partem, in qua foret impoſſibile non peccare. Hoc autem conſequens eſt falſum: quoniam in extrema temporis parte poteſtas euitandi peccatum non eſt minor, quàm in prioribus partibus temporis; imò fortè maior erit propter acquiſitum virtutis habitum, dexteritatémque ſuperandi peccata, quæ ex præcedentibus victoriis peccatorum, & obſeruatione præceptorum ad illud vſque tempus comparata fuit.

11\. *Exemplo declarat.* Rem explicat talorum exemplo ex Ariſtotele ſecundo de cœlo cap. 12. dicente: *Rectè agere multa, aut ſæpè, difficile eſt, vt talos coenſes mille proijcere impoſſibile eſt, ſed vnum, vel duos faciliùs.* Quod ſi illud eſt impoſſibile, conſequens eſt vt eius contradictorium ſit neceſſarium, videlicet, vt ſi proiiciantur mille tali; aliquis eorum non prodeat coënſis (hoc eſt, ſub ſigno Veneris, quo puncta ſex deputabantur in lucro) quoniam eſt neceſſarium, talos tot, aut toties proiectos ſigna felicitatis & lucri venari.

12\. Non minus vniuerſale, quàm verum eſt hoc axioma de impoſſibilitate ſæpiùs atque diutiùs feliciter operandi, & neceſſitate aliquando infeliciter operandi longo tempore, & ſubdifficilibus circunſtantiis. Ex eo quippe manabat infallibilitas illa, quam non ſolùm dictante naturæ lumine, ſed etiam promiſſa Dei protectione inſpiráte, vt perueniret ad regnum, Dauid animaduerterit 1. Reg. 17. initiu, quando *dixit in corde ſuo: Aliquãdo incidã vna die in manus Saul. Nónne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſtinorum, vt deſperet Saul, ceſſétque quærere me in cunctis finibus Iſrael?* Etenim ſecluſa ſpecialiſſima Dei protectione, atque

ſecundùm communes leges neceſſarium erat, toties tam diligentet, atque per tot hominis à Saule quæſitum, aliquando in eius manus incurrere.

13. *Exempla poſita difficultatem augent.*

Hæc exempla quanto clariùs demonſtrant euenire caſus, in quibus contingentes ſint, & poſſint deficere ſingulæ particulares actiones, quamuis in tota illarum collectione reperiatur impoſſibilitas deficiendi totalitet, & neceſſitas, vt actio aliqua ex illa collectione producatur in rerum natura: tanto magis augent difficultatem, quam in præſenti diſcutimus: quod ſequenti calculatione declaratur.

14. *Impoſſibilitas vitādi omnia venialia collectiuè prædictam ſolutionē impugnat.*

Accipiamus, exempli cauſa, tempus annorum triginta. In hoc euidens eſt, ac de fide neminem abſque ſpecialiſſimo priuilegio poſſe vitare collectiuè quamlibet culpam venialem. Hoc ſuppoſito inquiro, vtrùm ab his triginta annis hora poſtrema detracta, poſſimus reliquo tempore perſeuerare ſine culpa veniali? Si reſpondeas non poſſe: iterum inquiro, vtrùm ablata inſuper alia hora in reliquo tempore poſſimus ſine culpa veniali perſeuerare? Hoc ordine & ſerie conſequenter interrogabo de cæteris horis, retrocedendo versùs primam horam; & de ſingulis minutiſſimis partibus horarum, quouſque vel conſumatur totum tempus annorum triginta, vel deueniatur ad tempus ita certum, & commenſuratum infallibilitati peccandi, vt quantumcunque exigua illius temporis parte detracta, poſſimus perſeuerare ſine culpa; quamuis in toto illo tempore non poſſimus.

15. *Reſpondent prædictæ ſolutionis authores.*

Prædictæ ſolutionis authores reſpondent diminutiones, & additiones partium temporis, in hoc argumento contentas, non habere locum in actionibus liberis; in quibus non poteſt certò definiri terminus fixus, mathematicúſque, ſiue temporis, ſiue multitudinis occaſionum, intra quem terminum neceſſarium ſit aliquam ex prædictis actionibus euenire. *Probant.* Probant, quoniam quilibet actus liber in particulari dependet ab arbitrij libertate; ergo terminus temporis, aut multitudinis occaſionum, intra quem voluntas liberè debet ſuccumbere, definiendus eſt ab arbitrij libertate: quapropter antequam ab ipſa definiatur, terminus non erit definitus, fixus, & certus.

16. *Confirmant quia ad gratiam Chriſti nullus peruenire poteſt.*

Confirmant, quia certum eſt, neminem peruenire poſſe ad gratiam tantam, quantam habet Chriſtus Dominus, & ſanctiſſima illius mater: nihilominus aſſignari non poteſt mathematicus terminus gratiæ, fixus & determinatus, ad quem vſque peruenire poſſimus, & vltra quem progredi nemo poſſit, quinimo de fide eſt, quemlibet iuſtum in hac vita per opera pietatis augere poſſe ſuam gratiam, quantumcunque iam fuerit intenſa, vt videbimus tomo ſequenti.

17. *Solutionis primaria propoſitio falſa.* *Terminus infallibilitatis omnibus non eſt idem.*

Huius ſolutionis primaria propoſitio deprehēditur non eſſe vera; ſi dialecticis arguendi modis ſtrictiùs prematur argumentum præſens. Ad cuius explicationem ſuppono, euidens eſſe, nō dari fixum & determinatū durationis terminum, quibuſlibet hominibus generalē, & ſub quibuſlibet circūſtantiis; intra quem terminum neceſſariū ſit, omnes homines peccare venialitet, cùm tamen omnes poſſint à veniali peccato abſtinere antequam perueniant ad illum terminum. Ratio euidēs eſt, quoniam quidam homines ſunt animo & corpore magis ad virtutem apti, magis remoti ab occaſionibus peccandi, pluribúſque auxiliis ſuffulti, & illi magis diuturno tempore poterunt vitam agere ſine vlla culpa etiam veniali.

18. *Terminus eidem in diuerſis circumſtantiis diuerſus.*

Propter eandem rationem idem homo ſecundùm diuerſas ætates, occupationes, occaſiones, copiam, vel inopiam auxiliorum poterit tempore longiori, aut breuiori quamlibet culpam venialem euitare. Vnde cùm auxilia ſupernaturalia, & ſpecialis Dei protectio poſſint in infinitum augeri, poterit etiam in infinitum creſcere diuturnitas temporis, intra cuius terminum poſſibile ſit nullam venialem culpam committere.

19. *Argumenti vis clarior elucet poſitis duabus contradictoriis, quarum vna neceſſariò erit vera.*

Hoc ſuppoſito vis argumenti clarior elucebit, accipiendo hoc numero hominem (v.g. Petrum) hîc & nunc, ſub his circunſtantiis, quas præter libertatem Petri Deus adhibet, aut permittit; & ſub certo diuinæ protectionis gradu, & certa menſura diuini concurſus, quem Deus prædefiniuit huic homini adhibere. Sub hac hypotheſi profero hanc propoſitionem affirmatiuam. *Poteſt Petrus in ſpatio annorum viginti, qui ſequuntur ab hoc inſtanti, abſtinere ab omni culpa veniali.* Cui propoſitioni affirmatiuæ vt faciliùs, atque ſine controuerſia contradicam, toti præpono negationem, dicens. *Non poteſt Petrus in ſpatio annorum viginti, qui ſequuntur ab hoc inſtanti, abſtinere ab omni culpa veniali.*

20. Rurſus, quoniam omnium principiorum euidentiſſimum eſt, atque certiſſimum, ex duabus contradictoriis alterā eſſe veram, & alteram falſam (præcipuè ſi nullam ſupra ſe ipſas reflexionem ſignificent) inquiro, quænam illarum propoſitionum ſit vera. Si reſpondeas primam eſſe veram: ideóque Petrum poſſe in toto ſpatio annorum viginti, qui ſequuntur ab hoc inſtanti, abſtinere ab omni culpa veniali: facile erit aſcendere per annos ſequentes, & per menſes, dies, horas, & minutiſſimas partes illarum, de ſingulis interrogando, quænam illarum contradictoriarum verificetur, donec veniamus ad terminum fixum, ac determinatum? Nam primò petam, vtrùm illa conſtantia cauendi venialia peccata, poſſit durare etiam anno vigeſimo primo, & rurſus vtrùm poſſit durare anno vigeſimo ſecundo? ſimilitérque de menſibus vniuſcuiuſque anni, & illorum diebus, & horis interrogabo? *Aſcenſus per annos, menſes, dies & horas.*

21. Si verò reſpondeas, vt dicere debes, Petrum in viginti annis, qui ſequuntur ab hoc inſtanti cum illa certa, & prædefinita protectionis, & diuini concurſus menſura, & ſub talibus circunſtantiis, non poſſe quamlibet venialem culpam euitare: tunc eaſdem contradictorias propoſitiones transferam ad annos decem & nouem; deinde verò ad annos decem & ſeptem: ſicque retrocedendo ſubtraham annos, menſes, dies, horas, minuta, atque milleſimas partes minutorum, donec veniam ad tempus, infra quod Petrus poſſit abſtinere ab omni culpa veniali, & vltra quod non poſſit. *Deſcenſus per annos dies, &c.*

22. *Non datur diſcrimē aſſignatum inter res phyſicas, & morales.*

Hinc deducitur non obſcurè, inter res phyſicas & morales ſiue fortuitas, ſiue liberas, non eſſe diſcrimen illud, quod prædicta ſolutio conſtituit. Etenim ſiue res ſint phyſicæ, ſiue morales, & fortuitæ, aut liberæ; neceſſarium eſt, aſſignato quocunque temporis interuallo, reſpectu eiuſdem hominis, ſub eiſdem circunſtantiis, veram eſſe vnam ex his contradictoriis: *Poteſt abſtinere ab omni culpa veniali. Non poteſt abſtinere ab omni culpa veniali.*

Ne

23. *Vis argumenti in ſcientia Dei.* Ne fortè quiſplam confugiat ad ignorantiam noſtram, vrget argumentum in ſcientia diuina: Deoa quippe diſtinctiſſimè cognoſcit ſingulas quaſqoe particulas temporis, quæ floituræ ſunt ab hue inſtsnti per viginti anoos proximè ſequentes. Rurſus illarum partium inſtantia ſingula, quamuis infinita cognoſcit. Inſuper omnes propoſitiooes poſſibiles cognoſcit, quæ poſſont à quocumque iotellectu creato formari de hoc homine, ſub hac hypotheſi, & in hunc modum: Petrus à præſenti Inſtanti vſque ad tale inſtans poteſt cauere ab omoi culpa veniali: Petrus non poteſt, &c. Præterea cognoſcit Deus ex quolibet binario contradictoriarum reſpectu cuiuſque Inſtantis veram eſſe affirmatiuam propoſitionem, aut veram eſſe oegatiuam. Denique Deus nullum ioſtans videt, reſpectu cuius non poſſit affirmari & verificari; vel falſificari altera illarum contradictoriarum; & omoia hæc inſtaoria fixa ſunt, & determinata in diuino conſpectu: ergo Deus videt terminum fixum & determioatum, ad qoem vſque Petrus in hac hypotheſi poteſt euitare qusmlibet culpam venialem; & vltra quem non poteſt.

24. *Oppoſitū argumentum ſoluitur.* Ad argumentum autem illius ſententiæ, poſituo num. 15. reſpondetur. Rectè probat, quòd io poteſtate Petri ſit poſitum, aſſignsre terminum ſpatio tempuris, intra quod ab omni culpa de facto abſtineat. *Poteſtas hominis in aſſignando termino in quo ab omni culpa abſtineat.* Poteſt enim Petrus breuiori tempore committere veoialem colpam; & poteſt illam differre diutius intra ſpatium & terminum, eius viribus commenſuratum. Cæterùm Petrus non poteſt aſſignare terminum ſpatio temporis, intra quod poſſit, & vltra quod non poſſit ab omni culpa abſtinere. Nam quamuis in tua poteſtate ſit facere, vel non facere; nihilominus poſſe facere, aut non poſſe facere, non eſt in tua poteſtate. Quemadmodum gratiam operantem ſiue præuenientem non eſt in noſtra poteſtate recipere, quoniam ipſa præbet poteſtatem in ordine ad ſopernaturalia, ſicut dicemus infrà diſp. 31. ſect. 3.

25. Ad confirmationem, & exemplum eiuſdem argumenti reſpondeu, cuicumque homini ſingulari ſuppoſito vitæ ſpatio, menſura diuinæ protectionis, & auxiliorum, cæteriſque circumſtantiis à Deo præſcriptis; eo ipſo fixus eſt terminus gratiæ Deo cognitus, vltra quem progredi non poſſit: quamuis poſſit ad eum non peruenire, *Terminus gratia.* imò ferè ſemper contingat, non adipiſci tantam gratiam, quanta capitur intra illum terminum, vt oſtendemus alibi.

26. *Alterius ſolutionis refutatio.* Totus ſuperior diſcurſus confirmator, quoniam ex eò refutata manet etiam alia ſolutio, quæ verbo tenus diſtinguitur ab iſta, quam modò diſcutimos. Aiunt enim authores aliqui non eſſe moraliter poſſibile peruenire ad exiguam partem poſtremi temporis ſine culpa aliqua veniali. Quæ aſſertio inſeparabiliter cohæret cum prædicta ſolutione de impoſſibilitate aſſignandi terminum certum.

27. Cæterùm in hac ſolutione clariùs elucet implicatio contradictionis, quæ virtualiter contiochatur in alia ſolutione. Nam ſi non eſt moraliter poſſibile peruenire ad exigoam partem poſtremi temporis ſine aliqua culpa veniali: conſequens eſt illam exiguam partem poſtremi temporis non contineri intra ſpatium temporis, per cuius partes vagatur libertas & infallibilitas moralis. Nam de ratione huioſmodi ſpatij eſt, quòd infallibilitas non ſit in aliqua temporis parte determinata, ſed in omnibos vagè atque ſub diſiunctione.

Confirmatur primò, quoniam ſecluſa illa exigua parte poſtremi temporis, manet adhuc infallibile, intra reliquum tempus eſſe committendam culpsm venialem: igitur infallibilitatis terminus aſſignandus eſt, ante illam exiguam temporis partem: & illo termino aſſignato, erit poſſibile peruenire ad exiguam partem proximam huic termino recèns aſſignato. 28. *Secluſa exigua parte poſtremi temporis manet adhuc eadē infallibilitas.*

Confirmatur ſecundò, nam inde præterea ſequitur, quòd non eſt pars temporis, pertinentis ad infallibilitatem vagam, illa pars exigua poſtremi temporis, ad quam, dicit hæc ſolutio, moraliter eſſe impoſſibile peruenire ſine culpa veniali. Duæ igitur probatæ manent contradictiones. Prima peruenitur, & non peruenitur ad exiguam morulam poſtremi temporis. Secunda contradictio exigoa illa morula eſt pars, & non eſt pars poſtremi temporis, pertinentis ad infallibilitatem vagam. 29.

Sit igitur conclusio vnica, ex præcedentibus impugnationibus deducta. Certus & fixus eſt terminus qui claudit, ac determinat ſpatium temporis, per cuius partes vagatur infallibilitas actus, qua ratione prædefinitus eſt vaga prædefinitione: itaut ex vi talis prædefinitionis præcisè, & abſtrahendo à qualibet alia præſcientia & prædefinitione Dei, ſit infallibile actum eliciendum eſſe prius, quàm totum illud tempus fuerit elapſum; & tamen in quacumque parte illius temporis diuiſiuè ſumpta, non ſit infallibile, ſed moraliter liberum, & poſſibile talem actum non elicere. 30. *Ex præcedentibus concluſio vnica.* *Certus, ac fixus terminus infallibilitatis.*

SECTIO IX.

Non ſatisfacit ſolutio, confugiens ad terminum extrinſecum temporis, & infinitas partes proportionales illius.

Difficultati propoſitæ in principio ſectionis præcedentis, altera ſolutio nonnunqoam in Theologicis diſputationibus adhibetur: quæ ſic explicatur. Sit caſus, quo Deus prædefinierit, vt Petrus, variis motiois & circumſtantiis incitatus intra ſpatium vnius anni liberè decernat agriculturæ operam dare. In hoc caſu ſolutio præſens aſſerit, illud ſpatium temporis non intrinſeco, ſed extrinſeco termino concludi, hoc eſt, ante inſtans terminatiuum & poſtremum illius temporis, eſſe infallibile quòd eliciendus ſit actus ille, nec differendus ſit, vt fiat in inſtaoti terminatiuo & poſtremo illius temporis. Rurſus cùm ante inſtans terminatiuum & poſtremum procedant infinita inſtantia, nullúmque ſit inſtans immediatum terminatiuo & poſtremo inſtanti: conſequens erit, eſſe impoſſibile, vt aliquando veniatur ad aliquod inſtans determinatiuum, reſpectu cuius infallibilis ſit actus ille, ita vt non poſſit in aliud inſtans differri: ſed præſente quocumque inſtanti temporis illius, differri poterit ad infinita inſtantia, quæ reſtant intra idem tempus. 1. *Præcedentis difficultatis ſolutio alia ad extrinſecum terminū recurrit.*

Quapropter concedit hæc ſolutio, poſſe aliquando contingere, vt iam ſint elapſi omnes dies, & omnes horæ, & omnia minuta, præter vltimum illius aooi, in quo prædefioita eſt ele- 2.

ctio agriculturæ Petti. Similiter admittit quaſi iam factum id, quod eſt moraliter poſſibile, videlicet, & lapſam eſſe medietatem illius minuti poſtremi, nec non ſecundæ medietatis alteram medietatem, ſimiliterque de ſeqoentibus partibus proportionalibus loquitur. Adhuc tamen ante inſtans terminatiuum illius anni reſtabunt infinita inſtantia, & infinitæ partes proportionales ſequentis temporis, in quorum ſingulis viget in Petto moralis & æquabilis libertas eliciendi, aut omittendi electionis actum; quamuis in aliquo illorum inſtantium vagè, aut in aliqua illarum partium proportionalium infallibilis ſit prædicta electio.

3. *Obiectioni reſpondet.* Quòd ſi obiicias. Quælibet electio libera requirit determinatam temporis motulam, in qua duret: ergo deſignata ea morula vltima prædicti anni, in illius morulæ inſtanti initiatiuo erit infallibilis electio libera.

Reſpondetur, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam, & ratio eſt, quia licèt annus aſſignatus ſit Petto, vt intra eum eliciat actom electionis: oon tamen aſſignatus eſt ille annus, vt in eo ſolommodo duret electio; ſed poterit motula temporis, quæ requiritur ad durationem illius actus, pertinere ad initium anni ſequentis: dummodo verom fuerit intra illum priorem annum fuiſſe productum electionis actum.

4 *Non probatur prædicta ſolutio.* Hæc ſolutio licèt aliquando mihi placuerit, modò non probatur.

Primò quia generalis non eſt. Primò, quia non eſt generalis ad omnes infallibilitates poſſibiles. Nam dari poteſt infallibilitas vaga & ſucceſſiua, in qua non interueniant infinitæ partes, & infinita inſtantia, ſed determinatus & certus numerus partiom temporis determinatarum. Exemplum ſit ea, quæ poteſt mente concipi, collectio hominum ſucceſſiuè tranſeuntium per hoc templum. Quorum quilibet ſit omnino liber, vt quamdiu tranſit per templum, non loquatur otioſum verbum. Nihilominus Deus cognoſcit determinatorum hominum determinatam multitudinem, ex qua infallibile eſt aliquem, tranſeundo per templum, prolaturum eſſe otioſum verbum. Dato igitur caſu moraliter poſſibili, quòd iam tranſierit penultimus homo illius multitudinis, & vnus reſtet vltimus, tunc in hoc homine poſtremo verificanda eſt infallibilitas otioſè loquendi, quæ priùs vagabatur per omnes homines illius multitudinis: ergo ſicut in prædictis hominibus ſatisfaciendum eſt difficultati, quæ reſultat ex infallibilitate vaga, concedendo vltimum hominem tranſeuntem in vltimo tempore determinato; nec poſſumus confugere ad infinitos homines, qui præcedent vltimum; ſi quidem omnes homines præcedentes ſunt numero finiti: ſic etiam in caſu propoſito de electionis actu, per vagam infallibilitatem prædefinito, ſatisfaciendum eſt, concedendo vltimum inſtans, aut vltimam temporis morulam, nec etit neceſſarium confugere ad infinitatem inſtantium & partium proportionalium, nec ad terminum extrinſecum temporis.

5. *Secundò quia ſophiſticum aliquid redolet.* Refutatur ſecundò, quoniam ſophiſticum aliquid redolet confugere ad terminos extrinſecos temporis, & ad infinita inſtantia, & infinitas partes proportionales temporis.

Tertiò quia nō reddit ſufficientem rationem. Tertiò, quia nulla redditur ratio ſufficiens, propter quam intra illa infinita inſtantia, quibus continetur poſtremum minutum, vel ſecunda medietas illius minuti, ſit infallibilis electio agriculturæ, & tamen non fuerit infallibilis in omnibus horis, nec in omnibus inſtantibus anni præcedentis. eſt enim poſſibile Petrum in ea poſtrema temporis morula non minus liberum & indifferentem eſſe, vt eliciat, vel omittat electionem agriculturæ, quàm toto præcedenti anno: vt magis conſtabit ex duabus ſectionibus ſequentibus.

Quartò refutatur, quoniam licèt illa diuiſio temporis per infinitas partes proportionales, & per infinita inſtantia, foret Angelo poſſibilis: attamen hominibus viatoribus omnino impoſſibilis eſt, quoniam tot & tam ſubtilia ſenſu percipere, aut mente diſtinguere nequeunt: vt vidimus ſuprà ſect. 7. num. 21. Quapropter ſi Petrus in aliquo inſtanti poſtremæ morulæ perexiguæ decerneret omittere electionem, & aliis rebus attendere: eo ipſo neceſſarium erit conſumere tantam morulam temporis, vt inchoari non poſſit electio intra tempus illius anni. 6.

SECTIO X.

In poſtrema temporis morula, necnon in illius terminatiuo inſtanti non minùs, quàm in prioribus, vel intermedijs, liber erit Petrus ad omittendam electionem, vagè prædefinitam.

VT conſtet magis, præſentis nodi tam difficultatem, quàm ſolutionem non eſſe natam ex principiis gratiæ ſupernaturalis; ſed naturalibus & vniuerſalibus principiis cuiuſlibet electionis liberæ, tam in præcedentibus ſectionibus, quàm in hac ex ſequentibus, ponimus exemplum electionis agriculturæ, vt idem intelligatur dictum de cæteris electionibus liberis, quibus poteſt vaga infallibilitas euenire. Reſtat autem examinanda ſolutio alia, quæ in caſu propoſito in principio ſectionis præcedentis, concedit eſſe moraliter poſſibile, ac ſubinde admittit etiam contigiſſe de facto quòd Petrus peruenerit ad poſtremam, & perexiguam morulam totius anni, vel etiam peruenerit ad vltimum inſtans terminatiuum illius, & tamen antea numquam elicuerit actum prædictæ electionis. In quo caſu ſolutio præſens aſſerit, in hoc inſtanti terminatiuo totius anni, vel in hac poſtrema morula, quæ per illud inſtans clauditur, infallibiliter eliciendam eſſe electionem. 1. *Solutio alia prædicta difficultatis ad vltimum inſtans vagam infallibilitatem determinat.*

Duplex autem occurrit via defendendi prædictam infallibilitatem, determinatam ad vltimum inſtans, vel ad vltimam morulam. Prima, quoniam Deus, videns Petrum vſque ad poſtremam morulam, vel poſtremum inſtans totius anni non elegiſſe agriculturam, ne ſua prædefinitio fruſtretur, addit tantam motiuorum vim & concurſuum copiam, vt virtute illorum ſit moraliter infallibilis electio agriculturæ in quocumque inſtanti, vel morula temporis animum affecerint ea motiua & concurſus. Quòd autem hæc infallibilitas libertati non repugnet, oſtendemus infrà diſputat. 10. præcipuè ſectione 4. 2. *Duplici via defenditur.*

Cæterùm hæc via ſoluendi propterea inſufficiens eſt, quia non eſt impoſſibile electionis 3. *Prima via inſufficiens.*

actum

actum infallibiliter eliciendum eſſe intra ſpatium vnius anni; licèt Deus decernat, in poſtremo illius inſtanti, & poſtrema morula, non dare concurſus maiores, quàm in præcedentibus
Simile. morulis & inſtantibus. Quin potiùs infallibilitatis huius poſſibilitas probatur à ſimili; quia quamuis Deus decernat, in poſterioribus morulis anni, aut in poſtremo illius inſtanti huic homini iuſto conferre concurſus non minores, quàm in præcedentibus morulis & inſtantibus: nihilominus erit infallibile aliquando eſſe peccaturum venialiter intra illud ſpatium temporis. At verò ſicut ſe habet concurſuum copia, vt infallibilis ſit actus electionis intra tempus Dei prædefinitione præfixum: ita ſe habet concurſuum Dei inopia, vt infallibilis ſit venialis culpa huic homini iuſto intra certum, ac determinatum ſpatium temporis.

4. Adde quòd infallibilitas contingere poteſt in hominum collectione, quorum nullus ſit minus liber, quàm alter: vt videbimus infrà num. 8. tunc verò Deus non decernit homini poſtremo vim & copiam concurſuum maiorem, quàm prioribus hominibus.

5.
Eiuſdem ſolutionis ſecunda via. Eiuſdem ſolutionis ſecunda via eſt, non propter maiorem concurſuum copiam, ſed propter defatigationem reſiſtendi prioribus inſpirationibus, & veluti laſſitudinem (omnibus quippe hominibus durum eſt contra ſtimulum calcitrare, ſuprà diſputat. 7. ſect. 3. num. 4. & ſequent.) inſuper propter inſitam arbitrij mutabilitatem, ac propè infinitam varietatem cogitationum, quando ventum fuerit ad perexiguam morulam poſtremi temporis, vel ad vltimum inſtans; iam infallibilem eſſe prædictam electionem hic & nunc ex ſuppoſitione, quòd antea non fuerit elicita. hoc enim modo philoſophantur aliqui Doctores circa peccatorum infallibilitatem.

6.
Obiectioni occurritur. Quòd ſi dicas, Petrus ſemel atque iterum reſiſtens inſpirationibus, ad electionem impellentibus, adquirit habitum, facilitatémque reſiſtendi. Ergo in poſtrema morula temporis, & in vltimo illius inſtanti facilius erit reſiſtere, quàm in præcedentibus; ac proinde non erit infallibilis electionis actus. Reſpondetur ex eo capite facilius erit electionis actum omittere. Cæterùm aliunde magis præponderat laſſitudo reſiſtendi, tædium eodem modo agendi longo tempore, varietas cogitationum, & occaſionum, in quibus omnibus quanta ſit vis, & quanto maior, quàm in habitu per actus adquiſito, demonſtrat quotidiana experientia. Omnes enim adquirimus habitum ſæpiùs iterando ſimiles actus; & tamen actionis iteratam repetitionem, & continentem illius perſeuerantiam ferre non poſſumus, niſi ſpeciali Dei concurſu ſuffulti.

7.
Solutio prædicta in quo falſa. Hæc ſolutio cùm in reliquis vera ſit, in eo videtur eſſe falſa, atque diminuta, quia quoties contigerit aduenisse iam poſtremam morulam, aut vltimum inſtans prædefiniti temporis, toties in Petro negabit libertatem moralem, & concedet infallibilitatem prouenientem ex præ-
Impugnatur. ſentibus motiuis & circumſtantiis. Hoc autem eſſe falſum, probatur; quia poſſibile eſt aliquem actum eſſe infallibilem in aliquo tempore vagè; quamuis in ſingulis inſtantibus, etiam in poſtremo, & in quibuſlibet morulis temporis actum omittere ſit liberum & poſſibile, non minus quàm in prioribus morulis illius temporis, eo quòd omnia quæ poſſunt hominem mouere ad operandum, in vltimo inſtanti, aut in vltima morula non habeant pondus maius, nec vim maiorem, quàm in præcedentibus.

Quod idem clariùs oſtenditur in diuerſis hominibus ſibi ſuccedentibus. Nam illis actus ali- 8. *Clarius patet præcedentis ſolutionis falſitas.*
quis erit infallibilis; quamuis omnes ſint moraliter & æqualiter liberi reſpectu talis actus, & tunc infallibilitas proueniet ex ſola diuerſitate ac multiplicitate voluntatum, quæ ſic, vel aliter eligunt operari, aut non operari; ergo ſimiliter in vno eodémque homine, reſpectu diuerſorum temporum poterit eſſe infallibilis aliquis actus propter ſolam arbitrij libertatem, & mutabilitatem; licèt in ſingulis quibuſque inſtantibus, & partibus illius temporis ille homo ſit moraliter, & æqualiter liber: ideóque in vltimo inſtanti, aut in vltima morula poſſit actum omittere non minus, quàm poterat in præcedentibus, quantum erat ex vi, & pondere motiuorum omnium, & circumſtantiarum, quæ poſſunt ad agendum impellere.

Antecedens conſtat, quia ſi centum mille 9.
homines ſucceſſiuè tranſeant per hoc templum, eſt infallibile quòd aliquis illorum liberè loquetur otioſum verbum; & tamen ex eo, quòd mille homines præceſſiſſent, nihil otioſum loquuti, ſed omnino ſeruantes ſilentium, & reuerentiam, nihil amplius difficultatis, aut tædij redundaret in homines ſubſequentes, vt propterea propenderent magis ad otioſa verba, quàm ſi nullus præcedentium hominum tacuiſſet. Quod idem verificatur de homine poſtremo illius multitudinis, ex qua, Deus ſcit, aliquem vagè loquuturum eſſe verbum otioſum. Nam ille poſtremus potuiſſet manere liber ad euitandum otioſum verbum libertate tanta, quantum habuerunt omnes homines, qui de facto ſiluerunt, quantum erat ex vi motiuorum, & circumſtantiarum, quæ ad otioſa verba prouocare poſſunt.

Confirmatur, quia licèt innata libertas, & 10.
mutabilitas arbitrij propendeat, & impellat, vt *Arbitrij mutabilitas quantum impellat.*
actiones variemus; cæterùm propenſio hæc, & impulſus non eſt ita vehemens, vt ille ſolus ſemper afferat infallibilitatem reſpectu vnius actus, hîc & nunc eliciendi. nam poterit arbitrium ſuæ propenſioni & impulſui ſatisfacere, variando alios actus, quamuis numquam eliciat actum electionis, de cuius infallibilitate vaga diſſerimus. Quapropter licèt ex vi motiuorum omnium & circumſtantiarum non ſit infallibilis actus electionis in poſtremo inſtanti, aut in poſtrema morula; manere poterit illius infallibilitas vaga reſpectu diuturni temporis.

SECTIO XI.

Infallibilitas, ab extrinſeco deuoluta, ſoluit difficultatem, tractatam in tribus ſectionibus præcedentibus.

DVplex eſt infallibilitas moralis quod ad 1.
præſens attinet, duplex item libertas mo- *Moralis infallibilitas duplex.*
ralis, illi reſpondens.

Alteram infallibilitatem appello realem, & intrinſecam; quoniam prouenit ex rebus, tan-

tummodo

tummodo nunc, & realiter exiſtentibus, videlicet ex motiuis, & circumſtantiis talibus, quales in quocumque inſtanti, & in quacumque morula temporis infallibiliter inferrent liberam operationem, ſiue præceſſiſſet illius omiſſio, ſiue non præceſſiſſet. Hæc infallibilitas directè opponitur libertati morali, & æquabili, nam ratione huius libertatis eſt, quòd non ſit infallibilis aliqua pars determinatè, ſed in vtramque partem contradictionis de facto contingat inclinari voluntatem, vt vidimus domo de ſcientia Dei tota diſp. 74.

Infallibilitas ſuperiora libertati morali oppoſita.

2. Alteram infallibilitatem appello deuolutam ab extrinſeco, & denominatione rationis vltimatè conſtitutam, quoniam non prouenit ex rebus, tantummodo nunc & realiter exiſtentibus: ſed vltra illas requirit, aliquod ens rationis præſupponi prætériiſſe, vel futurum eſſe, videlicet, negationem alicuius actus. Hæc infallibilitas non opponitur libertati morali, & æquabili; ſed potiùs cum illa de facto concurrit, eo quòd omnia motiua, & omnes circumſtantiæ, nunc realiter exiſtentes non inferant operationem; ſed potiùs de facto contingat ſæpe, tales omnes realitates exiſtere, non exiſtente operatione, ad quam inclinant.

Infallibilitas ab extrinſeco.

Nō opponitur libertati morali.

3. Hoc ſuppoſito, ad argumentum, poſitum ſectione 8. præſertim num. 5. 6. & 7. reſpondeo, &

Vera difficultatis ſolutio.

Dico primò. Nullum eſt inconueniens de facto contingere, quòd Petrus iam peruenerit ad vltimam morulam, vel ad vltimum inſtans terminatiuum totius temporis, intra quod infallibiliter eliciendus erat electionis actus, ita prædefinitus; & tamen ante morulam poſtremam, vel ante illud inſtans numquam elicuerit actum electionis: vnde ſi non eliciat electionis actum in hac morula, vel in hoc inſtanti; ſequitur fruſtrari, & irritam reddi prædefinitionem Dei. Hoc abundè probatum manet in ſectione 8. & 9. Nunc tamen admoneo, talem euentum eſſe rariſſimum; quoniam difficillimum eſt agere ſecundùm vltimum potentiæ, actualiter reſiſtendo motiuis, & circumſtantiis, quantum, & quamdiu moraliter potueris reſiſtere, & ea ratione te continere ab actu, ad quem inclinant illa motiua.

Euentus ad vltimum infallibilitatis moralis inſtans.

Rariſſimè contingit.

4. Dico ſecundò, ſub hypotheſi prædicta Petrus, in vltima morula, vel in vltimo illius inſtanti conſtitutus, non habet infallibilitatem realem, & intrinſecam, quæ proueniat ex motiuis & aliis rebus, nunc & realiter exiſtentibus, independenter ab operatione rationis. Quapropter Petrus adhuc retinet omnimodam libertatem, etiam moralem & æquabilem, virtute cuius etiam nunc potuiſſet omittere electionem non minus, quàm eam potuit omittere præcedentibus morulis temporis, quando de facto electionem omiſit: potuiſſet, inquam, attendendo ſolummodo reales atque præſentes circumſtantias & motiua. Hoc totum ſatis probatum manet in ſect. 10.

Sic conſtitutus non habet infallibilitatem intrinſecam

Retinet libertatem moralem.

5. Dico tertiò, ſub eadem hypotheſi Petrus, ex eo quòd ad vltimam morulam, vel ad inſtans terminatiuum peruenerit, contrahit infallibilitatém, ab extrinſeco deuolutam, & denominatione rationis vltimatè conſtitutam; ratione cuius eſt infallibile, Petrum in hac morula, vel in hoc inſtanti poſtremo electionis actum eliciturum eſſe, ſuppoſito, quòd toto ſuperiori tempore electionem omiſit.

Cōtrahit infallibilitatē ab extrinſeco deuolutam.

Ex his colligo, & quartò dico illud, quod in forma reſpondet argumento, poſito in ſect. 8. num. 7. diſtinguendo antecedens. Petrus in hac perexigua, & poſtrema temporis parte, aut etiam in vltimo inſtanti, poteſt non aſſentiri huic poſtremæ cogitationi, poteſt, inquam, quod attinet ad realem omnem vim, & efficacitatem cogitationis præſentis, & omnium motiuorum & circumſtantiarum realium, quæ quolibet modo poſſunt realiter adiuuare, vt cogitatio hæc ſortiatur effectum. Cæterùm non poteſt non aſſentiri, quantum attinet ad moralem impoſſibilitatem, hoc eſt, infallibilitatem, ab extrinſeco deuolutam, vt in aſſertione tertia dictum eſt. Atque moralis hæc impoſſibilitas, ſiue infallibilitas ſufficit, vt Petrus non poſſit fruſtrare prædefinitionem de electionis actu faciendo intra illud tempus; quoniam illa prædefinitio, de qua loquimur, nihil amplius decreuit, niſi hoc præſciſſe, vt intra hoc tempus per vagam infallibilitatem, à talibus motiuis Petrus impelleretur ad actum electionis, quemadmodum in ſimili dicemus diſp. 10. ſect. 4. 6.

In forma difficultas ſit ſatis.

Infallibilitas ab extrinſeco ſufficit ne poſſit fruſtrari prædefinitio.

Totius præſentis ſolutionis probatio firmior erit, & clarior; ſi nonnullis, aduersùs illam occurrentibus obiectionibus inferatur. 7.

Sit igitur obiectio prima, vaga infallibilitas electionis prouenit ex tali pondere, & efficacitate, tantaque multitudine cogitationum ſibi ſuccedentium, ſub talibus circumſtantiis animi & corporis: vt conſtat ex ſect. 3. & 4. Rurſus hæc eadem infallibilitas electionis deuoluitur ad vltimam morulam, & vltimum inſtans terminatiuum illius. Ergo infallibilitas, quæ vrget in poſtrema morula, vel in inſtanti terminatiuo, eſt realis & intrinſeca, & non conſtituitur per extrinſecam denominationem.

Obiectio prima.

Reſpondetur diſtinguendo vtrumque membrum antecedentis. Nam vaga infallibilitas electionis integrè ſumpta, & relata ad ſuum adæquatum tempus, & ad totam collectionem cogitationum & circumſtantiarum, ex quibus reſultat, vt ſic eſt omnino realis & intrinſeca, non ſupponens aliquam extrinſecam denominationem. Cæterùm vaga infallibitas electionis, prout coarctatur & vrgetur poſtrema morula illius temporis, aut inſtanti terminatiuo, ex cogitatione poſtrema, vt ſic non eſt omnino realis & intrinſeca; quia licèt reſultet ex tanto pondere & efficacitate, tantàque multitudine cogitationum ſibi ſuccedentium; cæterùm hæc non ſufficerent ad infallibilitatem in hac morula, vel inſtanti; niſi ſupponeretur, omiſſam eſſe electionem toto ſuperiori tempore. Hæc autem ſuppoſitio nihil reale nunc addit libero arbitrio Petri, ad ſolam extrinſecam denominationem à præteritis omiſſionibus. Porrò infallibilitas vaga, prout ad vltimam morulam, vel inſtans deuoluitur, iam eſt coarctata per ſupradictam denominationem extrinſecam ex ſuppoſitione præcedentium omiſſionum. 8.

Oſtenditur quo ſenſu vaga infallibilitas ſit intrinſeca.

Verumtamen inde naſcitur obiectio ſecunda, quia iam facta eſt prædicta ſuppoſitio electionis, omiſſæ toto præcedenti tempore, inſuper non eſt in poteſtate Petri, ſuppoſitionem hanc infectam reddere, & facere, vt elapſo iam tempore, electionis 9.

Obiectio ſecunda.

Digitized by Google

electionis actum elicuerit : præterea ſuppoſitio hæc nullo modo ſupponit, exiſtentiam electionis eſſe futuram in hoc inſtanti, vel in hac morula temporis; quapropter eſt ſuppoſitio antecedens. At verò ſuppoſitio antecedens tantam libertatem impedit, quantam affert infallibilitatem illationis. Vnde ſi affert phyſicam illationis neceſſitatem, totaliter libertatem excludit, vt vidimus tomo de ſcientia Dei diſp. 33. & 34. ſi tamen illa ſuppoſitio tantum affert moralem illationis infallibilitatem; auferret libertatem æquabilem, ſeu moralem; quapropter non remanebit hæc libertas in vltima morula, vel inſtanti terminatiuo illius.

10. *Suppoſitio antecedens libertati contraria.*

Reſpondetur, ſuppoſitio quælibet antecedens libertatem impedit eodem ipſo gradu, & menſura, iuxta quam infert infallibilitatem moralem: quapropter ea ſuppoſitio antecedens, quæ non infert infallibilitatem determinatam realiter & ab intrinſeco, ſed determinatam ſolummodo per extrinſecam denominationem à præcedentibus omiſſionibus, ſuppoſita infallibilitas vaga non aufert, nec minuit realem & intrinſecam indifferentiam æquabilem & moralem, vt eligi poſſit quælibet pars contradictionis; ſed aufert ſolummodo denominationem extrinſecam libertatis, quæ directè opponitur prædictæ determinationi.

11. *Suppoſitio dicta non minuit realem, & intrinſecam indifferentiam.*

Huiuſmodi autem eſt ſuppoſitio, quam tractamus. Nam tota ſuppoſitio integra complectitur omnes concurſus, & omnes circumſtantias, ex vi quorum eſt infallibile, actum electionis eliciendum eſſe intra hoc tempus, & inſuper addit, toto tempore præcedenti præter vltimam morulam, omiſſum fuiſſe talem actum. Hæc autem integra ſuppoſitio non infert infallibilitatem, realiter determinatam ab intrinſeco; ſed determinatam ſolummodo per extrinſecam denominationem à præcedentibus omiſſionibus electionis, ſuppoſita infallibilitate vaga; ratione cuius erat infallibile, electionis actum eliciendum eſſe intra hoc tempus. Ideo ſuppoſitio hæc non minuit realem & intrinſecam indifferentiam Petri, ſecundùm quam ſit poſſibile electionis actum omittere, nunc, ſicut omiſſus eſt antea; ſed aufert ſolummodo denominationem libertatis, quæ formaliter conſtituitur immunis ab infallibilitate deuoluta, per extrinſecam denominationem.

12. *Exemplo confirmatur.*

Ad cuius doctrinæ declarationem & confirmationem apprimè iuuat exemplum eiuſdem infallibilitatis deuolutæ ad priores morulas temporis. Nam quando ex vi motiuorum & cogitationum electio eſt infallibiliter elicienda intra certum tempus, v. g. intra menſem; ſi Deus tibi reuelet, electionem non eſſe eliciendam in primo & ſecundo die, nec in die quarto, & reliquis ſequentibus : eo ipſo ſequetur infallibiliter electionem eliciendam eſſe in tertio die; & tamen ex eo quòd elicienda non ſit electio in diebus ſequentibus, poſt tertium nihil minuitur ab intrinſeco, & realiter libertas Petri, ne poſſit omittere electionis actum. Quapropter comparatione cuiuſlibet morulæ præcedentis, & comparatione cuiuſlibet inſtantis, reperitur hæc infallibilitas ab extrinſeco deuoluta & determinata ex eo, quòd in aliis morulis, & in aliis inſtantibus infallibilitas non ſit executioni mandanda.

13. Sed vrgebis tertiò, dicens, multum intereſſe quòd ſuppoſitio ſit iam irreuocabiliter poſita, quod euenit quando differtur electionis actus ad poſtremam morulam, tunc enim Petrus non poteſt vlteriùs illam differre, quod tamen poterat in prioribus morulis. *Obiectio tertia.*

Reſpondetur etiam in prioribus morulis, & in tertia die prædicti menſis, Petrus non poterat electionem agriculturę differre ad dies ſequentes ex ſuppoſitione, quòd non erat eliciturus electionis actum in diebus ſequentibus. Ruſus in die tertia menſis non habet Petrus in ſua poteſtate facere, vt reddatur falſa illa ſuppoſitio, quam tibi Deus reuelauit, quòd Petrus non erat eliciturus actum electionis in diebus ſequentibus, imò nullus habet in ſua poteſtate modò determinare omnino & irreuocabiliter illam actionem, quam omnimoda libertate facturus, vel omiſſurus eſt ſequentibus diebus. Nam quantumcunque firmiter ſtatuat de futuris actionibus, adhuc adueniente illarum tempore poterat oppoſitum eligere. *Soluitur.*

Denique illud tantùm diſcrimen, quòd vna ſuppoſitio fuit iã poſita extra cauſas, altera verò manet adhuc in poteſtate liberi arbitrij, nihil intereſt ad rem præſentem, dummodo in hoc conueniat vtraque ſuppoſitio, quòd Petrus hîc & nunc neutram ſuppoſitionem habet realiter afficientem, impellentem & præſentem; ſed vtramque habet abſentem, & ſolùm extrinſecè denominantem, & independentem ab exercitio præſentis libertatis, hîc & nunc actualiter eligentis. 14.

Solutionis iſtius veritas clariùs elucebit in ea infallibilitate vaga, quæ reſpicit operationes diuerſorum hominum, per libertatem æquabilem factas. Pro cuius exemplo conſideremus collectionem eorum tantùm hominum totius mundi, quibus attenta copia, vel tenuitate concurſuum, & attenta rerum abundantia, qua fruuntur, & attentis omnibus motiuis & circumſtantiis, eſt moraliter & æquabiliter liberum, vt hodie ſinguli furentur aliquid, vel à furto ſe contineant. Ex illa collectione eſt infallibile, quòd aliquis vagè furabitur hodie (vel conſtitue, ſi malueris plures dies, aut menſes, nam eadem erit vis argumenti) & Deus ſcientia viſionis cognoſcit, quinam homines ex illa collectione non ſint hodie furaturi, quos omnes ſi Deus tibi reuelaret, inde poſſes per euidentem illationem colligere, alios homines, qui reſtant ex illa collectione, hodierna die furaturos, vel ſaltem vnum aliquem, ſi tantùm reſtaret vnus: cùm tamen ille vnus, qui furaturus eſt hodie, nullam propenſionem ad furtum, nec aliquid aliud, ad furandum inclinans, acquirat ex eo ſolùm, quòd cæteri homines illius collectionis hodie non furentur; ideóque quamuis illi non furentur, eſt illi poſſibile manus à furto continere non minus, quàm cæteris hominibus illius collectionis, qui de facto non ſunt hodie furaturi. 15. *Prædicta ſolutio ampliùs declaratur.*

Confirmatur, quoniam ſi ex illa collectione quidam homines ſint in Europa, alij in Africa, alij in Aſia, alij denique in America, manifeſtum eſt, ex eo quòd hodie non furentur, qui ſunt in Europa & in Africa & in America, nihil contrahere homines, qui ſunt in Aſia, vt illis ſit ab intrinſeco infallibile furari. 16.

Quòd ſi negauerit aliquis, dari certam & determinatam collectionem hominum, de quibus affirmari poſſit, quòd aliquis illorum furabitur hodie, 17. *Præoccupatur reſponſio.*

hodie; & Deus cognoſcat, talem affirmationem eſſe veram. hoc ipſum concedere compelletur eadem forma ratiocinandi, qua ſuprà ſect. 8. à num. 14. vſque ad finem probatum eſt, certum, & determinatum eſſe temporis ſpatium, intra quod infallibilitas vaga termino fixo & aſſignabili claudatur.

18. Etenim excluſis omnibus illis hominibus, qui propter circumſtantias ſibi peculiares infallibiliter determinati ſunt, vt hodie furentur, vel vt hodie non furentur; & accepta collectione eorum omnium hominum, qui ad neutram partem ſunt determinati; eſt omnino infallibile, quòd aliquis illorum hodie abſtinebit à furto, & aliquis illorum libere furabitur, quo ſuppoſito, ex tota illa multitudine angelicus intellectus, vtpote ſubtiliſſimus & perſpicaciſſimus ſucceſſiuè ſubtrahat priùs vnum hominē determinatum, poſtea verò alium, & alium, & poſt ſingulos homines detractos pronunciet hanc propoſitionem. *Manet adhuc in ea collectione quæ reſtat, infallibilitas, quod aliquis furabitur.* De hac propoſitione Deus neceſſariò ſcit, eſſe veram, aut ſcit eſſe falſam, & eius contradictoriam eſſe veram; quemadmodum dicebamus ſect. 8. num. 19. & 20. præterea quandiu detractis determinatis hominibus, adhuc coram Deo vera permanet illa propoſitio affirmatiua, pergat angelicus intellectus, conſideratione ſubtrahere ſigillatim alium hominem determinatum, donec perueniat ad aliquem, quo detracto, falſa ſit illa propoſitio affirmatiua, & vera ſit eius contradictoria negatiua, videlicet, *Non manet adhuc in ea collectione, quæ reſtat, infallibilitas, quòd aliquis furabitur.* Tunc igitur eum hominem poſtremò detractum reſtituat collectioni, & de illa pronūciet, quod eſt certa, determinata, & aſſignata collectio hominum, ex qua per libertatem æquabilem & moralem aliquis infallibiliter furabitur, hodierna die.

19. Quòd ſi contentioſè negaueris, eſſe infallibile furtum aliquod hodierna die; aſſigna tempus quantumcumque magnum, etiam mille annorum, & ex illo detrahet angelicus intellectus annos, menſes, dies, & horas, donec præciſè relinquat tempus determinatum, intra quod ſit infallibile, furaturum eſſe aliquem hominem, & in eo caſu reſtituetur in integrum vis argumenti, quod ſuperiùs à nobis factum eſt.

20. Reſpondebit aliquis, prædictum exemplum pertinere ad actiones diuerſorum hominum, quę ſimul eodem tempore concurrunt. Nam quando aliqui homines ſe continent à furto, alij homines, vel vnus illorum furatur, difficultas autem, quam in præſenti tractamus, pertinet ad ſucceſſiuas operationes eiuſdem hominis. Hæc tamen ſolutio nihil debilitat vires argumenti, quæ conſiſtunt in hac ſimilitudine. Quemadmodum ex eo, quòd tales homines iſtius collectionis non ſint furaturi; ſequitur infallibiliter, quòd hic homo ſit furaturus; & tamen non additur huic homini maior determinatio realis & intrinſeca, ſed tantùm determinatio per denominationem rationis, ab extrinſeco prouenientem: ſic etiam contingere poterit, vt ex eo, quòd Petrus non elicuerit actum electionis toto præcedenti tempore; ſequatur infallibiliter, quòd in hoc inſtanti determinato ſit eliciturus electionis actum; & tamen non addatur Petro in hoc inſtanti maior determinatio ad electionem realis & intrinſeca; ſed tantùm determinatio extrinſeca per meram determinationem rationis, ſuperiùs explicatam.

Solutio impugnatur.

21. Vnde ſicut in vno homine collectionis illius poſſibilitas euitandi furtum, nihil omninò minuitur ex eo, quòd alij non furentur, ita etiam Petro, poſſibilitas omittendi electionis actum in hoc poſtremo inſtanti, nihil omnino minuitur ex eo, quòd omiſerit toto ſuperiori tempore. Præterea quemadmodum hunc hominem abſtinere à furto eſt moraliter incompoſſibile cum virtute aliorum hominum eiuſdem collectionis abſtinentium à furto: cæterùm incompoſſibilitas hæc eſt ens rationis. Quoniam nihil reale cauſat repugnantiam inter virtutem vnius & aliorum hominum; ſic etiam Petrum in vltimo inſtanti omittere electionem agriculturæ, eſt moraliter incompoſſibile cum præcedentibus omiſſionibus. Cæterùm hæc incompoſſibilitas eſt ens rationis, quia nihil reale cauſat repugnantiam inter omiſſiones præteritas & præſentem, vt ſatis probatum eſt.

SECTIO XII.

Vaga neceſſitas quomodo poſſit cum libertate conſentire.

1. DE vaga infallibilitate morali tantummodo dictum eſt in quatuor ſectionibus præcedentibus. Nunc verò quando phyſica neceſſitas imminet, vt aliquis actus eliciatur intra determinatum ſpatium temporis, multo grauior imminet difficultas, proueniens ex temporis ſucceſſione (præter alias difficultates, iam expeditas in ſect. 7.) Quia ſi fuerit ſimpliciter neceſſarium elicere aliquem actum vnius ſpeciei infimæ intra determinatum ſpatium temporis, eo ipſo non eſſe liberum actum quacunque illius temporis morula, vel quocumque concipiatur inſtanti, contendit hoc argumentum, oſtendens cōtradictionem inuolui tum in libertate, tum etiam in aſſignatione temporis, & in expletione præcepti.

Actum prædefinitum nō fieri liberè cōtendit obiectio præſens.

2. Hoc autem, exempli cauſa, monſtrare poſſumus in Chriſto Domino, vt idem intelligatur etiam dictum de quolibet Angelo beato, quando Deus imperat illi faciendum aliquid ad gubernationem hominum intra certum tempus, relinquendo libertatem vagam, vt nunc, vel poſtea munus ſibi demandatum exequatur. Accipiamus igitur actum ſubeundi crucem, qui præceptus intra certum tempus, requirit aliquam temporis moram, vt expleatur, & claritatis cauſa fingamus, eſſe vnam horam, quæ requiritur explendo præcepto.

Proponitur difficultas in Chriſto Domino.

3. Sub hac hypotheſi & ſub qualibet alia ſimili inuolui contradictionem in expletione pręcepti, & in libertate actus, probo, quoniam in vltima hora illius temporis eſt impoſſibile implere illud præceptum: diſſimiliter eſt impoſſibile illud implere in penultima hora, & conſequēter in antepenultima; & ſic de reliquis horis: igitur abſolutè eſt impoſſibile præceptum illud implere; ac proinde contradictionem inuoluit expletionem illius præcepti vagari per illud tempus.

4. Quòd in vltima hora illius temporis ſit impoſſibile præceptum illud explere, probatur, quoniam præcipitur libera expletio præcepti, quæ ſit imputabilis ad meritum & ſatisfactionem, vt ſupponimus. At in vltima hora non poteſt eſſe libera, quia eſt neceſſaria: ſiquidem ſupponitur

in

in hypotheſi, eſſe neceſſarium explere præceptum intra hoc tempus; & requiri vnam horam, & non ſupereſſe aliam præter hanc. Quapropter actus charitatis, neceſſariò conſequutus ex viſione beatifica, non poterat omittere nunc impletionem præcepti, ſed neceſſariò determinabat ad illam.

5. Quòd ſi non poteſt impleri præceptum in vltima hora; conſequens eſt, vt cùm deuentum fuerit ad horam penultimam, tunc etiam ſit abſolutè neceſſarium implere, quia iam illa hora erit vltima, ſiquidem non reſtat alia hora, in qua poſſit impleri præceptum. Quapropter tunc etiam non erit actus liber, & conſequenter non poterit ſatisfacere præcepto. Vnde ſi retroceſſeris ad horam antepenultimam, de illa poterit impoſſibilitas eadem ratione probari, & vlterius progrediẽdo de reliquis horis probabitur conſequẽter.

6. Vnde prætere a colligitur, quòd etiamſi mille annorum ſpatium concedatur ad implendum præceptum in aliqua illorum hora: nihilominus in qualibet hora ſit impoſſibilis impletio, etiamſi eligatur hora prima, vel cẽteſima, vel milleſima, vel quælibet alia citra vltimam; quia quælibet illarum horarum probabitur eſſe vltima, ſi ab hora vltima illorum annorum retrocedendo de ſingulis repetas calculationem modò propoſitam. Sequitur etiam alia implicatio, videlicet ſpatium quodlibet aſſignatum non eſſe tam magnum, quantum aſſignatur, & non eſſe poſſibilem actum intra tantum tempus, quantum aſſignatur. Nam quocunque tempore dato, detrahenda eſt vltima hora, & illa detracta, ſi aſſignes quod reliquum eſt temporis, detrahenda erit alia hora, quæ illius temporis fuerit vltima, & ſic de cæteris ſpatiis temporis aſſignabilibus.

7. Reſpondebis primò, in vltima hora non eſſe neceſſariam impletionem præcepti, niſi propter ſuppoſitionem liberam, quam impedire poſitum erat in poteſtate Chriſti Domini.

Solutio prima.

Contra hoc eſt primò, quoniam Dei amor neceſſariò ſequutus ex viſione beatifica, neceſſitatem infert, vt impleatur præceptum in hac hora; ſi iam non poteſt differri ad aliam horam, niſi violando præceptum: hoc autem totum reperitur in præſenti.

Refutatur primò.

8. Secundò; quoniam ſaltem euidens eſt, non manere libertatis indifferentiam nunc, quia nunc non poteſt non elici actus, quo impletur præceptum; qui ſi non eliceretur, fieret contra charitatis actum ſimpliciter neceſſarium ſuppoſita viſione beata. Confirmatur, accepto principio ex tom. de ſcientia Dei diſput. 34. ſect. 1. Quando actus neceſſariò ſequitur ex ſuppoſitione, & tota ſuppoſitio non eſt in poteſtate libertatis: tunc nec actus, ex ea conſecutus, eſt in poteſtate libertatis. At executio præcepti neceſſariò ſequitur ex ſuppoſitione, quòd beatus neceſſariò diligat Deum, & neceſſariò cognoſcat, hoc ſibi eſſe præceptum, & iam non reſtare aliud tempus implendi præceptum: porrò quamuis ad hoc ſupponatur, quòd antea omiſerit liberè, cæterùm quòd illa omiſſio non prætierit, iam non eſt nunc in poteſtate libertatis, nec poteſt nunc reuocari etiam de potentia Dei abſoluta.

9. Secundò ſi reſpondeas, ſatis eſſe quòd liberè omiſerit in præcedentibus horis, cùm potuerit non omittere.

Solutio ſecunda.

Hæc etiam ſolutio non ſatisfacit, primò, quoniam ea ea ſaltem ſequitur, quòd executio, & impletio præcepti, fiat in vltima hora, nequit habere libertatem præſentem ratione ſui, & ratione circumſtantiarum, quæ nunc exiſtunt: ſed tantùm per extrinſecam denominationem ab omiſſione præterita, quæ iam non eſt libera, ſed fuit libera.

Refutatur primò.

Refutatur ſecundò, quia cùm omiſſio non ſit libera in ſe, & formaliter, ſed interpretatiuè tantùm; non dabit denominationem extrinſecam, niſi à voluntario interpretatiuo, quæ duæ diminutiones & imperfectiones voluntarij & liberi videntur indignæ perfectiſſimo Chriſti Domini merito, & perfectiſſima obedientia. Confirmatur, quoniam obedientia & meritum erit non aliter liberum quàm dormienti ſomniare bona, quę interdiu cogitauit; aut phrænetico facere quod parentes rogant, aut imperant, ſuppoſito amore & obedientia, quam priùs liberè adquiſiuit erga parentes. 10.

Secundò. Interpretatiua libertas Chriſti Domini merito repugnat.

Refutatur tertiò, quoniam ſi executio præcepti, facta in vltima hora, non eſt imputabilis ratione ſui, ſed ratione præcedentis omiſſionis: conſequens eſt, executionem in vltima hora non eſſe imputabilem, niſi vt exteriorem actum ratione omiſſionis præteritæ, tanquam ratione actus interioris. Conſequens autem videtur abſurdum. Nam omiſſio impletionis vſque ad vltimam horam non eſt laudabilis, nec vituperabilis: & conſequenter non eſt apta, vt ab illa tanquam ab actu interiori ratio meriti proueniat. 11.

Refutatur tertiò, quia executio præcepti ſolum vt exterior actus imputaretur.

Confirmatur primò, nam actus imputabilis ratione alterius ſe habet ſolùmmodo tanquam actus exterior, motus ab alio actu tanquam ab anima & interiori principio.

Confirmatio prima.

Confirmatur ſecundò, quia quantum ex ſe eſt, illa omiſſio poterat procedere ex neglectu præcepti, vel ex voluntate violandi illud, tales enim affectus magis determinant ad omittendum, quàm amor & obedientia. 12.

Secunda.

Confirmatur tertiò, quia illa omiſſio non continet virtualiter, nec interpretatiuè amorem præcepti, nec proficiſcitur ex illo: ergo non eſt apta, vt ratione illius tantummodo ſit imputabilis executio præcepti.

Tertia.

Tertiò, ſi reſpondeas, fuiſſe neceſſarium, vt Chriſtus Dominus, in præcedentibus horis habuerit actum poſitiuum, quo voluerit ex tunc, vt in hora vltima præceptum impleretur ab ipſo: iam ille poſitiuus actus erit neceſſarius ſaltem in hora penultima. Vnde non erit liber, nec ab eo deriuabitur extrinſeca libertas ad vltimum actum. Quapropter retrocedendum erit ad horam antepenultimam, in qua reuiuiſcit eadem difficultas; quia vt ſaltem extrinſeca denominatione redderetur liber actus, à Chriſto Domino, eliciendus in hora penultima, & in vltima; neceſſarium fuit actum liberum præceſſiſſe in hora antepenultima: quòd ſi neceſſarius fuit, non fuit liber, nec imputabilis ratione ſui, nec ab eo deriuabitur extrinſeca libertas ad actus ſequentium horarum. Atque idem argumentum inſtaurabitur circa ſingulas horas præcedentes, nulla excepta. 13.

Solutio tertia reiicitur.

Quartò non effugies difficultatem, licèt confugias ad actus numero diuerſos, vel ad intentionem, aut obiectiuam extenſionem illorum, quorum omnium dabatur optio libertati Chriſti Domini. Quin potiùs hoc ipſum erit concedere quantum præſens argumentum probare conten- 14.

Solutio quarta refutatur.

dit, videlicet, ſpatium temporis, quantuncunque diuturni, etiam ſeptem millium annorum, nihil prodeſſe, vt liber euadat actus, quem Deus præcipit, in aliqua hora illius temporis, quam beatus aliquis voluerit eligere, executioni mandari: ſed ſolam diuerſitatem actuum & circumſtantiarum, quarum omnium ſimul & ſine ſucceſſione datur optio, protegere libertatem. Adde non eſſe impoſſibile, quòd Chriſto Domino, vel alteri beato præcipiatur hic numero actus, cum tanta intenſione, & obiectiua extenſione, cęteriſque circumſtantiis; data optione temporis, in quo ſit eliciendus, & in eo caſu libertas defendi non poterit, niſi ratione temporis ſucceſſiui.

Chriſto Domino omnes circumſtantia præcepi ponuntur.

15\. Sit igitur concluſio, deducta ex toto diſcurſu præſentis ſectionis, varietas, & multiplicitas partium temporis, vel inſtantium, libertatem conciliat cum neceſſitate vaga, qua ratione temporis partes & inſtantia ſimul proponuntur voluntati, vt circumſtantiæ deligendæ: inſuper qua ratione voluntas in aliquo inſtanti, aut in aliqua temporis parte neceſſitatur ad eligendum vnum è multis inſtantibus, vel vnam ex multis partibus temporis, in qua ſatisfaciat præcepto, & quolibet alio modo contradictionem implicat, neceſſitatem eſſe vagam, aut cum neceſſitate vaga conciliari libertatem.

Libertatem vaga neceſſitate conciliantur.

16\. Pro cuius explicatione ſuppono, cuilibet beato, ac præcipuè Chriſto Domino, ſemper eſſe neceſſarium actualiter velle præcepta Dei implere; hoc enim eſt de ratione actualis charitatis, quæ neceſſariò ineſt cuilibet beato, & propter eius perfectionem non ſolùm in generali, ſed etiam in particulari de quolibet præcepto diſtinctè, & expreſsè cogitat, & neceſſariò vult eius expletionem. Quapropter Chriſtus Dominus in qualibet hora, & momento ſuæ vitæ cogitabat, de implendo præcepto mortis, & id expreſsè volebat.

Beato Dei præcepta velle implere neceſſarium.

17\. Quo ſuppoſito, Chriſtus Dominus ante vltimam horam temporis, præfixi Dei præcepto, vel decreuit implere tunc, & executionem præcepti non differre vſque ad vltimam horam: & in hoc caſu tam executio, quàm decretum eſt manifeſtè liberum, & potuit non exiſtere, vel Chriſtus Dominus, ante vltimam horam; præfixi temporis decreuit impletionem præcepti differre vſque ad vltimam horam; & hoc decretum expreſsè voluntarium, & liberum eſt tunc, quando decernitur; quia tunc potuit non eſſe. Veruntamen executio illius decreti, & impletio præcepti in vltima hora, non erit libera, niſi per denominationem ab illo decreto præterito: quamuis intrinſecè ſit honeſta, & conſequenter erit meritoria ſolummodo tanquam actus exterior, non tanquam actus interior.

Solutio difficultatis circa Chriſti Domini libertatem.

18\. Dices, quid ſi Chriſtus Dominus de tempore implendi præceptum nihil decreuiſſet vſque ad horam vltimam?

Obiectio.

Soluitur.

Reſpondeo talem dilationem decreti eſſe impoſſibilem, quoniam in hora penultima neceſſariò volebat implere præceptum, vt ſupponimus, & neceſſariò cogitabat, non poſſe impleri niſi in illa hora, vel in vltima. Vnde non poterat non velle impletionem, vt exequendam in hora penultima; niſi eligendo executionem differre ad horam vltimam. Quapropter neceſſariò tunc eligebat vnum è duobus, aut pluribus temporibus, in quo neceſſariò exiſteret executio ex vi præſentis decreti, facti ante vltimam horam.

Quòd ſi adhuc velis, poſſibile fuiſſe, vt in hora penultima non decerneret expreſsè, & explicite dilationem vſque ad horam vltimam, ſaltem ex eo præcisè, quòd volebat implere præceptum, & quòd liberè volebat, vt nunc non exiſteret executio præcepti, ſciens non poſſe exiſtere, niſi in hora vltima; virtualiter ex vi præſentis actus realis (& non ſola interpretatione voluntatis,) volebat, vt executio exiſteret in vltima hora. 19.

Inſtantia occurritur.

Eos inſuper moneo, quibus alię ſolutiones occurrerint, vt diligenter obſeruent, an reuiuiſcant eædem calculationes, in principio ſectionis propoſitæ. Nam veterani Theologi, acres & perſpicaces ingenio, multum diúque, varias ſolutiones excogitantes, & diſcutientes, in illis deprehenderunt, eaſdem recrudeſcere difficultates, ſi profundiùs examinentur. 20.

Poſtremum corollarium ſit magnum diſcrimen inter vagam neceſſitatem, & vagam infallibilitatem. Nam de infallibilitate morali quatuor præcedentibus ſectionibus demonſtratur aperte, tantam libertatem in vltima morula, vel in vltimo inſtanti manere, tantámque immunitatem ab infallibilitate, reali & intrinſeca, quantam voluntas habuit in primo inſtanti, ſed de vaga neceſſitate nunc demonſtratum eſt, impedire, ne maneat libertas in vltima morula, nec in vltimo inſtanti. 21.

Diſcrimen inter vagam neceſſitatem, & vagā infallibilitatē.

Valde tamen notandùm eſt, totum diſcurſum præſentis ſectionis procedere, non ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm ex ſuppoſitione, quòd determinatus actus interior vnius ſpeciei fuerit ſimpliciter neceſſarius ex ſuppoſitione viſionis beatæ. Alioqui libertatem Chriſti Domini faciliùs & meliùs defendi, ſi tantùm fuerit præceptus actus exterior, ſubeundi crucem, qui potuit expleri per varios actus interiores diuerſæ ſpeciei, iam vidimus tomo de ſcientia Dei diſp. 47. ſect. 2. 22.

Facilis modus defendēdi libertatem Chriſti D.

Potuit etiam Deus de potentia abſoluta impedire neceſſariā emanationem illorum actuum, quibus implebatur præceptum, ita vt ad illos non neceſſitaret viſio beatifica; quoniam illa conſecutio non eſt cauſæ formalis, ſed reducitur ad efficientiam. 23.

Modus alius defendēdi libertatē Chriſti.

Potuit præterea Verbum diuinum ſuæ obligationi, vel potiùs naturali neceſſitati non permittendi peccatum in aſſumpta humanitate, ſatisfacere, gubernando voluntatem illius eodem genere gubernationis, quo voluntatem Beatiſſimæ Virginis, aut Apoſtolorum, ſalua eorum libertate, ſuppoſita ſcientia conditionalium, cum qua in ſenſu compoſito non eſſet poſſibile peccatum. Hoc tamen intereſſet inter illud genus gubernationis, prout dabatur aſſumptæ humanitati, quòd neceſſariò per phyſicam neceſſitatem Verbum tenebatur, illo, vel alio modo prouidere taliter, vt eſſet metaphyſicè certa & tuta impeccabilitas illius humanitatis: cæteris autem perſonis poterat Deus permittere peccata, nec phyſica & naturali neceſſitate tenebatur illa impedire.

Alius modus defendendi Chriſti libertatem proponitur.

Colligitur tandem ex dictis, ad defendendam libertatem & meritum Chriſti Domini, non eſſe neceſſarium, nec vtile confugere ad libertatem increatam Verbi diuini. Nam, vt omittam inconſequentiam rerum, qui conſtituentes actum liberum Dei, per connotationem alicuius actionis creatæ, quæ potuerit non eſſe, nullam verò concedentes formalitatē increatam intra Deum, quæ potuerit ab æterno non fuiſſe: nihilominus 24.

Aliorum modus recurrētium ad increatā libertatem Verbi reiicitur.

dicunt

Digitized by Google

dicunt hanc actionem creatam non alia ratione potuiſſe non eſſe, niſi quia diuina voluntas potuit non velle. Præterea refutatur primò, quia Chriſtus Dominus de ſeipſo, quatenus erat homo, mandatum accipiens à Patre, & mortalis, loquebatur Ioan. 10. quando dicebat, ſe habere poteſtatem ponendi, vel non ponendi animam, & hoc mandatum accepiſſe à Patre, vt communiter Patres exponunt, quorum teſtimonia ponderauimus eod. tom. de ſcientia diſp. 47. ſect. 1.

25. Refutatur ſecundò, quia Verbum per increatam libertatem non eſt capax meriti, & conſequenter actio humanitatis aſſumptæ, prout procedit à libertate diuina; non eſt capax meriti; quoniam ſe habet vt actus exterior imperatus, cuius meritum non conuenit ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco actu imperante.

Vnde refutatur tertiò, quoniam eximia perfectio & dignitas actus meritorij denegatur Chriſto Domino prout eſt homo, nec enim aliter erit liber actus obedientiæ in anima Chriſti; niſi quemadmodum liber eſt quilibet impulſus indeliberatus, qui eſt gratia præueniens, qui liber eſt Deo, ſed hominibus non eſt liber; ſolùm eſſet diſcrimen, quoniam voluntas diuina & humana coniunctæ ſunt in eadem perſona Verbi; ſed in nobis ſunt ſeparatæ. Hoc autem diſcrimen nihil intereſt vt actus humanitatis formaliter, ab intrinſeco, & ratione ſui poſſit imputari ad meritum tanquam actus elicitus liberè cum poteſtate non eliciendi.

DISPVTATIO IX.

Vtrùm ſingulas operationes in particulari cum omnibus circumſtantiis Deus prædefiniat.

SECTIO I.

Negatiuæ partis authores, argumenta & ſolutiones attinguntur, ac remittuntur.

1. *Antiqui Scholaſtici parum, aut nihil de præſenti quæſtione docuerũt.* ANTIQVIORES Scholaſtici de quæſtione præſenti parum, aut nihil expreſsè docuerunt, colligi tamen poterit mens eorum ex aliis quæſtionibus circa præſcientiam, voluntatem ac prædeſtinationem, in quo genere valida, & inſolubilis collectio eſt; qua probatur plurimos & grauiſſimos antiquorum Scholaſticorum virtualiter negaſſe, poſſibilem eſſe prædefinitionem abſolutam & efficacem: quoniam exiſtimabant, libertatem defendi non poſſe, niſi concedendo, Deum etiam nunc poſſe non præſcire, & poſſe non prædeſtinare, eos homines qui ſunt adhuc viatores, ideóque poſſunt adhuc peccare & omittere operationes requiſitas ad ſalutem, quod retulimus in tomo de ſcient. Dei diſp. 31. ſect. 2.

2. *Sententia negans.* Præterea. Negatiuam partem ſupponere videntur Scholaſtici, qui negant prædeſtinationem ante præuiſa opera; vel dicunt, Deum, quantum ex ſe eſt, æqualiter ſe habuiſſe ad prædeſtinatos, & ad reprobos. Quemadmodum S. Thomas in 1. ſent. diſt. 41. q. 1. art. vnico ad 2. ait, *Quamuis Deus, quantum ex ſe eſt, æqualiter ſe habeat ad omnia: non tamen omnia eandem identitatem habent ad recipiendam largitudinem bonitatis eius.* Sic etiam Alexand. 1. p. q. 18. memb. 1. art. 2. docuerat, Dei voluntatem æqualiter ſe habere reſpectu hominum: ex noſtra verò cooperatione atque receptione gratiæ prouenire diſcrimẽ prædeſtinatorum à reprobis. Idem ferè docet Albertus 1. p. q. 63. memb. 2. ad 3. & in 2. ſent. diſt. 28. ar. 1. ad 4. ait, Deum ſemper eodem modo ſe habere ad nos gratiam porrigendo, ſed nos non eodem modo nos habere ad Deum. Inſuper idem Albert. 1. p. quæſt. 63. memb. 3. art. 1. quæſt. incid. 1. præuiſa merita, putat, eſſe rationem prædeſtinationis; licèt non ſint cauſa, & idem docuit in 1. diſtinct. 41. artic. 2. & 3. quamuis contrarium videatur ſentire præced. membr. 2. vt referemus ſect. 2. n. 15. Eiuſdem ſententiæ videtur eſſe D. Bonau. ſi ea, quæ docet in 1. diſt 41. art. 1. q 1. & clariùs q. 2. conferantur cum his, quæ docet in 4. diſt. 15. 1. p. diſt. art. 1. q. 5.

Henric. Gandau. quodlib 4. qu. 19. ad finem, docet, bonum vſum gratiæ non eſſe prædefinitum & prædeſtinatum, ſed potiùs illius præſcientiam fuiſſe rationem prædeſtinandi, quod etiam fusiùs defendit quodlib. 8. quæſtion. 5. & conſequenter loquitur quodlib 5. quæſt. 5. licèt oppoſitum alibi ſenſiſſe videatur, vt ſect. 2. num. 16. 3.

Gregorius 1. diſtinct. 38. quæſt. 2. articul. 2. inter med. & fin. Ochamus 1. diſtinct. 38. quæſt. vnica inter princ. & med. & iterum inter med. & fin. & Gabriel ibidem artic. 2. column. 2. paulo ante concl. 3. contra Scotum docent, futura non poſſe cognoſci in decreto diuinæ voluntatis. Addúntque, quòd Deus eodem modo cognoſceret futura contingentia, licèt illorum cauſa nullo modo foret cognitio, nec voluntas, nec potentia Dei. Idem contra Scotum docet Palacios 1. diſt. 38. diſput. 2. col. penultim. referens pro eadem ſentent. Gerſonem in epiſtola commendatoria S. Bonauenturæ, & Vaſquez diſp. 65. cap. 4. §. ex his.

Giltonus, quẽ refert, & ſequitur Ioan. Bacho in 1. ſentent. diſtinct. 40. artic. 2. inter med. & fin. *Futura*, inquit, *producta à Deo voluntate efficaci, non ſunt in poteſtate noſtra; quantumcunque contingenter producantur ab illa*; & poſt pauca. *Futura autem, producta voluntate permiſſiua, ſunt in poteſtate noſtra, quantum ad determinationem, præſuppoſita tamen influentia in generali & in eſſendo, & in cauſando.* & ſubdit, omnes liberas actiones per huiuſmodi voluntatem permiſſiuam à Deo produci. Conſequenter itaque Bacho in proxima diſtinct. 41. docet bonum vſum liberi arbitrij, præuiſum à Deo, eſſe rationem prædeſtinationis. 4.

Quantum ad rationem prædeſtinationis ex præuiſis operibus, idem ſentit Aureolus 1. ſent. tota diſt. 40. præſertim art. 2. & diſt. 41. art. 4. §. *reſtat num.* & in eadem diſt. 41. Ochamus q. vnica. Gabriel art. 2.

Argentina in 1. diſt. 41. art. 1. docet, homines non prædeſtinari, neque reprobari, niſi poſt præuiſa opera. Vnde cum in 2. ſent. diſt. 28. art. 1. poſt 2. con. & art. 4. exiſtimare videatur, res omnes in particulari præordinari à diuina voluntate, vel permitti; conſequens eſſe videtur, apud illum operationes aliquas, ad ſalutem vtiles, non eſſe præordinatas & prædefinitas, ſed tantùm permiſſas; meliori tamen genere permiſſionis, quam materialis actionis peccatorum. 5.

6. Claiùs prædeſtinationem, à præuiſis operibus dependentem, docuit Oſorius lib. 9. de iuſtitia. Catherinus in compendioſo opuſc. de prædeſt. ad Tudem. & in alio magis copioſo tribus libris, præcipuè lib. 1. cap. vlt. & lib. 3. c. 1. & 2. Ioan. Mariana lib. 2. de morte & immortalitate cap. 12. & lib. 3. cap. 7. & 8. & alij recentiores nonnulli.

7. Eiuſdem ſententiæ videtur eſſe Turrianus toto dogmatico de electione, quamuis expoſitionem admittat, quam videbimus ſect. 3. fine. Sed Carthagena de prædeſtinatione diſcur. 4. dub. 3. dict. 3. p. 42. & diſcurſu 10. dub. 2. pag. 338. magis expreſſè, quàm alij, negat, prædefiniri poſſe liberas actiones in particulari cum omnibus circunſtantiis. Similiter Leſſius tract. de prædeſtinatione num. 17. ad quem remittit lectorem in lib. 11. de prouidentia cap. 5. fine, docet, bona opera in particulari non eſſe prædefinita abſoluto decreto Dei, ante præuiſionem determinationis noſtræ voluntatis, tanquam abſolutè futuræ, & in re ſenſit idem Pennotus lib. 4. propugnaculi cap. 12. 13. 14. & 15.

8. Durand. in 1. diſt. 47. q. 5. num. 6. exiſtimat, eſſe probabile quoſdam actus moraliter bonos à Deo non prædefiniri, quod latiùs, firmiùſque tradit Anton. à Cordub. lib. 1. quæſtionarij quæſt. 55. dub. 10. poſt vltimam ſolutionem argumenti in principio propoſiti notab. 2. & quæſtiuncula 2. in 2. coroll. & dub. 11. & 12. Eandem limitationem prædefinitionis diſtinxit magis Franciſc. Suarez lib. 3. de auxil. cap. 7. num. 11. & ſequentibus, confirmátque lib. 3. cap. 17. num. 15. ad finem, videlicet, non eſſe prædefinitos à Deo actus moraliter bonos, quando nec ad vitam æternam proſunt; nec adeò ſpecialiter deſeruiunt ad aliquem peculiarem finem prouidentiæ, de quo dicemus ſect. 10.

9. *Primum fundamentorum, eiuſque ſolutio.* Fundamenta, quibus oppugnari poſſet omnium operationum prædefinitio in particulari, tum ex authoritate, tum etiam ex ratione, ſunt quæ ſequuntur.

Primò, quoniam ex D. Thoma, Capreolo, Deza, & Ferrarienſi, colligi poteſt, non prædefiniri ſupernaturales actiones in particulari cum omnibus circumſtantiis; & multo minus actiones moraliter bonas, quoniam vaga prædefinitione, atque infallibilitate conciliant libertatem: vt vidimus diſp. 3. ſect. 6. à primo vſque ad num. 9. Cæterùm vaga prædefinitione non excludi determinatam prædefinitionem omnium operationum in particulari cum omnibus circumſtantiis, vidimus diſp. 3. ſect. 4. præcipuè n. 10. qua ſolutione diluitur fundamentum primum.

10. *Secundum ſoluitur.* Cæterùm arguitur ſecundò, quoniam 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. S. Thomas aſſerit, interdum aliquos homines moueri ſpecialiter à Deo ad aliquid determinatè volendum; ſicut contingit his, qui mouentur per gratiam. Vnde conſtat, apud S. Thomam non omnes homines, neque ſemper determinatè moueri ad aliquid in particulari amandum; ſed libero arbitrio permitti, vt ſeipſos determinent ad aliquid in particulari amandum.

Reſpondetur tamen, hinc meritò refutari determinationem phyſicam, & antecedentem neceſſitatem, quæ determinet, vt vidimus in tomo de ſcientia Dei, diſp. 49. ſect. 2. Sed non excluditur prædefinitio, quæ nullam imponat phyſicam determinationem.

Tertiò videbatur idem colligi ex 1. p. q. 23. art. 7. corpore poſt med. quatenus aſſerit, non eſſe per ſe præordinatum à Deo numerum quarundam rerum. Veruntamen eo ipſo aſſerit, eſſe præordinatum, licèt non per ſe: vt videbimus ſect. 8. 11.

Inſuper vt eandem ſententiam ex D. Thoma colligeres, fauerent nonnullæ rationes, propter quas ex alijs Patribus, & Scholaſticis colligi potuiſſet, veluti quando ſcientiæ certitudinem non ex decreto deſumunt, ſed ex præſentia in æternitate, de quo infrà num. 18. 12.

Multa ſunt etiam antiquorum Patrum teſtimonia, quæ videntur directè pugnare contra prædefinitionem omnium operationum in particulari, etiam bonarum. 13. *Patrum teſtimonia, quæ pugnare videntur contra prædefinitionem rerum in particulari.*

In primis ea, quibus traditur, quòd Deus non præuenit voluntates noſtras: vt Chryſoſt. loquitur variis in locis, quæ retulimus, & expoſuimus tomo de ſcientia Dei diſp. 33. ſect. 5. Cæterùm ij Patres non excludunt, niſi totalem prioritatem, ita totaliter præuenientem, vt antecedentem neceſſitatem imponat, quod in eadem ſect. 5. probatum eſt. Non itaque negant prædefinitionem, probandam ſectionibus ſequentibus. *Primum, quia Deus non præuenit voluntates noſtras.*

Secundò Patres nonnulli docent, Deum non prædefinire, nec prædeſtinare, nec prædeterminare liberas operationes, vt loquitur Damaſc. Cæterùm in eadem ſect. 5. num. 10. probatum eſt, Damaſcenum ſolummodo negare phyſicam & prorſus antecedentem prædeterminationem; & eo ipſo negare prædefinitionem, aut prædeſtinationem, quæ contineat phyſicam & antecedentem illationis neceſſitatem. 14. *2 Quia Deus non prædeſtinat actiones liberas.*

Tertiò Patres aliqui tradunt, ea, quæ ſunt in nobis, hoc eſt, actiones liberas, non eſſe à diuina prouidentia, vt Nemeſ. Damaſ. Theodor. Iuſtinus, Origenes citati prædicta diſp. 33. ſect. 5. n. 18. & ſequent. Veruntamen ibidem oſtendimus, intelligere, non totaliter eſſe à diuina prouidentia; ſed cooperante libero arbitrio tanquam ſecunda cauſa, quæ poteſt non cooperari, ſi velit. 15. *Tertium, quia actiones liberæ non ſunt à diuina prouidentia.*

Quartò poſſunt aduersùs prædefinitionem rerum in particulari produci teſtimonia omnium Theologorum, qui ab operationibus humanis propulſant neceſſitatem, quaſi contrariam libertati. Hos retulimus tomo de ſcientia Dei diſp. 39. & quatuor ſequentibus, & diſp. 49. & 50. A quibus ita deduci poterit argumentum. Operationem in particulari cum omnibus circunſtantiis prædefinitam, impoſſibile eſt non fieri, & neceſſarium eſt fieri; igitur operatio ſic prædefinita non poteſt eſſe libera. 16. *4 Quia neceſſitas libertati contraria eſt.*

Reſpondetur ex eodem tomo diſp. 33. conſtat ab his omnibus Theologis antecedentem neceſſitatem excludi; conſequentem verò neceſſitatem admitti, quaſi conſentientem libertati. At ex eo genere prædefinitionis, quam nos admittimus, quæ deducitur neceſſitas, non eſt antecedens, ſed conſequens, ſupponit enim, conditionalem futuritionem eſſe præcognitam, vt conſtabit ſect. 7. & ſequentibus, & diſp. 10. ſect. 5. & 6.

Quintò poteſt opponi, quoniam prædefinitio eſt eſſentialiter imperium efficax Dei, vel illud inſeparabiliter infert. Vnde quicunque operatur ex Dei prædefinitione, operatur ex imperio Dei. ergo quicunque operatur ex Dei prædefinitione, non operatur ex arbitrio ſuo & liberè. Conſequentia probatur ex Patribus, libertatem 17. *Quintum, quia prædefinitio vel eſt Dei imperium, vel illud infert.*

in

in eo conſtituentibus, quòd aliquis operetur non ex imperio Dei, ſed ex arbittio ſuo. Veluti Hieronymo epiſt. 147. ad Damaſum de filio prodigo, col. 3. Ennodins Ticinen. apud Turtianum lib. 4 pro epiſtulis Pontific. cap. 2. prope fin. Greg. Nyſſ. lib. de opificio bomin. cap. 16. poſt med. & orat. 5. in Cantica inter med. & fin.

Reſpondetur prædefinitionem non eſſe imperium totale.

Reſpondetur ea prædefinitio, quam admittimus, non eſt imperium totale, quòd nullas imperij atque dominij partes, atque conſortium homini relinquat in executione; ſed quantum eſt ex modo cauſandi, relinquit homini conſortium imperij atque dominij, quo poſſit auxiliis reſiſtere, ſi velit, ideo non eſt imperium libertati repugnans, vt fuſiùs declaratum eſt prædicto tomo de ſcientia Dei diſp. 44. ſect. 3. ad finem.

18\. *Sextum, quia futura præſciri non poſſunt, niſi ſint præſentia in æternitate.*

Sextò contra prædefinitionem militare videntur Auguſt. Boërius, Anſelm. S. Thom. & alij plurimi Patres, & Scholaſtici, dicentes, futura contingentia certò & infallibiliter à Deo præſciti non poſſe, libertate manente, niſi prout ſupponuntur eſſe præſentia in æternitate. Hoc eſt, ſupponendo, quòd libertas ſeipſam determinat in aliqua differentia temporis, vt vidimus tomo de ſcientia Dei diſp. 28. ſect. 3. & 4. Hæc autem doctrina falſa redditur, ſi Deus omnes operationes liberas in particulari cum omnibus circunſtantiis prædefinit. Nam in huiuſmodi prædefinitione poterit Deus certò & infallibiliter cognoſcere quæcunque futura contingentia.

19\. *Solutio 1. Loquuntur de generali ratione cognoſcendi.*

Reſpondetur 1. prædicti Patres loquuntur de ratione cognoſcendi, quæ generalis ſit quibuslibet futuris, ſiue bonis, ſiue malis. Peccata verò & eorum materiales actiónes prædefiniti nequeunt; ideo non poſſunt in prædefinitione cognoſci. Et licèt aliqua peccata poſſint certò cognoſci in decreto negandi auxilium abundantius, & adbibendi tales circunſtantias ex ſe bonas; quibus poſitis, voluntas ob ſuam fragilitatem, & malitiam infallibiliter corruet, vt oſtendemus diſput. 13. ſect. 13. Cæterùm plurima peccata non poterunt hoc modo cognoſci; quia plurima non ſequuntur infallibiliter ex voluntate, poſita ſub talibus circumſtantiis; vt vidimus eodem tomo de ſcientia Dei diſp. 74.

20\. *Secundò ſoluitur.*

Secundò & vniuerſaliùs reſpondetur, Patres & Scholaſticos ſuprà dictos eò præcipuè reſpicere, vt liberam actionem eſſe, non ſit neceſſarium, niſi præſupponatur eſſe ſicut omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Ad hoc autem ſufficit, præſupponi conditionatam futuritionem, & adiungi Dei decretum, producendi, & adbibendi tales circunſtantias, quibus poſitis, iam ſciebat, talem actum eliciendum fuiſſe. Id quod erit manifeſtum recolenti quæ diximus in eodem tomo de ſcientia diſp. 75.

21\. *Septimum, quia actiones liberæ non ſunt futuræ quia præſciuntur à Deo.*

Septimò eiſdem ferè ſolutionibus ſatisfiet alteri argumento, quod ſumi poteſt ex Patribus, & Doctoribus Scholaſticis, aſſerentibus, operationes liberas non ideo eſſe futuras, quia præſciuntur à Deo, ſed potiùs, quia futuræ ſunt, propterea præſciri, quorum multos retulimus eodem tomo de ſcientia diſp. 56. Quòd ſi Deus prædefiniret omnes operationes in particulari, tunc ideo fierent, quia Deus prædefinitione ſua vult, & præſcit, eas eſſe futuras.

Solutio ...ma.

Reſpondetur 1. eas cauſales propoſitiones à Patribus & Scholaſticis ferè ſemper vſurpari, quando tractant de prauis operationibus, quas Deus non prædefinit.

22\. *Secunda. Ad prædefinitionem quamlibet ſupponitur conditionata ſcientia.*

Reſpondetur ſecundò. Ad prædefinitionem quamlibet præſupponitur ſcientia conditionata, ſiue propoſitionum affirmantium infallibilem connexionem, ſiue affirmantium coëxiſtentiam operationis cum ſuppoſitione, quæ foret, & in vtraque ſcientia verificatur, exiſtentiam operationis noſtræ, quæ foret, eſſe rationem, ex parte obiecti præſuppoſititam, propter quam à Deo cognoſcitur; quoniam ergo Tyrij & Sidonij pœnitentiam egiſſent, ſi apud illos factæ fuiſſent virtutes & miracula Chriſti Domini, ideo Deus ſcit, quòd pœnitentiam egiſſent: & non ideo pœnitentiam egiſſent, quia Deus hoc ſcit.

23\. *Nomine futurorum plerunque Patres abſoluta & conditionata comprehendunt.*

Ad quorum confirmationem obſeruandum eſt primò, Patres plerunque nomine futurorum comprehendere non ſolùm abſoluta, ſed etiam conditionaliter futura, quamuis hæc plerunque ſub nomine poſſibilium comprehendant, vt oſtendimus eodem tomo de ſcientia Dei diſp. 66. ſect. 1. Secundò nota, frequentiùs eoſdem Patres, qui affirmant cauſales adductas in argumento, aſſerere alias cauſales, quæ vocis enuntiatione contrarium ſonant, videlicet operationes bonas ideo fieri, quia Deus vult, quia Deus prædeſtinat, aut præordinat, aut præſcit. Quarum exempla vidimus ſuprà diſp. 3. ſect. 3. & 9. & videbimus tomo ſequenti, tractantes de cauſa prædeſtinationis. Ideo ex vtriſque cauſalibus, in ſpeciem contradicentibus, temperandus eſt ſenſus theologicus earum.

Frequenter affirmant Patres futura ideo fieri quia Deus vult.

24\. *Octauum, quia ex præſcientia Deus prædeſtinat.*

Octauum argumentum, quoniam aliqui Patres affirmant, Deum ex præſcientia bonorum operum homines prædeſtinare.

Reſpondetur eos Patres intelligere præſcientiam bonorum operum, quæ Deus ſua prædefinitione decreuit facere, vt homines liberè faciant, hæc enim præſcientia quidditatiuè clauditur in prædeſtinatione, ſeu prædefinitione, de quo iam diximus diſp. 6. ſect. 3. num. 16. & ſequentibus, & videbimus etiam infrà diſput. 27. ſect. 5. à num. 20. atque ſenſum eundem obſeruare licet in aliquibus antiquorum Scholaſticorum, qui cauſam prædeſtinationis affirmant ex præuiſis operibus.

SECTIO II.

Prædefiniri determinatè, & in particulari quaslibet bonas operationes, probatur authoritate Scholaſticorum.

1\. *S. Thomæ teſtimonia pro prædefinitione bonarum actionum in particulari.*

HOc inprimis colligitur ex D. Thoma variis in locis. Nam 1. parte q. 22. articulo 4. conferendo ſolutionem primi argumenti cum ſolutione ſecundi, docet, quæcunque Deus prouidet, vt contingenter eueniant, in iis certum & immobilem eſſe prouidentiæ ordinem, vt infallibiliter, ſimúlque contingenter eueniant. Ita intelligit Caietanus ibi, & communiter expoſitores illius loci.

2\. Id tamen clariùs aſſeruit S. Thom. contra Gent. Nam cap. 75. oratione 5. & 6. & toto cap. 76. probat, Deum ſua prouidentia diſponere & ordinare non ſolùm res omnes in ſingulari, & particulari; ſed etiam omnium indiuiduorum accidentia & circunſtantias, & cap. 91. ad med. ait: *Omnium voluntatum & electionum motus in diuinam voluntatem reduci, non autem in aliam aliquam cauſam: quia ſolus Deus*

noſtrarum voluntatum & electionum cauſa eſt. & cap. 94. versùs finem, docet, quòd ſi Deus prouidit, hunc hominem eſſe regnaturum; ille regnabit infallibiliter, ſimúlque contingenter, & non poterit non regnare, ſi conſideretur hoc vt prouiſum: licèt poſſit non regnare ſecundùm ſe conſideratum. Vbi idem exiſtimat Ferrarienſis.

3. *Regula generalis ad intelligenda Patrũ dicta.* Ad hæc autem, & alia multa Scholaſticorum & Patrum teſtimonia rectè declaranda, debemus rationem prouidentiæ ſingulis obiectis pro ſua capacitate diſtributam intelligere: ideóque prædefinitiuam prouidentiam rebus omnibus concedere, quibus malitia non eſt inſeparabiliter coniuncta: actionibus autem, quibus malitia eſt inſeparabiliter copulata, permiſſiuam prouidentiam, explicatam ſuprà diſputatione 2. Hæc igitur generalis regula, dicta ſemel, valeat etiam pro ſectionibus, & diſputationibus ſequentibus.

4. Præterea S.Thomas 1. p. quæſt.19.art.8.ad 1. Auguſtinum in Enchirid. cap. 103. dicentem, *Nullus fit ſaluus, niſi quem Deus voluerit ſaluari; & ideo rogandus eſt, vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit*, exponit de neceſſitate non abſoluta, ſed conditionata, & in corpore artic. 1. tradit, Deum velle, vt contingenter fiant, quæ fiunt contingenter. Rurſus 1. parte q. 25. art. 5. ad 1. docet, fieri non poſſe, vt Deus aliqua faciat, quæ non præſcierit, & præordinauerit ſe facturum; quia ipſum facere ſubiacet præſcientiæ & præordinationi Dei. Propter eandem rationem 1.par q.116.art.1.corpore, *Ea quæ hic per accidens aguntur*, inquit, *ſiue in rebus naturalibus, ſiue in humanis, reducuntur in aliquam cauſam præordinantem, quæ eſt prouidentia diuina.*

5. Idem 1.2. q.112. art.3. corpore, *Alio*, inquit, *modo poteſt conſiderari præparatio, ſecundùm quod eſt à Deo mouente, & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non poteſt.* Secundùm quod dixit Auguſtinus de prædeſt. Sanctor. *quòd per beneficia Dei certiſſime liberantur, quicunque liberantur. Vnde ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequetur.* Conſonat 1.2.q.9.art.6.fine, dicens, quos Deus mouet per gratiam, mouere ad aliquod bonum determinatè volendum.

6. Conſequenter 2.2. q.24.art. 11.initio corporis, ait, *ex parte Spiritus ſancti mouentis animam ad diligendum Deum, charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus ſancti; qui infallibiliter operatur quodcunque voluerit.* Confirmat autem citatis Auguſtini verbis de beneficiis Dei, *quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.* Generaliùs autem loquitur in 1.ſentent. diſt. 39. q. 2. art.2. corpore fine, conſtituens hoc diſcrimen inter bonum & malum, quòd bonum non ſolum eſt præſcitum & ordinatum à Deo, ſed etiam intentum eſt bonum contingens, ita quòd deficere poſſit; ex tota verò articuli ſerie conſtat, S.Thomam loqui diſtributiuè de quolibet bono contingenti. Notanda ſunt præcipuè, quæ ſcribit in ſolutione quinti argumenti.

7. Idem colligitur etiam ex D. Thoma in commentario ad Dionyſium de diuinis nominibus, cap. 5. lect. 3. dicente: *& huiuſmodi rationes ſacra Scriptura vocat prædefinitiones, ſeu prædeſtinationes.* & poſt pauca, *quæ quidem prædeſtinationes, ſeu voluntates ſunt diſtinctiuæ entium & effectiuæ ipſorum; quia & huiuſmodi rationes ſuperſubſtantialis Dei eſſe prædeterminauit, omniáque produxit.*

Præterea, quodlib.12.q.1.art.4. ſequitur illorum ſententiam, qui ea, quæ contingenter, & variabiliter contingunt, omnia reducunt in cauſam ſupracæleſtem, ſcilicet in prouidentiam Dei, à qua omnia ſunt prædeterminata, & ordinata, & ſecundùm hunc intellectum admittit fatum cum Auguſtino lib. 5. de ciuit. cap. 9. & 10. idémque de fato exiſtimat 1. p. q. 116. art. 3. necnon alij Theologi, quos retulimus tomo de ſcientia Dei diſp.48.ſect.1. 8. *Sequitur ſententiam eorum, qui contingentia reducunt in cauſam ſupracæleſtem.*

Idem probatur ex aliis locis, vbi S.Thom. docet, prædefiniri à Deo tempus & inſtans, numerum, & menſuram, quæ referemus ſect.7.8.& 9. Fauent etiam alia multa, quibus S. Thomas docet, creatam voluntatem à Deo habere quòd agat, & quòd ſe ipſam determinet, Deúmque mouere omnes cauſas non ſolùm naturales, ſed etiam liberas, vt 1. p q. 83. art. 1.ad 3.& q.105. art.1.ad 3.& art.4.& 5.3.contra gent. cap.66. 67. & 70.& 2.ſent.diſt.37 q.1.art.1.ad 5. de potentia quæſt.3.art.7. 9. *Probatur ex locis vbi docet prædefiniri tempus, & inſtans.*

Cæteros Scholaſticos audiamus, qui non iiſdem verbis, aut æqualiter perſpicuis prædefinitionem ſignificarunt. Pariſienſes Theologiæ Magiſtri, & præſertim Stephanus Epiſc. ſenſiſſe videntur, eſſe certum, à prima cauſa præordinata fuiſſe omnia, quoniam inter errores, quos damnarunt anno 1226.ſub titul. 1. *de Deo*, versùs finem, habetur hæc propoſitio damnata: *Falſum eſt omnia eſſe præordinata à prima cauſa; quia tunc euenirent de neceſſitate.* Nam ſi error eſt tanquam falſam reſpuere omnium rerum præordinationem; certum eſt admittendam eſſe tanquam veram, verùm ex natura rei virtualiter à præordinatione ſubintelliguntur exceptæ actiones, quibus ab intrinſeco deordinatio conueniens, incapaces reddit ordinationes, vt ſuprà num.3. 10. *Aliorum Scholaſticorum pro eadem prædefinitione ſuffragia.*

Fauet D. Bonauent. in 1. ſent. diſt. 47. artic. vnic. quæſt. 1. corpore, & ad 4. arg. dicens: *Diuina voluntas connotat, cauſam creatam concurrere: ideo neceſſariò ſequitur, ſi Deus vult, iſtum ſaluari, quod iſte etiam velit.* & in 1. diſtinct. 45. art. 1. quæſt. 2. videtur ſupponere, omnia bona volita eſſe à Deo. Magiſt. ſentent. in 1. diſt. 40. cap. vlt. & diſtinct. 41. cap. *Multi verò*, cum Auguſtino ſupponere videtur omnes pias operationes procedere à prædeſtinatione, ac ſubinde prædefinitas eſſe. 11.

Altiſiodorenſis lib.1.cap. 10.colum. vlt. ad 1. argumentum ait, *In libero arbitrio hominum non eſt, numerum prædeſtinatorum impleri. Imò in prædeſtinatione & prouidentia Dei: qui etiam per malos & impedientes implet numerum prædeſtinatorum; quia Deo militat omne quod optat.* Quibus ſupponit prædefinitionem eorum, quæ conducunt ad obtinendum prædeſtinationis effectum; quemadmodum & cæterorum omnium bonorum præordinatiuam prouidentiam docet in inſeq.cap.11.quamuis non ſatis apertè. 12.

S.Antoninus 4. parte titulo 14.§.3.& ſequentibus probat, à diuina prouidentia propter altiſſimas rationes, partim manifeſtas, & partim occultas, omnia contingentia diſponi, proſperitates, vel aduerſitates, multiplices ſtatus, diuerſos mores, & conſeruandi rationes: peculiariter autem notanda ſunt quæ deſuper naturalibus 13.

opera

operationibus procedentibus ex Dei prædeſtinatione, & occulto iudicio inſtigante diuerſos electos ad opera diuerſa, notat in §. 4. & ante med. & poſt med.

14. Abulen. Matthæi 10. quæſt. 122. inter med. & finem, ex illis verbis Chriſti Domini, *capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*, rectè colligit, Deo curam & prouidentiam eſſe non ſolùm de generibus & ſpeciebus, ſed etiam de indiuiduis & partibus quantuncunque minimi valoris, & de omnibus actibus eorum, accidentibus, proprietatibus & quibuſcunque rebus. Et ad 6. dicit, omnes res eſſe optimè ordinatas à Deo; licèt earum ordo ſit nobis ignotus. Alexand. 1. p. quæſt. 24. memb. 7. valde fauet, præſertim illis verbis ſub initium, *Deus poteſt ſcire quod non ſciuit*, id eſt, *quod non prauidit ſe facturum.* & longè inferiùs colum. penult. ad 1. *Hoc quod dico, præſcire, dicit reſpectum ad res ſecundùm eſſe in præordinatione.* & poſt pauca: *præſcientia ponit res ſecundùm quod ſunt per præuiſionem in cauſa.*

15. Albertus Magnus 1. p. quæſt. 63. memb. 2. corp. *Opus*, inquit, *Dei in beneficio gratia principale eſt; & præuenit non opus hominis tantùm, ſed etiam hominis eſſe, determinando hominem ad gratiam, & ad gloriam*; vnde poſt pauca docet, prædeſtinationem importare non ſolùm præſcientiam, ſed etiam cauſalitatem. licèt huic ſententiæ obſtent quæ retulimus ſect. 1. num. 2.

16. Henricus quodl. 4. quæſt. 18. prope initium. *Quando prædeſtinatio*, inquit, *eſt reſpectu alicuius, non eſt ipſius ſolius in ſe, & abſolutè, ſed cum tota ordinatione omnium aliorum effectuum, vel non effectuum, qui ordinantur ad illum.* Quibus affirmare videtur, à Deo fuiſſe prædefinita cuncta, quæ ad prædeſtinatum pertinent. Imò generaliùs omnia bona eſſe prædefinita Dei decreto, colligitur aperte ex eodem Henric. 1. p. art. 36. q. 5. à medio, aſſerente, omnia futura contingentia cognoſci in decreto diuino cauſandi, vel permittendi, licèt ab his diſcordent quæ retulimus ſect. 1. num. 3.

17. Richard. 1. ſentent. diſt. 38. art. vnic. quæſt. 5. §. *ad hoc etiam*, ait, *Deus ſcit, quòd nullum bonum poteſt fieri, niſi ipſo volente; & quod omne bonum, quod vult fieri, fiet. Sequitur ergo, quòd Deus liquidò ſcit omnia illa bona, quæ fient.* Falleret autem hæc illatio, ſcientiam bonorum omnium, quæ fient, colligens ex voluntate; niſi omnia & ſingula bona Dei voluntate prædefinirentur, & diſt. 45. art. 1. q. 5. docet omnia bona volita eſſe à Deo. His conſequentia tradit in diſtin. 40. artic. 3. quæſt. 3. & diſt. 41. art. 2. quæſt. 1. ad finem corp. *Deus*, inquit, *præordinauit, aliquibus ſe daturum prædeſtinationis totum effectum; quia omnis actus, qui eſt in homine, ordinans ipſum ad ſalutem, etiam quantum ad initium, totum comprehenditur ſub effectu prædeſtinationis.* & 1. diſt. 48. art. 1. q. 1. admittit, efficacem eſſe Dei voluntatem de noſtris liberis actionibus.

Quidquid ordinat hominem ad ſalutem eſt prædeſtinationis effectus.

18. Scotus in 1. diſt. 39. §. *viſo de contingentia*, vſque ad finem diſtinctionis defendit, omnia futura contingentia certò cognoſci à Deo in ſuæ diuinæ voluntatis determinatione, nec aliter potuiſſe determinatè & certò cognoſci, vnde in 1. diſt. 41. §. *ſed contra iſtud arguitur*, ait: *Deus non præuidet iſtum bene vſurum libero arbitrio, niſi quia vult, vel præordinat, iſtum bene vſurum eo. Quia ſicut dictum eſt*, diſt. 39. *certa præuiſio futurorum contingentium, eſt ex determinatione voluntatis diuinæ.* & conſequenter tradit prædeſtinationem ante præuiſa opera, cuius prædeſtinationis effectum dicit eſſe bonum vſum gratiæ. His ſimilia ſcribit in diſt. 47. fine, atque in quodl. 14. dum agit de ſecundo principali. Cæterùm quomodo plura eiuſdem Doctoris teſtimonia quæ pugnare videntur, inter ſe conſentiant, vidimus tomo de ſcientia Dei diſp. 48. ſect. 7. Scotum ſequitur Baſolis in 1. diſt. 38. art. 2. & diſt. 39. art. 2.

Bonum gratiæ vſum eſſe prædeſtinationis effectũ docet Scotus.

Durandus in 1. diſt. 47. quæſt. 1. num. 6. docet, omnia bona, quæ fiunt à prædeſtinatis, & eos quomodolibet iuuant ad prædeſtinationis effectum, cadere ſub voluntate Dei determinata & in particulari: vt magis conſtat ex his, quæ notat in num. 9. licèt tanquam probabile dubitando dicat, circa bona purè moralia, & non meritoria in non prædeſtinatis Deum ſe habuiſſe per indifferentiam, ita vt neque voluerit fieri, nec voluerit non fieri. Ruſus in 1. diſt. 41. quæſt. 2. ad finem, & quæſt. 3. in medio tradit, hominum merita & orationes eſſe à Deo prædeſtinatas, antequam præuiderentur, quibus conſonant quæ docet in 1. diſt. 38. q. 3. num. 9. & 22. de ſcientia in decreto. 19.

Carthuſianus in 1. diſt. 38. quæſt. 2. inter med. & finem §. *Cuius reſponſio*, ait, *nihil eſſe futurum, niſi ex prædiſpoſitione diuina, loquendo de his, quæ propriè ſunt à Deo, ſi licet de bonis effectibus.* Idem diſt. 39. quæſt. 2. refert, & approbat quæ ſuprà num. 6. retulimus ex D. Thoma in eadem diſt. & diſt. 41. quæſt. 1. verſùs finem. *Sicut Deus*, inquit, *præparauit ſuis electis gratiam, ita & opera bona, hoc eſt bonos liberi arbitrij vſus, & ita hæc omnia cadunt ſub prædeſtinatione tanquam eius effectus.* 20.

Quid ſentiat eſſe prædeſtinationis effectum.

Dionyſius Ciſtercienſis in 2. poſt. diſt. 35. in q. 3. *circa materiam de peccato actuali*, art. 2. con. 2. probat. 3. ait, *Ad qualitercunque agere Deus eſt author; ad taliter agere prædeſtinat, præmonet, & actuat voluntatem: quia non poteſt facere, voluntatem eſſe cauſam, quin ab æterno præuoluerit, voluntatem eſſe cauſam.* 21.

Gregorius Ariminen in 1. diſt. 40. q. vnic. art. 2. col. 3. in § *Secundò probo idem antecedens*, & ſequentibus, docet, omnem bonum vſum liberi arbitrij eſſe prædeſtinatum, atque prædefinitum à Deo in electis, atque, vt colligitur ex ſequenti diſcurſu, videtur hanc prædefinitionem ponere ex vi gratiæ, qua Deus facit, nos velle, & præſtare noſtrum liberum concurſum. 22.

Ioan. Maior in 1. ſent. diſt. 1. q. 15. prope finem, concedit fortem attractionem per ſpecialiſſimum auxilium, ſed abſque neceſſitate, ſicut dicitur Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud.* & in eodem lib. 1. diſt. 38. q. 1. art. 4. & q. 3. tradit contingentium futurorum præſcientiam in decreto. Quibus aptè conſonant omnia, quæ ſcribit in diſt. 40. tota q. vnic. de prædeſtinatione, merè gratis vni homini potius, quàm alteri donata. Præcipuè notandum eſt illud propè finem quæſtionis, vbi tractans de Beatiſſima ſemper Virgine Deipara, & omnibus Apoſtolis, ait: *Ingenuè fatebor. Auxilium ſpeciale efficacius aliquibus prædeſtinatis, quàm aliis ſuppeditauit: nihilo tamen minus citra meritorum reſpectum omnes prædeſtinatos prædeſtinat.* Exiſtimat itaque omnibus prædeſtinatis eſſe prædefinita merita, ſicut Apoſtolis prædefinita ſunt. 23.

24. Marſilins in 1. q. 44. in ſolutione ad ſextam probationem primi argumenti principalis, ait, *Deus producit omnes effectus, præintendens etiam determinatiſſimè, vel ſingulariſſimè; ſic quod eos vult ſic produci, ſicut producuntur.* Sed hoc intelligit, Deum velle ex ſuppoſitione præſcientiæ, qua præſcit, in quam partem voluntas ſeipſam determinatura ſit, vt conſtat ex his, quæ docuerat in q. 40. art. 2. poſt concl. 3. præſertim verò poſt concl. 4. & poſt 4. ſuppoſitionem corol. 2. & prope finem eiuſdem q. 40.

25. Guillel. de Rubione in 1. ſent. diſt. 41. q. 1. art. 2. versùs finem, manifeſtè docet, Deum voluiſſe, vt hic electus meritoria opera exerceret potius, quàm alter homo, *& cauſa huius*, inquit, *nulla poteſt poni, niſi ſola voluntas diuina.* Vnde quod in eodem art. conc. 3. dixerat, obiectiuæ prædeſtinationis dari cauſam; Deus enim electum ordinat ad præmium propter meritum præuiſum, intelligit de merito, quod Deus efficaciter voluit facere, vt electus operaretur.

26. Conradus 1. 2. q. 112. art. 3. concl. 2. exiſtimat, quoties homo de facto gratiam conſequitur, hoc fieri, quia Deus intendit efficaciter mouere, & conferre gratiam; & alioqui ſecluſa hac intentione Dei, hominem non conſequi gratiam propter ſuum liberum diſſenſum; quamuis ſufficienter moueatur à Deo.

27. Prædefinitionem præterea docet Caietanus 1. parte locis ex D. Thoma. ſuperiùs citatis, præſertim q. 22. art. 4. & 1. parte q. 14. art. 13. circa med. §. *ad ſecundum autem*, *concedit quòd idea ſuppoſita libera determinatione voluntatis diuinæ, repræſentant contingentia.* Ferrarienſis etiam docet prædefinitionem 3. contra gentes locis ſuperiùs ex D. Thoma citatis, præſertim cap. 94.

Præterea quòd Deus poſſit efficaciter prædefinire, docet Ruardus Taper art. 1. contra Lutherum pag. 301. & longè inferiùs inter principium, & medium eiuſdem art. pagina 312. præſertim in his verbis. *Poteſt quidem humana voluntas reſiſtere diuino inſtinctui, ſed non poteſt impedire intentionem prædeterminantis Dei, &c.* quibus ſimilia tradit Driedo de redemptione generis humani, tract. 2. cap. 2. parte 1. conſideratione 1. ad finem, & in libro de concordia gratiæ, & liberi arbitrij, & lib. 1. de gratia & libero arbitrio, ſæpiùs eandem doctrinam repetit. Imò & actualiter eſſe prædefinitos omnes actus ſupernaturales, tradere videtur Ruardus in eodem artic. 7. propoſ. 10. inter principium & med. pag. 314.

28. Magis apertè tradunt prædefinitionem Bellarm. lib. 1. de gratia & libero arbitrio, toto cap. 12. Molina 1. p. q. 14. toto ferè articulo 13. præſertim diſputatione 14. & 18. Suarez 3. parte diſput. 37. ſect. 3. §. *Supereſt*, & lib. 3. de auxilijs, cap. 17. à numero 8. Vaſquez 1. parte diſput. 87. cap. 1. colum. vlt. diſput. 99. cap. 5. potiſſimùm in fine, & cap. 6. 7. & 8. in principio, Trigoſus in 1. partem ſummæ D. Bonauenturæ quæſt. 15. articulo 2 dub. 3. Curiel lib. 1. controuerſiarum controuerſia 7. art. 4. num. 4. & ſequentibus Aribal. 1. p. diſput. 65. & 66. & quantum ad rem ipſam eadem eſt ſententia. Henric. 1. p. diſput. 23. cap. 13. Pennotus lib. 4. propugnac. c. 8 n. 6. & ſequentibus capitibus; licet ij Doctores non omnes æqualiter amplient generalitatem prædefinitionis, vt comprehendat qualibet operationes moraliter honeſtas; ſed Suarez limitet ſuprà ſect. 1. n. 8. Inſuper quidam loquendi modo negare videantur prædefinitiones efficaces, vt Henric; alij verò reipſa negare prædefinitiones, quas verbis concedunt, & inconſequenter loqui cenſendi ſint, vt Pennottus.

Eidem prædefinitioni fauent Scholaſtici ſuprà citati, alij quatenus exiſtimant, ex parte noſtra nullam eſſe prædeſtinationis cauſam: ſed adultos prædeſtinari ante præuiſa opera. nam eo ipſo ſupponunt opera prædefiniti, ſaltem illa, quæ pertinent ad finalem iuſtificationem. 29.

Quantum ad aſſerendam prædefinitionem quarumlibet operationum, in particulari cum omnibus circunſtantiis, nihil à nobis diſſident, omnes authores phyſicæ prædeterminationis, cæterùm in modo prædefiniendi per phyſicam illationis neceſſitatem valde diſſident à nobis, vt videbimus diſp. 11. ſect. 4. 30.

SECTIO III.

Prædefinitio determinata & in particulari, probatur; quia Deus fecit ventura, Iſaiæ 45.

QVod in præcedenti ſectione frequentior Scholaſticorum ſententia docuit, hoc ipſum in hac & ſequentibus ſectionibus Scripturæ diuinæ & antiquorum Patrum probat authoritas. 1. *Prædefinitio determinata, & in particulari probatur*

Primum igitur argumentum ſit, quoniam Deum ab æterno feciſſe omnia quæ in tempore ventura erant, non aliter eſt intelligibile; niſi prædefiniendo, & præconſtituendo productionem eorum omnium; ſed Deus ab æterno fecit omnia ventura: ergo Deus ab æterno prædefiniuit atque præconſtituit eorum omnium productionem. Ruſus humanæ operationes honeſtæ, præſertim illæ, quibus iuſtificamur, vel gratiam augemus, primarium locum obtinent inter ea ventura, ſeu futura, quæ Deus facit; ergo Deus ab æterno has omnes operationes prædefiniuit, ac præconſtituit. *Primò, quia ventura fieri à Deo aliter intelligi nequit.*

Deinde cùm ex his operationibus non ſolùm quidditates genericæ, aut ſpecificæ; ſed etiam differentiæ numericæ, & omnes circunſtantiæ ſint entia ventura, quæ fiunt in tempore: conſequens eſt ea omnia comprehendi generali lege venturorum: ac proinde ab æterno prædefinitas, & præconſtitutas eſſe non ſolùm genericas & ſpecificas, ſed etiam numericas differentias honeſtarum operationum, præcipuè ſupernaturalium, & omnes illarum circunſtantias. 2. *Rerum differentia numerica, & circumſtantia ſunt entia ventura.*

Huius argumenti fundamentum docuit Iſaias cap. 45. vbi Septuaginta, & cum illis plurimi antiquorum Patrum ſic legunt. *Sic enim dicit Dominus Deus ſanctus Iſrael, qui fecit ventura. Interrogate me de filiis meis, & de operibus manuum mearum mandate mihi.* Nec diuerſus erat ſenſus olim in quibuſdam codicibus Latinis ita legentibus, *Plaſtes eius ventura.* qua punctorum appoſitione ſignificabant, Deum eſſe, qui plaſmauit ventura. Cæterùm vulgata editio Clementis Octaui ventura copulat cum ſequenti verbo ſic: *Sanctus Iſrael plaſtes eius: ventura interrogate me, &c.* Quomodocunque tamen legamus, ex ſuperiori & inferiori contextu debemus intelligere, Deū eſſe, qui pro ſuo arbitratu fingit noſtras operationes, ad inſtar figuli plaſmantis lutum; & ea ratione procreat filios ſpirituales, credituros 3.

in

in Ieſum Chriſtum,& pręceptis obtemperaturos, vt exponit ibi Hieronym. lib. 13. prope init. & Cyrill. lib. 3. in Iſai. orat. 2. multo propius ad fin. quàm ad med.

4. Ideo ad probandam bonorum operum prædeſtinationem, vtuntur hoc teſtimonio frequenter Auguſt. Ambroſ. Fulgent. Proſper, Hilar. Leo, Iſid. Anſel. Cyrillus, Concil. Valent. Auguſtinus de prædeſt. Sanctor. cap. 10. prope init. ait, *Prædeſtinatione Deus ea præſcie, quæ fuerat ipſe facturus. Vnde dictum eſt: Fecit quæ futura ſunt.* Atque inde in libro de correptione & gratia, cap. 14. colligit *voluntati ei, qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit; & qui etiam illa, quæ futura ſunt, fecit, voluntates hominum non poſſe reſiſtere.*

5. Eodem fundamento nititur, quod Auguſt. tract. 104. in Ioan. circa med. ad illa verba: *Pater venit hora: clarifica filium tuum*, ita ponderat: *Oſtendit omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri fineret, ab illo eſſe diſpoſitum, qui tempori ſubditus non eſt: quoniam quæ futura erant per ſingula tempora, in Dei ſapientia cauſas & efficientes habent.*

6. Ad huiuſmodi cauſas efficientes, quas in Dei ſapientia habent omnia futura; & conſequenter ad ſecundas & creatas cauſas, prout reguntur, & diriguntur ab illis, referendum eſt, quod idem in lib. 7. de Geneſi ad lit. cap. vlt. explicans illud Eccleſiaſtici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*, exponit, *ſimul omnia creauiſſe, quædam conditis iam ipſis naturis; quædam præconditis cauſis: ſic vt non ſolùm præſentia, ſed etiam futura fecerit omnia potens.* Ideo Auguſt. ad articulos, ſibi falsò impoſitos; vel potiùs ex illius mente Proſper ad obiectiones Vincentianas obiect. 12. initio. *Apud illum, ait, qui fecit, quæ futura ſunt, incommutabilis permanet prædeſtinatio.* Ambroſ. lib. 1. de fide ad Gratiam. cap. 7. non procul à princip. notat, *hanc eſſe conſuetudinem prophetiæ, vt quæ futura ſunt quaſi præſentia, vel quaſi iam facta ducantur*, & reddit rationem: *Deo enim quæ ſunt futura, præſentia ſunt: & ei, cui præcognita ſunt omnia, ventura pro factis ſunt; ſicut ſcriptum eſt: Qui fecit quæ ventura ſunt.*

7. Eiſdem veſtigiis inſiſtens Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 12. prope initium, tractans illud Rom. 8. *Quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit*, ait: *Ea fide quod futurum eſt, velut factum firmat, qua fide Propheta de Deo dicit: Qui fecit quæ futura ſunt*; & poſt pauca, *in ipſo* (ſcil. Chriſto Ieſu) *ex æternitate diſpoſitionis ſuæ in prædeſtinatione iam fecit, quæcunque effectu operis ſui, tempore congruo facienda diſpoſuit.* & infrà, *in qua æternitate incommutabilis voluntatis ſuæ creator ille iam feciſſe dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportunè faciendum diſpoſuit, ſic ritè diſpoſitum facit.*

8. Eandem ſententiam ſupponens magis, quàm explicans Leo Magnus ſermone 16. de paſſione cap. 2. ait, *Cùm tanto antè prædicta ſint, vt non tam de futuris, quam de præſentibus propheticus ſit ſermo contextus; quid aliud nobis, quàm ſempiternarum diſpoſitionum Dei incommutabilis ordo reſeratur, apud quem & diſcernenda iam diiudicata, & futura iam facta ſunt?* & Iſidorus lib. 1. ſententiarum cap. 18. in medio. *Cur*, inquit, *futura quaſi præterita ſcribuntur; niſi quia ea, quæ adhuc facienda ſunt in opere, iam facta ſunt in diuina prædeſtinatione? Nobis igitur temporaliter accidunt, quæ conditori omnium ſine tempore præuidentur.*

Sed prior & breuior Hilarius 4. de Trinitate versùs finem, eundem locum Iſaiæ 45. ſic interpretatur: *quia omnia mandando fecit, facti opera ſibi aſſumens, non vtique efficienda, niſi dixiſſet, vt fierent.* Fuſiùs autem idem Hilarius lib. 12. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad finem, ait: *Nihil non ſemper cum Deo fuit quidquid in rebus eſt: quæ etſi ad creationem ſui cœpta ſunt; non ſunt tamen à Dei præſcientia, vel poteſtate inchoata; & teſtis eſt nobis Propheta, dicens: Deus, qui feciſti omnia, quæ futura ſunt. Quæ enim futura ſunt, licèt in eo quòd creanda ſunt, adhuc fient, Deo tamen, cui in creandis rebus nihil nouum ac recens eſt, iam facta ſunt: dum & temporum diſpenſatio eſt vt creentur, & iam in diuinæ virtutis & præſcientiæ efficacia ſint creata.* Perpende diſpenſationem temporum vt creentur & diuinæ præſcientiæ efficaciam. Anſelm. in comment. Epiſtolæ ad Romanos cap. 8. ad illud: *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit*; tranſcribit eadem verba, quæ ſuprà num. 4. retulimus ex Auguſt. de prædeſtinatione Sanctor. cap. 10. 9.

Cyrillus autem in Iſaiam lib. 4. orat. 2. multo propius ad finē, quàm ad med. exponens præſentia verba Iſaiæ. *Vt lutum*, inquit, *nos figulo cedimus, & concedimus, vt quod ipſi viſum eſt, operetur. Transfert enim citra laborem quocunque voluerit, quæ noſtra ſunt, & à turpioribus ad id, quod honeſtum eſt, animum transformat: nobiſque cor nouum immittit, extirpato priore. Nimirum eiuſmodi quippiam dixit voce Ezechielis: Euellam cor lapideum ex carne ipſorum, & dabo illis cor carneum, id eſt, tenerum & ſequax.* & poſt pauca; *Et quid ita mirum, aut incredibile videri debet, ſi hominis mentem pro ſuo arbitratu aliter fingat, ac fabricet, qui manu cœlum firmauit.* 10.

Ezech. 11. & 36.

Concilium Valent. III. celebratum anno 855. ſub Lothario Imperat. in profeſſione fidei, cap. 3. *Fidenter*, inquit, *fatemur prædeſtinatione ſua Deum ea tum ſtatuiſſe, quæ vel gratuita miſericordia, vel iuſto iudicio facturus erat ſecundùm Scripturam dicentem: Qui fecit quæ futura ſunt*, & poſt pauca: *De hac immobilitate præſcientiæ & prædeſtinationis Dei, per quam apud eum futura iam facta ſunt, apud Eccleſiaſtem benè intelligitur dictum: Cognoui quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum. Non poſſumus his addere, vel auferre, quæ fecit Deus, vt timeatur.* 11.

Concilium Valentinianum.

Eccleſ. 3.

Sed ſupradictis Iſaiæ verbis, & ponderationi, quam ex Fulgent. retulimus num. 7. Turrianus in dogmatico de electione fol. 6. & 7. reſpondet, intelligendam eſſe prædeſtinationem antecedentem, quam ille vocat ad inſtar voluntatis antecedentis. Qui Doctor eò præſertim dirigit diſputationem, vt excludat neceſſitatem antecedentem, & aſſerat, Deum non prædeſtinare, niſi præſcium operationum bonarum, quæ facturus eſt in nobis, cooperante libero arbitrio. Nam ſi contenderet, de bonis operibus futuris Deum apud ſe non decreuiſſe ab æterno, nec prædefiniuiſſe per decretum abſolutum & efficax; ſed tantùm per velleitatem, ſeu conditionatam voluntatem, quæ communis eſt præſcitis & electis: id præter alia fundamenta, hoc etiam præſenti refutaretur. Nam Iſaias, ſecundùm expoſitionem omnium Patrum, quos nuper audiuimus, tractat de illis bonis operibus, quæ Deus determinatè ſcit ab ipſo in nobis, & nobiſcum eſſe facienda, nec non de ſcientia, quæ propria eſt prædeſtinatorum, quæ diſcernuntur à præſcitis. 12.

Turriani reſponſio interpretatur.

SEC

SECTIO IV.

Probatur vlteriùs, Deum eſſe, qui ſingula bona in particulari facit in tempore, & facienda decreuit ab æterno.

1. *Probatur ſecundò ex illo Pſal. 32. Nullum opus noſtrum latet Deum, quia animam noſtram creat.*

SEcundum argumentum latet io illo verſu Pſal. 32. *Qui finxit ſigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum.* Vbi omnes Patres intelligunt, contineri probationem, qua perſuadeat Propheta, nullum opus hominum poſſe latere Deum, quoniam creauit, atque formauit animam & mentem. Altiùs tamen Auguſt. hanc rationem penetrauit, intelligens corda non ſolùm animæ ſubſtantiam, ſed etiam cogitationes ſingulas & volitiones. Quas omnes propterea Deus intelligit euidentia & certitudine ſumma, quia ſingulas ſigillatim & in particulari format, & fingit ad nutum; iis exceptis, quorum eſſe Deum authorem eius bonitati ſapientiæque repugnat, quibus etiam ſua permiſſione, modum atque menſuram ſuo arbitratu præſcribit, vt vidimus præced. tomo de voluntate Dei diſp. 44. ſect. 3. & ſequentibus.

2. Propterea prædicta laus Dei ad eas operationes hominum præcipue refertur, quarum maximo & ſpecialiſſimo titulo Deus artifex eſt; videlicet ſupernaturales. Quamobrem Auguſt. lib. 10. de Geneſi ad liter. cap. 6. prædictum verſum exponens: *Quamquam hoc*, inquit, *non mihi videatur dictum, niſi ex eo quòd per gratiam noſtræ animæ ad imaginem Dei renouatione formantur. Vnde dicit Apoſtolus: Gratia ſalui eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed donum Dei eſt; non ex operibus, ne fortè quis extollatur: ipſius enim ſumus figmentum, creatum in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Non enim per gratiam fidei corpora noſtra creata, vel ficta poſſumus intelligere; ſed ſicut in Pſal. dictum eſt: Cor mundum crea in me Deus. Hinc etiam illud eſſe puto: Qui finxit ſpiritum hominis in ipſo: tanquam aliud ſit factam animam mittere, aliud in ipſo homine facere, id eſt, reficere, ac renouare.* Eandem exponendi rationem ſequitur in eiuſdem Pſalmi commentario.

Epheſ. 2.

Pſalm. 50.

3. *Fingere quid ſit.* Fingere tandem hoc loco eſt actio, procedens à figulo, & tendens ad figmentum ex luto factum: quæ tres voces in Scriptura ſacra ſemper referuntur ad liberrimam Dei poteſtatem, vt hominum animos, quales voluerit; formet. Quemadmodum Eccleſiaſtici 33. Iſai. 29. & 45. Hierem. 18. Rom. 9.

4. *Probatur 3. ex ſingulorũ affectuum præordinatione.* Tertium argumentum. Nam præordinatos eſſe ſingulos effectus, & illorum ordinem prioris ac poſterioris, ſub qua circumſtantia generaliter comprehenduntur reliquæ pertinentes ad dignitatem, locum, tempus, vtilitatem ac finem, tradit Iudith cap. 9. ſic orans. *Tu feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti, & hoc factum eſt, quod ipſe voluiſti.* Ruſus quæcunque Deus ad extra operatur in tempore, fuiſſe ab æterno præparata & diſpoſita, ſignificant, quæ continuò ſubiungit: *Omnes viæ tuæ paratæ ſunt, & tua iudicia in tua prouidentia diſpoſuiſti.*

Quæ Deus operatur in tempore, ab æterno præparata.

5. *Confirmatur quia cuncta ex Dei imperio procedunt.* Confirmatur. nam ob eandem rationem increpatur quicunque aſſerit, aliquid ſiue proſperum, ſiue aduerſum euenire ſine Dei voluntate, & imperio. Threnor 3. poſt med. *Quis eſt iſte, qui dixit, vt fieret, Domino non iubente? ex ore Altiſſimi non egredientur bona, nec mala.* Quaſi diceret, non ſolùm læta, ſed etiam triſtia cuncta ex ore & imperio Altiſſimi procedere, de quibus verbis plura ponderauimus in prædicta diſputat. 44. ſect. 3. num. 5.

Quartum argumentum. Quælibet opera bona non ſolùm in generali, ſed etiam in ſpeciali & in particulari, Deus facit, vt faciamus, & ea omnia Deus operatur in nobis, atque nobiſcum: ſed omnia, quæ Deus erat in tempore facturus, in ſua prædeſtinatione præſciuit, ac præordinauit; ergo Deus omnia bona non ſolùm in generali, ſed etiam in ſpeciali, & in particulari, prædeſtinauit; ac ſubinde prædefiniuit. Maior huius ſyllogiſmi conſtat ex plurimis Scripturæ & ſanctorum Patrum teſtimoniis, quæ nunc prætermitto, quoniam in promptu ſunt omnibus Theologis, & alibi ſæpe repetuntur. Minor verò tradita eſt ab Auguſt. de prædeſt. Sanct. c. 10. (cuius verba retulimus ſect. præced. num. 4.) & cap. 17. & 19. & lib de bono perſeueran. cap. 18. prope finem. *Prædeſtinaſſe*, inquit, *eſt hoc præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus.* 6.

4 Quia Deus omnia facit vt faciamus, & ea operatur in nobis.

Eandem doctrinam ſequitur Proſper ad obiectiones Vincentianas obiectio. 10. 11. 12. & ad capita Gallorum reſponſione 15. *Dubium non eſt*, inquit, *ſine vlla temporali differentia, Deum & præſciſſe ſimul & prædeſtinaſſe, quæ ipſo erant authore facienda, vel quæ malis meritis, iuſto erant iudicio retribuenda; præſciſſe autem tantummodo, & non prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura.* Hæc verba Proſperi refert, & approbat Fulgent. in fine lib. 1. ad Monimum, qui plurima dixerat toto eodem lib. 1. in eandem ſententiam. Quale eſt illud cap. 24. init. *Deus itaque omnia opera hominum, ſiue bona, ſeu mala, præſciuit, quia eum latere nihil potuit; ſed ſola bona prædeſtinauit, quæ ſe in filiis gratiæ facturum eſſe præſciuit.* Vbi, vt colligitur ex aliis locis eiuſdem libri, intelligit omnia opera gratiæ etiam quæ fiunt à præſcitis hominibus, qui tamen inquantum recipiunt talia opera gratiæ, ſunt filij gratiæ. Nam in eodem capite ſubiicit inferiùs. *Præſciuit enim hominum voluntates malas & bonas: prædeſtinauit autem non malas, ſed ſolas bonas.* 7.

Idem Fulgentius cap. 29. ad finem, ait. *Puto, in his dictis Auguſtini euidenter oſtenſum, bona opera ſua Deum præſciſſe & prædeſtinaſſe, hoc eſt, ſiue quæ ad miſericordiam, ſiue quæ ad iudicium pertinent,* imò totus ille primus liber hoc docet, maximè caput 7. 11. 21. & 30. Ac lib. 2. ad Monimum cap. 1. quaſi epilogo complectens quidquid ſuperiori lib. 1. docuerat, ita concludit. *Facilè poſſunt & diuinorum librorum teſtimoniis inſtrui, & S. Auguſtini libris, & Proſperi eruditiſſimi viri reſponſionibus informari: quibus agnoſcant prædeſtinationem Dei nihil aliud eſſe, niſi præparationem operum eius, quæ in æterna ſua diſpoſitione, aut miſericorditer ſe facturum eſſe præſciuit, aut iuſte.* Ponderandum eſt, prædictas propoſitiones, maximè verò poſtremam, eſſe doctrinales; ac proinde valere tantum, quantum valent vniuerſales, ac diſtributiuæ propoſitiones. Vnde conſequens eſt, omnia prorſus opera, quæ Deus facturus eſt in tempore, prædeſtinata eſſe ab æterno: quæ fuit minor ſyllogiſmi nuper poſiti. 8.

Confirmatur primò, quoniam ſi attentè conſiderentur contextus Auguſtini, & Proſperi, præſertim verò Fulgentij locis adductis; conſtabit, dogmatis rationem deſumi ex intima quidditate prædeſtinationis, & operationis Dei ad extra procedentis ex perfectiſſima prouidentia. 9.

Dogmatis ratio ex quidditate prædeſtinationis deſumitur.

Hæc

Digitized by Google

Hæc enim ratio eſt, propter quam Deus ab æterno præparauerit, quæcunque facturus erat in tempore: ideoque præparauerit omnia bona in particulari, & omnes eorum circonſtantias, quia hæc omnia Deus facturus erat. Cæterùm opera mala non præparauerit, quia ea non erat facturus.

10. *Bonorũ prædeſtinatio ex prædicto fundamento deducta.* Confirmatur ſecundò. Nam vniuerſaliſſimam prædeſtinationem bonorum omnium operum, ex prædicto fundamento deductam, clariùs expreſſit idem Fulgent. de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti cap. 31. fine, dicens: *Sicut nihil naturaliter ſubſiſtit, quod ille non fecerit; ita nihil prouenit in ſalutem hominum, quod ille non in æterna bona voluntatis ſuæ diſpoſitione faciendum prædeſtinauerit. A quo & fides gratis infunditur, & perſeuerantia donatur. Hæc autem dona ſua ſemper Deus in æterna, atque incommutabili habet voluntate diſpoſita, in qua præordinauit, & quæ daret, & quibus daret.*

11. *Confirmatur quia exceptio firmat regulã in contrariũ.* Confirmatur terriò, exceptio namque firmat regulam in contrarium. Cùm autem ab Auguſtino, Proſpero, Fulgentio citatis, ſolummodo excipiantur opera mala, ne prædeſtinentur à Deo; manifeſtè ſignificant, nullum opus bonum excipiendum eſſe à prædeſtinatione diuina. Quod præcipuè conſiderandum eſt in Fulgentio lib. 1. ad Monim. à cap. 24. vſque ad finem libri, vbi tertio quoque verbo repetens eandem concluſionem, nunquam excipit alia opera, niſi mala. De qua exceptione plura vidimus præcedenti tomo de voluntate Dei diſput. 32. tota ſect. 1. Non igitur excipienda ſunt opera moraliter bona, concepta ſine auxilio gratiæ; ſed potiùs illa etiam prædefiniuntur, ſeu prædeſtinantur à Deo, ſiue fiant ab electis, ſiue à reprobis hominibus.

12. Confirmatur quartò, quoniam eandem Auguſtini ſententiam de prædeſtinatione bonorum operum, & non malorum, ſequitur etiam Hypognoſt. lib. 6. Beda libro qq. q. 13. poſt med. Hugo Victor de Sacramentis lib. 1. part. 2. c. 18. à med. Gratianus 23. quæſtion. 4. cap. *vaſis iræ*, colligitúrque manifeſtè ex Leone IX. Quorum omnium verba retulimus eodem tomo præced. diſp. 35. ſect. 1. num. 6. 7. 23. 24. & 25. & ex Concil. Valentino ſect. præcedenti num. 11. Vide etiam quæ diximus ſuprà diſput. 6. ſect. 9. num. 12. & 13.

SECTIO V.

Alia teſtimonia Patrum de prædefinitione bonarum operationum in particulari, cum omnibus circumſtantiis.

1. HAnc docuiſſe videtur Dionyſius de diuin. nomin. cap. 5. propius ad finem, quàm ad medium, dicens: *Exemplaria autem dicimus eſſe eſſentia rerum effectrices rationes, quæ in Deo coniunctæ antè fuerunt, quas Scriptura diuina prædeſtinationes appellant, diuináſque ac bonas voluntates, quæ conſtituunt, & faciunt omnia, quemadmodum Deus qui eſſentia antecellit, ea quæ ſunt, & ante ſtatuit, & in lucem protulit.* Quòd autem Dionyſius ab huiuſmodi prædefinitione prauas actiones excluſerit, *Ab hac prædefinitione prauas actiones excluſit.* & antecedentem neceſſitatem negauerit, conſtat ex præcedente cap. 4. & ex aliis locis, quæ ponderauimus aliis in locis. Eandem Dionyſij doctrinam, de prædefinitionibus, refert, & approbat Damaſcenus oratione 1. de imaginibus pag. 3. cuius verba retulimus, ac declarauimus tomo de ſcientia Dei diſput. 33. ſect. 5. Atque idem Damaſc. lib. 1. fidei cap. 12. poſt med. *Intuetur*, inquit, *omnia prius quàm deducantur ad ortum, intemporaliter intelligens vnumquodque ſecundum voluntariam ipſius intemporalem intelligentiam, quæ quidem eſt prædefinitio & imago, cuius exemplum & expreſſio in prædefinito tempore fit.*

Athanaſius ad Epheſios 2. in illud, *ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, ait, *Scient autem hæc, parauit Deus, quæ differri non potuerunt; nec prætermitti, quin peragantur, tanquam diuinitus ſint præfinita, idque per multam erga nos prouidentiam.* 2.

Chryſoſt. ad Epheſios 1. ſermon. 1. column. 2. illud, *ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*, ſic ponderat: *In omnibus ferè epiſtolis diligenter iſtud oſtendit, nimirum, non eſſe recentiora quæ nobis obueniunt, ſed ab initio diuinitus præfigurata; neque eſſe ex pœnitentia: ſed ita diſpenſa ac præfinita, idque multa prouidentia.* 3.

Hieronym. Epheſ. 1. in id, *ſicut elegit nos in ipſo*; ad finem commentarij, *Non enim*, ait, *eliguntur Paulus, & qui ei ſimiles ſunt, quia erant ſancti & immaculati; ſed eliguntur & prædeſtinantur, vt in conſequenti vita per opera atque virtutes ſancti & immaculati fiant.* & longè inferiùs in eodem capit. 1. illud: *Prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui vniuerſa operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, ſic exponit: *Non quo omnia quæ in mundo fiant, Dei voluntate, & conſilio peragantur: alioquin & mala Deo poterant imputari; ſed quò vniuerſa quæ facit conſilio faciat, & voluntate, quòd ſcilicet & ratione plena ſint, & poteſtate facientis. Nos homines pleraque volumus facere conſilio, ſed nequaquam voluntatem ſequitur effectus: illi autem nullus reſiſtere poteſtate, quin omnia, quæ voluerit, faciat. Vult autem ea quæcumque ſunt plena rationis atque conſilij.* 4. *Epheſ. 1.*

Perpende primò, Hieronymum in præſenti ea tantùm bona, quæ plena ſunt rationis, atque conſilij, tribuere diuino conſilio, & propoſito voluntatis: ac ſubinde non tribuere operationes, quæ deficiunt à recta ratione. Secundò licèt in ſequenti contextu Hieronymus eam ſententiam amplier etiam ad antecedentem Dei voluntatem, qua vult omnes homines ſaluos fieri; nihilominus cuicumque voluntati tam antecedenti, quàm conſequenti, concedit infallibilis efficaciæ tantum, quantum Deus eam habere vult, quoniam illi nullus reſiſtere poteſt, quin omnia, quæ voluerit, faciat. 5. *Hieronymus tantum bona tribuit diuinæ voluntatis propoſito.*

Theodoret. Epheſ. primo, ſub initium, *Ab initio*, inquit, *& ante conſtitutionem mundi, quæ ad nos pertinebant, præſciuit, & prædefiniit.* & paulo inferiùs. *Noſtram*, inquit, *vocationem præconſtituit, vt nos filiorum adoptionis donum acciperemus.*

Theophylact. illud Oſeæ 5. poſt. med. *In die correptionis*, vt legitur apud Theophylactum, *in die redargutionis, in tribubus tuis Iſrael monſtraui fidelia*, ita ponderat, *Vtitur Scriptura talibus verbis præteritis pro futuris, vt oſtendat, Deo nihil futurum eſſe, verùm omnia ipſum præoccupare præſcientia, & prædefinitione. Simul autem, vt certiores nos reddat, quod omnia ſic contingent, & perinde ac impoſſibile eſt, quæ iam facta ſunt, facta non eſſe: ſic impoſſibile eſt* 6.

hæc

hac etiam non fore, quæ dicuntur. Obſerua, prædefinitione, & non ſola præſcientia præoccupare Deum omnia futura.

7. Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 14 ante medium. *In vtriſque,* ait, *ideſt, iuſtis, & iniuſtis, tria quædam conſideranda exiſtimo, initium voluntatis, progreſſum operis, finem retributionis. Vt in his quæcunque iuſta, & bona videmus, iuſto, & bono Deo demus: illa autem Deo indigna nouerimus, in quibus nec bonitatem, nec iuſtitiam inuenimus. Et conſiderata operum qualitate, illa credamus a Deo prædeſtinata, quæ miſericordia, vel æquitati diuinæ condigna reperiuntur, & congrua. Miſericors enim, & miſerator, & iuſtus Dominus. Ac primò totius bonæ voluntatis initium, ab illa ſempiterna Trinitate, quæ vnus ſolus, & verus eſt Deus, & prædeſtinatum confitemur, & datum.* Notanda eſt illa generalis diſtributio, *quæcunque iuſta.* nam, vt planè colligitur ex contextu, ſignificat, omnia opera bona fuiſſe prædeſtinata, ſicut notauimus ſectio. præcedenti numer. 11.

8. Proſper eandem infallibilem efficacitatem diuinæ gratiæ, atque ſupernaturalis prouidentiæ, tradit toto libro de libero arbitrio ad Ruffinum, præſertim à pagina 4. vſque ad finem, & toto lib. 1. de vocat. gentium præſertim à cap. 23. & libro de ingratis cap. 14. & ſeqq. præſertim notanda ſunt illa carmina in cap 15.

At verò omnipotens hominem cùm gratia ſaluat,
Ipſa ſuum conſummat opus: cui tempus agendi
Semper adeſt quæ geſta velit, non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur vllis.

Facit etiam ad idem probandum, quod lib. 2. de vocat. gent. cap. 36. adducit, quaſi Raphaëlis verba ad Tobiam cap. 6. *Tibi deſtinata eſt ante ſæcula, in eam ſanabes.* Quamuis ea verba non leguntur in Scriptura ſacra: ſententia tamen authoritatem habet ex Proſpero, cum ſufficienti fundamento in hiſtoria Tobiæ.

9. Fauet præterea Leo Magnus ſerm. 1. de ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, cùm ait: *Quo te diuinus præordinationibus ambiebant, & honor poteſtatis, & gloria paſſionis.* Ruſus de Chriſti Domini paſſione frequenter aſſerit fuiſſe diſpoſitam, & præfinitam. Quemadmodum ſermo. 7. de paſſione inter principium & medium, illis verbis: *In opere paternæ diſpoſitionis intrepidus.* & inter medium & finem. *Nec vlla poterat ratione turbari quod ante æterna ſæcula & miſericorditer erat diſpoſitum, & incommutabiliter præfinitum.* Sic etiam *diſpoſitiones & diſpoſitum* appellat ſerm. 9. in princ. & ſerm. 16. cap. 2. & cap. 5. *In tempore præſtituto ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ Ieſus Chriſtus crucifixus, mortuus & ſepultus eſt.*

10. Gregorius lib. 1. dialogorum cap. 8. receptus cap. *obtineri* 23. quæſt. 4. *Obtineri,* ait, *nequaquam poſſunt quæ prædeſtinata non fuerint: ſed ea, quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, vt precibus obtineantur.* Idem lib. 12. Moral. cap. 2. illud Iob 14. *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* ita exponit: *Nulla quæ in hoc mundo ab hominibus fiunt, abſque omnipotentis Dei occulto conſilio veniunt. Nam cuncta Deus futura praſciens, ante ſæcula decreuit, qualiter per ſæcula diſponantur: ſtatutum quippe iam homini eſt, vel quantum hunc mundi proſperitas ſequatur, vel quantum aduerſitas feriat.* Sed de hoc plura ſectione ſequenti.

11. *Author ſoliloquiorum.* Author ſoliloquiorum, inter opera Auguſtini tomo 9. cap. 24. ad med. *Velle,* inquit, *quod bonum eſt, non poſſum, niſi tu velis; nec quod volo, poſſum, niſi tua potentia me confortet, & quòd poſſum aliquando nolo, niſi tua voluntas fiat ſicut in cælo, & in terra* & c. 26. ſub initium. *Antequam naſcerer, tu me præuenisti, præparans mihi ſemitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domus tuæ. Priuſquam me formares in vtero, noniſti me, & antequam exirem de vulua, quidquid tibi placuit, præordinaſti de me.*

Anſelmus lib. de concordia libertatis cum prædeſtinatione, & gratia, cap. 1. inter principium & medium, *Quoniam,* inquit, *quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cùm vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi neceſſitate ad volendum, vel ad non volendum; & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam; & eſſe quod vult.* Quæ verba ſic probant, liberas electiones eſſe prædefinitas: vt tamen collata cum præcedentibus oſtendant euidenter, non antecedenti, ſed conſequenti neceſſitate prædefiniri: vt ponderauimus tomo de ſcientia Dei diſp. 51. ſect. 1. & diſp. 33. ſect. 2. 12.

Hugo Victor in quæſtionibus circa epiſtolam Roman q. 233. in med. *Præparatio,* inquit, *non eſt aliud, quam ipſe Deus, præparans, & diſcernens, & ſtatuens, & proponens, vel eligens in ſemetipſo, vt hæc vel illa dona his, vel illis in tempore conferat, & hoc propoſitum, vel hæc præparatio cauſa eſt futurorum bonorum, quibus adoptamur in filios Dei.* & q. 244. docet, Deum diſpoſuiſſe meritum, ſicut diſpoſuit omne bonum. 13.

SECTIO VI.

Quæ de iudiciis & occultiſſimis prouidentiæ rationibus Patres ſcribunt, ad eiuſdem prædefinitionis confirmationem pertinent.

Rerum omnium diſpenſatio ad hominum vtilitatè probat determinatè præfinitionē.

MVlta ſunt in Scriptura ſacra & Patribus, quæ probant, quoſlibet euentus non ſolùm proſperos, ſed etiam aduerſos, quæ mala triſtia dicuntur; ac ſubinde cunctas operationes, quatenus illorum cauſatiuæ ſunt, a Dei prouidentia deſcendere, quorum non pauca retulimus præced. tom. de volunt. Dei diſp. 35. tota ſect. 6 & diſp. 42. ſect. 1. Hæc igitur omnia in vnum collecta, præcipuè verò notatis teſtimoniis, quæ continentur ſect. præſenti, ſufficienter probare videntur prouidentiam, determinatè, & in particulari præordinantem, atque prædefinientem eas operationes, quæ talis prouidentiæ capaces fuerint. Quoniam ſine tali prædefinitione vel nullo modo, vel non ſatis perfecto verificari poteſt, quod Patres aſſerunt, Deum occulto iudicio, & profundiſſimo conſilio, res omnes diſponere, ac diſpenſare ad vtilitatem hominum, præſertim electorum, necnon ad punitionem reproborum; ideóque notas & interas eſſe à Deo quorumlibet euentuum rationes & vtilitates, licet ſint hominibus ignotæ. 1.

Apoſtol Petrus adhuc catechumenum Clementem ita conſolatur, & inſtruit lib. 1. recognition. pag. 7. *Qui credit, ſummi Dei prouidentia diſpenſari mundum, non debet, ò amice Clemens, de ſingulis quæ quoquo modo accidunt, aſpernanter accipere, certus quòd iuſtitia Dei etiam ea quæ ſuperflua videntur, aut contraria, in vnoquoque negotio opportuno exitu, competentique diſpenſat, præcipuè tamen erga eos qui eum familiariùs colunt.* 2.

Irenæus aduersùs hæreſes lib. 2. cap. 45. prope initium, *Quid enim,* ait, *ſi ſuper hos conatus paulu-* 3.

lum

lum quis elatus, eo quòd Dominus dixerit, quia & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt, curioſè inquirere voluerit. Et numerum vniuſcuiuſque capitis capillorũ, & cauſam exquirere, per quã hic quidẽ tantos, ille autem tantos capillos habeat, non omnibus ex æquo habentibus, ſed multis millibus ſuper millia alijs, atque alijs numeris immenſis, eo quòd alij quidem maiora, alij autem minora habeant capita, & alij quidem ſpiſſos capillos ſemper, alij autem raros, alij verò, & omnino paucos capillos habeant? Et hi qui putant ſe numerum inueniſſe capillorum, tentent referre ad teſtimonium ſuæ ſectæ, quam excogitauerunt? cur etiam quis ob hoc, quod dictum ſit in Euangelio, Nónne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex his non cadet ſuper terram ſine Patris veſtri voluntate, enumerare voluerit captos vbique quotidie paſſeres, ſiue in vnaquaque regione, & cauſam requirere, ob quam heri quidem tantos, ac pridem tantos, hodie autem iterum tanti ſint qui capti ſunt, & adnectat paſſerum numerum ad ſuum argumentum; nónne ſeipſum ſeducit omnino? & eos qui ei acquieſcunt, in magnam inſaniam cogit, ſemper promptis hominibus, vt in talibus amplius quidquam Magiſtri eorum putentur inueniſſe. Quid autem ſi quis interroget nos, ſi omnis numerus omnium quæ ſunt facta, & quæ fiant, ſcitur à Deo, & ſi ſecundum illius prouidentiam vnuſquiſque eorum eam quæ ſecundum ſe eſt, accepit quantitatem: nobiſque conſentientibus, & confitentibus, quia nihil omnino horum quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit, ſed per illius prouidentiam vnumquodque eorum, & habitum, & ordinem, & numerum, & quantitatem accipere, & accepiſſe propriam, & nihil omnino neque vanè, nec vt prouenit factum, aut fieri, ſed cum magna aptatione, & conſonantia ſublimi, & eſſe admirabilem rationem, & verè diuinam, quæ poſſit huiuſmodi & diſcernere, & cauſas proprias enunciare.

Matth. 10.

4. Quamuis de liberis actionibus mentionem in his verbis non reperiamus expreſſam: nihilominus illorum mens virtualiter, & implicitè complectitur vniuerſa quæ fiunt, non ſolùm à naturalibus, ſed etiam à liberis cauſis; ab his enim multoties cauſatur, quòd capillorum numerus minuatur, aut quòd paſſer cadat in terram. Cæterùm ſcopus, Irenæo præcipuè propoſitus in hac ſententia, fuit cognitas, & diſpoſitas eſſe, à Deo cunctorum euentuum rationes, licèt hominibus ſint occultæ.

5. Baſilius homil. 9. *Quòd Deus non ſit author malorum*, non longè à principio, ait, *Vnum quidem hoc habere in mentibus noſtris præſumptum oportet, quòd, cùm ſimus boni Dei opificium, & ab illo conſeruemur, omnia circa nos tam modica, quàm magna diſpenſante; nihil nobis accidat, illo non volente.* Omnia igitur tam modica, quàm magna nobis accidunt, Deo volente ac diſpenſante. Verùm ab hac regula generali Baſilius excipit mala, quæ libero committuntur arbitrio contra voluntatem Dei, prout præſentem Baſilij locum expoſuimus præcedenti tomo de voluntate diſputatione 50. ſectione 6. ſicut ſect. 8. expoſuimus prædicta verba Irenæi.

Omnia nobis accidunt Deo volente.

6. Chryſoſt. lib. 1. de prouidentia inter medium & finem, colum. 18. & lib. 2. colum. 6. in id incumbit, vt probet, eorum omnium, quæ nobis eueniont, ſiue fuerint proſpera, ſiue aduerſa, rationes, & vtilitates eſſe Deo cognitas, licèt nobis ſint occultæ. Præcipuè verò notandum occurit quòd in prædicto libro 2. col. 6. initio ait: *Illud tamen ſcio manifeſtè, tibique perſuaſum cupio, vtrumuis horum contingat, pro tua vtilitate & gloria futurũ. Quòd ſi hoc animo fueris, citò ſupremum hunc malorum, vt ais, verticem abs te arcebis.* Ad quod idem probandum pertinet tota quarta oratio de fato, imò & 5. & 6. & ferè tota homil. 64. ad populum Antiochenum.

Hanc doctrinam Chryſoſtomus & alij Patres ex plurimis S. Scripturæ teſtimoniis didicerunt, veluti Iudith toto cap. 8. præſertim ibi, *Tentati ſunt patres noſtri, vt probarentur, ſi verè colerent Deum.* Et poſt pauca: *Quaſi ſerui corripimur ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eueniſſe credamus.* 2. Machab. 6. *Reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri.* 1. Reg. 3. *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* 2. Reg. 15. *Si autem dixerit mihi: Non places, præſtò ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* 1. Machab. 3. *Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.* Et alia multa, quæ retulimus præced. tomo de voluntate diſputatione 27. ſect. 1. tribuunt diuinæ prouidentiæ, atque voluntati, quæcunque contingunt aduerſa. 7.

Idem dogma fuſiùs confirmat Theodoretus ſermone 7. 8. & 9 de prouidentia, præſertim verò ſermone 10. prope initium, & ad finem. Anaſtaſius Epiſcopus Nicenus quæſtionibus in Scripturam quæſt. 15. & tribus ſequentibus vſque ad 18. in principio, ſubindicans varias rationes, propter quas Deus iniquis hominibus aliquando regna, magiſtratus, Epiſcopatúſque deferri volt. Iuſtis ærumnas & mortem, iniquis diuturnam vitam ſuo nutu diſpenſat, & confirmat quibuſdam reuelationibus, & teſtimoniis ſacræ Scripturæ. 8.

Confirmat idem Theodoretus.

Dorotheus Abbas doctrina 7. paulo poſt med. *Intelligamus*, inquit, *ſi vel bene, vel male fuerimus affecti; id omne deſuper eſſe; & in cunctis, quæ nobis occurrunt, gratias ſemper agendas.* Et doctrina 13. ſub initium: *Quæcunque nobiſcum agit, & diſpenſat Deus, omnia in vtilitatem noſtram agit, omnia ex beneuolentia & charitate ſua erga nos diſpenſat, vt ſcilicet auret & ſaluet. Quare in cunctis (ait Apoſt.) eius bonitati gratias agere debemus*, multiſque confirmat hanc veritatem, & ſæpiùs repetendo tanquam indubitabilem commendat illius certitudinem. 9.

Idem doctrina 17. verſùs finem. *Certum*, inquit, *habe, quæcunque in nobis fiunt, aut eueniunt, etiam ſi minima, & viliſſima fuerint, ex diuina prouidentia euenire, & perſuadeat tibi ipſi, eſſe antidota & medecinas contra ſuperbiam animæ tuæ.* Quam doctrinam breuiter iterat quinque epiſtolis ad fratrem oppreſſum tentationibus, & alium fratrem diuturno morbo laborantem. 10.

Athenagoras lib. de reſurrectione mortuorum propius ad medium, quàm ad finem. *Æquum eſt*, inquit, *vt nihil exiſtimẽt neque terreſtrium, neque cœleſtium rerum cura & prouidentia deſtitutum eſſe: ſed in omnia æquè tum quæ in aperto ſunt, tum quæ latent, in magna item & parua penetrare creatoris ſolicitudinem; omnia enim quæ ſunt, creatoris prouidentia indigent: peculiariter autem vnumquodque pro ſui natura, & ad quod conditum eſt. Non enim exiſtimo ambitioſè ſingulatim explicandum & diuiſionibus diſtinguendum quid cuique naturæ conueniat.* 11.

Clemens Alexand. lib. 6. ſtrom. tribus poſtremis columnis tradit prouidentiam prædefinitiuam omnium ſingularium in particulari. Nam de ſingularibus diſſerens ait; *Nihil ex his, quæ ſunt, conſtiterit, ſi Deus nolit: quod ſi eo volente eſt à Deo Philoſophia, &c.* Et inferiùs: *cogitata eorum,* 12.

qui ſuat virtute præditi . per diuinam ſimt inſpirationem, cùm anima aliquo modo afficitur , & diuina voluntas in humanas animas traaſmittitur. Et poſt pauca. *Paſtor itaque ſingularum ouium curam gerit.*

13. Nemeſius Epiſcopus Emiſſenus in lib. de natura hominis, & de prouidentia cap.42.43.& 44. docet , prouidentiam Dei omnibus rebus creatis non ſolùm in genere , & in ſpecie , ſed etiam in ſingulari & particulari proſpicere, conſulere, gubernare , & cap.44.§. *Verumtamen,*ait, *omnia a diuina voluntate pendent , & inde permanentiam & ſalutem accipiunt.* Et §.*qua autem nobis. Neceſſe eſt,* inquit , *etiam congruentem cuique prouidentiam, eámque differentem & variam & multiformem , & cum rerum ſingularum immenſitate coniunctam comitari. Quod ſi accommodatam cuique oportet in quaque, & propriam eſſe prouidentiam , infinita autem eſt rerum ſingularum differentia, ſimul infinita eſt , eis accommodata ratio prouidentia.*

Dei prouidētia rebus omnibus in ſingulari proſpicit.

14. Vbi notandum primò , non ſolùm de rebus naturalibus , ſed etiam de liberis actionibus ſermonem eſſe , vt conſtat ex ſequenti contextu. Secundò , prædicta verba ſignificant prædefinitionem omnium in ſingulari cum omnibus circumſtantiis. Tertiò, nihilominus ſeruat libertatem indifferentem ad vtrumlibet : vt conſtat ex capite 35. 40. & 41. & aliis multis. Denique Nemeſius ad aſſerendam prædefinitionem nititur ſcientiæ conditionalium, vt conſtat non longè inferiùs cap. vltimo prope finem , vbi reddit rationem, ob quam diuina prouidentia permittit *aliquem vtiliter occidi , eo quòd occupet prouidentia futura illius maleficia,* nimirum, quæ committeret, ſi ſuperuiueret.

15. Hieronymus in Eccleſiaſtem cap.8.ad illa verba, *Afflictio hominis multa ſuper eum, quia neſcit quod futurum eſt,* ait , *Tamen ſcit , à Deo cuncta in vtilitatem hominum fieri, & non abſque eius voluntate diſponi.* Et cap.9.ad illa verba, *Vade & comede cum lætitia Dei iudicio,* inquit, *cuncta fieri.* Et infrà, *omnia fieri Deo diſponente.* Quam vniuerſalitatem diuinæ diſpoſitionis , & voluntatis Scripturæ teſtimoniis confirmat dialog.3. aduerſùs Pelagianos colum. 6. poſt medium , illis præſertim verbis, *Omnia dat Domini voluntati.*

16. Auguſt.Pſalmo 148.illum verſum : *Ignis, grando, nix, glacies , ſpiritus tempeſtatis , qua faciunt verbum eius,* ita ponderat : *Non tibi ergo videantur caſibus moueri , quia verbo Dei in omni motu ſuo deſeruiunt. Quò vult Deus. illuc lucet ignis , illuc fertur nubes ,* &c. Et propoſita quæſtione : *quare fulmina percutiant montem , & non percutiant latronem ?* Reſpondet , *quia fortè adhuc latronis conuerſionem quærit , & ideo percutitur mons , qui non timet. vt mutetur homo, qui timet aliquando. Et tu cum das diſciplinam, terram feris, vt infans expaueſcat : & aliquando ferit, & quem vult hominem. Sed dicis mihi , Ecce cadit innocentiorem , & dimittis ſceleratiorem. Noli mirari, vndecunque mors pio bona eſt. Vnde autem ſcis illi ſceleratori ſi ſe mutare noluerit , quid pœnarum in occulto ſequatur?*

Auguſtini teſtimonia pro præſenti dogmate.

17. Et paulo inferiùs ita concludit : *Quicquid ergo hic accidit contra voluntatem noſtram , nouerit non accidere , niſi de voluntate Dei , de prouidentia ipſius , de ordine ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius, & ſi non nos intelligimus quid , quare fiat , demus hoc prouidentia ipſius. quia non fit ſine cauſa , & non blaſphemauimus. Cùm enim cœperimus diſputare de operibus Dei, quare hoc, quare illud, & non debuit ſic facere, malè fecit hoc, vbi eſt laus Dei? Perdidiſti halleluia, omnia ſic conſidera quomodo placeas Deo , & laudes artificem.* Quibus in verbis quamuis de liberis actionibus expreſſa mentio non fiat; nihilominus virtualiter etiam continentur actiones liberæ. Nam ab illis plerumque proueniunt , quæ contingunt contra voluntatem noſtram ; vt conſtat in exemplo, quod paulo ſuperiùs Auguſt. tractauerat de morte per tyrannum inflicta.

Eiuſdem commentarij ad Pſalmum 148. ſummam Proſper ita præſtinxit , in eodem verſu: *Nihil fortuitis motibus ſubiacet, & ſingula quæque eius legibus ſeruiunt , qui vt vult , de omnibus , atque in omnibus ſecundùm cauſas occulta rationis operatur.* 18.

Sed Auguſt. iterum Pſalm.35.ad illud : *Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te,* &c. *Illi ſunt ,* inquit , *recti corde , qui ſequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei eſt aliquando, vt ſanus ſis, aliquando vt ægrotes. Si quando ſanus es, dulcis eſt voluntas Dei , & quando ægrotas , amara eſt voluntas Dei; non recto corde es. Quare ? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei.* 19.

Gregorius lib.2. Moralium cap. 12. illud Iob cap.1. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt ;* ita ponderat. *Cùm enim in hac vita ea quæ nolumus, patimur, neceſſe eſt , vt ad eum , qui iniuſtum velle nihil poteſt, ſtudia noſtra voluntatis inclinemus. Magna quippe eſt conſolatio in eo quod diſplicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non niſi iuſtum placet.* 20.

Boëtius de conſolatione Philoſophiæ lib.4. proſa 6. & 7. probat rerum omnium adminiſtrationem optimis, licet occultis , rationibus ad noſtram ſalutem à Deo dirigi ; peculiàriter proſa 6. circa med. explicat à ſimili. *Non enim,* ait, *diſſimile eſt miraculum neſcienti : cur ſanis corporibus his quidem dulcia, illis verò amara conueniant; cur ægri etiam quidam lenibus, quidam verò acribus adiuuantur. At hoc medicus, qui ſanitatis ipſius atque ægritudinis modum temperamentumque dignoſcit , minimè miratur. Quid verò animorum aliud ſalus videtur eſſe , quam probitas ? quid ægritudo , quam vitia ? Quis enim alius vel ſeruator bonorum , vel malorum depulſor , quam rector, & medicator mentium Deus ? Qui cum ex alta prouidentia ſpecula reſpicit , quid vnicuique conueniat , agnoſcit , & quod conuenire nouit , accommodat. Hinc iam fit illud fatalis ordinis inſigne miraculum, cùm a ſciente geritur quod ſtupeant ignorantes.* Eandem doctrinam ex Boëtio recipit S.Thom. in 1. ſent. diſt.39. prope finem totius diſtinctionis, & Abulenſis Matth.10. q.122. ad 6. & fuſiùs Antoninus 4.p. titulo 14 §.3. 21.

Optimis rationibus eādem prouidētia generalitatem probat Boëtius.

Proſper, (ſeu quilibet alius author) lib. de prouidentia inter medium & finem multa cecinit in eandem ſententiam, qualia ſunt illa. 22.

Idem confirmat Proſper.

Cùmque Deus medicam in cælo demittere curam
Dignatur, penitúſque putres abſcindere fibras
Incuſamus opem teneri, & tabeſcere morbo.
Malumus antidoti quam vim tolerare ſeueri.
Non igitur mala ſunt , quæ nos mala ducimus : & cum
Vlceribus diris non parcit dextra medentis,
Amplectenda ſalus, non exacuenda querela eſt.

& quæ ſequuntur idem dogma confirmant.

Generalitatem prouidentiæ diſponentis vniuerſa Paulinus in natali 8. longè poſt principium ita cecinit. 23.

Generalitatē prouidentiæ cecinit Paulinus.

———Sicut cura precandi
Cæleſtem Dominum, a quo mæſta, aut læta parantur,
Qui ſalus præſtare poteſt ditione ſuperna,
Rurſus vt ex actis renouentur gaudia curis.

Hoc

Digitized by Google

Hoc etenim regit, & variat Deus arbiter vſu
Res hominum, vt ſemper ſuccedant nubila ſudis;
Atque iterum fugiant imbres redeunte ſereno.

Vide & Anſelm. in elucidario, in medio, ait: *Sed neque minimum pecus homini moritur, niſi Dei nutu iudicetur.*

24. Hugo Victorinus de ſacramentis lib. 1. part. 4. cap. 23. poſt med. has ſcribit propoſitiones: *Non fit, niſi quod ipſe vult fieri. Si facimus bonum, vult hoc Deus, & voluit quia factum eſt ſic. Conſtat eius omnipotens voluntas, eius certa, & firma in beneplacito ſuo, approbans bona & permittens mala.* Quibus concordant ſequentia capita.

25. *Debitū agendi Deo gratias probat prædefinitionem determinatam.*

Poſtrema ratione probatur, quoniam niſi per Dei prouidentiam diſponerentur omnes euentus ad noſtram vtilitatem: ſequeretur, non eſſe rationem ſufficientem, propter quam debeamus Deo gratias agere pro quibuſlibet euentibus ſiue proſperis, ſiue aduerſis. Conſequens autem eſſe falſum, conſtat Epheſius 5. *Gratias agentes ſemper pro omnibus*, id eſt, non ſolùm in proſperis, ſed etiam in aduerſis, vt exponunt ibi Hieronymus, & Athanaſius, & 1. Theſſalon. 5. *In omnibus gratias agite.* Vbi Theodoretus: *non ſolùm in ſecundis, ſed etiam in rebus aduerſis. Nouit enim quid eſt vtile liberalis ac munificus Deus*; ſupponit itaque Theodoretus, omnia in vtilitatem deſtinare à libertate & munificentia Dei.

26. Chryſoſtomus homilia 64. ad populum Antiochenum, *Igitur*, inquit, *& ſi fueris ægritudine correptus, fer generosè, & Deo gratias age, & eandem cum illis mercedem accipies. Quomodo verò in ægritudine poſitus, & doloribus, Deo gratias habere poteris? Si eum legitimè diligas. Nam ſi pueri tres in caminum proiecti, & alij in carceribus, & in alijs innumeris conſtituti malis, agere gratias non deſinebant: multo magis in ægritudinibus poſiti, grauibus oppreſſi morbis hoc facere poterunt.* Idem docet libro 2. de prouidentia propius ad med. quàm ad finem, videlicet col. 16. fine.

27. Dorotheus epiſtola 3. ad fratrem diuturno morbo laborantem, *Hortor*, inquit, *fili, vt toleres, & gratias agas ob ea, quæ in morbo accidunt tibi; ſecundum eum qui dixit. Omnia quæ accidunt tibi tanquam bona ſuſcipe, vt ſcopus prouidentiæ ad beneplacitum ipſius conſummetur in te, fili mi.* Quod præceptum agendi gratias in omnibus præſcribit etiam doctrina 7. paulo poſt medium, doctrina 13. ſub initium, & doctrina 17. ſub finem ſuprà citatis num. 9. & 10. Necnon Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. Auguſtinus in Pſalmum 35. & in Pſalmum 148. Gregorius item 2. Moral. cap. 12.

28. *Eiuſdem prædefinitionis probationes aliæ remittuntur.*

Prædefinitionem determinatam & particularem probant multa ex his, quæ vidimus tota diſputatione 6. & 7. & quæ videbimus ſequenti diſputatione 10. nec non ea, quæ de prouidentia ſingularium rerum etiam viliſſimarum, & tam aduerſæ, quàm proſperæ fortunæ, atque rerum à caſu vehementium, docent Patres citati diſputatione 1. ſectione 5. & ſequentibus. Eadem poſtremò colligitur ex Patribus, qui præcedenti tomo de voluntate Dei diſputatione 18. ſectione 2. & 3. & diſputatione 44. ſectione 6. & 7. dixerunt, prauas dæmonum & hominum voluntates à Deo non alia ratione permitti, niſi vt ſeruiant eius voluntati ad maiora bona colligenda. Vnde manifeſte ſequitur, eſſe à Deo volita, & efficaciter intenta omnia bona, quæ colliguntur ex malis. Quapropter potiori iure quæ bona colligũtur ex alijs bonis, & quæ ſunt prima bonorum fundamenta, erunt à Deo efficaciter intenta, & volita. Hoc autem ipſum eſt eſſe prædefinita.

SECTIO VII.

Circunſtantias omnes eſſe prædefinitas, & peculiariter inſtans tempus & locum.

Circunſtantiarum omnium prædefinitio licèt ſufficienter potuiſſet ex ſuperioribus ſectionibus deduci; firmior tamen eſſe conſtabit ex hac & ſequentibus. 1.

Omnium circunſtantiarū prædefinitio probatio prima.

Probatur primò, & generaliter. Auguſtinus enim de gratia & libero arb. cap. 20. ait, voluntates omnes ita eſſe in Dei poteſtate, *vt eas quò voluerit, & quando voluerit, faciat inclinari.* Et in Enchirid. cap. 97. fine docet, *Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonum poſſe conuertere.* Quibus verbis omnes circunſtantias complectitur, vt vidimus diſp. 6. ſect. 1. num. 9. & tam ex eo, quàm ex alijs locis Auguſtini conſtat, hanc potentiam exerceri à Deo de facto. Eadem Auguſtini verba recipit gloſſa ad Rom. 9. citata in eadem ſectione 1. & Richard. in 1. diſt. 40. art. 3. q. 3.

Irenæus etiam citatus ſuprà ſect. 6. numero 3. circunſtantias omnes complectitur illis generalibus verbis: *Habitum, ordinem, numerum & quantitatem.* Proſper ſecundo de vocatione gent. cap. 34. *Ex incommutabili propoſito Dei, Chriſtiana gratia ſubſiſt electio, nec aliter quidquam procedere poteſt, quam omnipotentis voluntate diſpoſitum eſt.* Vbi aliter illud complectitur omnes modos & circunſtantias. Generalis denique prædefinitio circunſtantiarum omnium probabitur ſtatim, diſcorrendo per ſingulas; præcipuè verò ex eo, quòd menſura prædefiniatur, colligitur alias circumſtantias prædefiniri: vt notabimus ſect. 9. n. 20. 2.

Inſtantis ac temporis prædefinitio probatur primò ex Proſpero.

Inſtantis, ac temporis prædefinitio ſuas habet peculiares probationes. Prima. nam Proſper in lib. ſentent. ex Auguſt. ſententia 40. *Id quod in tempore nouum eſt*, inquit, *non eſt nouum apud Deum, qui condidit tempora, & ſine tempore habet omnia, quæ ſuis quibuſque temporibus pro eorum varietate diſtribuit.* Quæ ſententia poteſt eſſe commentarius verborum Iudith, quæ ponderauimus ſectione 4. num. 4. *Illa poſt illa cogitaſti, & hoc factum eſt, quod ipſe voluiſti.* Idem docet Proſper epigram. 41. & 58. quæ referemus ſect. 9. num. 21. & 22. 3.

Iudith 9.

Secundò ex ſubita peccatorum conuerſione.

Probatur ſecundò. nam, vt S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2. ad 2. docet, Deus poteſt peccatorem ſubitò conuertere, & infundere gratiam, vt Saulo. Confirmat autem Eccleſiaſtici 11. *Facile eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem.* Supponit autem, pro ſuo beneplacito communiter diſponere præparationem ad gratiam, vt longiori tempore fiat. 4.

Idem ſequenti quæſtione 113. articulo ſeptimo, corpore, fine. *Poteſt*, inquit, *quamcumque materiam creatam ſubitò diſponere ad formam, & multo magis liberum arbitrium hominis, cuius motus poteſt eſſe inſtantaneus, ſecundùm naturam. Sic igitur iuſtificatio impij fit à Deo in inſtanti.* Dixerat autem in ſuperiori contextu, Deum in tempore diſponere arbitrium ſecundùm ordinariam prouidentiam: nec dubium, quin exiſtimet, 5.

in quo tempore, & quanto tempore voluerit. In eadem quæſtione 113. art. 10. corpore fine. *Quandoque ait: Tam vehementer Deus animam mouet, vt ſtatim quandam perfectionem iuſtitiæ aſſequatur ſicut fuit in conuerſione Pauli.*

6. Idem quæſt. 28. de veritate art. 3. ad 19. *Licèt Paulus*, inquit, *antequam iuſtificatus eſſet, immediatè gratiam fidei impugnaret, tamen in ipſo inſtanti iuſtificationis ſuæ conſenſit per liberum arbitrium, diuina gratia commotum. Motum enim gratuitæ voluntatis in inſtanti poteſt Deus alicui mittere.* Quam doctrinam recipiunt communiter Thomiſtæ prædictis in locis, præcipuè Conradus dicta q. 112. art. 2. ad 2. & q. 113. art. 7. ad 1.

7. Sequitur etiam Chartuſianus in 1. diſtinct. 41. colum. vltima, docens, aliquibus hominibus conferri gratiam ita efficacem, vt infallibiliter & ſtatim conuertantur. *Motio*, inquit, *Spiritus ſancti quibuſdam ita donatur, quòd tollit omnem obicem gratiæ, vt Auguſt. affirmat, & Thomas in ſumma contra Gentiles allegat; alijs autem non ita confertur.* Et poſt pauca: *Interdum homines quidam vagiſſimi, vitijs pleni, & ſceleratiſſimæ vitæ ſubitò praueniuntur, compunguntur, grandémque gratiam ſortiuntur.*

8. Cùm autem Deus prædefiniat id, quod ex obiecto difficilius eſt, videlicet, circunſtantiam ſubiti & inſtantanei motus liberi arbitrij: conſequens eſt multo veriſimilius eſſe, quòd prædefiniat etiam longè faciliorem circunſtantiam ſucceſſiuæ diſpoſitionis ad conuerſionem, in tali, & tanto tempore conſummandam, & non in alio tempore, neque longiori, neque breuiori. Nam de quibuſlibet actionibus honeſtis verificatur, quod Athanaſius ſuprà citatus ſect. 5. n. 2. dixit, ea quæ Deus præparauit, non poſſe differri, nec intermitti. Et quod Proſper in eadem ſect. 5. num. 8. cecinit,

Succeſſiua diſpoſitionis ad conuerſionem prædefinitio.

——*Non moribus illi*
Fit mora.

9. Sed obſeruandum eſt, interuenire quandoque peccatum in conuerſione differenda vſque ad aliud tempus, & tunc dilationem Deus non prædefinit. Prædefinit autem circunſtantias ex ſe bonas, & auxiliorum menſurã, quibus poſitis, præſcit Deus, committendum eſſe dilationis peccatum, quod vult permittere, volens vt tali tempore, vel inſtanti fiat conuerſio. Deus itaque poſitiuè vult, & prædefinit, vt nunc fiat conuerſio: non tamen prædefinit, vt non fiat antea, ſi hæc negatio peccatum continet.

Conuerſioné differre quãdoque peccatum eſt.

10. Quæ de tempore dicta ſunt hactenus, eadem propter rationis paritatem abundè probabant, prædefinitum eſſe locum, tam bonis, quàm prauis operationibus, proportione ſeruata ad modum prædefiniendi tempus.

Loci prædefinitio probatur.

11. Loci & temporis aliarúmque circunſtantiarum prædefinitio multo certior, quàm in aliis cernitur in iis, quæ pertinent ad Chriſtum Dominum, & ſanctiſſimam eius matrem: quorum omnium principium fuit prædefinitio Incarnationis, de qua Galatas 4. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum.* Vbi ſubintelligendum eſſe, temporis à Deo prædefiniti, conſtat apertè ex præmiſſa ſimilitudine, *ſub tutoribus & actoribus eſt vſque ad prædefinitum tempus à patre.* Sic & Iudæi ſub elementis mundi huius, & ſub lege tanquam pædagogo continebantur vſque ad præfinitum temporis à Deo, vt optimè Theodoretus ibi. Hoc tempore prædefinito conſequens fuit prædefiniri tempus, in quo Beatiſſima Virgo liberum conſenſum præberet, & primum inſtans, in quo Chriſtus Dominus liberam obedientiam exhiberet Patri in inſtanti Incarnationis prædefiniri etiam edictum Cæſaris, deſcriptionem faciendam à præſide Syriæ Cyrino, profectionem Virginis à Nazareth; repulſam à diuerſorio Bethleem, aduentum Magorum, reſponſum ſacerdotum, & alia, quæ ſequuntur myſteria, quibus omnibus conſequenter tempus & locus prædefiniendus fuit.

Incarnationis prædefinitio.

Incarnationis circunſtantia prædefinita.

Eodem modo Deus non ſolùm ſanctiſſimis, & liberis actionibus Chriſti Domini, tempus, locum, & menſuram præſcripſit, ſed etiam turpiſſimis actionibus Iudæorum iuxta debitum & accommodatum vniuſcuiuſque modum. Quod optimè probat S. Thomas 3. parte quæſtione 46. art. 9. & 10. ex Ioan. 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Et Lucæ 13. *Oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Ieruſalem.* Lucæ 22. *Filius hominis, ſecundum quod definitum eſt vadit.* Act. 4. *Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* 12.

Turpium actionum locus, menſura, & tempus præſcriptum.

Aug. in lib. quæſtionum ex nouo Teſtamento. quæſtione 45. in principio. *Omnia*, inquit, *proprijs locis & temporibus geſſit Saluator.* quod S. Th. citatus intelligit de temporibus & locis per Dei ſapientiam & voluntatem diſpoſitis & ordinatis. Cæterùm de actionibus Iudæorum Leo Magnus ſermone 7. de paſſione ſub initium, *Diuino*, inquit, *intelligimus diſpoſitum fuiſſe conſilio, vt ſacrilegi Iudæorum Principes, & impij Sacerdotes, qui ſæuiendi in Chriſtum occaſiones ſæpe quæſierant, non niſi in ſolemnitate paſchali exercendi furoris ſui acciperent poteſtatem.* 13.

Theophylact. Lucæ 13. prope finem tractans illud quod nuper retulimus: *Monſtrabat eis, etiam ſi plurimum vellet Herodes, non poſſe ab illo ſe interimi: non enim in Galilæa, ſed Ieruſalem, præfinitum erat, Chriſtum eſſe paſſurum.* Temporis etiam prædefinitionem ſignificat Lyra Matth. 16. ad illa verba: *Tunc venit Ieſus in villam.* Prædictíſque prædefinitionibus conſequens fuit, prædefiniri etiam locum & tempus affigendi titulum Crucis, petendi, & concedendi licentiam ſepeliendi, adhibendi cuſtodes ad monumentum. 14.

Locum præterea tribuendi, & accipiendi eleemoſynam in tempore neceſſitatis extremę, quando, & vbi requirebat eximiam fidem, & charitatem, prædefiniuit Deus 3. Reg. 17. Nam ad Eliam, *Surge*, inquit, *& vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim mulieri viduæ ibi, vt paſcat te.* Vbi non eſt intelligendum ſolummodo præceptum obligans, quod violare frequentiùs homines ſolent; ſed intelligendum eſt, præceptum ordinans & prædefiniens infallibiliter, atque faciens vt vidua faceret liberè, quod poſtulabat Elias. In qua prædefinitione notanda eſt circunſtantia loci repetita, *manebis ibi*, *vidua ibi.* Vnde Chriſtus Dominus Lucæ 4. ciuitatem, in quam miſſus eſt Elias, obſeruat potius, quàm alias circunſtantias. 15.

Præceptum aliud obligãs, aliud prædefiniens.

SECTIO

SECTIO VIII.

Numerus prædeſtinatorum & reproborum, imò & omnium bonorum actuum; inſuper irrationalium rerum numerus quo diſcrimine ſit prædefinitus.

1. *Prædeſtinatorũ numerus prædefinitus.*

DIco primò, prædeſtinatorum numerus eſt prædefinitus, idque certum eſt apud Theologos. Proſper in lib. de libero arbitrio ad Ruffinum poſt med. ait, *Ex omni numero hominum per ſæcula cuncta natorum, certus apud Deum definitúſque eſt numerus prædeſtinati in vitam æternam populi, & ſecundùm propoſitum Dei vocantis electi, quod quidem tam impium eſt negare, quam ipſi gratiæ contraire.* Hæc itaque certitudo non ſolùm ratione præſcientiæ, verùm etiam ratione prædeſtinationis & electionis conuenit numero prædeſtinatorum.

2. Idem lib. 2. de vocat. gent. cap. 29. à med. *Sicut præſciuit ante ſæcula, quanta totius mundi hominum multitudo, vel communibus vſa donis, vel è ſpecialibus adiuta præſidijs, declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ, ingreſſuram eſſe latitudinem erroris & mortis: ita ſemper præcognitum habuit, quantus piorum numerus per opem gratiæ, & per ſeruitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret, vt nullo excidente plenitudine promiſſorum, qui nec prouectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus, quos elegit ex omnibus.*

3. Et in eodem lib. 2. cap. 33. inter med. & fin. *In qua electione*, inquit, *quicquid hominum in Chriſto præcognitum non eſt, nulla eidem ratione ſociabitur. omnes enim qui in regnum Dei de cuiuſlibet temporis vocatione venturi ſunt, in iſta quæ ſæcula cuncta præceſſit, adoptione ſignati ſunt. Et ſicut nullus infidelium in hac ſorte numeratus, ita nullus piorum ab hac ſorte diſcretus eſt. De plenitudine quippe membrorum corporis Chriſti, præſcientia Dei, quæ falli non poteſt, nihil perdit, & nullo detrimento minui poteſt ſumma præcognita, atque in Chriſto ante ſæcula æterna prælecta.*

4. Habet etiam eadem aſſertio fundamentum in ſacris litteris, clariùs tamẽ in illo verſo Pſal. 146. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Hoc enim Auguſt. & Proſper indignum putant, de corporeis ſtellis eſſe dictum, ſed de hominibus potiùs, quos Deus *ſecum regnaturos & aggregandos corpori vnigeniti ſui numeratos habet.* videlicet, *ſtellas in æternam prælectas gloriam.*

5. *Prædeſtinatorum numerus ad ſcientiam cũ efficaci electione coniunctam refertur. Scientia non factiua reprobi numerari.*

Præſentem verò numerũ non referri ad ſcientiam meram, ſed ad ſcientiam cum efficaci beneplacito, & electione coniunctam, facilè colligitur ex ſecundo membro eiuſdem verſus, nam *vocare Dei* eſt imperio facere, ſecundùm illud Rom. 4. *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Confirmatur, nam ſcientia mere cognoſcitiua & non factiua, reprobi ſunt etiam à Deo numerari, & tamen illi dicuntur eſſe ſuper, vel vltra numerum, quoniam non continentur in hoc numero electorum. Quemadmodum Auguſt. obſeruat in prædicto commentario; & probat ex Pſalm. 39. *Multiplicati ſunt ſuper numerum.* Quem imitatus Gregor. lib. 25. Moral. cap. 8. poſt med. illud Iob 34. *Conteret multos & innumerabiles.* ita exponit, *Indicare voluit, quòd omnes qui pereunt, intra electorum numerum non habentur: vt eo ſint innumerabiles, quo extra numerum currunt. Vnde Propheta intuens tantos hoc Eccleſiæ tempore ſpecie tenus credere, quantos nimirum certum eſt electorum numerum ſummámque tranſire, ait, multiplicati ſunt ſuper numerum.*

Propiùs ad ſcholaſticam perſpicuitatem acceſſit Hugo Victorinus in annotationibus quæſtionum circa epiſtulam ad Romanos quæſt. 120. dicens, numerum prædeſtinatorum minui, vel augeri eſſe *impoſſibile ſecundùm cauſas ſuperiores.* Subiungit autem: *Cauſæ ſuperiores dicuntur diuina potentia, voluntas, diſpoſitio, & prædeſtinatio, quæ quandoque cum inferioribus, quandoque ſine ipſis operatur: quæ ſemper habent effectum.* Quapropter non ſolùm ex diuina ſcientia, ſed etiam ex efficaci voluntate, diſpoſitione ac prædeſtinatione prouenit, definitum eſſe numerum prædeſtinatorum, vt neque minui poſſit, nec augeri. 6.

Ex quibus conſequens eſt, ſapienter D. Thom. 1. part. quæſt. 23. artic. 7. ad finem corporis dixiſſe: *Certus eſt Deo numerus prædeſtinatorum, non ſolùm per modum cognitionis, ſed etiam per modum principalis præfinitionis.* Idem ſenſit Altiſiodoren. libro 1. ſummæ capite 10. colum. vlt. ad 1. dicens, non in libero arbitrio hominum, ſed tantùm in prædeſtinatione & prouidentia Dei eſſe, vt prædeſtinatorum numerus impleatur, quod retulimus ſectione 2. numero 12. & Carthuſianus 1. diſtinctione 40. poſt med. §. *His verbis*, docet, Deum in ſeipſo determinaſſe numerum prædeſtinatorum abſolutè; & prædeterminaſſe quibus, & quot daturus eſſet gloriam. Atque idem ſentiunt communiter huius ætatis Theologi. 7.

Ad explicationem præcedẽtis aſſertionis dico ſecundò. Non eodẽ modo prædefinitus eſt numerus prædeſtinatorũ quantum ad limitandum, ne ſit maior, & quantum ad procurandum, ne ſit minor. Eſt quippe magnum diſcrimen inter impoſſibilitatem minuendi, & impoſſibilitatem augendi numerum electorum. Nam impoſſibilitas minuendi numerum, directè, per ſe, & propriè intenta eſt, & cauſata per efficacem Dei voluntatem, & prædefinitionem. Cæterùm impoſſibilitas augendi numerum electorum, & efficiendi maiorem, non eſt directè, per ſe, & propriè intenta & cauſata per efficacem Dei voluntatem & prædefinitionem; quoniam vt non augeatur numerus, prouenit ex eo, quòd omnes reprobi liberè reſiſtunt diuinæ gratiæ, quantum ex ſe eſt, ſufficienti, & deſtinatæ ad hoc, vt conuertantur, & tranſeant ad numerum electorum. Hæc autem reſiſtentia cùm ſit peccatum, non poteſt eſſe à Deo intenta, & prædefinita. 8.

Diſcrimẽ inter impoſſibilitatem minuendi, & augendi numerum electorũ.

Dico tertiò. Ex eodem principio colligitur deciſio alterius difficultatis, occurrẽtis in diſcrimine reproborum à prædeſtinatis, quantum ad certitudinem numeri. Nam poſtquam Diuus Thom. dicta q. 23. art. 7. dixit, prædeſtinatorum numerum eſſe certum *per modum cuiuſdam principalis prædefinitionis*, ſubiungit: *Non ſic autem omnino eſt de numero reproborum, qui videntur eſſe præordinati in bonum prædeſtinatorum.* Ad cuius diſcriminis explicationem præmiſerat exemplum: *Vt indiuidua corruptibilia non ordinantur ad bonum vniuerſi quaſi principaliter, ſed quaſi ſecundario, in quantũ in eis ſaluatur bonum ſpeciei, vnde licèt Deus ſciat numerum omnium indiuiduorum: non tamen numerus vel bouum vel culicum, vel aliquorum huiuſmodi, eſt per ſe* 9.

Reproborum numerus prædefinitus.

præordinatus a Deo; ſed tot huiuſmodi diuina prouidentia produxit, quot ſufficiunt ad ſpecierum conſtructionem.

10. Vbi notandum eſt primò, D. Thomam minimè negare numerum reproborum, & omnium indiuiduorum irrationabilium eſſe præfinitum, & præordinatum à Deo. Quin potiùs implicitè concedit, eſſe minus principaliter, & quaſi per accidens, & ſecundariò præfinitum, & præordinatum eorum numerum, quoniam S. Thom. ſaltem virtualiter & implicitè docet, reproborum numerum nunquam excedere nec deficere ab eo, qui requiritur ad vtilitatem prædeſtinatorum; qua vtilitate ſeu neceſſitate ſublata, nulla eſt ratio, propter quam Deus augeat numerum reproborum, ſuppoſita prouidentia, quam in Scripturis ſacris reuelauit. Eadem quoque neceſſitas, ſiue vtilitas non permittit eorundem numerum minui. Eodem modo ratiocinare de quibuſlibet indiuiduis irrationalibus prædefiniendis ſecundariò, & minus principaliter, & quaſi per accidens propter vtilitatem ſpecierum.

11. *Reproborum numerus quomodo prædefinitus.* Dubitant verò Doctores, qua ratione potuerit reproborum numerus prædefiniri, cùm malum ſit incapax diuinæ prædefinitionis. Ad hoc dicendum eſt quartò prædefinitos fuiſſe homines illos, quantum ad ſubſtantiam, potentias, & actus merè naturales, & quantum ad actus liberos moraliter honeſtos; præcipuè verò quantum ad ſupernaturales actus, quos aliqui reprobi concipiunt, vt dicemus infrà ſect. 10. Et quantum ad omnia bona tam naturalia, quàm ſupernaturalia.

12. *Quæ prædefiniũtur in reprobis, omnia ad electorum bonum deſtinantur.* In hac autem prædefinitione reprobi cum electis licèt quantum ad eas res prędefinitas conueniant; nihilominus differunt valde quantum ad intentionem prædefiniendi. Nam quæ prædefiniuntur in reprobis, omnia deſtinantur ad bonũ electorum. Hæc Caietanus ex parte notauit prope finem eiuſdem articuli, dicens: *Conſiderando reprobos ratione ſubiecti, certus eſt eorum numerus etiam prædefinitiuè.*

13. *Reproborum numerus prædefinitus quãtum ad prædeſtinationis negationẽ & permiſſionem peccati.* Dico quintò. Quantum ad negationem electionis ſeu prædeſtinationis, & quantum ad permiſſionem peccati finalis, prædefinitus fuit etiam numerus eorumdem hominum. Quoniam hæc omnia nihil includunt mali, & Deus decreuit tot hominibus, & non paucioribus nec pluribus electionem non conferre; ſed permittere finale peccatum in illis omnibus & ſolis.

14. *Quantum ad poſitiuam reprobationem non prædefinitus.* Dico ſextò. Quantum ad poſitiuam reprobationem, atque voluntatem puniendi, non eſt prædefinitus eorum numerus. Hæc enim reprobatio ſupponit futura peccata iam eſſe præcognita quaſi abſolutè futura. In hoc ſenſu Caiet. nuper citatus ait: *Conſiderando eos, quatenus reprobi ſunt, non eſſe in certo numero prædefinitiuè.* Quod deducit ex D. Thom. non ſolùm 1. p. quæſt. 23. citata, ſed etiam in 1. ſentent. diſt. 40. quæſt. 3. art. vnico, & quæſt. 4. art. 1. inter ſe collatis. Verùm hæc omnia pendent ex aliis concluſionibus, quas ſuo loco examinauimus tomo ſequenti tractantes de cauſa reprobantis. Hæc tamen in aliena ſede ſufficiat attigiſſe.

15. *Operationum humanarum multitudo prædefinitur.* Dico ſeptimò. Non modò perſonarum, ſed etiam operationum humanarum multitudo numeratur à Deo, non ſolùm tanquam à ſciente, ſed etiam tanquam à prædefiniente numerum earum, quæ prædefinitioni non repugnant ab intrinſeco. Imò etiam omnium rerum irrationalium prædefinitus eſt numerus. Hanc aſſertionem ſuperiùs ſect. 6. num. 3. deduxit Irenæus ex cap. 10. Matth. *Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.* Quam numerationem non eſſe ſolius præſcientiæ, ſed præterea continere prouidentiam, & curam conſeruandi, manifeſtè colligitur ex contextu. quemadmodum Lucæ 21. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Atque ita communiter Patres obſeruant Matth. 10. *Omnium rerum irrationabiliũ prædefinitus eſt numerus.*

Vbi Hilarius. *In numerum*, inquit, *aliquid colligi diligentiæ, ac ſolicitudinis cura eſt. Neque enim dignum negotium eſt peritura numerare. Vt igitur nihil ex nobis periturum eſſe cognoſceremus, quia multo paſſeribus meliores ſumus; ipſo capillorum noſtrorum ſupputatorum numero indicatur, ſaluis nobis ex ſolido futuris, cùm quod innumerabile in nobis ſit conſeruandi & affectu, & poteſtate numeretur.* 16.

Magis ſcholaſticè S. Thom. in commentario ad prædicta verba Matth. 10. *Hic notat*, inquit, *prouidentiam circa minimos actus, quia omnia, quæ in ipſis ſunt, ordinantur ad eos; & de his prouidet Dominus. Sed notandum quod dicit (numerati ſunt;) ſed ratio eſt, quia conſuetum eſt, quòd illud, quod vult aliquis ſibi retinere, illud numerat; quod vult autem diſpenſare, alij tradit. Vnde hæc eſt differentia inter prouidentiam rationabilium & aliorum; quia immediatè ordinantur ad Deum, quia talis creatura capax Dei eſt, alia verò non. Item quæ numeramus, nobis conſeruare volumus; & ideo non dixit ſuperiùs, quòd paſſeres numerati ſunt, quia non in perpetuum durant.* 17.

Ex quibus collige, quod Hieronym. Matth. 10. ait; *Vbi numerus eſt, ſcientia numeri demonſtratur, non eiuſdem numeri conſeruatio.* Intelligendum eſt, qua parte capilli excedunt debitam humanæ perfectionis menſuram & numerum. Nam numerus & quantitas capillorum, ad perfectionem vniuſcuiuſque beati pertinens, reſtituetur in reſurrectione, vt bene obſeruat S. Thom. in prædicto commentario. 18. *Qui numerus, & capillorũ quãtitas in reſurrectione beatis reſtituenda.*

Hieronymum autem idem ſenſiſſe, demonſtrant illius ſuperiora verba. *Quod autem ait Chriſtus Dominus: Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt; immenſam Dei erga homines oſtendit prouidentiam, & ineffabilem ſignat affectum.* Hieronymum ſequuti ſunt Beda, & Anſel. in commentariis eiuſdem loci. 19.

Obſtare videbitur alicui quod Chryſoſtom. in Matth. homil. 35. paulo poſt med. ait. *Non cooperante Deo incidere in laqueum paſſeres, quod diuina maieſtati indignum eſt.* quem ſequitur Theophyl. ibidem. 20. *Obiectio ex Chryſoſtomo ſoluitur.*

Reſpondetur tamen hoc de prouidentia primariò intenta propter res ipſas, intelligendum eſſe, quemadmodum 1. Corinth. 9. *Nunquid de bobus cura eſt Deo.* Nam prouidentia deſtinata ad vtilitatem hominum, præſertim electorum, *Deo cura eſt de omnibus*, Sapient. 12. Quod diſcrimen prouidentiæ, ſeu prædefinitionis inter rationales creaturas & irrationales, attigit D. Thom. 1. p. q. 23. art. 7. (vt notauimus, ſuprà num. 9. & 10.) ſed fuſiùs explicat Matth. 10. in prædicto commentario, & 3. contra Gent. toto cap. 112. *Prouidentia rationalium, & irrationalium diſcrimen.*

Vnde in cap. 113. colligit, hoc eſſe proprium creaturæ rationalis, *vt à Deo dirigatur ad ſuos actus, non ſolùm ſecundùm congruentiam ſpeciei, ſed etiam ſecundùm congruentiam indiuidui.* Quod in ratione tertia confirmat, quoniam ſicut oſtenderat priùs in eodem lib. cap. 76. *Diuina prouidentia* 21.

ad

ad omnia ſingularia ſe extendit, etiam minima; quibuſcumque igitur ſunt aliquæ actiones præter inclinationem ſpeciei, oportet quòd per diuinam prouidentiam regulentur in ſuis actibus præter directionem, quæ pertinet ad ſpeciem. Sed in rationali creatura apparent multæ actiones, ad quas non ſufficit inclinatio ſpeciei: cuius ſignum eſt quòd non ſimiles ſunt in nobis omnibus, ſed variæ in diuerſis. Oportet igitur, quòd rationalis creatura dirigatur à Deo ad ſuos actus, non ſolùm ſecundùm ſpeciem, ſed etiam ſecundùm indiuiduum.

22. *Prædefinitiones rationalium & irrationalium actionum cõueniunt & differunt.* Ex quibus omnibus conſtat quòd licèt actiones humanæ cum irrationalibus creaturis in eo conueniant, quòd omnibus in ſingulari & particulari Deus prouidet, & omnes prædefiuit in particulari, vt probatum eſt. Nihiluminus prouidentia & prædefinitio humanaruoi actionum, altiori quodam modo ſingularibus coaptatur in particulari. Nam ſingularizat & particularizat actiones ſingulas per multo plures & maiores differentias, eáſque ſingulis perſonis, & variis eiuſdem perſonæ diſpoſitionibus, & quod maius eſt, eiuſdem perſooæ liberis determinationibus accommodat, qui modus prædefiniendi oon conuenit rebus irrationalibus.

SECTIO IX.

Menſura gratiæ & gloriæ, & cuiuſlibet humanæ operationis, imò etiam cuiuſque rei prædefinitione diuina præſcribitur.

1. *Determinata menſura bonæ voluntatis meriti prædefinitur.* DIco primò, certam determinatámque menſuram bonæ voluntatis, operationis, & meriti Dei prædefioitione, decreto, & operatione præſcribi.

Probatur primò Rom. 12. *Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* Quod Auguſtin. de prædeſtinat. Saoctor. cap. 2. fine, ſic accipit, vt Deus cauſa ſit initij & augmenti, & cuiuſque partis fidei. Hanc autem cauſalitatem fieri prædeſtiuatione, ſeu prædefinitione diuina, conſtat ex illo & aliis capitibus eiuſdem libri, & ſequeotis de bono perſeuerantiæ, quorum nonnulla retulimus in præcedentibus ſectionibus. Vnde Proſper lib. 1. de vocat. gent. cap. 23. inter med. & fineoi. *Apoſtolus,* inquit, *hanc ipſam fidem ſecundùm menſuram dari pro arbitrio largientis, ita prædicat: Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, ſicut vnicuique diuiſit Deus menſuram fidei.*

2. Secuudò ex 1. Corinth. 12. probat Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 7. à med. dicens. *Quis niſi inſipientiſſimus de differentia diuinorum munerum conqueratur, aut in paribus adſcribendum meritis arbitretur, quòd non æqualiter de ſuperna libertate confertur? Si enim hæc diſtributio ſecundùm præcedentium operum merita prouenires, non ipſorum donorum catalogum tali concluſione Apoſtolus determinaret, vt diceret: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.*

3. *In actibus plurimis gratiæ gratis datæ interueniunt actus gratum facientis.* Ad vrgendam vim vtriuſque teſtimonij Rom. 12. & 1. Corinth. 12. recolendum eſt, in plurimis actibus gratiæ gratis datæ interuenire alios actus gratiæ gratum facientis: vt oſtendimus in peculiari libro de quidditate gratiæ & partitiunibus illius. Quapropter licèt prædictis in locis Apoſtolus primariò videatur agere de gratia gratis data, & illius menſura; nihilominus eo ipſo complectitur menſuram gratiæ gratum facientis, cuius incrementum, aut decrementum iuuat non parum ad augendas, vel minuendas operationes gratiæ gratis datæ.

Tertiò probatur, quoniam vtriuſque gratiæ menſuram complectitur Apoſtolus Epheſ. 4. cùm ait: *Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Quod licet Patres ita exponant, vt menſura donationis Chriſti commenſuretur capacitati recipientis: nihilominus ipſam capacitatem & illius menſuram Deus pro ſuo arbitratu diſtribuit, non pro meritis; ideóque tam ipſa capacitas, quàm gratia illi commenſuranda prædefinitur. 4.

Vnde Chryſoſtom. Epheſ. 4. ſerm. 11. colum. 2. *Quid eſt,* inquit, *ſecundùm menſuram? Hoc eſt, non ſecundùm noſtram dignitatem. Alioqui neque accepiſſet quiſquam quæ accepit; ſed vniuerſi ex gratia & dono accepimus. Quamobrem hic plus, ille minus accepit. Nihil hoc refert, inquit, ſed promiſcua res eſt. Ad ædificationem enim quiſque accepit. Et propterea declarat, quod non ex propria dignitate hic quidem amplius, iſte vero minus acceperit; ſed quòd omnia partitus ſit per alios tamquam per ſeipſum. Quemadmodum & alibi dicit: Membra verò poſuit vnumquodque ipſorum, ſicut ipſe voluit. & rationem huius non addit, ne mentes audientium deyciat.* 5. 1. Cor. 12.

Confirmatur, nam quod paulo inferiùs addit Apoſtolus. *Qui eſt caput, Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Sic exponit Chryſoſtom. in eodem ſerm. 11. paulo ante morale. *Spiritus ille eſt ſuperioribus abundè infuſus, iunctiſque membris prehenſis, iuxta cuiuſque captum ſubminiſtratus, incrementum ita facit.* Perpende, quomodo menſuram gratiæ Chryſoſtom. referat priùs in Dei liberrimam voluntatem, poſtea verò ad vniuſcuiuſque membri captum accommodet: quoniam & membrum, & illius capacitas libera Dei voluntate conſtituitur, & præfinitur. Ideo Theudoret. menſuram donationis Chriſti ſic exponit: *Ipſe enim ita vt nouit, vnicuique gratiam dimenſus eſt.* 6. Epheſ. 4.

Apud Ambroſium hic eſt eiuſdem loci commentarius. *Vnicuique tantum dicit dari gratiæ, quantum donare dignatus fuerit Dominus. non tamen ſine æquitatis menſura, quia vnicuique pro viribus tribuit, vt tantum hauriat, quantum ſitit.* Et paulo inferiùs, illud Apoſtoli, *In menſuram vniuſcuiuſque membri,* &c. exponit, à Deo per Chriſtum fieri, vt totius Eccleſiæ membra meritis diſcernantur officiorum & naturarum. 7.

Vnde intelligitur quod Hieronym. in eorundem verborum comment. ait. *Non quòd ad menſuram, ſpiritum, & gratiam, tribuat Deus, magnificentia enim eius non eſt finis; ſed quòd iuxta menſuram vaſculorum, infundat liquorem; tantum munera largiens, quantum poteſt ille, cui donatur accipere; nec enim ad menſuram dat Deus ſpiritum: aut poteſt habere menſuram, quod æqualiter vbique diffuſum eſt.* Idque declarat exemplo haurientium aquam è mari. Cæterùm æqualitatem prædictam oon eſſe Geometricam, ſed Arithmeticam, ſiue proportionalem, ſecundùm ſtatum vniuſcuiuſque membri, quem Deus illi conſtituit, oſtendunt quæ longè inferiùs ſcribit Hieronymus: *Ita vt vna ſubminiſtratio eadémque operatio, & vnius ætatis conſummata perfectio, totum creſcere faciat corpus* 8. Ioan. 13.

 æqualiter,

Digitized by Google

æqualiter : & omnia membra iuxta menſuram ſuam incrementum ætatis accipiant. Explicat autem exemplo membrorum infantis, cuius oculi & brachia æqualiter creſcunt, vſque ad virilem ætatem; ſed non ita vt quantitas oculorum tanta ſit, quanta brachiorum; ſed tantùm proportione ſeruata. Quam omnem proportionem, differentiámque membrorum Deus inſtituit, atque variis hominibus pro ſuo beneplacito diſtribuit, vt hic potius, quàm aliter eſſet oculus, ille verò manus, aut pes.

9. Mens eadem eſt Auguſtini tractat. 14. in id Ioan. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. Quomodo*, inquit, *aliud accipit manus, vt operetur: aliud oculus, vt videat: aliud auris, vt audiat; anima tamen vna eſt, quæ agit omnia: in manu vt operetur, &c. Sic ſunt etiam diuerſa dona fidelium, tanquam membra ad menſuram propriam cuique diſtributa; ſed Chriſtus, qui dat, non ad menſuram accipit.* quæ verba ſuis commentariis ad Epheſ. inſeruere Beda, & Anſelm.

10. *Epheſ. 4.* Ideo ſequentia verba Apoſtoli. *In menſuram vniuſcuiuſque membri*, exponit Anſelmus, *quia vnuſquiſque iuxta modum ſuum operatur bona, & per hæc creſcit vſque ad menſuram quantitatis ſuæ. Vnuſquiſque enim ſecundum ea, quæ operatur, magnus, aut paruus dicitur.* Et poſt pauca: *Hæc autem operatio ſit in menſuram vniuſcuiuſque membri, id eſt, ſecundum quod vnumquodque membrum poteſt operari.*

11. *Gradus gratiæ. & gloriæ prædefinitus.* Ad maiorem explicationem aſſertionis primæ, dico ſecundò, gradus & menſura gratiæ & gloriæ prædefinitus eſt à Deo:

Probatur primò, nam gradus & menſura gratiæ & gloriæ commenſuratur augmento virtutum & meritorum. Menſuram verò ſpiritualis incrementi virtutum & meritorum, à Deo eſſe præſcriptam, notauit Gregor. lib. 12. moral. cap. 4. ad finem, dicens: *Nemo eſt qui tantum virtutum apprehendat, quantum deſiderat. Quia omnipotens Deus, interiora diſcernens, ipſis ſpiritualibus profectibus modum ponit.*

12. Secundò, nam, vt Anſelm. in Elucidario in med. *Nullus*, inquit, *plus laborare poterit, quam eum diuina gratia iuuerit: nec aliam manſionem quis habiturus erit, quam eam, ad quam ante mundi exordium præordinatus eſt.* Atque perſpicue docet gradum atque menſuram gratiæ & gloriæ prædefinitum eſſe.

13. Tertiò; quoniam id etiam colligi poteſt ex illo teſtimonio Athanaſij, quod retulimus ſect. 5. num. 2. Nam ſecundùm aliam interpretationem ſic habet. *Tanquam diuinitus ſint præparata, quouſque ſit procedendum*, videlicet, quibus limitibus finiendus ſit progreſſus & incrementum bonorum, & virtutum, quæ Dei prædeſtinatione parata ſunt.

14. Quartò colligitur etiam ex verbis Apoſtoli Philippica 3. *Sequor autem, ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Ieſu.* Quæ S. Thomas in comment. lect. 2. ſic ponderat. *Non omnes habent æqualem beatitudinem, quia quidam clarius videbunt, ſicut quidam ardentius amabunt, & magis gaudebunt. Vnde quilibet habebit certam menſuram, & hoc à prædeſtinatione diuina. Et ideo dicit: In quo & comprehenſus ſum. Quaſi diceret, in tali menſura intendo comprehendere, ſecundùm quod mihi diſpoſitum eſt a Chriſto.* Vbi manifeſte tradit, menſuram gratiæ & gloriæ Dei prædeſtinatione præſcribi.

15. Conſonat Ægidius in 2. diſtinct. 29. quæſt. 2. artic. 1. dubio laterali 1. præcipuè versùs finem illius. Et in principio ſequentis dubij 2. Nam vtrobique docet, totam inæqualitatem meritorum prouenire à Dei voluntate, tanquam prima cauſa, mouente ad hoc ipſum cauſas ſecundas ſecundùm maiorem, aut minorem conatum, & pugnæ difficultatem. Denique ante præuiſa opera, & ſine ratione diſcriminis ex parte liberi arbitrij, prædefinitum eſſe gradum gratiæ, atque gloriæ, ad quem peruenturus eſt quilibet prædeſtinatus, diſertis verbis docent huius ætatis Theologi, vt Bellar. lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 15. de obiect. 3.

Quintò probatur efficaci ratione, fundata in verbis Apoſtoli Epheſ. 4. quæ ponderauerunt Patres citati num. 6. & ſequentibus. Nam creatoris munus perfectè non exerceret Deus, niſi menſuram, locum, & ordinem vnicuique membro præſcriberet; ſed hominis arbitrio permitteret, vt digitos faceret maiores, aut minores, vel vt oculos alia in ſede, vel maiores collocaret; ſimiliter ergo ſupernaturalis authoris officium Deus non exerceret perfectè, niſi menſuram, locum & ordinem præſcriberet vnicuique membro ſui corporis myſtici, quod eſt Eccleſia. 16. *Probatur ratione.*

Confirmatur primò, quia licèt à materiali corpore myſticum differat in eo, quòd huius membra liberè poſſunt cooperari, & non cooperari ad ſuum incrementum. Nihilominus in eo conueniunt, quòd omnibus Deus præſcribere poteſt menſuram, vnicuique iuxta ſuam naturam, & dignitatem, accommodando prædefinitionem. Hoc autem ſufficit, vt in hoc ſicut in aliis proportionibus valeat argumentum, à materialibus membris ad myſtica ductum, vt frequens eſt apud Paulum 1. Corinth. 6. & 12. & Epheſ. 4. & 5. 17. *Myſtici & materialis corporis differentia, & conuenientia.*

Hoc eodem adhibito temperamento, ſuam vim habet confirmatio ſecunda, ex verbis Chriſti Domini Matthæi 6. *Quis veſtrùm cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum.* Nam multo magis impoſſibile eſt per humanas vires, aut per auxilia minoris intentionis, & perfectionis proficere, & augere vſque ad perfectionem maiorem, & intenſiorem. Rurſus ſicut homines nonnunquam animalibus & plantis impediunt incrementa, ſubtrahendo cibum, opprimendo ponderibus, cohibendo funibus, & includendo vaſculis: ſic etiam, & magis per ſe & immediatè poſſunt ſibi ipſis impedire ſpirituales profectus. Verumtamen Deus poteſt efficaciter prædefinire, vt liberè velint, non impedire, ſed cooperari. Et in ſenſu compoſito cum hac prædefinitione, nullus poteſt ab ſtatura ſua detrahere cubitum vnum, nec minimum gradum ſpiritualis incrementi. 18.

Confirmatur tertiò, omnibus quippe vaſis & illis præſertim quæ ſunt in honorem, figulus modum atque menſuram præſcribit. Alioqui non plene ſatisfeciſſet arti. Deus autem ſe gerit vt figulus; prædeſtinati verò ad gratiam, vel gloriam ſunt quaſi vaſa in honorem, Rom. 9. 19. *Deus figulus, electi vaſa.*

Quartò confirmatur, quoniam & architectus debet ſingulis lapidibus, in templo collocandis, menſuram præſcribere, præſertim qua parte faciem templi ornant artificioſa varietate, vel vniformitate. Hunc autem ornatum Eccleſiæ præſtant fideles ſupernaturalibus donis & actibus illorum, maximè verò triumphantem Eccleſiam ornant prædeſtinati.

Dico tertiò, ex præcedentibus probationibus euidenter infertur, omnibus ſupernaturalibus operatio 20. *Supernaturalis operatio-*

Digitized by Google

num circumſtantia prædefinita.

operationibus Deum prædefiniuiſſe menſuram, & limites intenſionis, extenſionis obiectiuæ, durationis, ſeu continuationis, repetitionis, ſeu frequentationis, & numeri perfectionis, tam prouenientis ex obiecto formali, ſeu ex genere, quàm ex obiecto materiali, ſeu circumſtantiis, ac ſubinde facilitatis, ac difficultatis.

Iuuât ad augendum, vel minuendum meritum.

Illatio probatur, quoniam hæc omnia iuuant ad augendum, vel minuendum meritum gratiæ & gloriæ: ideóque non poteſt prædefiniri certus ac determinatus gradus gratiæ & gloriæ; niſi hæc omnia prædefiniantur: vel certè Deus ſpectet intuitiuam cognitionem futurorum, per quam exploret, vtrùm hic prædeſtinatus ad tantam perfectionem perueniret vſque ad tale tempus, & per tales actus; quo viſo, decernat prorogare viæ curriculum, vt augeat merita, ſi menſuram adhuc non expleuit: vel ſuccidat, ſi gradum expleuit. Quod minus perfectæ gubernationis erit, præſertim cùm poſſit à principio ſalua libertate gradus omnes prædefinire; dicente Fulgentio lib. 1. ad Monimum cap. 13. in princip. *Nullius aduerſitatis impeditur obſtaculo, quo id, quod promiſit, aut minus quam vult, aut tardiùs faciat.*

21\. *Naturalibus actibus Dei prædefinitio præſcribit menſuram.*

Ad vniuerſaliorem amplitudinem præcedentium aſſertionum dico quartò. Non tantùm ſupernaturalibus & meritoriis, ſed etiam quibuſlibet actibus humanis, imò etiam quibuſlibet rebus Dei prædefinitio præſcribit limites & menſuram, ſicut & cæteras circumſtantias. Quas omnes Proſper epigram. 44. complectitur.

Lex æterna Dei ſtabili regit omnia nutu,
Nec mutat vario tempore conſilium.
Vt locis præſens, ſimul eſt Deus omnibus vnus;
Sic rerum metas ſecum habet & numeros.
Nec ſerum aut properum ſibi ſentit in ordine rerum,
Cui cuncta aſſiſtunt acta & agenda ſimul.

Perpende primò, quàm generaliter de rebus omnibus loquitur. Deinde conſidera ſingulas circumſtantias vniuerſaliores, videlicet, loca, metas, ſeu limites, quibus terminanda eſt vniuſcuiuſque menſura; deinde tempus, aut inſtans in penultimo verſu,

Nec ſerum, aut properum.

22\. Magis expreſſam de voluntate & eius operibus mentionem faciens, eorum fines, ſeu limites præfixos eſſe, notat epigram. 58.

Hinc mutabilium rerum immutabilis ordo
Æterni ſeruat legibus artificis.
Inque ſuos fines procedit quæque voluntas,
Nec variis meritis arbiter æquus abeſt,
Corda regens, vires tribuens.

23\. *Modus præſcribēdi mēſuram prauis & bonis operibus.*

Recolendum tamen eſt diſcrimen inter modum, quo Deus menſuram præſcribit prauis operibus, & modum quo præſcribit menſuram nocumentis & calamitatibus, aut bonis operibus. Nam prauis operibus menſuram præſcribit ſolùmodo, permittendo, vt creſcant, & augeantur vſque ad tantam quantitatem; ſed poſitiuè & per ſe cauſando, vt ſupra menſuram illam non augeantur. Contrà verò nocumentis & calamitatibus, inde reſultantibus, & potiori ratione bonis operibus Deus menſuram præſcribit, poſitiuè & per ſe cauſando, vt augeantur vſque ad tantam quantitatem; atque vt eam quantitatem non excedant, quando in hoc nullum inuoluitur peccatum.

24\. Ita intelligendum eſt quod Baſilius Iſaiæ 13. *Dæmon*, inquit, *vel tantillum amaritudinis à te non poteſt auferre, nec ad prædefinitam pœnam adiicere: ſed immaniter ac ſeueriſſimè in dicta ſibi menſura ſolet vti.* Auguſt. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 16. poſt med. *Tanta*, inquit, *ab inimicis Iudæis manus Dei, & conſilium prædeſtinauit fieri, quanta neceſſaria erant Euangelio propter nos.*

Gregorius, quem retulimus ſect. 5. num. 10. docuit, *ſtatutum eſſe homini quantum hunc mundi proſperitas ſequatur, vel quantum aduerſitas feriat.* Et Iſidorus ſententiarum cap. 5. notat, *inſidias diaboli à poteſtate diuina non egredi, ne tantum noceant, quantum malitioſè contendunt.* De quo videnda ſunt, quæ tractauimus tomo præcedenti de voluntate Dei diſputat. 44. ſect. 3. & 4. 25.

Totius ſectionis præſentis deciſionem corroborat indiſſolubilis cohærentia, qua ſe mutuò inferunt menſura malorum, & menſura bonorum. Nec enim bonis, quæ Deus colligit ex malis, potuiſſet menſura prædefiniri; niſi malis præſcriberetur menſura. Rurſus, vt malis præſcribatur menſura, nullum erit medium; niſi prædefiniendo menſuram bonorum, quibus prauæ voluntates præſciuntur abuſuræ, ſecundùm ea, quæ tractauimus dicta diſputat. 44. ſect. 1. & 2. Et prædefiniendo etiam menſuram bonorum, quibus prauæ voluntates cohibentur, ne præſcriptam menſuram excedant. 26. *Indiſſolubiliter ſe inferūt malorum, & bonorū menſura.*

Declaratur, & probatur exemplo Regis Achab, cui propter calumniam, homicidium & vſurpatum agrum Naboth iuſta pœna prædefinita, & denunciata fuit 3. Reg. 21. *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* Obſerua non ſolùm actionem, ſed etiam circumſtantiam loci, quæ multum referebant, ad oſtendendam cauſam ſupplicij. Hæc autem impleta ſunt per plurimas actiones liberas, non ſolùm bonas, ſed etiam malas, vt videre eſt in vaticiniis Prophetarum circa belli euentum, & in fidelitate Regis ſequenti cap. 22. donec *vir quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens*, quantum erat ex vi ſuæ cognitionis & intentionis, reſpectu cuius *caſu percuſſit Regem Iſrael inter pulmonem & ſtomachum*; ſed magno & occulto Dei conſilio dirigente ſagittam, & impellente Regem & eius familiares, vt redirent in Samariam, & ſanguinem curtus lauarent, vbi lingerent canes. *Iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat.* Nec dubium, quin ob rationis paritatem idem ſentiendum ſit de cæteris effectibus, qui comparatione humanæ ignorantiæ caſuales, ſiue fortuiti videntur. 27.

SECTIO X.

Prædefiniendi rationes vrgentur circa reprobos, & circa omnes operationes moraliter tantùm honeſtas.

OMnes rationes, adductæ diſp. 1. tota ſect. 9. efficaciter probant, eſſe prædefinitas in particulari non ſolùm operationes omnes, quæ non fuerint ab intrinſeco repugnantes diuinæ legi; ſed etiam quaſlibet circumſtantias illarum in particulari. Hæc enim erit optima prudentiæ ratio, media deſtinantis ad finem modo conuenientiſſimo. Nam circumſtantiæ mediorum conducunt ad efficacitatem conſecutionis, & ad obtinendum finem, ſuo loco, & tempore, modo, & gradu per prouidentiam intento. Hinc etiam conſurgit maior gloria diuinæ miſericordiæ, libertatis, ſapientiæ, omnipotentiæ, nec non diuinæ gratiæ; prout fuſiùs oſtenſum eſt in eadem ſect. 9. 1. *Quorū operū circumſtantias prædefinitas eſſe probent præcedētes rationes.*

Sed

Digitized by Google

2\. *Reproborum & eorum operationū prædefinitio corroboratur.*

Sed quoniam prædictæ rationes clariores, ac firmiores vires oſtendunt circa prædeſtinatos, & eorum ſupernaturales operationes: videntur autem obſcuriores atque debiliores circa reprobos, & eorum ſupernaturales operationes, maximè verò circa nonnullas operationes moraliter honeſtas & elicitas per ſolas vires naturæ; ſi nihil conducunt ad finem prædeſtinationis: ideo harum operationum prædefinitio magis corroborabitur in præſenti.

3\. Reproborum ergo ſupernaturales operationes prædefiniri, docuit expreſsè Ruardus art. 7. contra Lutherum propius ad med. quàm ad principium, propoſit. 10. ad finem pag. 314. ſed magis ex profeſſu Franciſcus Suarez lib. 3. de auxil. c. 17. num. 16. & ſequentibus.

A prædefinitione Dei ſolum opera intrinſecè mala excipiunt Patres.

Probatur autem primò. nam generaliter Patres, in præcedentibus ſectionibus citati, præſertim Auguſt. Proſper, & Fulgentius citati ſect. 4. n. 6. & ſequentibus, à prædefinitione, ſeu prædeſtinatione Dei nullum opus excipiunt, eo quòd ſit perſonæ, quæ præſcitur fore damnanda, ſed tantùm excipiunt opera intrinſecè mala, vt fuſiùs vidimus tom. præced. de volũt. Dei d. 35. ſect. 1. & 2.

4\. *Filiatio Dei etiamſi ſit in reprobo prædefinitione digna.*

Confirmatur, nam filiatio Dei, ius ad hæreditatem & gloriam, & familiaris communicatio cum Deo, digna ſunt, vt prædefiniantur à Deo, etiam quando reperiuntur in homine præſcito. Nam ex futuro lapſu, & damnatione perſonæ non amittunt ſuam dignitatem ea dona, cùm eſſentialiter ſint participationes diuinæ naturæ, quantum ex ſe eſt perpetuæ. Atque huius perfectionis initia einſdem ordinis habent præſciti, quando credunt, ſicut oportet, licèt hæreant in mortali peccato: ideóque actus fidei etiam imperfectus, inchoatus & informis, dignus eſt prædefinitione diuina.

5\. *Fideles præſciti quoad aliquos actus membra Christi.*

Probatur ſecundò, quia fideles quilibet, etiam præſciti & reprobi, quantum ad quoſlibet actus ſupernaturales & dona ſunt membra corporis myſtici, lapides pretioſi, & vaſa in honorem. Quapropter quantum ad hos actus, viget in eos ratio, probans, prædefiniendum eſſe illorum profectum in particulari cum omnibus circumſtantiis, ſecundùm ea, quæ diximus ſect. 9. num. 16. & ſequentibus.

Vocatio congrua datur ex intentione cooperationis.

Tertiò, quoniam quiliber homines, quantumcumque præſciantur finaliter peccaturi, non poſſunt credere, ſperare, pœnitere, vel diligere ſicut oportet, niſi Pater eos ad filium traxerit per vocationem congruentem, & opportunam. Talis autem vocatio non datur à Deo niſi ex intentione efficaci, qua diſponit, vt homo cooperetur ad actum ſupernaturalem. Semper igitur hos actus prædefinit efficax intentio Dei

6\. *Prædefinitio diſcernit credentem à non credente.*

Quartò, quoniam ſola Dei prædeſtinatio, ſeu prædefinitio diſcernit credentem, ſperantem, vel diligentem, ab eo, qui tales actus non elicit; vt videbimus tomo ſequenti tractantes illud 1. Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit.* Quapropter nullus præſcitus crederet, ſperaret, aut diligeret ad tempus; niſi hoc fuiſſet Dei prædeſtinatione donatum. Prædeſtinationem dico ſecundùm quid ex parte durationis, & donorum, ad quæ prædeſtinantur.

Eodem modo poſſunt inſtaurari rationes aliæ, quæ probant, in particulari fuiſſe prædeſtinatas omnes ſupernaturales operationes electorum. Obiectiones nonnullæ poſſent aduersùs præſentem aſſertionem opponi, quæ prætermittuntur, quoniam eorum ſolutio facilè deducitur ex ſupradictis, præſertim ſect. 8. num. 7. & ſequentibus.

Venio ad ſecundum difficultatis articulum. Quoſdam actus moraliter bonos, & elicitos per ſolas vires naturæ, non eſſe prædefinitos à Deo, præſertim in hominibus non prædeſtinatis, exiſtimarunt Durand. Corduba, & Franciſcus Suar. citati ſect. 1. n. 8. Præcipuum fundamentum eſt, quia talium actuum quamplurimi nihil proſunt ad obtinendam vitam æternam, nec Deo ſpecialiter deſeruiunt ad aliquem peculiarem finem prouidentiæ eius; ergo non ſunt peculiariter intenti, aut voliti à Deo; ſed committuntur generali curſui cauſarum ſecundarum cum generali concurſu: hoc autem ipſum eſt non prædefiniri. 7.

Actus naturales nõ prædefiniri putarunt aliqui.

Præcipuum fundamentū.

Nihilominus exceptionem hanc non eſſe admittendam, probatur primò, quoniam ex teſtimoniis Scripturæ, & antiquorum Patrum, quæ præcedentibus ſectionibus allata ſunt, aliqua generaliter tractant de quibuſlibet actionibus honeſtis, abſque vlla exceptione. 8.

1. Audiendi non ſunt.

Probatur ſecundò, quoniam omnis actus moraliter honeſtus ratione ſui, præciſo quolibet alio fine, dignus eſt, quia diuina voluntate ſit efficaciter intentus, & prædefinitus, quoties non impedit ſecundarum cauſarum ordinem, neque perturbat ſeriem prædeſtinationis, aut reprobationis. Tales autem ſunt omnes, qui de facto eliciuntur. 9.

2. Quia omnes actus honeſti prædefinitione digni.

Confirmatur, quoniam omnis actus moraliter honeſtus ratione ſui, præciſo quolibet alio fine, dignus eſt vt ametur efficaciter ab homine. Ergo à fortiori amabitur etiam à Deo. Tum quia diuinæ voluntatis propenſio ad honeſtos actus eſt infinitè maior: tum etiam, quoniam Deus vt author naturæ eſt præcipua cauſa, cui præcipuè tribuendus eſt talis actus honeſtus.

Probatur tertiò, quia nullus eſſe videtur actus moraliter honeſtus, qui non deſeruiat ad aliquem bonum finem, quem ſpecialiter intendere dignum eſt infinita bonitate, clementia, & ſapientia Dei. Nam quilibet actus moraliter honeſtus Deo deſeruit, in primis ad impedienda peccata, quæ directè, vel indirectè repugnant ſimul exſiſtere cum illo. Secundò deſeruit ad liberandum hominem à pœna æterna, vel temporali, quam propter illa peccata mereretur. Tertiò mereretur temporale præmium. 10.

3 Quia apud plures fines à Deo intentos, deſeruiunt. Eorum vtilitas prima impedire peccata. Secunda liberare à pœna æterna. Tertia meritum præmij temporalis.

Quartò adquirit habitum virtutis moralis, quo naturaliter ornatur animus: quam pulchritudinem intendere dignum Deo magis, quàm intendere pulchritudinem florum, auium, aut animalium. Quintò inde ſequitor etiam diminutio, aut totalis extirpatio vitioſi habitus contrarij. Vnde ſextò ſequitur vt in futurum idem homo plures actus honeſtos, pauciores autem turpes elicist, quàm eliceret alias, nec ita præſens ruat, ſed faciliùs, & ſæpiùs cohibeat, vel certè minoris grauitatis peccata committat. Hæ omnes vtilitates pertinent ad bonum priuatum elicientis actum moraliter honeſtum. 11.

Quarta honeſti habitus acquiſitio. Quinta oppoſiti deſtructio. Sexta productio frequens actuum honeſtorum.

Ex his autem emanant aliæ plures vtilitates ad bonum aliorum. Nam vniuerſitas hominum, velut vna reſpublica, cuiuſque ciuis particularis virtute honeſtatur, ornatur, & honoratur. Rurſus ſi prodeat in opus exterius, prouocat alios ad virtutis ſtudium, & habentem reddit aptum, vt de virtutibus moralibus rectè ſentiat, loquatur, conſulat, ſcribat, quibus inſtruantur, & perſuadeantur alij, atque vt legibus honeſtis, & 12.

Vtilitates aliæ generales.

recta

recta iuſtitiæ adminiſtratione rempublicam in officio contineat.

13. Deinde quilibet exercens actum virtutis moralis, euitat maius ſcandalum, vel nocumentum, quod præberet aliis hominibus, præcipuè prædeſtinatis, & minus impedit virtutes eorum; imò nonnumquam ad illas exemplo, & conſilio prouocat; potiſſimum verò filios, atque poſteros prædeſtinatos exemplo iuuat, & hæreditaria traditione virtutis.

14. *Alia peculiares.* Sed vltra prædictas vtilitates prædeſtinatus habet alias ſibi peculiares. Nam per actum virtutis moralis reddit ſe minus impeditum ad ſupernaturalia auxilia recipienda, & ad cooperandum cum illis, imò & aliquam illorum opportunitatem offert, vt probabimus infrà diſput. 16. Præterea ſi virtutis moralis actus imperetur ab actu ſupernaturali, ſuo modo iuuat ad obtinendum augmentum gratiæ, & gloriæ: quod non eſt huius loci explicare. Atque iſtæ vtilitates ſuo modo conueniunt etiam illis præſcitis, qui prædeſtinati ſunt ad aliquos actus ſupernaturales, vel etiam ad gratiam iuſtificantem aliquo tempore habendam.

Actus naturalis à ſupernaturali imperatus auget gratiam

15. Poſtremò dubium non eſt, quin Deo notæ ſint aliæ plurimæ vtilitates, quas peculiariter colligat ex actibus moraliter bonis, etiam illis, quorum peculiares vtilitates magis latere videntur. Quippe qui nullum particolare peccatum permittit, niſi propter aliquod bonum ex eo colligendum, quod ſine illo non colligeretur: multo credibilibus eſt ex ſingulis operibus bonis colligere aliquod bonum.

16. *4. Quia is eſt perfectior modus prouidentiæ.* Probatur quartò. Nam licèt præſcindamus ab intrinſeca appetibilitate, quam omnis actus moraliter bonus iure ſuo vendicat, & ab vtilitatibus modò numeratis, & à quibuſlibet aliis: adhuc foret perfectior modus prouidentiæ, magiſque dignus vniuerſaliſſimo, ſapientiſſimo, & potentiſſimo gubernatore, quaſlibet bonas operationes in particulari, decernere propter rationes, quas attigit præſentis ſectionis exordium, & habentur ſuprà diſp. 6. ſect. 9.

17. *Alia ratione probatur.* Confirmatur, quia Deus præſcit, quoſnam actus moraliter honeſtos, quælibet voluntas ſit elicitura in quibuſlibet circumſtantiis: inſuper Deo volente, vel permittente ſuccedunt omnes circumſtantiæ. Præterea Dei voluntas antecedenter ſaltem, & per ſimplicem complacentiam omnes actus moraliter bonos ardentiſſimo amore proſequitur, tanquam ſuæ bonitatis, & ſapientiæ riuolos, & imitationes. Quibus fundamentis præſuppoſitis, nulla boni ratio poteſt excogitari, quæ vehementiſſimam hanc diuinæ voluntatis propenſionem cohibeat, ne ſuo pondere feratur ad efficaciter volendum quemlibet actum moraliter bonum, de facto eliciendum, atque circumſtantias omnes diſponendas, vel permittendas ea intentione; vt faciat elici talem actum moraliter bonum.

18. *Obiectio.* Supereſt vna difficultas, quoniam ad omnes vtilitates ſupradictas videtur intereſſe nihil, vtrùm hic actus honeſtus fiat, vel aliter ſolo numero diſtinctus, vtrùm fiat paulo antea, vel poſtea, & vtrùm habeat alias circumſtantias, quibus nihilo magis honeſtus, nec magis vtilis redditur; ergo ſaltem erit ſuperfluum, à Deo prædefiniri tales differentias numericas, vel tales circumſtantias. Explicatur magis ſi prædefinitur, vt præbeas indigenti calicē aquæ frigidæ, nihil intereſt, vtrùm hanc partem aquæ, potius quàm aliam haurias ex eadem hydria; nec vtrùm vnam, aut alteram guttam plus, aut minus haurias, vel ſupereffluere facias, nec vtrùm hoc vaſe, vel alio æqualiter apto.

Reſpondetur, ſine dubio ſunt plurimæ circumſtantiæ, atque plurimæ differentiæ numericæ, vel potiùs infinitæ, quæ nihil magis, nec minus prodeſſent ad obtinendos peculiares fines prouidentiæ, ſed prorſus æqualiter. Nihilominus non ſolùm prodeſt, ſed etiam neceſſaria eſt determinatio alicuius in particulari: ſicut eodē exemplo demonſtrari poteſt. Nam ſi nulla cauſa determinet vt hanc partem aquæ, potius, quàm illam in tanta menſura, hìc, & nunc bibas, nunquam bibes, & interibis ſiti. Quod idem erit de pane, veſtimento, ac cæteris ad vitam corporis, aut animæ ſimpliciter neceſſariis. 19.

Soluitur ac confirmatur præcedens doctrina.

Cùm igitur res hæc ſit tanti momenti, vt impoſſibile ſit obtineri bona vniuerſalia, niſi per aliquam cauſam determinentur differentiæ numericæ, & omnes particulares circumſtantiæ, nulla excepta: conſequens eſt, vt non ſit indiguum vniuerſaliſſimo gubernatore, & motore omnium cauſarum, iuxta vniuſcuiuſque naturam prædefinire determinationes, ab illis ſeu liberè, ſeu naturaliter adhibendas. Quas ea ratione Deus efficaciter vult, quoniam prædicto modo requiruntur ad vniuerſale bonum, & perfectam adminiſtrationem vniuerſi. Authores autem, qui Deo reſeruant determinationem omnium differentiarum inindiuidualium; hanc etiam rationem poterunt accumulare præcedenti, vt neceſſarium ſit in particulari ſingulos actus prædefiniri. 20.

Ex his conſtat ſolutio primarij fundamenti contrariæ ſententiæ. Quæ adiungit etiam aliud argumentum ex D. Thom. 1. p. quæſt. 23. art. 7. verùm inde potiùs colligi prædefinita eſſe omnia bona, licèt non principali prædefinitione, oſtendimus ſuprà ſect. 8. num. 7. & ſequentibus. Denique Patres, qui diligenter admonent non omnia prædefiniri, licèt omnia præcognoſcantur; agunt de actionibus peccatorum, vt vidimus tom. de voluntate Dei diſp. 35. 21.

Obiter etiam eſt obſeruandum ex eo quòd aliqui actus moraliter boni non prædefinirentur, non ſequi prouidentiam Dei circa illos eſſe merè permiſſiuam, & ſimilem prouidentiæ circa prauas operationes, neque poſſe colligi caſualem, ſiue fortuitam eſſe illorum prouidentiam, aut cæcam, vel confuſam, vt contendit Zumel tom. 1. variarum diſputationum, in quadam concluſ. 3. pag. 355. & ſeq. Has enim obiectiones ſapienter præoccupauerat Franciſcus Suarez dicto lib. 2. cap. 7. & in quantum illæ obiectiones oppugnant prouidentiam permiſſiuam circa materiales actiones peccatorum, ſolutæ ſunt eodem modo præcedent. diſputatione 50. 22.

Si non prædefiniantur, eorum prouidentia non eſſet merè permiſſiua.

SECTIO XI.

In diuina prouidentia, quod genus eſt perfectionis, ad quam pertinet prædefinitio determinata cuiuſlibet actionis honeſtæ.

Diriguntur hæc ad maiorem explicationem, & confirmationem illarum rationum, quas attulimus in ſect. præcedent. diſp. 6. ſect. 9. Diuiſiones duæ viam aperient deciſioni. Perfectiones diuinæ 1.

Diuina prouidentia perfectio duplex.

diuinæ prouidentiæ conſtituuntur in duplici genere. Aliæ quippe ſunt ita neceſſariæ, vt Dei libertati non ſubſint: aliæ verò ſunt abſolutè liberæ. Rurſus primum genus ſubdiuiditur: alia namque perfectio neceſſaria eſt abſolutè, hoc eſt, nulla facta ſuppoſitione: quoniam eam in Deo non fuiſſe contradictionem inuoluit. Huiuſmodi perfectio eſt comprehenſiua cognitio creaturarum omnium poſſibilium, & amor complacentiæ erga illas, & omnipotentia, ſine cuius nutu creaturam aliquam exiſtere contradictionem implicet.

2\. *Prædefinitio neceſſaria nō pertinet ad perfectionem prouidentiæ.* Dico igitur primò. Nulla prædefinitio pertinet ad perfectionem diuinæ prouidentiæ, quæ ſit abſolutè neceſſaria, cuius euidens ratio eſt, quia quælibet prædefinitio, eſt decretum liberum de rebos faciendis ad extra: potuitque Deus ab æterno decernere, nihil ad extra producere.

Confirmatur, quoniam eſto neceſſarium fuiſſet tanquam ad Dei conſtitutionem pertinens, aliquid ad extra faciendum prædefinire, adhue liberum illi foret quamlibet particularem & determinatam prædefinitionem diuiſiuè prætermittere, ideóque nulla in particulari foret abſolutè neceſſaria.

3\. Sub eodem primo genere perfectionis reperitur alia perfectio, quæ licèt non ſit abſolutè neceſſaria, cæterùm neceſſaria eſt ex ſuppoſitione; quemadmodum vera loqui non eſt abſolutè neceſſariom Deo, quia potuit æternum ſibi ſilentiom indicere. Cæterùm ex ſuppoſitione quòd loquatur Angelis, aut hominibus, omnino neceſſarium eſt vera loqui, ſimiliter explere promiſſa non eſt abſolutè neceſſarium; quoniam Deus potuit nihil promittere. Cæterùm ex ſuppoſitione, quòd promiſerit, omnino neceſſarium eſt explere promiſſa. De hoc genere perfectionis quæritur in præſenti, vtrùm ex ſuppoſitione, quòd Deus decreuerit Angelos, & homines ſua prouidentia gubernare, neceſſarium ſit eorum actiones prædefinire, itaut eas non prædefinire contradictionem inuoluat. Affirmant enim generaliter omnes phyſicæ prædeterminationis authores.

4\. *Potuit Deus non prædefinire actiones liberas.* Dico tamen ſecundò, illa etiam ſuppoſitione facta, quòd Deus decreuerit Angelos, & homines ſua prouidentia gubernare, adhuc non pertinet ad perfectionem prouidentiæ neceſſariam, actiones liberas prædefinire, ſed potuit Deus de potentia abſoluta ſine prædefinitione liberarum actionom, illis ſufficienter prouidere.

Probatur, quoniam tota quidditas, & eſſentia prouidentiæ gubernatiuæ liberarum actionum exercetur circa materiales actiones peccatorum; & tamen illæ non prædefiniuntur, vt oſtendimus ſuprà diſputat. 2. ſect. 6. & tom. præcedent. dicta diſput. 50. vnde poſſunt deſumi rationes magis à priori.

5\. Confirmatur primò, quia licèt materiales actiones peccatorum in eo valdè differant ab actionibus honeſtis, quòd ſunt incapaces prædefinitionis, tanquam media per ſe deſtinata ad fines contrarios intentioni Dei: cæterùm in eo conueniunt, quòd in quantum entia ſunt, requirunt Dei prouidentiam. Ideo quemadmodum erga illas actiones, tota & integra prouidentiæ quidditas non infert prædefinitionem; ita prædefinitionem non inferet neceſſariò erga honeſtas operationes.

Confirmatur ſecundò, quoniam capacitas prædefinitionis recipiendæ non infert neceſſitatem prædefiniendi, ſed ſolam poſſibilitatem. Idcóque diſcrimen honeſtatum operationum à prauis, conſiſtit in eo, quòd actiones honeſtas prædefinire poſſibile eſt, & expediens, non verò neceſſariom.

Probatur ſecundò, quia licèt prædicta ſuppoſitione facta ſit neceſſarium, quòd Dei prouidentia tribuat auxilia, & media, quibus Angeli, & homines poſſint honeſtas actiones operari; & quòd hæc tribuat propter ſuam gloriam, vt propter vltimum finem efficaciter intentum; nihilominùs non eſt ſimpliciter neceſſarium, quòd Deus efficaciter intendat finem proximum faciendi, vt fiant tales actus honeſti, ſed de potentia abſoluta, & attentis rerum naturis poſſibile fuit iſtius finis intentionem in Deo eſſe tantùm antecedentem, & quaſi conditionatam, videlicet intendendo, vt homines, & Angeli, ſi vellent, & quando vellent, operarentur honeſtas operationes, quas vellent, cum qua tamen intentione Deus neceſſariò retineret efficacem intentionem colligendi gloriam ſuam ex quolibet actu creaturarum. Has aſſertiones, & earum probationes, diffuſiùs tractat Franciſcus Soarez lib. 2. de auxil. cap. 7. à num. 6. vſque ad 10. 6.

Dico tertiò, prædefinitio determinata cuiuſlibet actionis honeſtæ cum omnibus circumſtantiis pertinet ad perfectionem liberam diuinæ prouidentiæ, quam Deus infallibiliter elegit, quemadmodum infallibiliter eligit ſe communicare creaturis, & attributa oſtendere, idque facere modo perfectiſſimo, & conſequenter infallibiliter eligit mundum producere, mundúmque valde perfectum. Hæc aſſertio ſatis probata manet tota ſect. præcedent. & diſp. 6. ſect. 9. præſertim ſuppoſita propenſione diuinæ voluntatis, infallibiliter inclinante ad eligendum illud bonum, quod eſt ſimpliciter optimum omnibus penſatis, quæ probata eſt tom. præcedent. tota diſput 9. & 10. 7. *Prædefinitio determinata eſt perfectio prouidentiæ.*

Aduersùs hanc deciſionem Arrubal. 1. part. diſput. 65. cap. 1. §. 3. contendit eſſe impoſſibile, non prædefinire aliquam actionem; ſed neceſſarium eſſe prædefinire ex ſuppoſitione quod fiat. 8. *Obiectio 1.*

Primum eius argumentum eſt, quia conditionata voluntas nihil operatur de facto, niſi purificata conditione, ſuccedat alia voluntas abſoluta; ergo nihil euenire poteſt à voluntate diuina, quod non efficiatur per voluntatem abſolutam.

Reſpondetur primò negando antecedens. Sufficit enim purificari conditionem, quando ponitur de facto libera determinatio libertatis creatæ, qua poſita conditione concurrit generalis voluntas Dei, qua vult concurrere ad omnem actionem, ad quam hæc voluntas ſeſe determinauerit, nec opus eſt nouam volitionem à Deo concipi, quoniam illa generalis, & conditionata ſufficientem efficacitatem habet, quantum eſt ex parte ſui. Explicatur, & probatur à ſimili cauſarum omnium naturalium, quarum operationes pendent à multis conditionibus, & ab aliis cauſis cooperantibus, quibus adhibitis non eſt opus nouam virtutem, & inclinationem abſolutam ſuperuenire prioribus cauſis, ſed per illam, quam priùs habebant, virtutem, & inclinationem concurrunt. Sol enim per eam ipſam potentiam & inclinationem illuminandi, quam habet, antequam feneſtram aperias abſque noua potentia, & 9. *Solutio 1.* *Explicatur.*

inclina

inclinatione ſuccedente, tuum cubiculum illuminat, poſita conditione aperiendi feneſtram.

Secunda ſolutio. Reſpondetur ſecundò. Quamuis Deus ſuppoſita ſcientia viſionis, qua præcognoſcit tanquam abſolutè futuram determinationem liberam voluntatis creatæ, conciperet volitionem abſolutam concurrendi cum illa, non eſſet prædefinitio, foret enim illa volitio poſterior operatione libera, foréque ſuperuacanea.

10\. *2. Obiectio eiúſque ſolutio.* Secundum argumentum eiuſdem authoris eſt, quia nihil poteſt in tempore fieri, niſi per actionem abſolutè terminatam ad exiſtentiam termini: talis autem actio eſt ſufficiens connotatum, vt Dei volitio intelligatur abſolutè terminata ad terminum, & ad exiſtentiam illius; ergo nihil poteſt in tempore fieri, niſi per voluntatem Dei abſolutam, & prædefinientem.

Reſpondetur. Hoc argumento ſupponitur, Dei volitionem abſolutam, & efficacem formaliter conſtitui connotatione tranſeuntis, & creatæ operationis terminatæ ad exiſtentiam alicuius creaturæ. Huius autem falſitatem aperuimus ſatis præcedenti tom. de voluntate Dei diſput. 11. & 12. Obiter autem admoneo prædictum authorem eſſe magis conſequentem, atque conſtantem, quàm alios, qui conſtituentes actum liberum Dei per relationem rationis, vel per extrinſecam denominationem, vel per connotatam actionem, aut aliquid aliud in obliquo, nihilominus aſſerunt aliquas operationes liberi arbitrij non eſſe prædefinitas.

DISPVTATIO X.

Vtrùm ſpecialis aliqua vis, & energia motiuorum allicientium, & omnium circumſtantiarum præciſa ſcientia media ſufficiat vt prædefiniantur aliquæ operationes in particulari cum omnibus circumſtantijs.

SECTIO I.

Deciſio declaratur, & probatur, ſacrarum litterarum exemplis.

1\. *Prædefinitionem præcedit ſcientia media.* SVPPONO ad quamlibet prædefinitionem, quomodocumque conſideretur, vel exiſtimetur fieri, neceſſariò præſupponi ſcientiam aliquam conditionatam, qua Deus certò ſciat, quòd ſi huic arbitrio tribuat tales cogitationes, & impetus cum tali concurſu, & cum talibus circumſtantiis, liberè conſentiet, & operabitur talem operationem, quæ ſcientia niſi præſupponatur ante decretum prædefiniens, modus prædefiniendi cæcus erit, & expoſitus periculo fruſtrationis, quantum ex ſe eſt. Quam ob cauſam etiam phyſicæ prædeterminationis authores non poſſunt Deo concedere volitionem abſolutam & efficacem, qua prædefiniatur actus fidei eliciendus à Petro hìc & nunc, niſi præſupponant Deum certò ſcire, quòd Petrus, & quilibet alius homo hìc & nunc eliciet actum fidei; ſi Deus illi phyſicam prædeterminationem tribuat ad eum actum.

Ideo diſputatio præſens non præſcindit à qualibet ſcientia conditionata, ſed potiùs præſupponit ſcientiam, qua Deus præſcit infallibilem eſſe connexionem talis actus liberi cum talibus motiuis, & circumſtantiis, quales ſi adhibeantur alicui hominum, infallibiliter, & liberè concipiat talem actum. Inſuper quoniam de vaga infallibilitate, & prædefinitione dictum eſt ſatis in diſputat. 8. reſtat ſolummodo dicere de infallibilitate actus in particulari cum omnibus circumſtantiis. 2.

Præſcindimus autem ſcientiam mediam, ſed minimè negamus; quin potiùs generalis prædefinitio quarumlibet bonarum operationum, quam tota diſputat. 9. probauimus, nequit fieri niſi per ſcientiam mediam; quoniam plurimæ operationes non ſequuntur infallibiliter ex motiuis & circumſtantiis, vt oſtendemus ſect. vltima. Cæterùm ad meliùs penetrandam vim, & energiam quorumdam motiuorum, & fortiores quoſdam modos alliciendi, quos Dei prouidentia exercet, tantiſper ab ea ſcientia præſcindimus, & conſideramus ſolummodo ſcientiam infallibilis conſecutionis. 3.

His præmiſſis deciſionem expòno duabus propoſitionibus. 4.

Prima, ſpecialis aliqua vis & energia motiuorum allicientium addito concurſu proportionato, & collectione circumſtantiarum omnium, ſufficit ad prædefiniendos aliquos actus ex vi ſcientiæ, qua cognoſcitur eorum infallibilis conſecutio, ita vt etiam præſcindendo ab alia ſcientia media nullum eſſet periculum fruſtrandi talem prædefinitionem: ſed Deus pluſquam metaphyſicam certitudinem, & ſecuritatem haberet de illius eximia poteſtate in actu primo. *Poſſibilis prædefinitio ex vi motiuorũ infallibiliũ.*

Secunda propoſitio, plurimi ſunt actus liberi, quos de facto Deus per energiam ſupradictam motiuorum infallibiliter allicientium prædefinit ita determinatè, & in particulari, vt ex vi prædictæ infallibilitatis, certa ſit & indubitabilis non modò ſpecifica ratio actus, ſed etiam differentia indiuidualis, & aliæ circumſtantiæ ſaltem præcipuæ, vt perſona, locus, tempus, menſura, intenſio, & extenſio obiectiua. *Plurimi actus in particulari, & determinatè ſit prædefiniti.*

Vtramque propoſitionem probo primò, quoniam de facto Deus adhibet aliqua exteriora motiua tanti ponderis, vt infallibiliter inferant actum liberum in tali tempore, & loco, cum tanto conatu & intenſione eliciendum. Prorſus hanc vim infallibilem Deus euidentiſſimè nouit, & illam amat & cauſat eo fine, vt exerceatur, & in actum prodeat; ergo Deus efficaciter vult talem actum liberum cum talibus circumſtantiis elici ex vi talium motiuorum. Hæc autem ipſa volitio efficax Dei eſt prædefinitio, quam in præſenti probare intendimus. 5. *Probatur 1.*

Maior probatur exemplis ſacræ Scripturæ, quæ quotidianis adhibitis clariora reddetur. 6. *Oſtenditur exemplis. Primum.*

Primum, quilibet arctiſſimo, diuturno, & obſcuriſſimo carcere detentus, ſubitò reſerata ianua Solis fulgente lumine, atque iudice præcipiente, vt protinus egrederetur ad magnam felicitatem, & vitæ iucunditatem, ſi certus foret de tali præcepto, quanto citiùs poſſet, alacriter egrederetur è carcere. Ideo dubitare non poſſumus, quin actiones illæ, quibus Noë, & filij eius & vxores egreſſæ ſunt ex arca, quamuis li-

betæ fuerint; nihilominus infallibiliter conſecutæ ſint ex motiuis interintibus, & exterioribus, videlicet ex annua teeluſione cum feris ſine lumine, ſine commoditate cibi, & potus, præſertim Deo præcipiente, *Egredimini, creſcite & multiplicamini.* Simúlque interiùs inſpirante, vt firmiter crederent, & ſperarent in Deum, Geneſ. 8.

7. Secundum. Secundum, & illuſtriſſimum exemplum Spiritus ſanctus propoſuit Geneſ. 11. quantum in diuino conſilio ponderentur infallibilizantia motiua, vt remoueantur ad eorum effectum impediendum, vel adhibeantur ad eorum effectum cauſandum, ita declarans. Geneſ. 11. *Deſcendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam, & dixit: Ecce vnus eſt populus, & vnum eſt labium omnibus; cœperúntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui, atque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem.*

8. Duplex infallibilitas hîc cernitur, altera proueniens ex vnitate labij, & populi, & opere cœpto per conſpirationem animorum, altera proueniens ex confuſione linguæ.

Prima infallibilitas illationis notatur à Chryſoſtomo homil. 30. in Geneſ. in medio, ſic exponente. *Si in tanta concordia, & linguæ vnitate in tantam inciderunt inſaniam, vbi tempus proceſſerit, quomodo non deteriora attentabant? non ceſſabunt enim ab his, quæ decreuerunt facere, nihil eorum impetum, & ardorem morari poterit; ſed omnia, quæ ſtatuerunt ſecum, ſtudebunt perficere ni ſtatim pro attentatis pœnas luant.* Vbi cùm apertè doceat impoſſibilitatem, intelligenda eſt impoſſibilitas moralis omittendi actum liberum, qui per moralem neceſſitatem, hoc eſt, infallibilitatem, ſequeretur, ex illis circumſtantiis, niſi mutarentur.

9. Similiter paulo inferiùs impoſſibilitatis verbo ſignificat ſecundam illationis infallibilitatem, cùm ait, *ſicut linguæ vnitas cohabitationem fecit, ita linguæ diuerſitas. Nam quibus non eſt idem ſermo, & lingua, quomodo cohabitare poſſunt.*

10. Infallibilitatem vtramque Daniel Abbas apud Caſſianum collat. 4 cap. 12. fine, ſic expoſuit. *Permanſiſſet igitur aduerſùs Deum, imò aduerſus eos, qui diuinam eius attentare cœperant maieſtatem, conſenſus noxius, niſi eos diſpenſatione Dei repugnans inter ſe diuerſitas linguæ per diſſonantiam vocis in meliorem ſtatum proficere compuliſſet, & quos ad excidium ſui animauerat pernicioſa conſenſio, ad ſalutem reuocaſſet bona vtiliſque diſcordia.* Perpende *compellendi* verbum, ſignificare ſolent infallibilitatem prouenientem ex vehementi efficacitate motiuorum, vt vidimus tota diſp. 7.

11. Secundam verò motiuorum efficacitatem notauit Auguſt. lib. 16. de ciuitate cap. 4. *Sic illa conſpiratio diſſoluta eſt, cùm vnuſquiſque ab eo, quem non intelligebat, abſcederet, nec ſe niſi ei cum quo loqui poterat, aggregaret, & per linguas diuiſæ ſunt gentes, diſperſæque per terras: ſicut Deo placuit, qui hoc modis occultis, nobiſque incomprehenſibilibus fecit.* Adhibet itaque Deus, quando vult infallibiliter allicientia motiua & circumſtantias, & eo conſilio, & intenſione adhibet, vt obtineat liberos actus, ad quos infallibiliter inclinant.

Tertium exemplum obſeruare licet Geneſ. 12. quando *flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abraham.* Nec dubium, quin Deus illi manifeſtauerit flagellorum cauſam, & durius imitaretur, niſi protinus cum honore Saram ſuo viro remitteret, ex quibus omnibus admonitionibus, flagellis, atque motiuis infallibiliter ſequebatur, vt liberè, quanto celeriùs poſſet, Pharao Dei voluntatem exequeretur. 12. Tertium.

Quartum ſit, quælibet mater ſanæ mentis, paruulum filium cernens in extremo vitæ diſcrimine, cognoſcénſque remedium præſens, quo poſſit illi ſuccurrere. Hæc enim ſine dubio quanta poterit celeritate, & affectus intenſione ſuccurret, præſertim Deo imperante, atque poſteritatis multitudinem, honoréſque promittente, vt Geneſ. 21. Angelus ad Agar; *Tolle puerum,* inquit, *& tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum; aperuitque Dominus oculos eius, quæ videns puteum aquæ abijt, & impleuit vtrem, dedítque puero bibere.* Nam præ ſiti iam de illius vita deſperabat: fuit autem incomparabilis exceſſus infallibilitatis, quo libera voluntas fugiendi in Ægyptum, deferendo Ieſum infantem, quanta maiori commoditate, & citiùs potuiſſet, conſequebatur ex affectu ſanctiſſimæ virginis, certiſſima fide, & ſpe, de promiſſis Dei per Gabrielem, & imperio fugiendi, aliiſque circumſtantiis. 13. Quartum.

Quintum. Timor ac terror tantus poteſt à Deo cordibus inimicorum immitti, vt eos liberè, & infallibiliter contineat ab inferendo bello, vel moleſtia iuſtis Dei fiducia roboratis, vt frequenter in ſacris litteris, & Eccleſiaſticis hiſtoriis legimus, ſufficiat Geneſ. 35. *Cúmque profecti eſſent Iacob, & filij eius, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Vnde Auguſt. quæſtionib. in Geneſim q. 112. *Incipiamus,* inquit, *aduertere quemadmodum Deus operetur in hominum mentibus. A quo enim timor Dei factus eſt in illis ciuitatibus, niſi ab illo, qui ſua promiſſa in Iacob, filiiſque ſeruabat?* & lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 21. tractans illud 2. Paralip. 25. *Virtus eſt Deo vel adiuuare, vel in fugam vertere. Quomodo,* inquit, *virtus Dei alios iuuat in bello, dando eis fiduciam, alios immiſſo timore vertit in fugam, niſi quia ille, qui in cœlo, & in terra, omnia quæcumque voluit fecit, etiam in cordibus hominum operatur.* Chryſoſt. homil. 60. in Geneſ. ſub initium. *Non ſolum,* ait, *Iacob, & filios eius à timore mortis liberauit, ſed alios etiam, qui vlturi erant, à conatu perſequendi retraxit.* & poſt pauca: *Sicut enim iuſto fiduciam dedit, ita illis dedit metum; enimuerò Dominus exiſtens, omnia prout voluerit vertit, & omnipotentem ſuam ſapientiam in omnibus declarat.* 14. Quintum.

Clarioribus verbis exponitur infallibilitas à timore proueniens, & appellatur neceſſitas. Iudith cap. 14. ſub initium: *Accipiat vnuſquiſque arma ſua, & exite cum impetu, non vt deſcendatis deorſum, ſed quaſi impetum facientes, tunc exploratores neceſſe erit vt fugiant ad Principem ſuum excitandum ad pugnam, cúmque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum truncum in ſuo ſanguine volutatum, decidet ſuper eos timor, cúmque cognoueritis eos fugere, ite poſt illos ſecuri, quoniam Dominus conteret eos ſub pedibus veſtris.* 15.

Sextum. Adoleſcens viribus corporis, & animi robuſtus, vltrò ſibi delatam regiam dignitatem, 16. Sextum.

conteſtan

Digitized by Google

conteſtantibus oraculis Dei, & populi conſenſu conſpirante non minus infallibiliter, quàm liberè capiet poſſeſſionem regni, quocumque modo ſibi fuerit à Deo, per ſuos miniſtros imperatum; vt videre eſt in Saule, Dauide, & Salomone, imò & de ſecunda poſt Regem authoritate cernimus idem in Ioſepho, & Mardochæo.

17. *Septimum.* Septimum ingruens ſubitò bellum vniuerſæ reipublicæ periculoſum, Regem quemlibet, aut Ducem, niſi fuerit mentis, aut cordis inops, infallibiliter adigit, vt à priuatis ſimultatibus, & ciuilibus bellis recedens, ſtatim ad arma conuolet aduerſùs hoſtes. Quemadmodum Saul perſequens Dauidem, quem parum aberat, vt caperet 1. Reg. 23. fine, audiens *nuncium, dicentem: Feſtina & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſthiim ſuper terram. Reuerſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid.* Obſerua dictionem illatiuam, *ergo.* ſignificat enim medium illud à Deo adhibitum habuiſſe vim infallibiliter inferendi liberam conſilij mutationem in Saule, inſuper ea intentione auertendi bellum à Dauide, Deum miſiſſe nuncium illum, colligi poteſt ab alia ſimili hiſtoria 4. Reg. 19. & Iſaiæ 31. *Ecce,* inquit, *ego mittam ei Rabſaci ſpiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terram ſuã, & deiiciam eum gladio in terra ſua.*

18. *Octauum.* Octauum. Quando Ieſus D. N. *voce magna clamauit: Lazare, veni foras,* Ioan. 11. Tanti miraculi nouitate, qui præſentes aderant, omnes infallibiliter impellerentur vt oculos, & animum intenderent ad conſiderandas in Lazaro vitæ operationes, & indicia, & præcipiente authore vitæ, ſoluerent, & ſinerent abire, poſteáque abſentibus, & inſciis infallibiliter narrarent.

19. *Nonum.* Nonum. Concionator Dei & animarum zelo vehementer accenſus, infallibiliter eligit apud eos prædicare, apud quos maius Dei auxilium, maiorémque fructum ſperat, ſicut Paulus Actorum 18. Quando *dixit Dominus nocte per viſionem Paulo: Noli timere, ſed loquere & ne taceas: propter quod ego ſum tecum; & nemo apponetur tibi, vt noceat te, quoniam populus eſt mihi multus in hac ciuitate,* videlicet Corinthiorum. Contrà verò concionator ibidẽ infallibiliter reuocatur à concionibus habendis apud eos, apud quos certò ſcit oleum & operam perdere; præcipuè ſi Deus eum ad vtiliora mittat, & maiora. Quemadmodum Actuum 21. Paulus orans in templo Ieruſalem, Ieſum Chriſtum Dominum vidit dicentem ſibi, *Feſtina, & exui velociter de Ieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me,* & poſt pauca, *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.*

20. *Decimum.* Decimum auxiliorum exuberantia, exteriora motiua, & omnes circumſtantiæ, quas Deus in Sauli conuerſione diſpoſuit, habuiſſe vim infallibiliter, & ſubitò eliciendi feruentiſſimam conuerſionem, iam vidimus diſputat. 7. ſect. 4. à num. 4. de qua Auguſt. lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. prope finem, *Quàm rabida voluntas,* inquit, *quàm furioſa, quàm cæca? Qui tamen vna deſuper voce proſtratus occurrente vtique tali viſo, quo mens illa & voluntas, refracta ſæuitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repentè ex Euangelij mirabili perſecutore, mirabilior prædicator effectus eſt.* Conſidera quomodo repentinam mutationem, à tanto ſcelere, ad tam eximiam virtutem Auguſt. adſcribat efficaciæ vocationis interioris, & exterioris. Ideo D. Thom. 1. 2. quæſt. 113. artic. 10. corpore fine, ex vehementia diuinæ monitionis, aſſerit eſſe conſecutam ſtatim quamdam iuſtitiæ perfectionem in conuerſione Pauli, vt vidimus diſp. 9. ſect. 7.

21. Ad inſtar præcedentium poterit Theologus alia quamplurima exempla depromere, tam ex veteri, quàm ex nouo Teſtamento, ſacris hiſtoriis, & omnium hominum propenſione, quamdiu mente conſtant, veloci corruente ſuper ſe domo, vel conflagrante diſcedere, quanta poſſint celeritate. Poſtea verò ſupellectili conſulere manifeſtam habet infallibilitatem in homine rationis compote.

SECTIO II.

Virtus & potentia Dei, magis oſtenditur in iis actibus, quos efficit fieri per concurſus & motiua infallibiliter allicientia.

1. ADdimus ſecundam probationem deciſionis eiuſdem, quam ſectione præcedenti declarauimus duabus propoſitionibus. Probationis verò fundamentum eſt, quod Scriptura, Patréſque notant de via, & ratione, qua Deus hominum voluntates infallibiliter conuertit in bonum. Nam iſtud opus frequentius & accuratius ad potentiam reducunt, quàm ad ſcientiam infinitam Dei; ergo frequentiùs, & attentiùs reſpexerunt ad eam energiam, & vires diuini concurſus, & omnium motiuorum, ex quibus per infallibilem illationem conſequitur liber aſſenſus voluntatis; potiſſimum, quando ſequitur infallibiliter hic numero actus, in hoc loco, & tempore, cum tanta intenſione, ac talibus circumſtantiis.

2. *Hæc prædefinitio magis exercet potentiam Dei.* Conſequentia probatur. Nam in huiuſmodi concurſu, & mediis allicientibus Dei potentia reſplendet multo magis, quoniam ex ſe ipſis; & in actu primo præſcindendo à ſcientia media ſortiuntur efficaciam infallibilem, & tantam, quantam nullus homo de facto fruſtrauit vllo tempore, etiam ſi infinitis hominibus, & infinities applicetur. Ideo prædefinitio, quæ talibus mediis vtitur, omnipotentiam Dei exercet, & oſtendit multo magis quàm prædefinitio, quæ fit per talem concurſum, & motiuorum menſuram, quantæ nonnunquam reſiſtit humanum arbitrium; ſed Deus per ſcientiam mediam præcognouit fore, quòd hoc arbitrium hîc & nunc non reſiſteret.

3. Quamuis enim hæc etiam prædefinitio exerceat, & oſtendat omnipotentiam, in eo quòd talem diuini concurſus, & motiuorum menſuram adhibet, vbi, & quando ſcit habituram eſſe liberæ cooperationis effectum: cæterùm illius infallibilis certitudo tota prouenit ex præſcientia, qua præſcit Deus quòd iis mediis hîc, & nunc adhibitis electionem conciperet hic homo, quam non conciperet alter cum eiſdem motiuis, nec idem homo in alio tempore.

4. *Fundamentũ probatur primò.* Fundamentum autem, initio præmiſſum, probatur, in primis omnibus teſtimoniis Scripturæ, & ſanctorum Patrum, quæ ponderauimus diſputatione 6. ſect. 1. omnia quippe nituntur in omnipotentia Dei.

Secundò. Secundò probatur quia fidem formatam, & omnia virtutum opera quæ naſcuntur ex illa, Paulus tribuit operationi diuinæ potentiæ, cùm ait Epheſ. 1. *Quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis eius.* Quod optimè ponderat Chryſoſtomus citandus num. 8. & conſequenter cap. 3. *Secundùm donum,* inquit, *gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundùm operationem virtutis eius.*

5. Ideo ſpei noſtræ robur, & fortitudinem animi ad ſuperandas tentationes Paulus ad Dei potentiam, potius, quam ad ſcientiam reſpicere, ſignificat Epheſ. 6. dicens; *Confortamini Domino, & in potentia virtutis eius induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.* Et conſequenter, potentiæ potius, quàm ſcientiæ poſtulat exercitium illa deprecatione 2. Theſſal. 1. *Impleat omnem voluntatem ſuam Deus, & opus fidei in virtute.* id eſt, potentia, prout legit ibi Chryſoſt. homil. 3.

6. *Dei manu potentia in Scriptura ſignificatur.* Cùm Dei manus in Scriptura potentiam ſignificet, ad idem probandum valet illud 2. Paralip. 30. *In Iuda facta eſt manus Dei, vt daret illis cor vnum, vt facerent præceptum Regis, & Principum in verbo Domini.* Quod & alia teſtimonia egregiè ponderat Auguſt. lib. 1. circa duas epiſtolas Pelagianorum cap. 19. & 20. vbi notanda præſertim ſunt illa verba. *Qui cor Regis* (Aſſueri) *occultiſſima & efficaciſſima poteſtate conuertit, & tranſtulit de voluntate lædendi, ad voluntatem fauendi.*

7. *Eiuſdē fundament probatio 3. ex Patribus.* Probatur tertiò idem fundamentum ex Patribus, qui præſertim ad potentiam Dei referunt humanarum voluntatum impulſum, & inclinationem ad bonum efficaciter amandum. Ita philoſophatur Chryſoſt. frequenter, vt homil. 60. in Geneſ. Cuius verba retulimus ſect. præced. num. 16. Idémque lib. 1. de prouidentia propius ad medium, quàm ad finem, tractans de promiſſione facta Abrahæ, de qua Heb. 11. *Et vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones, Hoc,* inquit, *maximè Dei potentiam commendat, dum in rebus ambiguis finem certum, atque exitum reperit.* Et paulo inferiùs. *Certiſſimum potentiæ ſuæ argumentum capimus, quòd ſcilicet poſſit deſperatiſſima promiſſa ſua, ſpe, atque opinione melius perficere.*

8. Rurſus ad Epheſ. 1. ſerm. 3. colom. 3. *Multo ſiquidem,* ait, *humanis rationibus difficilius eſt, voluntatem obedientem reddere, quam naturam ipſam facere. Cauſa vero eſt, quòd ipſe ita conſtituit, vt voluntariè boni reddamur, itaque meritò dixit,* Paulus, *aut quæ ſit excellens magnitudo potentiæ ipſius in nos, qui credidimus.*

9. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 7. tractans illud Rom. 8. *Sed in his omnibus ſuperamus, &c. Auxilium,* inquit, *quod per imperium ſua potentia operatur in nobis.* Hîc etiam repetendum eſt quod diſp. 7. ſect. 2. n. 17. vidimus ex Theophylacto Lucæ 14. ad illa verba, *Compelle,* dicente: *Quamuis voluntarium ſit omnibus credere, cæterùm vt ſciamus magnæ virtutis Dei eſſe credidiſſe gentes in tanta verſantes ignorantia, ideo dixit: Compelle, niſi enim magna prædicaretur virtus, & magna eſſet verbi veritas, quomodo perſuaſi eſſent?*

10. Origenes lib. 1. contra Celſum poſt medium. *Ieſu verò virtutes,* inquit, *non eo tantum tempore viguerunt, quo is corpore verſatus eſt in terris; ſed nunc quoque eius potentia eſt efficax ad conuertendos, & corrigendos, quotquot Deo credunt per illum. Hæc enim ipſius virtute fieri, vel inde manifeſtum eſt, quòd cùm queratur de defectu operariorum ad meſſem animarum, tantum ſegetem demeſſarum, vndique conuehatur, & comportetur in areas Eccleſia Dei.*

11. *Probatio 4. ex Auguſtino.* Quartò probatur. plenius enim quàm cæteri Auguſt. vtramque ratiocinationis partem complexus, docuit, & potentiorem eſſe gratiam, quæ infallibiliter infert conſenſum, & eo ipſo magis Dei omnipotentiam declarari, cùm lib. de correptione & gratia cap. 11. in medio, *Tale erat adiutorium,* inquit, *quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam, ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima enim eſt, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam, ſi velit. Secunda vero plus poteſt, quia, etiam fit, vt velit, & tantam velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem, contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat.* Obſerua, *tantum velit, tantoque ardore diligat.* Quo denotat prædefinitam eſſe talium affectuum intenſionem, robur, & menſuram; & ea omnia prædefinita eſſe, vt fiant per maiorem potentiam gratiæ.

Talis autem gratiæ potentiam infallibiliter inferre conſenſum clariùs expreſſit Auguſt. ſequenti cap. 12. ad finem; *Subuentum eſt,* inquit, *infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur; & ideo, quamuis infirma non deficeret, nec aduerſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, vt voluntas hominis inualida, & imbecilla, in bono adhuc paruo perſeueraret per virtutem Dei.* Ad virtutem igitur & potentiam Dei Auguſtinus reuocat illam indeclinabilem, & inſeparabilem infallibilitatem. 12.

Conſequenter in cap. 14. ſub initium. *Sic enim,* ait, *velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate; vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* & in medio capitis, *habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* & in fine. *Magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* 13.

Idem in lib. de gratia Chriſti cap. 24. fine, ex indignatione Regis Aſſyrij, quam Deus ad lenitatem conuertit, Eſther oratione concludit. *Interna atque occulta mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Quibus omnibus licèt comprehendantur etiam bonæ voluntates, quas Deus operatur ſine concurſibus & motiuis infallibilizantibus: attamen præcipuè intelliguntur voluntates, quas operatur Deus per concurſus, & motiua infallibilizantia vagè, maxime verò per infallibilizantia determinatè, & in particulari cum omnibus circumſtantiis; quoniam hoc eſt eximiæ potentiæ, vt in principio diximus. 14.

Ideo ex omnipotentia Dei, cui Sapiens cap. 12. *Subeſt,* inquit, *tibi, cùm volueris, poſſe,* Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 12. & de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti c. 29. deducit, Deum quas voluerit hominum voluntates, & quando voluerit, poſſe conuertere, non expectato aliquo initio, quod præcedat ex parte ipſarum. 15.

Propter eandem rationem gratiæ tribuitur cognomen *omnipotens*, à Proſpero lib. de ingratis cap. 15. vt retulimus diſputatione 9. ſectione 5. num. 8. & lib. 1. de vocatione gent. cap. vltimo docet virtutem, hoc eſt, *potentiam gratiæ ſibi quos voluit ſubdidiſſe.* *Gratia cur omnipotens dicatur.*

Quintò probatur. nam prouidentiæ fortitudo cum ſuauitate coniuncta reſplendet euidentiùs in eiuſmodi prædefinitione per infallibilitatem determinatam cum omnibus circumſtantiis. Huic enim præ cæteris congruit, quod Bernard. tractatu de gratia & libero arbitrio longè poſt med. ait. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, hoc eſt, ab ortu creaturæ vſque ad finem deſtinatum à creatore, ſiue in quem vrget natura, ſiue quem accelerat cauſa, ſiue quem concedit gratia, attingit fortiter, dum nihil horum euenit, quod non prout vult, potenti prætordinet prouidentia.* 16. *Probatio 5. ex ſuauitate, & fortitudine prouidentiæ.* *Sap. 8.*

SECTIO

SECTIO III.

Eandem prædefinitionem exerceri de facto, probat poſſibilitas illius, & quidditas infallibilitatis.

1. *Prædefinitio determinata per infallibilē motiuorum vim probatur ratione 1.*

PRobationes, in duabus præcedentibus ſectionibus adductæ, nituntur potiſſimum authoritate, ſequentes verò probationes rationem aperiunt à priori.

Prima ſit. Poſſibilis eſt modus prædefiniendi talis, vt propter robuſtas vires diuini concurſus, & motiuorum infallibiliter inſequatur actus liber in particulari tali loco & tempore cum tanta intenſione, & extenſione. Ergo Dei prouidentia dignum eſt eum modum prædefiniendi ſaltem aliquoties exercere.

2. *Hic eſt modus prouidentiæ perfectior.*

Conſequentia probatur primò, quoniam hic eſt modus prouidentiæ perfectior, vtpote magis oſtenſiuus omnipotentiæ diuinæ. Secundò, quia licèt foret imperfectior modus prouidentiæ; adhuc ad perfectionem diuinæ prouidentiæ pertineret, omnes modos poſſibiles exercere, dummodo non inuertant ordinem, & ſeriem cauſarum: at hic non inuertit, ſed potiùs ſeruat. Tertiò, quoniam ita ſupernaturalis prouidentia meliori proportione reſpondebit prouidentiæ naturali, ſecundùm quam aliqui actus in particulari cum omnibus, aut cum præcipuis circumſtantiis ſunt infallibiles, vt exemplis oſtenſum eſt ſect. 1. Quartò, quia licèt non poſſet hæc prædefinitio ſine miraculo exerceri; digna tamen foret, quæ per miracula nonnunquam exerceretur.

Sic ſupernaturalis prouidentia melius naturali reſpondet.

3. *Quæ motiua infallibiliter inferant actū determinatū cum omnibus circumſtantiis.*

Antecedens autem, videlicet, poſſibilem eſſe talem prædefinitionem, probatur, quia non implicat contradictionem à Deo conferri ſimul hæc omnia cuidam Ethnico, vt naturaliter euadat bene moratus, virtute naturalis prouidentiæ Dei. Quorum primum ſit clarior lux intellectus, qua virtutis alicuius pulchritudo, dignitas, & bonitas euidentiſſima, certiſſima, & conſtantiſſima conſideratione penetretur. Secundum ſuauiſſima, & vehementiſſima illius concupiſcentia, & propenſiſſimum pondus voluntatis ad eam. Tertium intenſiſſimus habitus illius virtutis, vel concurſus ſolito fortior, qui ſuppleant abunde vices illius. Quartum extirpatio contrariorum habituum, & protectio, à quibuſlibet cogitationibus, & tentationibus, quæ poſſint ab illius virtutis exercitio retardare. Quintum tranquillitas, & deſpotica ſubiectio appetitus ſenſitiui ſaltem pro illo breui tempore, quo exercendus eſt ille actus virtutis.

4. His autem poſitis, erit moraliter infallibile, quòd voluntas, quàm primum poterit, erumpet in liberam electionem illius virtutis, & erumpet tanta intenſione dilectionis, quantam illa motiua, & omnes circumſtantiæ prouocant, & adiuuant. Cùm autem Deus certò ſciat eſſe infallibilem eius actus conſecutionem ex tali concurſu, & motiuis: poteſt hunc concurſum, & motiua, ea intentione adhibere, vt ex illis ſequatur hic actus in tali tempore, cum tali extenſione, & intenſione, & hoc erit in particulari, & determinatè prædefinire per motiua infallibilizantia.

In illū actum Deus efficaciter intēdit.

5. Confirmatur primò. Nam infallibilitas moralis eligendi bonum aliquod, determinat voluntatem, quoties intellectus euidenter iudicat, hoc expedire valdè, & eius oppoſitum eſſe valde nociuum, & malum eligenti, & aliunde nulla difficultas retardat ab electione illius boni.

Confirmatur ſecundò, quoniam ad peccandum dæmon plerumque tam vehementer incitat hominem, vt ſit moraliter impoſſibile ſe continere à peccato, niſi Deus faciat cum tentatione prouentum, vt poſſit ſuſtinere. Ergo multo magis Deus poterit ita vehementer illuminare, excitare, & accendere, vt ſit moraliter impoſſibile diſſentire, quamuis abſolutè ſit poſſibile. *Confirmatur ſecundò.*

Confirmatur tertiò, quoniam homines etiam ſciunt, quibus operibus, & verbis alius quidam homo ſit infallibiliter prouocandus ad iram, contumelias, iuramenta, & his ſimilia; ſciet igitur Deus multo fortiùs ad virtutis alicuius actum prouocare. Conſequentia probatur, quia licèt ſuppoſita corruptione, vulneribúſque naturæ, vehementius, & facilius ad vitia, quàm ad virtutem incitemur: attamen Deus, etiam de potentia ordinaria pro temporis ſpatio breui tantam animæ ſanitatem confert, vt ad eam infallibiliter impellendam multo fortiora, vehementioráque ſint motiua virtutis alicuius, hìc & nunc exercendæ, quod fuſiùs probatum eſt diſp. 8. ſect. 3. 6.

Confirmatur quartò, quoniam in hac prædefinitione nullam contradictionem inuolui, conſtabit ex ſolutione obiectionum, quæ contra illam opponi poſſunt, quarum faciliores in ſectione præſenti, ſed difficiliores quæ ad libertatem pertinent, tractatæ ſunt tomo, de ſcientia Dei, diſputatione 80. præſertim ſectione 7. & ſequentibus, & ex parte tractabuntur inferiùs. 7.

Secunda probatio ſit. Nam quoties de facto contingit alicui homini talis collectio diuini concurſus, & omnium motiuorum, & circumſtantiarum, ex qua virtutis actus in particulari cum tanta intenſione, & extenſione in tali tempore, vel inſtanti ſequatur infallibiliter: toties ille actus eſt à Deo prædefinitus vi talis collectionis infallibiliter allicientis. 8.

Eiuſdem prædefinitionis probatio 2.

Hoc autem eſſe ſimpliciter neceſſarium, vel ſaltem moraliter infallibile, probatur, quia niſi Deus vellet, & cauſaret, vt talis collectio haberet vim infallibilem, & illam exerceret, non poſſet eam vim habere, nec exercere. Quòd ſi vult, vt habeat, & exerceat vim infallibilem; eo ipſo vult, vt actus infallibiliter ſequatur ex illa collectione, & hoc ipſum eſt prædefinire ex vi talis collectionis. Loquor enim de ſolis motiuis, & circumſtantiis infallibiliter inclinantibus ad honeſtos actus, à quorum volitione non abhorret diuina bonitas, & ſapientia, ſicut à contrariis.

Tertia probatio principalis conſiſtit in aperienda, & demonſtranda quidditate moralis infallibilitatis, quæ duas præcipuè partes complectitur. Altera eſt euentus certitudo tanta, quantam fruſtrari numquam contingat, ſed ſemper à qualibet perſona, & in quolibet tempore fiat talis actus, ſi talis collectio circumſtantiarum concurrat. Altera pars eſt illius certitudinis concordia cum phyſica libertate; quæ ſimpliciter ſit libertas. 9.

Probatio 3. quidditatem infallibilitatis moralis aperit.

Digitized by Google

10. Hæc autem quidditas aperitur ſolutione quarundam obiectionum, quæ contendunt prædictam certitudinem cum libertate pugnare, ſi referantur ad eundem numero actum in particulari cum omnibus circumſtantiis.

Obiectio 1. Prima obiectio, quoniam actus non poteſt certus, & infallibilis eſſe, niſi eiuſdem actus omiſſio ſit impoſſibilis: ſi autem impoſſibilis eſt omiſſio illius actus, neceſſarium eſt elici talem actum, idque neceſſitate proueniente à cauſa, videlicet, diuino concurſu, & motiuis infallibilizantibus. Quapropter neceſſitas erit antecedens, quam repugnare libertati, probatum eſt tom. de ſcientia Dei, plurimis diſputationibus, præcipuè diſp. 33. & 34.

11. Prima huius obiectionis propoſitio probatur, quoniam certitudo, & infallibilitas hæc conſiſtit in ordine cauſæ ad effectum, & effectus ad cauſam, videlicet, quoniam voluntas concurſu, & motiuis talibus, incitata ſub tali collectione circumſtantiarum omnium, infallibiliter infert actum, & actus infallibiliter infertur ex illa. At ordo cauſæ ad effectum infallibiliter inferendum, eſt eſſentialiter ordo potentiæ, quia cauſa, prout cauſa, non includit actum, ſed ſolam potentiam, vnde non poteſt certò, & determinatè inferre actum, niſi quoniam non poteſt non elicere actum. *Confirmatur.* Confirmatur, quoniam in ordine ad cauſam, non poteſt actus eſſe infallibilis; niſi cauſa ſit determinata ad illum actum; ergo cauſa prout in actu primo, & vt cauſa eſt, non eſt indifferens ad eliciendum, & omittendum actum, ac ſubinde non eſt libera.

12. *Soluitur. Dicta moralis infallibilitas non eſt ſimpliciter neceſſitas.* Reſpondeo, & dico primò. Certitudo, & infallibilitas moralis, quam in præſenti tractamus, non eſt ſimpliciter neceſſitas, & determinatio ad eliciendum actum: ac ſubinde non eſt abſolutè impoſſibilitas illum omittendi.

Probatur primò à priori. Probatur primò à priori, quia voluntas licèt talibus concurſu & motiuis incitetur vehementer, & nullo impedimento retardetur ab actu; nihilominus retinet omnia, quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt, vt actum omittat ſi velit. *Voluntas non rapitur à bono finito clarè viſo.* Nam voluntas retinet ſuam quidditatem ab intrinſeco liberam, & ex parte obiecti, & cogitationis, non rapitur infinito bono clarè viſo; ſed potiùs poteſt, ſi velit, animum conuertere ad conſiderandas in eo actu aliquas rationes mali, & aliquas rationes boni, apparentes in illius omiſſione, vel in actu contrario, & aliunde concurſum Dei generalem habet paratum, vt actum contrarium eliciat ſi voluerit. *Confirmatur.* Confirmatur, nam ſupponitur imaginatiuam eſſe ſolutam omni vinculo, vt poſſit intellectui miniſtrare ad quamlibet intellectionem voluntas inclinauerit, ac proinde voluntas, & intellectus ſui compotes ſunt, & cum deliberatione poſſunt operari.

13. Probatur ſecundò authoritate Ariſtotelis 9. Metaphyſ. text. 8. cap. 4. & S. Thom. ibi lect. 3. dicentis: *Nihil prohibet, aliquid poſſibile, exiſtens, aut eſſe, aut fieri, non eſſe, nec futurum eſſe.* Poterit ergo poſſibilitas omiſſionis permanere ſimul cum infallibilitate, quod numquam erit omiſſio, ſed ſemper elicietur actus. Vide quæ dicemus diſp. 12. ſect. 8. in principio.

Probatur 3. Probatur tertiò, quia nonnunquam ex vi talium motiuorum, & circumſtantiarum ſuppoſita deſtitutione fortioris concurſus, & impulſus, relicto tamen generali concurſu, certa eſt, & infallibilis omiſſio actus, hìc, & nunc interpretatiuè committenda, vt contingit obduratis, quamdiu manent obdurati, probabitúrque diſputatione 12. ſectione 5. initio; & tamen eadem omiſſio libera eſt, & abſolutè vitari potuit. Ergo ſimiliter poterit actus, hìc & nunc eliciendus, eſſe infallibilis, & certus, quamuis abſolutè poſſit omitti. Conſequentia probatur, quoniam comparatione indifferentiæ, per quam libertas vltimatè conſtituitur in actu primo, ratio eadem eſt omiſſionis, & actus. Quapropter, ſi moralis determinatio, ſeu moralis infallibilitas omiſſionis libertati non obſtat, neque moralis determinatio, ſiue infallibilitas actus obſtabit.

Ad eiuſdem aſſertionis comprobationem faciunt omnia, quæ duabus præcedentibus ſectionibus, & plurima ex illis, quæ ſparſim in diſputatione 8. ſect. 1. confirmant ex actibus liberis aliquos eſſe infallibiles ſeu vagè ſeu determinatè. 14.

Dico ſecundò. Eadem certitudo, & infallibilitas moralis eſt aliquo modo neceſſitas antecedens eliciendi actum, & quodammodo determinatio voluntatis ad illum. Quapropter eſt etiam ſecundùm quid impoſſibilitas eum omittendi. Hanc aſſertionem ſufficienter probat præcedens obiectio prima. 15. *Eadem certitudo moralis aliquando eſt neceſſitas antecedens.*

Confirmatur primò, quoniam hæc neceſſitas, & impoſſibilitas ſecundùm quid in eo formaliter conſiſtit, quòd voluntas quidditatiuè ſit inclinatio ad bonum amandum, ſuppoſita obiecti propoſitione per intellectum, vnde prouenit vt tanto vehementiùs propendeat in bonum, quanto maius eſt, & clariùs cognitum, & quanto habitus, concurſus, cæteráque motiua fortiùs incitant. Inde namque ſequitur, vt voluntas, nullo caſu, & nullo tempore excepto, ſemper liberè amplectatur bonum, in quod concurſuum, & omnium motiuorum momenta maximo quodam exceſſu præponderant oppoſitæ parti. Nec enim quilibet exceſſus ad infallibilitatem ſufficit, vt oſtendimus tomo de ſcientia Dei diſp. 74. *Neceſſitas ſecundum quid in quo formaliter conſiſtat.*

Confirmatur ſecundò, quoniam ſacræ litteræ, & Patres aliquando appellant impoſſibilem operationem, quæ nimium difficilis eſt, & repugnans propenſioni voluntatis; quamuis ſit abſolutè poſſibilis. Quapropter eo ipſo dicunt eſſe neceſſariam illam partem, ad quam vehementer inclinatur voluntas, & à qua ſe cohibere foret illi difficillimum. Antecedens probatur Lucæ 13. *Contendite intrare per anguſtam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt,* videlicet ob aſperitatem itineris, vt exponit Beda. Matth. 16. *Faciem cæli diiudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire?* credendo ſcilicet in Chriſtum D. Matth. 26. *Non potuiſti vna hora vigilare?* Eccleſiaſtes cap. 6. de auaro dicitur: *Nec tribuit ei Deus poteſtatem, vt comedat ex eo.* Geneſ. 37. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Vbi Chryſoſt. optimè Ioan. 8. *Non poteſtis audire ſermonem meum.* Videbimus multo plura diſp. 12. ſect. 5. 16. *Operatio difficilis impoſſibilis dicitur.*

Obiectio ſecunda, quoniam videtur ex dictis colligi, prædictam certitudinem, & infallibilitatem illationis eſſe phyſicam, id eſt, naturalem. Sequitur enim ex quidditatiua propenſione voluntatis adiuncta collectione talium motiuorum, 17. *Obiectio 2.*

Digitized by Google

rum, & concurſus diuini, maximo exceſſu præponderantium oppoſitæ parti. Confirmatur, quoniam actus ille ſequitur ex voluntate, & concurſu Dei per phyſicum, & reale genus cauſalitatis.

Confirmatur.

Soluitur.

Solutio tamen conſtat ex dictis tomo de ſcientia Dei diſput. 38. ſect. 2. & 3. diſtinguendo æquiuocationem vocis *phyſica*. Nam quod ad præſens attinet, certitudo, & infallibilitas, quæ ſecum patitur, abſolutè poſſibilem eſſe illius omiſſionem eidem voluntati cum eiſdem omnibus circunſtantiis; ea non eſt phyſica tanquam antecedentem neceſſitatem inducens, licèt ſit phyſica tanquam proueniens à natura voluntatis, & motiuorum, & tanquam inclinans ad phyſicum & reale genus cauſalitatis.

18\. *Obiectio 3.* Obiectio tertia, voluntas non habet phyſicam poteſtatem operandi contra naturalem, & inſitam ſibi propenſionem; ſed propenſio voluntatis ex qua conſurgit moralis infallibilitas, eſt naturalis, & inſita voluntati: ergo voluntas non habet phyſicam poteſtatem operandi contra illam: ac ſubinde ſimpliciter neceſſarium eſt ſecundùm illam propenſionem operari.

Soluitur. Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Voluntas non habet phyſicam poteſtatem operandi contra eam inclinationem, quæ ita naturalis eſt, vt non ſolùm à natura procedat, ſed etiam inclinet ad operandum abſque deliberatione, & dominio ſui; hoc enim eſt operari per modum naturalis cauſæ. At licèt inclinatio proueniat ex natura voluntatis; ſi tamen inclinet ad operandum per deliberationem, & cum dominio ſui, voluntas habet phyſicam poteſtatem operandi contra eiuſmodi propenſionem.

19\. *Obiectio 4.* Obiectio quarta. Quia ſi actus ille moraliter tantùm eſt infallibilis, & non phyſicè, deficiet aliquando eius productio, & illatio ex cauſa ſub talibus circunſtantiis; in eo quippe diſtinguitur moraliter certum ab eo, quod phyſicè, aut metaphyſicè certum eſt, quoniam hoc nunquam poteſt deficere; illud verò deficere poteſt.

Soluitur. Reſpondetur illam acceptionem infallibilitatis, aut certitudinis moralis, quæ patitur aliquando deficere, non eſſe quam in præſenti diſputat. vſurpamus. Accipimus enim nunc infallibilitatem, pro certitudine tanta, quanta nullo tempore in nulla perſona deficiet, etiam ſi phyſicè, & abſolutè poſſibile ſit actum omittere, vt dictum eſt num. 9.

SECTIO IV.

Metaphyſica certitudo prædefinitionis ex vi motiuorum infallibilizantium.

1\. PRædefinitionem actus, qui ſequitur infallibiliter ex motiuis, & circunſtantiis, conſideramus in præſenti præcisè, quatenus dirigitur per ſcientiam infallibilis illationis, omnino abſtrahentes ab illa ſcientia media, quæ non indicat de illatione moraliter infallibili, ſed de coëxiſtentia liberi actus, cum aliqua ſuppoſitione ſi foret. Sit igitur vnica concluſio. Prædefinitio prout conſideratur innixa ſcientiæ, indicanti de infallibilitate morali, præſcindendo à qualibet alia ſcientia, eſt metaphyſicè certa, ita vt contradictionem implicet fruſtrari, aut irritam reddi.

Prædefinitionis certitudo ex vi motiuorum infallibilizãtium metaphyſica eſt.

Probatio 1. à priori. Probatur primò à priori; quoniam prædefinitio non poteſt fruſtrari, niſi fallatur ſcientia, qua dirigitur, & cui nititur. Sed ſcientia qua dirigitur, & cui nititur hæc prædefinitio metaphyſicè certa, & euidens eſt, ita, vt implicet contradictionem falli: ergo contradictionem implicat fruſtrari talem prædefinitionem.

Maior non indiget probatione. Minorem verò probare, licèt huius loci proprium non ſit, ſed ex profeſſo tractatum à nobis in tomo de ſcientia Dei diſput. 80. præſertim ſect. 7. & ſequentibus, inde tamen, aliquas probationes hîc inſerere neceſſarium fuit. Prima, quoniam Deus ſcit omne, quod eſt, & omne verum; ſed liberum conſenſum infallibiliter inferri ex talibus concurſu diuino & circunſtantiis, eſt aliquid quod ita eſt, ſicut dicitur, & eſt verum; ergo Deus ſcit liberum conſenſum infallibiliter inferri ex talibus concurſu diuino, & circunſtantiis. Deinde, cùm ſcientia diuina nequeat eſſe dubia, nec obſcura, nec obnoxia falſitati, quoniam omnia hæc defectuoſam redderent ſcientiam; conſequens eſt, prædictam ſcientiam eſſe prorſus euidentem, certam, & omnino tutam à periculo fallaciæ, ita, vt contradictionem implicet falli. 2.

Scientia infallibilis euidens omnino eſt certa.

Confirmatur, quoniam Deus euidenter ſcit, talem ſcientiam infallibilitatis per nullam omnino potentiam poſſe decipi, & falſam reddi. Hæc autem reflexio plurimum confert ad certitudinem ſcientiæ tutiſſimam ab omni formidine falſitatis. 3.

Probatur ſecundò. Nam ſcientia Dei comprehenſiue penetrat cuiuſlibet obiecti quidditatem, & omnia ſingularia, quibus illa quidditas conuenit; ergo comprehenſiua certitudine cognoſcit quidditatem infallibilitatis moralis conſiſtere in eo, quòd liber aſſenſus per moralem infallibilitatem ſic inferatur ex talibus motiuis, vt numquam de facto talis actus omittatur, licèt phyſicè poſſibile ſit omitti; & præterea comprehenſiuè cognoſcit hanc quidditatem infallibilitatis conuenire huic collectioni motiuorum, & circunſtantiarum inclinantium ad talem aſſenſum liberum. Ergo Deus comprehenſiua certitudine, ac ſubinde pluſquam metaphyſica, cognoſcit hac motiuorum, & circunſtantiarum collectione poſita, liberũ aſſenſum inferri tanta infallibilitate, ſub quanta nunquam de facto contingit aſſenſum omitti; licèt phyſicè poſſibile ſit omitti. Ac proinde per eiuſmodi ſcientiam Deus formaliter habet pluſquam metaphyſicam certitudinem, quòd hic aſſenſus de facto non omittetur, licet poſſit omitti. 4.

Probatio 2.

Confirmatur, quia Deus, cognitis principiis, abſque diſcurſu comprehendit in illis, quidquid ab hominibus poteſt per diſcurſum inferri: at verò quidditas infallibilitatis moralis, & collectio motiuorum, ac circunſtantiarum in tali gradu vehementiſſimo, ſunt duo principia, ex quibus homines per diſcurſum inferre poſſunt, aſſenſum de facto non eſſe omittendum, ſed eliciendum liberè. Igitur Deus ex præciſa ratione comprehenſionis talium principiorum, comprehendit euidenter fore, vt ſub talibus motiuis, & circunſtantiis aſſenſus nunquam omittatur, ſed liberè eliciatur. 5.

Deus abſque diſcurſu cognoſcit, quæ nos per diſcurſum.

Ex eodem fundamento ſumitur probatio tertia. Nam quod ab hominibus probabiliter, & ambiguè cognoſcitur cum formidine partis alterius, id totum à Deo ſcitur euidentiſſima, & certiſſima cognitione: ac ſubinde, quod apud homines habet ſolidam certitudinem, id multo 6.

Ex præcedenti fundamento probatio 3.

maiorem habebit apud Deum. At homines prudentes,& rerum experti nonnunquam,explorato alicuius hominis ingenio, certò,& abſque ambiguitate coniiciunt, tali occaſione data, ſic & non aliter eum eſſe operaturum, niſi ſpecialis aliqua Dei prouidentia talem operationem impediat. Quemadmodum Dauid 1. Reg. 22. *Sciebam*, inquit,*in die illa,quod cùm ibi eſſet Doeg Idumæus, proculdubio annunciaret Sauli.* Quod cum aliis multis infallibilitatis exemplis, quæ ſapientibus certa ſunt, ponderauimus diſputat. 8. ſect. 3. num. 6. & ſequentibus. Nunc obſeruetur dictio,*proculdubio.*

7. Simili coniectura ducti exploratores Aſſyriorum cap. 10. Iudith certiorem futuræ beneuolentiæ reddiderunt,dicentes:*Hoc autem ſcias,quoniam cùm ſteteris in conſpectu eius,bene tibi faciet, & eris gratiſſima in corde eius.* Quod euidenter inferebant ex ingenio, & moribus Holofernis, & ex pulchritudine, & ſplendore fœminæ pluſquam humano,& ſapientiſſimis verbis, quibus, & potentiam Holofernis, vt ſupremam in mundo ſuſpicere, & ſuum populum ipſi prodere videbatur. Marci 11. & Lucæ 20. ſub initium Principes ſacerdotum, & Scribæ *cogitabant intra ſe dicentes, Quia ſi dixerimus*, de cœlo, *dicet*: *Quare ergo non credidiſtis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs vniuerſa lapidabit nos: certi ſunt enim Ioannem Prophetam eſſe.* Quibus additur Matth. 21. *Cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis,qui reddant ei fructum in temporibus ſuis.* Quin etiam infallibilem euentum liberum, *non dubiè,ſed euidenter apparere,*dicit Proſper lib. 2. de vocatione gent. cap. 15. ſub init. & Bernard. in natali Sanctorum Innocent. ſermon. vnico ſub finem,quorum verba referemus diſputatione 12. ſect. 5.

8. *Cur humanis obiectum poſſit ſubeſſe falſum.* Confirmatur primò. Nam humanis coniectoris de huiuſmodi futuris euentibus, propterea poteſt ſubeſſe falſum, quoniam homines ignorant primò,vtrùm Deus aliqua ſpeciali motione interiùs animum hominis directurus ſit ad contrariam electionem liberam. Secundò,ignorant vtrùm aliæ diſpoſitiones, & affectiones in corde hominis lateant occultæ, propter quas impediatur infallibilitas. Tertiò, quia non comprehendunt quanta ſit vis & vehementia motiuorum,& circunſtantiarum,quam vim ſi homines comprehenderent,& euidenter ſcirent, nullas alias circunſtantias interuenturas eſſe, niſi eas, quarum vim comprehendunt: tunc ex vi motiuorum infallibilium, certò, & euidenter inferrent talem actum eſſe eliciendum de facto,licèt phyſicè poſſit omitti. Deus igitur infinita certitudine poterit idem obiectum comprehendere.

9. Confirmatur ſecundò, quoniam nullius ambiguitatis capax eſt certitudo, qua omnes homines, præſertim ſapientes iudicant, nunquam defuturos eſſe homines,qui conſeruent vniuerſum, liberè procreando filios,qui comedant, vendant, emant, quandiu Deus ordinariam prouidentiam non mutauerit;& tamen obiectum iſtius certitudinis, non eſt aliquid phyſicè neceſſarium; ſic enim non eſſet liberum, ſed aliquid moraliter infallibile. Ergo moralis infallibilitas poteſt eſſe obiectum omnimodæ certitudinis abſque vlla dubitatione.

10. *Probatio 4.* Quarta probatio ſit,quoniam phyſica poſſibilitas omittendi actum, prædefinitum per infallibilizātia motiua, nihil derogat metaphyſicæ certitudini,quam implicet contradictionem fruſtrari,ſicut implicat contradictionem, quòd conſequentia moraliter infallibilis,non ſit conſequentia moraliter infallibilis, & conſequenter non habeat vim referendi actum liberum,cuius omiſſio ſit phyſicè poſſibilis: quod totum,& ſolùm à Deo ſcitur per ſcientiam infallibilitatis, prout omnino præſcinditur à ſcientia media;nihilominus aduersùs hanc veritatem argumenta difficillima naſcuntur ex congreſſu poſſibilitatis phyſicæ cum certitudine actus oppoſiti; verùm illis ſatisfecimus in prædicta diſputat. 80. de ſcientia Dei.

SECTIO V.

Vtrùm omnes operationes liberæ prædefiniantur ex vi motiuorum infallibilium.

OMnes operationes honeſtas in particulari cum omnibus circunſtantiis prædefiniri ſaltem per directionem ſcientiæ mediæ, ſatis probatum eſt tota diſput. 9. Nunc verò peculiariter inueſtigamus, vtrùm extendatur etiam ad omnes operationes altera prædefinitio,quæ dirigitur ſcientia conſecutionis infallibilis,per quam aſſenſus infertur ex motiuis vehementibus, & tota collectione circunſtantiarum. 1.

Sit igitur prima concluſ. Multæ operationes ex vi motiuorum & tota collectione circunſtantiarum non poſſunt prædefiniri (loquimur ſemper de ſolis operationibus honeſtis.) Probatur, quoniam multæ operationes eliciuntur cum libertate non ſolùm phyſica, ſed etiam morali & æquabili. Ac proinde non ſequuntur infallibiliter ex tota collectione motiuorum, circunſtantiarum, & diuini concurſus oblati, prout oſtendimus tom. de ſcientia Dei diſput. 74. ergo non eſt poſſibile Deum ſcire, nec velle talem actum infallibiliter conſequi ex talibus motiuis, concurſu, & circunſtantiis. Probatur conſequentia, quia quod non eſt, non ſcitur, nec efficaciter amatur,& prædefinitur à Deo. 2. *Multæ operationes ex vi motiuorū & collectione circunſtātiarum prædefiniri nequeūt.*

Confirmatur priorò. Nam temere,& cum periculo fruſtrationis prædefiniretur ex vi motiuorum aſſenſus, qui non ſequitur infallibiliter ex illis,quia contingere poſſet,vt voluntas illis motiuis diſſentiret, & tunc irrita redderetur prædefinitio. 3.

Quòd ſi reſpondeas, Deum præſcire,quòd voluntas eſt adhibitura conſenſum: adhuc non ſatisfacis. Nam ea ſcientia non erit infallibilis illationis, de qua in præſenti tractamus, ſed erit ſcientia de conditionalibus, quæ nullam affirmant illationis infallibilitatem, ac proinde non erit ea prædefinitio, quam prima concluſio negat,ſed alia. *Præoccupatur ſolutio.*

Secundò ſuadetur experientia quotidiana, ſiquidem in aliquibus conſiliis hæremus dubij, & paulo momento huc,atque illuc impellitur affectus. Vnde manifeſtum eſt, eo tempore voluntatem non rapi tanta vehementia motiuorum, quæ moralem infallibilitatem afferat. 4.

Secunda concluſio ex illis etiam actionibus, quæ prædefiniuntur ex vi motiuorum infallibilium,plurimæ ſunt,quarum aliquæ circunſtantiæ non prædefiniuntur ex vi motiuorum infallibilium. Probatur, quia contingit ſæpè media communis prouidentiæ infallibiliter inclinare ad 5. *Aliqua circunſtantia non prædefiniuntur motiua infallibilizantia.*

aliquem

aliquem actum eliciendum, & tamen non infallibiliter inclinare, vt eliciatur cum tanta intenſione, vel extenſione, vel hîc, & nunc, aut paulo pòſt, vt poteſt colligi ex dictis tota diſp. 8. præſertim ſect. 3. & ſequentibus.

6. Confirmatur, quoniam ad infallibilitatem non ſufficit quilibet exceſſus ponderis eorum motiuorum, quæ ad vnam partem inclinant; ſed requiritur magnus exceſſus: vt vidimus ſect. 3. num. 15. At verò contingit ſæpè motiuorum pondus exceſſu magno inclinare ad eliciendum actum, ſaltem ſub intenſione vt vnum: cæterùm non erit tantus, ſed multo minor exceſſus ponderis, inclinantis ad intenſionem, vt quinque, vel vt octo. Quoniam intenſio tanta requirit maiorem conatum, cuius difficultas retardat, & magna ex parte rependit, quod alterius partis motiua præponderabant. Similiter quamuis vehementia motiuorum & circunſtantiarum exceſſu magno ſuperet reſiſtentiam voluntatis, quantum ad tribuendam eleemoſynam vnius argenti, adhuc fieri poterit vt non magno, ſed nullo, aut perexiguo exceſſu ſuperet reſiſtentiam voluntatis, quantum ad eleemoſynam centum, aut mille aureorum. Ad horum imitationem poſſunt in aliis circunſtantiis exempla proponi, conferendo eas, quæ maiorem difficultatem afferunt, cum aliis facilioribus.

7. *Naturaliter non potuit Deus per motiua infallibilizantia omnes actiones prædefinire.* Tertia concluſ. licèt de potentia abſoluta Deus potuiſſet omnes actiones in particulari cum omnibus circumſtantiis prædefinire ex vi motiuorum infallibilizantium; cæterùm de potentia ordinaria non potuit.

Primò quoniam ordinaria & perfectior prouidentia non ſemper ad omnes actiones tribuit infallibilizantia motiua. Hoc enim poſtularet multarum rerum ordinem inuerti, vt aliquæ vehementiùs allicerent, & aliæ nihil, aut parum impedirent actiones humanas: & quantum ad ſupernaturales operationes opus eſſet maiorem concurſuum copiam dari quoties aliquis de facto cooperaturus eſt auxiliis.

8. *Multiformitas prouidentia perficit vniuerſum.* Secundò, quoniam ad vniuerſi decorem pertinet varietas rerum, & multiformitas prouidentiæ, quæ reſplendet non ſolùm in motiuis vehementer allicientibus, ſed etiam in iis, quæ ſegniter alliciunt, atque remiſsè, relinquendo magis expeditam libertatis indifferentiam.

Tertiò, quoniam libertas maior, quæ relinquitur ſublatis motiuis infallibilizantibus, auget meritum, quantum eſt ex eo capite, quod magis poſſibile fuit tranſgredi præcepta, & tamen ſeruata ſunt. Hoc autem augmentum meriti dignum eſt, vt aliquando cauſetur à diuina prouidentia: quamuis ex aliis capitibus ſint magis meritorij actus infallibilizati per motiua.

9. *Tota prouidentia exprimit imaginem Dei.* Quartò, quia tota ferè prouidentia dirigitur ad exprimendam perfectè imaginem Dei; hæc autem conſiſtit in dominio, & in differentia libertatis: vt oſtendimus tomo de ſcientia Dei. diſput. 40. ſect. 1. & 2. Maius autem dominium, & maior indifferentia exercetur, quando non ſolùm phyſicè, verùm & moraliter poteſt voluntas in vtramuis partem ſe flectere. Dignum igitur eſt, vt diuina prouidentia, quibuſdam operationibus infallibilizantia motiua non apponat.

10. *Omnia peccata infallibilia fuiſſet.* Quintò. Nam ſi ex vi motiuorum infallibilizantium prædefinirentur omnes actus, quibus explentur diuina præcepta, ſequeretur, ex vi motiuorum infallibilia fuiſſe cuncta peccata, quæ de facto committuntur: conſequens autem eſſe falſum, in aliquibus iuſtis, qui mortaliter peccant, oſtendemus diſput. 11. ſect. 3. Conſequentia verò probatur, quia ſi peccata non ſunt infallibilia ex vi motiuorum de facto continget aliquando ea vitari, & ſeruari præceptum ſub tali, & tanto pondere motiuorum, ſub quanto de facto peccare contingit: ac proinde tunc ex vi motiuorum non erit infallibilis obſeruatio præcepti.

Sed inquires, quinam ſint actus, qui de facto præfiniuntur à Deo per infallibilizantia motiua. 11. *Qui actus per infallibilizantia motiua prædefiniti.*

Reſpondeo, & ſit quarta concluſio, de his nullam aſſignari poſſe regulam certam, & generalem: attamen in particulari poſſumus certò affirmare omnes actus, qui pertinebant ad maiorem gloriam Patris, cum omnibus circumſtantiis, quæ ad eandem maiorem gloriam conferebant, fuiſſe Chriſto Domino præfinitos ex vi motiuorum, infallibiliter impellentium ad quærendam in omnibus ſemper, & vbique maiorem gloriam Patris, propter rationes adductas diſp. 8. ſect. 3. num. 23. quod idem proportione ſeruata ſentiendum eſt de Beatiſſima ſemper Virgine, etiam in vita mortali, & de omnibus beatis Angelis, & hominibus.

Deinde viatoribus in gratia confirmatis per infallibilizantia motiua prædefiniuntur actus, 12. quibus præcepta ſeruant. Aliis hominibus eodem genere prædefinitionis decernuntur inſigniores quædam conuerſiones, & actus virtutis heroicæ, & alij quidam actus, ad publicam, & vniuerſalem vtilitatem Eccleſiæ pertinentes, etiamſi faciendi ſint à reprobis. Frequentiùs tamen hæc prouidentia exercetur circa inſigniter prædeſtinatos.

Tandem omnes operationes honeſtæ, quæ ſequuntur infallibiliter ex collectione motiuorum, & circunſtantiarum, prædefiniuntur virtute illorum propter rationem dictam ſuprà ſect. 3. probatione 2. Cæterùm plurimæ infallibilitates eiuſmodi ſunt ignotæ ipſis etiam recipientibus, & per illas impulſis ad operandum, quanto magis erunt aliis hominibus ignotæ. 13.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm effectiuus Dei concurſus ob ſpecialem aliquam vehementiam inſerat infallibiliter conſenſum.

TOTA dirigitur ad examinandum, an idem conſenſus prædefiniti queat virtute concurſus effectiui, habentis ſpecialem vehementiam, ac velut intenſionem.

SECTIO I.

Quæſtionis ſtatus & ſententia negans.

SVpponimus, eſſe impoſſibile conſenſum prodire liberum, niſi ex parte obiecti aliqua ratio boni cognita ſit motiuum alliciens ad conſentiendum. Cæterùm contingere poteſt, vt hæc ratio boni ſit in ſe ipſa tam tenuis, vel tam obſcurè, támque remiſsè proponatur ab intellectu; 1. *Vt conſenſus ſit liber aliqua ratio boni debet cognoſci.*

quæ

quæ non inferat infallibiliter conſenſum ; ſed potiùs relinquat voluntatem magis propenſam ad contemnendam, & omittendam eam rationem boni, propter aliquam difficultatem, vel triſtitiam, quæ cognoſcitur eſſe coniuncta cum illa.

2. Nunc igitur quando motiua omnia, quæ per cognitionem inuitant, ſunt ita remiſſa ; quæritur vtrùm concurſus effectiuus Dei poſſit ad eam menſuram, & temperamentum creſcere, vt conſenſum infallibiliter inferat, integra manente phyſica poteſtate non conſentiendi, quæ requiritur ad libertatem. Non ergo diſputamus hîc de quolibet augmento diuini concurſus. Nam illud eſſe poteſt tantum, vt voluntatem noſtram neceſſitet ad conſenſum, etiam manente cognitione bonitatis, & malitiæ in vtraque parte contradictionis ; vt probatum eſt tom. de ſcientia Dei diſp. 53. ſect. 3. 4. & 5. ſed diſputamus de augmento diuini concurſus, contemperato libertati, ſed infallibiliter impellente.

3. *Generalis cõcurſus non ſufficit ad infallibilitatem inferendam.* Secundò ſupponendum eſt, primæ cauſæ generalem concurſum non ſufficere ad talem infallibilitatem afferendam ratione ſui ; & conſequenter non ſufficere ad prædefiniendas operationes, ad quas paratus offertur. Etenim afferret infallibilitatem ad operationes incompoſſibiles ſimul pro eodem inſtanti, & illas omnes prædefiniret. Quoniam generalis cõcurſus primæ cauſæ, quod ex ſe eſt, non magis inclinat ad vnam operationem, quàm ad eius oppoſitam, ſi omnes ſint honeſtæ. Confirmatur, quoniam materiales actiones peccatorum non prædefinit, nec ad illas infallibiliter inclinat. Quæ omnia ſatis probata ſunt præcedenti tomo de voluntate Dei multis diſputationibus, præſertim 45. vſque ad 50. in qua diſcuſſa ſunt argumenta, quibus contraria ſententia contendit de ratione generalis concurſus eſſe, prædefinire quaſcunque operationes cauſarum ſecundarum.

4. *Ad quas operationes prædefiniendas ſufficiat.* Sufficit tamen generalis concurſus primæ cauſæ ad prædefiniendas operationes, ad quas ex parte obiecti prouocant vehementer rationes boni, propoſiti per euidentem, & intenſam cognitionem, quæ magno exceſſu præponderent impedimentis illarum, vt conſtat ex diſp. præcedenti. Tunc itaque generalis concurſus non præcisè ratione ſui, ſed ratione motiuorum, ex parte obiecti trahentium, affert infallibilitatem, & prædefinitionem.

5. Sufficeret etiam generalis concurſus præcisè ratione ſui, licet ex parte obiecti motiua tenuiter, ac leuiter inuitent ; ſi Deus generalem concurſum offerret ad vnam tantummodo volitionem, hîc, & nunc eliciendam, negando generalem concurſum ad quaſlibet alias volitiones hîc, & nunc eliciendas, ſiue fuerint eiuſdem ſpeciei, ſiue diuerſæ, idque ſatis probatum eſt tomo præcedenti de voluntate Dei diſp. 49. ſect. 4. Fundamentum autem eſt vehementiſſima propenſio voluntatis ad aliquam volitionem eliciendam quandiu vigilamus, quam propenſionem infallibile eſt nunquam à voluntate cohiberi, vt oſtendemus infrà diſput. 27. ſect. 6. & 7. Quapropter ſi nequit voluntas aliam volitionem, eliciet infallibiliter illam, quam ſolam conceditur elicere. Tandem, vtrùm generalis Dei concurſus prædefiniat omnes numericas differentias volitionum, tractatum eſt prædicta diſputatione 49. ſect. 4.

His ita conſtitutis, prima ſententia negat eſſe poſſibilem prædefinitionem conſenſus, qui ſequatur infallibiliter ex effectiuo, & phyſico Dei concurſu, propter ſpecialem vehementiam illius, aſſerit enim hoc eſſe contrarium libertati, ita ſentiunt non ſolùm illi Doctores, qui generaliter negant eſſe poſſibiles prædefinitiones, ſed etiam aliqui recentiores, concedentes, fieri poſſe prædefinitionem per motiua infallibiliter allicientia ex parte obiecti, non tamen per effectiuum concurſum. 6. *Dei effectiuũ concurſum infallibiliter inferre conſenſum ſententia negãs.*

Huius ſententiæ argumenta ſunt quæ ſequuntur. 7.

Primum, quia ſuppoſita libera voluntate, qua Deus decreuit ad noſtros actus concurrere, Dei concurſus ad extra tam neceſſarius eſt, támque neceſſariò reſultat ex præexiſtenti decreto diuino, ſicut illuminatio reſultat ex ſole. Ergo noſter actus non liberè, ſed neceſſariò reſultabit ex diuino concurſu effectiuo ; ſi Deus efficaciter decreuit noſtrum actum effectiuè producere. Vnde non erit actus liber. *Fundamentum 1.*

Confirmatur primò. Nam in eo caſu noſter actus à diuino concurſu reſultabit eodem modo, quo gratia reſultat in anima ex concurſu diuino, eleuante aquam Baptiſmi, & cooperante cum illa, quæ actio Dei ad extra comparatione aquæ nullo modo eſt libera, ſed omnino neceſſaria. 8. *Confirmatur 1.*

Confirmatur ſecundò, quia ſi Deus ſe ſolo produceret eum actum, quem prædefinit per concurſum effectiuum ; ille actus non eſſet liber voluntati noſtræ. Ergo non erit liber, quamuis voluntas noſtra concurrat, ſi Dei effectiuus concurſus determinat ad concurrendum. *Confirmatur 2.*

Secundum argumentum cõficitur conſtituendo diſcrimen inter prædefinitionem, quæ fit per motiua, ex parte obiecti trahentia infallibiliter, & prædefinitionem, quæ fiat per concurſum effectiuum ; nam prior prædefinitio permittit, vt voluntas à motiuis, ex parte obiecti cognitis, inuitata, ipſa ſe determinet, & non determinatur ab alio, ac proinde libera manet. Cæterùm quando motiua omnia, prout ab intellectu proponuntur, non infallibiliter alliciunt voluntatem, vt ipſa ſe determinet ; ſed ſolus concurſus effectiuus infallibilem reddit determinationem voluntatis: tunc non voluntas ſe ipſam determinat, ſed determinatur à concurſu Dei ; ergo non operatur liberè. 9. *Fundamentũ 2.*

Confirmatur. Nam aliquando per intellectum nullo modo cognoſcitur ſpecialis ille concurſus Dei. Ergo tunc ſaltem ab illo non allicitur voluntas, vt ipſa ſe determinet, ſed voluntas determinatur ab illo concurſu. *Confirmatur.*

Tertium argumentum. Quia talis concurſus effectiuus Dei determinat infallibiliter ad actum, & non determinat infallibilitate morali : ergo phyſica infallibilitate determinat. Ac proinde phyſicam libertatem excludit. Conſequentia probatur, quia omnis infallibilitas, aut eſt moralis, aut phyſica. Ideoque infallibilitas concurſus effectiui ſi non eſt moralis, debet eſſe phyſica. Minor autem probatur, primò quia ille concurſus eſt phyſicus : ergo determinatio, quam affert, eſt phyſica. Secundò, quia determinatio moralis non fit, niſi per motiua ex parte obiecti cognita. 10. *Fundamentũ tertium.*

Rem explicant, & confirmant exemplo. Nam Petro perſuaderi poteſt, vt egrediatur ex templo, rationibus, quæ illum infallibiliter moueant, vt 11. *Confirmatur primò exemplo.*

liberè

liberè velit egredi, videlicet, propoſita ruina tecti, vel parietum imminenti; vel propoſitis cenſuris, aut periculo incurrendi in manus iudicis, niſi celeriter fugiat. Cæterùm poſſibile non eſt impetum propellentem, & eiicientem extra templum à Deo taliter imprimi, vt Petrus infallibiliter exeat, & tamen idem Petrus phyſicè poſſit non exire, ſed in templo manere. Nam vel ille impetus reſiſtentiam Petri ſuperat omnino; & tunc Petrus non poterit non exire. Vel impetus non ſuperat reſiſtentiam Petri; & tunc virtute illius impetus non ſequetur infallibiliter Petrum

Confirmatur ſecundò. egredi. Vnde ſumitur confirmatio ſecunda; quia vel concurſus diuinus omnino determinat voluntatem: & ſic neceſſitatem afferet, & conſequenter impediet libertatem. Vel concurſus diuinus non omnino determinat voluntatem; & ſic non inferet actum infallibiliter eſſe futurum.

12. *Fundamentum 4.* Quartum argumentum. Quia illa prædefinitio per concurſum effectiuũ, vel certò infert actum prius, quàm ſupponatur futuram eſſe determinationem voluntatis: & tunc iam infert neceſſitatem antecedentem. Vel non certò infert actum, niſi præſupponendo futuram eſſe liberam voluntatis determinationem; & tunc non eſt prædefinitio actus. Nam quidditas prædefinitionis exigit, vt antequam præuideatur actus eſſe futurus, efficaciter decernatur.

13. *Quintum.* Quintum argumentum. Quia ſi voluntas eliceret eum actum omninò determinata per qualitatem à Deo infuſam: tunc non operetur liberè. Sed effectiuus concurſus Dei non minus neceſſitat, quàm illa qualitas infuſa. Ergo.

14. *Sextum.* Sextum. Quia Deus per effectiuum concurſum poteſt voluntatem neceſſitate ad aliquem actum, vt ſuppoſuimus in principio num. 2. Sed non erit alius modus effectiuè concurrendi, quotieſcunque per effectiuum concurſum prædefinierit actum. Ergo quotieſcunque per effectiuum concurſum prædefinierit actum, voluntatem neceſſitabit ad illum.

15. *Septimum.* Septimum. Quia ſi Deus actum prædefiniat per vehementiam concurſus effectiui, tunc nullus erit poſſibilis concurſus ad oppoſitum. Ergo non manebit libertas ad oppoſitum. Antecedens probatur, quia ſicut contradictionem implicat, voluntatem Petri ſimul amare, & non amare; ſic etiam contradictionem implicat Deum efficaciter velle concurrere, vt voluntas Petri eliciat actum amoris; & nihilominus velle concurrere, vt eadem voluntas non amet, ſed odio habeat idem obiectum. Nam contradictionem implicat Deum velle quod ex parte obiecti contradictionem implicat.

16. *Octauum.* Octauum. Quia diuinæ potentiæ creata voluntas reſiſtere nullo modo poteſt nec moraliter, nec phyſicè; ſed quando Deus concurſu effectiuo prædefinit efficaciter actum voluntatis creatæ, tunc actus, & illius determinatio procedit à diuina omnipotentia. Ergo illi nulla voluntas poteſt vlla ratione reſiſtere, nec moraliter, nec phyſicè. Vnde voluntas non poterit actum omittere: quapropter non operabitur liberè.

SECTIO II.

Prædefinitio per concurſum effectiuum infallibiliter impellentem.

1. *Prædefinitio ex vi concurſus effectiui.* ILlis argumentis non obſtantibus, ſit prima concluſio. Virtute maximi, & vehementiſſimi concurſus effectiui, quem Deus præbere decernat, poteſt prædefinire conſenſum, illius libertate manente; quamuis omnia motiua ex parte obiecti cognita ſegniter, atque leuiter voluntatem ad conſentiendum inuitent: imò quamuis ſublata prædicta ſpeciali vehementia maximi concurſus, motiua ex parte obiecti cognita relinquerent infallibilitatem omittendi conſenſum, ac diſſentiendi.

2. *Dei effectiuus concurſus præſtat quidquid habitus.* Vt probem, ſupponendum eſt primò Dei effectiuum concurſum præſtare poſſe ſine habitu, quidquid habitus præſtat in genere cauſæ efficientis, inclinando ad actum, & concurrendo ad illum. Cuius ratio eſt, quoniam quilibet concurſus cauſæ efficientis, non vitaliter concurrentis, ſuppleri poteſt ſine vnione aliqua ſubſtantiali, vel accidentali, ratione cuius Deus mutetur, aut aliquam imperfectionem contrahat: idque nullam contradictionem inuoluit; atque ita ſuppleri à Deo concurſum habituum. Vt peccatores eliciant primos eorum actus, videbimus infrà diſp. 36. ſect. 2. n. 13.

3. *Habitus poteſt infallibiliter inclinare ad actum.* Supponendum eſt ſecundò habitum ſiue infuſum, ſiue adquiſitum poſſe peruenire ad tantam intenſionem, vt infallibiliter inclinet ad ſuos actus eliciendos. Experimur enim, homines aliquos propter intenſiſſimum habitum iracundiæ, longa conſuetudine contractum, infallibiliter, ac ſemper iraſci ſub talibus circunſtantiis, atque motiuis, ſub qualibus alij homines iracundiam frænare ſolent. Quod idem cernere licet in habitibus auaritiæ, luxuriæ, ac ſimilibus. Contrà verò, qui præditus eſt intenſiſſimis habitibus obedientiæ, humilitatis, manſuetudinis, vel patientiæ, data occaſione, ſuos actus infallibiliter exercebit ſub talibus circunſtantiis, ſub qualibus alij homines, habitibus deſtituti, contrarios actus elicient nonnunquam, vel vtplurimum.

4. *Habituum vehementiſſima intenſio non aufert libertatem.* Rurſus à prædictis actibus vehementiſſimam intenſionem habituum non auferre libertatem, inde probatur, quoniam actus imputantur ad mortalem culpam, vel ad heroicum meritum, ſinguli pro ſua turpitudine, vel honeſtate.

Confirmatur, quoniam de potentia ordinaria non eſt poſſibilis intenſio maior habituum, quàm illa, quæ de facto conceſſa fuit animæ Chriſti Domini, ſuæque ſanctiſſimæ matris: quæ tamen libertatem non ademit, ſiquidem meritum non impediuit, ſed auxit.

5. *Probatur concluſio 1.* Quibus ſuppoſitis, concluſio probatur primò. Nam Dei effectiuus concurſus ſine habitu præſtare poteſt, quidquid habitus præſtat in genere cauſæ efficientis, inclinando ad actum: ſed habitus intenſiſſimus infallibiliter inclinat ad ſuos actus eliciendos, etiam quando motiua ex parte obiecti cognita, non alliciunt infallibiliter: ergo effectiuus Dei concurſus poteſt eſſe tam vehemens, vt conſenſum infallibiliter inferat, etiam quando motiua prout ex parte obiecti repræſentantur, nullam afferunt infallibilitatem conſentiendi; imò licèt afferant infallibilitatem diſſentiendi.

6. *Effectiuus concurſus vt infallibiliter rapiat non opus eſt vt cognoſcatur.* Confirmatur, quoniam vt vehementia concurſus effectiui rapiat infallibiliter voluntatem, nihil opus eſt ab homine cognoſci concurſum Dei, & ab illo moueri tanquam ab obiecto cognito. Quemadmodum plerique ruſticorum infallibiliter ad aliquos actus rapiuntur vehementia ſuorum habituum: licèt prorſus ignorent, ineſſe ſibi qualitatem aliquam, conſuetudine comparatam,

paratam, nec vnquam audierint, aut cogitauerint habitus.

7. *Reſponſio reijcitur.*

Quòd ſi reſpondeas, intenſiſſimi habitus infallibiliter inchoant ad liberum conſenſum, quatenus cauſant indeliberatas cogitationes, ac delectationes vehementes, vel triſtitias, quibus moraliter allicitur voluntas ad conſenſum: adhuc his eiſdem, aut æqualibus cogitationibus, aut delectationibus diſſentiret voluntas aliquando; niſi habitus intenſiſſimus vehementer impelleret ad conſenſum, prout potens eſt ad illum immediatè concuttere. Cuius indicium eſt, quòd æquales cogitationes, ac delectationes, ſi ſuggerantur à dæmone, deficiente habitu vitij, non inferunt infallibiliter conſenſum.

8. *Probatur 2. à priori.*

Secundò probatur à priori. Nam, vt vidimus diſp. 10. ſect. 3. voluntatem infallibiliter inclinant ad vnam partem eligendam, quæcumque cauſæ per maximum aliquem ponderis exceſſum præponderant omnibus cauſis, atque motiuis impellentibus ad oppoſitum. Sed Deus prout exhibet effectiuum concurſum, eſt præcipua cauſa, inclinans ad vnam partem eligendam: inſuper Deus exhibere poteſt effectiuum concurſum, ita exuberantem, vt maximo quodam ponderis exceſſu præponderet omnibus cauſis, atque motiuis, impellentibus ad oppoſitum: ergo Deus per effectiuum concurſum poterit infallibiliter inclinare ad concurſum.

9. *Confirmatur ex maiori, & maiori vehementia diuini concurſus.*

Confirmatur primò. Nam quanto fuerit vehementior, & fortior effectiuus concurſus Dei, tanto probabilius infert eliciendum eſſe conſenſum, ſed vehementia & fortitudo diuini concurſus poteſt magis, ac magis augeri ſine termino. Ergo poterit peruenire ad tantam vehemētiam, & fortitudinem, vt infallibiliter inferat, eliciendum eſſe conſenſum. Probatur conſequentia. Nam quanto magis augetur probabilitas, tanto magis excluditur formido, ſeu dubium de altera parte. Cùm autem finita ſit iſta formido, vel dubium per ablationem partium, poterit omnino aboleri. Quapropter manebit certitudo de futuro conſenſu ſine vlla formidine diſſenſus.

10. *Confirmatio 2. præoccupat ſolutionem.*

Confirmatur ſecundò. Quamuis enim dixeris vehementiam, & fortitudinem non poſſe augeri in infinitum, ſed dari certum aliquem terminum, vltra quem progredi contradictionem inuoluat; adhuc negare nulla ratione poteris, quin eadem vehementia, & fortitudo poſſit exceſſu valde magno ſuperare fortitudinem concurſus generalis. Atque hoc ſufficit, vt reddat infallibilem actum, maximè quando motiua, quæ retardare poterant ab illo, vires habent valde tenues, atque remiſſas.

Confirmatio 3.

Confirmatur tertiò. Quoniam prædictam vehementiam, & fortitudinem ita temperari, vt libertatem conſeruet illæſam, infallibilitate non obſtante, non implicat contradictionem, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum in ſectione ſequenti.

11. *Cauſalitatis efficientis genus efficacius quàm morale.*

Tertiò probatur. Quoniam phyſicum, & reale cauſalitatis genus eſt efficacius, & potentius, quàm genus cauſalitatis intentionalis, & moralis. Sed iſtud poteſt infallibilitatem afferre. Ergo & illud. Explicatur. Motiua ex parte obiecti cognita, mouent intentionaliter in genere cauſæ moralis, & ea poſſunt ad vehementiam, & efficaciam tantam augeri, vt moralem infallibilitatem afferant, vt oſtenſum eſt tota diſp. 10. Ergo vehementia, & fortitudo diuini concurſus effectiui, poterit eſſe tanta, vt moralem infallibilitatem afferat, ſiquidem ille concurſus pertinet ad genus cauſæ phyſicum, & reale.

Confirmatur, quoniam Deus per infinitam ſapientiam nouit, quo gradu temperari debeat concurſus, vt relinquat abſolutè diſſentiendi poteſtatem; & tamen efficiat, vt de facto ſemper ſequatur aſſenſus. *Confirmatur.*

Quartò eandem concluſionem confirmant, quæ ſequuntur concluſiones, & rationes earum. 12.

Secunda concluſio. De facto Deus aliquos actus, potiſſimùm ſupernaturales, prædefinit per vehementiam, & fortitudinem concurſus effectiui, modo nuper explicato. 13. *De facto per vehementiā effectiui concurſus aliqui actus prædefiniuntur.*

Probatur primò, quia cùm iſte modus prædefiniendi ſit poſſibilis, vt præcedenti concluſione probatum eſt, expedit aliquando exerceri per Dei prouidentiam. Primò, quoniam eſt valde oſtenſiuus diuinæ omnipotentiæ in genere cauſæ efficientis, eo quòd ſola vincat reſiſtentiam voluntatis creatæ, abſque adminiculis motiuorum ex parte obiecti trahentium. Secundò, quoniam huiuſmodi concurſus eſt valde proportionatus eſſentiæ ſupernaturalium operationum, quibus neceſſarius eſt ſemper ſpecialis concurſus effectiuus, nec ſufficit generalis concurſus. *Probatur 1.*

Probatur ſecundò, quoniam aliquæ Sanctorum hiſtoriæ referunt, illos aliquando fuiſſe interiùs validiſſimè incitatos ad aliquid agendum, & tamen ignoraſſe qua vtilitate, aut qua ratione mouerentur ita vehementer: poſtea verò conſecutam fuiſſe conuerſionem alicuius peccatoris, quam Deus illis ignorantibus, intendebat, vel aliam vtilitatem Eccleſiæ, vel liberationem à proprio periculo. Tunc enim motiua ex parte obiecti vim habebant infallibiliter trahendi; ſiquidem non erant cognita, cùm potiùs Sancti ſeipſos mirarentur, atque diſcuterent, nec deprehenderent rationem ſibi notam illius vehementis impulſus. Nihil igitur aliud reſtat, quod illam infallibilitatem attulerit, niſi diuinus concurſus effectiuus. 14. *Probatur 2. ex hiſtorijs Sanctorum.*

Tertia concluſio. Per ſubtractionem effectiui concurſus libera omiſſio non poteſt infallibiliter prædefiniri. Probatur, quia ſi concurſus totaliter ſubtrahatur, ita vt non offeratur ſaltem concurſus generalis, non erit libera, ſed abſolutè neceſſaria negatio actus; eo quòd impoſſibile fuit actum elicere. Si verò conceditur ad actum totus ille concurſus, qui requiritur, vt ſit abſolutè poſſibilis; quamuis nulla maior vehementia concedatur, nihilominus aliquando continget actum elici, dūmodo ſit alioqui facilis. Quòd ſi magna ſit illius actus difficultas; tunc ratione difficultatis potius, quàm ratione ſubtractionis concurſus, ſequetur infallibilitas omiſſionis. Iuuabit tamen ad eam infallibilitatem effectiui concurſus tenuitas, ac diminutio. 15. *Per ſubtractionem effectiui concurſus libera omiſſio nequit prædefiniri.*

Reſtat demum exponere, quomodo poſſit eſſe intenſior, vehementior, atque fortior diuinus concurſus effectiuus, & quomodo diſtingui poſſit ab alio concurſu minus intenſo, minúſque vehementi, ac forti. Dubitandi ratio ſupponit, in eo concurſu nullam aliam rem excogitari poſſe, niſi Dei actus immanentes, & increatos, videlicet efficax decretum, & imperium, & inſuper humanæ voluntatis conſenſum, ad extra productum, atque actionem, ſeu dependentiam, in qua formaliter concurſus, atque productio conſiſtit. Quo ſuppoſito, ratio dubitandi eſt, quoniam ex parte 16. *In quo conſiſtat maior diuini concurſus vehementia.* *Ratio dubitandi.*

nullius

nullius ex tribus rebus prædictis interuenire poteſt angmentum vehementiæ ſortitudinis, & intenſionis. Nam in primis non ex parte diuini decreti, & imperij, quod non eſt capax intenſionis, & remiſſionis,& ſemper eſt infinitę fortitudinis, & efficaciæ, quantum ex ſectione. Nec ex parte conſenſus, qui eſt effectus producendus, totus enim ille conſenſus, & quælibet pars illius produritur ſemper à Deo, tanquam à cauſa principaliter operante, ſiue operetur per concurſum minimum, qui requiritur ad actum, ſiue operetur per concurſum maximum, & inteoſiſſimum.

Confirmatur primò, quia perfectior, & altior concurſus rectè intelligitur, quando actus producendus eſt altioris ordinis, vel perfectioris ſpeciei, ſed comparatione eiuſdem actus, vel alterius æqualis,non eſt in quo poſſit exerceri perfectior, & altior concurſus.

17. Confirmatur ſecundò. Nam illa maior intenſio concurſus non poterit interuenire ratione actus producendi,quia totam intenſionem actus, & quaſlibet intenſionis partes producet concurſus effectiuus Dei, ſiue impellat infallibiliter ad actum, ſiue non infallibiliter. Inſuper contingere poterit vt voluntas, vtens concurſu infallibilizante, remiſſiorem actum producat: & eadem, vtens concurſu non infallibilizante, producat intenſiorem actum, ſi maiorem conatum adhibeat intra latitudinem, quam poteſt attingere virtute illius concurſus. Quemadmodum aliquando elicit actum iotenſum vt vnum, qui habet habitum intenſum vt decem; cùm tamen alter, habens habitum intenſum vt quatuor, eliciat actum intenſum vt tria, vel vt qoatuor.

18. Tandem ex parte actionis ipſius, ſeu dependentiæ non videtur interuenire poſſe prædictum aogmentum vehementiæ, fortitudinis, & intenſionis.

19. *Diuini concurſus vehementia maior ſe tenet ex parte modi producendi.* Reſpondeo & ſit quarta concluſio. Dioinus concurſus, comparatus ad eundem actum producendum cum eadem intenſione, poteſt eſſe vehementior, fortior, & eminenter intenſior ex eo ſolùm, quòd impellat ad eliciendum infallibiliter actum, qui ſine tanto, & tam vehementi concurſu non eſſet infallibilis. Tunc autem exceſſus fortitudinis vehementiæ, & virtualis intenſionis non interuenit ex parte conſenſus, qui eſt effectus prodocendus, ſed ex parte modi producendi, & cauſandi; quia talis concurſus cauſat infallibiliter, alter verò non infallibiliter.

20. *Probatur 1.* Explicatur, & probatur primò. Nam ad eliciendum actum intenſum, vt quatuor habitus intenſus, vt quatuor impellere poterit, & concurrere; ſed non reddet infallibilem eum actum, niſi habitus fuerit multo intenſior (vt in prima concluſione dictum eſt.) quod ergo præſtat intenſio magna, formaliter exiſtens in habitu, hoc ipſum præſtat effectiuus concurſus Dei fortior,& vehementior. Et hac ratione dicitur eminenter habere maiorem intenſionem, quoniam præſtat, quod habitus non præſtaret, niſi foret intenſiſſimos.

21. *Probatur 2.* Inde ſumitur explicatio, & probatio ſecunda. nam eiuſdem actus ad concurſum infallibilizantem erit ordo maioris dependentiæ, & maioris influxus ab illo recepti. Quemadmodum actus intenſus vt vnum productus ab habitu intenſo vt decem, maiorem dependentiam, & influxum recipit ab habitu, quam ſi produceretur ab habitu intenſo vt vnum: eo quòd in priori caſu penderet, & influxum reciperet à decem illis gradibus intenſionis habitualis; ſed in poſteriori caſu reciperet influxum ab vnico tantùm grado.

Vnde colligitur concluſio quinta. Maior intenſio, vehementia, & fortitudo diuini concurſus, prout in actu primo parata eſt ad concurrendum, conſiſtit in decreto voluntatis, & imperio intellectus diuini, quatenus decernit, & imperat vt creatæ voluntatis conſenſus. Dependentiam, & influxum maiorem, ac eminenter intenſiorem recipiat, ratione cuius infallibiliter eliciatur. 22. *Effectiuus concurſus vehementia in actu primo quid.*

SECTIO III.

Soluuntur argumenta poſita in ſectione prima.

AD primum negatur antecedens, quia Dei coocurſus ad extra non eſt neceſſarius, neque oeceſſariò reſultat ex decreto diuino; ſed dependenter à libera cooperatione voluntatis creatæ, quæ phyſicè poteſt ſuam cooperationem ſubtrahere: quoniam Deus hoc totum vult, & hoc temperamentum adhibet ſuo coocurſui. Vnde conſtat ſolutio confirmationis primæ negando ſimilitudinem illius exempli. Quoniam actio Dei, eleuantis aquam Baptiſmi ad producendam gratiam, non dependet à libera cooperatione aquæ, cui nulla libertas ineſt. 1. *Ad primum Dei concurſus non reſultat neceſſariò ex decreto.*

Ad ſecundam confirmatiooem conſequentia negatur, quia ſi Deus ſe ſolo produceret actum voluntatis, Dei concurſus, & productio actus nullo modo penderet à libera cooperatione voluotatis. *Ad 2 confirmationem.*

Ad ſecundum argumentũ reſpondetur. Quando concurſus effectiuus Dei reddit infallibilem determinationem voluntatis ad conſenſum,tunc voluntas determinatur à concurſu Dei, tanquam principalis cauſæ; non verò tanquam cauſæ totaliter determinantis, ac proinde non determinatur voluntas à concurſu Dei, niſi dependenter à libera cooperatione, qua voluntas ſe ipſam ſecundariò determinat, cùm abſolutè, ac phyſicè poſſit non determinare. 2. *Ad 2. non determinatur voluntas à concurſu Dei independenter à libera cooperatione.*

Ad confirmationem, antecedente conceſſo, diſtinguendum eſt conſequens. Nam quando per intellectum nullo modo cognoſcitur ſpecialis ille concurſus Dei; tunc ab illo non allicitur voluntas, velut ab obiecto per cognitionem propoſito; nec in genere cauſæ finalis: verumtamen allicitur ab illo velut à concurſu cauſæ efficientis, impellentis ad conſenſum. Sicut ſectione præcedenti, concluſione 1. probatione 1. in eius confirmatione dictum eſt, habitibus etiam vim eſſe, vt fortiter impellant ad actum, licet penitus ignorentur. *Ad confirmationem.*

Ad tertium repetenda eſt diſtinctio æquiuocationis, quæ latet in vocibus *moralis, & phyſica.* Specialis ille concurſus effectiuus Dei voluntatem creatam determinat infallibilitate, quæ phyſica eſt quantum ad realitatem, & quantum ad genus cauſalitatis efficientis; & in hoc eodem ſenſu non eſt determinatio moralis, quia non ſit per motiua ex parte obiecti cognita. Cæterùm in alio ſenſu eadem determinatio eſt moralis, & non phyſica, quantum ad ſuauitatem illationis; quia non infert conſenſum 3. *Ad tertium.*

per neceſſitatem abſolutam, ita vt diſſentire ſit abſolutè impoſſibile; ſed potiùs relinquit illæſam diſſentiendi poteſtatem.

4. *Ad primam confirmationem.* Ad primam confirmationem reſpondetur, in exemplo magnam eſſe diſſimilitudinem, quantum ad præſens propoſitum. Nam impetus Petrum impellens, & eiiciens extra templum, imprimitur in corpore Petri, quod nullo modo liberum eſt: ac proinde imprimitur omnino independenter à libertate. At verò concurſus effectiuus, quem defendimus, imprimitur dependenter à libera cooperatione voluntatis. Foret autem exemplum nonniſi accommodatum ad præſentem veritatem explicandam; ſi Petro Deus imprimeret impetum, ea menſura temperatum, vt abſolutè poſſet illi reſiſtere per ſummum conatum, & extremum laborem, ac difficultatem; quam foret infallibile non eſſe ſubeundam, nec impetui reſiſtendum.

Ad 2. confirmationem. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur. Specialis ille concurſus diuinus, licèt non omnino determinet voluntatem creatam; infert tamen infallibiliter, quòd ipſa ſe determinabit ob rationes adductas in ſect. præcedenti.

5. *Ad quartum.* Ad quartum argumentum reſpondetur. Prædefinitio per concurſum effectiuum, certò infert actum, præſupponendo futuram eſſe liberam determinationem voluntatis, non quidem tanquam in ſeipſa exiſtentem, ſed tanquam infallibiliter illatam, ex vehementia, & fortitudine concurſus effectiui; & ideo in illo euidenter cognitam. Hæc autem cognitio nō obſtat quidditati prædefinitionis. Atque in præcedentibus tertio & quarto argumento, ſicut in aliis nonnullis, obſeruandum eſt, eadem argumenta fieri poſſe aduersùs infallibilitatem, & prędefinitionem per motiua, ex parte obiecti cognita, quam admittunt etiam authores eorumdem argumentorum.

6. *Ad quintum effectiuus concurſus nō determinat omnino voluntatem.* Ad quintum reſpondetur. Effectiuus concurſus non determinat omnino voluntatem; & ideo minus determinat, quàm illa qualitas infuſa; niſi talis eſſet, quæ inclinaret voluntatem per modum habitus, qui relinquit abſolutè poteſtatem non operandi.

7. *Ad ſextum.* Ad ſextum negatur minor. Etenim modus effectiui concurrendi ad liberum conſenſum infallibiliter eliciendum, eſt modus attemperatus quidditati voluntatis, prout eſt libera; & conſequenter, quantum ad hoc eſt ſimilis modo concurrendi habituum, quorum actiuitas ſubditur arbitrio voluntatis; & ideo concurſus ille præberi non poteſt ad extra, niſi dependenter à libera cooperatione voluntatis. At verò concurſus, afferens neceſſitatem, & accommodatus ad naturam voluntatis, prout natura eſt, & operatur ſicut reliquæ naturales cauſæ, non quantum ad proprium illius modum operandi liberè; & conſequenter non eſt ſimilis modo concurrendi habituum, nec pendet à libera cooperatione voluntatis.

8. *Ad ſeptimū.* Ad ſeptimum negatur antecedens, & ad eius probationem vltima propoſitio diſtinguitur ita. Contradictionem implicat, Deum efficaciter velle vt fiat, quod ex parte obiecti contradictionem implicat. Cæterùm non implicat contradictionem, Deum efficaciter velle, vt fiat vnus actus, & nihilominus offerre generalem concurſum paratum, & velle concurrere ad contrarium, & repugnantem actum; cæterùm hoc non velle voluntate efficaci, ſed quaſi conditionali, ſi voluntas creata ſe determinauerit ad illum. Hæc enim voluntas Dei tantum abeſt, vt repugnet efficaci voluntati Dei, vt potiùs efficacem voluntatem explere ſit impoſſibile, niſi accedente hac voluntate, quaſi conditionata, per quam præbetur facultas oppoſiti, & ea ratione ſeruatur libertas, quam efficax voluntas decreuit. Quocirca licèt contradictionem implicet Petrum amare, & non amare, vel odiſſe idem obiectum: nihilominus non implicat contradictionem Deum efficaciter velle concurrere, vt Petrus infallibiliter amet; & nihilominus velle non efficaciter, ſed quaſi conditionaliter concurrere cum Petro, ſi voluerit non amare, ſed odiſſe.

Ad octauum reſpondetur. Diuinæ potentiæ creata voluntas poteſt reſiſtere tali modo, & gradu reſiſtentiæ, cuius eadem potentia Dei tribuit facultatem. At verò facultatem tribuit omnipotentia Dei, vt reſiſtatur eius concurſui effectiuo infallibilizanti, prout in actu primo paratus eſt, & præciſus à præſcientia, & prædefinitione; non autem in ſenſu compoſito cum præſcientia, & prædefinitione, vt fuſiùs declarabitur tomo ſequenti, exponendo teſtimonia ſacræ Scripturæ, quibus traditur, diuinæ voluntati neminem poſſe reſiſtere. 9. *Ad octauum.*

SECTIO IV.

Vtrùm Dei prædefinitio certa & infallibilis fieri poſſet abſque phyſica & antecedente neceßitate illationis.

NEgant omnes authores phyſicæ prædeterminationis. Hoc ſumitur ex Bañez 1. parte quæſt. 19. toto art. 8. & quæſt. 22. art. 4 & 2. 2. q. 10 art. 1. docum. 3. ſed magis expreſsè atque diffuse docent Zumel. prima parte quæſtione 19. ſua quæſtione prima, & ſecunda, & quæſtione 22. articulo 4. ſua quæſtione vnica, & tomo 1. variarum diſputationum, concluſione quadam tertia, pagina 348. & ſequentibus, & alibi ſæpe. Didacus Aluarez de auxiliis, diſputatione 41. præſertim concluſione 2. & diſputatione 22. à numero octauo, & alibi ſæpe. Nauarr. prima parte tomo 2. controuerſ. 21. Ledeſ. quæſtione vnica de auxiliis articulo ſecundo, concluſione 2. & fuſiùs articulo 9. Nazar. prima parte, quæſtione 22. artic. 4. controuerſ. 2. & alij quidam eiuſdem ſcholæ. 1. *Authores negantes.*

Hæc ſententia ſatis impugnata manet ex tomo de ſcientia Dei, à diſp. 38. vſque ad 79. & tomo de voluntate Dei, à diſputatione 27. vſque ad 51. Teſtimonia Sanctorum Patrum, ac diui Thomæ, cæteraque argumenta eiuſdem ſententiæ partim inſerta ſunt præcedentibus diſputationibus inter alia plura, & fortiora, quæ nihil amplius probant, quàm prædefinitionem, abſque phyſica, & antecedente neceſſitate illationis, prout in ſingulis conſiderare licebit præcedentia recolenti. Eadem autem & alia quædam, quatenus in ſpeciem fauere videntur phyſicæ prædeterminationi, ſoluta ſunt in aiſdem tomis, & diſputationibus. 2.

Reſtat igitur, ex eorum authorum obiectionibus eas tantùm attingere, quæ magis immediatè, ac directè pertinent ad prædefinitionem. Prima obiectio ſumitur ex Bañez ſecunda ſecundæ, quæſtione 10. articulo 1. docum 3. § *ad hanc obiectionem.* vbi exiſtimat, ex noſtra ſententia ſequi, neceſſarium eſſe, vt à me ſolo prædefiniatur 3. *Obiectio 1.*

actus

actus liber, nec poſſe prædefinitum eſſe à Deo.

Soluitur. Reſpondetur, ſatis ex præcedẽtibus diſputationibus conſtat, in noſtra & vera ſententia liberos actus à Deo prædefiniri multiplici genere prædefinitionis: à nobis autem non prædefiniuntur noſtri actus. Prædefinitio quippe ſignificat prioritatem aliquam ante noſtram actualem operationem. Hanc autem habere non poteſt operatio noſtra comparatione ſui ipſius. Ideoque voluntas quando eligit, ſeipſam ſecundariò determinat, & electionem definit, non prædefinit.

4. *Humana voluntas non eſt primum deliberans.* Vnde præterea conſtat, illationem eſſe nullam, qua Bañez in eodem loco deducit ex noſtra ſententia, quòd humana voluntas ſit primum deliberans, & non deliberaſſe Deum ab æterno liberas, & honeſtas actiones hominum. Sed de primo deliberante plura vide tomo de ſcientia Dei diſputatione 50. ſectione 2. & diſputatione 52. ſect. 9. & tomo de voluntate Dei, diſput. 35. ſectione 1.

5. *Obiectio 2.* Secunda obiectio aliorum eſt, quoniam de ratione prædefinitionis eſt, vt ſit principium noſtri conſenſus liberi; proptereaque concurrat, operetur, & influat in conſenſum prius, quàm voluntas creata, nec expectet voluntatem creatam. Quæ omnia, dicunt, in noſtra ſententia defendi non poſſe.

Confirmant, quia in noſtra ſententia non erit, niſi condeterminatio, aut poſtdeterminatio, ſeu poſtdefinitio: ſiquidem ſupponitur exercitium libertatis noſtræ.

6. *Soluitur oſtendendo qua ratione prædefinitio ſit prior conſenſu libero.* Reſpondetur. Contra rationem prędefinitionis eſt, totale principium eſſe conſenſus liberi, totaliter determinans ad illum, & totali prioritate, quæ nullam in alio genere cauſæ poſterioritatem admittat. Ita priùs concurrere, ac præuenire, vt in nullo genere cauſæ concurſum voluntatis expectet ad producendum liberum conſenſum. hæc enim omnia repugnant libertati conſenſus: & conſequenter repugnant quidditati prædefinitionis, quæ quidditatiuè deſtinatur ad efficaciter producendum liberum conſenſum. Vera proinde prædefinitionis ratio poſtulat, non ſolùm tempore, ſed etiam cauſalitate priorem eſſe, non totali prioritate, ſed tantùm in genere principalis, & altioris cauſæ, admittendo poſterioritatem in alio minus principali genere cauſæ, atque cum hac limitatione prædefinitio eſt principiũ principale concurrens & influens in conſenſum prius, quàm noſtra voluntas. Quod ſicut ſufficit, vt propter prioritatem præſtantiorem Dei concurſus ſit & dicatur abſolutè prior; ita ſufficit, vt eius decretum & imperium ſit, & dicatur abſolutè prædefinitio, & non poſtdefinitio.

7. Ad confirmationem reſpondetur. Ad prædefinitionem non ſupponitur exercitium libertatis noſtræ, vt abſolute futurus, ſed tantùm vt futurus ex ſuppoſitione conditionata, vel tanquam infallibiliter illatus ex motiuis. Hæc autem ſuppoſitio non òbſtat, quominus exercitium libertatis vt abſolutè futurus, & cauſatus, ſit poſterius prædefinitione.

8. *Tertia.* Obiectio tertia tanquam inſufficientem redarguit omnem prædefinitionem, quæ ſine phyſica prædeterminatione nitatur ſcientiæ conditionali de conſenſu, quem voluntas creata præberet. Quoniam ex ea prædefinitione ſequitur, & ab aliquibus conceditur, quòd ſi per impoſſibile admitteremus aliquam voluntatem futuram eſſe tam prauam, vt omnibus temporibus, & momentis repugnatura eſſet cuicunque vocationi, quantumuis potentiſſimæ, data illa hypotheſi, Deus non poſſet talem voluntatem efficaciter, & liberè conuertere; poſſet tamen illam conuertere, quo vellet, impediendo libertatis vſum; neque hoc, inquiunt, repugnat diuinæ omnipotentiæ, ſed potiùs conſonat ſuaui diſpoſitioni illius, quoniam niſi præſupponatur præſcientia illa conditionata futuri conſenſus ex hypotheſi, quòd voluntas conſtituatur in talibus circunſtantiis, impoſſibile eſt, quòd conuertatur, aut operetur, ſaluo vſu libertatis. ita Didacus Aluarez diſputatione 28. numero ſeptimo à medio. Hoc autem refutat, quoniam Deus, non ſolùm eſt omnipotens reſpectu eorum, quæ facit quantum ad ſubſtantiam actus, ſed etiam quantum ad modum producendi, non enim ſolùm eſt cauſa efficaciſſima reſpectu actus, ſed etiam attingit, & poteſt attingere omnem modum illius: ergo ſi data illa hypotheſi, Deus ſua omnipotentia non poteſt liberè conuertere ad ſeipſum voluntatem, non eſſet ſimpliciter omnipotens.

9. *Reſpondetur hypotheſim eſſe poſſibilẽ.* Reſpondetur, hypotheſis illa eſt impoſſibilis; ſicut eſt poſſibile aliquam voluntatem eſſe intrinſecè malam, & nulla præditam propenſione ad bonum: hæc autem propenſio facit, vt ſublatis impedimentis, ac difficultatibus, necnon clarè propoſita dignitate virtutis, oblataque ſuauiſſima delectatione, & facilitate illius, aliquando ſaltem eam eligat, vt vidimus diſputatione 8. ſectione 3. fine, & tota diſput. 10. præſertim ſect. 3. Quapropter data illa hypotheſi, nihil mirum eſt, ſi ſequatur impoſſibilem eſſe modum efficaciter & liberè conuertendi talem voluntatem. Vnde nullo modo ſequitur aliqua diminutio diuinæ omnipotentiæ, cuius perfectio eſt, nullum impoſſibile poſſe, & poſſe quodcunque poſſibile.

10. *Retorquetur obiectio.* Inſuper argumentum retorquetur. Si enim per impoſſibile foret aliqua voluntas ita proterua, & obſtinata, vt neque per phyſicã prædeterminationem conuerteretur ad Deum; illam Deus non poſſet efficaciter conuertere ſecundùm eorum ſententiam: & tamen inde non ſequeretur Deum non eſſe ſimpliciter omnipotentem. Igitur data impoſſibili, & mala natura voluntatis, quòd ex ea ſequatur impoſſibilem eſſe conuerſionem illius, nihil derogat omnipotentiæ Dei. Quin potiùs hoc ipſum valde commendat omnipotentiam Dei, quoniam ea voluntas impoſſibilis, quæ omnibus temporibus, & momentis repugnatura foret cuicunque vocationi, quantumuis potentiſſimæ, non poſſet effectus eſſe omnipotentiæ, ſed potentiæ defectuoſæ atque intrinſecè malæ, & implicantis contradictionem: ſicut ipſe effectus intrinſecè malus eſt, & contradictionem inuoluens. Hanc autem voluntatem poſſe conuertere, non eſt laus, ſed potiùs vituperatio potentiæ conuertentis; quoniam quod eſſet intrinſecè malum, non deberet ad conuerſionem admitti, & ad gratiam, & amicitiam Dei. Quemadmodum peccator obſtinatus in peccato, & illius obſtinatio permanens, & æterna non conuertitur ad Deum, nec admittitur ad Dei amicitiam, & gratiam.

Ad impugnationem illam reſpondetur. Deus eſt omnipotens ad producendam non ſolùm ſubſtantiam actus, ſed etiam omnem illius modum poſſibilem & bonum, non verò impoſſibilem, & malum, & rectæ rationi contrarium. 11.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm permiſſio peccati prædefiniatur à Deo.

SECTIO I.

De qua permiſſione tractetur, & quo fructu.

1\. NEQVE formalem rationem malitiæ, neque materialem entitatem, ex qua neceſſariò conſequitur, eſſe prædefinitionis capacem, iam conſtat ex tomo de voluntate diſp. 27. & multis ſequentibus, præſertim diſp. 35. & 40. Propterea nunc agimus tantùm de permiſſione, quam Deus cauſare poteſt; idcóque frequenter à Patribus Deo tribuitur, cùm dicunt, peccata permittere: vt vidimus eodem tomo diſputatione 32. & 33.

2\. *Permiſſio increata vna, creata alia.*

Duplex autem eſt permiſſio, increata videlicet, & creata. Increata permiſſio eſt decretum immanens in Deo, quod decernit non impedire peccatum, & decernit aliqua bona facere; licèt ſciat, illorum occaſione committendum eſſe peccatum. Hanc permiſſionem Deus non prædefinit; ſed potiùs ipſa eſt prædefinitio creatæ permiſſionis. Creata permiſſio ſimul complectitur quarundam rerum productionem, & aliarum rerum negationem, ſeu non productionem, quibus poſitis peccatum committitur.

3\. *Creata permiſſio alia in actu primo, alia in actu ſecundo.*

Subdiuiditur autem creata permiſſio, vt alia ſit in actu ſecundo, alia in actu primo. Permiſſio in actu ſecundo, eſt actualiter per generalem concurſum. Primæ cauſæ proprium, concurrere ad materialem actionem peccati, & eo ipſo non impedire illam. Quòd ſi peccatum ſit omiſſionis puræ, permiſſio erit non præbere actualiter concurſum ad operationem, quæ præcipitur. Hæc permiſſio in actu ſecundo non prædefinitur à Deo, quia diuinum decretum, & imperium, quod ex ſe eſt, non determinat generalem concurſum ad materiales actiones peccatorum. Sed potiùs vellet ad illas non concurrere; nec determinat ad omittendos actus præceptos, vt probatum eſt eodem tomo de voluntate Dei, diſput. 50. præſertim ſect. 2. 3. & 4.

4\. *Permiſſio in actu primo quid: & vtriuſque diſcrimen.*

Reſtat igitur ſola permiſſio creata in actu primo, de qua diſputatio præſens inquirit, vtrùm à Deo prædefiniatur. Conſiſtit autem eiuſdem permiſſio in tali ſubtractione copioſioris auxilij, & productione circunſtantiarum, ex ſe bonarum, quibus poſitis committitur peccatum. Diſcrimen igitur huius permiſſionis ab altera, conſiſtit in eo, quòd permiſſio in actu ſecundo, non reſpicit cauſas, vel occaſiones, quibus peccator abutitur ad peccatum; ſed immediatè reſpicit actum ipſum peccati. Contrà verò permiſſio in actu primo non reſpicit actum peccati, niſi prout per accidens, propter abuſum peccatoris ſequitur ex negatione copioſioris auxilij, & ex aliis rebus bonis, à Deo cauſatis.

5\. *Permiſſionis in actu primo acceptio duplex.*

Vlteriùs eiuſdem permiſſionis in actu primo duplex eſt acceptio. Sæpe nanque ſignificat ſolummodo, relinqui ſolutam voluntatis indifferentiam in vtranque partem contradictionis, non connotando culpam eſſe committendam potius, quàm fugiendam. quomodo loquuntur multi ex Patribus, citatis eodem tomo de voluntate Dei, diſp. 31. ſect. 2. & 3. Sub hac ſignificatione non loquimur in præſenti de permiſſione; quoniam eam prædefiniri, nihil aliud foret, quam prædefiniri libertatis indifferentiam, antecedenti neceſſitate ſolutam. Permiſſionem itaque diſputatio præſens talem intelligit, qua poſita, certum eſt committendum eſſe peccatum, de hac quærimus, vtrùm prædefiniatur à Deo.

De qua permiſſione ſermo ſit.

Vtilitas, vel potiùs neceſſitas iſtius laboris eſt, ad oſtendendam poſſibilitatem prædefinitionis eorum bonorum, quæ colligenda ſunt ex peccatis, ſiue prædeſtinatorum, ſiue reproborum; qua ratione conſtabit etiam permiſſionem peccatorum, quæ committuntur à prædeſtinatis, à prædeſtinatione poſſe procedere tanquam illius effectum. Proderit etiam ad oſtendendum, ante præuiſa opera potuiſſe decerni reprobationem merè negatiuam, qua poſita ſit certa damnatio: idque fieri potuiſſe ſine phyſica prædeterminatione materialis actionis peccati. 6.

Præſentis diſputationis vtilitas.

Prædefinitio denique permiſſionis velut corollarium ſequitur ex prædefinitione bonarum operationum duplici ratione. Prima, quoniam excepta intentione qua Deus intendit fieri bonam actionem, (repugnat enim Deum intendere, vt fiat actio mala) reliqua, quæ pertinent ad certitudinem prædefinitionis, & certitudinem peccati committendi, & illius concordiam cum libertate, ſunt prorſus eadem in prædefinitione permiſſionis, quæ dicta ſunt in prædefinitione bonæ actionis. Secunda ratio eſt, quia multorum bonorum prædefinitio prærequirit prædefinitam eſſe permiſſionem peccatorum, quæ ſupponuntur ad illa bona, vt infra ſect. 3. 7.

Prædefinitio permiſſionis ſequitur ex bonarum operationum prædefinitione.

SECTIO II.

Cuiuſlibet peccati permiſſionem eſſe prædefinitam, probatur ex negata prædeſtinatione & congrua vocatione.

GEneralis eſt aſſertio, quæ titulo ſectionis prænotatur: nullum peccatum excipit, imò comprehendit non ſolùm in particulari peccata ſingula, ſed etiam eorum circunſtantias augentes, vel minuentes grauitatem. Hæc enim omnia non alio tempore, vel loco, nec aliter, nec magis, aut minus contingunt, quàm Deus vult permittere. 1.

Cuiuſlibet peccati permiſſio prædefinita.

Theologica ratio eſt, quoniam Deus prædefinit omnia bona in particulari cum omnibus circunſtantiis, vt tota diſputatione nona probatum eſt. Sed bona eſt permiſſio cuiuſlibet peccati in particulari, & permiſſio cuiuſlibet circunſtantiæ, non ſolùm minuentis malitiam, ſed etiam aggrauantis. Ergo Deus eam prædefinit. Minor probatur, quoniam omnia membra permiſſionis plurimum habent boni, & nihil mali ſiue diuiſiuè ſumpta, ſiue collectiuè. Primum nanque membrum, & caput permiſſionis eſt negatio volitionis efficacis, qua Deus impediret peccatum, ſi vellet efficaciter impedire. Secundum membrum eſt negatio motiuorum, & circunſtantiarum, ſub quibus euitaretur peccatum. Tertium eſt productio, & conſtitutio circunſtantiarum, ex ſe bonarum & auxilij, ſub quibus Deus nouit committendum fuiſſe peccatum. Quartum eſt paratum offerre generalem concurſum ad omnem liberam actionem, 2.

Probatur quia bona eſt.

non excludendo materialem actionem peccati. Hæc autem omnia plurimum habent boni, non ſolùm ratione ſui; ſed etiam propter altiores alios fines, ad quos per diuinam prouidentiam deſtinantur.

3. *Confirmatur 1.* Hæc ratio explicatur, & confirmatur. Primò, quoniam, vt optimè obſeruauit Scotus in 1. diſtinct. 47. quæſt. vnica, volitio permittendi, & volitio reflectens eſt ſupra negationem propriæ volitionis: vult itaque Deus, ſe non velle impedire proditionem Iudæ, ne impediat eximium ſuæ paſſionis bonum. At non velle impedire peccatum Iudæ, non eſt malum; quia Deus non tenetur illud impedire; ſed prudentiùs, & meliùs agit non impediendo, ne impediat maiora bona.

Secundò. Confirmatur ſecundò, quoniam ad perfectionem diuinæ volitionis pertinet circa quamlibet partem contradictionis verſari volitione poſitiua, ſi datur obiectum capax volitionis poſitiuæ, ſicut econtrario foret imperfectio prætermittere aliquod opus per meram omiſſionem volitionis, nihil decernendo per poſitiuam volitionem prætermittendi tale opus.

4. *Tertiò.* Confirmatur tertiò, quia ſicut perfectio prouidentiæ requirit, omnia bona prædefiniri in particulari cum omnibus circunſtantiis; ſic etiam requirit, omnium malorum in particulari cum omnibus circunſtantiis permiſſionem prædefiniri propter rationes poſitas in diſputatione 9. ſectione 10. & 11.

Quartò. Confirmatur quartò, quia Deus decernit huic homini non dare talem concurſum, & tales cogitationes, & impetus, quibus nouit, peccatum fuiſſe vitandum; ſed dare alias cogitationes bonas, & concurſum, quibus non obſtantibus, committendum eſſe peccatum, Deus nouit ſcientia conditionata. Hoc autem ipſum decretum eſt prædefinitio permiſſionis. Quæ ratio ſumitur ex Auguſtino citando num. 12.

Quintò. Confirmatur quintò. nam in vtraque prouidentia negata, vel conceſſa clauduntur aliæ res omnes interiores, aut exteriores, corporales, vel ſpirituales, ex quarum præſentia, vel abſentia ſumit occaſionem peccator ad culpam, quarom omnium productionem, aut non productionem Deus prædefinit cum prædicta ſcientia futuri lapſus volens illum permittere.

5. Præcedentem rationem quæ primaria eſt, corroborant aliæ probationes, ex Litteris ſacris, Patribúſque deductæ. *Probatio 2. ex negatione prædeſtinationis.* Sic igitur probatur ſecundò, quoniam cuicunque Deus denegat prædeſtinationem, permittitur finale peccatum committendum certò, & indubitabiliter; ſed Deus prædefinit prædeſtinationem denegare, quibus denegat. Ergo eiſdem ita permittit finale peccatom, vt certum & indubitabile ſit ab eis eſſe committendum. Maior probatur in primis Ioan. 10. *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis.* Vbi Auguſt. tract. 48. Beda, Sanctus Thomas lectione 5. & alij, negationem electionis ad fidem intelligunt eſſe cauſam per accidens, qua poſita permittitur à Deo, & committitur ab homine peccatum incredulitatis, vt vidimus ſuprà diſputatione ſexta, ſectione tertia, numero ſexto.

6. Eadem maior probatur ſecundò, nam licèt cauſa per ſe cuiuſque peccati ſit non ſolùm fragilitas, & libera malitia voluntatis humanæ, ſed etiam truculentiſſima ſæuitia com maxima potentia illius beſtiæ, quæ deſcribitur Apocal. 13. ceterùm inde non niſi prædeſtinationem, quaſi remouendo prohibens, indubitabiliter ſequitur, quod ibidem notatur. *Adorauerunt beſtiam omnes, qui habitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Nomina non eſſe ſcripta in libro vitæ, idem eſt, qood non fuiſſe prædeſtinatos.

Probatur tertiò, ex Iſaiæ 1. & Rom. 9. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.* Vbi ſemen relinquere eſt idem, quod efficaciter prædeſtinare. Quæ ſingularis gratia ſi negaretur etiam Apoſtolis, & reliquis Sanctis, vide quanta infallibilitate ruerent in barathrum peccatorum. Atque ita communiter Patres intelligunt, citati diſputatione ſexta, ſectione tertia, numero 12. & ſequentibus, explicantes *reliquas*, & *reliqui*, quæ Paulus ponderat Rom. 9. & 11. 7. *Probatio 3. ex Iſa. 1. & Rom 9.*

Quartò, quoniam pro ſuo beneplacito Pater myſteria fidei abſcondit à ſapientibus & prudentibus, & Patrem ne vnus nouit, cui Filius non voluerit reuelare, negando prædeſtinationem ad fidem, vt Chriſtus Dominus Patri confitetur, Matth. 11. Quintò. *Nam omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Matth. 15. Plantat autem Deus prædeſtinatione, vnde colligitur infallibiliter in peccatis areſcere, quicunque non prædeſtinatur, vt vidimus diſputatione ſexta, ſectione tertia, numero 8. & 9. ex Cypriano & Proſp. de vocatione gentium lib. 1. cap. 6. *Ad finem deducit; quidquid non eſt eradicatum, manifeſtum eſt à Patre eſſe plantatum.* 8. *Probatio 4.* *Quinta.*

Tertia probatio principalis continet plurima teſtimonia Scripturæ, & Patrum, in quibus notantur iuſta Dei iudicia derelinquentis, & abundātiori auxilio deſtituentis in pœnam præcedentium peccatorum: qua deſtitutione poſita, ſequitur infallibiliter peccatum 1. Reg. 2. Filij Heli *non audierunt vocem Patris ſui, quia voluit Dominus occidere eos.* 3. Reg. 12. Roboam *non acquieuit populo, quoniam auerſatus fuerat eum Dominus, vt ſuſcitaret verbum ſuum.* & 4. Reg. 14. *Non audiuit Amaſias, quoniam à Deo erat, vt traderetur in manus eius, quoniam quæſierat Deos Edon.* Quæ duo teſtimonia ponderat Auguſt. libro de gratia & libero arbitrio, capite vigeſimo primo. Pſalm. 29. *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Pſalm. 80. *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Iſaiæ 57. *Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus ſum, & percuſſi eum. abſcondi à te faciem meam, & indignatus ſum, & abiit vagus in via cordis ſui.* 9. *Tertia probatio principalis ex Scriptura, & Patribus.*

Colligitur idem ex verbis Apoſtoli Rom. 11. *Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt; cæteri verò excæcati ſunt.* Vbi cæteri omnes, quos non comprehendit electio, permittuntur, & de facto excæcantur propria malitia. Quod bene ponderat Auguſtin. de prædeſtinatione Sanctorum capite 16. poſt medium. Proſper ad excerpta Genuen. dub. 4. Alia multa videre eſt apud Auguſt. lib. de gratia, & libero arbitrio, capite vigeſimo, & vigeſimo primo. Et libro quinto contra Iulianum capite tertio, vbi probat, eos, qui propter culpam deſtituuntur, infallibiliter omittere pœnitentiam. Notentur potiſſimum illa verba. *Quantumlibet Deus præbeat patientiam, niſi ipſe dederit, quis aget pænitentiam?* Nititur autem 2. ad Timoth. 2. 10. *Auguſtinus.*

Ne fortè Deus det illis pœnitentiam. Idem lib. primo contra duas epiſtolas Pelagianorum capite 18. docet, *homines Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adiuuante ſine meritis conuerti ad bonum.*

11. Ad huius probationis confirmationem pertinent eorum multa, quæ diximus tom. præced. de voluntate Dei, diſp. 43. ſect. 5. & 6. tractantes, quomodo peccatum Deus permittat in pœnam peccati, tradens in reprobum ſenſum, & in deſideria, percutienſque cæcitate, amentia, & furore mentis.

12. *Quarta probatio ex Auguſtino.* Quarta probatio duas præcedentes corroborat variis teſtimoniis Auguſtini, cauſam propter quam aliqui non credunt, vel non obediunt, aſſignantis, quia iuſto Dei iudicio negata eſt illis prædeſtinatio, & congruum, ſiue opportunum auxilium, ac præparatio voluntatis. Quemadmodum lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. ante medium. *Cæteri autem,* inquit, *vbi niſi in maſſa perditionis iuſto diuino iudicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti ſunt, & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent. Sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi Dei altiore iudicio, a perditionis maſſa non ſunt gratia prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur, vel dicta diuina, vel facta, per quæ poſſent credere ſi audirent vtique talia, vel viderent.*

13. Perpende primò, poſtremam conditionalem, *ſi Dei altiore iudicio,* &c. vt inde colligas ex negatione prædeſtinationis infallibiliter inferri negationem auxilij congrui, quo negato, infallibiliter committitur incredulitatis peccatum.

Perpende ſecundò pro eodem poni ab Auguſtino negatum eſſe illis vnde crederent, & negatum eſſe illis illud, per quod credere poſſent. Nam Auguſtinus, & alij Patres nonnunquam ad ſignificandam actionem, quæ foret, vel non foret ſub tali conditione, vtuntur verbo *poſſent,* aut *non poſſent.* de qua phraſi plura diximus tomo de ſcientia Dei, diſputatione 66. ſectione prima.

14. Obſeruationem vtranque confirmant eiuſdem Doctoris verba in lib. 1. ad Simplicianum, quæſtione ſecunda, colum. 6. vel 7. *Ad alios autem vocatio quidem peruenit; ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent, nec eam capere apti eſſent; vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi.* Vide igitur potentiam accipi pro aptitudine quam ſequeretur effectus, deinde negata electione, negari etiam congruam vocationem. Vnde poſt pauca ſubdit: *Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocari, quomodo illis aptum eſſet, vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Et rurſus: *Illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamuis vocati.*

Potentia, pro aptitudine.

15. Quòd ſi potentiam, vt ſonat, intelligere velis: moralis, & congrua poſſibilitas intelligenda eſt, de qua nimirum non eſſet infallibile, quòd non conſequeretur effectum. Quam in prædicto cap. 14. de bono perſeuerantiæ confirmat Auguſtinus Ioan. 12. *Et ideo non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum,* &c. Alioquin Tyriis, & Sidoniis fidem fuiſſe ſimpliciter poſſibilem, conſtabit tomo ſequenti de prædeſtinatione.

Rurſus ad finem eiuſdem cap. 14. tractans verba Chriſti Domini Lucæ 8. *Qui habet aures audiendi audiat.* ita ratiocinatur: *Aures ergo audiendi, ipſum eſt donum obediendi, vt qui adhiberent venirent ad eum, ad quem nemo venit, niſi fuerit ei datum a Patre ipſius. Exhortamur ergo, atque prædicamus: ſed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt; qui vero eas non habent, fit in eis quod ſcriptum eſt, vt audientes non audiant: audientes videlicet corporis ſenſu non audiant cordis aſſenſu. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant: hoc eſt, cur illis datum ſit a Patre, vt veniant ad Filium; illis autem non ſit datum, quis cognouit ſenſum Domini, aut quis eius conſiliarius fuit.* Exiſtimat ergo Auguſt. iis omnibus, qui de facto non audiunt credendo, neque veniunt ad Chriſtum per fidem, aliquod donum eſſe negatum à Deo propter occultiſſimas cauſas, quo negato, infidelitas ſubſequitur infallibiliter. 16.

Eadem prorſus ſententia diſſimilibus verbis traditur ab Auguſtino, lib. de Spiritu, & littera cap. 34. fine. *Iam,* inquit, *ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſque nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, vt perſuadeatur; illi autem non ita; duo interim occurrunt, quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum, & nunquid iniquitas apud Deum.* Supponit ergo tali ſuaſione non data neminem perſuaderi; ac ſubinde quemcunque hominem liberè diſſentire. 17.

Idem prorſus eſt negare voluntatis præparationē propter occulta iudicia, de qua lib. de prædeſtinatione Sanctorū c. 6. *Multi audiunt,* inquit, *verbum veritatis; ſed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo iſti credere; nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? ſed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.* Venit igitur ex iudicio Dei quòd hominibus quibuſdam non præparetur voluntas à Domino, qua negatione poſita, ſequitur infallibiliter, vt credere non velint, ſed contradicant verbo veritatis. Magis autem explicatur eadem præparatio voluntatis lib. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 17. ſub init. cùm ait: *Nolunt homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet, an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat. Tanto enim quidque vehementiùs volumus, quanto certius quàm bonum ſit nouimus, eoque delectamur ardentiùs. Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuaue fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adiuuat voluntates.* quibus ſubſcribit Fulgentius libro primo ad Monim. capite 28. 18.

Denique ex communiori ſententia Scholaſticorum colligi prædefinitionem cuiuſlibet permiſſionis, videbimus ſect. 6. 19.

SECTIO III.

Conſilium, & intentio Dei ſolatiáque patientiæ probant permiſſiones eſſe prædefinitas.

EAodem aſſertionem poſitam in ſectione præced. probare pergimus quintò, quia Dei voluntate, conſilio, decreto, definitione fieri peccatorum actiones ſignificat Scriptura Gen. 45 & 50. Actorum 2. & 4. Quod non poteſt infinitæ bonitati conuenire, niſi quatenus ſua voluntate, decreto, 1.

Quinta probatio quia Dei conſilio fiunt peccatorum actiones.

creto, conſilióque prædefinit, permiſſionem eorum operum, vt oſtendimus præced. tom. de voluntate Dei diſp.42. ſect.1.

Confirmatur primò. Confirmatur primò. Ob eandem quippe rationem permiſſionis, & non ob aliam, verificari poſſunt multa loca Scripturę, ſignificantia, Deum ad operationes malas impellere, incitare, mouere, conuertere, immutare, inclinare, ac dæmonibus, vel prauis hominibus tanquam inſtrumentis vti, quæ retulimus in eadem diſputatione 42. ſect. 1.

Secundò. Confirmatur ſecundò, quia propter eandem rationem Deus dicitur ſeducere, decipere, errare facere, mittere ſpiritum erroris, inducere in tentationem, & in laqueos.

2. *Sexta, quia peccata permittit Deus propter bona colligenda.* Probatur ſextò, quoniam Deus nullum peccatum permitrit, niſi propter aliquod maius bonum ex eo colligendum. Sed prædefinita ſunt in particulari omnia bona, etiam illa, quæ colligenda ſunt ex peccatis. Ergo prædefinita eſt etiam permiſſio certa & infallibilis peccatorum, ex quibus colligenda ſunt illa bona. Maior probata eſt tom. præcedent. de voluntate Dei diſput. 18. ſect. 2. & 3. & diſputat. 44. ſect. 6. 7. & 8. Minor verò probata eſt in præcedentibus diſputationibus 9. & 10.

3. *Confirmatur quia non prædefinirent bona.* Confirmatur primò, quia ſi Deus non prædefiniret permiſſionem; aut ex permiſſione non eſſet certa futuritio peccati; ſequeretur non eſſe poſſibilem prædefinitionem eorum bonorum, quæ colligenda ſunt ex peccatis: niſi poſtquam Deus ſcientia viſionis præcognouiſſet peccatum vt abſolutè futurum. Hoc autem non ſolùm diuinæ prouidentiæ perfectionem, atque potentiam minueret, ſed etiam contradiceret plurimis actibus eiuſdem prouidentiæ, in quibus antequam prædefiniretur bonum, ex peccato colligendum, non potuit præuideri peccatum, quaſi abſolutè futurum.

4. Attingemus autem præcipua genera iudiciorum Dei, quibus id clariùs conſtet, in primis quoties Deus hominem iuſtum in regno, vel alio regimine ſæculari, aut Eccleſiaſtico conſtituit, & eo fine conſtituit, vt eius peccatis in regimine commiſſis, populi peccata puniat: tunc impoſſibile fuit, illius hominis peccata vt abſolute futura, & per ſcientiam viſionis præcognita, præſupponi antequam Deus prædefiniret punitionem illam faciendam permiſſione peccatorum. Exemplum ſit Saul, cuius peccata, committenda in adminiſtratione regni, quaſi abſolutè futura præuideri non poterant, niſi præſuppoſito decreto creandi illum regem. Rurſus iſtud decretum præſupponebat intentionem permittendi peccata in adminiſtratione regni ad puniendum populum; ergo intentio efficax permittendi talia peccata fuit prior, quàm præuiderentur Saulis peccata vt abſolutè futura.

5. Pro cuius exempli clariori notitia notandum eſt, Saulem fuiſſe iuſtum, quando regnare cœpit, vt communiter Doctores colligunt ex 1. Reg. cap. 10. & tribus ſequentibus. Et tamen importunis precibus populi, Regem poſtulantis, eum Deus conceſſit ad puniendam propter viam, & impudentiam populi detrectantis magis immediatam Dei gubernationem, ſecundùm illud Oſeæ 13. *Dabo eis Regem in furore meo.* Quod de Saule in populi pœnam dato Auguſt. intelligit lib. 5. contra Iulianum cap. 3. Hieronym. & alij expoſitores Oſeæ 13. Gregor. lib. 25. moral. c. 14. aliàs cap. 20.

Confirmatur ſecundò, quia Iudam, eo tempore iuſtum, quo Ieſu Chriſti ſcholam ingreſſus fuit, Deus eo fine in Apoſtolum cooptauit, vt illi permitteret auaritiam, & proditionem ad totius mundi redemptionem obtinendam. Bonum igitur ex tali permiſſione colligendum, prædefinitum fuit prius quàm Iudæ peccata præuiderentur quaſi abſolutè futura. Quòd Saul, & Iudas erant boni, & apti ad munus quando ſunt electi, docent Hieron. dialogo 3. aduersùs Pelagianos colum. 5. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 30. & lib. 9. fuſiùs cap. 10. à medio. Tertullianus lib. vnico de anima cap. 4. fine, aliàs c. 11. fine. Theophylact. & Euthym. c. 6. Ianſen. in poſtremis verbis totius commentarij. Quòd autem eo fine Chriſtus Dominus Iudam elegerit vt permitteret eius proditionem, qua Deus bene vteretur ad noſtram redemptionem, docent Auguſtinus de corrept. & gratia cap. 7. tractat. 27. & tract. 57. parum à princip. & quæſt. 117. in Geneſ. in Pſal. 54. & in Pſal. 55. Beda tom. 5. in Ioan. cap. 6. ad finem. 6. *Confirmatur ſecundò.*

Confirmatur tertiò. Nam eadem ratio generaliter vrget circa peccata prædeſtinatorum, quorum permiſſio eſt effectus prædeſtinationis, (vt probabitur tomo ſequenti.) At verò prædeſtinationis effectum eſſe, nihil aliud eſt, quàm prædeſtinatione definitum, atque cauſatum. Quapropter augmentum gratiæ, & gloriæ, & cæteri fructus, quos prædeſtinati colligunt ex prætertitis peccatis, prædefiniti ſunt prius ratione, quàm peccata præuiderentur vt abſolutè futura. 7. *Permiſſio peccati prædeſtinationis effectus.*

Confirmatur quartò. nam ad colligendum fructum humilitatis nonnullos lapſus a Deo permitti, docet Auguſt. lib. 1. de ciuit. cap. 28. & lib. 14. cap. 13. & ſerm. 49. de tempore 14. de ciuitate cap. 13. lib. de natura, & gratia cap. 28. & lib. de quæſtionibus in Euangelium Matthæi quæſt. 14. & in Pſalm. 93. Ambroſ. lib. 10. in Lucam cap. de negat. Petri, versùs finem. Chryſoſt. homil. 41. ad popul. poſt med. & lib. 1. de prouidentia columna antepenultima. Irenæus lib. 4. contra hæreſ. cap. 72. prope fin. S. Maximus centoria 3. cap. 23. quibus conſonat cap. 9. 10. 16. Damaſcen. 2. fidei cap. 29. Baſilius apud S. Thomam in catena. Gregor. lib. 34. moral. cap. 9. & 10. ad illa verba Iob. 4. *ſternit ſibi aurum quaſi lutum* (refertur 33. quæſt. 3. cap. *citius*, quod eſt 44.) & lib. 6. moral. cap. 13. ad illud Iob. 35. *Qui docet nos ſupra iumenta terræ.* Et de cura paſtorali parte 4. fine S. Thomas 1. 2. quæſt. 87. artic. 2. ad 1. Magiſter & communiter Scholaſt. 1. diſt. 46. §. *hinc patet*. Laurent. Iuſtinianus lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ vitæ cap. 3. paulo poſt med. 8.

Vnde probatur ſeptimò. nam quidquid oportet ad Dei maiorem gloriam, & vtilitatem Eccleſiæ, Deus prædefinit, & vult; ſed ad Dei maiorem gloriam, & vtilitatem Eccleſiæ oportet diabolo, & eius membris, & inſtrumentis, Antichriſto, & ſequacibus permitti plurima peccata, quibus tentent, & exerceant electos: ergo hanc permiſſionem Deus prædefinit, & vult. Minor probatur Apocalyp. 20. *Oportet eum ſolui breui tempore*; ſolui autem diabolum eſt permitti exercere totam tentationem quam poteſt vi vel dolo per ſe ipſum, & ſua membra, vt exponit Auguſt. lib. 20. de ciuitate cap. 8. ante med. Perpende verbum 9. *Probatio 7.* *Diabolū ſolui quid.*

Digitized by Google

oportet, & quæ de illo notauimus diſput. 8. ſect. 1. num. 8. Confirmatur, quia diſertis verbis præfiniri permiſſionem peccatorum ad hominis perfectionem, & vtilitatem Eccleſiæ probat Irenæus ex Hieremiæ cap. 2. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te*, cuius eundem ſenſum aliis verbis reddit lib. 4. aduerſus hæreſes cap. 72. ad finem, dicens. *Deo quidem magnanimitatem præſtante in apoſtaſia hominis: homine autem erudito per eam; quemadmodum & Propheta ait: Emendabit te abſceſſio tua; præfiniente Deo omnia ad hominis perfectionem, & ad ædificationem & manifeſtationem diſpoſitionum, vt & bonitas oſtendatur, & iuſtitia perficiatur.* Quibus conſequentia ſcribit in cap. 76. initio in eodem lib. 4.

10. *Probatio 8. quia Deus prædefinit mala pœna.* Probatur octauò, nam mala triſtia, ſiue pœnalia ſunt abſolutè bona, ideóque Deo tanquam authori tribuenda. Sed Deus prædefinit omnia bona, quorum eſt author. ergo prædefinit omnia mala triſtia, ſiue pœnalia. Rurſus hæc eadem mala plerumque ſunt neceſſariò coniuncta cum malis culpæ alterius, vel eiuſdem hominis, vel dæmonis. Ergo Deus certò, & infallibiliter prædefinit permiſſionem earum culparum, ſine quibus non exiſterent ea mala triſtia, & pœnalia. Maior ſatis probata fuit tomo præcedenti de voluntate Dei diſput. 35. ſect. 6. 7. & 8. nunc recolere ſufficiat illud Eccleſiaſtici 11. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt*; & Amos 3. *Si eſt malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Minor pertinens ad prædefinitionem omnium bonorum probata eſt diſputat. 9. peculiariter verò prædefinitionem cuiuſlibet aduerſitatis, quantum eſt ex parte Dei, ad medicinam deſtinatæ, probant Scripturæ, & Patrum teſtimonia, poſita in eadem diſp. 9. ſect. 6.

11. *Confirmatur 1. quia propriè dicitur Deum velle mala triſtia.* Confirmatur primò. nam quantum ad mala triſtia, non figurata, ſed propria, & rigoroſa locutione dicit Scriptura ſacra, Deum ea velle facere, præcipere, mittere. Atque ita proprio, & rigoroſo ſenſu declarant Patres communiter citati dicta diſp. 35. ſect. 6. 7. & 8.

Confirmatur 2. Confirmatur ſecundò, quoniam cauſa principalis eſt, quæ præconcipit, & præordinat actionem inſtrumenti, quatenus inſtrumentum eſt, & præſcribit illi menſuram, & cæteras circumſtantias. At verò dæmones, & homines peccantes, licèt quantum ad malitiam ſint cauſæ principales, cæterùm quantum ad inferenda mala triſtia, ſunt inſtrumenta Dei, quemadmodum probatum eſt eodem tom. de voluntate Dei diſp. 33. ſect. 4. Ergo Deus præconcipit, & præordinat eorum actionem, quantum ad inferenda mala triſtia, & præſcribit illis menſuram, & cæteras circumſtantias.

Confirmatur 3. Confirmatur tertiò, quoniam in ſacris litteris Deo tribuuntur eiuſmodi mala tanquam authori principali; nihil de hominibus, aut dæmonibus curando, quaſi de inſtrumentis, quantum ad inferendas aduerſitates, nihil operantibus, niſi pro Dei beneplacito, iuxta illud: *Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt.*

12. *Probatio 9. quia vires eneruarentur patientia.* Ex eiſdem principiis erumpit probatio nona, quoniam leges, ac vires eneruantur patientiæ manſuetudini, & conformitati cum voluntate diuina; niſi ſupponamus quamcumque calamitatem per dæmones, aut homines inuectam, Dei voluntate fuiſſe prædefinitam cum omnibus circumſtantiis. Etenim ſi Deus omnino commiſit arbitriu tui inimici, vt eligeret, vel non eligeret inferre vulnus, contumeliam, rapinam, oppreſſionem; quam Deus non præuoluit, ac prædefiniuit: iam nulla ratio, vel certè debilior erit ratio, propter quam debeas vulnus, contumeliam, rapinam, oppreſſionem acceptare, tanquam Dei manu datum calicem. Nam ſecundùm rectam rationem diſſentire poteris à voluntate deordinata tui inimici. Quapropter ſi nulla ſuperior voluntas prædefiniuit, ſed ipſa ſola voluntas inimici tui ſe ipſam determinauit ad hæc mala inferenda; poteris diſſentire, & diſcordare à quacumque cauſa determinante, vt hæc tibi mala inferantur. Si autem Deus ea prædefiniuit in particulari cum omnibus circumſtantiis; teneberis ea omnia recipere tanquam calicem Patris beneuolentia propinatum, & pro eo gratias agere, vt docent ſacræ literæ, & Patres ſuprà diſp. 9. ſect. 6.

13. *Probatio 10. quia diluitur ſolatium.* Præcedenti conſequens eſt probatio decima, quoniam diluitur, & acéſcit dulcedo, robúrque ſolatij, quod in omnibus aduerſitatibus animi fortitudinem conſtantiámque collocat in diuina prouidentia: ſi abſque illius præſcripto noſter inimicus nobis potuit plus, minúſve nocumenti, & calamitatis afferre, vel non afferre.

Confirmatur 1. quia non eſſet in Deo collocanda tota fiducia. Confirmatur primò, quoniam inde ſequeretur, fiduciam non totam in Deo collocandam, ſed cum hominibus, aut etiam cum dæmonibus eſſe diuidendam: ſiquidem in eorum poteſtate conſtitutum erit aliquid mali non inferre, quia non eſt à Deo prædefinitum, quòd ſi Deus prædefinit omne malum triſte, quod nobis à quibuſque prauis voluntatibus infertur; iam in Deum recurrit tota fiducia noſtra, etiam illa, quæ ſecundariò collocatur in cauſis ſecundis, tanquam in liberis inſtrumentis.

14. *Confirmatur 2. quia nō ſolus Deus eſſet timendus.* Confirmatur ſecundò, quoniam ſequeretur etiam propter eandem rationem nō ſolùm Deum eſſe timendum; ſed etiam homines, ac dæmones eſſe timendos ſuo peculiari timore, qui non recurrat in Deum, vt in primariam, & principalem cauſam; etenim ad hunc timorem eripiendum non eſt ſatis mala triſtia non poſſe contingere; niſi Deo ſciente, permittentéque per meram omiſſionem definitionis, & conceſſionem facultatis ad vtrumlibet indifferentis. Nam voluntas, quæ nocumentum inferre poteſt, à Dei prouidentia non decretum, atque commenſuratum; timeri poteſt ne inferat nocumentum, quod Deus nec voluit inferre, nec impedire curauit, quaſi negligens talem euentum; talem verò timorem ex animis fidelium Chriſtus Dominus expellit Matth. 10. dicens: *veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Vide Patres citatos diſp. 9. ſect. 8. num. 15. & ſequentibus.

15. *Malorū pœna circumſtātia prædefinita.* Nec ſatisfacies ſi concedas, Deum prædefinire cunctas aduerſitates quantum ad certam menſuram, non verò quantum ad omnes circumſtantias, perſonarum temporis, loci, & alias ſimiles. Etenim ſi Deus non prædefiniuit, vt ab hoc homine potius, quàm ab alio; nunc potius quàm antea, vel poſtea, in hoc loco, per talem actionem inferretur tibi calamitas, & afflictio: conſequens erit, quantum ad ea omnia remitti vires earum rationum, quæ ſuadent patientiam, conformitatem cum diuina voluntate, fortitudinem, & conſtantiam animi, fiduciam, ac timorem ſolius Dei. Prout in præcedentibus rationibus probatum eſt. Ille namque non ſine violentia diminutionéque diuinæ prouidentiæ, atque dominij limitationem

prædictam

Digitized by Google

prædictam accipient; cùm Deo fuerit promptum omnes circumſtantias prædefinire: & hoc ipſo maius ſolatium, maioreſque vires, & tranquillitatem animi ſuis athletis communicare.

SECTIO IV.

Menſura, & cætera circumſtantiæ peccatorum prædefinita permiſsione circumſcribitur.

Permiſſioni peccatorum menſura & circumſtãtia prædefinita.

1. DEclaratio hæc amplitudinis, & vniuerſalitatis, quam concluſio *principalis*, in ſectione ſecunda poſita continebat, probari cœpit in præcedenti ſectione 3. num. 10 & ſequentibus, quoniam colligitur ex eo, quòd menſura, & cæteræ circumſtantiæ ſint prædefinitæ circa mala pœnæ. Nunc addimus probationes, quæ magis immediatè reſpiciunt mala culpæ. In primis quod attinet ad menſuram,

Probatur primò Zachar. 5. *Hæc eſt amphora egrediens.* & poſt pauca, *& ecce mulier ſedens in medio amphoræ; & dixit: Hæc eſt impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius.* Septuaginta legunt, *& proiecit eam in medium menſuræ.* ſicut etiam priùs dixerant, *Hæc eſt menſura.* & omnes expoſitores, etiam Hieronym. qui tranſtulit *amphora*, exponit, vt idem prorſus ſignificet, quod menſura. Cauetur ergo per Dei prouidentiam, vt iniquitas menſuram implere ſinatur, ſed vltra menſuram ſibi præſcriptam proſilire non permittatur.

Amphora, idẽ quod menſura.

2. Vnde Theodoretus in eum locum: *Ex his*, inquit, *intelligitur, vt omnia in menſura, & pondere adminiſtret Dominus omnipotens. Sic etiam Abrahæ peregrinum fore ſemen illius prædixit, & cauſam affert: Nondum*, inquit, *completa ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus. Nondum digna extrema pernicie peccauerunt. Quare eos ad cædem nunc tradi non permittam, ſed iniquitatis pondus, & menſuram expectabo.*

3. Secundò probatur verbis à Theodoreto citatis Geneſ. 15. *Nec dum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Hæc ita exponit Chryſoſtom. in Geneſim homil. 37. propius ad medium, quàm ad finem: *Nondum in tanto numero peccata fuerunt, vt talem ferant pœnam.* Quam eandem expoſitionem ſequitur Rupertus, & ad eandem rem faciunt alia Scripturæ teſtimonia, quæ confert cum hoc loco Gregorius in Ezechiel. homil. 11.

4. Tertiò probatur Matth. 23. *Implete menſuram patrum veſtrorum.* Vbi non ſignificari præceptum, ſed prædictionem, & permiſſionem, ex Chryſoſt. Theophylact. Euthym. & S. Thom. vidimus tom. præcedenti de voluntate Dei diſputat. 44. ſect. 3. Nunc verò colligimus, huiuſmodi permiſſioni prædefinitam eſſe menſuram. Vnde S. Thom. in eius loci commentario: *Videndum*, inquit, *quòd omnia, quæ eueniunt, ex certo Dei iudicio eueniunt. Sed in illo Dei iudicio non ſtatim ſoluitur pœna, donec totaliter exaggeretur, & veniat ad cumulum. Vnde quantum ad iudicium Dei non adhuc erat impleta culpa eorum.*

5. Quartò deducitur idem ex 1. Theſſalonicen. cap. 2. *Vt impleant peccata ſua ſemper.* Vbi S. Thomas lectione 1. poſt medium. *Ratio*, inquit, *huius culpæ eſt ex diuina permiſſione, quâ vult, vt impleant peccata ſua; omnium enim, quæ fiunt ſiue bona, ſiue mala, eſt quædam certa menſura, quia nihil eſt infinitum, & omnium iſtorum menſura eſt in præſentia. Bonorum quidem in eius præparatione, Epheſ. 4. Quia vnicuique veſtrûm datur gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Malorum autem in permiſſione; quia ſi aliqui ſunt mali, non tamen quantum volunt, ſed quantum Deus permittit, & ideo tandiu viuunt, quamdiu perueniant ad hoc, quod Deus permittit. Matth 23. implete menſuram*, &c.

6. Quintò probatur, nam ſicut Deus electis ſuggerit cogitationes ſpiritualium rationum eo fine, vt augeant merita vſque ad gradum prædeſtinatum; ſic etiam reprobis eas cogitationes ſubtrahit, & permittit ab eis in obliuionem tradi rationes æternas, vt permittat demerita pœnarum augeri vſque ad menſuram præſcriptam. Vnde Sapien. 19. *Horum*, ait, *quæ acciderant, commemorationem amittebant, vt quæ deerant tormentis, repleret punitio.*

7. Sextò. Nam in Cantico Deuteronomij 32. *Mea*, inquit, *eſt vltio, & ego retribuam eis, in tempore, vt labatur pes eorum.* Id eſt, *in tempore, quo lapſus fuerit pes eorum.* vt legit Gregor. lib. 25. moral. cap. 9. propius ad medium, quàm ad finem, ita ponderans: *Ecce atrociſſima illorum facinora deſcribuntur, & tamen ad vltionis diem adhuc ſubſequens lapſus aſpicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent quidem iam vnde feriri mereantur, ſed ſuſtinetur tamen adhuc peccatum creſcere vt peccantes poſſit atrocior pœna cruciare.*

8. Cæterarum omnium circumſtantiarum prædefinitio colligitur ex eo, quòd ſit prædefinita menſura. Quoniam omnes, aut ferè omnes circumſtantiæ culpæ grauitatem accumulant, vel extenuant, ideóque demeriti menſuram & gradum variant. Quapropter non poteſt prædefiniri certa, & determinata menſura demeriti, cui certus, & determinatus gradus ſupplicij reſpondeat: niſi prædefiniantur omnes circumſtantiæ. Quemadmodum in ſimili de gradu meriti, & gloriæ diximus diſp. 9. ſect. 9. n. 20.

Conſequens igitur eſt Dei permiſſione peccatis omnibus prædefiniri menſuram, & limites intenſionis, extenſionis obiectiuæ, durationis, ſeu continuationis, repetitionis, ſeu frequentationis, aut numeri, & grauitatis tam prouenientis ab obiecto formali ſiue ex genere, quàm ex quocumque obiecto materiali, ac ſubinde etiam facilitatis, aut difficultatis.

Confirmatur, quoniam prædefinitio menſuræ, aliarúmque omnium circumſtantiarum, eſt potiſſima ratio, propter quam Deus in ſacris litteris dicitur actiones prauas præcipere, ſiue mandare, dicitúrque excæcare, & obdurare; vt probauimus præcedenti tomo de voluntate Dei diſp. 44. ſect. 3 & 4.

9. Vltra generales probationes ſuppetunt aliæ peculiares, quæ demonſtrant prædefinitam eſſe durationem temporis in culpa, ſic enim dæmoni vt grauiores tentationes exercere ſinatur, breue tempus præfigitur, videlicet annorum trium & ſex menſium, Apocal. 20. *Oportet eum ſolui breui tempore*, de quo videndus eſt Auguſt. lib. 20. de de ciuit. cap 8. ante medium iam ſuprà citatus. Idem colligitur Threnorum 4. *Completa eſt iniquitas tua.* & Danielis 9. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.*

10. Ratione tandem probatur, quoniam non eſt impoſſibile Deo, prædefinire permiſſionem huiuſmodi, quia menſuram, & omnes peccatorum circumſtantias æternæ diſpoſitionis limitibus coërceat,

coërceat, atque concludat. Inſuper in eiuſmodi gubernatione magis ſplendet ſapientia, omnipotentia, & bonitas Dei: ergo credendum eſt eiuſmodi prouidentiam de facto exerceri circa omnia peccata permittenda. Quemadmodum ſimili argumento probatum fuit de bonis operibus ſuprà diſp. 10. ſect. 2. & 3.

SECTIO V.

Prædefinitur aliquando permiſſio per motiua, & circumſtantias, ex quibus peccatum infallibiliter infertur.

1. *Peccatorum permiſſio dupliciter prædefiniri poteſt.*

QVamuis omnium peccatorum permiſſionem certò prædefiniri, probatum ſit in ſectionibus præcedentibus; nondum explicatus eſt modus prædefinitionis. Addimus ergo duplicem eſſe modum, alter communis eſt omnibus peccatis, nullo excepto, quo videlicet diuina voluntas dirigitur per ſcientiam omnium futurorum ſub conditione, prorſus independenter ab illatione infallibili, qua futurum inferatur ex ſuppoſitione. Hunc modum prædefinitionis vt minimum probant duæ ſectiones præcedentes. Alter modus eſt, quo diuina voluntas ad prædefiniendum dirigitur ſcientia infallibilis illationis conditionalis, vt explicuimus tota diſp. 10. De hoc igitur inquirimus, vtrùm aliquorum ſaltem peccatorum permiſſiones ita prædefiniantur. Dicemus autem in præſenti poſſibilem eſſe huiuſmodi prædefinitionem de potentia abſoluta; ſequens verò concluſio, & aliæ ſectiones tractabunt de potentia ordinaria atque de facto.

2. *Permiſſio prædefiniri poteſt ex motiuis infallibilibus.*

Sit itaque concluſio prima. De potentia Dei abſoluta fieri poteſt permiſſionem eſſe talem, vt ex motiuis, & circumſtantiis infallibiliter inferatur committendum eſſe peccatum, non ſolùm in communi, & vagè, ſed etiam in particulari, & determinatè. Taliſque permiſſio poteſt à Deo prædefiniri per ſcientiam illius infallibilis illationis.

3. *Permiſſio alicuius peccati prædefinitio poſſibilis.*

Quod attinet ad vagam infallibilitatem alicuius peccati, nullum in particulari determinando, ſatis probatum eſt diſp. 8 ſect. 2. num. 8. & ſequentibus, videlicet, eſſe de fide contingere quaſdam collectiones tentationum, & occaſionum peccandi, cum tali deſtitutione auxiliorum; ſub qua ſit infallibile committendum eſſe aliquod lethale peccatum. Atque vt minimum de potentia abſoluta fuit poſſibile Deum apud ſe ſtatuiſſe firmum & irreuocabile decretum deſtituendi aliquem hominem illo ſpeciali auxilio, quod ad perſeuerandum requiritur, qua hypotheſi data, foret infallibilis aliquis actus peccati mortalis, qui tamen foret abſolutè liber, vt oſtendimus loco citato.

4. *Permiſſionis peccati determinati poſſibilis eſt prædefinitio.*

Cæterùm de peccato particulari, ac determinato, hîc & nunc infallibiliter illato ex circumſtantiis, & deſtitutione auxiliorum, probatur etiam poſſibilitas de potentia abſoluta, quoniam dæmones ſemper, & infallibiliter peccant, præſertim ſuperbia, & odio Dei, vel ad minimum omiſſione amoris, quem naturaliter habere tenentur erga ſuum creatorem, ac Dominum, ſecundùm illud Pſalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Atque idem intellige de quibuſcumque damnatis. Nihilominus illis omnibus abſolutè manere liberam poteſtatem euitandi ſingula peccata, ſatis probatum eſt præcedenti tom. de volunt. Dei diſput. 40. ſect. 3. & 5. Cùm igitur ſint abſolutè poſſibiles prædictæ collectiones circumſtantiarum, ex quibus infallibiliter ſequitur peccatum: conſequens eſt potuiſſe Deum eo animo tales circumſtantias producere, vt permitteret committi peccatum, quod ſcit ex illis infallibiliter inferri.

Confirmatur, quia ſupponimus circumſtantias omnes eſſe intrinſecè bonas, aut ſaltem non malas, vt diuitias, robur corporis, potentiam, honores, pulchritudinem obiectorum, deſtitutionem auxiliorum abundantium: permiſſio quoque bona eſt, vt diximus ſect. 2.

5. *Datur de facto.*

Secunda concluſio de potentia ordinaria poſſibile eſt, & de facto contingit non rarò, peccatorem aliquem in præſenti ſæculo relinqui à Deo tam tenui mentis illuſtratione, & tam exigua Dei protectione munitum, támque gradibus tentationibus pulſatum, vt ex vi totius collectionis circumſtantiarum infallibiliter inferatur peccatum aliquod mortale determinatum, & in particulari: nec ſolùm inferatur peccatum ex ſuppoſitione, quòd homo in gratiam redire non vult; ſed etiam quoniam infallibiliter infertur, eumdem hominem numquam eſſe voliturum in gratiam redire. Hanc igitur infallibilem illationem Deus euidenter cognoſcit, & vult permittere, quod ipſum eſt prædefinire permiſſionem per motiua, & circumſtantias, ex quibus peccatum infallibiliter infertur.

6. *Probatur 1. Scriptura & Patribus.*

Probatur primò, quoniam Scriptura, & Patres plerumque docent aliquibus hominibus impoſſibile fuiſſe credere, aut pœnitere, & impoſſibilitatis cauſam eſſe dicunt inopiam auxiliorum; ſed intelligi non poteſt impoſſibilitas abſoluta, quoniam ſimpliciter liberum erat illis credere & pœnitere, ideóque ſimpliciter poſſibile infidelitatem & obſtinationem vitare, alioqui non eſſet imputabilis ad culpam eorum infidelitas, & impœnitentia; ergo impoſſibilitas illa credendi, aut pœnitendi non aliter intelligi debet, niſi vt ſignificat infallibilitatem hîc, & nunc omittendi debitam fidem & pœnitentiam.

Maior probatur Deuteronom. 29. *Vos vidiſtis vniuerſa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti*, &c. *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ poſſunt audire vſque ad præſentem diem.* Quamuis igitur ne poſſent audire, cauſa per ſe fuerit eorum libera malitia; nihilominus cauſa per accidens, ex qua ſequebatur infallibiliter, fuit, quia *non dedit illis Dominus cor intelligens*, &c. Eadem cauſa manifeſtior indicatur Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum*, &c. De quo videndus eſt præſertim Auguſt. tractat. 53. in Ioan. vbi quamuis excæcationis cauſam meritoriam dicat fuiſſe liberam eorum malitiam, cæterùm ea ſuppoſita, concedit, propter deſtitutionem auxiliorum illos non potuiſſe credere. 7.

Confirmatur primò Iſaiæ 29. *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros. Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones, operiet, & erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti litteras, dicent: lege iſtum; & reſpondebit, non poſſum, ſignatus eſt enim.* 8.

Confirmatur ſecundò Sapient. 12. *Non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum, ſemen enim erat maledictum ab initio.* id eſt, abundantiori auxilio propter ſua peccata deſtitutum, vnde moralis impoſſibili

impoſſibilitas, ſiue infallibilitas ſeqnebatur. Hierem. 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Tertiò vt alia plurima prætermittamus, illuſtre teſtimonium eſt apud Eccleſiaſtem cap. 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* videlicet, auxilium abnndantius non præbendo propter hominis demerita, cui conſonat commentarius Hieronymi in eum locum.

9. Coofirmatur quartò. Nam & Gregor. lib. 11. moral. cap. 5. tractans illud Iob 12. *Si deſtruxerit, nemo eſt, qui ædificet*, ita diſſerit: *Hinc Salomon dicit, conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. Nec mirum ſi à corde reprobo prædicator minimè auditur, dum nonnunquam ipſe quoque Dominus in his, quæ loquitur, reſiſtentium moribus impugnatur. Hinc eſt enim quòd Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpa malitia iam intus Deus cor reliquerat; cui foris ad teſtimonia verba faciebat.*

10. In eodem rurſus cap. 5. declarans ſequentia verba Iobi: *Si incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat, ſæpe nonnulli à prauis actibus exire cupiunt, ſed quia eorum actuum pondere premuntur, in mala conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt; & quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod rectè ſe agere æſtimant, in grauiores culpas vertunt. Fitque modo miſerabili; vt quod exitum putant, hoc incluſionem inueniant.* Obſerua ſemel, & iterum repetitam impoſſibilitatem, intellectam incluſionis nomine, quam eandem eſſe moralem infallibilitatem. probatur, quia ſemper & in omnibus perſonis conſequitur ſuum effectum, vnde poſt pauca ſubdit: *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat; quia ſicut nemo obſiſtit largitati vocantis, ita nullus obuiat iuſtitiæ relinquentis.*

11. Quintò confirmari poteſt verbis Iob cap. 34. *nouit enim opera eorum, idcirco inducet noctem, & conterentur. Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium.* Vnde ſubtractione luminis gratiæ peccatores aliquando puniri, vt videri non poſſint, colligit Gregor. lib. 25. moral. toto cap. 9. præſertim in fine, & cap. 10.

12. Sextò Iſidorus lib. 2. ſententiarum cap. 15. initio infallibilitatem obſtinationis, prouenientem ex vberioris auxilij deſtitutione, tradit his verbis: *Deo deſerente nullum pænitere; Deo reſpiciente, ſua mala vnumquemque videre, & plangere, & vnde ceciderit cogitare. Nam nonnulli ita deſpiciuntur à Deo vt deplorare ſua mala non poſſint, etiam ſi velint.* Vide impoſſibilitatem moralem, quam lib. 3. cap. 2. verſùs finem ita repetit; *In tanto demergi quoſdam deſperationis profundo, vt neque per flagella valeant emendari. De quibus rectè per Prophetam dicitur: Fruſtrà percuſſi filios veſtros. diſciplinam non receperunt.*

13. Septimò confirmat Proſper lib. 2. de vocatione gentium cap. 17. *Tam acerbo*, inquit, *natura humana vulnere ſauciata eſt, vt ad cognitionem Dei neminem contemplatio ſpontanea plenè valeat erudire; niſi obumbrationem cordis vera lux diſcuſſerit: quam inſcrutabili iudicio Deus iuſtus, & bonus non ita præteritis ſæculis, quemadmodum & in nouiſſimis diebus effudit.* Vnde conſequens eſt in præteritis ſæculis multo plures luce interiori caruiſſe; proptereáque ad cognitionem Dei plenè eruditi non potuiſſe, ſcilicet poteſtate morali. Nam alioqui ſimpliciter potuiſſe notauerat Proſper ſuperioribus verbis: *Quibus tamen illa menſura generalis auxilij, quæ deſuper omnibus hominibus eſt præbita, non negatur.* videlicet auxilium ſufficiens.

Octauò Anſelm. de concordia gratiæ cum libero arbitrio cap. 3. in medio: *Quoniam*, inquit, *homo eſt ſpiritus vadens, & non rediens; poſtquam ſponte cadit, nullo modo poteſt reſurgere, niſi gratia releuetur.* Hæc eſt impoſſibilitas ſimpliciter: ideo dixit; *nullo modo poteſt.* Verùm eam conſequitur alia ſecundùm quid impoſſibilitas euitandi peccata, id eſt, infallibilitas committendi, de qua continuò ſubdit: *Sed merito ſuo de peccato, in peccatum vſque in abyſſum peccatorum ſine fundo, hoc eſt, profundo ſine æſtimatione demergitur, niſi miſericordia retineatur, ita vt bonum ei vertatur in odium, & ſit illi in mortem.* 14. *Pſalm. 60.*

Nona confirmatio ſit, quia nihil eneruatur robur præcedentis probationis; licèt plerique Patres expſnant, ſacris litteris appellari impoſſibile illud, à quo vehementer abhorret voluntas, & quod amplecti foret illi difficillimum. Quemadmodum Chryſoſt. Theophylact. Theodorus Heracleotes, Euthymius, & Leontius ad illud Ioan. 12. *Propterea non poterant credere*, &c. Athanaſ. ſerm. de paſſione, & cruce Domini exponens vaticinium Iſai. 6. Nazianz. orat. 2. de filio Dei, quæ eſt 4. de Theolog. prope med. Nec obſtat quòd exponunt impoſſibilitatem bene operandi deſcendere ex libera electione, qua volunt retinere impedimenta contraria, vel nolunt admittere ſalutis remedia. Quemadmodum Clemens Roman. epiſtol. 3. de officio ſacerdotis in medio. Nazianzen. loco nuper citato, Chryſoſtom. homil. 60. in Matth. ad illud, *Væ mundo à ſcandalis*, & homil. 40. in Ioan. columna 2. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 6. & 7. & lib. 5. cap. 22. à medio Auguſt. tractat. 47. in Ioan. & tractat. 64. Hugo Victor in epiſtol. ad Roman. quæſt. 264. Quin potiùs inde validè corroboratur argumentum noſtrum, quia voluntas propter noſtram propenſionem ad bonum, prout ab intellectu proponitur, ſemper, & infallibiliter amplectitur illud bonum, in quod omnium motiuorum momenta maximo quodam exceſſu præponderant motiuis oppoſitæ partis, vt vidimus diſputatione 10. ſectione 3. num. 15. & propter eandem omnino rationem ſemper & infallibiliter reſpuit illud, quod ita repræſentatur illi tanquam malum triſte, atque moleſtum, vt horroris, tædij, atque difficultatis apprehenſæ vehementia maximo quodam exceſſu præponderet auxiliis, atque motiuis oppoſitæ partis, eo quòd valdè tenuiter, & languidè alliciant ad illud bonum amplectendum. Præterea certum eſt difficultatem ſi perueniat vſque ad inferendam infallibiliter omiſſionem, impoſſib…tatis nomine dignam eſſe potiori iure, quàm ſi non inferret infallibiliter omiſſionem. 15.

Confirmatur primò. Nam Auguſtinus impoſſibilitatem appellat difficultatem lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. verſùs finem, dicens. *Illa eſt enim pœna peccati iuſtiſſima, vt amittat vnuſquiſque quo bene vti noluit, cùm ſine vlla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, vt quieſcens rectè non facit, amittat ſcire quod rectum ſit: & qui rectè facere cùm poſſet, noluit, amittat poſſe, cùm velit. Nam ſunt re vera omni animæ peccanti duo iſta pœnalia, ignorantia, & difficultas.* Hæc ſcilicet ſunt, ratione quorum amittitur 16. *Impoſſibilitas difficultatis nomine declarata.*

amittitur poſſe. Ad eandem ſententiam pertinet totum illud cap. 18. & ſequens 19. & ex lib. 1. retractat. cap. 9. quorum plura verba repetuntur in lib. de natura, & gratia cap. 67. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 19. moleſtiæ, ac difficultatis nomine prædictam impoſſibilitatem appellat.

17. Confirmatur vndecimò. Nam multitudo, & vehementia tentationum, comparata cum infirmitate voluntatis, cauſa eſt eximiæ difficultatis, cui homines infallibiliter ſuccumberent, niſi potentiori ſuſtinerentur adiutorio, de quo Auguſt. lib. de correptione & gratia cap. 12. poſt med. *Inter tot, & tantas tentationes*, inquit, *infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeuerare non poſſent.* Obſerua impoſſibilitatem; cùm tamen loquatur expreſſe ſuppoſito adiutorio tali, quale primo homini datum eſt, cum quo poſſet perſeuerare, & non perſeuerare.

Docet itaque Auguſt. per hoc adiutorium voluntatem infirmari poſſe, & non poſſe. Quod non aliter intelligi poteſt, niſi poſſe ſimpliciter, & phyſicè; verùm non poſſe moraliter, quoniam infallibiliter ſuccumberet. Huc tandem pertinet illud *conari, & non poſſe* ex negligentia noſtra, & praua conſuetudine prouenienss. quod notat Baſil. in regulis breuior. quæſt. 16.

18. *Probatur ſecundò.* Secunda probatio principalis mutuò primam infert, & infertur ex illa: quoniam impoſſibilitas vnius infert neceſſitatem contradictorij, & infertur ex illa. Ideo quemadmodum Scriptura, & Patres nuper citati dixerunt, ſub aliquibus circumſtantiis Deo ſubtrahente fortius auxilium, eſſe impoſſibile non peccare: ſic etiam dicunt eſſe neceſſarium peccare. Hæc autem neceſſitas non poteſt eſſe abſolutè, & ſimpliciter neceſſitas: quoniam libertati repugnat, quæ requiritur ad peccandum. Eſt igitur neceſſitas ſecundùm quid, hoc eſt, moralis infallibilitas.

19. *Impoſſibilitas ex neceſſitate probata.* Ideo Innocentius Roman. Pontifex reſcribens ad Patres Concilij Carthaginenſis epiſtolam 25. quæ inter epiſtolas Auguſtini eſt 91. inter med. & finem, impoſſibilitatem ex neceſſitate ſic probat: *Quotidiana præſtat ille* (Chriſtus Dominus) *remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.* Sed multo frequentiùs, & clariùs de neceſſitate peccandi quæ premit, humanam infirmitatem abundantiori auxilio gratiæ deſtitutam diſſerit Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap. 66. & lib. de perfectione Iuſtitiæ ratiocinatione 9. 12. 13. & 15. & lib. de vera religion. cap. 18. Chryſoſtom. Baſil. Damaſcen. Nazianzen. Hieronym. Gregor. Iſidorus, Anſelm, Beroard. & alij, quorum ſententias, Scripturæ teſtimoniis comprobatas, retulimus tom. præced. de voluntate Dei diſp. 38. ſect. 6. & 7.

20. Nunc ſufficiat vnum, aut alterum teſtimonium. Cyrillus Alexandr. lib. de adoratione in ſpiritu, & veritate, inter princip. & med. videlicet columna 7. *Inopia*, inquit, *diuinorum bonorum nihil aliud eſt, quam boni deſperatio. Nam in quodnis abſurdum prolabitur hominis natura, niſi contineat illam ſeruatoris gratia, cœleſtibus ſuiſque bonis locupletans*; & poſt pauca: *Vbi Deus manum quaſi contrahit, & auxilium ſuum ſuppeditare nobis ceſſat, neceſſarium quodammodo eſt, nos etiam in mala inuoluntaria incidere, & omni virtute excidere, & ſubire quaſi alterius iugum, & in tanta peruenire mala, vt propè neceſſarium ſit, etiam intellectum diſperire.* quod valde diffusè confirmat. Notandum eſt, *quodammodo neceſſarium, & prope neceſſarium*, idem eſſe quod infallibile. Prouenit autem infallibilitas hæc non ex totali deſtitutione, ſed ex inopia, & tenuitate diuini auxilij; eo quòd Deus manum contrahat, & ceſſet ſuppeditare bona cœleſtia, quibus locupletare ſolebat. Gregorius in tertium Pſalm. pœnitentialem verſu penultim. *Neceſſariò ſequitur*, inquit, *vt omni tentationi ſit ſubditus, quicumque à Deo fuerit derelictus.*

SECTIO VI.

Deſcendendo magis ad particulares perſonas, quibus infallibilitas peccandi contingit, corroborantur præcedentes probationes.

Sit probatio prima, quoniam homines ſpecialiter obcæcati, & obdurati ſunt primarij, & inſigniores, inter deſtitutos abundantioribus auxiliis, qui patiuntur impoſſibilitatem boni faciendi, neceſſitatémque mali perpetrandi, nuper in præcedenti ſectione probatam. Illis igitur potius, quàm cæteris hominibus prædefinitur permiſſio per motiua, & circumſtantias, ex quibus peccatum infallibiliter infertur. Nam cæteris peccatoribus eminent in ſuo ordine, quemadmodum in ordine contrario præcedunt cæteris inſigniter prædeſtinati, & in gratia confirmati, quibus ex vi auxiliorum, & circumſtantiarum eſt infallibilis expletio præceptorum, vt vidimus diſputat. 10. ſectione 5. num. 11. & 12. 1. *Excæcatis potiſſimum prædefinitur permiſſio per infallibilia motiua.*

Pro cuius explicatione recolendum eſt ex præcedenti tomo de voluntate Dei diſput. 42. ſect. 2. & diſputat. 43. ſect. 4. obduratorum, & excæcatorum nomen extendi nonnunquam ab Auguſtino, & aliis Patribus, vt comprehendat quoſlibet non prædeſtinatos, etiam infantes. Habet autem hæc acceptio fundamentum Roman. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* & c. 11. *electio conſecuta eſt; cæteri verò excæcati ſunt.* Nihilominus propriè, & ſtrictè non dicuntur excæcati, & obdurati, niſi peccatores ita obſtinati, vt potentiſſimis remediis ſuæ ſalutis infallibiliter reſiſtant propter ſuperbiam, ex impunitate, peccandi conſuetudine, & temporali felicitate conceptam, adiuncta deſtitutione auxiliorum magis abundantium. Nam, vt ſapienter adnotauit Bellarm. lib. 2. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 14. §. *ſecundo loco.* cæci non dicuntur, qui videri poſſunt, licèt actu non videant: nec dura corpora dicuntur, quæ cedere poſſunt, licèt de facto non cedant; ſed cæci dicuntur, qui videre nequeunt, & dura, quæ cedere non poſſunt, & prius franguntur, quàm cedant, quod Ioan. 12. ſignificat illa cauſalis, *Ideo non poterant credere, quia iterum dixit Iſai. excæca cor populi*, &c. 2. *Excæcationis extenſio.*

Confirmatur primò, quia cùm omnino certum ſit excæcationis, & obdurationis Deum non eſſe cauſam, & authorem, ſed ſolummodo permittere ſubtrahendo gratiam: vt probatum eſt in prædicta diſputat. 42. & 43. præſertim ſect. 3. Aliqua ſpecialis energia figuratæ locutionis eſt concedenda, propter quam Deus voluerit, toties in 3. *Excæcationis Deus non eſt cauſa.*

Scriptura

Digitized by Google

Scriptura ſacra ſignificari,quaſi Deus ſit qui peccatores excæcat,& indurat ;nulla verò ratio reperietur magis ſufficiens , quàm infallibilitas illationis peccatorum ex ſubtractione diuinæ gratiæ, cui cohæret infallibilitas alia , de qua in eadem diſp. 42.ſect.1.oum.13.

4. Cunfirmatur ſecundò. Nam ex deſtitutione ſpecialis gratiæ peccatum infidelitatis, & excæcationis infallibiliter inferri , notauit Proſper lib.2.de vocatione gent. cap.15.à principio , dicens : *Vt non dubiè , ſed euidenter appareat , quòd niſi vbi abundauit iniquitas , ſuperabundaret gratia, nunc quoque vniuerſum genus humanum ſimilis obcacaret impietas.* Perpende primò,quantam certitudinem , & euidentiam habuerit Proſper de peccato moraliter infallibili. Secundò quòd ea infallibilitas vniuerſum genus humanum complectitur. Tertiò ea infallibilitas,ſuppoſita parciori, & magis tenui gratia , quam priùs notauerat Proſper , ſequitur ex ſola deſtitutione gratiæ ſuperabundantis.

5. *Probatio 2. ex propenſione infidelium ad ſuam infidelitatem.* Probatio ſecunda , quoniam infideles ferè omnes , quibus ſpecialia negantur adiutoria , ſolàque generalia conceduntur , manent infallibiliter propenſi ad ſuam infidelitatem, & alia peccata , quæ conſequuntur ex illa : præſertim , ſi regnum,aut honores,vel diuitias cum vxoribus, & liberis ſe amiſſuros eſſe ſciant : ſi à ſua ſecta recedant. Hæc autem infallibilitas euidentior eſt in Turcarum Imperatore , vel Regibus , aut Ducibus , quorum nullus recipiet Chriſti fidem, nec ceſſabit à cædibus Chriſtianorum ; niſi ſpecialiſſima luce Dei,& patrocinio ſuffultus.

6. *3. Peccandi infallibilitas.* Tertiò. Quanta ſit infallibilitas,qua prætores, & ſenatores labuntur in crimen ; ſi Rex imperet, & cum ſoleant timere plus quàm Deum , oſtendit falſum teſtimonium aduersùs Naboth, imperatum à Iezabel nomine Regis Achab,quæſitum à ſenioribus,& optimatibus, & ſine dubitatione inuentum 3.Reg.21.

7. *Quarta.* Quartò inter fideles etiam multi reperiuntur iudices,ita rerum æternarum obliti, & temporalibus lucris intenti,vt eos magna vis auri , latenter , ac ſine infamiæ periculo ſubmiſſa, fauorque Regis , aut Principum , cum ſpe promotionis ad altiora , corrumpant infallibiliter.

8. *Quinta.* Quintò , peccator,grauiſſima tentatione præoccupatus & ſpecialiſſima Dei luce , à ſuauitate deſtitutus , infallibiliter peccauit , veluti ſi proponantur acerbiſſima tormenta , & turpiſſimæ ignominiæ , niſi fidem ſaltem ore negauerit , aut in aliud peccatum conſenſerit. Vnde Bernard. in natali ſanctorum Innocentium,ſerm.vnico prope finem. *Si in hac tam infirma voluntate induceretur in eam , quæ ſupra ipſum eſt , tentationem , nec roboraretur,quis illum dubitet defecturum,negaturum.*

9. *Sexta.* Sextò.Imò etiam iuſtus,grauiſſima tentatione concuſſus,& ſpecialiſſimo Dei robore deſtitutus infallibiliter peccaret. Tunc enim foret tentatio ſupra id , quod moraliter poſſet iuſtus ſuperare. Quod manifeſtè colligitur ex Paulo 1. Corinth. 10. dicente : *Fidelis Deus , qui non patietur vos tentari ſupra id , quod poteſtis ; ſed faciet cum tentatione etiam prouentum , vt poſſitis ſuſtinere.* Itaque ſine prouentu fortioris virtutis, cælitus immiſſæ ſuſtinere non poſſent,vt Patres communiter agnoſcunt relati tom. de ſcientia Dei diſp. 74.ſect. 1. & in ſequenti diſp. 13. ſect. 2. & ſequentibus. Confirmat Ambroſ. lib.2.de Caïn & Abel cap.9. versùs finem , dicens : *Vita diuino gubernaculo deſtituta , præcipitatur , & in grauiora prolabitur : vt ſi gregem paſtor relinquat , incurſent beſtiæ : ita cum Deus deſerit hominem , ingruit Diabolus , ſerpit malitia , vulnus augetur, vbi medicina defuerit.*

Septimò probatur. nam in errorem induci , & à vera religione recedere, ſequetur infallibiliter ex motiuis prodigiorum , quæ facienda ſunt tempore Antichriſti , ſuppoſita deſtitutione ſpecialiſſimi auxilij , quod tunc neceſſarium erit , & omnibus electis dabitur ; quibus non ſufficiet tunc illa tantùm auxilij copia , quæ nunc datur multis electis. Hæc autem infallibilitas ſignificatur Matth.24. *Surgent pſeudo-Chriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia , ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Perpende primò periculum inducendi etiam electos , prouenire ex magnitudine ſignorum,& prodigiorum ; ſecundò quòd liberentur ab eo periculo ſolummodo prouenire ex omni potentia eligentis, qui munit maioribus auxiliis. 10. *Septima.*

Perpende tertiò tantam eſſe infallibilitatem tentationis illius , vt , *niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro.* quemadmodum Chriſtus Dominus paulo ſuperiùs monuerat. Quem locum ponderans Ambroſius in commentario ad verba citata 1.Corinth. 10. *Breuiatos* , inquit, *dies dicit Dominus , vt ſaluentur electi , vt poſſint conſequi regnum Dei. Quomodo tamen à Deo adiuuantur , ſi tantum permittatur tentari , quantum poteſt? Adiuuatur planè , dum non plus permittitur ei imponi , quàm ſcitur ferre poſſe , vt quarto die pati non permittatur , qui ſcitur vltrà non poſſe quam triduo tolerare.* 11.

Confirmatur primò. Apocalypſ.cap 20. Angelus ligauit diabolum , *vt non ſeduceret iam gentes, donec finiantur mille anni , poſt hæc oportet eum ſolui breui tempore.* videlicet tempore Antichriſti, quod nuper vidimus eſſe breuiandum. Vnde Auguſt.lib.22.de Ciuitate cap. 8.euidenter colligit , longè maiorem eſſe futuram fortitudinem gratiæ , per quam electi tunc temporis aduersùs Antichriſtum dimicaturi ſunt. Nam per eam ſolummodo gratiam,& auxiliorum robur , quod nunc electis conceditur,plurimos electos deiiceret à fide diabolus , ſi permitteretur exercere totam tentationem,quam poteſt. Pro qua ſententia notanda ſunt , quæ ſcribit Auguſt. ab illis verbis , *ſed alligatio diaboli eſt non permitti exercere totam tentationem , quam poteſt,* & quæ ſequuntur. 12.

Confirmatur ſecundò Gregorij teſtimonio lib. 34. moral. à cap. 8. vſque ad cap. 15. diffusè tractantis,quanta ſit infallibilitas,vt ſuperentur, & intereant non ſolùm debiliores, ſed etiam robuſtiores iuſti ; ſi diabolus permittatur ſuas technas ita liberè,ſicut per Antichriſtum , exercere ; ſubtrahente Deo copioſiſſimum auxilium. Exordium autem ſumit Gregorius ab illis verbis Iob cap.41. *Reputabit vt paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir ſagittarius : in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum , & deridebit vibrantem haſtam ,* & quæ ſequuntur. 13.

Octauò probatur , quoniam ex vi præſentis diſpoſitionis , & deſtitutionis ſpecialis auxilij, quibus laborabant Principes ſacerdotum , & ſeniores , quando Chriſtum Dominum , quaſi reum in iudicio interrogabant , infallibiliter ſequebatur , quod Lucæ 22. reſpondit : *Si vobis dixero , non credetis mihi : ſi autem interrogauero, non reſpondebitis mihi , neque dimittetis.* Cui ſimile 14. *Octaua.*

eſt illud Ierem. 38. *Si conſilium dedero tibi, non me audis.*

15. *Dubium 1.* *Non omnium peccatorum permiſſio per infallibilia motiua prædeſinita.*

Colligitur ex dictis deciſio duorum incidentium dubiorum. Primum eſt, vtrùm omnium peccatorum permiſſiones fuerint prædefinitæ per infallibilizantia motiua. Cui reſpondemus negatiuè. Nam plurima peccata committuntur reſiſtendo conſiliis, motiuis, & circunſtantiis tantæ virtutis, vt non ſolùm phyſicè, verùm etiam moraliter fuerit poſſibile vitare peccatum. Etenim non ſemper Deus ita deſtituit homines peccaturos, præcipuè iuſtos, vt ex vi deſtitutionis, & omnium circunſtantiarum ſit infallibile peccatum, quod ab illis de facto committitur, vt conſtabit diſp. ſequenti, præſertim ſect. 3. & 4.

Confirmatur.

Confirmatur, quoniam in hominibus perſæpe manet libertas moralis, & æquabilis ad vtranque partem, vt vidimus diſp. 10. ſect. 4. & fuſiùs tomo de ſcientia Dei tota diſput. 74. Ergo abſque infallibilitate morali continget vtranque partem ſequi, nunc quidem ſeruando præceptum, nunc verò violando.

16. *Dubium 2.*

Dubium ſecundum eſt, vtrùm prædefinitio permiſſionis per infallibilizantia motiua poſſit extendi ad omnes circunſtantias, ita vt tempus, locus, intenſio, extenſio, duratio, repetitio, grauitas, & facilitas ſequantur infallibiliter ex motiuis, & circumſtantiis.

Permiſſionis prædeſinitio per infallibilia motiua ad omnes circunſtantias extenditur.

Reſpondetur id ſine dubio eſſe poſſibile, & veriſimilius eſt aliquando contingere, tunc præcipuè quando obſtinatus quiſpiam, & obduratus vehementiſſimo, & effrænato affectu præcipitatur in crimen. Tunc enim quantum poteſt intenſionis, & extenſionis, quàm celerrimè poteſt, & vbicunque eſt, infallibiliter toto conatu ſibi poſſibili profundit in crimen, & quandiu feruor ille durat, durat etiam in crimine. *Raro contingit.* Cæterùm rarò continget omnes circunſtantias criminis infallibiliter inferri ex motiuis, & circunſtantiis quæ præcedunt in voluntate prius natura, quàm crimen admittat.

SECTIO VII.

Num Scholaſtici Doctores exiſtimauerint, prædeſinitam eſſe permiſſionem peccatorum.

1. *Nullus antiquiorum id expreſsè tradidit.* *Colligitur ex illis.*

ANtiquorum reperio neminem, qui hoc expreſse tradiderit; imò nec à iunioribus traditur ſub eiſdem verbis; ſed ſub aliis æquiualentibus, vt vidimus num. 6. & ſequentibus. Cæterùm ex plurimis antiquorum efficaciter deducit, prædefinitas eſſe permiſſiones peccatorum. In primis, quoniam dicunt, nullum actuale peccatum, præuiſum vt abſolutè futurum, fuiſſe cauſam reprobationis negatiuæ: ſed potiùs quibuſcunque fuit negata prædeſtinatio, independenter a præuiſis perſonalibus peccatis fuiſſe negatam. Hoc autem decretum negandi prædeſtinationem his hominibus adultis foret expoſitum periculo deceptionis, & fruſtrationis; niſi decerneret cauſare permiſſionem, qua data, certò ſciret, committendum eſſe finale peccatum.

2. Confirmatur primò. nam iidem Doctores docent, prædictum decretum non prædeſtinandi, fuiſſe cauſam derelictionis, & ſubtractionis gratiæ, atque excæcationis, & obdurationis, prout abſtrahitur à culpa, & ſolam dicit negationem gratiæ illuminantis, & emollientis.

Confirmatur ſecundò, quoniam conſequenter dicunt permiſſionem peccati ſaltem finalis effectum fuiſſe reprobationis negatiuæ. Cæterùm ex his omnibus fundamentis non poteſt efficaciter colligi prædefinitio permiſſionis determinati peccati in particulari. nam ad ea omnia verificanda ſatis erat prædefinitam eſſe permiſſionem alicuius peccati vagè, & in generali.

Propter hæc argomenta, præcipuè verò propter primum negandi prædeſtinationem pro ſuo beneplacito, quibus Deus vult, colligitur prædefinitio permiſſionis, prout nuper explicata fuit, ex S. Thoma 1. p. q. 23. art. 3. corp. & ad ſecundum. cui conſonat q. 19. art. 9. fine, & ex Magiſtro in 1. diſt. 40. cap. vlt. & diſt. 41. cap. 4. fine. Cui iunge diſtinct. 46. §. *illi vero*, & diſt. 47. initio ex S. Antonin. 4 p. tit. 14. cap. 12. §. 4. Dorand. 1. diſt. 40. q. 2. num. 8. & diſt. 41. q. 2. præſertim num. 14. Greg. 1. diſt. 41. q. 1. art. 1. concl. 4. & 5. Marſil. in 1. quæſt. 41. art. 2. concl. 4. & ſequentibus Maiore diſtinct. 41. quæſt. 1. art. 2. concl. 4. & 5. Driedone de concord. liberi arbitr. cum prædeſt. p. 1. cap. 3. concl. 1. & 3. & cap. 4. ad 5. & mem. 2. ſent. 1. & 2. 3.

Euidentiùs tamen colligitur ex Doctoribus, qui manifeſtè dicunt, cognita negatione prædeſtinationis, & voluntate permittendi peccata, ex vi huius cognitionis certò cognita fuiſſe peccata futura, præcipuè finalia. Ita docet Scotus 1. diſtinct. 41. quæſt. vnica. §. *contra iſtud Petrus*, & §. *Primum iſtorum.* Caietanus 1. p. quæſt. 23. art. 5 ad 4 argumentum Henrici, ſed clariùs Ferrarien. 3. contra gent. cap. 161. §. *pro ſolutione.* Richardus verò magis perſpicuè, quàm cæteri omnes antiqui, cuiuſlibet peccati permiſſionem eſſe prædefinitam, ſignificauit, dicens, Deum ſcire, quòd eueniunt omnia mala, quæ non vult prohibere. ita docet in 1. diſtin. 38. art. vnico quæſt. 5. corpore ad finem, & diſt. 40. art. 3. quæſt. 3. & diſt. 46. art. vnico corpore, & ad 1. quibus conſonat in diſt. 41. art. 2. quæſt. 2. & art. 3. quæſt. 1. 4.

Præterea prædefinitio permiſſionis colligitur ex omnibus Scholaſticis, qui ſuprà diſp. 4. ſect. 2. dixerunt, quaſlibet operationes bonas eſſe à Deo prædefinitas. Inde quippe conſequens eſt, quando Deus voluit non prædefinire impletionem præcepti, eo ipſo voluiſſe permittere, vt certò & infallibiliter committeretur tranſgreſſio præcepti: Certus enim erat Deus, tranſgreſſionem eſſe futuram; niſi prædefiniretur impletio præcepti. 5.

Recentiores tandem Scholaſtici communiter 1. parte quæſt. 23. art. 3. magis ex profeſſo probant, fuiſſe poſitiuam, & expreſſam volitionem, qua Deus voluit permiſſionem, ſciens ex permiſſione infallibiliter inferri, committendum eſſe peccatum, quod permittitur. Cæterùm, licet in hoc conueniant: valde tamen diſſident circa modum permiſſionis, & rationem infallibilitatis. Etenim authores phyſicæ prædeterminationis exiſtimant permiſſionis infallibilitatem auferri; niſi permiſſio conſiſtat in neganda phyſica prædeterminatione ſimpliciter neceſſaria ad eliciendum actum bonum, & tribuenda phyſica prædeterminatione ſimpliciter neceſſaria ad eliciendam materialem actionem pecca- 6. *Id expreſsè fatentur recentiores.*

Digitized by Google

peccati, & conſequenter contrariam ſententiam oppugnant, quoniam ex ea ſequitur, quòd licèt Deus permittat aliquem hominem peccare; ex ea permiſſione non infertur infallibiliter illum hominem eſſe de facto peccaturum. Ita Bañez 1. parte quæſt. 23. art. 3. dub. 2. §. *ſecundus ſenſus.* argumen. 2. cui conſequenter loquuntur illius ſectatores, vt Didacus Aluarez lib. 2. de auxiliis diſputatione 11. concluſione prima.

7. *Clarius id fatentur noſtri.* Noſtri verò Doctores omnium peccatorum in particulari conſtituunt à Deo volitam eſſe permiſſionem, ex qua ſingula peccata in particulari, & infallibiliter inferuntur, ſuppoſitâ ſcientia media, qua Deus nouit tali concurſu, talibúſque motiuis, & circunſtantiis adhibitis, committendum fuiſſe tale peccatum; nam velle talem concurſum, taliaque motiua cum talibus circunſtantiis adhibere, hoc ipſum eſt velle permittere vt committatur peccatum, quod ſcit infallibiliter committendum; ita Molina 1. p. q. 14. diſp. 18. mem. 2. col. 4. & ſequentibus, & q. 19. art. 6. diſp. 2. concl. 3. Bellar. lib. 2. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 14. & ſequentibus. Suarez lib. 2. de auxil. cap. 3. num. 4. & cap. 5. num. 18. & 19. & cap. 6. num. 11. & 1. parte lib. 5. de reprobatione cap. 7. num. 9. & ſequentibus. Vaſquez 1. parte diſput. 95. cap. 9. initio. Valentia 1. parte quæſt. 23. poſteriori parte quæſtionis puncto 1 & 2.

8. Talem verò permiſſionem, prout ex motiuis, & circunſtantiis per illationis infallibilitatem colligatur committendum eſſe peccatum, in excæcatis, & obduratis concedit expreſsè. Bellar. lib. 2. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 14. §. *ſecundo loco,* & ſequentibus. Et quamuis hanc infallibilitatem reiiciat Suarez locis ſuperiùs citatis: nihilominus admittit diuina permiſſione hominibus quandoque negari auxilium, quod licèt non ſit abſolutè neceſſarium, eſt tamen moraliter neceſſarium, aut ferè neceſſarium; quia ſine illo difficillimum eſt vitare peccatum, & explere præceptum. ſic exiſtimat lib. 2. de auxil. cap. 3. num. 4. fine, & tom. 4. de pœniten. diſput. 8. ſect. 2. num. 25. quod confirmat 1. parte lib. 5. de reprobatione cap. 7. Videtur etiam idem ſentire Vaſquez 1. parte diſp. 95. cap. 10. num. 68. fauétque Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tractat. 5. cap. 4. non longè poſt med. dum reſpondet ad quoddam argumentum 3.

9. Eandem infallibilitatem moralem intelligunt ſine dubio Doctores, qui dicunt, tantum creſcere poſſe vehementiam tentationis, vt abſque ſpeciali auxilio gratiæ non poſſit illi reſiſti, nec euitari peccatum. ita Maior in 2. diſt. 25. q. 1. fine, & diſt. 28. q. 1. propè finem, vbi Gabriel q. vnica art. 3. dub. 2. §. *ſecundò conſiderandum.* Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 21. ad 2. Vega in opuſcul. de iuſtificatione q. 12. non longè à principio, Stapleton. lib. 2. de iuſtificatione cap. 9. & 13.

SECTIO VIII.

Obiectiones aduersùs infallibilitatem mortaliter peccandi.

1. Non deſunt ex noſtris authoribus, quibus diſplicéat infallibilitas committendi peccata hic, & nunc.

Ruiz de Prouidentia Dei.

Primum eorum argumentum eſt, quia non poteſt eſſe infallibiliter non futurum id, quod habet principium verè ſufficiens, & verè poſſibile eſt. Ac proinde non poteſt eſſe infallibiliter non futura expletio præcepti, & obedientiæ; vnde nec peccatum erit infallibile. Antecedens probant ex Ariſt. lib. 9. Metaph. cap. 4. text. 8. dicente, *Manifeſtum eſt quòd non poteſt verum eſſe dicere, quod poſſibile quidem eſt hoc: non tamen erit, alioquin quænam impoſſibilia ſint, hoc modo fugiunt nos.* Vtitur hoc argumento Dionyſius Cartuſianus in opuſculo de concurſu Dei, &c. cap. 5. argum. 3. *Prima.*

Nihilominus ex ſequenti contextu conſtat, Ariſtotelem admittere aliquid eſſe poſſibile, quod tamen non eſt, neque erit. nam paucis interiectis, ait: *Nihil prohibet aliquid poſſibile exiſtens, aut eſſe, aut fieri, non eſſe, nec futurum eſſe.* Totúmque contextum exponit optimè D. Thom. ibid. lect. 3. poſt med. vt mens Ariſt. ſit, concedenda eſſe impoſſibilia, & eorum impoſſibilitatem ex eo probari, quia non ſolùm de facto non exiſtant, ſed etiam illis poſitis, ſequatur aliquod impoſſibile. Cæterùm illa, quibus poſitis, nullum ſequitur impoſſibile, poſſibilia ſunt, licèt non exiſtant, neque vnquam futura ſint. 2. *Soluitur.*

Alij ſapientes, & graues Theologi quamuis concedant aliquod peccatum in particulari ex vi circumſtantiarum eſſe infallibiliter committendum hîc, & nunc; aſſerunt tamen non habere libertatem ſufficientem ad mortale peccatum; quia libertas, inquiunt, phyſica, ſiue moralis non ſufficit ad peccatum mortale. Cuius aſſertionis primum argumentum deſumunt ex Auguſtino in expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſt. ad Romanos num. 62. dicente: *Non ergo hoc illi Pharaoni imputatur, quod tunc non obtemperauit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* Quibus omnino ſimilia ſunt quæ tradit Hugo Victorin. in quæſtionibus, circa epiſtolam ad Rom. quæſt. 264. vbi docet obduratos, ac præcipuè Iudæos non potuiſſe credere; neque aliter illis imputat culpam incredulitatis, niſi quia liberè voluerunt obdurari. 3. *Secunda ex Auguſtino.*

Nihilominus Theologorum nullus admittet, Principes ſacerdotum, ſeniores, Phariſæos, & ſcribas fuiſſe omnino liberos ab imputabilitate culpæ mortalis, eo ipſo tempore, quando reſiſtebant Chriſti Domini concionibus, miraculis, exemplis, & quando mortis reum pronuntiabant: licèt tunc etiam obdurati fuerunt, & excæcati, iuxta vaticinium Iſaiæ cap. 6. confirmatum teſtimonio Chriſti Domini Matth. 13. & Ioan. 12. Concedendum eſt igitur excæcatis, & obduratis ad culpam mortalem imputari illud ipſum factum, quod moraliter vitare non poſſunt propter excæcationem, & obdurationem: vt vidimus ſuprà ſect. 6. 4. *Soluitur oſtendendo excæcatis imputari culpam.*

Eadem veritas probatur ſecundò, quia *videns Pharao quòd ceſſaſſet pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum, & ingrauatum eſt cor eius,* &c. Exod. 9. fine. Iam ergo ſuppoſita præcedenti obduratione, & excæcatione, Pharao nouam addebat imputabilitatem culpæ. nam ſine illa nihil auxiſſet peccatum. 5.

Probatur tertiò, quoniam in particulari Pharaonem potuiſſe credere tunc, quando miraculis, & teſtimoniis Moyſi reſiſtebat, & libero contra Deum arbitrio repugnaſſe, docet

ex profeſſo Auguſt. lib. de prædeſtinat. & grat. cap. 14. & 15. quibus aliqua verba retulimus in præced. tomo de voluntate Dei diſp. 42. ſect. 2. num. 7.

6. Probatur quartò, quoniam alioquin ſequeretur, plurimos homines excuſandos eſſe à culpa criminum atrociſſimorum propter vehementiſſimam tentationem & occaſionem facilem, & promptam, addita conſuetudine peccandi, & obliuione rerum ſupernaturalium, ac deſtitutione diuinæ lucis, ex quibus circunſtantiis infallibilitas ſequitur hic & nunc admittendi criminis. Quam rationem confirmant ea, quæ diximus ſuprà diſp. 8. ſect. 2. num. 15. & ſequentibus.

7. *Exponitur Auguſtinus.* Ad teſtimonium igitur Auguſtini, productum ex libro propoſitionum epiſtolæ ad Rom. reſpondetur, illius hanc eſſe mentem. Pharaoni non imputatur, quòd tunc non obtemperarit ex ſuppoſitione, quòd obdurato corde manebat, etenim obtemperare, & obdurato corde manere, contraria ſunt, & incompoſſibilia. Cæterùm eidem Pharaoni tunc, & in quocunque inſtanti, in quo non obtemperauit, imputabatur, quòd obduratus manere volebat liberè, cùm tamen abſolutè potuiſſet, ſi vellet, cum Dei auxilio deponere cor lapideum, & obdurationem abiicere; quemadmodùm probatum eſt in prædicta diſp. 42. ſect. 2. & ampliùs probabitur tom. ſequenti tractando, quomodo reprobis fuerit poſſibile ſalutem obtinere.

8. *Obduratis, & excæcatis præceptorum tranſgreſſio imputatur ad culpam.* Quapropter quibuſlibet obduratis, & excæcatis in quocunque inſtanti præceptorum tranſgreſſiones imputari poſſunt ad mortalem culpam, quoniam poſſunt excæcationem, & obdurationem deponere, vt talia crimina euitent. Quemadmodum Auguſt. tractat. 53. in Ioannem circa medium. *Hinc*, ait, *illi non poterant credere, non quia homines mutari in melius non poſſunt; ſed quandiu talia ſapiunt, non poſſunt credere.* Faciunt ad idem probandum, quæ diximus præcedenti tom. de voluntate Dei diſp. 38. ſect. 6. 7. & 8.

9. Hanc eſſe mentem Auguſtini, confirmatur ex ſequenti contextu einſdem libri propoſitionum ex epiſtola ad Rom. num. 62. nam poſt verba, quæ citantur in argumento, continuò ſubiungit: *Sicut enim in his, quos elegit Deus, non opera, ſed fides inchoat meritum, vt per munus Dei bene operentur: ſic & in iis, quos damnat, infidelitas, & impietas inchoat pœna meritum, vt per ipſam pœnam etiam malè operentur.* Quapropter ſicut illi, quos elegit Deus, etiam poſtquam fides inchoat meritum, nouam imputabilitatem & nouum meritum accumulant, quando per munus Dei benè operantur; ſic & illi, quos damnat Deus, etiam poſtquam infidelitas, & impietas inchoat meritum pœnæ, videlicet obdurationis, nouam imputabilitatem, & nouum crimen accumulant, quando per ipſam obdurationis pœnam malè operantur.

10. *Excæcatio in actu ſecundo obedientia præceptorum contraria.* Pro cuius difficultatis declaratione maiori, dico primò, obduratio, & excæcatio ſumi poſſunt in actu ſecundò, vt ſignificent actualem volitionem obſtinatè reſiſtendi Deo vocanti, & permanendi in peccato. Excæcatio, & obduratio ſecundùm hanc acceptionem manifeſtè contraria eſt, & omnino incompoſſibilis cum obedientia præceptorum. In hoc ſenſu præcipuè videtur Auguſtinus dixiſſe, *obdurato corde obtemperare non poterat.*

Rurſus excæcatio, & obduratio ſumi poſſunt in actu primo, prout ſignificant ſolummodo deſtitutionem auxiliorum, & alias circunſtantias à Deo cauſatas, non ſignificando culpam actualiter ab obdurato commiſſam, ſed ſolummodo pœnam præcedentis culpæ. Hoc modo ſumpta obduratio, & excæcatio non eſt incompoſſibilis cum obedientia, ſed in hoc ſenſu Pharao licèt eſſet obdurato corde, poterat obtemperare. Tertiò ſi prædictæ excæcationi, & obdurationi, conſideratæ in actu primo, ſuperaddas prædefinitionem permiſſionis, ſuppoſita ſcientia dictante, Pharaonem ſub illa excæcatione, & obduratione non fuiſſe obtemperaturum: vt ſic etiam omnino incompoſſibilia ſunt obtemperare, & obdurato corde manere, quæ incompoſſibilitas probata eſt diſputatione 10. ſect. 4. & 5. Atque in hoc etiam ſenſu vera ſunt illa verba Auguſtini, *obdurato corde obtemperare non poterant.* Et de primo argumento hactenus. 11. *Excæcatio in actu primo minimè.*

Secundum argumen. authores citati numero tertio deſumunt ex Anſelmo lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 23. Cæterùm ibi reperio nihil, quod eorum ſententiæ faueat. Occaſionem tamen iis authoribus præbuiſſe videtur, quod Anſelmus aſſerit in ſequenti cap. 24. videlicet impotentiam ſatisfaciendi illis hominibus imputari, qui non vtuntur meritis Chriſti Domini. Veruntamen hoc nihil probat contra moralem infallibilitatem peccandi, quam defendimus, quia ſine meritis Chriſti Domini non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè, ac metaphyſicè impoſſibilis eſt ſatisfactio. 12. *Obiectio alia ex Anſelmo ſoluitur.*

Tertium argumentum. Quoniam, vt D. Thom. docet 3. contra gent. cap. 160. homini permanenti in peccato mortali propterea ſequentia peccata imputantur, quoniam ex culpa præcedenti relinquitur impotentia euitandi peccata; ſed in peccatore permanente in peccato perſeuerat adhuc libertas, & phyſica potentia euitandi ſequentia peccata mortalia: ergo phyſica potentia euitandi non ſufficit, vt imputentur ſequentia peccata mortalia; ſed requiritur etiam potentia moralis abſque infallibilitate. 13. *Obiectio alia ex D. Thoma.*

Reſpondetur, ex eodem capite conſtare, illam rationem adduci à D. Thom. vt imputentur peccata generali, & extrinſeco titulo, quoniam ex priori peccato ſequuntur. Alio namque vbi proprio, & intrinſeco titulo libera eſſe & imputabilia peccata ſingula, ſubdit continuò docens: *Licèt ille, qui eſt in peccato, non habeat hoc in propria poteſtate, quòd omnino vitet peccatum: habet tamen poteſtatem nunc vitare hoc, vel illud peccatum, vt dictum eſt: vnde quodcunque committit, voluntariè committit, & ita non immeritò imputatur ei ad culpam.* 14. *Soluitur.*

Quartum argumentum, quia peccatum ex genere mortale, propter defectum plenæ libertatis redditur veniale, vt contingit in motibus ſecundò primis ad homicidium, vel alia peccata; ſed exigua valde libertas eſt, quando propter moralem infallibilitatem aufertur libertas moralis, & phyſica tantùm libertas remanet: ergo non erit libertas ſufficiens ad imputandum mortale peccatum. 15. *Obiectio vltima.*

Reſpondetur libertatem phyſicam eſſe libertatem ſimpliciter, etiamſi deſit libertas moralis: vt vidimus in ſolutione primi argumenti, 16. *Soluitur.*

& con

& conſtat ex dictis tota diſputat. 10. præſertim ſect. 3. Quapropter phyſica libertas in eo differt à libertate ſecundùm quid, qualis eſt in motibus ſecundò primis, quoniam illis deficit tempus deliberandi, & conferendi rationes vtriuſque partis. At verò quoties ſimpliciter adeſt libertas phyſica, licèt coniuncta ſit cum infallibilitate morali, non deficit tempus deliberandi, ſed abſolutè poteſt homo, ſi velit, vtriuſque partis rationes ſuis ponderare momentis, poteſtque ſuſpendere operationem, vt maturiùs de illa deliberet.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm Deus poſſit velle directè, & cauſare collectionem rerum omnium & circunſtantiarum, quibus poſitis peccatum infallibiliter infertur.

SECTIO I.

De peccatoribus in ea infallibilitate conſtituendis.

1. PRÆSENTIS quæſtionis deciſio magna ex parte deducitur ex præcedenti diſput. ſect. 5. & ſeqoentibus. Nec multum differt ab ea, quæ tradita ſunt tomo præced. de voluntate Dei diſp. 44. duabus prioribus ſectionibus. Nam in ſect. 1. num. 6. & ſequentibus probatum eſt plurimas res naturales, aut ſupernaturales à Deo cauſari, quibus certò ſcit, homines aliquos ad peccandum eſſe abuſuros, & eorum occaſione vehementiùs obſtinandos, & obdorandos. Et in eadem diſp. 44. probatum eſt, id caoſari poſſe non ſolùm producendo exteriora obiecta ex ſe bona, ſed etiam interiùs impellendo ad generalem aliquam rationem volitionis, & ad illam influendo.

2. Cæterùm iis in locis tractatum non fuit, vtrùm hæc eadem bona poſſint à Deo cauſari; quamuis talia ſint, vt illis poſitis infallibilis ſit illatio peccati committendi. Hoc igitur eſt, quod peculiariter diſſerendum reſtat in præſenti, quamuis ex eadem diſp. 44. ſect. 1. & 2. colligi poſſint aliqua teſtimonia, & exempla, quibus ſequens deciſio confirmetor.

3. Nunc dubitandi rationes ſunt.

Dubitandi ratio 1. Prima, quia Deus tentaret hominem, & ad peccandum impelleret, ſi cauſaret, ac proponeret motiua, quibus infallibiliter induceretur ad peccandum.

Confirmatur. Confirmatur, quoniam Dæmon non aliter tentat niſi ſuggerendo, & proponendo motiua, & occaſiones peccandi.

4. *Secunda.* Secunda, quoniam cauſa virtualiter continet effectum, qui ſequitur infallibiliter ex illa: ergo quicunque vult talem cauſam, eo ipſo virtualiter vult effectum, qui ſequitur infallibiliter ex illa. Quamobrem ſi Deus vellet producere res, & circunſtantias, ex quibus infallibiliter ſequitur, committendum eſſe peccatum; eo ipſo Deus virtualiter voluiſſet vt committeretur peccatum.

Confirmatur. Confirmatur, nam prætor, aut Epiſcopus peccaret, ſi gregibus ſibi commiſſis ea bona proponeret, quibus ſciret eos ad peccandum eſſe infallibiliter inuitandos. Id igitur facere fuerit indignum Deo.

Tertia ratio dubitandi eſt, quia rigidiſſimum 5. *Tertia.*
videtur, & diuinæ clementiæ contrarium tales peccandi occaſiones obiicere, quibus poſitis, auxilia, quæ Deus præbet ad non peccandum, videntur potius ad hominis damnationem, quàm ad eius vtilitatem eſſe collata: ideóque non Dei clementiam, ſed potiùs nimiam ſeueritatem indicarent.

Quarta. Quoniam nullos prudens guberna- 6.
tor ſubditum exponit euidenti periculo maioris *Quarta.*
mali, propter aliud minus bonum obtinendum; ſed peccatum quodlibet, ac præcipuè mortale, eſt malum omnium malorum maximum, & eo ipſo maius eſt, quàm carentia cuiuſcunque boni creati, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis. Quapropter quodcunque bonum creatum eſt minus bonum, quàm lethale peccatum ſit malum; ergo nullus eſſe poteſt finis tam bonus, propter quem obtinendum Deus ſecundùm rectam rationem poſſit hominem conſtituere in circunſtantiis, ex quibus infallibiliter inferatur lethale peccatum.

Nihilominus ſit prima concluſio. Deus poteſt 7.
velle directè cauſare, & peccatoribus proponere *Poteſt Deus velle res bonas quibus poſitis peccatum infallibiliter infertur.*
plurimas res ex ſe bonas, ad bonum deſtinatas, & inuitantes; quibus tamen poſitis, peccatum infallibiliter infertur propter quorundam hominum prauos affectus, veluti ſuperbiam, inuidiam, auaritiam, & obſtinationem. Inſuper intentio Dei eſſe poteſt, vt permittat, eos homines infallibiliter ad peccatum induci.

Probatur. Nam in Principibus ſacerdotum, 8.
& Phariſæis Deus directè voluit, & cauſauit *Probatur 1.*
deſtitutionem abundantioris auxilij (hic enim effectus directè, & immediatè à ſolo Deo cauſatur) cauſauit etiam miracula, doctrinam, & exempla Chriſti Domini, & populorum affectum ad eum audiendum confluentium, & credentium. Quis autem non videat, hominibus arrogantibus, inflatis, inuidis, & auaris fuiſſe infallibilem illationem odij, & contradictionis vehementis, ex increpationibus Chriſti Domini coram vniuerſo populo detegentibus hypocritarum ſcelera; ex argumentis euidènter aperientibus eorum ignorantiam, ex propriæ diuinitatis manifeſtatione, atque confirmatione conſequente fide virorum, & frequentia diſcipulorum, & acclamationibus puerorum; maximè verò ex miraculis, quibus vniuerſum mundum ſeducendum fore timebant.

Probatur ſecundò. nam ſuppoſitis eiſdem vi- 9.
tiis auditorum, ex modo concionandi, myſte- *Secundò.*
ria parabolis inuoluendo, ſequebatur infallibiliter ad prauos & abſurdos ſenſus omnia verba fore detorquenda, & in illis quærendam impugnandi occaſionem. Atqui horum criminum permiſſionem intentam fuiſſe à Chriſto Domino, docuit ipſe Marci 4. dicens. *Illis autem, qui foris ſunt in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant.* Eadem intentio ponitur Matth. 13. & Lucæ 8.

Probatur tertiò. Nam Iudith cap. 9. Deum 10.
ita precata fuerat: *Fac Domine vt gladio proprio* *Tertiò.*
eius ſuperbia amputetur; capiatur laqueo oculorum

ſuorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ. Vbi Spiritus ſanctus pro ea poſtulat, vt Deus cauſet ea ipſa bona, quæ de facto cauſauit, ex quibus infallibiliter inferebatur decipiendum, & concupiſcentiæ laqueo capiendum eſſe Holofernem. Nam cap. 10. Iudith *omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe, cui etiam Dominus contulit ſplendorem.* & iterum: *in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Rurſus eidem inſpirauit Deus ſingulariſſimam artem ambiguæ, ac figuratæ locutionis, qua de ſui populi ſalute deſperare, & eum inimicis prodere videbatur, ex quibus non modò libido, atque ſuperbia, verumetiam ſeductio, atque ſecuritas infallibiliter inferebantur in Holoferne, & eius exercitu.

11. Hotum autem peccatorum permiſſionem intentam fuiſſe à Deo, monſtrat oratio nuper adducta, & confirmatur ex Cantico in capit. 16. *Accepit ſtolam nouam ad decipiendum eum.* Infallibilitas autem illationis, proueniens à vehementia motiuorum, ſignificatur illis verbis eiuſdem Cantici; *Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo captiuam fecit animam eius.* Captiuus autem reſiſtere non poteſt, nec ſeruitutis iugum excutere; rapina quoque vim affert, cui non poſſit reſiſti, niſi valde difficiliter.

12. Nec poteſt cum Scriptura ſacra congruere, quod aliqui dicunt, mendacia fuiſſe multa, quæ Iudith locuta eſt ad Holofernem, ideóque non fuiſſe à Deo inſpirata. Si enim hæc fuiſſent mendacia, non verificaretur de illis, quod Iudith precata fuerat: *Percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Nec enim Deus author fuiſſet mendaciorum, quibus percutiendus erat. Inſuper ſi mendacia forent illa, non leuia, ſed grauiſſima forent, videlicet periuria, & blaſphemiæ. Iuramento quippe ſua dicta confirmauit, aſſeruitque ſe miſſam eſſe à Deo vt ad Holofernem mandata deferret. At talia crimina repugnant eximiæ ſanctitati, quam eius liber commendat.

13. *Poteſt Deus velle integram collectionem circunſtantiarum, ex qua propter fragilitatem infallibiliter ſequitur determinatum peccatum. Probatur.*

Inde colligo, & ſit ſecunda concluſio. De potentia abſoluta non repugnat à ſolo Deo cauſari totam, & integram collectionem rerum, & circunſtantiarum, quibus poſitis, propter hominis fragilitatem infallibiliter inferatur ab eo committendum eſſe aliquod peccatum in particulari, dummodo nulla illarum rerum per ſe deſtinetur ad peccatum, ſed ad bonum.

Probatur, quia nulla contradictionis implicatio, nec repugnantia cum Dei bonitate prohibet, quin Deus poſſit virum producere robuſtiſſimum, & omnibus potentiis corporis validiſſimum, ac ſubinde propenſionibus ſenſitiui appetitus vehementer incitatum (hæ nanque ratione ſui præciſè non ſunt malæ.) Poterat inſuper Deus eundem ſpecialibus auxiliis deſtituere, & ad aliqua pietatis negotia peragenda mittere fœminam pulcherrimam, & prudentiſſimam, inde nanque infallibilis foret illatio captiuitatis animi per oculos, & concupiſcentiam, quemadmodum contigit Holoferni.

14. *De potentia ordinaria id non contingit.*

Tertia concluſio. De potentia ordinaria Deus non totam, & integram collectionem earum rerum cauſat, ſed ſupponit ab homine per liberam malitiam, aut negligentiam, (ſeu mortalem, ſeu venialem) cauſatas eſſe propenſiones paſſionum, & affectus inordinatos ad bona ſenſibilia, quibus bonis, poſtea propoſitis, infallibiliter capitur laqueo: ſupponit etiam, dæmonis ſuggeſtione parati laqueum, & ad eum incitari. Ratio eſt, quoniam hoc videtur eſſe conformius diuinæ clementiæ, & ſuauitati, prout in ſacris literis reuelatur, vt magis conſtabit ex ſequenti ſolutione argumentorum, necnon ſectione 3. *Probatur.*

Declaratur, & probatur à ſimili. Nam quoniam Vrias nullo crimine Regem offenderat, nec 15.
temerè, & ambitioſè affectabat perículoſiora certamina; ideo crudelitatis, & iniuſtitiæ fuit præcipere. *Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, vt percuſſus intereat. Igitur cùm Ioab obſideret vrbem, poſuit Vriam in loco, vbi ſciebat viros eſſe fortiſſimos*, fortaſſe Dauidis præceptum excuſans; quoniam aliquod occultum ſcelus Vriæ volebat ea ratione punire ſimul, & tegere. Quod genus regiminis tunc, vel maximè dignum foret erga Vriam exerceri, quando ille temere, & ambitioſè contenderet primam, & periculoſiorem aciem exercitus tenere ſupra ſuas vires, nec vellet ſui ducis ordinationibus acquieſcere. *2. Reg. 11.*

16. *Congruentior ratio.*

Sic igitur ratio congruentior, & diuina benignitate dignior oſtenditur, vt ibi conſtituat hominem, vbi ſcit hoſtes eſſe fortiſſimos, vehementes tentationes, & occaſiones ſpiritualis interitus, & eum abundantioribus auxiliis deſtituat, ac relinquat, vt percuſſus intereat: ſi homo ille ſuperbus deſiderauit ea pericula, videlicet honores, regimen Eccleſiaſticum, aut ſæculare, diuitias, fauores Principum, familiaritatem, ac beneuolentiam fœminarum: nec timuit, ſed amauit ea pericula; vnde nec diuinam opem anxiè poſtulauit. Iuſtiſſima nanque lex eſt: *Qui amat periculum, in illo peribit*, Eccleſiaſtis cap. 3. Cæterùm hac ratione ſecluſa, licèt non foret iniuſtitia ex parte Dei, quoniam eſt Dominus omnium; minor autem congruentia foret, vt ſuprà diximus.

17. *Ad primam rationem dubitandi.*

Ad rationes dubitandi reſpondetur.

Ad primam negatur ſequela, ſi loquamur de tentatione, prout repugnat Deo, & propria eſt dæmonis: iuxta ea, quæ tractauimus tomo præcedenti de voluntate Dei diſput. 37. ſect. 1. Nam huiuſmodi tentatio continet non ſolùm occaſiones, & motiua, quæ per accidens propter hominis fragilitatem, aut malitiam, ad peccandum impellunt, ſed etiam intentionem, qua diriguntur ad eum finem, vt homo peccet. Præterea ſemper, aut ferè ſemper admixtum habent aliquid intrinſecè malum, & ab intrinſeco deſtinatum ad prouocandum peccatum, cuiuſmodi eſt conſilium, ſuaſio, impulſus interior, atque ſuggeſtio inducens ad poſtponendum eo tempore diuinum præceptum, vt homo fruatur bonis temporalibus. At verò Deus nihil poteſt cauſare, quod ab intrinſeco deſtinatum ſit ad peccatum prouocandum, nec res intrinſecè bonas poteſt Deus ea intentione producere, vel exhibere, vt hominem ad peccandum inuitent: licèt poſſit ea intentione producere, vt permittat, infallibiliter inferri peccatum. Inde conſtat ſolutio confirmationis.

18. *Cauſa continet virtualiter effectum per ſe ex illa ſequutum.*

Ad ſecundam reſpondetur. Cauſa virtualiter continet effectum, qui ex illa ſequitur per ſe, non per accidens, etiamſi non ſequatur infallibiliter. At verò cauſa non continet virtualiter effectum,

effectum, qui non per ſe, ſed per accidens ſequitur ex illa; quamuis infallibiliter inferatur. Ideo quicunque vult cauſam per ſe ordinatam ad peccatum, eo ipſo virtualiter vult committi peccatum: non verò qui vult cauſam per ſe, & ab intrinſeco deſtinatam ad bonum, ex qua per accidens infertur, peccatum eſſe committendum, & aliunde non tenetur eam cauſam impedire.

19. *Ad confirmationem.* Ad confirmationem reſpondetur primò. Antecedens non eſſe vniuerſaliter verum. Nam propter aliquod bonum commune, vel propter iuris ordinem ſeruandum, poterit Prætor, vel Epiſcopus aliquos ſubditorum conſtituere in circuoſtantiis, ex quibus infallibiliter inferatur peccatum. Quemadmodum, quando tyrannide Maurorum coacti Chriſtiani, nonnullos ſuorum filiorum, aut filiarum tradunt, vel quando iuris ordine poſtulante, iuramentum exigitur ab illis hominibus, quos propter vitandam ignominioſiſſimam mortem eſt infallibile, veritatem eſſe negaturos.

20. *Reſpondetur 2.* Secundò reſpondetur, & pleniùs, in huiuſmodi rebus conſequentiam non valere, quæ ducitur ab hominibus ad Deum. Nam prætor, aut Epiſcopus non eſt Dominus animarum, & gratiæ, quin potiùs illarum vtilitatibus ſeruire tenetur, non ſolùm vniuerſali lege charitatis, ſed etiam ſpeciali obligatione muneris, & iuſtitiæ: ideo quantum poſſit, tenetur peccandi occaſiones ſubducere, vt ſubditorum ſaluti conſulat. Deus autem vniuerſaliſſimus omnium, & abſolutus Dominus nemini debet gratiam, aut ſalutem, nullius vtilitatibus ſeruire tenetur: ideóque poteſt ea, quæ bona ſunt, & ad bonum per ſe deſtinata, liberè producere, præcipuè cùm omnes homines monuerit, vt ſibi ab inordinatis illarum rerum affectibus caueant, quibus illaqueantur.

21. *Ad tertiam illa occaſiones permittuntur in pœnam prioris peccati.* Ad tertiam rationem reſpondetur, illius difficultatem emolliri, quoniam illæ occaſiones, quibus poſitis infallibiliter infertur committendum eſſe peccatum, à Deo tribuuntur, vel permittuntur in pœnam alterius prioris peccati. Mirandum quippe non eſt, Deum ita ſe gerere cum iis, quos odio iuſto proſequitur, & quibus hæc ipſa pœna datur ex intentione reuocandi eos ad meliorem frugem; videlicet vt ſuam miſeram ſeruitutem agnoſcentes, Dei redemptionem, & gratiam feruenter implorent, quod ſi non faciunt, culpa ſua & merito pereunt.

22. *Ad quartam, peccatum ab homine commiſſum comparatione Dei eſt nullum malum.* Ad quartam reſpondetur. Hoc peccati proprium eſt, vt eius intrinſeca malitia non ſit malitia, niſi comparatione perſonæ peccantis, vt illius tantùm malum ſit, & non alterius, vnde licèt perſonæ peccanti peccatum ſit malum maius, quàm vllius creati boni carentia, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis; cæterùm comparatione Dei, & comparatione cuiuſque Angeli, vel hominis ſancti, peccatum mortale, quod ab alia perſona committitur, eſt nullum malum, vel certè leuiſſimum. Ideóque maius malum eſſet carere manifeſtatione diuinorum attributorum, & carere virtutum actibus, & habitibus; aut carere viſione beatifica, propter quos fructus, meliùs, ac ſuauiùs colligendos, Deus permittit peccata. Propterea Deus prudentiſſimè gubernat, quando hominem aliquem exponit periculo peccati mortalis, etiam infallibiliter committendi. quoniam hoc peccatum ſicut non eſt peccatum Dei, nec Angeli, aut hominis ſancti; ſic etiam non eſt malum Dei, & Sanctorum, ſed malum illius tantùm, qui ſua culpa, & libera voluntate peccat. Ideo propter illud impediendum Deus, Angeli, & homines ſancti non debent à propriis bonis procurandis abſtinere.

SECTIO II.

Dubitandi rationes, an homo iuſtificatus deuenire poſſit ad moralem infallibilitatem mortaliter peccandi.

Diligitur quæſtio præſens ad inueſtigandum modum prædefiniendi permiſſiones peccatorum, quæ committuntur ab hominibus iuſtificatis. Supponimus autem omnes permiſſiones eſſe prædefinitas ex vi ſcientiæ conditionalis, cuius obiectum non eſt infallibilitas illationis: vt probatum eſt diſput. 12. quatuor prioribus ſectionibus. Nunc igitur inquirimus de prædefinitione per ſcientiam infallibilis illationis. 1.

Vtilis erit hic labor ad meliùs reddendam rationem æquitatis, & lenitatis, quam Deus ſeruat erga homines iuſtificatos, & in alto perfectionis gradu conſtitutos, quos reprobauit ante præuiſa finalia peccata, vt attingemus ſect. 3. concl. 3. probatione 3. num. 16. Inſuper ad intelligendum diſcrimen duplicis auxilij ſufficientis, quod iuſtis præberi contingit, ſicut & peccatoribus: de quo in ſect. 3. fine. 2.

Pro parte negatiua, videlicet, hominem iuſtum deuenire non poſſe ad tantam deſtitutionem auxiliorum, taléſque circumſtantias, ex quibus infallibiliter inferatur eſſe mortaliter peccaturum, occurrunt ſequentes rationes. Prima. nam quoties aliquis homo rapitur à tentatione, vt infallibiliter peccet, nec moraliter poſſit non peccare; toties eſt excæcatus, & obduratus. At nullus induratur, & excæcatur, niſi in pœnam præcedentium peccatorum: vt ex Scripturis & Patribus probatum eſt præcedent. tom. de voluntate Dei, diſput. 43. ſectione 3. & 44. ſect. 1. Confirmatur. nam excæcationis, & obdurationis pœna grauiſſima eſt; ergo non erit æquitati conſentiens, eam homini iuſtificato infligere. 3. *Partis negatiua fundamentum primum.*

Secunda, quia durum videtur, & contrarium legibus amicitiæ, medio in agmine inimicorum ita conſtituere, vel deſtituere amicum, vt infallibiliter eius mors inferatur; quamuis eius culpabili negligentia intercedente, præſertim cùm Deus nullo negotio. poſſet illi ſubuenire. 4. *Secundum.*

Tertia, quia durius adhuc eſſe videretur, ſi Deus eam infallibilitatem non modò permitteret, verùm etiam iuſtis hominibus ipſe produceret, & offerret occaſiones, ex quibus infallibiliter inferretur peccaturos eſſe mortaliter. 5. *Tertium.*

Quarta, quoniam auxilia ſua Deus homini non denegat, niſi propter illius culpam, & demerita, ſed homo iuſtificatus iam non tenetur reus lethalis peccati, propter quod denegari poſſint auxilia: ergo illi non ſunt deneganda. 6. *Quartum.*

Quinta, quoniam iuſtos Deus non deſerit, niſi priùs deſeratur ab illis: vt ex Tridentino, & communi ſententia Patrum probatum eſt tomo præcedenti de voluntate Dei diſputat. 34. ſect. 2. & 3. Sed iuſtus, quandiu manet in gratia, Deum non deſerit; ergo non deſtituitur diuinis auxiliis, ita vt illi ſit infallibile mortaliter peccare. 7. *Quintum.*

8. *Sextum.* Sexta, auxilium ſpeciale, quod ad perſeuerandum offertur, tribuit potentiam moralem ad perſeuerandum: ergo excludit moralem impotentiam; ac ſubinde non patitur ſecum moralem infallibilitatem mortaliter peccandi. Rurſus cuilibet homini iuſto promittitur ſpeciale auxilium, quod ad perſeuerandum offertur: ergo quilibet iuſtus habet moralem potentiam perſeuerandi in gratia, & vitandi mortale peccatum: ac ſubinde nemini iuſto erit infallibilis illatio mortalis peccati propter deſtitutionem auxiliorum. Maior, videlicet ſpeciali auxilio perſeuerantiæ tribui potentiam moralem, probatur. nam phyſica potentia perſeuerandi, & euitandi ſingula peccata diuiſiuè, manet abſque prædicto auxilio ſpeciali. Alioqui non imputarentur peccata, vt vidimus diſputat. ſect. 2. num. 20. & ſequentibus. Quapropter non reſtat alia potentia, quæ tribuatur per ſpeciale auxilium, niſi potentia moralis.

Confirmatur. Confirmatur, qoia iuſtus poteſt hoc auxilium obtinere, ſi velit: ergo poteſt hanc poteſtatem moralem euitandi peccata mortalia, ſi velit.

9. *Septimum.* Septima. nam Paulus 1. Corinth. 10. *Fidelis,* inquit, *Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Hæc autem gratia diuinæ fidelitatis intelligi nulla ratione poteſt de tentatione ſuperante phyſicam poteſtatem reſiſtendi peccato. nam contradictionem implicat tentatio talis. Nec enim erit peccatum, nec vlla ratione imputabitur ad culpam, niſi maneat phyſica poteſtas reſiſtendi peccato, & ſuſtinendi tentationem. Vnde licèt per impoſſibile fingeretur, in Deum cadere poſſe crudeliſſima tyrannis, per quam pateretur homines tentari ſupra id, quod phyſicè poſſunt, ita vt tentationem ſuſtinere, atque reſiſtere foret phyſicè impoſſibile: adhuc ab ea prouidentia nihil timendum foret iuſtorum perſeuerantiæ; quoniam nihil illis imputaretur ad culpam, talibus tentationibus extortam, licèt foret eſſentialiter turpe. vnde nullius æternam ſalutem impediret.

10. Cùm igitur prædicta conſolatio Pauli nitatur non in rerum impoſſibilitate, ſed in libera, & gratuita Dei fidelitate; conſequens eſt ita debere intelligi, vt Deus non patiatur vos tentari ſupra id, quod moraliter poteſtis, ſed faciat etiam cum tentatione prouentum fortioris opitulationis, vt moraliter poſſitis ſuſtinere. Quòd ſi tentationem ſuſtinere moraliter eſt poſſibile; non eſt infallibile peccare conſentiendo tentationi. Hoc autem genus fidelitatis, & prouidentiæ pertinere videtur ad omnes iuſtos propter rationis paritatem.

SECTIO III.

Qua ratione, atque demerito iuſtus conſtitui poſſit, atque deſtitui ſub circunſtantiis, ex quibus mortale peccatum infallibiliter inferatur.

1. *De potentia ordinaria poteſt iuſtus à Deo conſtitui in circunſtantiis, ex quibus infallibiliter ſequatur peccatum.* PRima concluſio. De potentia ordinaria poteſt Deus hominem in gratia exiſtentem conſtituere, vel relinquere, ſub talibus circunſtantiis, ex quibus infallibiliter ſequatur, eſſe mortaliter peccaturum longo tempore, idque occaſione peccatorum venialium præſentium, vel præteritorum mortalium, quæ licèt per ſacramentum pœnitentiæ, vel contritionem deleta fuerint, reſtant adhuc eorum reliquiæ, ſanitate nondum perfectè recuperata.

Probatur. Quoniam hoc non repugnat ex natura rei, neque repugnat diuinis promiſſis, & legibus. Ergo abſolutè eſt poſſibile de potentia ordinaria. *Probatur* 1.

Primum ex natura rei non repugnare, manifeſtè colligitur, quoniam auxilia gratiæ communia, & omnibus iuſtis debita ratione illius ſtatus, ſine auxilio ſpeciali perſeuerantiæ non ſufficiunt, vt iuſtus habeat poteſtatem moralem perſeuerandi in gratia longo tempore. Quapropter præciſè ex vi illorum auxiliorum non auferetur infallibilitas mortaliter peccandi longo tempore, quæ infallibilitas conſequitur ex fragilitate, & infirmitate liberi arbitrij, ſuppoſita humana ignorantia, & tentationibus variis longo tempore occurrentibus: quemadmodum dictum eſt diſputatione 8. ſect. 2. præſertim num. 20. & ſequentibus, & à fortiori colligitur ex dictis diſputatione 12. ſect. 5. & 6. 2.

Idem verò, quod in concluſione aſſeritur, non repugnare diuinis promiſſis, & legibus, præſtandi cuilibet iuſto ſpeciale auxilium, quod ad perſeuerandum requiritur, probatur, quoniam hoc auxilium non promittitur abſolutè ſine conditione appoſita; ſed promittitur ſub ea conditione, ſi nos acceptis priùs talentis communis auxilij ſupernaturalis diligenter negotiantes ieiuniis, & eleemoſynis, orationibus, & aliis piis operibus impetremus à Deo ſpeciale auxilium perſeuerantiæ, vt admonuit Trident. ſeſſione 6. cap. 13. At verò iuſti non raró deficiunt huic explendæ conditioni. Deus igitur non raró per noſtram culpam liberatur ab obligatione ſui promiſſi conferendi auxilium ſpeciale perſeuerantiæ. Vnde quamuis pleriſque iuſtis Deus etiam tunc conferat ſpeciale auxilium perſeuerantiæ: multis tamen ſubtrahere poterit, & de facto ſubtrahit. Manet igitur iuſtus in eo caſu cum ſolis communibus auxiliis gratiæ, ideóque longo tempore ſuperandus infallibiliter a tentationibus mortiferis. 3. *Speciale auxilium ad perſeuerandum ſub conditione promittitur.*

Sed dices. Omnibus iuſtis eſt moraliter poſſibile obtinere à Deo auxilium ſpeciale perſeuerantiæ. Ergo omnibus iuſtis erit moraliter poſſibile vitare quodlibet peccatum mortale, etiam longo tempore. 4. *Obiectioni occurritur.*

Huic obiectioni ſatisfaciunt concluſiones ſequentes, quibus prima concluſio explicatur, & corroboratur.

Sit igitur ſecunda concluſio. Iuſtus homo nonnunquam in eas circunſtantias ob ſuam negligentiam deuoluitur, vt illi ſit moraliter impoſſibile tunc adquirere, & impetrare ſpeciale auxilium perſeuerantiæ. Cuius ratio explicatur, ſi fingas (exempli cauſa) longum tempus, intra quod infallibile eſt, Petrum iuſtum eſſe mortaliter peccaturum, ſi deſtituatur ſpeciali auxilio perſeuerantiæ eſſe tempus vnius anni: atque Petrum toto ferè anno, videlicet vſque ad vltimum diem fuiſſe deſidem & ignauum, ita vt nunquam feruenter, ſed tepidè, indeuotè, ſine debita reuerentia, & attentione, raró, & exiguo tempore orauerit, ac ferè nullis operibus ſupererogationis perſeuerantiæ ſpeciale auxilium à Deo, curauerit, obtinere. Iam in 5. *Iuſtis aliquando moraliter impoſſibile auxilium ſpeciale ad perſeuerandum impetrare.*

hoc

hoc caſu Deus non erit promiſſionis reus; quamuis Petro in hac vltima die totius anni poſtulanti auxilium ſpeciale perſeuerantiæ non conferat. Quoniam Petrus non expleuit eam conditionem, à qua pendebat obligatio diuinæ promiſſionis.

6. *Quæ orationibus impetranda promittuntur ſtatim concedenda.*

Quòd ſi reſpondeas. Saltem Petrus hic, & nunc poteſt feruenter petere diuinum auxilium ſpeciale. Ergo Deus ea ſua lege, & promiſſo tenebitur concedere. Nihilominus vis præcedentis argumenti nihil eneruatur; quoniam, quæ promittuntur orationibus impetranda, non promittuntur, quaſi ſtatim concedenda, ſed vna ea conditionibus requiſitis, vt oratio infallibiliter impetret, eſt diuturna perſeuerantia: quemadmodum Chriſtus Dominus docuit Lucæ 11. illis præſertim verbis, *etſi ille perſeuerauerit pulſans.* de quo videndus eſt Diuus Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 15. ad 2.

7. *Solutio quædam reiicitur.*

Si reſpondeas adhuc, ſuperiorem doctrinam non habere locum, quando preuiit neceſſitas accipiendi auxilium quod petitur. Adhuc diſtinguendum eſt. nam ſi ad eas anguſtias vrgentis neceſſitatis iuſtus abſque ſua culpa, negligentiæ, vel arrogantiæ deuenerit; tunc ſanè veriſimilius eſt promiſſionem Dei retinere vim obligandi, vt ſpeciale auxilium perſeuerantiæ conferat. Cæterùm quando iuſtus ob negligentiam, elationem animi, & arrogantiam non ſtuduit comprimere, neque orauit attentè, deuotè, feruenter, & perſeueranter, neque aliis operibus pietatis quæſiuit, atque pulſauit: manifeſtè videtur tunc euenire caſum, qui continetur in ea generali regula, per quam ceſſat infallibilitas obtinendi per orationem ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſi quis deficiat in conditionibus ad orationem præſcriptis.

8. Confirmatur. Quia nulla certa quantitas perſeuerantiæ, deuotionis, & attentionis in oratione, nullave determinata qualitas, aut numerus bonorum operum præfixus eſt omnibus hominibus, vt illis exhibitis, Deus ex promiſſione, & lege teneatur concedere ſpeciale auxilium perſeuerantiæ. Sed hic terminus relinquitur à Deo liberè deſignandus in ſingulis hominibus, & ſingulis eorum occaſionibus. Quapropter facilius eſt ſufficientem rationem Deo ſuppetere, propter quam liber maneat ab obligatione promiſſi; nec teneatur concedere auxilium ſpeciale perſeuerantiæ. Potiſſimum verò, quoniam Deus nos omnes frequenter, & manifeſtè præmonuit, vt ſemper vigilemus, oremus, nunquámque deficiamus, ne in tentationem intreuius. In aſſerendo prædicto genere prouidentiæ S. Maximus frequentior eſt, quàm alij Patres tota ferè centuria 3. præſertim cap. 9. 10. 11. 16. 17. 22. & 23. ſufficiat illud referre ex cap. 16. *Ira iuſtè exercetur in animum alta de ſe ſapientem, hoc eſt, derelictio, vtpote permiſſio, vt ipſe tam in operatione, quam in ſpeculatione perturbetur à dæmonibus,* &c. Deinde cap. 17. ſubiungit: *Qui per primam iræ ſpeciem, derelictionis videlicet; non eruditur vt deſcendat ad humilitatem, exiſtimans eam eſſe explorationis probè magiſtram, aliam à parte recipit iram in ſe venientem, quæ chariſmatum efficaciam eripit illi, & vacuum reddit illum potentia, quæ illum modò protegebat.*

Iſaiæ 5. *Auferam enim ſepem eius, & erit in direptionem. Diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Deſeram vineam meam, & non putabitur, neque fodietur. Aſcendent ſuper eam, vt ſuper terram incultam, ſpinæ: & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam.*

9. *Probatur 2. Quia omnibus etiam iniuſtis promittitur auxilium ſufficiens.*

Secunda ratio concluſionis eſt, quoniam in ſacris literis, & Conciliis, non modò iuſtis, ſed etiam omnibus peccatoribus promittitur auxilium ſufficiens, vt quoties voluerint conuertantur, ſed hac promiſſione non obſtante, peccatores nonnunquam propter ſua demerita deueniunt ad eas circunſtantias, in quibus ſit moraliter infallibile, illos non eſſe vſuros parato ſibi ad conuerſionem auxilio; ſed potiùs reſtituturos, vt oſtendimus non ſolùm in ſect. 1. ſed etiam diſputat. 12. ſectione 5. & 6. Ergo quamuis cuilibet iuſto ſit promiſſum auxilium ad perſeuerandum: nihilominus propter venialia demerita permitti poterit in iis circunſtantiis manere, ſub quibus moraliter infallibile ſit eundem iuſtum non petiturum eſſe ſpeciale auxilium, ſicut oportet, nec voliturum eodem auxilio vti. Conſequentia probatur, quia ſicut auxilium, ad conuerſionem requiſitum, ſe habet reſpectu peccatorum mortalium; ita perfectius, & altius auxilium, quod ad perſeuerandum requiritur, ſe habet reſpectu peccatorum venialium, & præteritæ negligentiæ. Imò in hoc auxilio fortior ratio reperitur, quoniam (vt vidimus) non promittitur, niſi deuotè petentibus, & feruenter cooperantibus cum communibus auxiliis gratiæ.

10. *Tertiò, quia infallibilitas peccãdi mortaliter ex præcedentibus venialibus aſſeritur à Patribus.*

Probatur tertiò, quoniam hæc infallibilitas peccandi mortaliter, ex multitudine, & grauitate præcedentium venialium conſurgens, aſſeritur à Patribus, & Scholaſticis communiter, quando minantur certum, & euidens periculum mortaliter peccandi proueniens ex multitudine, & grauitate peccatorum venialium, præſertim à quibuſdam materiis, & perſonis, vt ſi adoleſcens robuſtus ſit nimium deditus gulæ, nitori, & elegantiæ mollium indumentorum, ſæculari pompæ, deliciis, otio, familiaritati puellarum, fabulis, vaniloquiis, & conſuetudini, cum aliis ſui ſimilibus; negligens verò ſit orationis, audiendi conciones, dandi eleemoſynam, & aliorum operum. Hic enim adoleſcens longo tempore infallibiliter committet peccatum aduersùs caſtitatem; niſi per extraordinariam Dei protectionem ſeruetur. De ſupradicto periculo peccatorum venialium plura tractauimus 1. 2. quæſt. 88. artic. 3. & 4.

11. *Venialia coniiciunt homines in tentationes grauiores.*

Confirmatur. Nam ex præcedente ratione colligitur non eſſe rigorem nimium, & indignum Deo, ſi iuſtis hominibus, negligentibus cauere venialia peccata permittat infallibilitatem peccandi mortaliter. Quoniam hæc infallibilitas rebus non ſuperadditur à Deo, ſed potiùs naſcitur ea ipſa quidditate rerum. nam prædicta venialia, quatenus realiter augent libidinoſum, & inordinatum affectum creaturarum, eatenus etiam coniiciunt hominem in tentationes grauiores. Ruſſus eadem venialia, quatenus Deum offendunt, eatenus impediunt deuotionem, filialem fiduciam, & recurſum ad Deum, ac proinde promptitudinem impetrandi auxilium. Quapropter hic modus prouidentiæ eſt congruentiſſimus naturis rerum. Vtinam eum non ita frequenter experientia comprobaret.

Proba

12. *Quartò. Ceſſatio ab actibus charitatis diſponit ad mortale.*

Probatur quartò. Licèt enim præſcindamus à peccatis venialibus, ſolam, atque nudam ceſſationem ab actibus charitatis, inueniemus, diſponere ad corruptionem charitatis (ac ſubinde ad mortale peccatum, quo ſolo corrumpitur charitas) vt docet S.Thom.2.2. quæſt. 24.art.10. corpore fine.

Confirmatur 1.

Confirmetur primò. Nam & ſpirituales viri, regreſſum à via virtutis, atque ruinam certò præſagiunt hominibus iuſtis, qui non conantur vlterius in via ſpiritus progredi, vt ex Gregor. Bernard. Caſſiano, Bonauent. & aliis Patribus probandum erit tomo ſequenti.

13. Confirmatur ſecundò. Nam vniuſcuiuſque perſonæ priuatum, & peculiare periculum ſignificat etiam, quod principaliter de republica, & Principe dictum eſſe videtur Eccleſiaſtis 10. *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.* Ergo nonnunquam homo iuſtus ob culpabilem negligentiam deuoluitur ad periculum infallibilis ruinæ; niſi Deus vltra debitum ac promiſſum abundantiùs, & fortiùs opituletur.

Quintò probatur, & explicatur magis concluſione ſequenti.

14 *In iuſtificationis initio aliquibus permittitur impoſſibilitas obtinendi ſpeciale auxilium. Probatur 1.*

Tertia concluſio. Ab ipſo primo iuſtificationis inſtanti permittitur multis hominibus incipere moralem impoſſibilitatem obtinendi ſpeciale auxilium perſeuerantiæ, & conſequenter incipere infallibilitatem peccandi, quæ dictæ ſunt in concluſione 1.& 2.

Probatur primò. Quoniam homines non pauci per ſacramentum pœnitentiæ ſoluuntur reatu præcedentium peccatorum, & iuſtificantur: qui tamen vitiorum habitibus, veluti catenis conſtringuntur, iterum ſeruire peccato, paſſionibus verò veluti feris indomitis exagitantur. Tales igitur homines potentiori, & abundantiori auxilio cùm ad perſeuerandum indigeant: minus tamen illud merentur, quàm alij iuſti, cæteris paribus. Inſuper ex prædictis paſſionibus, & habitibus, naſcitur infallibilitas parum atque tepidè vacandi orationibus, eleemoſynis, & aliis operibus pietatis, (niſi Deus opem ferat pluſquam ordinariam.) & conſequenter etiam infallibilitas laxandi habenas affectibus creaturarum, propter quas negligentias, & veniales culpas negari poterit, & de facto multis negatur ſpeciale auxilium, requiſitum ad perſeuerandum.

15. *Secundò.*

Secundò probatur. Nam etiam pueros recèns iuſtificatos, qui ante iuſtificationem nullum commiſere mortale peccatum, erit infallibile, longo tempore mortaliter eſſe peccaturos, ſi Deus illis non tribuat maiorem protectionem à periculis, & tentationibus, nec auxilia magis copioſa, quàm iuſtis debentur ex lege. Etenim ſub tali prouidentia puerilis ætas, & humana fragilitas adducet priùs infallibilitatem dilabendi ad plurima peccata venialia, ex quibus leniora paulatim augebunt vitiorum habitus & paſſiones; merebuntúrque maiorem deſtitutionem diuinarum illuſtrationum, & inſpirationum, & permiſſionem grauiorum venialium: ſicque paulatim, & occultè cumulando demerita, minuendo auxilia, multiplicando pericula, quaſi creſcente impetu hominis per lubrica, decliuiáque velociter, & incautè deſcendentis, infallibiliter ad eum ſtatum deueniet, in quo non ſit illi moraliter poſſibile peccati mortalis præcipitium euitare, ſed ruet infallibiliter.

16. *Tertiò.*

Tertiò. Prædictæ concluſionis veritas cernitur euidentiùs in illis Chriſtianorum filiis, qui baptizati ante rationis vſum, rapiuntur à Barbaris, & Sarracenis, vel illis traduntur à parentibus. Ij namque peccabunt infidelitate, cæteriſque generibus peccatorum, non minus infallibiliter, quàm infidelium filij nunquam baptizati. Niſi Deus vltrà leges ordinariæ prouidentiæ maiorem protectionem, clariores illuſtrationes, potentioreſque ſuauitates inſpiret ad bonum.

17. *Quartò.*

Quartò. Nam præcedenti ſuppar infallibilitas erit puero baptizato, & inter Chriſtianos educato, cui tamen defuerint doctrina, & exempla pietatis, & multa ſuppetant documenta ſuperbiæ, libertatis, atque luxuriæ, multaque vitiorum opportunitates, & illecebræ: nec adſit ſpecialis Dei protectio, & copioſa lux, atque ſuauitas Dei.

18. *Ex dictis meliùs intelligitur diuinæ prouidentiæ ſuauitas.*

Quintò probatur, quoniam ex doctrina præcedentium concluſionum meliùs intelligitur ſuauitas diuinæ prouidentiæ erga præſcitos, & illos potiſſimum, quibus gratiam iuſtificantem conferre, diúque conſeruare decreuit; & tamen illos reprobauit ante præuiſa finalia peccata vt abſolutè futura. Etenim oſtendere debemus modum, quo Deus certam reddere poſſit ſuam reprobationem. Quòd ſi dicamus, ſolummodo Deum ſtudiosè quæſiiſſe circumſtantias, & auxilia, quibus ſciebat, hos homines minimè cooperaturos, dicemus verum; ſed nondum explicauimus rationem, propter quam non videatur decorum, & affectui parētis optimi erga filios, & amicos non ſeris conſentaneum, ita cum illis agere.

19. Cæterùm eam difficultatem emolliemus, ſi concedamus, ex naturis rerum, ex hominum libera negligentia, ſuperbia, & aliis vitiis prouenire, infallibiliter, vt longo tempore mortaliter peccent, & pereant omnes illi homines iuſti; etiam valde perfecti, quibus Deus ſolummodo contulerit auxilia, quæ debentur ratione ſtatus, & propter meritum, & impetrationem orationis, & bonorum operum. Quibuſlibet enim Deus poteſt propter quotidiana venialia minuere paulatim interiores inſpirationes, & ſpirituales conſolationes, & propter inordinatos affectus ſuperbiæ, aut temporalis commoditatis, poteſt illis præbere bona temporalia, & honores, ac dignitates, permittendo vt illis ſint occaſio inanis gloriæ, ac diſtractionis, & impedimentum orationis frequentis, atque feruentis. Rurſus ob hæc demerita poteſt Deus permittere vt temporalium rerum affectibus, & paſſionibus ſylueſcant; vnde ſit infallibile mortaliter peccare. In quo peccato permanebunt infallibiliter, niſi ſpecialibus illuſtrationibus, & inſpirationibus renocentur; etiamſi paratum habeant ſufficiens ſalutis auxilium.

20. Huc vſque dictum eſt de vaga infallibilitate, ratione cuius erit moraliter infallibile, iuſtum aliquem peccare longo tempore, & variis ſpeciebus peccatorum diuiſiuè. Reſtat examinare, vtrùm de lege communi, & ordinaria prouidentia poſſit iuſtus prædictis Dei fauoribus, & protectione deſtitui vſque ad eum gradum, vt ſit infallibile hîc, & nunc mortaliter peccaturum hac ſpecie peccati; nec ſit illi moraliter poſſibile hoc peccatum hîc & nunc euitare.

Cui

21. *Abſque hominis demerito naturaliter implicat deſtinatio talis vt ſit infallibile hic & nunc peccaturum.* Cui reſpondeo,& ſit quarta concluſio. Si nulla iſtius hominis iuſti præceſſere demerita, non videtur, illam deſtitutionem eſſe poſſibilem de potentia ordinaria; videtur enim contraria legibus amicitiæ,& auxiliorum à Deo ſtatutis, ſecundùm quas iuſtum neminem deſerit,niſi priùs ab illo deſeratur, vt ex communi Patrum conſenſu probatum eſt præcedenti tomo de voluntate Dei diſp.34.ſect.2.& 3. Confirmatur,quoniam contrarius rigor non eſt concedendus niſi probetur. At nullo fundamento probatur.

22. *Id fieri poteſt ſi multa vel grauia venialia commiſerit.* Quinta concluſio. Si multa,vel grauia peccata venialia commiſerit aliquis iuſtus, videtur ſecundùm ordinarias leges prouidentiæ, Deum poſſe permittere prædictam infallibilitatem hic & nunc peccandi mortaliter in tali ſpecie peccati propter vehementiſſimam tentationem,& occaſiones periculoſas, quas idem iuſtus amauit & quæſiuit,propter paſſiones,quas fouet, & prauos habitus, quos auxit.

23. Probatur. Talis enim infallibilitas naſcitur ex naturis rerum, & ideo congruit ordinariæ prouidentiæ, cùm aliunde propter tam grauia demerita, licèt venialia, liberetur Deus ab obligatione protectionis ſpecialis, & abundantiſſimæ conſolationis, & illuſtrationis, quæ in tanto periculo requirebatur, vt moraliter eſſet poſſibile tentationem ſuperare. Confirmatur ex dictis num. 18. in quinta probatione concluſionis tertiæ, & ex toto ſuperiori diſcurſu, quatenus explicuit leges & ordinem, quo Deus ratione ſuæ promiſſionis, & legis tenetur, aut non tenetur fortiùs, & abundantiùs opitulari.

SECTIO IV.

Fit ſatis rationibus dubitandi, poſitis in ſectione ſecunda.

1. Ex dictis duo colliguntur. Alterum eſt: Mortalis peccati,non ſolùm ab homine peccatore,ſed etiam ab homine iuſto committendi, permiſſio poteſt prædefiniri per infallibilem illationem ex deſtitutione & circumſtantiis.

2. Alterum eſt ſolutio argumentorum contrariæ partis.

Ad primum non quæuis moralis neceſſitas peccandi eſt excæcatio. Ad primum reſpondetur primò, negando maiorem. Quamuis enim ad excæcationem, & obdurationem, propriè, & in rigore ſumptam, requiratur infallibilitas illationis, (vt vidimus diſput.12.ſect. 6. ſub initio.) Nihilominus non ſufficit infallibilitas. Quin potiùs in homine iuſto infallibiliter lapſuro, qui moraliter non poteſt diutiùs perſeuerare. Duo deficiunt, quæ neceſſaria ſunt ad propriam, & rigoroſam excæcationem, & obdurationem, de qua loquuntur præcipua loca Scripturæ, & teſtimonia Patrum. Primum, quoniam excæcatio, & obduratió non ad recentem lapſum mortalis peccati, ſed ad tenacem adhæſionem, & obſtinationem in prioribus peccatis, referri ſolet. *Quid ſignificet obdurationis nomen.* Idque ſonat *obdurationis* nomen, ratione cuius animus flecti non poſſit ad pœnitentiam,nec cedere conterẽntibus. Secundum,quoniam ad obdurationem, & excæcationem propriè dictam, non ſufficit quæcunque moralis impoſſibilitas reſipiſcentiæ; ſed requiritur tanta,quanta reſiſtat infallibiliter potentiſſimis remediis,atque motiuis exterioribus, & non paruis inſpirationibus,& ſuaſionibus internis, quibus emolliretur,& flecteretur quodlibet cor, niſi lapideum,& adamantinum foret, vt probauimus tomo præcedent. de voluntate Dei diſput.42.num. 13. & ſequentibus. Tantam igitur duritiem exiſtimo non poſſe iuſtis hominibus euenire.

Reſpondetur ſecundò ſi nomen excæcationis, & obdurationis ampliemus ad minus propriam, minúſque rigidam ſignificationem, vt comprehendat quamlibet infallibilitatem mortaliter peccandi; in hac acceptione vera erit maior, videlicet, iuſtum aliquem eſſe obduratum,& excæcatum. Verùm hæc pœna poterit infligi propter demerita præcedentium venialium peccatorum, vt vidimus ſect.præced.concl.3.& 5. 3.

Vnde reſpondetur ad confirmationem. Hæc pœna iuſtorum non eſt tam ſeuera, ſicut obduratio propriè, & in rigore dicta. Inſuper illa ſequitur ex rerum naturis, videlicet ex habitibus, & paſſionibus, propria culpa quæſitis, & ex negligentia quærendi remedia, & auxilia: ideóque nihil à Dei æquitate diſſentit, vt vidimus ſect. præced.num.14.& ſequentibus. 4. *Ad confirmationem.*

Ad ſecundum fateor, hoc prouidentiæ genus prima facie rigidiſſimum videri. Cæterùm attentiùs conſideratum emollitur ob maximam illius conſonantiam cum rerum naturis, & cum diuinis legibus, prout oſtenſum eſt tota ſect. præcedent. cuius ſumma ſit ex peccatis venialibus, ceſſatione ab actibus virtutum, negligentia quærendi, & petendi gratiam auxiliatricem, & reliquiis præcedentium peccatorum mortalium, quaſi naturaliter prouenire, vt tentationes, & occaſiones peccandi fortiores occurrant, & augeatur difficultas: vires autem ad reſiſtendum minuantur, ita vt quando Deus facit oppoſitum, faciat ſupra rerum naturas, & communem curſum illarum, & ſupra merita hominis iuſti. 5. *Ad ſecundum.*

Declaratur ampliùs, & confirmatur. nam & homines minimè cenſentur amicitiæ iura violare, ſi facile patiantur amicitias diſſolui, imò licèt occaſiones exoptent,quibus non laceſſitus ab eis, propria ſponte diſcedat amicus, quandó frequenter afferr moleſtias etiam leues, ac beneficiorum immemor, & propriè paupertatis, atque vilitatis oblitus, debitam erga ſuperiorem amicum obſeruantiam, reuerentiam, & recurſum negligenter exhibet. Quæ ratio tanto fortior viget in Deo, quanto Dei ad hominem infinitus eſt exceſſus, incomprehenſibilia beneficia, & nos indigniſſimi ſumus, vt ad eius amicitiam eleuemur. 6.

Ad tertium reſpondetur. Non poteſt Deus eſſe author, & cauſa totius collectionis circumſtantiarum, ex quibus infallibiliter infertur, hîc, & nunc committendum eſſe mortale peccatum,vt diximus ſect. 1. concl. 3. Nihilominus Deus poteſt cauſare, & offerre iuſtis hominibus res & occaſiones,ex ſe bonas, & ad bonum deſtinatas,licèt nouerit propter iſtius hominis fragilitatem,ac deprauatos habitus, aut paſſiones, & negligentiã petendi Dei opem,ex illis infallibiliter inferendum eſſe mortale peccatum, vt vidimus in ſect.1. Id quod etiam in hominum amicitia non miramur: poſſet enim ſapientiſſimus vir mutuum ab amico petere;quamuis certò conijceret,ob illius eximiam auaritiã, & amicitiæ neglectum,receſſurũ eſſe ab amicitia:& quãuis eũdem amicũ poſſet delinere blanditiis,atq; aliis officiis in 7. *Ad tertium.*

in beneuolentia continere; non teneretur id prçſtare, nec teneretur à mutuo petendo deſiſtere.

8. *Ad quartum.* Ad quartam rationem dubitandi reſpondetur. Abundantiora, fortioráque ſalutis remedia Deus ſubtrahere poteſt ſine vllo præcedenti demerito, præbens ea tantùm, quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt ad ſalutem: qualia ſunt, quibus eſt ſimpliciter, & phyſicè poſſibile non peccare mortaliter, licèt hoc ipſum ſit moraliter impoſſibile.

9. *Ad quintum.* Ad quintam reſpondetur. Certa quædam auxiliorum menſura, quæ iuſtis ratione ſtatus ex lege debetur, nunquam illis ſubtrahitur prius, quàm mortaliter peccent. Nihilominus ſpeciale auxilium perſeuerantiæ, & ſpecialis protectio Dei poteſt iuſtis denegari propter venialia peccata, & propter negligentiam quærendi, & poſtulandi feruenter auxilium: vt vidimus in ſect. præced.

10. *Ad ſextum.* Ad ſextam. Solutio data eſt in ſect: præced. dum explicantur, & probantur ſecunda, & tertia concluſio. Hæc autem ad formam argumenti applicabitur diſtinguendo minorem illam. Cuilibet iuſto promittitur ſpeciale auxilium perſeuerantiæ, non promiſſione abſoluta, ſed conditionata, videlicet, ſi iuſtus homo ieiuniis, vigiliis, eleemoſynis, orationibus quærat, pulſet, ac petat humiliter, deuotè, feruenter, ac perſeueranter. Qua conditione deficiente non violatur promiſſio, licèt Deus non largiatur ea remedia ſalutis, quæ moralem perſeuerandi poteſtatem afferendo, liberant ab infallibilitate mortaliter peccandi.

Ad confirmationem. Ad confirmationem reſpondetur. Iuſtus nonnunquam ad eum ſtatum deuoluitur, vt moraliter non poſſit obtinere auxilium, quod ad perſeuerandum requiritur, vt diximus ſect. 3. concluſ. 2. num. 5. & ſeq.

11. *Ad ſeptimũ, Dei fidelitatem in conditionali promiſſione fundari.* Ad ſeptimam reſpondetur, concedendo, fidelitatem illam ab Apoſtolo prædicatam 1. Corinth. 10. in eo conſiſtere, quòd Deus iuſtos non permittat tentari ſupra id, quod moraliter poſſunt, ſed potiùs cum tentatione faciat talem auxiliatricis gratiæ prouentum, vt ſuſtinere moraliter poſſint, ideóque non ſit illis infallibile moraliter peccare, prout fuſiùs oſtendimus præced. tom. de ſcientia Dei diſp. 74. ſect. 1. Nihilominus ea fidelitas fundatur in diuina promiſſione, quæ conditionata eſt, videlicet, ſi iuſti diligenter ſibi caueant à venialibus peccatis, feruenter, humiliter, & perſeueranter orent, atque eleemoſynis, ieiuniis, & vigiliis diuinam opem implorent. Hanc verò conditionem, quoniam homines de facto non adhibent, niſi fortioribus inſpirationibus, ac illuſtrationibus trahantur; ideo Deus manet liber ab obligatione fidelitatis illius, & iuſtos ſupra id, quod moraliter poſſunt, tentari patietur, ſi voluerit.

12. *Prædicta conditionalis promiſſio probatur.* Prædictam conditionem eſſe ſubintelligendam in illa promiſſione, ac fidelitate Dei, ſatis oſtendimus ſect. præced. concl. 2. & 3. Verùm inſuper colligitur ex præcedenti contextu 1. Corinth. 10. ideo quippe Paulus præmiſit exhortationem humilitatis, diffidentiæ ſui ipſius, atque vigilantiæ, dicens: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Vbi etiam tacitè præcipitur recurſus ad diuinum auxilium. Quaſi diceret, nemo iuſtorum deſit humilitati, vigilantiæ, & orationi, quo facto, Deus nemini deerit ob ſuam fidelitatem, ſed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt ſuſtinere poſſit.

13. Peculiari tamen ratione fidelitas hæc, & promiſſio reſpicit eos, qui tribulationem patiuntur propter iuſtitiam, de quibus Pſalm. 33. *Multæ,* inquit, *tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Ita expoſuit Hieron. 1. Corinth. 10. & eodem modo videntur intelligere Chryſoſt. Ambroſ. & Petrus Lombard. Hoc & alia quædam ex ſupradictis breuiter complexus eſt Iſaac Presbyter lib. de contemptu mundi columṅ. 9. cap. *Qui poteſt*, tom. 5. Bibliothecæ, dicens: *Protectio Dei, & prouidentia contra omnes homines eſt, nec videtur, niſi ab iis, qui purgauerunt ſemetipſos a peccato, & meditationem habent in Deo. Specialiter autem manifeſtatur his prouidentia Dei, qui pro Deo incidunt in magnam tentationem: tunc ipſam ſentiunt, & vident eam, iuxta quantitatem & curam contingentis tentationis.*

14. Non diſcrepat à præcedenti expoſitione; ſed potiùs illius præcipuum membrum eſt, tanquam abſolutam promiſſionem opportuni auxilij accipere verba prædicta, quando referuntur ad ſolos prædeſtinatos. Eſt enim generalis ea regula in omnibus locis Scripturæ, quibus auxilium certò futurum promittitur fidelibus, aut iuſtis; vt qua parte referuntur ad ſolos prædeſtinatos abſolutè permittant; licèt ad cæteros homines tantùm conditionaliter. Vt Philipp. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu: ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus vobis.* Quaſi diceret, iuſtum eſt mihi de omnibus vobis, quaſi de prædeſtinatis ad perſeuerantiam, & gloriam ſentire, & loqui, propter Indicia, & pignora veſtræ ſalutis, quæ in veſtris operibus, & in meo ſpiritu experior.

15. Sic igitur abſoluta promiſſio eſt illa: *Faciet etiam cum tentatione prouentum*, ſiue, *euentum.* Quia Deus faciet, vt iuſtus tentatus non deficiat orando, & piis operibus pulſando; vel licèt iuſtus prædeſtinatus in hac conditione deficiat, Deus vltra ſuas leges, & promiſſa, impendet auxilium opportunum, & copioſum, quo finaliter perſeueret. Ideo ſpecialiter de prædeſtinatis hunc locum intelligunt Ambroſ. & Petrus Lombar. Quapropter de prædeſtinatis non ſolùm verificatur quod ſuſtinere moraliter poterunt, ſed etiam, quod infallibiliter ſuſtinebunt.

Exhortationes omnibus proponendæ. Nec mouere quemquam debet, quòd Apoſtolus prædictum ſolatium proponit omnibus Corinthiis, ex quibus veriſimilius eſt, aliquos fuiſſe damnatos, imò idem proponit omnibus fidelibus, præſertim pro religione, aut pro iuſtitia tribulatis. Nam exhortationes omnibus hominibus proponendæ ſunt, quaſi prædeſtinatis, omnes erigendo in ſpem finalis perſeuerantiæ, & ſalutis æternæ, vt Auguſt. annotauit de bono perſeuerantiæ cap. 22. & Paulus, ac cæteri Apoſtoli ſemper faciunt.

TRACTA

TRACTATVS TERTIVS *DE* PRÆDESTINATIONIS EXORDIO NVLLO MODO poſſibili per ſolas vires naturæ.

PROOEMIVM.

1. *Supernaturalis prouidentia laus.* SVPERNATVRALIS prouidentia, quam præcipuè ſibi proponit hoc volumen exponere, iſtud in primis ad ſuam gloriam, & elationis humanæ deiectionem ſtatuit, totius naturæ vires, ſi deſtituantur gratia ſupernaturali, valere prorſus nihil ad præbendum initium quantumcumque minimum prædeſtinationis, aut iuſtificationis. Solet autem hæc controuerſia multiplici titulo prænotari, veluti, de cauſa prædeſtinationis ex viribus naturæ, ſiue ex vſu liberi arbitrij moraliter bono: de initio gratiæ, de initio iuſtificationis, de reliquiis Pelagianorum errore. Nec immeritò, cùm hic eſſet ſcopus, aut vnicus, aut præcipuus, ad quem omnes Semipelagianorum argumenta dirigebantur, nimirum, vt ex humano conatu per ſolas vires naturæ, præberent rationem diſcriminis, propter quam iſtis hominibus potius, quàm illis data fuerint quædam remedia ſalutis, aut iuſtificans gratia, vel perſeuerantia, quam conſequitur gloria. *Semipelagianorum ſcopus.*

2. Fuit hæc anſa, per quam arreptus Semipelagianorum error, ſic trahitur, extenditúrque nonnunquam, vt cum nulla poſſit effugere catholica defenſio libertatis, ſed terrore tanti periculi præcipitetur in abſolutam & antecedentem neceſſitatem, qua voluntas innata libertate priuetur. Eapropter iſtius ſcopuli partes, ſinus, anfractus deſcribere ſigillatim, operæ pretium erit, vt qua parte vndis ſuperior eminet ſub meridiana luce, quaſi digito demonſtratus, & qua parte inferior latet in vndis, ſubmiſſa exploratus bolide, nullum terreat longioribus vmbris, nec prohibeat eum nauigationis curſum, quem ſacris indicatum tabulis, Summi Pontifices, Concilia, Patres Eccleſiæ, & Auguſtinus præcipuè tenuere, quod hoc toto volumine, Deo fauente, monſtrabimus.

* * *

DISPVTATIO XIV.

Quibus articulis contineatur Semipelagianus error.

AD eos notandos ac colligendos, authores nobis erunt tam illorum aſſertores, quàm eorumdem impugnatores. In primis verò Proſper & Hilarius in epiſtolis ad Auguſtinum, quæ tomo 7. præmittuntur ad librum de prædeſtinatione Sanctorum. Auguſtinus quoties de gratia & libero arbitrio diſputat, præſertim verò lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum c. 3. & lib. 2. de bono perſeuerantiæ. Caſſianus collatione 13. Abbatis Cheremonis, præſertim cap. 11. & de inſtitutis Cœnobiorum à cap. 11. vſque ad 14. Proſper in lib. contra Collatorem, & lib. ad obiectiones Vincentianas, & altero ad capita Gallorum. Cæleſtinus epiſtola 1. ad Epiſcopos Galliæ, Hormiſda in epiſtola ad Poſſeſſorem, niſi fortè ſuppoſititia ſit, vt contendit Ioannes Maxentius continuò citandus.) Hic enim Romanus Pontifex reprobat doctrinam Fauſti Regienſis de gratia & libero arbitrio. Atque idem Fauſtus Regien. lib. de gratia & libero arbitrio, præſertim cap. 12. & expreſſiùs lib. 2. cap. 9. cuius teſtimonia pugnantia cum doctrina Auguſtini ſingula ſingulis opponendo, notauit Ioannes Maxentius in reſponſione ad prædictam epiſtolam Hormiſdæ poſt medium (in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo 4. aliàs tomo 5. habetur epiſtola Hormiſdæ & reſponſio Ioannis Maxentij, & recentiores editiones Conciliorum referunt inter epiſtolas Decretales Hormiſdæ n. 67.) Petrus Diaconus in lib. de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti à cap. 6. præſertim cap. 8. (in quibuſdam editionibus habetur tom. 5. Bibliothecæ veterum Patrum propè finem) & Fulgentius eumdem librum alio eiuſdem titulo probans, atque corroborans à cap. 16. Concilium Arauſicanum II. aliáque Concilia, & Patres, quos ſequentes diſputationes citabunt. 1.

Iniuria temporum, & pax Scholaſticorum 2.

circa præſentes articulos, ſitum penè obliuionis obduxerat, quouſque controuerſia nata compulit antiquitatem repetere. Maiorem lucem quam alius ante illum Gabriel Vaſquez attulit eximia diſtinctione, authoritate, diligentia, erudirioue in ptimam partem tom. 1. diſputat. 89. cap. 4. & 5. & diſput. 91. cap. 8. auxit Franciſcus Suarez 1. part. lib. 2. de cauſa prædeſtinationis cap. 5. & 6. & poſtea voluminibus de gratia.

SECTIO I.

Prædicti erroris authores, & aſſeclæ.

1. II omnes fuere catholici viri, & multi inter illos Epiſcopi, ptæter alios dignitate, doctrina, & ſanctitatis opiuione celebres, qui tota in Gallia, ſed præſertim Maſſiliæ, nonnulli etiam in Africa floruerunt, de quibus Proſper in epiſt. ad Auguſt. versùs finem, ait: *Multum nos & vita meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo ſacerdotij honore ſupereminent.* & prope finē ait: *Meritis atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat.* Ciuile boc bellum fuiſſe valde etuentum ex his, quos nuper citauimus, authotibus conſtar, præſertim Proſpero in præfatione ad lib. contra Collatorem.

Quo tempore excitatus Semipelagianus error. Exciratum fuit prope annum 430. ad extremam ſenecturem Auguſtini, cuius priotem doctrinam de initio gratiæ ex naturali conatu, quam docuerar iuuenis, & retractauerat ſenex, Galli probabant, & mordicus retiuebant.

2. Inde nomen ſortiri, Pelagianorum reliquiæ nuncupantur ab Hilario & Proſpero, ſed à recentioribus Scholaſticis Semipelagiani dicuntur. Prior appellatio meliùs quadrat; ij namque authores non dimidium errorem Pelagij, ſed illius perexiguam partem retinebant. *Error Pelagij, & reliquiarū eius.* Pelagius namque totius gratiæ neceſſitatem verè negabat. Sed Pelagianotum reliquiæ concedentes gratiæ neceſſitatem ad pietatis opera, quibus iuſtificamur; eamdem gratiam ſubiungebant humanis conatibus pet ſolas vires naturæ modo explicando in ſect. 2. 3. & 4. Quaptopter ipſe etiam Iulianus Pelagianus, aduersùs quem ſex libros ſcripſit Auguſt. argumentis coactus eſt, veritati non parum cedere, concedendo, *ad capeſſendam perfectionem hominem adiuuari. quod ipſe poſuit, utique volens intelligi, hominem per ſe incipere ſine gratia quod perficit gratia.* Verba ſunt Auguſt. lib. 4. aduersùs Iulian. cap. 3. ptope initium.

3. *Eorum dux Caſſianus.* Horum ducem atque Magiſtrum fuiſſe Caſſianum, qui Maſſiliæ circa annum 435. floruit, inde colligitur; quoniam aduersùs Collatorem præſertim diriguntur tractatus atque decreta, quibus Patres & Concilia prædictum errorem refellunt quandoque expreſſo, quandoque verò ſuppreſſo nomine Collatoris. Sed ab aliorum Maſſilienſium errore non parum Caſſianus diſſidet, nec mirum *A ſe ipſo diſſidet.* quippe qui à ſeipſo ita diſſentiat, vt aliquibus in locis Pelagianorum reliquias confutare videarur. Hæc eſt inconſtantia falſitatis: loca notabimus in ſect. 5.

4. *Opera Caſſiani apocrypha.* Proptetea Caſſiani opera tanquam apocrypha damnantur in Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum, præſidente S. Gelaſio Papa in cap. *ſancta Romana*. diſt. 15. Quaptopter audiendæ non ſunt querelæ Gennadij aduersùs Proſpetum pro Caſſiani doctrina indignè infamata, quas refert Sixtus Senen. lib. 6. Bibliothecæ annot. 184. & *Caſſiani doctrina in quibus commendata.* Ioannes Motinienſis in n. 11. citand. Nihilominus extra præſentem controuerſiam in aliis rebus Theologicis, præſertim verò circa religioſorum diſciplinam obſeruantiamque tradendam, magna ſemper fuit authoritas Caſſiani. Nam & S. Benedictus in regula certis temporibus collationes præſcripſit legēdas, & earum lectione Gregorius Magnus delectatus fuiſſe refertur, aliique religionum fundatores atque Doctores eumdem librum aſſiduè verſabāt, vt S. Dominicus, S. Thomas Aquinas, & S. P. N. Ignatius. *Nec Caſſiani doctrina tota, nec eius perſona damnata.* Conſtat ergo neque perſonam Caſſiani, neque totam eius doctrinam, ſed aliquos tantùm illius articulos eſſe damnatos.

Ferunt ex Græcis Patribus, præſertim Chryſ. 5. hauſiſſe Caſſianum, quæ contra Auguſtinum docuit, & fortè vt ſe ipſum deciperet, occaſionem accepit ex pleriſque locis Chryſoſtomi non bene intellectis, neque cum aliis eiuſdem Chryſoſtomi *Defenduntur Patres Græci.* comparatis. Verè namque Chryſoſtomus, & cæteri Patres Græci catholicam doctrinam docuerunt contrariam Semipelagianorum reliquiis, vt diſput. 27. & 28. monſtrabimus.

Dicemus etiam diſp. 28. ſect. 2. de Arnobio, qui 6. in Comment. Pſal. 146. poſt medium interpretatione indiget, ne multo antiquior Pelagio, reliquiarum ſemina poſuiſſe videatur. *De Arnobio quid dicendum.*

Vincentio Lyrinenſi error idem adſcribitur; 7. falsò tamen. Quippe qui lib. de hæreſibus c. vlt. ſummopere laudat epiſtolam 1. Cœleſtini I. ad Epiſcopos Galliæ, eiúſque aliqua verba refert. *Vincētio Lyrinenſi error falsò adſcribitur.* Conſtat autem ex initio eiuſdem epiſtolæ & tota ſerie capitum ſequentium illā fuiſſe ptimariò deſtinatam ad defenſionem Hilarij & Proſperi aduersùs Caſſianum, eiúſque ſectatores, quorum doctrinæ nouitatem, libertatémque reprehendit.

Confirmatur. nam idem Vincentius in cap. 34. docet ad liberum arbitrium, *in bonis rebus per actus ſingulos adiuuandum, neceſſariam eſſe Dei gratiam.* Quapropter id etiam concederet de illis actibus, quibus gratiam petimus & quærimus, ad quoa gratiæ neceſſitatem Semipelagiani negabant. Et quamuis in aliquo alio articulo potuiſſet Maſſilienſium errore decipi, ſed nulla ratio, nec authoritas perſuadet, ita contigiſſe.

Nam Vincentius ille, qui ſcripſit obiectio- 8. nes Vincentianas, quibus ſatisfacit Proſper, non fuit ille Monachus Lyrinenſis author operis aduersùs hæreſes: ſed alter Vincentius presbyter Gallus, cuius meminit Gennadius lib. de viris illuſtribus cap. 80. cùm ptiùs c. 64. de Vincentio Lyrinenſi dixiſſet.

In eodem errore fuiſſe Fauſtum Rhegien- 9. ſem de monaſterio Lyrinenſi, conſtat ex multis illius ſententiis in lib. 1. & 2. de gratia & libero arbitrio. *Errauit Fauſtus Rhegienſis.* Quapropter Hormiſda Papa in ea epiſtola 67. ad Poſſeſſorem, quam paulò ante ſectionem 1. retulimus, ſupponit Fauſti libros pugnare cum doctrina Auguſtini ab Eccleſia probata, & ſubdit, *in authoritatem Patrum non recipit examen catholicæ fidei.* ſignificās id quod Gelaſius Papa cap. *ſancta Romana* diſt. 15. decreuit, videlicet apocryphos eſſe illius libros. Fulgentius reprobaſſe Fauſtum refertur in c. 28. vitæ Fulgentij. Ioannes Maxentius in reſponſione ad epiſtulam citatam Hormiſdæ lōgè poſt medium, Fauſti libros, vt hæreticos, planè refutat, varias ſententias illorū cum Auguſtini ſententiis comparans, vt conſtet eſſe contrarias. Proprerea eoſdem libros reprobat Petrus Diaconus lib. de Incarnatione & gratia c. 8. Exceſſiſſet ergo indulgētia Driedonis excuſantis

doctrinam

Digitized by Google

doctrinam Fauſti ttactat. 4. de captiuitate & redemptione genetis humaoi cap. 2. parre 4. non longe aote finem.

10. *Fauſtus habitus hæreticus.* Imò Fauſtum non ſolùm propiet hunc, ſed etiam proptet alios ettores babitum fuiſſe Pelagianum hæretieum, tradit Iſidorus in lib. de Scriptoribus apud Bellarm. Ado Vieneoſis in chronico ætate 6. ſob anno 492. Author vitæ D. Foſgentij cap. 28. & Bellarmin. tom. 5. lib. 6. de gratia & libeto arbitrio cap. 4. fine. atque vt minimum eſſe vehementer ſuſpectum, oegari non poteſt, vt tectè Suarez lib. 3. de auailiis cap. 13. num. 21. Quamuis Ruardus Tapet. articulo 7. ſæpe, ac præſertim §. *nec re ipſa*, Fauſtum Catholicum appellet, & Vaſquez pium, & religioſum in diſputat. 91. cap. 9. colum. 2. & licèt incertum ſit, vtrùm Fauſtus fuerit bæreticus Pelagianus, multò magis ambiguum eſt quod Trithemius docet, à D. Fulgeotio teuocatum fuiſſe ad veram fidem, quod veriſimilibus cooiecturis oppugnat Vaſquez nuper citatus.

11. *Gennadius ſuſpectus.* Gennadium eiuſdem erroris ſuſpicioœ notat Ioannes Motinienſ. in epiſtol. ad lectorem, quam præmiſit ad opeta Proſperi: nec immeritò, quoniam Gennadius in lib. de vitis illoſtribus, quem libro B. Hictonymi adiecit, Fauſtum, & eius libros de gratia & libero arbitrio plus nimio commendat, imò Proſpero, & eius doctrinæ detrahit, dicens: *Infamaſſe vt nocida Caſſiani opuſcula qua Eccleſia Dei ſalutaria probat.* Quin etiam de Auguſtino ait, multa ſcripſiſſe; ideò in multis erraſſe, quia in multiloquio non deerit peccatum. Ruffinum etiam Hictonymo præponit; cùm tamen Gelaſius Papa dicto cap. *ſancta Romana*, diſtinct. 15. dicat: *Sed quoniam Hieronymus eum* (videlicet Ruffinum) *in aliquibus de arbitrij libertate notauit; illa ſentimus, qua prædictum B. Hieronymum ſentire cognoſcimus.* Plura eiuſdem ſuſpicionis atque vehementia indicia videre poteris apud eundem Ioannem Motinienſem. Sed ea præſertim ratio Gennadium prodit, eiuſdem farinæ fuiſſe cum Caſſiano, quoniam eius libros, priuſquam ab Eccleſia caſtigarentur, atque expurgarentur, probauit & excuſauit; vt Baronius notat tomo 5. anno 433. pag. 640. dum agit de Proſpero.

12. *Libri de Eccleſiaſticis dogmatibus authoritas quanta.* Nihilominus propterea r probandus non eſt liber de Eccleſiaſticis dogmatibus, quem Magiſter ſententiarum, S. Thom. aliiqoe Theologi ſub nomioe Gennadij citant, huic enim libro non tam ab authore (ſi Gennadius ſuit) quàm à communi Theologorum conſenſu citante frequenter, ac proinde tacitè approbante, non vulgaris conciliatur authoritas. Quod autem citatus Motinienſis ex cap. 21. de Eccleſiaſticis dogmatibus ſiniſtrè ac diſtortè interpretatum refutat, idipſum rectè intellectum placet grauiſſimis Theologis, & à nobis ſuo loco relatum eſt ad confirmandam indifferentiam libertatis, quæ poſſit conſentire, vel diſſentire. Quin etiam ad depellendam ſuſpicionem erroris huius abundè ſuppetunt plurima non ſolùm io eodem cap. 21. ſed etiam ſequentibus vſque ad 51. vt videbimus infra diſp. 17. ſect. 3. versùs finem.

13. *Ruffinus eidē errori fau.* Ruffinum eidem errori fauiſſe, aut conſenſiſſe, colligimus ex verbis Gelaſij, quæ retulimus n. 11. (tametſi eius perſonam collaudet vt religioſam) & quoniam ad Proſperum ſcripſit epiſtolam, monens, plurimos de illo male ſentire, quòd Auguſtini ſententiæ inſiſtens, aduersùs Collatorem ſcripſiſſet, coi Proſper reſcripſit epiſtolam, quæ eſt inter eius opera, ipſum contra Maſſilienſium errorem inſtruens, monénſque, vt in libris Auguſtini ſtudium & laborem impendat.

VVicleph alia via longe diſſimili à Semipelagianis præuenientis gratiæ non ſolùm neceſſitatem, ſed etiam poſſibilitatem negabat, vt videre eſt apud VValdenſem de Sacramentis cap. 10. 14.

Raymundus Lullius Catalanus, mercator prorſus imperitus, dæmonis illuſione ſub crucifixi ſpecie apparẽtis, accepit doctrinam, cuius pluſquam quingenti articuli tanquam erronei damnati ſunt à Leone XI. vt refertur in Directório Inquiſitorum part. 2. q. 9. Hic inter alias hæreſes docuit Maſſilienſium errorem; nam illius articulus ſexageſimus quartus ſic habet. *In faciendo bono non oportet nos ſperare, quòd Deus incipiat, quia iam incepit quando nos creauit.* Et ſeptuageſimus articulus: *Homo poteſt venire ad ſaluationem per virtutes morales; & quilibet homo poteſt habere de gloria paradiſi tantam, quantam vult habere*; & tam in hoc, quàm in 62. 65. 66. 67. 68. & 69. errore frequenter inculcat liberam poteſtatem adquirendi virtutem, amorem, contemplationem & amicitiam Dei, quantum vult, & quando, & vbi vult, nulla facta mentione gratiæ. Vnde loquitur de viribus naturæ ſaltem inchoantibus abſque gratia præueniente. Quod aliqui in dubium reuocant, vtrùm huiuſmodi errores falsò impoſiti & inſerti fuerint libris Raymundi, & vtrùm eius perſona damnata fuerit, nihil attinet diſputare. 15. *Raymundus Lullius docuit Maſſilienſium errorem.*

Vnus aut alter ex recentioribus Scholaſticis partem aliquam Semipelagiani erroris, ita docent, vt pluſquam Maſſilienſes ad Pelagianum errorem accedant, vt videbimus diſput. 21. ſect. vltima. 16.

SECTIO II.

Enumerantur Semipelagiani articuli decem.

PRæmittendum eſt, à Caſſiano cæteriſque omnibus reliquiis Pelagianorum concedi neceſſitatem gratiæ eò vſque, vt non ſolùm creationis gratia, quæ naturalis eſt, atque gratia externæ prædicationis, quæ in ſe quidem ſupernaturalis eſt, verumtamen extra audientem exiſtens, nihil ſupernaturale & gratuitum producere poteſt in animis auditorum, ſed etiam gratia internæ illuſtrationis & inſpirationis abſolutè neceſſariã ſit ad iuſtificationem, perſeuerantiam & meritum vitæ æternæ; ita vt nullo modo, neque facilè, nec difficilè obtineri poſſint abſque ſupernaturali gratia. Vnde illorum hæc erat vna vox: Conatus noſtri irriti ſunt, niſi gratia Dei adiuuentur & promoueantur. Ita referunt Auguſtinus, Hilarius, & Proſper citati in principio diſputationis. Imò Caſſianus ex profeſſo probat neceſſitatem gratiæ in collatione 13. Abbatis Cheremonis, præſertim à c. 8. vſque ad 12. & lib. 12. de inſtitutis cœnobiorum cap. 10. 17. 18. & 19. & fuſiùs Fauſtus 1. de libero arbitrio cap. 1. vſque ad 6. & præſertim cap. 14. 1. *Pelagius & Semipelagiani gratiã neceſſariam fatebantur.*

Nihilominus, quando redarguuntur à ſanctis Patribus, notantur non ſincere, ſed ſimulatè confiteri neceſſitatem gratiæ; non quia illi authores intenderent mentiri, aut fingere; ſed quoniam 2. *Eorum non ſincera, ſed ſimulata confeſſio.*

malè intelligentes quidditatem gratiæ, concedebans, illam deberi humanis conatibus; cùm tamen de quidditate gratiæ ſit, eſſe prorſus indebitam, vt demonſtrabimus diſpus. 18. ſect. 2. & 3. Proinde Ambroſius epiſtol. 84. ad Demetriadem, vel poſiùs Proſper in medio epiſtol. ait: *Hinc poſtremò diuinæ gratiæ. Simulata & inſincera confeſſio, quæ ſecundùm merita daretur, non ex qua merita naſcerentur. Quam partem ſuperbæ prædicationis, quidam ſibi cùm cætera abnuerent, ſeruauerunt.* Pelagianam hæreſim intelligit ſuperbam prædicasionem, & illius partem, cùm cæteras abnuerent, ſeruauerunt ſibi Semipelagiani, ſimulatè & inſineerè confitendo neceſſitatem gratiæ, quæ ſecundùm merita humana daretur. Sic etiam Caſſianus collat. 13. & 14. ſimul cum liberi arbitrij conatibus docet neceſſitatem gratiæ.

3. *Semipelagiani ſupernaturalis gratiæ neceſſitatem non negabant.*

Non deſunt Theologi, qui exiſtiment aliquos ex Semipelagianis negaſſe ſupernaturalis gratiæ neceſſitasem, concedentes ſolummodo neceſſariam eſſe creationis gratiam, quam initialem & sationalem appellabant, quoniam per illam tribuit nobis ratio, & liberum abitrium, quod ſi dicerent, non Semipelagiani, ſed plenè & integiè Pelagiani forens. Occaſionem autem aliquam dederunt isa de ipſis exiſtimandi; quia quando premebantur argumentis vt concederent aliquud initium merè gratis collatum, & quod nullis humanis meritis deberetur, recurrebant ad gratiam creationis, qua ratio nobis, libertáſque confertur; ſed nun propterea negabant aliam ſupernaturalem gratiam requiri ad iuſtificasionem. Hæc conſtant ex verbis Proſperi in epiſtola ad Auguſtinum paulò ante medium. *Quidam*, inquit, *illorum in tantum a Pelagianis ſemitis non declinant, vt cùm ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vniuſcuiuſque hominis pertinere, in qua cùm nihil priùs merentem, quia nec exiſtentem liberi arbitrij, & rationalis gratia creationis inſtituat.* Quod autem seferunt, Auguſtinum dicere, hos eſſe Pelagianis deteriores, non inuenio dictum, quantum ad neceſſitatem gratiæ ſupernaturalis, ſed ſolummodo quantum ad conditionalia merita, vel demerita, quæ vel ipſi Pelagiani reſpuerent; vt conſtas lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 13. ad finem, & cap. 14. ad finem, de quo infià diſp. 15. ſect. 1.

4 *Semipelagianus error 10. articulos continens.*

His ſuppoſitis, clarisatis & memosiæ cauſa errorem vniuerſum in articulos decem diſtribuo.

Primus, ſola gratia externa prædicationis iuſtificationem inchoamus.

Primus articulus eſt. Dato aoxilio ſupernaturali externæ prędicationis, ſine alio ſupernaturali auxilio interiùs mouente, liberum arbitrium per ſolas vires naturæ poteſt præbere initia gratiæ, iuſtificationis, & prædeſtinationis, quæ initja iuſtificationem præcedunt; ſed ad illam peruenire non poterunt, niſi ſequentes conatus noſtri adiuuentur gratia ſupernaturali, pes quam Deus promoueat, perficiatque bonos motus, per quos liberum arbitrium præbuit iuſtificationis initia. Vnde Proſper in epiſt. citata. poſt med. ſic loquitur: *Cùm duo ſint, quæ hominis operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam eſſe, quàm gratiam, & initium ſalutis ex eo qui ſaluatur, non ex eo credendum eſſe ſtare, qui ſaluat, & voluntas hominis diuinam ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubiiciat voluntatem.* Idem ferè Hilarius propè inisium epiſtolæ. Vnde etiam dicebans, voluntatem noſtram præcedere, & gratiam Dei non eſſe præuiam, ſed eſſe comitem, aut ſequacem liberi arbitrij. Etat etiam eorum dogma, labori humano ſubiungitur gratia.

Secundus articulus colligitur apertè ex recisatis verbis, videlicet gratiam præuenientem & excitantem non eſſe neceſſariam ad inchoandam iuſtificationem; ſed tantùm requiri ſubſequentem gratiam, quæ iuſtificationem efficiat. 5. *Secundus, gratiam præuenientem non eſſe neceſſariam.*

6. Obiiciet forte aliquis: Maſſilienſes ſaltem aliquos fuiſſe, qui boni operis initium fatentur eſſe ex Deo & gratia ipſius per Ieſum Chriſtum. Nam hoc diſertis & perſpicuis verbis Auguſtinus tradidiſſe videtur lib. 1. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 1.

Obiectio ſoluitur.

Reſpoodeo. Maſſilienſes quidem fatebantur, ad omne opus incipiendum præcedere diuinam gratiam. Sed in his verbis fidem & volontatem ſalutis, ſiue voluntatem credendi, non computabant inser opera. Itaque ad inchoanda omnia opera, præter fidem & voluntatem ſalutis, concedebant neceſſitatem gratiæ peruenientis; non verò ad inchoandam fidem, ſeu voluntasem ſalutis. Vnde Hilarios in prædicta epiſtola ad Auguſtinum ſub initium, ſic de Maſſilienſibus loquitur: *Cæterùm ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt. Nec enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita ſupplicij voluntate vnumquemque ægrotum velle ſanari. Quod enim dicitur: Crede, & ſaluus eris, vnum horum exigi aſſerunt, aliud offerri.* Idem colligitur ex Auguſt. toto libro de prædeſtinat. Sanctur. nam poſtquam primo capite retulis à prædictis authoribus concedi boni operis initiom eſſe ex Deo, & gratia eius per Ieſum Chriſtum. Nihilominus tam cap. 2. quàm omnibus ſequentibus ſemper ſupponit ab illis affirmari initium fidei & bonæ voluntatis & cogitationis eſſe ex libero arbitrio præueniente gratiam. Hoc enim eſt, quud ſemper impugnat ibi, & quoties aduersùs erroſem iſtum diſputat.

Tertios articulus, ex præcedēti neceſſariò conſequens eſt: Fides ſaltem inchoata & imperfecta, & terror ſupplicij, voluntas obediendi mandatis Dei voluntas ſeu deſiderium ſalutis, utatio ſiue pesitio ſalusis elici poſſunt per vises naturæ ſine auxilio grasiæ intesiùs mouente. 7. *Tertius, fides imperfecta aliique actus fieri poſſunt ſine gratia.*

Huius errotis occaſione nonnulli Theologi cum Semipelagianis ſentire alios Doctoses exiſtimant, quoniam docent, liberum arbitrium abſque ſupernaturali auxilio gratiæ poſſe habere actum improportionatum, imperfectum & natoralem fidei humanæ, qua non ſicut oportet, csedant ſupernaturalia myſteria fidei ſibi exteriùs propoſita cum aliqua naturali affectione ad eadem ſupernaturalia myſteria: & poſſe habere aliquam velleitatem, ſeu deſiderium, quo deſiderent, credere ſicut oportet: ita vt modus ille, *ſicut oportet*, ſit obiectum deſideratum; ſed deſiderium ipſum ſit, aliter quàm oportet: idémque poſſe circa aliarum virtutum actus imperfectos, videlicet ſpei, charitatis, pœnitentiæ, & ſimilium. 8. *Quidam Doctores à prædicto errore liberantur.*

Propterea ne Semipelagianus error viris oon ſolùm catholicis, ſed etiam ſapientiſſimis notam, aut leuiſſimam ſuſpicionem afferat, diligenter diſtinguere oportet duo. Alterum eſt, liberum arbitrium poſſe per ſuas vires habere prædictos affectus & actus, ſed ita nullius pſorſus valoris, vt per illos nullum prorſus præbeatur iuſtificationis initium, neque per modum meriti 9. *Duo notāda.*

de

Digitized by Google

de congruo etiam remotiſſimi, aut remotiſſimæ diſpoſitionis, aut impetrationis, nec vlla alia ratione, & huiuſmodi poteſtas longiſſimè diſtat à Semipelagianiſmo, fruſtráque contra illam affertur illud Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere, & , non quòd ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis*, 2. Corinth. 3. Nam huiuſmodi actus apud prædictos Doctores catholicos ſunt prorſus nihil in ordine ad iuſtificationem & pietatem; ſiquidem nihil prorſus prodeſſe poſſunt vt præbeant iuſtificationis initia. Sed afferre argumenta, quibus probatur prædictos actus imperfectos & prorſus inutiles circa myſteria ſupernaturalia eſſe poſſibiles, non eſt diſputationis præſentis. Vide quæ dicemus diſp. 19.

10. Alterum eſt liberum arbitrium per vires ſolius naturæ poſſe habere actus illos in 3. artic. numeratos, tanti valoris eſſe, vt virtute illorum poſſit homo cætera quæ ad iuſtificationem requiruntur, adquirere: vnde fit, vt per naturales vires gratiam præueniat, illam ad ſe adducendo, & arripiendo antequam ab illa præueniatur. Hoc igitur eſt proprium Semipelagianorum dogma.

11. *Quartus, poſita illa fide Deus tribuit diſpoſitiones proximas ad iuſtificationem.*

Quartus articulus eiuſdem erroris erat: poſita illa fide imperfecta & inchoata, vel ſalutis deſiderio, voluntate obediendi, petitione ac diligentia, quales haberi poſſunt abſque vllo ſupernaturali auxilio, Deum tribuere diſpoſitiones proximè requiſitas ad iuſtificationem, videlicet, actus ſpei, contritionis & charitatis, & habitus ſupernaturales gratiæ, & virtutum. Itaque Maſſilienſes non eò deuenerant amentiæ, vt viribus naturæ concederent poteſtatem producendi vltimam diſpoſitionem ad gratiam iuſtificationis, & remiſſionem peccatorum, vt oſtendimus in principio huius ſectionis. Solummodo namque concedebant poteſtatem producendi illa initia, quibus poſitis ſubiungeretur à Deo ſupernaturale adiutorium ad proximas diſpoſitiones iuſtitiæ neceſſarium.

12. *Quintus actus prædictos diſponere ad iuſtificationem.*

Articulus quintus præcedenti conſentaneus eſt, videlicet prædictos actus per ſolas vires naturæ elicitos habere vim diſponendi ad iuſtificationem; & quamuis remotè, cæterùm verè diſponere. Sed ne huius occaſione damnentur ferè omnes antiquiores atque grauiores Scholaſtici, eorum piam interpretationem atque excuſationem dabimus infrà diſp. 21.

13. *Sextus eſſe impetratorios, & meritorios.*

Sextus articulus erat vim merendi atque impetrandi talem ineſſe in prædictis actibus per ſolas vires naturæ elicitis, vt propter illos vnus aſſumatur ad regnum cœlum; alter verò relinquatur, quoniam illos elicere non curauit. Hic etiam articulus maiori explicatione indiget tractanda in ſequenti ſectione.

14. *Septimus elicientes illos infallibilis eſt conſequutio gratiæ.*

Articulus ſeptimus infallibilis eſt conſequutio gratiæ ſupernaturalis, ſi quis per ſolas vires naturæ eliciat prædictos actus inchoatæ & imperfectæ fidei, obedientiæ, & deſiderij ſalutis; & quamuis hanc infallibilem conſequutionem non tradiderint perſpicuis verbis: cæterùm ex eorum doctrina colligitur apertè, vt conſtabit legenti Caſſianum lib. 12. de inſtitutis renunciationum c. 14. & Hilar. in epiſt. ad Auguſt. col. 2. & confirmatur primò, quoniam eorum fundamentum erat illa infallibilis promiſſio Chriſti Domini: *Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur*, quam promiſſionem & legem pertinere putabant ad humanos & naturales conatus petendi, quærendi & pulſandi.

Confirmatur ſecundò propter rationem dicendam ad probandum artic. 8.

Aduertendum eſt hanc infallibilitatem non ſolùm intelligi ad accipiendam gratiam excitantem, ſed etiam ad accipiendam gratiam iuſtificationis. Volebant enim Maſſilienſes propter opera humana elicita per vires naturæ conferri tale auxilium ſupernaturale, vt iuſtificatio infallibiliter conſequeretur. Quod facilè animaduerteret in epiſtola Proſperi ad Auguſtinum, qui notauerit illa verba, quæ refert ex Maſſilienſ. *Ad gratiam qua in Chriſto renaſcimur, peruenire per naturalem facultatem.* Et iterum: *Bona natura bene vſus ad ſaluantem gratiam initialis gratiæ ope valeat peruenire.* Similia refert Hilarius in epiſtula ad Auguſtinum, quale eſt illud: *Niſi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id eſt, Spiritum ſanctum, per quem infuſa charitate poſſit bonum operari.* Loquuntur autem de fide & voluntate per vires naturæ concepta. Atque idem colligitur ex Caſſiano lib. 12. de inſtit. renunc. c. 11. 13. & 14. & collat. 13. cap. 13. 15.

Gratia iuſtificantis conſequutionem infallibilem aſſerebant.

Confirmatur primò. nam & perſeuerantiam & gloriam infallibiliter obtineri per opera facta viribus naturæ, dicebant Maſſilienſes, vt oſtendemus ſect. 4. hæc autem infallibiliter obtineri non poterant, niſi iuſtificatio priùs infallibiliter obtineretur. 16.

Confirmatur ſecundò, quoniam Arauſicani Canones præcipuè diriguntur, quia Maſſilienſium errorem, & illi damnant, aſſerentes viribus naturæ obtineri, vt à peccatis purgemur, iuſtificemur, veniamus ad gratiam Baptiſmi, diligamus Deum, & his ſimilia, vt conſtat canone 4. 8 & 25.

Articulus octauus eſt etiam infallibilis conſequutio negatiua, videlicet ab omiſſione eorumdem actuum naturalium ad negationem gratiæ ſupernaturalis, ita vt nulli prorſus detur ſupernaturale auxilium, niſi priùs illud meruerit, & obtinuerit per conatus ſolius liberi arbitrij. Quapropter eiuſmodi actus producti per vires naturæ ſunt ſimpliciter neceſſarij ad conſequendum auxilium ſupernaturale, totámque iuſtificationem. 17.

Octauus. Nulli datur auxiliũ gratia niſi prius illud meruerit.

Hic & præcedens articulus colligitur ex toto diſcurſu Maſſilienſis erroris, ſed præſertim ex primario ſcopo, ad quem dirigitur, videlicet, vt oſtendant iuſtitiam Dei ita ſeruari, ſi neminem repellat ab auxilio gratiæ, niſi propter negligentiam eliciendi opera moraliter bona per vires naturæ credendo, deſiderando, petendo, & è contrario, cuicumque facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, Deus non deneget gratiam. 18.

Confirmatur, quoniam intendunt etiam ex parte Dei nullam eſſe cauſam diſcriminis, ſed Dei bonitatem & beneuolentiam, quantum ex ſe eſt, ad omnes æqualiter deriuari, & cùm ſacræ litteræ & ipſa experientia doceat magnam eſſe inæqualitatem gratiæ, recurrunt ad humanos naturales conatus liberi arbitrij, qui huius inæqualitatis cauſa fuerint.

Conſtat ex Hilario & Proſpero in epiſtolis ad Auguſtinum, præſertim verò ex illis verbis Proſperi propè medium Epiſtolæ. *Quia iuſtitia Dei in eo ſit, vt qui non crediderint, pereant; bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter vniuerſos velit ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quam gratiæ diuinæ æqualitatem ita pertinaciter defendebant, vt quando non poterant 19.

inæqualiratis rationem reddere ex bonis actibus, ante grariam elicitis, tunc recurreterent ad bonos actus qui per vires naturæ elicerentur à patoulis, ſi peruenirent ad annos diſcretioois; vel ab adultis, ſi prædicaretut illis Eoangelium, vt dicemus ſequenti diſput. 15 ſect. 1.

20. Quòd ſi non foret inſallibilis conſecutio mutoa, quam diximus 7. & 8. atticulo, ſed potiùs aliquando Deus negater gratiam homini facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ, & elicienti prædictos actus deſiderandi ſalutem atque imperſectè credendi; aur è contrario, ſi Deus cooſerret grariam alicui homini, qui prorſus neglexiſſet facere quod in ſe erat per vires naturæ, credendo, deſiderando, peccando: ſi hæc Deus ita diſpenſaret, magna inæqualitas daretur ex parte Dei comparatione horum hominum & magna cauſa diſcriminis inter illos. Vnde Maſſilienſes relaberentur ad eam perſonarum acceptionem, quam conabaotur effugere.

21. Notandum tamen eſt adhuc Semipelagiani erroris nota dignum eſſe, qui diceret plutimos homines diuina gratia præueniri ante humanos conatus: cæterùm ab aliqnibos hominibus pet humanos conatus præueniri gratiam, ita vt propterea gratiam inueniant, & obtineant; quia per vites humanas quæſieront & petierunt. Nam hoc etiam aſſeruit Caſſianus inſtà ſectione 5. numero 3. & ſequent. pugnat cum ſundamentis fidei tradendis in diſputatione 17. & ſequentibus vſque ad 22.

22. *Nonus, perſeuerantia, & gloria initiũ humani conatus ſunt.* Nonus eiuſdem ettoris articulus. Non ſolùm ad gratiam, ſed etiam ad perſeuerantiam, & ad gloriam, initium & tationem eſſe humanos conatus pet ſolas vires naturæ intendebant Maſſilienſes, de quo ſuſiùs dicemus ſect. 4.

23. *Decimus humani conatus conditionaliter futuri ſunt cauſa gratiæ.* Decimus articulus. Non ſolùm boni conatus per vires naturæ eliciti, aut eliciendi de ſacto in aliqua differentia temporis; ſed etiam boni conatus, qoi numquam futuri ſunt, ſed tantùm conditionaliter ſorent, ſi homo viueret, vel audiret prædicationem Euaogelij, ſunt ratio & cauſa gratiæ concedendæ, vel negandæ, & prædeſtinationis, aut reprobationis. De hoc dicemus in diſput. ſequenti.

SECTIO III.

Vtrùm meritum de condigno, vel ſolummodo meritum de congruo Semipelagiani putauerint, ineſſe bonis operibus, quæ gratiam præueniunt.

1. *Operibus naturalibus meritum concedebant Semipelagiani.* EXploratum eſt Semipelagianos conceſſiſſe aliquod meritum, cui quaſi aliquo modu debitum redderetur, non merè liberaliter donaretut primum auxilium gratiæ, vt conſtat ex Caſſiano lib. 12. de inſtitut. renuncian. cap. 11. 13. & 14. & collatione 13. cap. 9. & 13. & ex epiſtola Hilatij ad Auguſtinum colum. 2. & epiſtol. Proſperi ad eundem in medio. Et ex Aoguſtino innumeris propè locis, quibus ettorem hunc redarguens, inſiſtit in ea tatione, quòd gratia non redditur quaſi debita metiris, ſed merè liberaliter donatur abſque vllis meritis: additque quidquid naturæ viribos agitur, nullius eſſe meriti, ad impetrandam iuſtificationem & diſpoſitiones illius. Plura teſtimonia Auguſtini & aliorum Patrom referemus tota diſput. 17. & ſequentibus, præſertim verò diſp. 14. & 15.

Propterea Proſpet lib. contra Collatorem, propè initium, ait: *Conuinceris dicere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, & quoſdam ad gratiam venire ſine gratia.* & Ambroſius epiſt. 84. ad Demetriadem in medio epiſtolæ, vel potiùs idem Proſper verus author illius epiſtolæ ait: *Hinc poſtremò diuina gratia ſimulata & inſincera confeſſio, quæ ſecundùm merita daretur, non ex qua merita naſcerentur. Quam partem ſuperbæ prædicationis quidam ſibi, cùm cætera abnuerent, ſeruauerunt.* (& poſt pauca) *Naturalem facultatem nihil ſui in aliena amiſiſſe peccato, cui poſſibile eſſet & liberum, per voluntariam deuotionem promereri gratiæ largitatem. Verùm iſtam damnati dogmatis portionem catholicæ mentes facilè intelligunt, & meritò deteſtantur.* 2.

Sed non omnibus exploratum eſt genus meriti, quod Semipelagiani tribuebant bonis conatibus liberi arbitrij, præuenientibus gratiam. Quidam namque Theologi exiſtimant, ſuiſſe meritum de condigno & ex iuſtitia; alij verò Theologi dubitant. Ducuntur his coniecturis. Prima, qoia non putant aliter efficaciam habere poſſe rationem, qua Auguſtinus & alij Patres vtuntur contra Semipelagianum meritum, quoniam ex eo ſequitur grariam non eſſe gratiam. Cæterùm hanc tationem efficacem eſſe non ſolùm contra meritum de condigno, ſed etiam contra meritum de congruo, oſtendemus infrà diſp. 18. ſect. 1. & 2. 3. *Quorumdam Theologorũ placitum.* *Prima eorum coniectura.*

Secunda illorum coniectura eſt, quoniam poſt Conciliom Arauſicanum, atque poſt Auguſtinum, alióſque impugnatores Semipelagiani erroris plurimi Theologi exiſtimatunt aliquam diſpoſitionem de congro, aut meritum aliquod de congruo, per bonos conatus liberi arbittij, poſſe præberi ad obtinendum primum auxilium gratiæ. Et non eſt veriſimile (inquiunt) tot Theologos ſapientiſſimos aut ignoraſſe, aut contempſiſſe definitiones Arauſicani Concilij, Auguſt. & aliorum Patrum aduersùs Semipelagianum errorem. 4. *Secunda.*

Reſpondetur prædictos Theologos partim retractaſſe priorem ſententiam, partim piè interpretandos in ſenſu valde improprio; partim excuſandos illius temporis ioaduertentia, & incuria legendi antiquiores Pattes, de quo infrà diſput. 21.

Nihilominos dico primò, certum mihi & indubitabile videri, nullum prorſus meritum de condigno, ſed ſolum meritum de congruo conatibus liberi arbitrij, ad promerendam primam gratiam, conceſſum ſuiſſe a Maſſilienſibus, & cæteris Semipelagianis. 5. *Solum meritum de congruo concedebant.*

Probatur primò ex Hilario in epiſt. ad Auguſt. propè initium; vbi refert Gallos ſolitos ſuiſſe ſic pro ſe reſpondere: *Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quicquam ipſa iam valeat.*

Secundò probatur verbis Caſſiani in collat. 13. cap. 13. prope initium: *Occaſiones quodammodo Deus quærit, quibus humanæ ſegnitiei torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentiæ ſuæ largitas videatur, dum eam ſub colore cuiuſdam deſiderij ac laboris impartit; vt nihilominus gratia Dei ſemper gratuita perſeueret, dum exiguis quibuſdam paruiſque conatibus tantam immortalitatis gloriam ineſtimabili tribuit largitate.* Quam ſententiam ita in toto illo capite confirmat, vt penitus omne meritum de condigno negare videatur. Similia docet Caſſianus in lib. 12. de inſtitut. renunc. cap. 11. & 13. atque in cap. 14. 6.

ſic

Digitized by Google

ſic loquitur : *Dicimus enim ſecundùm Saluatoris ſententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & à quærentibus inueniri ; ſed petitionem & pulſationem, & inquiſitionem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei, id quod petimus, dederit.*

7. Probatur tertiò ex Auguſtino de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. *Videte,* ait, *ſi aliud agitur iſto modo, niſi vt gratia ſecundùm merita noſtra detur quolibet modo, ac ſic gratia non ſit gratia.* vbi obſeruanda eſt illa dictio *quolibet modo.*

Quartò probatur, quia comprehendit etiam infimum meritum de congruo Caſſianus; ſed Concilia & Patres omnia prorſus merita non ſolùm de condigno, ſed etiam de congruo viribus naturæ impoſſibilia putant, vt oſtendemus diſputatione 18. ſect. 7. & diſput. 20. ſect. 1. concluſione vltima.

8.
In eodem merito proportionem, & Dei promiſſionem concedebant. Colligitur ex eorum fundamentis.

Dico ſecundò. In eodem merito de congruo per ſolas vires naturæ aliquam proportionem operis, quamuis longè remotam, & prætere promiſſionem Dei, admittebant Maſſilienſes, & quamuis neutrum horum perſpicuis verbis affirmauerint; cæterùm efficaciter colligitur ex eorum fundamentis. Et quidem operis remota proportio ad eius immeritum inde colligitur, quoniam hoc genus gubernationis exiſtimabant ita poſtulari à recta ratione prouidentiæ, vt oppoſitum dicerent eſſe acceptionem perſonarum, & contrarium diuinæ bonitati. Ergo ex ipſa natura operis exiſtimabant eſſe rationem, ob quam diuina prouidentia quodammodo ita deberet gubernare, videlicet admittendo hæc merita. Confirmatur, quoniam Maſſilienſes propterea diuinam prouidentiam excuſant ab inæqualitate, & acceptione perſonarum, quoniam non diuina prouidentia, ſed homines ſinguli diſcriminis rationem præbent : ergo in ipſiſmet operibus exiſtimabant eſſe proportionem ad diſcrimen gratiæ. Alioqui ſi nulla foret illorum operum proportio, non ab illis operibus, ſed à ſolo Deo fuiſſet tota ratio diſcriminis.

9. Deinde verò promiſſio colligitur manifeſtiùs, quoniam frequenter Maſſilienſes vſurpant illa verba Chriſti Domini Matth. 7. *Petite, & accipietis : quærite, & inuenietis : pulſate, & aperietur vobis.* In quibus verbis lex & permiſſio manifeſta eſt, & ex eo teſtimonio colligunt meritum & vim impetrandi in fide, deſiderio, & oratione elicitis ex viribus naturæ. Vnde Proſper in epiſt. ad Auguſt. colum. 3. refert ex ſententia Maſſilienſium homines *ad gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulſando ; vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat ; quia bono naturæ bene vſus, ad ſaluantem gratiam initialis gratia* (hoc eſt, gratiæ creationis) *ope meruit peruenire.* Et Caſſianus ſuam ſententiam de initio gratiæ ex viribus naturæ probat eodem teſtimonio Matth. 7. vt conſtat lib. 12. de inſtitutis renunc. c. 14. & collat. 13. c. 9.

10.
Qui id concedit pro Maſſilienſibus eſt.

Nihilominus quicunque in operibus bonis ſolius liberi arbitrij ſine gratia concederet quamcunque proportionem operis, etiam remotiſſimam, & nulla promiſſione roboratam : vel è contrà concederet promiſſionem, nulla prorſus operis proportione fundatam : adhuc pro Maſſilienſibus eſſet contra catholicam doctrinam, vt conſtabit ex fundamentis tradendis in diſputatione 17. & ſequentibus. Imò aliqui Doctores exiſtimant à Maſſilienſibus non concedi promiſſionem, ſed ſolummodo valorem quendam diſtantiſſimum, cuius intuitu Deus gratiæ auxilia confert.

SECTIO IV.

Vtrùm perſeuerantiam & electionem ad gloriam per humanos conatus obtineri, docuerint Maſſilienſes.

Negant ex recentioribus aliqui, atque ita limitant errorem Maſſilienſium, vt ſolum initium iuſtificationis & prædeſtinationem ad gratiam vitauerint, concedendo illius cauſam, ſeu rationē, meritum, aut impetrationem per ſolas vires naturæ. Sed intactam reliquerint perſeuerantiam, aut electionem ad gloriam. Ita Vaſquez 1. parte diſp. 89. c. 5. notab. 3. & § *ex quibus,* & duobus poſtremis paragraphis, & aliqui ſectatores illius. 1.
Sententia negans.

Duo ſunt eorum fundamenta præcipua, alterum eſt, quoniam exiſtimant, Auguſtinum contra Maſſilienſes nullibi affirmaſſe prædeſtinationem ad gloriam ante præuiſa opera, ſed ſolam prædeſtinationem ad gratiam. Cæterùm quàm apertè Auguſtinus docuerit non ſolùm prædeſtinationem ad gratiam, ſed etiam prædeſtinationem ad gloriam fuiſſe factam ante præuiſa opera, oſtendemus fusè tomo ſeq. tractantes de cauſa prædeſtinationis ex libero arbitrio, prout cooperatur gratiæ, nec poterit in præſenti breuiter pro dignitate tractari. 2.
Fundamentum primum.
Prædeſtinatio ante præuiſa merita.

Alterum fundamentum eſt, quoniam exiſtimant nihil egiſſe Maſſilienſes de electione Dei, qua homines eliguntur ob merita ſupernaturalia, elicita per cooperationē gratiæ ; ſed ſolummodo egiſſe de electione, qua eliguntur ob merita, per ſolas vires naturæ ſine gratiæ auxilio comparata. 3.

Reſpondeo Maſſilienſes de vtriſque meritis ſolius naturæ & cooperantis gratiæ fuiſſe loquutos, oſtendemus in numero 16. Et quamuis de ſolis meritis naturæ ſine gratia fuiſſent locuti, adhuc nihil probat hoc argumentum : quoniam etiam perſeuerantiam & gloriam meritis naturalibus obtineri exiſtimabant. *Soluitur.*

Sit igitur concluſio, Maſſilienſes non ſolùm circa initium gratiæ, & electionem ad gratiam, ſed etiam circa perſeuerationem in fide & in gratia, & circa electionem ad gloriam, errabant, dicentes, præuiſa bona opera elicienda per vires naturæ non ſolùm fuiſſe rationem prædeſtinandi ad gratiam, ſed etiam fuiſſe cauſam perſeuerandi in gratia, & rationem prædeſtinandi ad gloriam. 4.
Maſſilienſes circa electionem ad gloriam, & perſeuerantiam errabant.

Probatur primò ex Auguſtino libro de bono perſeuerantiæ cap. 6. prope initium, vbi Hilarium & Proſperum. De Maſſilienſibus ſic loquitur: *Sed nolunt, vt ſcribitis, iſti fratres ita hanc perſeuerantiam prædicari, vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit.* Quapropter Auguſtinus contra eoſdem toto illo libro de bono perſeuerantiæ probat perſeuerantiam eſſe Dei donum, & pro eius gratuita liberalitate conferendum, non propter vlla merita humana, videlicet per vires naturæ, & abſque auxilio gratiæ elicita. Eodem ſpectat quod in præcedenti libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 12. 13. & 14. contra Maſſilienſes, diſputat de matura morte in gratia, quam Deus abſque meritis humanis concedit, quibus vult, & ſæpè alibi ſupponens ſuo tēpore grallari 5.

hunè ettotem de petſeuetantia & gloria, illum impugnar.

6. *Iuſti perſeuerantiam per actus ex gratia elicitos impetrare poſſunt.*

Confirmatur ptimò. nam iuſtos ſimplicirer emereri perſeuerantiam, hoc eſt, per orationes ſupplices, & auxilio grariæ elicitas ſupplicirer impetrare, docet expreſſè idem Auguſtinus toro eodem libro de bono perſeuerantiæ: præſertim cap. 2. 6. 17. & alibi ſæpe. Quapropter D. Auguſtinus non refutat meritum, & impetrationem prouenientia ex auxilio gratiæ, ſed prouenientia ex ſolis viribus naturæ, per quas Semipelagiani dicebant, perſeuerantiã poſſe ſuppliciter emereti.

7. Confirmatur ſecundò, quoniam in dicto capite 17. de bono perſeuerantiæ prope medium de Semipelagianis ſic loquitur: *Sed hæc inquiunt, vt à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis: quam fidem & incipere & habere, & in ea vſque in finem permanere, tanquam id non à Domino accipiamus, noſtrum eſſe contendunt.* (& infrà) *Nolunt hominibus prædicari dona Dei eſſe, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide.* Vbi obſerua ex toto libri contextu manifeſtiſſima luce diſſici quodcunque dubium, quod ſuboriri poterat, vtrùm Auguſtinus loquatur de perſeuerantia in fide ſolummodo informi. Conſtat enim loqui de perſeuerantia in fide tam formata per charitatem, quàm informi.

8. *Meritum de congruo ex impetratione colligitur.*

Confirmatur tertiò, quia meritum de congruo per optimam conſequentiam colligitur ex impetratione. Alioqui nulla eſſet vis illius argumenti, quo Auguſt. epiſt. 105. vtitur contra Pelagium, dicens: *Neque ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo eſt merito, ſi fides hanc impetrat. Nec enim nullum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat: Propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus merito fidelis humiliatus.* Vnde conſtat Auguſtinum concedentem per operationes, Deo ſupernaturaliter mouente, impetrari perſeuerantiam, eo ipſo concedere meritum de congruo eiuſdem perſeuerantiæ: & è contrario excludere quodcunque meritum & impetrationem eiuſdem perſeuerantiæ proueniens ex viribus naturæ. Quapropter Sanctus Thomas 1.2. quæſtione 114. art. 9. ita exponendus erit, vt meritum de congruo ad perſeuerantiam non negauerit.

S. Thomas exponitur.

9. Probatur ſecundò verbis Hilarij in epiſt. ad Auguſtinum col. 2. poſt medium: *Quod autem dicit ſanctitas tua, neminem perſeuerare, niſi perſeuerandi virtute percepta; hactenus accipiunt Maſſilienſes, vt quibus datur, inerti licèt, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur.* Pondera proprium arbitrium, præcedens gratiam non eſſe præuentum gratia; ſed ſolis viribus naturæ ſuffultum, obtinere virtutem perſeuerandi. Et poſt pauca ſubdit Hilarius: *Nolunt iſtam perſeuerantiam ita prædicari, vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit.* Quæ eadem verba retulerat Auguſtinus in prima probatione citatus.

10. Tertiò probatur concluſio peculiariter, qua parte agit de electione ad gloriam, quoniam Maſſilienſes exiſtimabant, ex viribus naturæ ſine auxilio gratiæ, liberum arbitrium præbere rationem diſcriminis, ob quam vim potius, quàm alteri conſertur perſeuerantia, vt conſtat ex probatione 1. & 2. & fatebantur eum, qui per ſuos conatus perſeueraret, peruenire ad gloriam. Ergo dicebant gloriam non cauſari à prædeſtinatione ante præuiſos humanos conatus; ſed illis præuiſis hominem ad perſeuerantiam & gloriam eligi.

Confirmatur. nam Hilarius in eadem epiſtola colum. 3. poſtquam retulit Maſſilienſibus diſplicuiſſe Auguſtini ſententiam de perſeuerantiæ auxilio, quod datur in lapſa natura, & de electione ad gloriam, ſubdit hæc verba: *Cæterùm quodlibet donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe amittere & retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falſum eſſet, ſi verum putarent, eam quoſdam perſeuerantiam percepiſſe, vt niſi perſeuerantes eſſe non poſſint. Inde eſt quod & illud pariter non accipiunt, vt eligendorum, reyciendorùmque eſſe definitum numerum velint.* 11.

Quartò probatur: nam electionem ad gloriam, propter præuiſos naturales conatus liberi arbitrij refert Proſper epiſt. ad Auguſt. propè initium, dicens: *Qui autem credituri ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit.* Hæc non ita poſſunt explicari, vt vita æterna, & regnum cœlorum intelligatur ſola gratia, & non gloria, quoniam vt gratia conſetatur, nihil intereſt præuidiſſe perſeuerantiam in fide, & bonum finem, quo de hac vita exceſſuri ſumus. 12.

Confirmatur primò. nam poſt medium eiuſdem epiſtolæ Proſper refert, Maſſilienſes *refugere fateri, Deum ſecundum propoſitum, & conſilium voluntatis ſuæ aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam.* & ſubdit. *Nec acquieſcunt electorum numerum, nec augeri poſſe, nec minui.* (& poſt pauca.) *Ita demum poſſe vnumquemque ad correctionem & profectum vocari, ſi ſe ſciat ſua diligentia bonum eſſe poſſe, & libertatem ſuam ob hoc Dei auxilio iuuandam, ſi quod Deus mandat, elegerit.* Itaque humana electio ex arbitrio ſine gratia & propria diligentia ſunt cauſa, propter quam voluntas humana iuuetur per gratiam, ſiue vt vitam corrigat, ſiue vt in gratia proficiat, ſiue vt factus quis vas in honorem augeat electorum numerum. Hoc, inquam, Maſſilienſes exiſtimabant. 13.

Confirmatur ſecundò. nam his conſonaut quæ Proſper ſcribit ad excerpta Genuenſium dub. 6. & alibi ſæpè, & Hilarius in epiſt. ad Auguſt. refert eoſdem ita dixiſſe: *Quem Deus crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegit, cui Spiritum ſanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam conſequeretur.* Loquitur autem de fide elicita per vires liberi arbitrij ante gratiam.

Quintò probatur, quia niſi pondus belli, & robur argumentorum inter Auguſtinianos & Semipelagianos incumberet, præcipuè ad reuincendam electionem ad gloriam, ex humanis meritis factam, nihil foret quo Maſſilienſes compellerentur, in paruulis quærere conditionalia merita, vt prædeſtinarentur, vel reprobarentur: & in adultis ſimiliter alia merita conditionalia, propter quæ negata ſibi Euangelica prædicatione quidam homines derelicti fuerint in æternum damnandi, de quo dicemus diſp. 15. 14.

Sextò probatur, quia ſi quis inter Maſſilienſes reperitur, de quo dici potuerit, non egiſſe de perſeuerantia, & de electione ad gloriam, ſed ſolummodo de electione ad gratiam: hic eſt Caſſianus; & tamen ille agit, de electione ad gloriam in collatione 13. c. 13. & de perſeuerantia, & conſtantia reſiſtendi agit in ſequenti cap. 14. & in vtroque primam rationem diſcriminis petit ex libero arbitrio. 15.

De electione ad gloriam loquitur Caſſianus.

Obiicies

16. *Obiectio.* Obiicies: Semipelagiani concedebant poſt initium gratiæ poſitum ex viribus naturæ, vlteriùs requiri ſupernaturale auxilium gratiæ ad quælibet opera pietatis, præſertim verò ad perſeuerantiam, vt vidimus ſect.2.n.2.& 3. Ergo libero arbitrio,& eius naturalibus viribus minimè tribuebant perſeuerantiam in gratia, & electionem ad gloriam, quæ ſopernaturalia merita conſequitur.

17. *Soluitur.* Reſpondetur diſtinguendo conſequens. Non enim tribuebant quoad executionem bonorum operum & perſeuerantiæ, quibus meremur beatitudinem; ſed tribuebant quoad initium & rationem diſcriminis. Ita vt ratio propter quam hic homo iuſtus prius quàm alter accipit auxilium ſupernaturale quo reſiſtit tentationibus, & in bonis operibus perſeuerat, tota ſumatur ex eo, quòd hic iuſtus per vires ſolius naturæ velit reſiſtere tentationibus,& perſeuerare in bonis operibus, & petit, atque quærit auxilium; qua voluntate, oratione, & diligentia meretur, & impetrat ſupernaturale auxilium, vt conſtat ex verbis Auguſtini, Hilarij, & Proſperi ſuprà recitatis, præſertim verò ex verbis Hilarij ſuprà n.9.

SECTIO V.

Caſſianum ambiguum & inconſtantem non ſolùm à Catholico dogmate, ſed etiam à ſeipſo, aliiſque Maſſilienſibus diſſentire.

1. *Caſſiani inconſtantia quinque capitibus notatur.* QVinque ſunt præcipua capita, in quibus hæc contradictio & inconſtantia notari poteſt. Primum eſt, quoniam collatione 3.c.16. rectè & catholicè Caſſianus dixerat, donari & augeri fidem à Deo, & collat.13.cap.3. fine docuerat; *non ſolum actuum, ſed etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui nobis initia ſancta voluntatis inſpirat, & noſtrum eſſe vt ſequamur gratiam Dei, nos quotidie attrahentem.* atque ex ſuperiori contextu colligi hoc affirmare quaſi neceſſarium, ita vt niſi attrahente prius Deo & inſpirante initia, voluntas noſtra non poſſit cogitationem bonam, aut fidem, aut deſideriũ inchoare. Itaque non ſolùm de operibus quæ fidem ſequuntur, ſed etiam de fide loqui videtur Caſſianus; nã fides ſub cogitatione, & ſub initio ſanctæ voluntatis ſine dubio comprehenditur. Quapropter citata verba Caſſiani poſtquã retulit Proſp. in lib. contra Collatorem c.39. dum in compendium redigit definitiones Caſſiani, definitione prima ſubiungit Proſper ex propria ſententia. *Quod & nos amplectimur, catholicáque eſſe confitemur.*

2. Cæterùm ab eadem ſententia diſſidet Caſſianus pleriſque aliis definitionibus, quæ continuò referuntur à Proſpero, ac præſertim lib.12.de inſtitutis renunc. cap. 14. & eadem collat. 13. c.8. 9.12.& 15. apertè ait, liberum arbitrium propriis viribus ſine gratia præbere poſſe ſalutis initium, credendo, timendo, deſiderando, petendo, pulſando peruigilias,& ieiunia. *Liberum arbitrium ſalutis initiũ præbere teſtatur Caſſianus.* Quam contradictionem fuſiùs carpit Proſper in lib. contra Collatorem prope initium, & in exemplis quæ ſubiicit Caſſianus de Zacchæo, Cornelio, & ſimilibus, oſtendit ſe non agere de fide improportionata, ſed de ea fide, quæ ad iuſtificationem requiritur, quod agnouit eius defenſor in annotationibus propoſitione 4. fine.

3. Secundum caput eſt. nam lib. 12. de inſtitut. renunc. cap.14. cum communi Maſſilienſium ſententia videtur initium ſalutis ſemper eſſe à libero arbitrio ſine auxilio gratiæ præueniente; aſſerit enim miſericordiam Dei & gratiam conferri ſolis laborantibus, volentibus, & currentibus. Loquitur autem apertè de humano labore ſine gratia, quem laborem ait, expectari à Deo, vt occaſionem, qua data præſtò eſt.

4. Contrarium autem docet alibi. nam plerunque initium ſalutis eſſe à diuina gratia, præueniente omnem conatum liberi arbitrij, dicit expreſsè collat. 13. c. 8.9. 12. & copioſiùs probat exemplis in c.15. & 17. & quamuis quandoque videatur loqui de gratia, & auxilio extrinſecæ exhortationis, quandoque verò de ſola ea præuentione, qua paratum eſt nobis auxilium, vt cùm voluerimus, poſſimus eo vti: veruntamen loquitur de auxilio interiùs excitante, antequam liberum arbitrium velit, imò etiamſi renitatur. Neque poteſt explicari de ſolis operibus, quæ ſequuntur poſt fidem, cùm cap 15. exemplum adducat Pauli, quem Deus inuitum attraxit etiam ad fidem, & alium Chriſtus Dominus inuitauit ad fidem, dicens: *Si credideris, videbis gloriam Dei,* Ioan 11. & cap. 17. citato id manifeſtiùs doceat Caſſianus. *Eiuſdem ſententia Fauſtus Rhegienſis.* Eiuſdem ſententiæ videtur fuiſſe Fauſtus Rhegienſis, lib.1. de gratia & lib. arbitrio c. 17. tomo 4. Bibliothecæ, dicens: *Si hæc trahentis Dei miſericordia non niſi dignis datur; iam gratia Dei humanæ vtcunque ſeruituti impenditur.*

5. Caput tertium ex præcedenti colligitur; nam Maſſilienſes exiſtimabant ex parte Dei nullam eſſe inæqualitatem reſpectu ſalutis huius hominis, potius quàm illius; ſed omnem inæqualitatem prouenire ex parte noſtra, vt diximus ſect. 2.n.15. vſque ad numerum 19. Caſſianus præterea non ſemel aſſerit gratiæ gradus diuidi pro vario hominum captu, labore, induſtria & conatu (& loquitur de conatu præcedente gratiam) itaque ex naturalibus viribus videtur petere diſcrimen gratiæ, in diuerſis hominibus. Ita ſignificat lib.6.de inſtit.renunc.c.18. & coll.3.cap.11.& 12.& coll.13.c.15. fine. *Ex natura diſcrimẽ gratia petit Caſſianus.*

6. *Sibi contrarius.* Idem tamen ſibi ſuiſque contrarius in eodem cap.15. & in ſequentibus capitibus 16. & 17.& in præcedentibus 8. 9. & 12. eiuſdem collationis 13. manifeſtam concedit inæqualitatem ex parte Dei, eo quòd aliquos homines nihil de ſua ſalute cogitantes, præeligat, alios inuitos & reluctantes trahat, alios vocet prius, quàm inuocetur ab illis: aliorum autem orationes atque conatus expectet. Et dicto cap.16. collationis 13. in principio ait: *Abſoluta pronunciamus ſententia, etiam exuberare gratiam Dei, & tranſgredi interdum humanæ infidelitatis anguſtias.* Quod probat exemplo Reguli,& Paralytici, quibus Chriſtus maiorem, quàm ſperabant, atque petebant, gratiam contulit.

7. Quartum caput, quoniam ex Maſſilienſibus, quibus meliùs ſentiebant, fatebantur excepta fide & deſiderio ſalutis ad reliqua opera inchoanda neceſſariam eſſe gratiam præuenientem & excitantem, vt vidimus ſect.2.n.2. & 3.

8. Sed Caſſianus non ſolùm fidem, ſed etiam vigilias, ieiunia, ſolitudinem, lectionem, orationem, & ſimilia opera exiſtimat fieri poſſe ſine ſupernaturali auxilio: vt colligitur ex lib. 12. de inſtit.renunc.c.13. & 14. imò etiam videtur aſſerere tentationes etiam difficiles quandoque vinci naturæ viribus ſine auxilio gratiæ, quas vires vt Deus exploratas faciat, hominem pauliſper gratia

Digitized by Google

gratia deſtituit. Ita aſſerit coll. 13. c. 14. initio, vbi inter Iobum & diabolum dicit conceſſum fuiſſe à Deo ſingulare certamen, nihil aliud efficiente diuina gratia, niſi ne inimicus amentem faceret illius animam, neve certamen grauius offerret, quàm Iobus ſua virtute ſuſtinere potuiſſet ſine gratia. Quæ propoſitio non niſi ægrè atque coactè admittit expoſitiones, quibus eam excuſare conatur Petrus Ciaconius in annotat. ad Caſſianum, propoſ. 11.

9. Quintum caput eſt, quoniam Caſſianus collat. 13. cap. 12. dicit excæcationem & obdurationem abiici poſſe, & retineri humana voluntate ſine auxilio gratiæ. Sed tamen alibi aſſeruit voluntatem, quæ obdurata eſt, non poſſe ſuis viribus ſine auxilio gratiæ præbere ſuæ ſalutis initium.

10. Hoc in libro Proſperi contra Collatorem ſcribitur diuerſo charactere, quo ſolent ſcribi verba Caſſiani. Sed apud Caſſianū non reperitur, quamuis verba, quæ hanc ſententiam præcedunt, reperiantur in collat. 13. cap. 9. initio. Quare veriſimile eſt reſecata fuiſſe illa verba ab iis, qui olim

Caſſiani collationes expurgata. Caſſiani collationes expurgauerunt. Expurgatæ nanque ſunt ab Eucherio, Victore, & Caſſiodoro. Sed non potuerunt omni ex parte ab errore mundari, vt ex Adone ſcribit Baronius tom. 5. ſub anno 435. pag. 640. §. *ſiquidem Proſperi*, & ſeq. Sed ne quis exiſtimet contradictionem in Caſſianis libris natam eſſe ab emendatione: animaduertat, notatam fuiſſe à Proſpero in principio libri contra Collatorem adhuc vita ſuperſtitem, vt conſtat ex Baronio citato §. *id quidem.*

11. Petrus Ciaconius in orationibus ſeruata catholica veritate, aliqua Caſſiani dicta meritò excuſat vt probabilia cenſeant, quæ coaceruatim reſpuuntur ab aliis Doctoribus. Sed in duobus fallitur. Alterum eſt, quoniam voluminis errores expendit, non ex antiqua editione authoris, ſed ea, quam præ manibus habemus caſtigatam. Alterum, quoniam etiam nunc propoſitiones continent in libris Caſſiani, quæ excuſari non poſſunt, præſertim quas cap. 1. & 2. notauimus, quòd ſi illæ excuſentur, accuſatur Eccleſiæ contra Caſſianum cenſura, quam retulimus ſuprà ſect. 1. n. 4.

DISPVTATIO XV.

Vtrùm opera conditionaliter, non abſolutè futura, præbuerint rationem conferendi, vel negandi auxilia gratiæ, vel prædeſtinationem ad gloriam.

SECTIO I.

De paruulis.

1. *Mirabilis inter paruulos diuerſitas.* MIRABILIS eſt inter paruulos diuerſitas, non ſolùm quia multi gratiam & gloriam conſequuntur, decedentes poſt Baptiſmum; alij verò ſine Baptiſmo decedentes, in æternum reprobantur; ſed etiam, quia quibuſdam ſingulari Dei prouidentia, ſiue per miraculum, ſiue per cauſas naturales, aut liberas mirabiliter diſpoſitas, differtur vitæ periodus donec Baptiſmum accipiant; aliorum parentibus ſpeciali quadam inſpiratione, aut etiam per euentus, qui videbantur aduerſi, impellitur animus, vt velint, & procurent filiorum Baptiſmum; in alios errabundi, aut tempeſtate iactari Sacerdotes incurrunt, cùm tamen multò plures infantes præmaturè, prius quàm poſſint baptizari, rapiantur. Atque, vt Gregorius ponderat lib. 27. moralium cap. 2. *Sæpe fidelium filius ſine fide rapitur, ſæpe infidelium filius conceſſo fidei Sacramento renouatur.*

Tanta diuinæ gratiæ diſparitate ante omnia paruulorum merita, cùm premerentur Semipelagiani ſubterfugere tentabant, dicentes: Deus præſciuit, illos paruulos honeſtè, & ſtudioſè fuiſſe victuros, ſi ætatem adultam & diſcretionis annos attigiſſent; ideo illis Deus ſalutis remedium contulit. Quod tamen cæteris negauit, quoniam Deus prænouit, illos turpiter, & flagitioſè victuros, ſi ad ætatem doli capacem eos peruenire contigiſſet. 2. *Semipelagianorum error de meritis conditionatis paruulorum.*

Erroris huius fundamentum aliud non erat, 3. niſi quoniam ex parte diuinæ prouidentiæ quameunque auxiliorum inæqualitatem concedere *Fundamentum.* formidabant, quaſi diuinæ iuſtitiæ, & bonitati contrariam, niſi quam hominum inæqualia merita poſtularent, vt vidimus diſp. 14. ſect. 1. n. 16. & ſequentibus. Cùmque nulla prorſus inuenirent paruulorum merita, quæ abſolutè, atque de facto futura ſint in aliqua differentia temporis, opus fuit recurrere ad inæqualitatem meritorum conditionaliter futurorum. Hæc referunt, & reprobant Proſper, & Hilarius in epiſtolis ad Auguſtinum, & Proſper item lib. 1. de vocatione gentium cap. 7. aliàs 22. Auguſtinus lib. 1 de prædeſtinatione Sanctorum; præſertim cap. 12. 13. & 14. & de bono perſeuerantiæ cap. 9. & 10. & epiſtola 105. & 106. & de correptione & gratia cap. 8. 9. & 10. Gregorius lib. 27. moralium 22.

Non deſunt, qui Pelagium eiuſdem erroris authorem faciant; ſed nullo teſtimonio vel probabili coniectura confirmant. Quin potiùs, nec Pelagium ita ſenſiſſe, nec ad eius doctrinam conſequens eſſe, monet Auguſtinus libro primo de prædeſtinatione Sanctorum cap. 13. ad finem, illis verbis: *Nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multò magis nec iſti dicere debuerunt. Dici enim non poteſt, quàm moleſtè feram quod viderunt Pelagiani eſſe falſiſſimum, & abſurdiſſimum, hoc non vidiſſe iſtos.* Similia dicit ſequenti capite 14. ad finem, & de anima, & eius origine cap. 12. 4. *Quidā eiuſdem erroris authorem putant Pelagium.* *Eum ab hoc errore liberat Auguſtinus.*

Duæ ſunt partes huius erroris, altera ſupponitur, altera verò aſſeritur. Supponitur nanque opera, per vires naturæ elicita ſine auxilio gratiæ ex ſe eſſe ſufficientem rationem merendi & impetrandi auxilia gratiæ. Aduersùs hanc partem opus eſt dicere in præſenti, quoniam coincidit cum errore, quem retulimus diſputatione 14. ſectione 2. & impugnaturi ſumus ex profeſſo diſputatione 17. & ſequentibus. Reſtat ergo vt propria præſentis diſputationis pars altera, nimirum opera quæcunque ex ſuo genere fuerint meritoria, vel demeritoria gratiæ & gloriæ exercere ſuam vim, & obtinere gratiam, & gloriam, etiamſi nunquam abſolutè futura ſint; ſed ſolummodo conditionaliter futura præſciantur. Hanc erroris partem docuit etiam Bruno Carthuſian. fundator, ad Rom. cap. 9. ad illud: *Non ex operibus, ſed ex vocante*, &c. 5. *Huius erroris partes duæ.* *Pars alia huius loci propria.*

Argumentorū omnium ſumma, quibus hic error reuincitur, hæc eſt; peccata, quæ nunquam de 6. *Nullus pro-*

facto

Digitized by Google

ter ea, quæ non fecit præmio vel pœna dignus.

facto committuntur,& merita, quæ nunquam de facto exhibérur,non ſunt materia,ſecundùm quã homo iudicari poſſit,& præmio vel pœna dignus cenſeri. Quod quamuis circa præmia ſit ſatis apertum, cæterùm circa ſupplicia eſt manifeſtiſſimum: ſicut eius oppoſitum præ ſe fert euidentiſſimam iniquitatem, quam nunquam ſatis miratur Auguſtinus in hominum etiam hæreticorum, nedum catholicorum, mentes venire potuiſſe, vt conſtat ex dicto libro de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 14. vnde Gregorius lib. 27. moralium cap. 2. ad finem ait: *Quod ſi ita eſt, peccata quorundam, priuſquam ſint perpetrata, puniuntur. Et quis iſta rectè ſentiens dixerit, quia omnipotens Deus, qui alios à perpetratis facinoribus liberat, hæc in aliis etiam non perpetrata condemnat?*

7\. *Probatur. Ratio meriti & demeriti imputabilitatem ſupponit.*

Huius prima ratio a priori eſt, quia intrinſeca quidditas meriti,& demeriti,vel includit,vel neceſſariò ſupponit imputabilitatem; imputabilitas verò eſt propria paſſio liberæ actionis quidditatiuè reſpiciens perſonam quæ liberè agit. Vnde fit vt ſecundùm rectam rationem imputentur nobis omnes actiones, quas in aliqua differentia temporis exercemus, habentes poteſtatem illas omittendi, quia has actiones verè & realiter agimus, liberè atque imputabiliter. Cæterùm actiones, quas in nulla prorſus differentia temporis de facto eliciunt homines; ſed eas elicerent, ſi diutiùs viuerent, aut in talibus circunſtantiis conſtituerentur; illæ non poſſunt de facto imputari, quoniam circa illam nullam libertatem de facto exercuerunt homines. Ac proinde nec meritoriæ ſunt, nec demeritoriæ: ſubindéque nec præmio afficiendæ, nec ſupplicio.

8\. Confirmatur primò, quoniam ſicut has actiones homo de facto non elicit, ſed eas eliceret, ſi viueret, aut conſtitueretur in talibus circunſtantiis; ita etiam per eaſdem actiones de facto non meretur,nec demeretur:ſed mereretur,aut demereretur, ſi poſitus in prædictis circunſtantiis eas eliceret.

Cauſa exiſtere debet, vt cauſet.

Confirmatur ſecundò, quoniam aliàs aliquis actualis & abſolutus effectus prouenitet ab eo quod abſolutè nunquam eſt, ſed tantùm conditionaliter eſſet. Nam redderetur hic homo dignus qui actualiter ac de facto præmio vel pœna efficiatur propter opera, quæ nunquam ſunt, ſed conditionaliter forent. Et quamuis hic effectus non ſit realis,ſed intentionalis:attamen tanti momenti eſt, vt neceſſariò requirat realem & actualem cauſam.

9\. *Secunda probatio quia repugnat diuina prouidentia.*

Idem probatur ſecundò, quia dato, & non conceſſo,diuinæ ſapientiæ atque iuſtitiæ non repugnare præmia,vel ſupplicia rependere,propter opera conditionaliter futura: at ſine dubio, id repugnat prouidentiæ, quam Deus in ſacris Literis reuelauit de facto exercendam. *Referet namque vnuſquiſque prout geſſit in corpore*, vt Paulus ait. *2. Cor. 5.* Quapropter qui bona geſſit, præmium referet, etiam ſi mala geſturus fuiſſet,ſi diutius in corpore manſiſſet. Contra verò, qui mala geſſit, pœnam referet, etiam ſi bona geſturus fuiſſet, ſi diutiùs viueret, præſertim cũ maioribus auxiliis.

10\. Probatur tertiò, quia ſi ex operibus conditionaliter futuris aliquod meritum, aut demeritum exiſtit, fallax foret illa conſecutio, qua Paulus probat, *non ex operibus,ſed ex vocante* electum fuiſſe Iacob, ſed Eſaü reprobatum: *Rom 9.* quoniam ita decretum fuit; *antequam quidquam boni egiſſent, aut mali.* Quod argumentum propterea fallax eſſet, quia potuiſſet diſcriminis ratio ſumi ex vtriuſque paruuli operibus conditionaliter futuris: ac ſubinde non ex vocante, ſed ex operibus eligi Iacob antequam quidquam boni egiſſet, aut mali. Similitérque reprobari Eſaü.

11\. *Quarta, quia multis datur gratia, qui ſi diutius viuerent, peccarent finaliter.*

Quartò probatur, quia multis confertur gratia & gloria, qui diutiùs viuentes, aut grauioribus tentationibus pulſati, aut maiori auxiliorum penuria laborantes, peccarent finaliter, & damnarẽtur. Vnde Chriſtus Dominus, Matth. 24. ait: *Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Ergo niſi breuiati fuiſſent dies illi, omnes homines peccarent finaliter, & damnarentur, etiam illi qui electi ſunt, quod ne contingat illis, electio præcauet breuiando dies illos, vt in eis ſola inueniat bona opera de facto elicita, nihil curando de malis quæ conditionaliter facerent, ſi dies illi non fuiſſent breuiati.

12\. Idem probatur quintò, quia, vt Cyprianus ait lib. de mortalitate prope finem. *Per Salomonem docet Spiritus ſanctus, eos, qui Deo placent, maturiùs hinc eximi, & citiùs liberari; ne dum in iſto mundo diutiùs immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus, inquit, ne malitia mutaret intellectum eius; placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere eum de media iniquitate*, Sapientiæ 4. Hoc autem beneficij loco non fuiſſet numerandum, ſi homo præmatura morte præuentus, nihil minus puniendus eſſet propter peccata, quæ commiſſurus eſſet, ſi viueret.

13\. *Mors à Deo oblata libenter accipienda.*

Confirmatur, nam Cyprianus ibidem multis rationibus monet oblatam à Deo mortem libenter eſſe accipiendam & amplectendam, quoniam nos à peccandi periculis tutos reddit. Quod teſtimonium Cypriani ſimul cum citatis verbis Sapientiæ 4. dignis momentis ponderat Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. & de correptione & gratia cap. 8. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7. & de anima, & de eius origine cap. 12. Idem apertè colligitur ex Fulgẽtio de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 30. Proſpero libro 1. de vocatione gentium c. 22. & ex Nyſſeno orat. de infantibus, qui præmaturè rapiuntur, atque alij Patres, & ſpirituales viri frequenter in ore habent felicitatem eorum, qui per mortem liberantur à periculis peccandi.

Martyrij compendioſa via nihil prodeſſet.

Confirmatur ſecundò, quoniam aliàs martyrij compendioſa via in cœlum nihil prodeſſet iis hominibus, qui ſi viuerent, peccarent. Inſuper receſſus in eremi ſolitudinem, aut religioſis profeſſio, cæterique omnes modi vitandi pericula, prodeſſent nihil iis, qui peccarent, ſi verſarentur inter pericula.

14\. *Sexta probatio, quia multi ſi diutius viuerent ſaluarentur.*

Probatur ſextò, quoniam è contrario multi finaliter peccant, atque in æternum puniuntur; quibus ſi longior vitæ periodus concederetur cum protectione à grauioribus tentationibus, & vberiori auxiliorum copia redirent in Dei gratiam, & perſeuerarent gloria coronandi. Ergo bona merita, quæ homines haberent, ſi diutiùs viuerent, nihil valent, ad obtinendum præmium gloriæ. Antecedens probatur Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt olim, in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.*

15\. *Cur Deus obdurare, & excæcare dicatur.*

Confirmatur, nam Deus obdurare & excæcare dicitur, quoniam abundantiora auxilia gratiæ,& opportuna flagella ſubtrahens, ſubminiſtrat occaſiones ex ſe bonas,& ad bonum deſtinatas, quibus

Digitized by Google

bus abuterentur homines obduraudi & excæcandi. Vnde conſequens eſt, eoſdem homines recepto lumine flectendos fuiſſe ad Dei obedientiam & gratiam, ſi Deus voluiſſet per abundantiorem gratiæ affluentiam auferre ab illis cor lapideum, & dare cor carneum, & facere vt in præceptis eius ambularent. Ac denique certiſſimum, & indubitabile eſt, Deum poſſe, quemcunque velit, talibus circunſtantiis internis atque externis circumuenire, vt infallibiliter capiat, & ad ſe volentem, atque liberum trahat, vt ex profeſſo probauimus quatuordecim diſputationibus præcedentibus. Cæterùm quod attigi de excæcatione, & obduratione, tractatum eſt tomo præcedenti diſput. 42. 43. & 44.

16. Probatur ſeptimò, ex Auguſtino lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 12. & 13. quoniam ſi Baptiſmus & gloria negatur prædictis infantibus propter peccata, quæ committerent, ſi peruenirent ad ætatem doli capacem: eadem ratione eiſdem infantibus Baptiſmus & gloria concedenda forent, propter pœnitentiam peccatorum, quam facturi eſſent, ſi diutiùs viuerent, darentúrque illis auxilia congrua & opportuna, quæ omnibus poſſe dari, certiſſimum eſt, vt dixi.

17. Probatur octauò; quoniam omnes infantes, quantum ad præſcientiam conditionalem Dei, ſunt omnino pares, ita vt inter illos nulla cernatur inæqualitas meritorum conditionalium; ergo ex illis nullam rationem diſcriminis accipere poterit diuina prædeſtinatio, vt vni potius quàm alteri conferret auxilium Baptiſmi. Idem intelligo de adultis, quod attinet ad conferenda, vel neganda auxilia. Antecedens probatur. nam quilibet homo poſſibilis ſub infinitis circunſtantiis poſſibilibus ſi crearetur, committeret peccata, in quibuſdam circunſtantiis leuiora, in aliis grauiora vſque ad finalem obſtinationem, atque idem ipſe homo poſſibilis, ſub aliis infinitis circunſtantiis conſtitutus adquireret merita, ſub quibuſdam circunſtantiis minora, ſub aliis verò maiora, vſque ad finalem perſeuerantiam & gloriam. Inter infinita verò nulla reperitur inæqualitas, quando neutrum includit alterum.

Octaua, quia omnes infantes quantum ad præſcientiam conditionalem pares.

18. Confirmatur, quia quamuis conditionalia merita, vel demerita limitentur ad eas tantùm circunſtantias, quæ ſecundùm communem rerum curſum pueris contingerent, ſuppoſita eorum patria, parentibus, conditione, natiuitatis tempore, ac totius corporis conſtitutione, adhuc eaſdem ipſas circunſtantias Deus liberè temperat, per innumeras alias ſiue internas, ſiue externas, in quibus eorum peccata, vel bona merita conditionaliter futura forent coram Deo paria ſaltem negatiuè, id eſt, non inæqualia; & qui optimam indolem cæteráſque opportunitates virtutis nactus fuerat, deſtitutus a Deo, & per varios caſus mutata diſpoſitione animi & corporis deuolueretur ad ſcelera grauiſſima; contrà verò alter nullo natiuitatis præſidio ad virtutem munitus, per varias bonæ fortunæ reuolutiones citra vllum miraculum ita temperaretur à Deo, vt data certa auxiliorum copia ſtudioſiſſimus eſſet virtutis.

SECTIO II.

De adultis.

Semipelagiani videntes, Euangelium quibuſdam hominibus prædicari, qui grauioribus criminibus tenentur obſtricti, & tamen ad pleroſque homines vitæ purioris, hoc eſt, non inquinatæ, niſi leuioribus, pauciuribúſque delictis, prædicationem Euangelij nunquam, aut non tam citò, aut valde tenuem, perueniſſe: vt tantæ inæqualitatis rationem redderent ex parte Dei, aſſerebant, illis hominibus conceſſum fuiſſe auxilium & gratiam prædicationis Euangelicæ, quoniam Deus præſciebat, illos creditores fuiſſe, ſi Euangelium audirent; aliis verò fuiſſe negatum, quoniam præſciebat Deus, illos contumaces futuros, atque reſtituturos, ſi Euangelium audirent. Similitérque dicebant, illis hominibus citiùs prædicatum eſſe Euangelium, quoniam in eo tempore præſciebantur credituri, alij verò non item. 1.

Semipelagianorum error circa adultos.

Idem modus delirandi circa rationem præſtandæ gratiæ propter opera conditionalia futura, multò antiquior fuit inter Arrianos. Nam, vt refert Athanaſ. orat. 1. contra Arrianos propè medium, rationem conferendi tantam gratiam tantámque dignitatem Chriſto Domino ſic aſſignabant. *Quia voluntate ſua verti, mutarique potuit, vt reliqua omnia; ideò Deus cùm præcognoſceret illum bonum fore, maturauit, vt illi hanc gloriam daret, quam poſtea ex virtute meriturus fuiſſet; vt qui de opere ſuo, quale futurum eſſet, præſcientiam haberet.* Eandem ſententiam aliis verbis repetit orat. 2. contra Arrianos colum. 4. Porrò cùm Arriani Chriſti diuinitatem negantes, perſonam illius creatam, & eiuſdem ſubſtantiæ cum cæteris hominibus exiſtimarent; facile conſtat, Chriſto Domino in particulari accommodaſſe eandem rationem eligendi ad ſingularem gratiam, & dignitatem, quam cæteris hominibus prædeſtinatis communem eſſe putabant. Vnde conſequens eſt in eorum ſententia Deum propterea maturaſſe Petro conferre tantam gratiam & dignitatem, potius quàm Iudæ, quoniam ſciebat Petrum bonum fore; ſimilitérque de reliquis prædeſtinatis. 2.

In eodem errore fuerunt Arriani.

Semipelagianorum errorem dictum numero primo referunt Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum, præſertim circa medium epiſtolæ, & Proſper in epiſtola ad Auguſtinum à medio, & impugnat Auguſtinus locis citatis in ſectione præcedenti, numero tertio. Atque eodem ſpectat quod Hieronymus docet in dialogo tertio aduersùs Pelagianos ante medium, præſertim illis verbis: *Interroga eum, cur Iudam elegerit proditorem? cur ei loculos commiſerit, quem furem eſſe non ignorabat? Audi rationem: Deus præſentia iudicat, non futura, nec condemnat ex præſcientia, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat.* Quod multis exemplis ſacræ Scripturæ confirmat Proſper libro primo de vocatione gentium cap. 21. & Fulgentius de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti à cap. 21. per multa capita, præſertim verò cap. 28. probant nulla exiſtente ratione diſcriminis, aut merito ex parte hominum, Deum merè gratis quibuſdam conferre auxilia vberiora, & ad ſalutem efficacia, quæ negat cæteris occulto, ſed iuſtiſſimo iudicio. 3.

Digitized by Google

4\. *Contra prædictum errorem ſunt experientia & hiſtoria.*

Secundò quotidiana experientia, & Chriſti Domini prædicationes, & ſacræ hiſtoriæ contra eundem errorem apertè pugnant. Videmus namque quotidie plurimis nationibus prædicari Euãgelium quæ obſtinatè reſiſtunt: veluti Mahumetanorum variæ nationes, à quibus tot retrò ſæculis ferè nihil obtinuit Euangelium toties prædicatum per inſignes viros, & variis religioſorum familiis ad hoc deſtinatos. Imò ipſi etiam Apoſtoli Actuum 18. fine, & c. 18. prope initiũ, & ſæpe aliàs experti ſunt, quod Chriſtus Dominus prædixerat, Matth. 10. & Lucæ 9. *Quicunque non receperit vos, nec audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Ergo ad concedendam prædicationem Euangelij ratio non fuit, quoniam Deus præſciebat illos eſſe credituros ſi Euangelium audirent.

5\. *Non negatur Euãgelij prædicatio, quia non eſt ei fides danda.*

Tertiò è contrario etiam conſtat prædicationem Euangelij non propterea negari, quoniam Deus præſcit, non fore credituros, cùm videamus hiſcè temporibus nationes aliquas Gentilium auidiſſimè deſiderare ac poſtulare Doctores, & operariorum inopiam eſſe in cauſa, vt tam neceſſarium ſalutis auxilium differatur.

6\. Quartò idem conſtat in Tyriis & Sidoniis, qui pœnitentiam acturi fuiſſent, ſi apud illos factæ fuiſſent virtutes, quæ apud Galilæos factæ ſunt. Matth. 11. & Ezech. 3. *Si ad eos mittereris, ipſi audirent te.*

7\. Impugnatur quintò, quoniam omnes rationes adductæ in ſect. præced. valent ad præſentem errorem refellendum. Primò, quia impoſſibile eſt imputari actiones conditionaliter futuras, vt ſecundùm illas homines præmia, vel ſupplicia referant. Secundò, quoniam vt minimum de facto Deus non reſpicit, niſi ad ea quæ geruntur in corpore. Tertiò, quoniam propter electorum vtilitatem contrahitur perſecutionis, & tentationis tempus, aut vitæ periodos, ne illis nocere poſſint opera, quæ alioqui facerent. Quartò, quia nulla eſt natio tam dura & obſtinata, cui, ſi Deus vellet, auferendo cor lapideũ, & præbendo cor carneum, facere, vt in præceptis Dei ambularet, non id ſuauiſſimè, & efficaciſſimè conſequeretur. Quintò, iidem homines, qui aliquando non eſſent credituri, poſtea ineunte tempore credituri eſſent, & pœnitentiam acturi. Sextò, omnes homines adulti quoad actiones conditionaliter futuras nullam oſtendunt inæqualitatem, ob quam præbeant rationem diſcriminis, quæ ſingula fuſiùs ſectione 1. explicatæ ſunt.

8\. *Prædictus error duplex meritum præmiúmque tribuit.*

Impugnatur ſextò, quoniam hic error eidem operi tribuit duplex meritum, dupléxque præmium. Nam ſecundùm quod fides conditionaliter futura præſciebatur, meretur prædicationem Euangelij, & illam accipit tanquam præmium. Ac rurſus, ſecundùm quod eadem fides abſolutè & actualiter exiſtit in aliqua differentia temporis, meretur ſupernaturalia auxilia gratiæ ad iuſtificationem requiſita: eſt autem abſurda talis geminatio præmij.

9\. *Ruperti ſententia errori proxima.*

Ex dictis ſequitur primò, falſam eſſe, atque Semipelagianorum errori proximam doctrinam, quam tradit Rupert. lib. 9. de gloria & honore Filij hominis, exponens illa verba Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone*, &c. ait enim: Tyrios & Sidonios non fuiſſe veram pœnitentiam acturos, ſed humanam, ad vitandum tempore ſupplicium, atque propterea Deum ſubtraxiſſe prædicationis ac miraculorum auxilia. *Qua omnino*, inquit, *daturus fuiſſet Chriſtus, ſi illi eſſent veram pœnitentiam acturi, alias non verè diceretur, velle eos ſaluare.*

Hanc dixi Semipelagiano errori proximam, 10.
non qua parte illi aſſerunt, fidem & pœnitentiam aliquam imperfectam, & inchoatam, per ſolas vires naturæ ſine auxilio gratiæ elicitam, valere ad obtinenda ſupernaturalia auxilia, & ipſam iuſtificationem. Hoc enim non aſſeruit Rupertus; ſed qua parte demerita conditionaliter futura ſunt ratio negandi prædicationem: & è contrario, merita conditionaliter futura ſunt ratio concedendi prædicationem. Quapropter omnes rationes in hac & præcedenti ſectione adductæ valent ad hanc ſententiam impugnandam.

Sed vlteriùs atque peculiariter impugnatur 11. *Eiuſdem peculiaris impugnatio.*
primò, quoniam hæc vox *pœnitentia*, in ſacris Litteris ſemper ſignificat veram pœnitentiam, niſi ex contextu & variis circunſtantiis ſignificetur oppoſitum. At verò ex Euangelico contextu & circunſtantiis Matth. 11. potiùs colligitur ſermonem eſſe de pœnitentia vera, & vtili ad ſalutem. Siquidem illud profertur à Chriſto Domino ad oſtendendam vim ſuæ prædicationis & miraculorum, & è contrario duritiem, atque obſtinationem Iudæorum, quos ad pœnitentiam non flectebant ea remedia, quæ nationes idololatriæ, aliiſque criminibus deditas non ad qualemcunque, ſed ad rigidiorem pœnitentiam in cilicio & cinere commouiſſent.

Confirmatur, quoniam ſi pro libito poſſu- *Confirmatur.*
mus, vbi ſcribitur aurum, interpretari aurichalcum, nihil erit firmum, & conſtans, neque in ſacris, neque in prophanis inſtrumentis.

Impugnatur ſecundò, quoniam Patres com- 13.
muniter, dum illa verba exponunt, quaſi de vera pœnitentia loquuntur, multíque propterea rationes quærunt, ob quas illæ virtutes non fuerunt factæ in Tyro & Sidone; alij verò recurrunt ad occulta iudicia Dei. Peculiariter autem S. Auguſt. de bono perſeuerantiæ cap 9. poſt medium, ait: *Nunquid poſſumus dicere, Tyrios, & Sidonios, talibus apud ſe virtutibus factis, credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent in eis? ipſe Dominus atteſtatur, quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta fuiſſent diuinarum illa ſigna virtutum.*

Alij Patres Auguſtinianæ doctrinæ ſectato- 14.
res apertè ſupponunt eiuſmodi pœnitentiam futuram fuiſſe talem, quæ Dei donum eſſet, & ad ſalutem conſequendam vtilis. Nam inde probant, ratione diuinæ prædeſtinationis, & conferendæ gratiæ, non eſſe ſumendam ex nobis; ſed ex libera voluntate Dei: quoniam iudicio ſuo incomprehenſibili, ſed iuſtiſſimo fecerit mirabilia apud eos; quibus profutura non erant, & non fecerit apud eos quibus fuerant profutura. Huius itaque ſententiæ eſt Proſper ad excerpta Genuenſium dubio octauo à medio, & ad capita Gallorum ſententia octaua, Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti, capite ſeptimo.

Confirmatur, nam de vera fide intelligendum eſſe illud Ezech. 3. *Si ad illos mittereris, ipſi audirent te*, ſupponit Hieronymi Commentarius ad eum locum.

15. *Superabundantia auxilia quibus vult confert Deus.* Impugnatur tertiò, quoniam auxilia, quæ ad ſalutem non ſunt neceſſaria ſimpliciter, ſed horum menſuram excedentia ſuperabundant, Deus pro ſua liberalitate confert, quibus vult; & pro ſuo ſupremo dominio, atque iuſtiſſimo iudicio negat aliis, qui meliùs, aut æquè bene illi auxiliorum abundantiæ reſponderent. At verò verba Chriſti Domini Matth. 11. non de auxilio ſimpliciter neceſſario ad ſalutem, ſed de ſuperabundanti veniunt intelligenda, vt optimè obſeruauit Abulenſis quæſtione 53. in Matth. & Maldon. in eadem verba Matth. 11.

16. *Remigij ſententia reijcitur.* Remigius apud Abulenſem nuper citatum dicebat, propterea virtutes, quæ in Galilæa factæ ſunt in Tyro & Sidone, non fuiſſe factas, quia fortè multi illorum non erant credituri, quamuis alij credituri fuiſſent. In quo primò videtur infallibile, futurum fuiſſe, vt ſecluſa ſpecialiſſima prouidentia Dei, & ſecundùm ordinem, & prouidentiam multi illorum non crederent; quia nunquam contingit in vna integra prouincia, aut magna ciuitate omnes credere, quando recèns prædicatur fides; ſed multi vſque ad mortem ſuæ ſectæ pertinaciter inhærent. Secundò, vt verificentur Chriſti Domini verba, neceſſarium eſt, vt maior pars illarum prouinciarum foret creditura, vnde prouincia denominetur crediđiſſe; ſicut Galilæa, & Iudæa denominatur incredula: quoniam maior pars non credidit, quamuis aliqui crediderint.

Tertiò inde conſtat rationem diſcriminis, ubi quam illæ virtutes non ſunt factæ apud Tyrios & Sidonios, non fuiſſe, quoniam multi illorum non erant credituri; ſiquidem illorum maior pars erat creditura, & tamen illæ virtutes fiunt in ciuitatibus Galilææ, & Iudææ, quarum maior non erat creditura.

Quartò denique, qua parte hæc expoſitio Remigij rationem diſcriminis petit ex operibus conditionaliter futuris, accedit etiam ad errorem Semipelagianorum, ſed remotè; quoniam ſub dubio loquitur, & non de omnibus, ſed de aliquibus hominibus.

17. *Alia ſententia refutatur.* Ex eiſdem principiis refutatur illa ſententia quæ aſſerebat, ideo apud Tyrios, & Sidonios non fuiſſe factas virtutes illas, quoniam licèt præuidiſſet Deus eos credituros fuiſſe: nihilominus ſimul etiam præuidit eos non fuiſſe permanſuros in fide, ſed turpiùs poſtea lapſuros. Ita ſenſiſſe diſputatorem quemdam catholicum, refert Auguſtinus de bono perſeuerantiæ c. 10. ſub init. atque idem ferè Origenes docuit lib. 3. Periarch. c. 1. col. 10. Hic modus dicendi tolerabilius quàm Maſſilienſes errabat, ſupponebat enim, neminem puniri propter opera conditionaliter futura: aſſerebat tamen Deum miſericordia commotum, ne grauiùs punirentur Tyrij & Sidonij diſpoſuiſſe, vt apud illos virtutes prædictæ non fierent.

18. *Prædicta ſententia temeraria.* Nihilominus doctrina eſt prorſus improbabilis, temeraria, atque ex obliquo pugnans contra catholicam doctrinam.

Primò, quoniam certiſſimum eſt Deum potuiſſe, ſi vellet, illis conferre diuturnam perſeuerantiam in fide, aut certè illos tempeſtinè eripere de periculis redeundi ad infidelitatem. Vnde neceſſariò concedendum eſt Deum pro ſua libertate abſque ratione diſcriminis ſumpta ex parte operum futurorum decreuiſſe non facere virtutes apud illos, quibus abſolutè & ſimpliciter fuerant profuturæ. Hæc ponderat Auguſtinus in citato cap. 10. de bono perſeuerantiæ.

Secundò, quia poſtquam Tyrij & Sidonij relaberentur ad infidelitatem, iterum ad fidem, gratiámque redirent, ſi Deus vellet illis opportuna & copioſa remedia præbere. 19.

Tertiò, quia ſine vllo fundamento aſſeritur illorum lapſus conditionaliter futurus, potius quàm aliarum rationum. Quis enim huic Doctori reuelauit ſcientiam conditionalium futurorum, aut qua id coniectura collegit, niſi ſupponit Deum omnia remedia ſalutis etiam abundantiora, & ſpecialia, debere conferre quibuſcunque hominibus, quibus profutura fuiſſe præſcit. Quod alienum eſſe à vera Theologia, partim ex ſupradictis hac tota diſputatione conſtat, ſed vlteriùs ex toto volumine conſtabit: magis autem ex prædeſtinatione ante præuiſa opera 1. p. q. 23.

Videbitur alicui fortaſſis Auguſtinum exiſtimare, gratiam aliquam dari, vel negari propter præcognitum bonum vſum, vel abuſum futurum eiuſdem gratiæ, quoniam de illo Scriba, qui Matthæi 8. dixit: *Magiſter ſequar te quocunque ieris*, ſerm. 7. de verbis Domini ſecundùm Matth. initio, ita diſſerit. *Quid eſt hoc quòd Magiſtro bono Domino Ieſu Chriſto imitante diſcipulos ad regnum cælorum, diſplicuit tam paratus. Sed quia talis Magiſter erat, qui futura præuideret, intelligimus fratres, iſtum hominem ſi ſequeretur Chriſtum, ſua quæſiturum eſſe, non quæ Ieſu Chriſti.* 20. *A prædicto errore liberatur Auguſtinus.*

Reſpondetur primò futurus abuſus gratiæ, præcognitus iuſtè impedit collationē illius gratiæ, quando virtualiter continetur in diſpoſitione præſenti, iam & actuali. Quemadmodū Matth. 7. præcipitur: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrūpant vos.* Hic autem Scriba iā fictus, inſidioſus, & doloſus erat, (vt Auguſt. notat in ſeq. contextu) & ideò indignus, & ineptus ex vi præſentis diſpoſitionis, quoniā ex vi illius, ſua quæſiturus erat, non quæ Ieſu Chriſti.

Reſpondetur ſecundò, quantum ad exteriores ſtatus, & vitæ rationes, veluti religionem, Epiſcopatum, ſacerdotium, regnum, honores, diuitias, potentiam temporalem; aliquando Patres ſolent aſſerere, hæc à Deo quibuſdam hominibus miſericorditer denegari; quia præſciebat illis non eſſe bene vſuros, vt oſtendimus tractantes de ſcientia conditionata. At Chriſti Domini ſequela erat ſtatus aliquis exterior, ideo potuit denegari propter præcognitum abuſum futurum, quoniam proditoris officio ſufficiebat Iudas, nec alium expediebat in eo collegio permitti. *Reſponſio 2.*

Exiſtimabit etiam aliquis ſupradicto Semipelagianorum errori adſtipulari Patres, qui dicunt tot annorū millibus, propterea diſtuliſſe Incarnationem, quoniā illorum temporū maiorem, atque pluriū hominū infidelitatē futurā fuiſſe præſciebat, & illis temporibus veniſſe, in quibus ſciebat fore, vt crederēt in eum. Similiter etiā eos Patres, qui dicūt, tunc vocari prædeſtinatos, quādo Deus præſcit eos credituros eſſe, ſi vocētur; ſed horum genuinū & catholicū ſenſum explicabimus infrà diſp. 27. ſect. 5. c. 4. & ſect. 6. ratione 2. confirmat. 4. 21.

Quod attinet ad conditionalem ſcientiā, quam prædictus Maſſilienſium error ſupponit, atque eo præſertim nomine aliqui huius temporis Theologi reprehendunt, non eſt huius loci diſputare ex profeſſo; ſed in tomo de ſcientia Dei oſtendimus ſcientiam hanc ſolidiſſimo fundamento ſacræ Scripturæ, ſanctorum Patrum 22.

Scholaſti.

Scholaſticorum, ac nominatim Auguſt. Hilarij, Proſperi, & S. Thomæ vltra firmas rationes theologicas eſſe ſubnixam. De illa obiter dicere aliquid non patitur rei dignitas, & neceſſitas ad plurimas Theologiæ controuerſias.

Scientia conditionata ſolidiſſimo fundamento ſubnixa.

23. Id ſolummodò obſeruandum eſt, tanquam præſentis loci proprium, nimirum longiſſimè diſtare hæc duo. Primum eſt, Chriſtus Dominus propterea Petrum prædeſtinauit, atque illi prædicauit, quoniam præſciuit, eum crediturum fuiſſe, ſi Euangelium audiret. Secundum eſt, Chriſtus Dominus pro ſua merè gratuita liberalitate voluit prædeſtinare Petrum, potius, quàm alios, quos poſſet eadem ratione prædeſtinare. Et ſuppoſita hac prędeſtinatione talem prædicationem, taliaque auxilia interiora, & exteriora Deus adhibuit Petro, ſub quibus ſciebat futurum fuiſſe, vt Petrus conuerteretur, & in gratia perſeueraret. Ex his duobus primum eſt Semipelagianus error, quoniam in illo vt Petrus prædeſtinetur potius quàm alij homines, atque vt illi potius quàm aliis auxilia conferantur, ratio ſumitur ex conditionaliter futuris operibus. At verò ſecundum longiſſimè diſtat ab illo errore, quoniam ſcientia conditionaliter futurorum non miniſtrat rationem prædeſtinandi, aut conferendi gratiam huic homini, potius quàm alteri; ſed ſolummodò miniſtrat media, quibus diuinum decretum prædeſtinationis, & gratiæ conferendæ conſequatur effectum, non minori ſuauitate, quàm infallibili certitudine: ſicut poſſet effectum conſequi quibuſlibet in hominibus poſſibilibus, quos voluiſſet prædeſtinare. Itaque in primo præſcientia conditionalis eſt prima origo diſcriminis in gratia; ſed in ſecundo præſcientia conditionalis deſeruit, ad exequendũ gratiæ diſcrimẽ, cuius prima origo fuit libera, & merè gratuita Dei voluntas.

Scientia conditionata non miniſtrat rationem prædeſtinandi.

DISPVTATIO XVI.

Cauſa per accidens, atque occaſio, ſiue opportunitas ad initium gratiæ, quomodo contingat ex viribus naturæ.

1. CIRCA dictiones cauſales, quæ ad gratiam, & iuſtificationem referuntur, frequens ſolet æquiuocatio committi, quæ non parum impedit ſanam, & exactam Scripturæ, Patrum, & Scholaſticorum intelligentiã. Apud eos namque dictio cauſalitatem ſignificans, nonnunquam refertur ad impropriam & vulgarem ſignificationem cauſæ per accidens, & occaſionis non datæ, ſed acceptæ. Propterea opus fuit hanc diſputationem præmittere ad reliquas ſequentes; vt ex ea conſtet, quid ſentiendum, & qua præcautione, atque explicatione loquendum, quando de cauſa & initio iuſtificationis agitur.

SECTIO I.

De cauſa per accidens remouente prohibens.

2. SIt cõcluſio certa, de qua nullum potuit catholicis eſſe cum Semipelagianis diſſidium. Aliquę actiones, per ſolas vires naturæ ſine ſupernaturali auxilio elicitæ, proſunt ad gratiã & iuſtificationẽ, quaſi cauſa per accidẽs, atque remotiſſimè diſtãs ab effectu iuſtificationis: idq; propterea, quoniã per tales actiones præcauẽtur & euitãtur, aliqua maiora impedimẽta eiuſdẽ iuſtificationis.

Actiones per ſolas vires naturæ quaſi cauſa per accidens gratiæ.

3. Probatur primò, quoniam quod minuit, extenuátque grauitatem culpæ, eſt cauſa per accidens conſequendi gratiam, eo quòd eſt cauſa euitandi maius aliquod impedimentum gratiæ; ſed actiones moraliter honeſtæ, quamuis per ſolas vires naturæ eliciantur, ſunt cauſa euitandi maius aliquod impedimentũ gratię; ergo huiuſmodi actiones ſunt cauſa per accidens cõſequendi gratiam; quamuis remotiſſimè diſtent, vt poſtea explicabo.

Probatur, quia quod minuit grauitatem culpæ, eſt cauſa per accidens gratiæ.

4. Maior certa eſt 1. Timoth. 1. *Miſericordiã conſecutus ſum; quia ignorans feci in incredulitate.* & Luc. 23. *Pater dimitte illis; quia neſciunt quid faciunt.* Obſerua dictionem cauſalem *quia*, & vide ignorantiam, qua ratione culpam extenuabat atrociſſimi facinoris, allegari vt rationem conſequendi miſericordiam & veniam.

5. Confirmatur primò, quoniam per vires ſolius naturæ poſſunt homines aliquãdo implere aliqua præcepta naturalia, præſertim faciliora, & nulla graui tentatione vrgente. At verò dum huiuſmodi pręcepta implẽt, eo ipſo euitãt grauiſſima quędã peccata. Nã dũ per vires naturæ exhibẽt amorem & reuerentiã erga parẽtes, vxores, & filios, eo ipſo euitant parricidia, quæ huic amori contraria ſunt, dum veracitatem, continentiã, iuſtitiámque ſectantur, euitãt periuriũ, adulterium, & furtum.

Præcepta naturalia aliqua per ſolas vires naturæ implere valent.

6. Confirmatur ſecundò, quoniã in iis ipſis peccatis, quæ committunt homines, poſſunt per ſolas vires naturæ, abſque auxilio gratiæ minuere grauitatem, propter metum pœnæ, vel naturale odium turpitudinis, & amorem naturalem pulchritudinis, honeſtatis, atque rationis rectæ.

7. Confirmatur tertiò, quoniam peccata, quãtum ex ſe eſt, impediunt diuinã gratiã, ſubindéque grauiora magis, leuiora minus impediunt. Vnde propter grauia crimina, quãdoque homines excæcãtur, & obdurantur, & tantò magis creſcere poteſt cæcitas & durities, quanto grauiora ſunt crimina (dixi, quantum ex ſe eſt, quia quãtum ad effectum gratiæ liberaliter concedendæ perſæpe diuina miſericordia huiuſmodi impedimẽta poſtponit.) Ergo qui per vires naturæ operando bonũ, euitat grauiora peccata, remouet maiora impedimenta gratiæ; ac proinde quantum ad hoc, concurrit vt cauſa per accidens, ad conſequendam gratiam.

Peccata ex ſe gratiæ impedimenta.

8. Confirmatur quartò, quia licèt per vires naturæ nullus poſſit ſeipſum reddere dignũ ſupernalibus auxiliis gratiæ: nihilominus poteſt ſeipſum magis, aut minus indignum reddere. Vnde rectè Marcus Eremita in lib. de paradiſo & lege ſpirituali ſub tit. 2. c. 23. in tom. 5. Bibliothecæ, aliàs in tom. 3. ait: *Omne opus bonum, quod per noſtram virtutem operamur, tantum equidem facit, vt à contrario malo, aut vitio abſtineamus: cæterùm extra gratiam ſanctificationis acceſſionem nobis facere non poteſt.* Notandum obiter eſt huic patri falsò imponi Semipelagianum errorem, cùm ipſe contrarium docuerit in prædictis libris de paradiſo, vt videbimus infrà diſp. 28. ſect. 3.

Ei falsò error imponitur.

9. Quintò, ad hoc directè pertinẽt verba S. Thomæ in 3. cont Gent. c. 159. dicẽtis: *Licet aliquis per motum liberi arbitrij diuinã gratiã, nec promereri, nec acquirere poſſit: poteſt tamẽ ſeipſum impedire, ne eã recipiat. Dicitur enim de quibuſdã Iob. 21. Dixerũt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. & Iob. 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini, & cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò imputatur in culpam.* Pondera S. Thomã loqui non de motu liberi

arbitrij cooperantis cum gratia; quoniam talis motus ſine dubio gratiam promereri, & acquirere poteſt. Sed de motu liberi arbitrij per ſolas vires naturæ, & per hunc aſſerit, nos liberè poſſe impedire, vel non impedire gatiam.

10. Sextò eadem eſt mens plurimorum Patrum, ſi quando aliqualem rationem gratiæ reddunt ex actionibus moraliter bonis; ſed meliores interpretationes habent diſput.27. & 28. atque melioris, maioriſque partis Scholaſticorum dicentium, per ſolas vires naturæ abſque ſupernaturali auxilio poſſe dari aliquam remotam diſpoſitionem iuſtificationis; qui modus loquendi impropriius reuocandus eſt ad prædictam veritatem, vt dicemus in diſp.21.

11. *Verba concluſionis notanda.* Notanda ſunt ſingula verba concluſionis, & eorum peculiaris ratio; in primis enim verb. *præcauendi, & euitandi* vſi ſumus, potius quàm verbo *remouendi.* quoniam vires naturales liberi arbitrij, ad præcauendum, & euitandum impedimentum, multò plus poſſunt, quàm ad remouenda impedimenta, iam contracta. Nam, vt peccata ſemel commiſſa per veniam deleantur, ac remoueantur, nihil valent vires naturæ ſine gratia. Cæterùm in genere remouendi impedimenta iam poſita, aliquid poſſunt vires liberi arbitrij abſque gratia; quatenus poſſunt citiùs deſiſtere ab actuali peccato, quod committitur; & per contrarios atque virtutis moralis debilitare, ac remittere vitioſos habitus, atque inordinatas paſſiones aliquantulum edomare; nam paſſio, quanto ferocior, & effrenatior, & vitioſus habitus, quanto intenſior, & fortior eſt, tanto magis Dei gratiam & iuſtificationem impedit, quod ex ſe eſt.

12. *Per vires naturæ peccata omnia vitari non poſſunt.* Notandum eſt ſecundò, non eſſe dictum præcaueri, & euitari per vires naturæ omnia impedimenta; ſed tantùm aliqua, quia per vires naturæ non poſſunt omnia peccata vitari. Diximus etiam vitari maiora impedimenta in hoc ſenſu, quòd vires naturæ per actiones moraliter bonas hoc præſtare poſſunt, vt minor ſit ſarcina peccatorum, minúſque impeditiua gratiæ, quantum ad numerum, & grauitatem peccatorum.

13. *Quàm impropius ſit dictus cauſandi modus.* Notandum eſt tertiò, quàm diminuta & impropria ratio cauſæ ſit hæc, ita vt ſimpliciter loquendo non ſit cauſa, idque propter ſequentes defectus. Primò enim non eſt cauſa per ſe, ſed per accidens. Secundò, cùm inter cauſas per accidens aliquæ ſint, quæ verè influunt in effectum, ſicut ſaxum de rupe cadens; verè influit, & cauſat interitum prætereuntis animalis; quamuis hoc per accidens & caſu contingat; attamen cauſa per accidens, de qua loquimur, nihil prorſus influit, nec cauſat vere comparatione gratiæ; ſolummodo namque impedimentum remouere poteſt.

Dicta cauſa nihil influit in gratiam.

14. *Tenet infimum gradum cauſa per accidens.* Tertiò, adhuc in hoc genere cauſæ tenet infimũ gradum. nam quædam cauſæ, remouentes prohibẽs, sũt ſimpliciter neceſſariæ ad effectũ, vel ſemper, vel vtplurimũ: veluti vt proprio pondere deſcendat lapis, neceſſariũ eſt remouere trabẽ. At verò hæc remotio impedimenti; de qua loquimur, non eſt neceſſaria, nec ſemper, nec vtplurimum, nec poteſt quantum ad hoc, certa regula ſtabiliri.

15. *Per vires naturæ non conſequitur infallibiliter gratia.* Inde colligitur quarta imperfectio eiuſdem cauſæ, nimirum, vt quamuis per vires naturæ euitata ſint & imminuta multa impedimenta gratię, adhuc nulla inde ſit infallibilis conſecutio, aut lex obtinendi iuſtificationẽ. Propter hæc in concluſione diximus eſſe cauſam remotiſſimè diſtantem ab effectu iuſtificationis. Loquor autem de infallibilitate, quæ per ſe proueniat ex humanis conatibus ad remouenda impedimẽta. Alia namque infallibilitas, quæ prouenit ex eo, quòd Deus decreuerit omnibus hominibus conferre auxilia ad ſalutem ſufficientia, ſiue ipſi fecerint quod in ſe eſt, ſiue omiſerint facere, maiorem locum habet in eo, qui per vires naturę remouet impedimenta modo explicando diſp.22. ſect.2.& 3. Cæterùm hæc infallibilitas non pertinet ad iuſtificationem cum effectu accipiendam, ſed ſolùm ad auxilia, quæ ad ſalutem neceſſaria & ſufficientia ſunt.

Denique pro hac & ſequentibus ſectionibus ſuppono quaſi certiſſimum, abundantiora auxilia gratiæ plerũque dari hominibus illis, qui propter grauiora peccata, & obliuionem ſuæ ſalutis, & propter alia impedimenta interna & externa longiùs diſtant ab opportunitatibus gratiæ excitantis; cùm tamen illi qui faciunt quod in ſe eſt per vires naturæ, & plures opportunitates habent ingenij, literarum, indolis, magiſtrorũ, & alias ſimiles; nihilominus maiori penuria excitantis gratię laborent, & in peccato hæreant, quod magis confirmabimus ſect.3. circa concl.1. Denique totum præſentis ſectionis diſcurſum confirmabunt ea, quæ dicemus tota diſp.22.ſect.3. 16.

SECTIO II.

Qualis opportunitas, ſiue occaſio gratiæ contingere poßit per vires naturæ.

Vnica concluſio ſit. Occaſio, ſiue opportunitas dupliciter accipi poteſt, primò vt ſit occaſio actiua, & ab hominibus data. Huiuſmodi occaſio non poteſt per vires naturæ dari ad obtinendam gratiam. Secundò, vt ſit occaſio paſſiua, & à Deo quæſita, ſiue accepta, non verò actiua, & à nobis data. Tales occaſiones, ſeu opportunitates perſæpè cõtingunt in actionibus elicitis per ſolas vires naturæ; & illæ per ſe & ratione ſui nullam phyſicam, nec moralem cauſalitatem exercent, ad obtinendam miſericordiam Dei; ſed Deus pro ſua intrinſeca bonitate & ſapientia ex illis occaſionem accipit. 1. *Occaſio actiua vna, paſſiua alia.* *Per vires naturæ non datur actiua occaſio gratiæ, paſſiuam verò Deus accipit.*

Explicatur hæc diſtinctio per proportionem, quam habet cum contraria occaſione mali, quam peſſimi homines accipere poſſunt ex quacunque actione ſanctiſſima. Eam S. Thom. 2.2.q.43.a.1.ad 4. explicat his verbis. *Factum alterius poteſt eſſe dupliciter alteri cauſa peccãdi: vno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem, quãdo aliquis ſuo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiamſi ipſe hoc non intendat, ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductiuum ad peccandum, puta cùm aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati. Et tunc ille, qui huiuſmodi actum facit, propriè dat occaſionem ruinæ: vnde vocatur ſcandalum actiuum.* 2. *Scandalum actiuũ quale.*

Ad eundem modum contingeret gratiæ occaſio & opportunitas per vires naturæ data & actiua; ſi, quemadmodum Maſſilienſes volebant ſuprà diſp. 14. actiones elicitæ per ſolas vires naturæ, non per accidens. ſed per ſe forent inductiuæ ad conferendam gratiam, ſiue in ratione meriti tenuiſſimi, ſiue in ratione impetrationis, aut diſpoſitionis, aut quocunque alio modo. Quo ſenſu Caſſianus in collat.13. Abbatis Cheremonis c.13. ait: *Occaſiones quodammodo quærens, quibus humanæ ſegnitiei torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificẽtia* 3.

ſua

ſua largitas videatur. Itaque ſupponit, huiuſmodi occaſionem requiri, ne irrationabilis videatur collatio gratiæ. Et aliàs ſæpe docuerat habere aliquam, licèt exiguam vim merendi, & impetrandi; cæterùm perquam infallibiliter obtineat gratiam, vt vidimus diſp. 14. ſect. 2. & 5.

4. Contra verò de paſſiuo non dato, ſed accepto ſcandalo S. Thomas loco nuper citato ſubiungit. *Per accidens autem verbum, vel factum vnius eſt alteri cauſa peccandi, quando etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis malè diſpoſitus ex huiuſmodi opere inducitur ad peccandum; puta cùm aliquis inuidet bonis aliorum, & tunc ille qui facit huiuſmodi actum rectum, non dat occaſionem, quantum in ſe eſt, ſed alius ſumit occaſionem ſecundùm illud ad Rom. 7. Occaſione accepta peccatum per mandatum ſeduxit me.* Similia bis ſcribit prima ſecundæ quæſtione 98. art. 1. ad 2. & de malo quæſt. 3. art. 1. ad 13. Adde paſſiuum ſcandalum notari Matth. 24. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte.* & Eccleſiaſtici 32. *Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui inſidiosè agit, ſcandalizabitur ab ea.*

Paſſiuum ſcandalum quid ſit.

5. Ad eundem modum per ſolas vires naturæ fieri poſſunt operationes, ex quibus per accidens præter conditionem operis, & præter intentionem operantis (quia tam operis, quàm operantis intentio nullius prorſus valoris ſunt ad *obtinendam* gratiam) Deus pro ſuà bonitate, & infinita propenſione ad effuſionem gratiæ, ſumit occaſionem non datam ab homine, quantum ex ſe eſt, ſed à Deo acceptam & quæſitam. Et huiuſmodi occaſiones, ſiue opportunitates gratiæ contingere in actionibus, elicitis per vires naturæ, probabimus ex ſacris Litteris, & Theologicis rationibus in hac & ſequenti ſectione tertia. Iſtius diſtinctionis aliquis tenuiſſimus radius affulſiſſe videtur Ariſtoteli, quando lib. 1. Priorum capite 37. propius ad finem, quàm ad medium, dixit: *Deo occaſio eſt, tempus autem opportunum non eſt, quia nihil eſt Deo conferens.* Vbi occaſionem accipit pro occaſione à Deo accepta, non verò data ab hominibus; opportunum verò tempus intelligit occaſionem Deo datam à ſuis creaturis, quam propterea negat, *quia nihil eſt Deo conferens.* Nihil vtilitatem ei affert, ſiue quantum ad ſuam ſubſtantiam, ſiue quantum ad operationes ad extra, neque facilitatem vllam. Poteſt enim ſolò nutu independenter, à qualibet opportunitate facere quidquid voluerit. Quamuis autem apud authores Latinos, vtplurimum quaſi ſynonyma ponantur *occaſio*, & *opportunitas.* Aliquando tamen *opportunitas* ſignificat vtilitatem, atque facilitatem; ſicut Cicero de amicitia dixit: *Summas amicitia opportunitates habet.* & Plinius epiſt. 24. *Vicinitas vrbis, & opportunitas viæ.* Quapropter non ſine fundamento Philoſophus, concedens occaſionem, opportunitatem negauit.

Deus ad effuſionē gratiæ occaſionem ſumit.

Aliquando occaſio, & opportunitas differunt.

6. Prima ratio à priori eſt, quoniam Dei bonitas exceſſu infinito ſuperat hominum malitiam, ſed hominum malitia tanta fuit, vt ex ſumma bonitate atque ſapientia operum creationis, redemptionis, doctrinæ Euangelicæ, atque miraculorum acceperit occaſionem, & captauerit opportunitates reprehendendi, perſequendi, & blaſphemandi. Ergo Dei bonitas ex quibuſcunque hominis operibus quantumcunque imperfectis, & improportionatis, quando voluerit, poterit accipere occaſionem, & opportunitatem conferendi gratiam.

Prima ratio ex Dei bonitate deſumpta.

Confirmatur, quoniam ſicut Prouerb. 18. *occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.* nec expectat datas occaſiones, & actiuas, ſed ipſe paſſiuas occaſiones accipit; ita occaſiones quærit Deus, volens accedere ad amicum, ineundo cum eo amicitiam; nec expectat actiuas occaſiones dari, ſed paſſiuas accipit, vnde vult.

Secunda ratio eſt, maior explicatio eiuſdem aſſertionis nam in huiuſmodi occaſionibus, & opportunitatibus, vt planè conſtet nihil valere humanos conatus per naturales vires, ita Deus gratiam diſpenſat, vt plerunque ſine vlla prorſus opportunitate accepta ex rebus humanis, irrumpat diuina gratia. Rurſus quando Deus accipit opportunitates, non eas expectat gratia, ſed præmittit, ſi bonæ ſunt; ſi verò malæ, permittit eo fine, vt inde opportunitatem accipiat. Inſuper nulla opportunitas in particulari, nullàve multarum opportunitatum collectio deſignari poteſt, quàm infallibiliter, aut regulariter accipiat diuina gratia, vt ſe inſinuet, ſicut nulla opportunitas, nullàve opportunitatum collectio ita eſt ad gratiam neceſſaria, vt ſine illa, aut nunquam, aut rarò ſe inſinuet diuina gratia. Itaque vndique gratia refugit connexionem, concatenationem, aut dependentiam à conatibus humanis per ſolas vires naturæ. Hæc denique opportunitas & occaſio eſt cauſa per accidens, nihil influens in effectum, vt ſect. 1. num. 13. & 14. dicebamus de remouente prohibens gratiæ. Veruntamen opportunitas & occaſio diſtincta eſt à remotione impedimenti, vt in ſequenti ratione conſtabit. 7.

Maior concluſionis explicatio.

Gratia nunquam cum natura connexa.

Quarta ratio, quoniã hoc pertinet ad infinitam ſapientiam, & ſuauitatem diuinæ prouidentiæ, vt vires naturales faciat ancillari gratiæ, quando voluerit, ſicut ex ſæculari philoſophia, & plena notitia fabularũ Gẽtilium, accepit occaſionem aperiendi per gratiam multorum oculos, vt Deorum vanitatem & ſpurcitiam deteſtati, veram Dei, atque ſanctæ legis doctrinam complecterentur. 8.

Quarta ratio, quia id pertinet ad ſuauitatem diuinæ prouidentiæ.

Vnus nobis Auguſtinus exemplum ſit, qui cùm incidiſſet in Ciceronis Hortenſium, legiſſetque illius exhortationem ad Philoſophiam Dei vocationem vehementiſſimam, ſenſiſſe videtur in lib. 3. confeſſ. cap. 4. dicens: *Ille liber mutauit affectum meum, & ad te ipſum, Domine, mutauit preces meas, & vota, ac deſideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, & ſurgere iam cœperam, vt ad te redirem.* & infrà, *vt ſapientiam diligerem atque amplexarer fortiter, excitabar ſermone illo, & accendebar, & ardebam.* 9.

Suauitas huius prouidentiæ in eo eſt, quoniam humanæ cogitationes & affectus ſiue in mente, ſiue in corporis ſenſibus, & appetitu, quandoque verſantur circa aliquod materiale obiectum, quod idem diuina illuſtratio, & inſpiratio altiori ratione formali amãdum proponit, aut deteſtandum. Veluti quando ex naturali & intimo mœrore præſentia funeris accipit gratia occaſionem inſpirandi cogitationem futurorum, & monendi nouiſſimorum, quod niſi gratia ipſa moneret, & inſpiraret, prorſus inutile foret conſilium Eccleſiaſt. 7. *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in ea enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit.* 10.

Hæc prouidentia ſuauitas in quo ſit.

Quinta ratio, quoniam in huiuſmodi opportunitatibus vſque adeò nullus habetur reſpectus ad dignitatẽ, aut rectitudinẽ perſonæ operãtis, nec ad 11.

In his opportunitatibus non eſt reſpe-

Vt ad perſonam operantem. bonitatem operis, & proportionem; vt opportunitates, & occaſiones Deus accipiat etiam ex actionibus, quibus ſceleratiſſimi peccatores, quantum ex ſe eſt, iram Dei contra ſeipſos prouocant: vel ex actionibus aliorum hominum, aut extrinſecis bonis, quæ non imputantur homini, cui gratiæ auxilia conferuntur earum occaſione, vt conſtabit ſect. ſequenti.

SECTIO III.

Ex peccatis & ex rebus indifferentibus quomodo gratiam opportunam accipiat occaſionem vocandi.

1. *Ex peccatis Deus occaſionem accipit.* SIt prima concluſio. Ex peccatis ſæpè Deus occaſionem accipit vt auxilia gratiæ ipſis peccatoribus conferat. Atque cùm in hoc penè innumera ſint artificia diuinæ ſapientiæ, quatuor præcipua capita enumerare ſatis erit ad huius aſſertionis confirmationem.

Multipliciter. Primum caput eſt, quando ex peccatis, quæ, quantum ex ſe eſt, Dei honorem prophanant, & violant, Deus occaſionem ſumit vt ſuo honori proſpiciat, deſtruendo peccata, & prouocando ad opera pietatis, maiorem Deo gloriam & honorem afferentia. In quo apertiſſimè conſtat, boni occaſionem non prouenire ab hominibus datam, ſed à ſolo Deo propter ſuam bonitatem accipi. Quod Deus ipſe hominibus exprobrat Ezechielis 37. & ſapienter ponderat Auguſtinus de gratia, & libero arbitrio c. 14. poſt med. dicens: *Deus manifeſtiſſimè oſtendit, non propter eorum aliqua bona merita, ſed propter nomen ſuum iſta facere,* vbi ait: *Non propter vos ego facio, domus Iſrael, ſed propter nomen meum ſanctum, quod prophanaſtis in gentibus, quo intraſtis illuc: & ſanctificabo nomen meum magnum, quod prophanatum eſt in gentibus, quod prophanaſtis in medio eorum.* & poſt pauca: *Aſpergam vos aqua munda, & mundabimini ab omnibus munditiis veſtris.* & cætera quæ ibi promittit ad perfectam iuſtificationem pertinentia. Vnde Auguſtinus duo infert, alterum eſt gratiam non propter bona hominum merita dari, ſed propter nomen ſanctum Dei. Alterum, mala merita præceſſiſſe, videlicet prophanaſſe in gentibus nomen ſanctum: vnde propter ſuam bonitatem Deus prouocatus eſt, vt ſanctificando ſui nominis prophanatores honorem & gloriam ſuam cum fœnore reſtitueret.

Ezech 36.

2. Eodem ſpectat, vt quando malitia contententiosè agit cum diuina bonitate, inde occaſionem accipiat, vt nolit vinci à malo, ſed vincat in bono malum, ſicut Iſai. 7. *Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum.* Vbi pro moleſtia, ſeu labore Septuaginta, & Theodotio interpretati ſunt, *luctam atque certamen,* apud Hieronymum ibi. Notanda eſt igitur illa cauſalis, *propter hoc,* quæ denotat non veram cauſam, ſed occaſionem acceptam ex peccatis, ne contentioſa malitia vinceret, ſed victa ſuccumberet ſummæ gratiæ Incarnationis, & omnium auxiliorum, quæ ex illa redundarunt. Eſt igitur veluti quædam antiperiſtaſis, per quam niueæ nubes concipiunt, & proiiciunt fulmina, & niuea cacumina montium à viſceribus flammas euomunt.

3. Secundum caput eſt, quoniam experientia ipſa magiſtra, peccatores addiſcunt ſæculi vanitatem, vitæ pericula, ſuarum virium infirmitatem, & animi vulnera incurabilia, niſi per gratiam; & quamuis hæc inutiliter agnoſcantur ſine gratia, tamen ſuauior & facilior modus prouidentiæ diuinæ eſt, vt ex hac experientia occaſionem & opportunitatem accipiat illuſtrandi intellectum, & inclinandi affectum, vt quæ priùs diligebat, deteſtari vtiliter incipiat. *Suauior modus diuinæ prouidentiæ.* Hanc diuinæ prouidentiæ ſuauitatem exemplo appoſitiſſimo Gregorius Nyſſenus explicuit in orat. de dormientibus inter medium & finem, dicens: *Quemadmodum ſi quis rei medicæ peritus, & omnem ſcientiam, & ſalutarium, & noxiorum medicamentorum ex parte tenens, adoleſcentulo conſulat ea, quæ vſus & res deſideret; & conſulendo prohibere non poſſit, & ætate & prudentia imperfectum, quem cupidus aliquem peſtiferum fructum, vel herbam appetat. Sed cum varium, & omne genus auxiliarium medicamentorum habeat apparatum, permittat puero noxijs vti, vt facto periculo eorum, quæ faciunt dolorem, vtilitatem paterni conſilij doctum, & ſanitatis cupidum rurſus per amuleta & auxiliaria remedia puerum reducat ad bonam valetudinem. Eodem modo dulcis ac bonus natura noſtra Pater.* *Hanc prouidentiæ ſuauitatem exemplo explicat Nyſſenus.*

Huius exemplum eſt tota illa parabola prudentiſſimi patrisfamilias, permittentis habenas filio prodigo ad interitum eunti, vt ex ipſis peccatis & ſiniſtris euentibus occaſionem acciperet inſpirandi cogitationem de reditu, & de humilitate ac precibus fundendis ad Patrem. 4.

Sic nimirum hominem ſua malitia arguit, corripit, erudit, & emendat, non per ſe & ratione ſui (quod implicat,) ſed tanquam occaſio per diuinam gratiam accepta, vt hic ſit legitimus intellectus ad verba Hierem. 2. *Arguet te malitia tua,* ſiue, *erudiet te præuaricatio tua,* vt Hieronymus notat, *& auerſio tua increpabit te,* ſiue, vt Irenæus legit libro 4. aduersùs hæreſ. cap. 72. ad finem. *Emendabit te abſceſſio tua.* Quomodo autem emendet ac corripiat nos ipſum peccatum, continuò explicat Propheta, dicens. *Scito, & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Eruditur enim homo peccatorum experientia, & nauſea; vt notat optimè Hieronymus in eum locum, & Irenæus nuper citatus; ſed non niſi per vim ſolius gratiæ. Quam eruditionem & vtilitatem experiendi malitiam magis ponderat Irenæus in eodem lib. 4. cap 76. ſub init. alludens ad arborem ſcientiæ boni, & mali. 5. *Hominē ſua malitia erudit Deus.* *Quomodo nos corripiat peccatum.*

Tertium caput eſt, quoniam ex ipſis peccatis ſæpe gratia præueniens occaſionem accipit, vt incipiat, peccatorem pudere ſui, tædere vitæ prioris, dolere de amiſſis bonis, fragrantis ſceleris atrocitatem horrere, pericula notare, & fugere, aliorum fragilitati compati. Cuius primarium exemplar datum fuit Geneſis 3. *Adam vbi es?* Quo in ſtatu infeliciſſimo iaces qui nuper vitæ præſentis felicitate fruebaris? Vnde tibi natus eſt pudor? *Quis enim indicauit tibi, quòd nudus eſſes?* Talibus enim quæſtionibus, iuxta communem ſententiam Patrum Deus Adamum excitat, vt culpam agnoſcat, fateatur, & doleat. Similis quoque vox occultè plurimorum aures poſt admiſſa peccata vellicat, dicens: *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis,* Roman. 6. Imò etiam Geneſ. 4. cuncta verba Dei ad Cain, quantum ex ipſis erat, dirigebantur, vt eum ad pœnitentiam, & ſpem veniæ prouocarent; vt Patres omnes obſeruauerunt. *Vbi eſt Abel frater tuus? Quid feciſti? Vox ſanguinis* 6.

nis fratris tui clamat ad me de terra. Quare iratus es, & cur concidit vultus tuus? Nónne ſi benè egeris, recipies. Et rreliqua, quibus altiſſima, & valde neceſſaria peccatoribus Theologia traditur occaſione peccati.

7. Trina Petri negatio propter Chriſti Domini clementiam accepta fuit tanquam occaſio reſpiciendi illum, atqoe in memoriam reuocandi, quanta uuper promiſerat, quas prædicationes audierat, agnoſcendi ſuam fragilitatem, ideóque fugiendi pericula, & condolendi peccatis proximorum.

8. *Ars miſerendi.* Quartum caput eſt, ars veluti quædam inſerendi. Deus namque in affectibus hominum inordinatè propenſis ad bonum apparens, veri boni affectum inſerit, ſicur Chriſtus Dominus, quando vidit, quomodo Phariſæi primos accubitus eligerent, in ipſo appetitu excellentiæ inſeruit humilitaris affectum, quo vera gloria comparatur, dicens: *Qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Ad Diſcipulos autem: *Qui voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter.* ſic etiam in cupiditate diuitiarum inſeruit amorem veri Theſauri, dicens: *Theſaurizate autem vobis theſaurum in cælo.*

Matth. 20.

Matth 6.

9. Quotidie præſentis ſæculi amatores illius fraudibus, & iniuriis ad odium, & impatientiam, & itam vitioſam & inordinatam prouocantur. Vnde occaſionem opportunam Deus accipit inſerendi mundi contemptum, & ſanctum odium, deſtinatum ad Chriſti Domini ſequelam, ſicut olim 2. Reg. 3. *Abner iratus nimiè propter verbum Iſboſeth* (videlicet reprehendentis ingreſſum ad concubinam Saulis) ait: *Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat: niſi quomodo iurauit Dominus Dauid, ſic faciam cum eo.* protinúſque vniuerſas tribus ad illius ditionem, obedientiámque reduxit.

10. Zelo diuinæ legis quo non ſecundùm ſcientiam ductus, Saulus perſequebatur Eccleſiam, Deus eiuſdem legis diuinæ zelum ſapientia, & Spiritu ſancto plenum inſeruit. Ex fucata, & vmbratica ſpecie virtutis quandoque Deus occaſionem accipit, inſerendi veram ſolidámque virtutem, vt olim Porphyrius, dum in Theatro coram Iuliano apoſtata recèns baptizati perſonam irridendam præbet, diuina gratia mutatus, veram fidem martyrio confirmauit.

11. *Ex plurimis aliis rebus Deus occaſionem accipit.* Secunda concluſio ex plurimis aliis rebus ſiue externis, ſiue inhærentibus in homine, quæ illi nec ad culpam, nec ad laudem imputantur, Deus occaſionem, & opportunitatem accipit, excitandi & præueniendi ſua gratia.

Quandoque hominibus melioris natura & ingenij abundantior gratia confertur. Probatur primò, nam bonam indolem, capitis ſanitatem, ingenium ſaltem mediocre, iudicium maturum, bonam educationem, præceptores, atque concionatores egregios, bonorum familiaritatem & contubernium, exempla, pios libros, receſſum à tumultibus, & occaſionibus peccandi, & his ſimilia multa eſſe occaſiones, quas diuina gratia frequentius accipit, quàm eius contrarias, nullus virorum ſpiritualium dubitat, ſiquidem ex eis ſolent conicere, quantum poſſint cum diuina gratia ſperare profectum atque conſtantiam eorum, qoi virtutis viam aggrediuntur. Et experientia comprobatur cum his opportunitatibus diuinam gratiam pluribus, & efficacius communicari, quàm ſine illis.

12. Confirmatur primò. nam diuinum naturaliter munus intelligentiæ in ipſo ingenio collatum à Deo, proficere, vt moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant, ab exemplo Tyri & Sidonis Matth. 11. colligit Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 14. ante medium, dicens: *Ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem; ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.*

Confirmatur ſecundò, quoniam Matth. 25. *Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum; vnicuique ſecundum propriam virtutem.* Ergo. *Non pro largitate & parcitate alteri plus, alteri minus tribuens, ſed pro accipientium viribus.* ſic enim Hieronymus, & Beda interpretantur ibi, & Hieronymus illuſtrat exemplo Pauli 1. Cor. 3. Lacte potantis eos, qui ſolidum cibum capere non poterant; quamuis hoc magis ad ſupernaturales vires, & capacitatem, quàm ad naturales pertineat. Cæterùm ad rem noſtram apertè Proſper lib. 2 de vocatione gentium, cap. 8. aliàs 2. ita exponit: *Vnicuique ſecundùm propriam virtutem, id eſt, ſecundùm propriam, & naturalem poſſibilitatem: non autem ſecundùm proprium meritum, quia aliud eſt poſſe operari, aliud eſt operari, & aliud eſt poſſe habere charitatem, aliud habere charitatem, aliud eſt capacem eſſe continentia, iuſtitia, ſapientia; aliud verò eſſe continentem, iuſtum atque ſapientem.* In quibus verbis Proſper rationem à priori reddit, propter quam non repugnet gratiæ, ſi Deus occaſionem accipiat conferendi gratiam, aut eius maiorem abundantiam ex maiori capacitate naturali ad ſeruiendum eidem gratiæ, & cooperandum cum illa, perinde ac ſi Proſper ita ratiocinaretur. 13.

Natura humana, & quæ illi ſunt naturales potentiæ, intellectus, & voluntas, quamuis merè naturales ſint; nihilominus ſibi innatam proferunt poteſtatem receptiuam gratiæ, imò etiam potentiam actiuam ex ſe aptam, vt ſimul cum diuino auxilio vitaliter producat ſupernaturalem actum fidei, charitatis, viſionis beatificæ: qua vtraque potentia carent cæteræ ſubſtantiæ corporeæ, & omnes illarum potentiæ. Atque hoc nihil derogat dignitati gratiæ, quia nullum inducit debitum gratiæ, nec debitum connaturalitatis, nec debitum obſequij, ſed ſolummodo præbet receptiuam & cooperantem cauſam, quam vtramque gratiæ quidditas prærequirit, & præſupponit. Ergo ex ſimili ratione naturales aliquæ perfectiones eiuſdem intellectus, & voluntatis, vt acumen ingenij, & propenſio ad bonum ex bona indole, aliæque naturales facultates ſuperiùs numeratæ poterunt perficere hanc potentiam receptiuam, & cooperatiuam gratiæ, quam innatam ſibi proferunt intellectus, & voluntas vt promptiùs, & ſuauiùs cooperari poſſit cum gratia, vnde ſanior diuinæ prouidentiæ ordo poſſit occaſionem accipere dandi gratiam: & nihilominus nihil derogabit ſuæ gratiæ, quia tunc nec propter debitum connaturalitatis, nec propter debitum obſequij, ſed ſolummodo propter ſuam liberrimam voluntatem vtitur hac opportunitate gratiæ. Alias expoſitiones huius loci Matth. 15. vide infrà diſp. 14. ſect. 5. 14. *Natura humana innata potentia receptiua gratiæ.*

Confirmatur tertiò. nam idem ipſum magis explicat Proſper in eodem capite ſubiiciens: *Denique iſti, quibus ſecundùm modulum capacitatis ſuæ, quem in eis diſtributor ſubſtantiæ prauidebat, diſpar creditus eſt numerus talentorum, non meriti remunerationem, ſed operis accipere materiam.* Quaſi diceret: accipere materiam, circa quam naturales 15.

facultates exerceantur, dummodo non meriti remuneratio ſit, gratiæ non derogat; ſed diſparem numerum talentorum gratiæ accipere ſecundùm modulum capacitatis ſuæ, eſt accipere materiam, circa quam naturales vires exerceantur, idque abſque meriti remuneratione. Ergo gratiæ nihil derogat.

16. Confirmatur quartò. Angelorum exemplo, quibus gratiæ dona diſtribuere tanto maiora, quanto perfectior erat vniuſcuiuſque Angeli natura, conſentaneum fuit diuinæ ſapientiæ, idque abſque vllo præiudicio gratiæ; ergo à fortiori non erit præiudicium gratiæ, quandoque abundantiorem gratiam conferre hominibus, quos natura melioribus & promptioribus facultatibus intellectus, & voluntatis donauerat. Nam illa infallibilitas, & vniformis proportio, in Angelis obſeruata, magis videbatur opponi gratiæ, cui multò clariùs conſonat prædictam proportionem in hominibus contemni vtplurimum, & rarò ſeruari, vt dicemus in ſequenti notabili.

Angelis iuxta naturæ perfectionem gratiæ dona collata.

17. Confirmatur quintò. nam quando Deus pro ſua liberrima voluntate decernit prædictis dotibus naturæ accommodare abundantiorem gratiam: tunc tantum abeſt, vt naturales dotes gratiam cauſent, Deúmve moueant ad conferendam, vel augendam gratiam intuitu illarum, vt potiùs eædem dotes naturæ à gratia cauſentur, tanquam à cauſa finali, quæ Deum impulit, vt intuitu tantæ gratiæ, quam decreuerat conferre, præmitteret tā ſingulares dotes in natura. Exemplum ſit Paulus, ad quem producendum, educandúmque, ita diuina prædeſtinatio naturalium, & liberarum cauſarum ſeriem, concurſúmque diſpoſuit, vt naſceretur Romanus ciuis ex tribu Benjamin, ingenio acer, & promptus, animo erectus & conſtans, vt iis dotibus naturæ commodiùs cooperaretur copioſiſſimè gratiæ, ſibi conferendæ ad fines à Deo prædeſtinatos. Idem in Moyſe, Auguſtino, cæteríſque prædeſtinatis intellige.

Naturales dotes Deum non mouent.

18. Sed valde notandum eſt ad temperandam præcedentem probationem, & vniuerſam doctrinam totius diſputationis præſentis, vtplurimum ac ſecundùm frequentiorem modum prouidentiæ ſupernaturalis, nullam haberi rationem indolis, ingenij, bonarum litterarum, imò & virtutum moralium, quas per vires naturæ adquirunt aliqui homines. Quapropter abundantiora gratiæ auxilia perſæpe dantur hominibus, qui propter plura peccata, & propter altam obliuionem ſuæ ſalutis, aliáque impedimenta interna & externa longiùs diſtant à prædictis opportunitatibus gratiæ excitantis: cùm tamen alij homines indole, ingenio, bonarum artium peritia, & virtutibus moralibus præſtantiores maiori penuria excitantis gratiæ laborent, ita vt numquam ad gratiam iuſtificantem, imò nec ad fidem perueniant. Propterea Proſper 2. de vocatione Gentium. cap. 8. illi doctrinæ de diſtributione talentorum gratiæ ſecundùm propriam & naturalem poſſibilitatem & capacitatem, addendum putauit illud temperamentum. *Non itaque omnis ſanabilis ſanatus eſt, nec omnis reparabilis reparatur; quia reparabilem, & ſanabilem eſſe de natura eſt, reparatum autem & ſanatum eſſe de gratia.*

Præcedens doctrina temperatur.

19. Clarius hoc ipſum adnotauit Auguſtinus variis in locis, & in primis in eo ipſo cap. 14. de bono perſeuerantiæ, poſt verba quæ retulimus num. 12. ſubiungit temperamentum, dicens: *Et tamen ſi Dei altiore iudicio à perditionis Maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur, vel dicta diuina vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent vtique talia, vel viderent.* Illi nimirum qui habebant *in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ.* ergo contingit eos, qui ſuo ingenio naturali aptiores ſunt, vt acceptæ cuidam abundantiori gratiæ conſentiant eadem gratia abundantiori deſtitui.

Idem probat Auguſtinus de prædeſtinat. Sanctorum cap. 5. ex 1. Corinth. 1. *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro coram ipſo.* Imò tria priora capita eiuſdem epiſtolæ, tota deſtinantur ad extirpandam omnem fiduciam in Magiſtris, concionatoribus, litteris, nobilitate, & quacumque alia humana opportunitate diuinæ gratiæ. Et confirmat Auguſtinus ibidem hac ratione: *Nunquid per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus?* Nimirum cùm ſanctis & impiis hominibus communia ſint dona indolis, ingenij, litterarum, & quarumdem virtutum moralium: conſequens eſt ad proportionem donorum naturalium ſupernaturalia non conferri, quoniam hæc diſcernunt homines ſanctos ab impiis. 20.

Idem Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. circa finem ait: *Quiſquis ergo fuerit quàm minimis peccatis irretitus (nam nullus quis poteſt?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam; ſed cùm hoc ſtatuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia; vt eum intuens pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibuſdam peccatoribus caſtiores, & præ quibuſdam piſcatoribus oratores.* Ecce apud Auguſtinum relictis caſtioribus vocantur efficaciter ad gratiam, qui magis peccatores erant, & relictis ingenioſis, & eruditis, vocantur efficaciter ad gratiam ignari & ingenio tardi. 21.

Relictis caſtioribus vocantur efficaciter maiores peccatores.

Conſonat D. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 6. dicens: *Vult aliquis eſſe bonus, & non valet: vult alter eſſe malus, & non permittitur interire; datur ei quòd ſit malus, qui vult eſſe bonus,* hoc eſt, permittitur ei facultas, & dantur res, vnde occaſiones ſumit ad peccandum qui ad virtutem anhelabat. 22.

Hoc ſuppoſito, redeo ad ſecundam concluſionem probandam, & adiungo rationem ſecundam, quoniam motiua credibilitatis plurimum iuuant, vt fides recipiatur, atque ad faciliùs, & meliùs penetrandam vim rationum credibilitatis, poteſt, ſuppoſito ſupernaturali auxilio, iuuare multum bonarum artium peritia: ergo ex illis Deus poterit pro ſua ſapientia occaſionem, & opportunitatem accipere attrahendi efficaciter ad fidem. 23.

Credibilitatis motiua iuuant fidei receptionem.

Explicatur, & confirmatur exemplis. nam Aſtrologiæ ſcientia, qua pollebant Magi, Deus tanquam opportuna occaſione vſus eſt, vt faciliùs, euidentiúſque deprehenderent ſupra totum naturæ ordinem vltra numerum ſtellarum, extra illarum ſedes exiſtere, & præter earum omnium curſum moueri ſtellam, quæ illos duxit ad præſepium: vt iudicat Leo Papa ſerm. 4. de Epiphania, Cyprianus ſerm. de ſtella & Magis, & Iſidorus lib. de paſſione Domini cap. 14. 24.

2. Concluſio explicatur exemplis.

Dionyſio Areopagitæ Aſtrologia fuit occaſio, vt obſeruata diligenter illa eclipſi vniuerſali, qua Chriſtus 25.

Digitized by Google

Chriſtus Dominus in Cruce ſuam diuinitatem comprobauit, gratia præueniens eum priùs excitaret ad diuinandum cum Apollophane, & dicendum, *eſſe diuinarum rerum viciſſitudines*, & iam inde aliquid diuinum, & admirabile ſupra vniuerſum naturæ ordinem optaret ſcire, quod libentiùs admitteret prædicata ſibi Chriſti Domini paſſione per Paulum. Vnde & hoc etiam argumento Apollophanem redarguebat, adhuc fidei reſiſtentem, vt conſtat in epiſtola Dionyſij ad Polycarpum à medio.

26. Iudæo illi medicinæ ars occaſio fuit vt mortem, ineuitabiliter imminentem Baſilio ad Solis occaſum, prædicens, poſtea verò præueniente gratia excitatus, faciliùs euidentiúſque animaduerteret manifeſtum miraculum eſſe Baſilio vires reſtitui, & mortem longiùs differri, quo tandem fidei lumen recepit.

27. Qui tandem benè Dialecticam, & naturalem omnem Philoſophiam tenuerit, ſuppoſita gratia præueniente & adiuuante, faciliùs deprehendet fallacias argumentorum, quæ contra fidem opponuntur, & mirabilem fidei conſonantiam cum vniuerſa Philoſophia naturali, & multò clariorem cum Philoſophia morali vniuerſa deprehendet, qui bene didicerit moralem Philoſophiam. Ergo hæ facultates aptæ opportunitates ſunt, ex quibus Deus occaſionem accipiat efficaciter vocandi ad fidem.

Dialecticus faciliùs hæreticorũ fallacias deprehendit.

28. Probatur tertiò, quia tantum abeſt vt hæc aſſertio Semipelagianis faueat, vt eam potiùs Auguſtinus contra Semipelagianos doceat in lib. de correptione & gratia cap. 5. & 6. Nam cùm illi vrgerent dicentes ex Auguſtiniana prædeſtinatione ac neceſſitate præuenientis gratiæ colligi, nihil prodeſſe exhortationes, correctiones, comminationes ſupplicij, & pœnas à Prælatis inflictas: ideóque omnia iſta eſſe prætermittenda vt ſola expectetur diuina gratia. Reſpondet Auguſtinus hæc remedia eſſe valde vtilia, & adhibenda; ſed illorum vtilitatem in eo poſitam eſſe, quòd ex illis occaſionem accipiat diuina gratia.

Cõcluſionem tradit Auguſtinus.

29. Notanda ſunt illa verba cap. 5. *Hæc eſt correptionis vtilitas, quæ nunc maior, nunc minor pro peccatorum diuerſitate ſalubriter exhibetur: & tunc eſt ſalubris, quando ſupernus medicus reſpicit. Non enim aliquid proficit, niſi cùm facit, vt peccati ſui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, niſi qui reſpexit Apoſtolum Petrum negantem, & fecit flentem?* Vnde & Apoſtolus Paulus poſtquam dixit cum modeſtia corripiendos eſſe diuerſa ſentientes, protinus addidit: *Ne quando det eis Deus pœnitentiam*, &c. Vnde poſt pauca infert: *Non eſt negligenda correptio, quamuis Deus, quos voluerit, etiam non correptos, facit eſſe correctos.* & cap. 6. notentur illa verba, *Vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: vt ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante, atque flagellante, Deus in illo intrinſecus occulta inſpiratione operetur & velle.* multaque alia ſubdit in eandem ſententiam.

Verba notanda.

30. Probatur quartò. nam concionatorum opportunitas ita non ſolùm vtilis, ſed etiam de lege ordinaria neceſſaria eſt ad gratiam; vt Paulus Rom. 10. dicat: *Quomodo credent in eum, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante.*

Concionatorum opportunitas neceſſaria.

31. Quintò probatur. nam ex corporali ægritudine, aut paupertate occaſionem conferendi corporis, & animi ſalutem captauit Chriſtus Dominus per ſe ipſum, & per Apoſtolos olim, & nunc occultè per inſpirationes non rarò.

Probatur ſextò. nam innumerabiles olim & modò Chriſtianam fidem ſuſceperunt occaſione Chriſtiani Regis, Domini, heri, parentis, vxoris, mariti, amici, aut etiam mancipij: & innumerabiles ex Chriſtianis parentibus nati, & inter eos educati, forent infideles, ſi ex infidelibus nati, inter eos nutrirentur: niſi traherentur ad fidem per extraordinariam Dei prouidentiam. 32.

Septimò, ex dira afflictione Ægypti, & Babylonis, aliiſque flagellis, & periculis accipiebat occaſionem Deus prouocandi ſuum populum vt feruentiùs oraret, ac de vitæ correctione cogitaret. 33.

Octauò, multæ diſpoſitiones corporis minus importunæ ſunt gratiæ excitanti, quamuis ſine virtutis ſtudio contigerint: ſicut vigilia minus, quàm ſomnolentia; ſobrietas & inedia minus, quàm ſaturitas & ingurgitatio; tranquillitas animi minus, quàm perturbatio & turbulentia.

Ex his omnibus colligo, & ſit concluſio tertia. 34.
Nihil eſt quòd vereamur concedere actiones moraliter honeſtas, quæ per ſolas vires liberi arbitrij fiunt, accipi à Deo quaſi paſſiuas occaſiones, & opportunitates: non quia propter ſuam dignitatem, meritum, impetrationem, aut proportionem aliquid valeant; ſed quoniam ſicut ex malis actionibus, aut rebus non imputabilibus, Deus opportunam occaſionem captat, ita etiam ex actionibus moraliter bonis, & tanto ſuauiùs, quanto hæ minus impediunt cogitationes, & affectus excitantis gratiæ, hæc intelligendo iuxta modum explicatum ſect. 2. num. 5. & ſequentibus. Inde ſumitur ad plurimos probatiſſimóſque Doctores pia interpretatio, qui dicunt, ex actionibus moraliter bonis, factis per vires naturæ, accipi aliquam remotam diſpoſitionem aut cauſam auxiliorum gratiæ, de quibus infrà tota diſput. 21. Cæterùm de huius doctrinæ veritate conſtabit magis diſp. 22. præſertim ſect. 3.

Actiones honeſtas naturæ accipit Deus quaſi paſſiuas occaſiones.

DISPVTATIO XVII.

Quidam Patres clariùs confirmant iuſtificationis initium non acquiri naturæ viribus, ſed præueniente gratia donari.

SECTIO I.

Teſtimonium Auguſtini, Summorum Pontificum, & aliorum Patrum authoritate munitum.

QVI hanc doctrinam de initio gratiæ ab Auguſtino cœpiſſe putant, pro laude vituperationem doctrinæ & authori afferunt; & inſuper Semipelagianorum obiectionibus fauent, qui hanc doctrinam pugillabant nouitatis. Vnde Summi Pontifices, & Auguſtinus antiquitatem illius ſtudioſè probant. Imò non ſolùm Latinos Patres, ſed etiam Græcos ita ſenſiſſe, monſtrabimus infrà diſp. 27. & 28. 1.

Doctrina de initio gratiæ Auguſtino antiquior.

Ea igitur fuit ſolida & egregia laus Auguſtini, quòd primus fuerit, qui non ſolùm Pelagianos, ſed etiam eorum omnes reliquias recèns erumpentes, 2.

pentes, primus agnouerit pugnare cum antiquiſſima Eccleſiæ doctrina; primus eidem doctrinæ lucem ac diſtinctionem attulerit ad vitandas inſidias hæreticorum. Auguſtinus namque primus dogmatis illius ſingulas partes diſtribuit, diſcuſſit, decreuit, confirmauit, defendit; idque quamplurimis voluminibus, præſertim verò epiſt. 105. ad Xiſtum, & epiſtol. 106. ad Bonifacium: vbi quamuis contra Pelagium diſputet, antequam eius reliquiæ pullularent, verùm ita, Deo inſpirante, incubuit ad illam hæreſim penitus extirpandam, vt etiam fibras & capillamenta radicum exutenda Soli præbuerit. Refutauit, inquam, quodcumque initium, meritum, impetrationem, diſpoſitionem, ſeu præparationem, cauſam, aut rationem gratiæ ex viribus naturæ. Quod etiam præſtitit in epiſtola 143. ad Iulianam viduam Demetriadis matrem, impugnans Iuliani cuiuſdam Pelagiani epiſtolam ad Demetriadem, & in Enchiridio cap. 29. vſque ad 32. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 17. 18. & 19. & de natura & gratia à cap. 23. vſque ad 27. & cap. 32. & 33. & lib. de gratia Chriſti contra Pelagium & Cœleſtium; præſertim cap. 14. 23. 25. 26. 31. 44. 45. 46. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 5. 7. 8. & 9. & libro de gratia & libero arbitrio à cap. 5. per omnia ferè capita vſque ad finem eiuſdem libri, & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. ferè toto, & in variis ratiocinationibus libri de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium multa interſerit lib. 1. retractationum cap. 23. breuiter tangit. Plurima ſparſim ad populum docuit in expoſitione Pſalmorum, quacumque data occaſione de miſericordia nos præueniente, vel à nobis præuenta, vel de iuſtitia & mercede, vel de indigentia diuini adiutorij; ſimiliterque in variis tractatibus ad Euangelium Ioannis, & in Homiliis ad populum, aliiſque locis, quæ in totius operis decurſu citabimus.

Primus lucē accendit.

3. Cæterùm in lib. de correptione & gratia controuerſiæ huic de initio iuſtificationis tam plenè atque manifeſtè ſatisfeciſſe Auguſtinum, ac ſi ſtuduiſſet componere quæſtiones apud Maſſilienſes poſtea naſcituras, teſtatur Proſper in principio epiſtolæ ad Auguſtinum. Quod etiam ſuo teſtimonio confirmat Auguſtinus, in principio lib. de prædeſtinatione Sanctorum, id quod etiam Maſſilienſes agnouerunt, propterea reprehendentes quæ de prædeſtinationis cauſa, & de nullo initio gratiæ ex viribus naturæ variis in locis docuerat. Vnde Hilarius verſùs finem epiſtolæ ad Auguſtinum ait. *Illud tacere non debeo, quòd ſe dicant ſanctitatem tuam, hoc excepto in factis, & dictis omnibus admirari.* Maſſilienſes erant hi, qui Auguſtinum mirabantur in omnibus; ſed excipiebant doctrinam de initio gratiæ, & cauſa prædeſtinationis, quam in Auguſtino pluſquam in cæteris Doctoribus formidabant. Denique poſtquam exploratum habuit Semipelagianorum errorem, acriùs aduerſùs illum inuehitur toto lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum, præſertim à cap. 3. & cap. 7. & 15. & lib. 2. de bono perſeuerantiæ, præſertim cap. vltimo. Ex his omnibus locis verba in præſenti referre non expedit, nam pauca non ſufficient, & multa onerabunt. Propterea explicationem dogmatis per varios articulos & concluſiones inſuper fortiores rationes ex illo colligemus, in ſequentibus diſputationibus inferendas, prout vniuſcuiuſque neceſſitas poſtulauerit.

4. *Auguſtini authoritas in quauis re grauiſſima, in hac ſumma.*

Auguſtini authoritas, licèt fuerit ſemper eximia in quacumque re theologica, cæterùm in cauſa prædeſtinationis ad gratiam, & ad gloriam, atque in iuſtificationis initio, non ex libero arbitrio, ſed ex præueniente gratia videtur eſſe ſumma. Quippe quæ non ſolùm communi Eccleſiæ conſenſu, ſed etiam Conciliorum, & Summorum Pontificum authoritate munitur. Nam Hilarius & Proſper cùm animaduerterent eos qui ſancti Auguſtini doctrinam carpebant in Galliis, tantâ opinione ſanctitatis, atque doctrinæ, tantáque dignitate valere, vt reliquum populum facilè in errorem traducere potuiſſent, opem & officium Romani Pontificis implorarunt. Cœleſtinus igitur in prima epiſtola ad Gallos cap. 1. & 2. laudata Auguſtini doctrina, & commendato ſtudio & labore Proſperi & Hilarij in eadem propugnanda in c. 3. reprehendit grauiter illorum aduerſarios, quaſi veræ, & catholicæ doctrinæ inimicos, eorúmque petulantiam præcipit ab Epiſcopis cohiberi. Sed vt obſtrueret Gallorum effugium dicentium, D. Auguſtini doctrinam in genere commendatam fuiſſe à Cœleſtino, ſed non fuiſſe in ſpecie æquè ex eorum titulo expreſſo approbatos duos libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ; occurrit Proſper in libro contra Collatorem extremo, oſtendens doctrinam de prædeſtinatione & gratia in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ traditam, eandem eſſe quam ante Maſſilienſium errorem docuerat Auguſtinus in lib. de correptione & gratia, & in epiſt. 105. ad Xiſtum, & in epiſt. 106. ad Paulinum, aliiſque operibus, quæ ſuprà num. 2. commemorauimus.

Pontificum authoritate probata.

Gallorum effugium confutatur primò.

5. *Confutatur ſecundò.*

Eadem ſolutio Gallorum confutatur ſecundò, quoniam Cœleſtinus in dicta epiſtola doctrinam Auguſtini defendere intendit à Maſſilienſium calumniis, & opem ferre Hilario, & Proſpero: ſed Maſſilienſes doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione & gratia, déque illius initio, & perſeuerantia ſugillabant erroris, & hanc defendere conabantur Proſper & Hilarius, vt conſtat ex eorum epiſtolis & libris Proſperi ſæpiùs citatis; ergo Cœleſtinus præcipuè laudat & approbat doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione & gratia, & de illius initio, & perſeuerantia.

6. *Confutatur tertiò.*

Confirmatur tertiò, quoniam Auguſtinus Maſſilienſes ſugillabat erroris circa prædeſtinationem & initium gratiæ, & ab illis ipſe viciſſim ſugillabatur. Quòd ſi Maſſilienſium cenſura aduerſùs Auguſtini doctrinam de prædeſtinatione & gratia vera fuit, aut probabilis: falſum eſt quod inter Auguſtini laudes Cœleſtinus cap. 2. dictæ epiſtolæ aſſerit Auguſtinū fuiſſe pro Magiſtro optimo ſemper habitum, neque vnquam fuiſſe ſaltem rumore ſiniſtræ ſuſpicionis aſperſum.

Auguſtini doctrina nūquā ſuſpecta.

7. Confutatur quartò, quoniam Cœleſtinus in eadem epiſtola prima aſſerit Auguſtinum, Proſperum & Hilarium non exceſſiſſe debitum modum, in oppugnando Pelagio, vt Maſſilienſes obloquebantur: & ex prædeceſſorum doctrina colligit canones, quibus doctrina Auguſtini de gratia, & prædeſtinatione maxima ex parte continetur, qui ſubiicientur ſect. ſequenti.

8. *Leo magnus Auguſtini doctrinam approbat.*

Romanorum Pontificum, qui Auguſtini doctrinam de gratia & prædeſtinatione contra Maſſilienſes approbauerunt, ſecundus fuit Leo Magnus, & primus hic, cùm Gallorum factio nondum conquieſceret ad Concilium Arauſicanum ſecundum, miſit articulos de gratia, & prædeſtinatione

nation e ab eodem Concilio recipiendos, vt conſtabit ſect. ſequenti. Ij articuli, quo maiorem authoritatem Auguſtino concilient, atque illius doctrinæ de initio gratiæ & cauſa prædeſtinarionis non ſolùm mentem Auguſt. ſed etiam plurima eiuſdem verba retinent.

9. *Idem fecit Gelaſius.* Gelaſius fuit tertius, qui in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum non ſolùm probauit ſcripta Auguſtini & Proſperi, & in eorum numerum retulit, quæ à ſanctis Patribus conſcripta in Eccleſia catholica recipiuntur. Inſuper Proſperum religioſiſſimum virum appellauit, abſque dubio propter zelum ſanæ & integræ doctrinæ: ſed etiam Caſſiani opuſcula inter apocrypha numerat, quæ omnia conſtant c. *ſanctu Romana*, diſt. 15. Huius autem cenſuræ aut vnica, aut præcipua ratio fuit Caſſiani aduersùs Proſperum contentioſa pugna circa doctinam Auguſtini de iuſtificationis exordio. Idem etiam Gelaſius Primus in epiſtol. 7. ad Epiſcopos per Picenum versùs finem commendat ſupradictam Auguſtini doctrinam.

10. *Hormiſda etiam.* His Pontificibus Romanis connumerare poſſumus Hormiſdam in epiſtol. ad Poſſeſſorem, quæ habetur tomo 4. Bibliothecæ (niſi ſuppoſititia ſit, vt Ioannes Maxentius in ſubiuncta reſponſione contendit) vbi poſtquam reprobauit Fauſti Rhegienſis doctrinam de libero arbitrio, concludit his verbis; *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt, catholica ſequatur, & ſeruet Eccleſia, licèt ex varijs libris B. Auguſtini, & maximè ad Hilarium, & Proſperum abundè poſſit agnoſci: tamen & in ſcrinijs Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur.*

11. *Hieronymi cenſura circa Auguſtini doctrinam.* Reſtat vt videamus quid alij Doctores Eccleſiæ circa eamdem doctrinam ſenſerint, & in primis Hieronymus dialogo 3. aduersùs Pelagianos fine, enumerans aliquot operibus Auguſtini contra Pelagianos ſubdit: *Vnde ſuperſedendum mihi ab hoc labore cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatij: In ſyluam ne ligna feras: aut enim eadem diceremus ex ſuperfluo, aut ſi noua dicere voluerimus, à clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora.* Hæc Hieronymi cenſura tanto maioris authoritatis eſt, quanto firmius pro ſe teſtimonium habet Gelaſij Papæ in

Eam cenſuram Gelaſius approbat. cap. *ſancta Romana*, diſt. 15. Vbi circa illa, in quibus Ruffinum Hieronymus de arbitrij libertate notauit illa, *ſentimus* (inquit) *quæ prædictum Beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus.* Ille autem Ruffinus malè de doctrina Auguſtini contra vires naturales arbitrij liberi ſenſerat; vt vidimus diſp. 14 ſect. 1. num. 11. & 13.

12. Proſper & Hilarius in epiſtolis ad Auguſtinum de Maſſilienſium errore, mirum eſt quanta ſubmiſſione ab eo doceri petant; & contra eundem implorent tanti Doctoris decretum, quaſi vnicum & certiſſimum illius ætatis Oraculum poſt ſedem Apoſtolicam interrogantes. Vnde Proſper ad finem epiſtolæ ait: *Nam vnum eorum præcipuæ authoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum, S. Hilarium Arelaten. Epiſcopum, ſciat beatitudo tua, admiratorem, ſectatorémque in alijs omnibus tuæ eſſe doctrinæ.* Imò & ipſe Hilarius in ſua epiſtola enixè poſtulat varia opera Auguſtini, quæ nondum viderat, ad ſe tranſmitti.

13. Sunt alia pleraque Proſperi teſtimonia, quæ Auguſtini eximiam in cauſa gratiæ authoritatem confirmant, præſertim verò in lib. de ingratis. cap. 2. & 3. vbi refert Auguſtinum interfuiſſe duobus Concilijs in Africa celebratis (ea verò fuiſſe ex Carthaginenſibus Concilijs vnum, alterum verò Mileuitanum, conſtat ex Auguſtino epiſtola 95. ad Innocentium, & ex epiſt. Concilij Mileuitani ad Innocentium, quæ habetur ante epiſtolam 26. Innocentij) & in his Concilijs ingenium fuiſſe Auguſtini, cuius ſapientia definita ſunt, quæ Romani Pontifices approbarunt, & totius Eccleſiæ conſenſus. Proſperi verba ſunt,

——Geminóque ſenum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna ſequatur.

& poſt pauca:

—— Cui dux Aurelius, ingeniúmque
Auguſtinus erat, quem Chriſti gratia cornu
Vberiore rigans, noſtro lumen dedit æuo
Accenſum vero de lumine.

& poſt alias Auguſtini laudes:

Iſtius ergo inter cunctos, qui de grege ſancto
Inſanas pepulere feras, induſtria maior,
Maius opus, totum præſtantius imbuit orbem.
Nam, quocunque gradum cōuertit callidus hoſtis,
Quáque per ambages anceps iter egit opertas,
Huius ab occurſu eſt præuentus, mille viarum
Inſidijs aditum non reperientibus vllum.

Plura apud eum inuenies.

Denique non eſt prætereundum quanto ſtudio ac religione, non ſolùm mentem atque ſententiam, ſed etiam verba ipſa D. Auguſtini retineant Concilia, non ſolùm Mileuitanum, & Arauſicanum, ſed etiam Tridentinum, præſertim quando de gratia ac de illius initio decernit in ſeſſ. 6. 14.

SECTIO II.

Summorum Pontificum & Conciliorum teſtimonia pro initio iuſtificationis non ex viribus naturæ, ſed ex præueniente gratia.

INnocentius Primus in epiſtola ad Concilium Mileuitanum, quæ inter epiſtolas Innocentij eſt 26. & inter epiſtolas Auguſtini eſt 93. definit, 1.
quòd nemo, niſi per gratiam libero bene vtatur arbitrio. His enim verbis illius epiſtolæ ſententiam complectitur Cœleſtinus epiſt. 1. cap. 7. & in cap. 8. ex eodem Innocentio refert: *Quod omnia ſtudia & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei laudem referenda ſunt; quia nemo aliunde ei placet, niſi ex eo quod ipſe donauerit.* Vnde gratiæ donum præcedere oportet quaſi principium, virtute cuius placere valeamus.

Sozimus Papa in epiſtola ad Epiſcopos Africanos, & illorum reſcriptum, hæc inter alia verba 2.
continet: *Præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum tangit ipſe corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, ij filij ſunt Dei.* Hæc verba refert Cœleſtinus *Actiones præuenientis gratiæ quales.*
in eadem epiſtol. 1. cap. 8. in quibus notandæ ſunt actiones propriæ præuenientis gratiæ, videlicet præparare, inſpirare, tangere corda, & agere, hoc eſt, mouere Dei filios. Plura Sozimi & Epiſcoporum verba ad idem confirmandum vtilia, refert Cœleſtinus dicta epiſtol. 1. cap. 8. & ponderat Proſper contra Collatorem cap. 10. Sed in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 32. & apud Petrum Diaconum de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 8. ad medium, eidem teſtimonio adduntur hæc verba, *Vt nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius præuenire non dubitemus gratiam.* Hæc poſtrema verba aliter referuntur à Cœleſtino & Proſpero

citatis,

Digitized by Google

citaris, videlicet, *magis illius valere non dubitemus auxilium.* Obſcurius hoc, illud clarius proueniẽtis gratiæ neceſſitatem teſtatur Gelaſius Papa primus in tomo de anathematis vinculo, inter medium & finem: *Non per ipſorum*, inquit, *propriam emendationem, ſuóque intellectu, vel motu, ſuáque virtute, vel poſſibilitate conuerſi ſunt, vt ſanarentur; ſed per gratiam Dei ſanati ſunt, vt conuerterentur. Ne conuertantur*, inquit, *& ſinem eos.*
Ioan.12. Iſai.6. Et poſt pauca: *Ideo inhibetur eis ſuperbæ præſumptionis effectus, ne conuertantur ſuis intentionibus, ſuis niſibus vt putarant: & ſinem eos, ne eorum quaſi meritis ex propria facultate venientibus, ſaluatrix gratia daretur, atque ita gratia iam non eſſet gratia, ſi non gratis data eſſet immeritis, ſed merces tanquam meritis reſtituta.* Idem epiſtol. 7. ad Epiſcopos per Picenum (quæ habetur in recentiori editione anni 106.) inter med. & finem. *Illud autem Pelagianorum peculiare virus eſt olimque detritum, quo putant gratiam Dei ſecundum merita hominum poſſe conferri, quod abſit à mentibus Chriſtianis, cùm teſtetur Apoſtolus, Gratia eſt, quæ gratis datur.*
Rom.11. *Alioquin ſi ex operibus, gratia non eſt gratia, quia merces redditur, non gratis, vnde gratia nomen accepit, impenditur.*

3. Cœleſtinus dicta epiſtola 1. cap. 12. Romanorum Pontificum ſententiam hoc colligit Epilogo: *omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, atque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fatemur authorem: & non dubitemus, ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere.* & poſt pauca: *agit quippè in nobis, vt quod vult, & velimus & agamus.*

4. Hæc capitula, quæ ex epiſtola Cœleſtini retulimus, *videri potiùs ab alio quopiam interpoſita, quàm eſſe ipſius Cœleſtini Papæ*, notatur in margine eiuſdem epiſtol. cap. 3. Cæterùm Surius, aut quilibet alius author illius notationis, depoſuiſſet omnem ſuſpicionem, ſi vidiſſet ex illis plurima fragmenta recitari ad verbum à Proſpero in libro contra Collatorem cap. 10. & à Petro Diacono de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 8. quem librum probat atque confirmat Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti, vt conſtat ex primo capite; & quamuis eorum teſtimoniorum expreſſam mentionem non faciat, ſatis eſt probatum fuiſſe librum eo tempore, quo recens erat illius Epiſtolæ memoria, & facilè deprehendi poſſent ſuppoſititia capita, præſertim tam multa, & in re tam celebri. Adde quòd etiam Hormiſda in epiſtola ad Poſſeſſorem (de qua ſect. præcedenti num. 10.) mentionem facit capitulorum Apoſtolicæ ſedis, quæ in ſcriniis ſeruabantur, & doctrinam de gratia contra Semipelagianos continebant; quæ videntur fuiſſe illa Cœleſtini, & alia Leonis miſſa ad Concilium Arauſicanum II.

5. Leo Magnus epiſtolam decretalem ſcripſit ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum, quæ incipit, *Relatione ſancti.* & quandoque numeratur 86. alias 85. Tota planè eſt contra reliquias Pelagianorum, vt conſtat ex cap. 1. collato cum cap. 5. illis verbis, *& de exciſo olim dogmate aliquid in prouincia tua eiuſdem mali germen oriatur.* In hac igitur epiſtola cap. 3. ait: *Hoc tota arte fallendi, niſi intelligantur, excipiunt, vt gratiam Dei ſecundùm meritum dari accipientium ſentiatur; quæ, niſi gratis detur, non eſt gratia, ſed merces, retributióque meritorum.* & poſt pauca: *Gratia vnicuique principium iuſtitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum eſt.* Et in ſermone 1. de Ieiunio decimi menſis ait: *Diligendo nos, Deus ad imaginem ſuam reparat, & vt in nobis formam ſuæ bonitatis inueniat, dat, vnde ipſi quoque quod operatur, operemur.* Idem in ſermone 8. Epiphaniæ cap. 2. *Dubium*, inquit, *non eſt, hominem bona agentem, habere ex Deo & effectum operis, & initium voluntatis.*

6. *Arauſicani Concilij authoritas quanta.* Arauſicanum Secundum, quamuis non Generale, ſed Prouinciale Concilium fuerit, nihilominus tantæ authoritatis eſt, vt de illa dubitare non liceat. Quamuis enim non legamus expreſſam Sedis Apoſtolicæ confirmationem acceſſiſſe Concilio iam peracto; cæterùm fortiorem confirmationem habuit præuenientem, excitantem, atque inſtruentem, vt conſtat ex cap. 1. illis verbis: *Vnde & nobis, ſecundùm authoritatem, & admonitionem Sedis Apoſtolicæ, iuſtum & rationabile viſum eſt, vt pauca capitula ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt, ad docendos eos, qui aliter, quàm oportet, ſentiunt, ab omnibus obſeruanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus.*

Tacite à Sede Apoſtolica probatum. Secuta eſt poſtea confirmatio tacita, non ſolùm omnium Theologorum, ſed etiam Sedis Apoſtolicæ, quæ minimè toleraſſet ſub nomine ſuo, & tanquam ab ipſa ſede tranſmiſſa circumferri, & citari eiuſmodi capitula, niſi illorum omnium doctrinam probaret.

7. Confirmatur primò. nam ſi ego aliquid tuo nomine refero, te audiente, atque tacente, cùm poſſis contradicere, ſi velis, atque tuum negotium agatur, tuáque authoritas periclitetur; ſi ego falſum refero, proculdubio probas, quod refero. In quo maximè caſu veram eſſe oportet regulam iuris; *Qui tacet, conſentire videtur.*

Confirmatur ſecundò, quoniam nullus Doctor Catholicus auſus eſt, Arauſicano Concilio contradicere. Nam, qui ab eius doctrina diſſentire videntur, vel ignorarunt illius definitiones, quarum nullam mentionem faciunt, vel ſiniſtra interpretatione torſerunt.

8. *Quo tempore celebratum.* Pontificem autem eorum capitulorum authorem fuiſſe Leonẽ Primum, illiúſque tempore celebratum fuiſſe Concilium Arauſicanum II. exiſtimauit antiquus Conciliorum Collector, atque Panuinius, & alij viri apprimè docti, & multis indiciis coniicit Ioannes Motinienſis in epiſtol. ad lectorem, Proſperi operibus præfixa, non procul à principio. Cæterùm Baronius tom. 10. Annal. in Append. ad annum 529. probat, hoc Concilium celebratum eſſe tempore Felicis Papæ IV. Sed de tempore atque perſona ſentiat lector, vt voluerit, cùm ad authoritatem dogmatis, quod tractamus, ſatis ſit à Sede Apoſtolica fuiſſe tranſmiſſos canones, qui ſubſcripti ſunt in Arauſicano Concilio, vt vidimus num. 6.

9. *Inuocatio humana nil confert gratiæ.* *Arauſicani canon. 3 gratia facit vt eam inuocemus.* In hoc igitur Concilio tanquam contrarius Apoſtolicæ atque catholicæ doctrinæ damnatur, qui dixerit ea quæ ſequuntur canone 3. *Si quis inuocatione humana gratiam Dei, dicit, poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à nobis,* &c. Itaque definit inuocationem humanam nihil conferre gratiæ, hoc eſt, nullo modo eſſe vtilem ad gratiam obtinendam, ſed neceſſarium eſſe, vt inuocatio vtilis procedat ex gratia, faciente, vt inuocetur.

Can. 4.

10. *Canone 4. vt à peccato purgemur non ſpectat Deus voluntatem.*

Can. 4. *Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare, contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit Spiritui ſancto*, &c.

11. *Canone 5. fidei initium gratiæ donum eſt.*

Canone 5. *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, & ad regenerationem Baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, naturaliter nobis ineſſe dicitur*, &c.

12. *Canone 6. induſtria humana non ſubiungitur gratia.*

Canone 6. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam, dicit, conferri; non autem, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem Spiritus ſancti in nobis fieri confitetur; aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium*, &c.

13. *Infuſionis, ſuauitatis, & inſpirationis nomine præuenient gratia intelligitur.*

In his duobus capitibus, & in aliis ſequentibus, obſerua primò, nomine *infuſionis, inſpirationis, illuminationis, operationis, ſuauitatis*, intelligi præuenientem gratiam, quam definit neceſſariò debere præcedere. Harum vocum explicatio conſtabit magis ex diſputat. 29. & ſequentibus.

Obſerua ſecundò, non ſolùm ſententiam Maſſilienſium, ſed etiam eorum verba notari, ac præſertim Caſſiani: vt conſtabit ſi prædictos Canones conferas cum his, quæ ex doctrina Maſſilienſium retulimus diſput. 14.

14. Sic etiam Canone 7. definit abſque prædicta illuminatione & inſpiratione, neminem poſſe cogitare, nec eligere bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ.

Et Canone 8. prædictam infirmitatem naturæ, & indigentiam præuenientis gratiæ ampliat, vt omnes homines lapſos, nullo excepto, comprehendat. Hæc definitio contra vnum Caſſianum dirigitur, in huiuſmodi exceptione deficiente à ſua factione Maſſilienſium, vt vidimus diſp. 14. ſect. 5. num. 3. & 4.

15. Canone 16. definit, non ſufficere exterius auxilium prædicationis, aut Scripturæ; ſed neceſſarium eſſe donum eius, qui aſcendens in altum, dedit dona hominibus.

16. Neceſſitatem gratiæ præuenientis, vt à quacunque miſeria liberemur, vel vt mereamur aliquid, vel aliquid boni valeamus agere, teſtatur expreſsè in Canone 14. 18. & 25. propè initium, quos in ſequentibus diſputationibus referemus.

17. *Nullis noſtris meritis gratiam præueniri* traditur in canone 17. fine, & canone 25. poſt medium ait. *Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono, non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui priùs inſpirat.*

18. Tridentinum ſeſſione 6. cap. 5. *declarat, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur.* Et cap. 6. initio, *Diſponuntur*, inquit, *ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia*, &c.

19. Canone 3. *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare & diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Idem prorſus definierat Concilium Arauſicanum cap. 25. prope initium; niſi quòd ſpei & pœnitentiæ non meminit expreſsè: addidit autem vniuerſaliorem orationem operandi quod bonum eſt, ait enim: *Nullus diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum, & miſericordia diuina præuenerit.*

Moguntina Synodus prouincialis anno 1549. celebrata cap. 7. §. 2. ait: *Iuſtificationis initium ex Domini gratia prouenire, qua ante omne meritum dum adhuc inimici & peccatores ſunt, excitati & adiuti, & eiuſdem gratiæ ſic excitanti, & adiuuanti conſentientes, & cooperantes ad iuſtificationem diſponuntur.* 20.

SECTIO III.

Aliorum Patrum teſtimonia maiori ex parte remittuntur, pauca quædam hic ſubiiciuntur.

ANtiquiſſimi quique Patres tam Græci, quàm Latini, manifeſtiſſima reliquerunt ſuæ fidei teſtimonia de initio iuſtificationis ex præueniente gratia abſque vllis operibus, aut meritis humanis. Sed quoniam ex illis plurimi in ſuſpicionem contrarij erroris à recentioribus vocantur: eorum apologiam reſeruo ad finem huius tractatus, in cuius diſput. 27. ſect. 4. videbimus plurima teſtimonia Chryſoſtomi pro Catholico dogmate, Semipelagianis contrario. 1. *Patrum antiquiſſimorum teſtimonia pro initio gratiæ.*

Similiter diſput. 28. ſect. 1. ex Cypriano, Ambroſio, Hieronymo, atque ſect. 2. ex Optato, Lactantio, Ennodio, Paulino, Arnobio, Aponio, Luca Abbate S. Cornelij, & Petro Abbate Celenſi, & Iuſtiniano. Deinde verò ex Græcis Patribus in ſect. 3. Nazianzeno, Athanaſio, Nyſſeno, Baſilio, Philone Carpathiorum Epiſcopo, Cyrillo Hieroſolymitano, Macario ſeniore, Marco Heremita, Cyrillo Alexandrino, Damaſceno; prætereà in ſect. 4. ex Clemente Romano, Dionyſio Areopagita, Ignatio, Iuſtino, Irenæo, Clemente Alexandrino, Ephrem Syro, Antonio Magno, ac denique in ſect. 9. ex Theodoreto, Diadoco, Theophylacto, Euthymio, Photio, & OEcumenio. 2.

Nunc venio ad Latinos Patres, quos ſine controuerſia conſtat, fuiſſe Auguſtini ſectatores. Inprimis Hilarius Arelatenſis in epiſtola ad Auguſtinum apertè damnat Maſſilienſium errorem, & ſe profitetur eſſe Auguſtinianæ ſententiæ ſectatorem. Aliud eiuſdem Hilarij opus habemus nullum. Sed Pictauienſis Hilarius aliqua ſparſim dixit in variis operibus, quale eſt, quod in Pſalmo 118. ſub litera *He*, ad illum verſum, *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua*, ait: *Omnia Propheta ad munus Dei retulit, ſiue vt ſibi intelligentia præſtetur, ſiue vt deducatur in ſemita, ſiue vt cor eius in teſtimonia inclinetur.* Conſtat autem, ab hac intelligentia & inclinatione inchoari iuſtificationem; & ſub litera *Vau*, ad illum verſum, *& veniat ſuper me miſericordia tua Domine*, ait: *Salus noſtra ex miſericordia Dei eſt, & bonitatis ſuæ hoc munus eſt; & inde cœpit oratio, vnde & ſalus inchoat deprecantis.* & poſt pauca ad illum verſum. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis. Priùs*, inquit, *Propheta concedi ſibi orat, quam ſe id mereri, vt obtineat, oſtendat, omnia, vult, à bonitate Dei in ſe inchoari.* 3. *Latini Patres Auguſtini ſectatores.*

Idem Hilarius ad illum verſum Pſalm. 62. 4.

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adiutor noſter in æternum, ait: *Effundendus coram eo omnis affectus eſt, vt nihil de nobiſmet ipſis fiducia ſit; ſed vt per eum, ante quem nos tanquam pro peccato effundimus, adiuuemur.* Quòd ſi per noſtras vires, abſque præueniente gratia, poſſemus aliquid facere ad gratiam obtinendam vtile, iam aliquid fiduciæ de nobis eſſet. Rurſus libro 4. de Trinitate versùs finem ponderans illa verba Iſaiæ 45. *Hic ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam conuertet, non cum pramio, neque cum muneribus*, ait, *gratia enim omnes ſaluamur.* Denique Homilia de feſto Pentecoſtes in medio ait: *De Spiritu ſancto accipimus, vt ſapiamus inter bonum malúmque diſcernere, iuſta diligere, iniuſta reſpuere, vt malitia, ac ſuperbia repugnemus.* Subiungítque plurimas actiones his ſimiles, quas de Spiritu ſancto accipimus. Nihilominus aliqua ſcripſit Hilarius, quæ à cæteris diuulſa, Semipelagianum quid ſonare videntur; ſed explicabuntur diſp. 24. ſect. 1. ad 3. & diſp. 28. ſect. 2.

5. Proſper de præueniente gratia plura & copioſa opuſcula edidit, videlicet, integrum librum contra Collatorem, & reſponſiones ad excerpta Genuenſium, præſertim ad tria priora dubia, & ad dub. 8. Faciunt etiam reſponſiones ad capita Gallorum, & ad excerpta Genuenſium, quatenus remouent abſurda, quæ Semipelagiani conabantur inferre ex præueniente gratia, & prædeſtinatione, quæ ſit bonorum operum cauſa. Duos præterea libros de vocatione Gentium ad eiuſdem dogmatis confirmationem ditexit. Inſuper epiſtolam ad Demetriadem, præſertim à medio: epiſtolam de libero arbitrio ad Ruffinum, librum de ingratis contra Pelagianos heroico carmine, aliquot etiam epigrammata; multa quoque ſparſim notat in libro ſententiarum ex Auguſtino, & in ea expoſitione quorumdam Pſalmorum, quæ quaſi compendium eſt commentariorum D. Auguſtini.

6. *Petri Diaconi libri de Incarnatione, & gratia authoritas.*

Petrus Diaconus de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti, à cap. 6. vſque ad finem libri, confutat Maſſilienſium errorem. Huic libro magnam authoritatem conciliant in primis ſocij & conſortes, qui in fine eiuſdem libri ſubſcribunt: deinde locus & finis. nam illi Romam miſſi fuerant ab Eccleſia Orientali, cauſa profitendi Catholicam fidem, huic errori contrariam. Tertiò perſonæ, ad quam illa explicatio fidei dirigitur, nimirum ad Fulgentium, & alios Epiſcopos Africæ, acerrimos gratiæ propugnatores contra Semipelagianos, vt libri oſtendit inſcriptio, & caput primum. Quartò Fulgentij authoritas, qui illius libri doctrinam collaudat vt Catholicam, & oppoſitum quaſi hæreticum damnat, nomine multorum Epiſcoporum Africæ reſcribens ad Petrum Diaconum, alium librum eiuſdem tituli & argumenti, vt oſtendit exordium & Epilogus illius.

7. Fulgentius autem in prædicto lib. de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti, initium iuſtificationis à præueniente gratia contra Semipelagianos fusè probat à cap. 16. vſque ad finem libri, & ad Monimum lib. 1. à capite 8. vſque ad finem eiuſdem libri; & libro de fide ad Petrum à cap. 30. vſque ad 35. & lib. 1. de remiſſione peccatorum cap. 13. 14. & 15. inſuper epiſtola 4. ad Probam cap. 2. 3. & 7.

Sanctus Gregorius neceſſitatem præuenientis gratiæ ad inchoandam iuſtificationem tradit lib. 16. Moralium cap. 10. aliàs 11. in poſtrema verba Iob 22. lib. 17. Moralium cap. 9. & 18. Moralium capite 22. & 23. prope finem, & lib. 24. Moralium cap. 6. fine, in id Iob 33. *Liberauit animam ſuam, ne pergeret in interitum.* & lib. 33. Moralium capite 20. ad illa verba Iob 45. *Quis ante dedit mihi, vt reddam ei*, & Homil. 9. in Ezechielem à principio; atque ad eamdem rem faciunt, quæ ſcribit lib. 10. Moralium capite 29. aliàs 38. & libro 24. Moralium capite 12. & Homilia 8. in Ezechielem ſub initium, & 3. parte Paſtoralis capite 29. 8.

Iſidorus, ſicut in aliis ſolet, ita etiam in hoc ſequitur Gregorium, vt conſtat lib. 2. ſentent. de ſummo bono cap. 5. §. 2. & 3. & cap. 12. poſt med. 9.

D. Bernardus frequenter commendat neceſſitatem gratiæ præuenientis, nullo præſuppoſito merito noſtro, aut conatu, ita, vt ſalutis noſtræ initium à Deo ſit, non à nobis. Ita docet ſerm. 67. in Cantica colum. vltim. & ſerm. 78. in Cantica colum. 2. à medio, & toto ſerm. 84. in Cantica, & ſermone 1. in feſto Pentecoſtes, & ſerm. 2. prope finem, & in lib. de gratia, & libero arbitrio, prope finem, columna antepenultima, & ſermone de conuerſione ad clericos capite 2. 10.

Anſelmus ſcribit his ſimilia in id 1. Corinth. 15. *Gratia Dei ſum, id quod ſum*, niſi alterius ſint illa commentaria. & in tractatu de libero arbitrio, cuius ſententias refert Alexander Alenſis 3. parte quæſt. 69. memb. 1. art. 2. in ſolutione argumentorum. 11.

Beda, vt ſolet, Auguſtini fragmenta colligens in variis locis, veluti in Euangelium Ioannis cap. 1. columna penultima, & in id Rom. 4. *Quis me liberabit? gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* & Rom. 5. versùs finem. & Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit*, & ad Epheſ. 2. per multos verſus. & 1. Corinth. 15. in illud: *Gratia Dei ſum, id quod ſum.* & 2. Corinth. 3. in illud: *Dominus autem Spiritus eſt: vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas*, & Pſalm. 31. verſu 1. 12.

Hugo Victorinus lib. 9. in caput 9. Dionyſij de cæleſti Hierarchia poſt medium, & aliis in locis citandis infrà diſp. 28. ſect. 2. atque idem Hugo, ſeu quilibet alius author in lib. de Spiritu, & anima, inter opera Auguſtini capite 48. vbi ex libro de Eccleſiaſticis dogmatibus capite 21. breuem de initio iuſtificationis ſententiam inſerit. 13.

Sed Author libri de Eccleſiaſticis dogmatibus à capite 21. vſque ad 32. fusè atque optimè decernit de initio iuſtificationis, non ex humanis viribus, aut meritis, ſed ex præueniente gratia. Idque confirmatur ſententiis Auguſtini, Innocentij primi, Sozimi, & Cæleſtini, cuius multa capita tranſcribit ad verbum, quæ retulimus ſectione 2. Deinde verò à capite 40. vſque ad 51. inſerit omnes Canones Arauſicani II. ad eamdem controuerſiam pertinentes, quò etiam ſpectat eiuſdem libri caput 55. 14.

Author Hypognoſtici, inter opera Auguſtini, plurimas illius ſententias de initio iuſtificationis contra Pelagianorum reliquias contraxit in vnum, in lib. 3. ſcribens contra tertium 15.

atticu

Digitized by Google

articulum Pelagianorum, cuius vnum membrum erat, *Meritis operum à Deo gratiam vnicuique dari.*

16. Denique totius Eccleſiæ conſpiratio aduersùs Semipelagianorum errorem clariùs oſtendit illius falſitatem, quam teſtatur Proſper in epiſtola ad Demetriadem tomo 3. Ambroſij epiſtola 84. lib. 10. dicens: *Non ſolùm doctos quoſque Pontifices, ſed etiam vniuerſalis Eccleſiæ plebes Apoſtolicæ ſedis exemplo huic errori reſtitiſſe.*

DISPVTATIO XVIII.

Quibus teſtimoniis Scripturæ ſacræ, per quas ratiocinationationes probetur, initium iuſtificationis ex præueniente gratia prouenire.

SECTIO I.

De nihilo ex nobis, de initio, ac fide.

1. VT ab iis teſtimoniis ſumamus exordium, quæ generaliter complectuntur reliqua, inferiùs in particulari tractanda, & ſi quæ ſunt alia, quæ in ſpecie, nullo teſtimonio ſacræ Scripturæ attingantur: ſit prima ratiocinatio huiuſmodi. Nihil ad ſalutem vtile fieri poteſt, ſine auxilio gratiæ, ſed quodlibet initium iuſtificationis eſt aliquid vtile ad ſalutem; ergo nullum initium iuſtificationis poteſt fieri ſine gratia, ſiue illud initium ſit cauſa, ſiue meritum condigni, aut congrui, ſiue impetratio, diſpoſitio, conditio, ad quodlibet aliquid, quocunque modo per ſe & ratione ſui conducens ad iuſtificationem.

Ratiocinatio prima. Nihil ad ſalutem vtile, ſine gratia fieri poteſt.

2. Huius argumenti maior habetur Ioannis 15. capite ab illis verbis: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ita & vos, niſi in me manſeritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Vbi obſeruanda ſunt tria, primum manifeſtè agi de gratia Verbi incarnati, & virtute, quam fidelibus ſibi vnitis communicat.

Secundum agi de operibus frugiferis ad vitam æternam, quibus vitatur æterna damnatio; vt clariùs conſtat ex ſequenti contextu: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.*

Tertium eſt vnum ex fructibus, qui naſcuntur ex vnione cum Chriſto Domino, & verbis illius, eſſe impetrationem. *Si manſeritis*, inquit, *in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petietis, & fiet vobis.*

3. His obſeruatis accipe ponderationem Auguſtini contra Pelagianos, & contra eorum reliquias in lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 8. ante med. *Dominus autem vt reſponderet futuro Pelagio, non ait, ſine me difficile poteſtis aliquid facere; ſed ait, ſine me nihil poteſtis facere, & vt reſponderet futuris etiam iſtis, in eadem Euangelica ſententia non ait, ſine me nihil poteſtis perficere, ſed facere. Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt; ſed ad perficiendum eſſe Dei adiutorium neceſſarium.*

Vtitur etiam hoc teſtimonio Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 32. & lib. de gratia Chriſti cap. 29. tract. 81. in Ioannem, & alibi ſæpe. Vtuntur etiam Concilia contra Pelagianos, & Semipelagianos coacta, præſertim Arauſ. can. 7. Leo Primus ſermone 8. de Epiphania cap. 2. Proſper ad Demetriadem longè poſt medium epiſtolæ. Gregorius libro 33. Moral. cap. 20.

Eadem vis argumentationis augetur argumento à maiori ad minus in cap. 15. Ezechielis ſub eadem metaphora vitis, & palmitis: *Quid fiet de ligno vitis, &c. Etiam cùm eſſet integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cùm illud ignis deuorauerit, & combuſſerit, nihil ex eo fiet operis.* Vbi quamuis hiſtoricus ſenſus ad ciues Hieroſolymitanos referatur, vt Hieronymus explicat ibi: cæterùm ſpiritualis ſenſus amplior, & Spiritu ſancto dignior, hic eſſe videtur: etiamſi natura humana foret integra, nihil poſſet agere, niſi per influxum vitis, hoc eſt, per gratiam Dei: quanto magis cùm originale peccatum, & actualia plurima corruperint, atque extenuauerint eius vires. 4.

Confirmatur. nam & Adamus, recens creatus integer, nullum initium ſalutis, & iuſtificationis habuit à viribus naturæ, ſed ab auxilio præuenientis, & adiuuantis gratiæ, vt conſtabit ex tota diſp. 22. & 23. & peculiariter explicabitur diſput. 43.

Adamus natura viribus non habuit ſalutis initium.

Sed quoniam hoc, & cætera huiuſmodi teſtimonia, infrà referenda, Pelagiani explicabant de auxilio generali Dei, quod neceſſarium eſt ad opera naturalia; diligentiſſimè Patres, & Concilia obſeruarunt, ea omnia teſtimonia non poſſe intelligi, niſi de auxilio gratiæ per Ieſum Chriſtum. Peculiariter autem Auguſtinus & alij Patres Mileuitani Concilij in epiſt. ad Innocentium, quæ apud Auguſtinum eſt 95. in principio. Quod verum eſſe ſupponit, atque confirmat Innocentius ad Mileuitanum Concilium reſcribens epiſt. 26. & totum Concilium Arauſicanum ſecundum. 5.

Hæc teſtimonia explicant Pelagiani.

Patrum explicatio.

Indicia verò, quibus hic ſenſus depromitur ex contextu, hæc ſunt. 6.

Colligitur ex contextu.

Primum, quia de neceſſitate Incarnationis & gratiæ per Ieſum Chriſtum collatæ agunt ea capita clariùs, quæ ex nouo Teſtamento, & paulo obſcuriùs, quæ ex veteri Teſtamento ſumuntur: at verò auxilium illud generale, quod naturalibus operibus debetur, non indigebat incarnatione, & gratia per Ieſum Chriſtum.

Secundum argumentum eſt, quia multa ex his capitibus agunt de vita æterna, & de viſione Dei; quapropter auxilium quod dicitur ibi neceſſarium eſſe ad illam obtinendam, debet eſſe proportionatum eiuſdem ordinis, nimirum ſupernaturalis gratiæ.

Tertium, quoniam peculiares quaſdam loquendi formulas Scriptura ſacra reſeruauit operibus iuſtificationis ad vitam æternam neceſſariis, quas nunquam deprimit ad ſignificandum generale auxilium neceſſarium ad opera naturalia, veluti *reuelare, trahere, aperire oculos*, aut *aures, illuminare, docere, agere Dei Spiritu, vel mouere, vocare, diffundere charitatem*, & id genus alias, de quibus infrà diſput. 23. ſect. 2. 7.

Quartum, quoniam rei ſignificatæ quidditas indicat, quomodo intelligenda ſint verba, etiam ſi præciſa re ſignificata forent ambigua. Quapropter cùm agitur de neceſſitate auxilij

ad obtinendam vitam æternam, non verò ad obtinendas diuitias, vel ædificandam domum; ipſa rei quidditas indicat, eſſe debere altioris ordinis, ac proinde ſuperius naturæ viribus.

8. *Initium boni operis refertur ad Deū.* Secunda ratio eſt, quoniam expreſsè initium boni operis refertur ad Deum Philipenſ. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* Quam ſententiam Apoſtoli, eſſe commentarium illius teſtimonij Ioannis 15. quod in principio retulimus, S. Auguſtinus probat in libro 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum capite 8. dicens. *Dominus cùm ait, ſine me nihil poteſtis facere; hoc vno verbo initium, finemque comprehendit; Apoſtolus verò, tanquam ſententia Dominica expoſitor, apertiùs vtrumque diſtinxit, dicens, quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* Vtitur eodem teſtimonio Auguſtinus in lib. 4. aduerſùs Iulianum capite 3. propè initium, & Arauſicanum Concilium canone 5. Proſper lib. 1. de vocatione Gentium cap. 24. poſt med. & lib. contra Collatorem cap. 36.

9. *Inceptio boni operis mutatio ſuperior.* Confirmatur. nam incipere bonum opus, eſt mutatio ita ſuperior naturæ viribus, vt requirat dexteram Dei, hoc eſt, ſupernaturale auxilium gratiæ. Pſalm. 76. *Dixi: Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Vnde Fulgentius in epiſtula 6. ad Theodorum de conuerſione cap. 4. & de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 29. fine, probat, *Deum eſſe, qui mutat voluntates hominum, vt eſſe bona incipiant,* & inſuper ponderat: *Non poſteaquam cœpis, ſed hoc ipſum, quod cœpit mutationem dexteræ Excelſi*, dixiſſe. Similia Proſper ad obiectiones Vincentianas cap. 15. & facit ad eandem rem Auguſtini commentarius ad eumdem Pſalmum.

10. *Omne iuſtificationis initium eſt fides ſaltem inchoata.* Tertia ratiocinatio ex fide ſumitur hoc modo. Omne iuſtificationis initium eſt fides, ſaltem inchoata, ſed nulla fides, nec perfecta, nec inchoata, poteſt per vires naturæ adquiri abſque gratia præueniente; ergo nullum initium iuſtificationis poteſt adquiri per vires naturæ abſque præueniente gratia. Huius Syllogiſmi præmiſſa vtraque, tam magnam requirit explicationem, & confirmationem, vt indigeat peculiari, & integra diſputatione; propterea ſequentem diſputationem 19. occupabit.

SECTIO II.

Gratiæ quidditatem pugnare cum quolibet iuſtificationis initio dato per vires naturæ ſacra Scriptura teſtatur.

1. QVarta ratiocinatio in hunc modum confici poteſt. Si primum auxilium gratiæ daretur nobis propter aliquam rationem ex viribus naturæ profectum; (ſiue foret cauſa, ſiue diſpoſitio, impetratio, meritum, occaſio, conditio, ſiue quodcunque aliud) ſequeretur, primum auxilium non dari merè gratis: vnde vlterius eſſet conſequens, totam ſequentium auxiliorum ſeriem, quam virtute primi auxilij poſſumus mereri, & impetrare, non donare merè gratis. Conſequens autem implicat contradictionem; quia gratia, quæ quidditatiuè gratia eſt, iam non eſſet gratia.

Primum auxilium gratis datur.

Tota vis huius rationis quaſi in ſemine poſita eſt ab Apoſtolo ad Rom. 11. dicente: *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt: ſi autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.* Nam, vt idem Apoſtolus ait ad Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm meritum.* Atque idem colligitur ex illis verbis Epheſ. 2. *Gratia ſalui eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Vbi perpende vim rationis: nam ex eo quòd ſalus per fidem collata ſit gratis, infert, fidem eſſe donum, hoc eſt, merè gratis collatum, ac proinde non ex operibus noſtris, hoc eſt, non merito, aut impetratione illorum, aut ex illis ratione, aut principio dato per nos. Hæc teſtimonia egregie ad rem præſentem ponderat Auguſtinus de gratia, & libero arbitrio cap. 8. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 7. & toto ferè libro de geſtis Pelagij, præſertim cap. 14. cap. 17. 18. 19. & 35. & alibi ſæpe, necnon cum Auguſtino alij plures Epiſcopi ſcribentes ad Innocentium Primum ante medium epiſtolæ, quæ inter epiſtolas Innocentij ſequitur poſt 26. & inter epiſtolas Auguſtini eſt 95. & Gelaſius Papa Primus, cuius verba retulimus diſp. 17. ſect. 2. num. 2. De teſtimonio citato Epheſ. 2. videri poſſunt quæ dicemus ſequenti diſp. 19. ſect. 2. in 2. teſtimonio. 2.

Eadem vis eſt in 3. ad Titum capite. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam, ſaluos nos fecit.* Nam illa quæ mera eſt miſericordia, eſt merè gratuita; ideóque pugnat cum operibus iuſtitiæ præcedentibus ipſam. Et Hebr. 13. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor; non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Vbi *eſcarum* nomine omnia ſacrificia, & ceremoniæ, & omnia opera legis ſcriptæ comprehenduntur. 3.

Eamdem gratiæ quidditatem reſpexit mens Pauli, quamuis *gratiæ* nomen non exprimat, quoties docet neminem iuſtificari ex operibus legis, ſiue naturalis, ſiue ſcriptæ; ſed ſolummodo ex fide iuſtificari. Nam hoc ipſum eſt, totam fiduciam iuſtificationis ita conferre in merita & gratiam Ieſu Chriſti, vt nulla protſus fiducia ſit de noſtris operibus abſque gratia factis, quaſi de rebus quæ ad iuſtificationem valent protſus nihil, atque ita communiter Patres exponunt hanc phraſim, *Iuſtificari non ex operibus, ſed ex fide.* quod Paulus fusè confirmat Rom. 2. 3. & 4. capite, & ad Galatas 2. & 3. 4.

Quòd apud Auguſtinum gratia non eſſet gratia, ſi ex viribus naturæ daretur aliquod initium illius, totus liber de prædeſtinatione Sanctorum oſtendit attentè legenti, & conferenti ſingula: idque tradit aliis in locis citatis diſput. 17. ſect. 1. 5.

Cæterùm, quoniam huius rationis eximium robur nonnulli Theologi ſuis interpretationibus non parum debilitant, & contrahunt: operæpretium erit, examinare difficultates duas quæ inde naſcuntur. Altera eſt, vtrùm quidditati gratiæ repugnet non ſolùm meritum, ſed etiam diſpoſitio, impetratio, conditio, aut quælibet ratio ad obtinendam primam gratiam. de hac dicemus ſectione ſequenti. Altera difficultas eſt in præſenti tractanda, vtrùm quidditati gratiæ repugnet non ſolùm meritum condignum, ſed 6.

Difficultates duæ examinantur. *Prima.* *Secunda.*

ſed etiam meritum congruum, præcedens primam gratiam.

7. *Ratio dubitandi prima.* Prima ratio dubitandi eſt, quia inter homines remuneratio alicuius minimi obſequij per eximium donum exiſtimatur eſſe gratuita; ſed meritum congrui eſt minimum comparatione eximij doni gratiæ: ergo quamuis huiuſmodi meritum præcedat primam gratiam, non ſequitur gratiam non eſſe gratiam.

Secunda. Secunda ratio dubitandi eſt, quoniam gratia iuſtificans verè gratia eſt: & tamen illam præcedunt merita de congruo, videlicet actus fidei, ſpei, & charitatis.

Confirmatur. nam Tridentinum ſeſſ.6. cap. 8. videtur pro nihilo ducere præcedentia merita de congruo, vt impediant rationem gratuiti.

8. *Quomodo meritum cõdigni, & congrui gratia repugnet.* Nihilominus ſit concluſio vnica. Non ſolùm meritum condigni, ſed etiam meritum congrui concludit gratiam non eſſe gratiam, ſi præcedat primam gratiam. De hac dubitare non poterit qui attentè legerit Auguſtinum toto libro de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ, ibi non contra alios, niſi contra Pelagianorum reliquias, qui non merita condigna, ſed tenuiſſima merita de congruo affirmabant, conſtanter atque vniuerſaliter probat gratiam non eſſe gratiam, ſi eiuſmodi merita præcedant.

9. *Auguſtinus.* Sic enim dicto lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. poſt med. de Semipelagiano ſic loquitur: *& ideo homo ſibi primas eius vendicat partes, vt nouiſſimas ab illo accipere mereatur. Videte ſi aliud agitur iſto modo, niſi vt gratia Dei ſecundum merita noſtra detur quolibet modo, ac ſi gratia iam non ſit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non datur gratis; debetur enim credenti, vt à Domino fides augeatur, & ſit merces fidei cœpta fides aucta.* Pondera primò illam dictionem *quolibet modo*, quæ comprehendit quemlibet modum meriti, etiam de congruo, & valde exiguum. Secundò pondera expreſsè negari illud meritum, quod Semipelagiani tribuebant initio fidei, videlicet voluntati credendi, quod ipſi aſſerebant eſſe leuiſſimum. Tertiò pondera Semipelagianos dixiſſe hoc meritum non obſtare, quominus *Dei gratia ſemper gratuita perſeueret*, vt dixit Caſſianus collat. 13. capite 23. propè initium; atque contra hoc directè diriguntur hæc Auguſtini verba, ſicut & illa in ſequenti capite 3. *Quæ vtique non eſſet gratia, ſi eam vlla merita præcederent.* At verò ſi præcederent merita de congruo, iam vlla merita præcederent.

10. *Concilij Palæſtini contra Pelagium definitio.* Confirmatur primò, quia Concilium Palæſtinum definiuit contra Pelagium, *gratiam non ſecundùm merita noſtra dari, vt vera ſit gratia.* Vbi non tantùm concluſionem, ſed etiam rationem attigit, habetur apud Auguſtinum epiſt. 106. col. 11. & 12. & alibi ſæpe. Imò Pelagius ipſe coram Palæſtina Synodo negauit ſe aſſeruiſſe, *gratiam ſecundùm merita noſtra dari.* & hunc errorem anathematizauit, vt Auguſtinus refert in libro de geſtis Pelagij cap.14.initio, & cap. 17.18. 19. & 35.

Confirmatur ſecundò, quoniam Arauſicanum Concilium, & cæteri Patres, qui Auguſtinum ſequuntur, Semipelagianum illud meritum perexiguum oppugnant teſtimonio Pauli ad Rom. 11. *Alioquin gratia non eſſet gratia.*

11. Confirmatur tertiò verbis Leonis in epiſt.84. aliàs 86. ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum cap.3. quæ retulimus diſput. 17. ſect.2. num.5. & Philo tomo 1. Bibliothecæ lib. in Cantica, ad illa verba, *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata,* *Cantic. 6.* ait, *ſemper opus eſſe præueniri diuino auxilio; alioqui gratia iam non eſſet gratia.*

12. Denique hanc concluſionem confirmant omnia, quæ de quidditate gratiæ dicemus infrà diſputatione 20. ſectione 1. concluſione vltima, probantes nullum præcedere meritum congrui, ex naturæ viribus ad primam gratiam obtinendam. Hic enim ſolummodo expendimus vim præſentis rationis, quæ ſumitur ex quidditate gratiæ.

13. *Diuina gratia ſumme gratuita.* Concluſionis ratio à priori eſt, quia quidditas diuinæ gratiæ poſtulat ſummam rationem gratuiti, nullo, neque minimo gradu depreſſam à ſua perfectione atque puritate. At verò meritum de congruo, licèt non pugnet cum tota ratione gratuiti, deprimit tamen illius perfectionem, & puritatem tollit, quia quantum additur de merito, tantum excluditur de gratuito; quòd ſi meritum eſt perexiguum, quale eſt meritum congrui; perexiguum eſt, quod tollitur de ratione gratuiti: porrò quidditas diuinæ gratiæ nihil gratuiti ſibi auferri patitur. *Meritum congrui perexiguum meritum.*

14. Rationem hanc notauit Bernardus ſermone 67. in Cant. versùs finem, inquiens quare ſponſa dicat: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* *Cant. 2.* atque reſpondens: *nempe, vt tunc magis gratia plenam ſe probet, cùm totum gratiæ dederit, & primas ſcilicet, partes adſcribens, & vltimas. Alioquin quomodo gratia plena, ſi quid habuerit, quod non ſit ex gratia? Non eſt, quo gratia intret, vbi iam meritum occupauit: nam ſi quid de proprio ineſt, in quantum ineſt, gratiam illi cedere neceſſe eſt, deeſt gratia, quod meritis deputas.* & Gregorius lib. 33. Moralium capite 20. aliàs 25. propè initium ait. *Si quid nos bona operationis dedimus, vt eius gratiam mereremur; vbi eſt quòd Apoſtolus dicit: Gratia ſalui eſtis per fidem, & hoc non ex vobis*, &c. Pondera verbum *ſi quid*. nam meritum de congruo eſt aliquid, quamuis exiguum; ergo illo dato, non remanet, vbi ſit gratia.

15. *Soluitur prima dubitandi ratio.* Hinc ſoluitur prima ratio dubitandi, negando conſequentiam, quia inter homines quoties remuneratio interuenit, quamuis obſequio minimo reddatur eximium donum; adhuc deprimitur ratio gratuiti doni, eo ſaltem minimo gradu, qui eſt meriti in obſequio. Sed humana gratia diminutionem atque depreſſionem patitur, imò nulla eſt poſſibilis gratia ab vna perſona creata proueniens in aliam, quæ habeat puram & perfectam rationem gratiæ; quia quidquid vna perſona creata conferre poteſt alteri, debitum eſt illi, ſaltem debito connaturalitatis, & conuenientiæ, ſeu proportionis cum eius natura; debitum eſt etiam aliquo modo propter cognationem, & communionem, eo quòd omnes perſonæ ſunt rationis participes, & imagines Dei, & oues eiuſdem gregis ſub eodem paſtore & creatore. At verò diuinæ gratiæ quidditas poſtulat ſummum & puriſſimum gradum doni gratuiti, quo ſublato iam non eſt gratia. *Inter homines nihil purè gratuitum.*

16. *Soluitur ſecunda.* Ad ſecundam rationem dubitandi ſimul cum eius confirmatione, breuiter reſpondeo gratiam

iuſtificantem, & eius augmentum, atque ipſam etiam gloriam propterea eſſe gratiam, quia nulla merita præcedunt, quæ non ſint ex gratia. Nam quæcunque merita, ſiue de congruo, ſiue de condigno, ſi naſcantur ex gratia, nihil minuunt rationem gratiæ; ſi verò ex gratia non naſcantur, deſtruunt rationem gratiæ. Diximus de hoc plura præcedenti tomo de voluntate Dei diſput. 56. ſectione 4.

SECTIO III.

Vtrùm quidditati gratiæ repugnet diſpoſitio, impetratio, conditio, occaſio, & quælibet ratio valens ad obtinendam primam gratiam.

1. *Sententia negans.* NEgatiuam partem amplectuntur aliqui Doctores huius temporis, exiſtimantes nullum genus cauſalitatis moralis, quod in noſtris operibus cogitari poſſit, excludere rationem gratiæ, niſi meritum, idque probant per cætera diſcurrendo. Nam triplex tantùm modus cauſalitatis moralis hîc intercedere poteſt, diſpoſitionis, impetrationis, vel meriti. Quamquam enim intra latitudinem horum modorum poſſit inueniri varietas; omnis tamen illa ad hæc tria capita reuocatur, nec hactenus aliud excogitatum eſt.

2. Hoc ipſi tanquam indubitatum ſupponunt, ſed illud examinare nihil attinet in præſenti, quoniam etiam hoc fundamento dato, aut prætermiſſo, quæ illi nituntur argumenta, ſolutionem habent. Nihilominus ad finem præſentis ſectionis dicemus de conditione, occaſione, & ratione, quæ metaphyſicè præciſæ non ſunt impetratio, nec diſpoſitio, nec meritum: quamuis in re nunquam ab illis ſeparatæ reperiantur comparatione diuinæ gratiæ.

3. Præcipua illorum argumenta ſunt tria.

Fundamentum primum. Primum, quoniam diſpoſitio ſi non habeat adiunctam rationem meriti, non tollit rationem gratiæ. nam peccatori infunditur gratia ſecundùm ipſius diſpoſitionem, vt Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. capite 7. & tamen gratis infundunt, ſecundùm ſanam, & Catholicam doctrinam, quòd ſit proxima, & proportionata diſpoſitio ad gratiam. Non obſtat quidditati gratiæ; multò minus (inquiunt) obſtabit diſpoſitio remota, & improportionata.

Retorquetur. Reſpondetur primò retorquendo argumentum. Eodem namque argumento probarent meritum de congruo nihil obſtare quidditati gratiæ; quoniam fidei, ſpei, attritionis, aut contritionis actus, qui gratiam remiſſionis peccatorum præcedunt, illam merentur de congruo.

4. *Quæ merita non obſint quidditati gratiæ.* Quapropter, ſicut oſtendimus alibi, ea merita nihil obeſſe quidditati gratiæ, quæ tanquam ex prima radice naſcuntur ex prima gratia, data abſque vllo prorſus merito: attamen quodlibet etiam leuiſſimum, & remotiſſimum meritum de congruo, ſi ex illo naſcitur prima gratia, vel propter illud datur obeſſe quidditati gratiæ: ſic in præſenti reſpondeo, diſpoſitiones proximas & proportionatas ad gratiam, nihil obeſſe quidditati gratiæ, quoniam tanquam ex prima radice naſcuntur ex *Quæ diſpoſitiones non obſtant.* prima gratia, quæ abſque vlla diſpoſitione quaſi creata eſt à Deo ſine materia. Cæterùm pugnabit cum quidditate gratiæ, quælibet diſpoſitio quantumcunque appelletur improportionata & remota, ſi ab illa ſumit initium gratia, ita vt prima gratia detur intuitu talis diſpoſitionis.

Huius autem ratio eſt, quoniam quidditati gratiæ non ſolùm repugnat meritum, & debitum obſequij, quod peculiari vocabulo appellatur meritum, condiſtinguitúrque à diſpoſitione & impetratione, ſed etiam meritum & debitum connaturalitatis. At verò quotieſcunque datur diſpoſitio, quæ verè ſit diſpoſitio, quamuis ſit remota, & improportionata, datur etiam meritum, & debitum connaturalitatis eodem gradu remotum, & improportionatum. nam connaturalitatis debito diſpoſitioni debetur forma, ad quam diſponit. 5. *Debitum connaturalitatis gratiæ repugnat.* *Diſpoſitioni debetur forma.*

Eadem prorſus ſolutio eſt alterius argumenti, quo iidem Doctores probant impetrationem, præciſam à merito, nihil pugnare cum quidditate gratiæ; quia peccator fidelis habet vim impetrandi gratiam per orationes: nec tamen deſtruitur ratio gratiæ. 6. *Fundamentum ſecundum.*

Reſpondeo gratiæ quidditatem propterea non deſtrui, quia tota vis impetrandi naſcitur ex prima gratia, quam per orationes ſine auxilio gratiæ fuſas impoſſibile fuerat impetrare. *Soluitur.*

Alioqui verò quamlibet virtutem impetrandi, & vtiliter orandi, quæ non conferatur per Dei gratiam præuenientem, pugnare cum quidditate gratiæ, tanquam certum ſupponunt Auguſtinus, & cæteri Patres diſputantes contra Semipelagianos. Peculiariter notandum eſt, quod Auguſtinus ponderat in lib. de prædeſtinatione Sanctorum capite 7. circa illa verba Epheſ. 2. *Gratia ſalui eſtis per fidem.* Vnde infert, nullam impetrationem præcedere ante fidem, nec opera ex quibus impetretur iuſtificatio. *Quia fides prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur.* Sic etiam Arauſicanum Concilium canone 3. damnat eum, *qui dixerit inuocationem humanam gratia Dei poſſe conferri.* Sed de hoc fuſiùs infra diſputatione 24. ſectione 1. 7. *Impetratio orta ex ſola natura repugnat gratiæ.*

Confirmatur. nam iuſtificationis gratia omnibus membris Chriſti Domini collata, eamdem habet rationem gratuiti doni, non ſupponentis aliquid ex parte hominis, quam habuit gratia vnionis hypoſtaticæ comparatione humanitatis Chriſti; ſed hæc ratio gratuiti excluſit non ſolùm præcedentia merita, ſed etiam diſpoſitionem & impetrationem prouenientem ex viribus naturæ; ergo quælibet ratio gratuiti hoc totum excludit. Vide teſtimonia Auguſtini citanda infrà ſectione 10. 8. *Iuſtificationis gratia gratiæ vnionis ſimilis.*

Sed vrgent tertio argumento, quia petitio præciſa à ratione meriti non inducit rationem debiti; præſertim cùm eius efficacia, per ſe ſpectata non nitatur in iuſtitia petentis, ſed in liberalitate perſonæ, à qua petitur. 9. *Fundamentum tertium.*

Confirmatur. nam ſubuentio miſeri, quamuis impetrata ſit precibus, adhuc retinet veram quidditatem gratuitæ miſericordiæ.

Reſpondeo, petitio quantumcumque præſcindatur à merito obſequij, nihilominus quidditatiuè includit aliquod meritum connaturalitatis, ratione cuius aliquo debito connaturalitatis petenti debet concedi quod petit, ſi debita proportio intercedat, non ſolùm inter *Soluitur.* *Petitionis vis quanta.*

perſo

perſonas, ſed etiam inter petitionem, & impetrationem.

Solutio probatur. Probatur, quoniam huiuſmodi connaturalitatis meritum, & debitum eſt inter quamcumque cauſam & effectum, præſertim quando ſentitur vis naturæ inclinantis ad illum, vt conſtat ex dictis in peculiari libro de quidditate gratiæ tota diſputatione ſecunda. At verò omnes homines etiam duriſſimi, & auariſſimi, experiuntur in ſe ipſis vim petitionis maximam, cui cum moleſtia reſiſtunt; ideóque moleſtè ferunt precum importunitatem.

10\. Confirmatur primò, quoniam congrua ratio poſtulat, vt impetret qui competenter petit, cuius indicium à poſteriori eſt, quoniam magis gratuita eſt miſericordia, quæ miſeri preces anteuerit, quàm quæ preces expectat.

Importunæ preces vim coactionis habent. Confirmatur ſecundò, quoniam importunæ preces vim habent coactionis in aliquibus circumſtantiis; ergo preces quæcumque ſecundùm ſe ſumptæ vim aliquam habent impellendi, ſiquidem earum vis creſcendo peruenit aliquando ad coactionem.

Confirmatur tertiò, quoniam perfecta ratio gratiæ requirit, ex mera liberalitate donari. At verò non donatur ex mera liberalitate, quod precibus impetratur; ſiquidem preces vim habent obtinendi etiam ab homine malo, & auaro: vnde ſignum eſt dare aliquam cauſam donationi, propter quam minus indigeat mera liberalitate.

11\. Hinc conſtat petitionis efficaciam, quamuis præcipuè nitatur in liberalitate perſonæ, ad quam dirigitur, & nullo modo nitatur in iuſtitia petentis propriè dicta; nihilominus in prædicto merito connaturalitatis minus principaliter niti.

12\. *Precum efficacia non ex obſequio orta.* Ne fortè quis exiſtimet prædictam vim petitionis oriri non ex præciſa ratione petitionis, ſed adiuncto merito obſequij; quale habent omnes orationes apud Deum, iuxta illud Pſalmi 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Operæpretium erit ſimilem vim oſtendere inter homines, omnino ſeparatam à merito obſequij. Nec enim obſequij loco habebat petitionem ille, qui de intùs reſpondens dicat, *noli mihi moleſtus eſſe*, & tamen, *etſi non dabit illi, eoque amicus eius ſit: propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi*, Lucæ 11. Itaque hic homo nihil mouetur obſequio: mera, & præciſa efficacia importunæ petitionis extorquet, quam propterea improbitatem appellauit Chriſtus Dominus, quoniam coactionem aliquam affert. & Lucæ 18. Iudex ille dicebat: *etſi Deum non timeo, nec hominem vereor; tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua.* Nota vim cauſaliter in precibus importunis, non ex obſequio, ſed ex occulta vi inclinandi voluntatem.

13\. Confirmatur. nam ſæpè iniuria infertur alicui homini, petendo ab illo quod indignum eſt eius perſona; & tamen interior vis petitionis, cum quandoque vincit, vt cum ira, & deteſtatione iniuriæ nihilominus concedat quod petitur.

14\. *Oratio quæ non ſit latriæ actus non impetrat apud Deum.* Hæc de formalitatibus per intellectum præciſis dicta ſint. Nam quod attinet ad orationem, vt eſt à parte rei, conſtat non habere vim impetrandi apud Deum, niſi fuerit actus latriæ, exhibens cultum & honorem Deo, ac proinde rationem obſequij & meriti, neceſſariò ſupponit vt impetret. Vnde etiam Semipelagiani appellabant hoc meritum impetratorium. Quæ ratio ſatis erat, vt qualibet impetratio pugnaret cum gratia, quamuis non pugnaret ex præciſa ratione impetrationis, ſed quoniam adiunctam habet rationem meriti, vt oſtendemus diſputatione 19. ſectione 4. prope finem.

Quæ hactenus dicta ſunt, corroborantur à fortiori per ea quæ dicenda reſtant, de conditione & occaſione. Nam, vt integra maneat totius præſentis quæſtionis deciſio, neceſſarium fuit, hanc etiam difficultatem expedire. 15.

Sit igitur argumentum quartum. Occaſio, conditio, vel ratio accipiendi primam gratiam à merito impetratione atque diſpoſitione prorſus ſemotæ, poterunt aliquando reperiri, & tunc earum repugnantia cum gratia nulla erit, ſiquidem merè gratis donatur quod abſque vllis meritis, impetratione, aut diſpoſitione datur. *Fundamentum quartum.*

Confirmatur exemplo ampliſſimi cuiuſdam Archiepiſcopatus, cuius collatio ſine dubio eſt gratuita, quamuis Summus Pontifex attendat perſonæ literas, prudentiam, experientiam, aut etiam nobilitatem, & potentiam, præſertim ſi aliæ perſonæ etiam non minus idoneæ reperiantur: ergo ratio, aut conditio, aut occaſio conferendi gratiam non pugnat cum quidditate gratiæ. 16.

Reſpondetur primò. Dato reperiretur conditio, ratio, vel occaſio prorſus ſeparata à merito, impetratione & diſpoſitione; adhuc repugnaret gratiæ; quoniam adhuc maneret debitum connaturalitatis, quamuis abeſſet debitum obſequij. Quod probo, ſupponendo nos agere de ratione, conditione, & occaſione quæ per ſe & ratione ſui ex parte hominis prouocet diuinam clementiam, vt illi miſereatur; etiamſi vis prouocandi ſit tenuiſſima & leuiſſima. Quo ſuppoſito, quæcunque ratio, conditio, vel occaſio quæ ex parte liberi arbitrij exiſteret, quantum haberet rationis, tantum haberet congruitatis. Nam congruitas nihil aliud eſt, quàm conſonantia cum ratione. Deinde quantum haberet occaſionis & conditionis, per ſe prouocantis Deum ad miſericordiam huic homini præſtandam, tantum habet rationis, ac proinde etiam congruitatis. Vbi autem congruitas eſt aliqua per ſe data ex parte noſtra; ibi etiam aliquod debitum erit ſaltem connaturalitatis, vt diuina miſericordia conferatur. 17. *Solutio prima. Ratio, conditio, & occaſio gratiæ repugnant.*

Hinc ad confirmationem reſpondetur, collationem illam Epiſcopatus ampliſſimi, prout eſt ab vno homine in alium, eſſe quidem ſimpliciter gratuitam, ſed non ſummo gradu, quem quidditatiuè poſtulat ſupernaturalis gratia, quatenus à Deo in hominem deriuatur, vt in ſect. præcedenti propè finem dicebamus. 18.

Reſpondetur ſecundò. Impoſſibile eſt conditionem & occaſionem, aut rationem per ſe conferentem ad diuinam gratiam obtinendam, liberè dari ab homine; quin eo ipſo admixta ſit formalitas diſpoſitionis, & meriti. 19. *Conditio per ſe conferens ad gratiam, admixta diſpoſitione, & merito.*

Probatur à priori, quoniam ſi verè eſt ratio, conditio, vel occaſio per ſe conferens; eo ipſo habet aliquam proportionem ſaltem remotam cum gratia, ad quam obtinendam per ſe confert. *Ratio à priori, quia habet proportionem cum gratia.*

Quod ſi proportionem habet ſaltem remotam, hoc ſufficit vt ſit diſpoſitio, per quam hic homo redditur aliquo modo proportionatus & præparatus ad obtinendam gratiam. Vnde præterea ſequitur eſſe meritum de congruo ſaltem remotum ſi liberè procuretur. Nam liberè præſtare aliquod bonum proportionatum ad gratiam, eſt aliquo modo meritorium gratiæ; nec eſt aliquis iuſtus titulus denegandi hoc ius quantumcunque minimum.

20. *Virtualiter continet aliquam dilectionem Dei.*

Confirmatur primò, quia virtualiter continet aliquam inchoatam dilectionem Dei quodcunque opus liberè factum & proportionatum, ad obtinendam dilectionem Dei: at verò quicunque liberè inchoat dilectionem Dei, de congruo meretur, vt Deus ſui dilectionem rependat, conferendo aliquam inchoatam gratiam.

21. Confirmatur ſecundò, quia cùm Maſſilienſes reprehenderent quaſi ſuperflua tot ac tanta, quæ ſubtiliter, & copiosè Auguſtinus diſſeruerat, excludens omnem rationem, occaſionem, conditionem, diſpoſitionem, meritum, impetrationem, omne deniquè initium gratiæ, ipſe in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 20. & 21. reſpondet, omnia fuiſſe neceſſaria, vt gratia defenderetur eſſe gratia.

22. *Quicumque articulus Semipelagiani erroris & qualibet illius pars gratiæ contraria.*

Confirmatur tertiò, quoniam quicumque articulus Semipelagiani erroris, & quæcunque illius pars eſt contraria quidditati gratiæ, atque laudi, & gloriæ illius (vt frequenter clamant Auguſtinus, Proſper, Fulgentius;) ſed ex viribus naturæ dari rationem, conditionem, aut occaſionem per ſe vtilem ad obtinendam gratiam, eſt aliquis articulus Semipelagianus, aut aliqua pars illius; eſt enim dari per vires naturæ aliquod initium iuſtificationis, vt magis conſtabit diſputatione 20. ſectione 2. & 3. ergo ex viribus naturæ dari rationem, conditionem, aut occaſionem per ſe vtilem ad obtinendam gratiam, eſt contrarium quidditati, gloriæ, & laudi gratiæ.

23. *Auguſtini argumenta nixa in quidditate gratiæ.*

Quartò confirmatur, quoniam omnia argumenta, quibus vtuntur Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & alij, vt probent nullam eſſe rationem diſcriminis inter homines, ſed à libera Dei electione cauſati diſcrimen, nituntur in quidditate gratiæ, & oppoſitum exiſtimant eſſe initium gratiæ; ſed conditio, occaſio, vel ratio obtinendi gratiam, eſt aliqua ratio diſcriminis: ergo contraria eſt quidditati gratiæ. Vide infrà ſectione 8.

SECTIO IV.

Scriptura ſacra præuenientem Dei miſericordiam & gratiam operantem opponit cuicumque initio iuſtificationis ex parte noſtra.

1. SIt hæc quinta ratiocinatio, cuius clariora teſtimonia ſunt Pſalm. 58. *Miſericordia eius præueniet me.* & Pſalm. 78. *Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ; quia pauperes facti ſumus nimis.* Videlicet, eo vſque, vt nihil valoris apud nos ſit, ad iuſtificationem obtinendam. & Pſalm. 20. *Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* Quibus teſtimoniis Arauſicanum Concilium capite 14. confirmat, quòd *nullus miſer de quacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur.* Atque ea fuſiùs ad rem præſentem ponderant Auguſtinus contra duas epiſtolas Pelagianorum lib. 2. capite 9. & lib. 4. contra Iulianum capite 8. & de natura, & gratia capite 32. & de ſpiritu & litera capite 34. & in Enchirid. cap. 32. Proſper primo de vocatione Gentium cap. 24. Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 18. & lib. 1. ad Monimum cap. 11. Gregorius 33. Moralium capite 20. Bernardus ſermone 67. in Cantica versùs finem, & alij plerique.

Atque idem valent verba Sapientiæ 6. *Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt ſe prior illis oſtendat,* nimirum, antequam concupiſcant: nam Sapientiæ pulchritudinem concupiſcere, ſicut oportet, nullus poteſt, niſi cognouerit: cognoſcere autem ſicut oportet, nullus poteſt, niſi ipſa præoccupet, ſe oſtendendo.

Confirmatur primò, quoniam ſi Dei miſericordia præſupponeret ex parte noſtra aliquod obſequium, impetrationem, diſpoſitionem, rationem, conditionem, aut aliquid aliud: ſequeretur, Deum miſereri hominibus, præbentibus ex parte ſua tale obſequium, aut diſpoſitionem, impetrationem, conditionem, vnde quærenti à nobis, cuinam homini Deus miſeretur, aptum, atque verum eſſet reſponſum, dicentis: Deus miſeretur homini hoc facienti, aut illud cogitanti, aut volenti; quam propoſitionem primariò exterminare contendit Paulus ad Rom. 9. ponderans illud Exodi 33. *Miſerebor cui miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor.* Nec enim miſericordia mea extra ſe ipſam & ex parte hominis aliquam inuenit rationem, conditionem, aut occaſionem prouocantem. Vnde poſt pauca infert: *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Non quia induratio careat ratione iuſtiſſima ex parte hominis, ſed quoniam nulla ſit ratio diſcriminis, ob quam non etiam induretur alter, cuius Deus miſeretur, quoniam vult. Quem locum ponderans Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 31. confirmat ex Ioannis 5. *Sic filius, quos vult, viuificat,* & in epiſtola 6. ad Theodorum de conuerſ. cap. 8. 2.

Deus miſericordiam haberet petentium.

Confirmatur tertiò, quoniam ſi homo per vires naturæ volens, currens, & magno conatu contendens ad obtinendam gratiam, præberet aliquod initium, aut rationem, vt illam acciperet, ſequeretur, gratiam eſſe non ſolùm Dei miſerentis, ſed etiam hominis volentis, atque currentis: cuius oppoſitum Paulus docet Rom. 9. ex nuper citatis verbis Exodi 33. ita colligens: *Igitur non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei.* 3.

Gratia eſſet hominis volentis atque currentis.

Explicatur magis, & confirmatur vis rationis, quoniam conſenſus liber ad noſtram iuſtificationem eſt non ſolùm Dei miſerentis per auxilium gratiæ, ſed etiam hominis liberè volentis, currentis, atque cooperantis cum diuino auxilio. ergo in conſenſu libero non inuenitur ſufficiens ratio, propter quam non ſit volentis, neque currentis hominis, niſi in quantum ipſe etiam conſenſus liber prouenit ab alia priori miſericordia Dei, qua independenter à noſtra voluntate elegit, & congruam, opportunamque vocationem præbuit, cui præſciuit, infallibiliter præbendum fuiſſe conſenſum. Hæc igitur miſericordia præueniens omnem hominis conatum, eſt quæ primariò,

Conſenſus liber Dei miſerentis, & hominis volentis.

& propter

& propter ſeipſam, eſt ſolius Dei miſerentis, & ratione cuius cætera quæ ſequuntur, participant ſuo modo eandem rationem, vt non ſint volentis, nec curreotis hominis; ſed Dei miſerentis.

4. Hanc rationem ex hoc teſtimonio Pauli deſumptam, fusè Auguſtinus ponderat lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. non longè ante medium, & in libro expoſitionis quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos capite 61. & 62. qua parte illius doctrina non rrprobatur, ſed potiùs approbatur in eodem libro Retractationum capite 23. & in Enchiridio capite 32. ſiue.cuius verba recipiuntur à Magiſtro, & communiter Scholaſticis in 1. diſtinct. 26. Idem etiam ex dicto teſtimonio Pauli ponderat Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 18. fine. Proſper in epiſtola Pſalm. 118. ante illa verba: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Bernardus tractatu de gratia, & libero arbitrio columna penultima. Anſelmus de concordia prædeſtinationis & gratiæ, cum libero arbitrio capite 3. inter principium, & medium. Fauet etiam Hieronymus epiſtola ad Demetriadem de Virginitate paulò poſt medium, & lib. 4. in Hieremiam propè initium.

5. Atque idem propter eamdem rationem colligitur ex verbis Eccleſiaſtis cap. 9. *Nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam.* & Hieremiæ 10. *Scio, Domine, quia non eſt hominis via eius, neque viri eſt, vt ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Inde namque probatur optimè indigentia diuini auxilij, conferentis nobis poteſtatem, vt aliquid ad iuſtificationem cooperari videamus. De quo Auguſtinus optimè lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 5. & 6. & Fulgentius alia verba Auguſtini ponderans in libro 1. ad Monimum cap. 18 & de Incarnatione & gratia capite 20. poſt med. Proſper lib. 1. de vocatione Gentium capite 24.

6. *Homo aliquid prior daret Deo.*

Confirmatur tertiò, quoniam ſi homo per vires naturæ præbere potuiſſet aliquod obſequium, ratione cuius obtineret primam gratiam, iam poſſet homo aliquis prior dare Deo, vt retribueretur illi, contra Paulum ad Rom. 11. dicentem: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Vnde Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 7. fine ait: *Manifeſtè Apoſtolo omnino reſiſtit, qui dicit: Niſi ego priùs voluero, gratia ad me non venit. Quod omnino nihil aliud eſt dicere, niſi priùs dare Deo, vt retribuatur illi.* Hoc teſtimonio Pauli eamdem veritatem Auguſtinus confirmat de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 2. Fulgentius de Incarnatione & gratia capite 18. initio, & capite 29. ad finem. Bernardus ſermone 67. in Cantica, verſùs finem.

7. Hanc ſententiam ſumpſiſſe videtur Apoſtolus ex Iob 40. cap. *Quis antè dedit mihi, vt reddam ei.* quam Gregorius 33. Moralium cap. 20. initio exponit, dicens: *Nemo quippè, vt diuina illum gratia ſubſequatur, priùs aliquid contulit Deo. Nam ſi nos Deum bene operando præuenimus, vbi eſt quod Propheta ait: Miſericordia eius præueniet me.*

8. Idem colligitur ex Pſalmo 55. *Pro nihilo ſaluos facies illos.* ſic enim gratia redderetur homini, aliquid priùs danti, ad illam obtinendam: iam non pro nihilo, ſed pro aliquo fieret ſaluus. quod expendit optimè Auguſtinus de prædeſt. Sanctorum cap. 6.

Confirmatur quartò, quoniam præbere aliquod obſequium, eſt aliquo modo diligere illum, cui præbemus obſequium. Vnde ſi nos poſſemus aliquod obſequium offerre Deo ad obtinendam primam gratiam, ſequeretur nos priores diligere Deum; cuius oppoſitum teſtatur Ioannes 1. epiſtola cap. 41. *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Quem locum ponderat Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti cap. 26. Proſper in epiſt. ad Demetriadem, & in alia epiſtola ad Ruffinum, & lib. contra Collatorem capite 30. Bernardus ſermone 67. in Cantica verſùs finem. 9.

Nos priores Deum diligeremus.

Eadem vis eſt in electione Ioannis 15. *Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos.* Vbi negari non poteſt electio, qua nos elegerimus Deum, poſteaquam Deus nos elegerit. Nam Deuterom. 26. & 30. Iſraëlitæ Dominum Deum eligunt. & Dauid Pſalmo 118. *Viam veritatis elegit.* & iterum: *Mandata Dei elegit.* Quapropter ea ſolummodo electio negatur, *qua nos priores Deum elegiſſe dicamur, ſaltemque ſit, quod abſit, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*, vt Auguſtinus loquitur lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 19. & fuſiùs tractatu 83. in Ioannem, & Bernardus ſerm. 67. in Cantica verſùs finem. Eodem teſtimonio ad eamdem veritatem confirmandam vtitur Baſilius homil. 22. de humilitate circa medium. 10.

Electio duplex.

Confirmatur quintò, quoniam hominis iuſtificatio incipit à pugna Dei, alligans Dæmonem, vt hominem de illius poteſtate liberet; hoc autem eſſe, priùs notauit Chriſtus Dominus Matth. 12. *Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi priùs alligauerit fortem; & tunc domum eius diripiet.* Alligatur fortis, quando eius tentationes deprimuntur, & franguntur vires: deinde domus eius diripitur, quando captiui homines eripiuntur tanta vi diuinæ illuſtrationis & ſuauitatis, quantam Satanas impedire nequeat. Facit ad hanc rem expoſitio Auguſtini in ſermone 11. de verbis Domini prope initium. Confirmatur denique 1. Ioannis 4. *Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis mundum, quoniam maior eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.* Hæc nimirum eſt prima cauſa victoriæ, Spiritus ſanctus per gratiam in nobis exiſtens. Vtitur hoc teſtimonio Proſper lib. 1. de vocatione capite 24. ad finem. 11.

Dei pugna iuſtificationem inchoat.

Sexta ratiocinatio pertinet ad operantem gratiam, quæ via, niſi nomine, differt à gratia præueniente, de qua huc vſque loquuti ſumus. Hæc autem gratia propterea dicitur operans, quia priuſquam noſtrum liberum arbitrium aliquid operetur ad ſalutem vtile; ipſa in nobis ſine nobis operatur, vt cognoſcamus ac deſideremus bonum. Vnde poſtea operatur nobiſcum conſenſum, & operis executionem. Quæ omnia virtute continentur in teſtimonio Pauli Philippenſ. 2. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere.* quod ab Auguſtino aliiſque Patribus quàm frequenter ponderatum ſit, ad probandam neceſſitatem gratiæ præuenientis ad initium iuſtificationis, oſtendemus diſputatione 19. ſectione 2. numero 18. 13.

Gratia cooperans.

Solo nomine differt à præueniente.

Cur dicatur operans.

Idem

14. Idem docemur Epheſ. 3. *Ei autem qui potens eſt, omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus, ſoli Deo honor & gloria.* & Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* & Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis.* & 1. Corinth. 12. ab illis verbis, *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus; & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Cuius loci priora verba ad rem præſentem ponderat Arauſicanum canone 8. ſed vniuerſa fuſiùs Proſper in 1. libro de vocatione Gentium cap. 24. Sicut etiam Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 9. illud Pſalmi 59. *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.*

15. *Quomodo Deus omnia in omnibus operetur.*

Confirmatur primò, quoniam Deus omnia in omnibus operatur, quatenus ipſe ſuos filios agit, vt agant: ſecundùm illud Rom. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Deus autem filios agit, impulſu, tactu, inſpiratione, qua præparat, mouétque voluntatem, vt agant; ſine qua Dei gratia præueniente, & agente liberum arbitrium, niſi poſſumus agere, vt ponderat Zoſimus Papa, cuius verba refert, & approbat Cæleſtinus epiſtola 1. ad Epiſcopos Galliæ capite 8. & fuſiùs ponderat Auguſtinus de gratia & libero arbitrio capite 11. & 12. & de corrept. & gratia cap. 2. & de verbis Apoſtoli ſerm. 13. poſt medium. Proſper in lib. Sententiarum ex Auguſtino, ſententia 310. Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 8. Exiſtimo autem eamdem eſſe mentem Pauli 2. Corinth. 5. dicentis: *Qui autem efficit nos in hoc ipſum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.*

16. *Difficillimus charitatis actus martyrium.*

Confirmatur ſecundò. nam peculiariter ad maximum & difficillimum charitatis actum, videlicet, fidei confeſſionem coram Tyranno, Deum eſſe, qui in corde Martyris cogitationes ſuggerit, operatur affectus, & ori verba miniſtrat, docemur Matthæi 10. *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* & 2. Corinth. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus.* & Rom. 15. *Non enim loquor, quæ per me non efficit Deus.* Quæ teſtimonia ad confirmandum initium iuſtificationis ex gratia præueniente, & operante, ponderat Bernardus tractatu de gratia & libero arbitrio, versùs finem, & peculiariter verba Matthæi 10. ponderat Auguſtinus de prædeſtinatione & gratia capite 11. & Proſper contra Collatorem capite 34. & 38. & epiſtola ad Demetriadem prope finem. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſ. 16. poſt med.

17. *Quæ ex fide proficiſcuntur Deus operatur in omnibus.*

Confirmatur tertiò. nam in quocunque fideli generaliter, & abſque vlla exceptione operari Deum, non ſolùm vt credat, ſed etiam cætera omnia, quæ ex fide proficiſcuntur, teſtatur Paulus 1. ad Theſſal. 2. *Accepiſtis illud, non ſicut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.*

18. Confirmatur quartò. *Quoniam quæ Deus promiſit, potens eſt & facere*, Rom. 4. promiſit autem Deus ſe facturum, vt in lege eius ambulemus; ergo hoc ipſum Deus facit, agendo nos per gratiam excitantem vt agamus. Vtitur hoc argumento Proſper 1. de vocatione Gentium cap. 20. fine. & Auguſtinus ad hunc locum alludit frequenter, quando expendit teſtimonia Ezechielis, & aliorum Prophetarum, quibus eiuſmodi promiſſa continentur.

Confirmatur quintò, ex Pſalmo 36. quem ad rem præſentem adducit Auguſtinus lib. de natura & gratia capite 31. fine, & 32. initio, dicens: *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet: non ſicut quidam putant, quod ipſi faciant. Nullos enim videtur attendiſſe cum dixit, & ipſe faciet: niſi eos, qui dicunt, nos facimus, id eſt, nos ipſi nos ipſos iuſtificamus. Vbi quidem operamur & nos, ſed illo operante cooperamur, quia miſericordia eius præuenit nos.* 19.

SECTIO V.

Singula in ſpecie quæ ad initium iuſtificationis concurrunt, ſacra Scriptura refert ad Dei gratiam præuenientem & operantem.

DAbit hæc ſectio ratiocinationes octo de electione diuina, vocatione, illuſtratione, cogitatione, deſiderio, Scriptura Dei, cordis permutatione, ac pœnitentia. Sit igitur 1.

Ratiocinatio 7.

Ratiocinatio ſeptima, deſumpta ex principio extrinſeco & increato iuſtificationis, videlicet diuina electione, quam Paulus ſtudioſè docuit, non habere ſui cauſam aliquam ex humanis meritis petitam; ſed potiùs ipſam independenter à noſtris meritis cauſare omnem gratiam, & omnia hominum merita. Non enim Deus in Chriſto nos elegit, quia eramus ſancti, aut fideles; aut quia ſanctos, vel fideles nos futuros eſſe prævidit; ſed potiùs *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius.* Ita S. Auguſt. ratiocinatur in libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 19.

Diuina electio ſine cauſa ex noſtris meritis.

Idem argumentum ſumitur ex 1. ad Timotheum 1. *Miſericordiam conſequutus ſum vt ſim fidelis. Non dixit, quia fidelis eram; ſed, vt eſſem.* Ita ponderat Arauſicanum Concilium can. 25. prope med. Deſumpſit autem ex Auguſtino in lib. de prædeſtinatione Sanctorum capite 3. & 19. & libro de gratia & libero arbitrio cap. 7. Idem Fulgentius de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 18. apud Paulum 1. ad Timotheum 1. alia eſt cohærentia verborum, idem tamen ſenſus.

2. *Obiectio.*

Obiicies. Aliud eſt habere aliquam rationem, aut aliquod leuiſſimum meritum, aut diſpoſitionem obtinendi gratiam; aliud verò eſt ipſa immaculata ſanctitas. Ergo ex eo, quòd Deus nos elegerit, vt eſſemus ſancti, & immaculati, non ſequitur, Deum etiam nos elegiſſe vt haberemus quamcunque rationem, aut meritum etiam leuiſſimum, aut diſpoſitionem obtinendæ gratiæ.

Soluitur.

Reſpondetur, meritum quodcunque, etiam leuiſſimum, vel diſpoſitio, aut ratio gratiam obtinendi, non aliter diſtinguitur ab immaculata ſanctitate, niſi vt pars à toto: at verò ad totam ſanctitatem à principio vſque ad finem Deus nos elegit prius, quàm Deum eligeremus,

remus, vt vidimus ſuprà ſectione præcedenti numero 10.

3. *Iuſtificationis initium à vocatione ſumendum.* Octaua ratiocinatio deſcendit ad initium intrinſecum, & inhærens, quod eſt vocatio, de qua Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. *Declarat iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione; qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Quod deſumpſit ex 2. ad Timoth. 1. *Qui vocanit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora æterna.* Quem locum Auguſtinus ponderat in lib. de bono perſeuerantiæ capite 23. fine. Proſper epiſtola ad Demetriadem, & epiſtola ad Ruffinum, & Chryſoſt. 2. ad Timotheum t. homil. 2.

4. Hoc ipſum confirmat Auguſtinus in lib. 83. quæſtionum quæſt. 48. ex parabola eorum, qui vocati ſunt ad cœnam Lucæ 14. Vnde concludit, vocationem eſſe priorem omni merito noſtro. Quod oſtenditur clariùs Rom. 9. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei*, &c. Vbi conſtat, vocationem non eſſe ex operibus, ſiue ex meritis, ſed potiùs ex vocatione eſſe merita, ſiue opera, vt notauit Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. & lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 19. Similia docet in expoſitione quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos num. 63. & 64. & in Pſalm. 5. ad finem. & lib. 1. Retractat. cap. 26. prope finem. Præterea confirmatur 1. Petri 3. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu.* vbi non alia de cauſa Deus omnis gratiæ appellatur, & ſubiungitur, in Chriſto Ieſu, niſi vt aduerteres, vocationem eſſe gratiam per merita Ieſu Chriſti Domini noſtri. Vtitur hoc teſtimonio Proſper 1. de vocatione Gentium cap. 24 ad finem. *Cur Deus omnis gratiæ appelletur.*

5. *Interna illuſtratio vocationis pars.* Nona ratiocinatio ſumi poteſt ab interna illuſtratione, quæ vocationis pars eſt, cuius principium non ex viribus naturæ, ſed ex Deo eſſe, conſtat 2. Corinthiorum 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu.* Quo teſtimonio contra Caſſianum vtitur Proſper lib. contra Collatorem cap. 14. & in epiſtola ad Demetriadem. Rurſus Epheſ. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* vbi vocationem, excitationem, & illuſtrationem obſerua. & Epheſ. 1. *Deus det vobis Spiritum ſapientiæ, & reuelationis, in agnitionem eius illuminatos oculos cordis veſtri.*

6. *Cogitatio humanarum actionum principium.* Decima ratiocinatio ſumitur à cogitatione; hæc enim ſicut principium eſt cuiuſcunque actus humani, ita etiam debet eſſe principium eorum actuum, quibus ad iuſtificationem diſponimur. Quapropter cogitatio vocationis pars eſt. Porrò cogitationem vtilem ad ſalutem non ex viribus naturæ, ſed Dei gratia prouenire, teſtatur Apoſtolus 2. Corinth. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti.* Vbi perpende primò ad Deum, non quaſi authorem naturæ, ſed quaſi authorem gratiæ noui Teſtamenti, referri cogitandi poteſtatem, & ſufficientiam. Secundò non ſolùm cogitandi poteſtatem, ſed etiam actualem ipſam cogitationem eſſe ex Deo. Hæc breuiter in hoc teſtimonio attigit Arauſicanum canone 7. Concilium Carthaginen. epiſtola ad Innocentium poſt eius epiſtolam 24. Sed explicauit clariùs Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. circa med. & de bono perſeuerantiæ cap. 8. & libro 1. de gratia Chriſti cap. 25. fine, & contra duas epiſtolas Pelagianorum libro 2. capite 8. & epiſtola 106. ad Paulinum colum. 2. Proſper de vocatione Gentium capite 24. & contra Collatorem capite 15. Fulgentius epiſtola 4. ad Probam cap. 3. Philo in Cantica ad illa verba, *Terribilis vt caſtrorum acies*; ſed de cogitatione dicemus plura diſput. 31. ſect. 3. à numero 7. *Cant. 6.*

7. *Deſiderium boni vocationis pars.* Vndecima ratiocinatio ſumi poteſt à cupiditate deſiderio boni, quæ eſt altera pars ſimul cum cogitatione, & illuſtratione intellectus integrans vocationem. At verò huiuſmodi cupiditatem & deſiderium non eſſe ex viribus naturæ, ſed ex gratia, fuſiùs probandum eſt diſputatione ſequenti ſectione 2. concluſione 2.

8. Duodecima ſub metaphora ſcribendi complectitur vtramque partem vocationis, videlicet, illuſtrationem intellectus, & voluntatis affectum, Hierem. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Qui locus ad Hebræos 8. ita citatur: *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas.* Ad quam promiſſionem alludens 2. Corinth. 3. Paulus ait: *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Citatum Hieremiæ teſtimonium in præſenti cauſa profert Auguſtinus de ſpiritu & litera cap. 20. & 21. Fulgentius de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 25. fine, & cap. 26. fine, & cap. 27. in medio, addit citatum teſtimonium 2. ad Corinth.

9. *Iuſtificationis initium à permutatione cordis.* Decimatertia ratiocinatio ad cordis permutationem pertinens omne initium iuſtificationis, ex viribus naturæ proueniens, excludit duplici argumento.

Alterum eſt, quoniam quæcumque humana operatio ſupponit cor hominis, quaſi illius principium. nam de theſauro cordis proferuntur bona Matth. 12. Sicut etiam mala Matth. 15. Vnde neceſſarium eſt, cor præſupponi, quaſi principium cuiuſcunque boni meriti, impetrationis, diſpoſitionis, rationis, aut conditionis, ad obtinendam gratiam. At verò nouum cor nobis donatur atque mutatur per gratiam: quapropter gratia hæc præuenit omne meritum, impetrationem, diſpoſitionem, rationem, aut occaſionem. *Cor boni meriti principium.* *Mutandi cordis author Deus.*

10. Alterum argumentum eſt confirmatio præcedentis. nam tantum abeſt cor noſtrum à poteſtate præbendi aliquod initium iuſtificationis noſtræ, quantum cor lapideum abeſt à poteſtate præbendi initium vitæ, quam præbet cor carneum. Hæc duo argumenta ſumuntur ex 11. & 36. capite Ezechielis: *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum; & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* & iterum: *Dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio veſtri; & auferam à vobis cor lapideum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.*

His

11. His argumentis vtitur Auguſtinus in libro 1. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 11. fine, & fuſiùs in lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14. & ſequentibus. Peculiariter notanda ſunt illa verba dicti capitis 14. *Nunquid poſſumus niſi abſurdiſſimè, dicere bonum meritum bonæ voluntatis in homine præceſſiſſe, vt auelleretur ab eo cor lapideum; quandoquidem ipſum cor lapideum non ſignificat niſi duriſſimam voluntatem, & aduersùs Deum omnino inflexibilem. Vbi enim eſt bona voluntas, iam non eſt cor vtique lapideum.* Eadem verba Ezechielis ad rem præſentem adducit Proſper contra Collatorem cap. 23. & Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 20. & lib. 1. ad Monim. cap. 8. 9. & 14.

12. Confirmatur primò. nam eadem vis eſt Hieremiæ 32. verſu 39. *Dabo eis viam alteram, & cor aliud, vt timeant me omnes dies.* Ita ſecundùm Septuaginta legit, & adducit ad rem præſentem Proſper lib. 1. de vocatione Gentium cap. 9. Atque idem eſt ſenſus vulgatæ ita legentis: *Dabo eis cor vnum, & viam vnam.* Quod fieri non poteſt, niſi ablato multiplici corde, quod vnicuique illorum peculiare priùs erat. Et ſecundo Paralipom. 30. *In Iuda facta eſt manus Dei, vt daret illis cor vnum, vt facerent præceptum Regis, & principum in verbo Domini,* nimirum quando ad Dei cultum reuertebatur populus. Quem locum ponderat Auguſtinus lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 19. & 20. 1. Regum 10. *Immutauit Sauli Deus cor aliud.* Quem locum tractat egregiè Gregorius in lib. 1. Reg. ſuo libro 4. versùs finem.

13. Confirmatur ſecundò multiplici alia phraſi quæ mutandi cordis Deum authorem eſſe ſignificat. Prima in libro 1. Regum cap. 10. *Abiit cum Saul pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda. Tangit autem Deus cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem.* vt loquitur Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. Atque eâdem phraſi ad ſignificandam præuenientem gratiam vtitur Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 8. & lib. 4. contra Iulianum cap. 8. non procul à principio, & de gratia Chriſti cap. 45. Idem cordis tactus ſignificatur Cant. 5. *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi.* & poſt pauca: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* & Apocal. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Secunda phraſis in 3. Regum 8. *Inclinet cor noſtrum ad ſe Dominus, vt ſeruemus mandata eius.* & Pſalm. 118. *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua.*

14. Tertia in lib. 2. Machab. cap. 1. *Adaperiat Dominus cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis.* Quarta phraſis Prouerb. 21. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, vertet illud.* Quem locum ad rem præſentem ponderat Auguſtinus de gratia & libero arbitrio cap. 21. poſt medium. Quinta in eodem capite 21. Prouerbiorum: *Dirigit corda Dominus.* Quo teſtimonio vtitur Proſper 1. de vocatione Gentium cap. 24. & lib. contra Collatorem cap. 12. Sexta phraſis. *Dabo eis cor, & intelligent, & aures, & audient,* Baruch 2. prope finem.

15. *Pœnitentia munus.* Ratiocinatio decimaquarta cum præcedenti neceſſariò cohæret. Agit enim de pœnitentia, cuius proprium munus eſt cordis permutatio, & nouitas, deteſtantis, quæ priùs diligebat, & deſiderantis quæ priùs contemnebat. Vnde ſic arguitur. Iuſtificationis initium in homine fideli ſumitur ex mutatione voluntatis recedentis à malo per illius deteſtationem, & pœnitentiam, & accedentis ad bonum per illius cupiditatem & deſiderium; ſed pœnitentia eſt gratuitum donum Dei: ergo per gratiam Dei donatur iuſtificationis initium. *Pœnitentia donum gratuitum.* Ad huius rationis confirmationem illud 2. Timoth. 2. fine. *Cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati: ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem.* & Actuum 11. *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Ponderat Auguſt. lib. 5. aduersùs Iulianum cap. 3. circa medium. Proſper ad obiectiones Vincentianas obiect. 15. Fulgentius de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti cap. 17. atque eiuſdem argumenti confirmationem continet tota epiſtola 6. Fulgent. ad Theodorum de conuerſione.

SECTIO VI.

Creatio, vel generatio ex diuino ſemine, reſuſcitatio, & liberatio probant initium iuſtificationis ex præueniente gratia.

DEcimaquinta ratiocinatio. Si, vt Phyſici, aut Metaphyſici, loquamur de phyſica actione, per quam gratia in animam infunditur, non creat Deus gratiam; quoniam dependenter à ſubiecto producit, vt ſuo in loco probant Scholaſtici. 1. *Non creatur gratia.* Sed in præſenti conſideramus moralem actionem Dei, qua liberaliter vult conferre gratiam, & hanc ſacra Scriptura iure optimo *creationem* appellat. quoniam nihil ſui gratia ſupponit in homine, nullum initium, nullam cauſam, ſubindéque gratia ſemper fit ex nihilo, in quo creationis ratio conſiſtit. *Moraliter creatur gratia.*

Confirmatur primò, quia ſi ad obtinendam gratiam concurreret aliquod humanum meritum, vel impetratio, iam creata cauſa moraliter efficiens, Deum prouocaret ad agendum, & inchoaret iuſtificationem. 2. Quare iuſtificatio fieret ex aliquo ſui initio, & non ex nihilo. *Creatura iuſtificationem inchoaret.* Rurſus ſi aliqua diſpoſitio, conditio, ratio, vel occaſio ſupponeretur ex parte ſubiecti, cùm hæc omnia, in genere cauſæ moralis, reducantur ad genus cauſæ materialis: Sequeretur ex præſuppoſita materia, & dependenter ab illa conferri gratiam. Quapropter moraliter loquendo, non eſſet propriè creatio.

Confirmatur ſecundò, & ſimul occurritur obiectioni, quam offert rationalis anima; cuius productio, creatio eſt, quamuis in materia Deus præſupponat diſpoſitiones à naturali agente productas ad introductionem animæ rationalis. 3. *Obiectioni occurritur.* Cæterùm hac de cauſa productio animæ rationalis conſiderata in genere moralis actionis deficit à perfectiſſima ratione creationis, quoniam intuetur aliquod debitum connaturalitatis, cui redditur anima rationalis, & quo ſublato non vellet Deus eam producere. *Animæ rationalis productio deficit à morali creatione.* Cæterùm eadem productio ſecundùm phyſicam rationem productionis & conſiderata quacunque cauſa phyſica, perfectiſſimam rationem creationis habet. *Phyſicè creatio.* Quoniam à nulla prorſus creata cauſa pendet, niſi à Deo: ita vt nec à materia, nec ab illius diſpoſitionibus, nec ab agente phyſicè pendeat. Vide quæ dicemus diſp. 24 ſect. 4. num. 15.

4. Huius rationis vim continent ſacræ Scripturæ teſtimonia quæ ſequuntur. Eccleſiaſtici 17. de

primis

Digitized by Google

primis parentibus, quantum ad naturales dotes animi, ſic loquitur: *Conſilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos.* Sed quando ad ſupernaturalia dona gradum fecit, mutandam cenſuit phraſim, atque dicendum: *Creauit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu impleuit cor illorum.* Epheſ. 2. *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* & cap. 4 *Deponentes veterem hominem, induite nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Pſalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* 2. Corinth. 5. *Vt ſitis in illo noua creatura, nouum figmentum.* Hæc teſtimonia Epheſ. 2. & 4. & Pſalm. 50. ad præſentis dogmatis confirmationem producit Auguſtinus in Enchirid cap. 31. & libro de gratia, & libero arbitrio cap. 7. & 8. & Proſper de vocatione Gentium lib. 1, cap. 23. fine, & lib. 2. cap. 35. Fulgentius de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti cap. 19. in med.

5. Decimaſexta ratiocinatio conciliando iuſtorum generationem cum propria ratione creationis, idem dogma confirmat, quia quamuis gratiæ infuſio, Dei generatio dicatur ex diuino ſemine facta, prout deſtinatur ad conſtituendum hominem diuinæ naturæ participem, & imaginem, modo explicato in peculiari libro de quidditate gratiæ, diſputatione 1. ſectione 4. & 5. Nihilominus prout comparatur ad terminum à quo, verè eſt creatio; quia nihil ſupponit ex parte noſtra, quod fuerit initium, ſed deſtinatur, vt nos faciat eſſe initium creaturæ Dei, vt Iacobi 1. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Vtrumque complexus eſt Apoſtolus, & rationem generationis & creationis, eo quòd generatio non ſupponit initium, ſed potiùs deſtinatur ad tribuendum nobis initium.

Gratia infuſio, Dei generatio.

6. Hinc naſcitur ratiocinatio decimaſeptima, quoniam eſſe ſupponitur ad operationes, quapropter nullus poteſt per ſuas operationes mereri, aut impetrare, vt ſit, nec dare aliquod initium propriæ vitæ, atque operationum; ſed illud agens, quod creat, vel generat, eſt quod ponit primum principium vitæ, atque omnium operationum; quocirca nullus antequam ſecundùm Deum creatus ſit, vel genitus ex diuino ſemine aliquid poteſt ad ſalutem vtile. Hæc ratio à D. Dionyſio de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. his verbis traditur. *Si diuinus ſtatus diuino ortu, &, vt ita dicam, generatione efficitur: profectò qui ſtatum diuinum non accipit, is nihil vnquam eorum, quæ à Deo tradita ſunt, operabitur. An non etiam nos (hominum more & ordine loquor) eſſe primum, deinde verò operari ea, quæ nos attingunt, debemus? cùm id, quod nullo modo eſt, neque motum, neque ſtatum habeat: quod autem aliquo modo eſt, ea modo & faciat, & patiatur, quæ natura ipſius ferat.*

Eſſe ſupponitur ad operationem.

7. Nititur hæc ratio in iis teſtimoniis, quæ diuinum ortum, & generationem docent: vt Ioan. 1. *Sed ex Deo nati ſunt.* & cap. 6. *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* 1. Ioannis 5. *Qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei ſeruat eum.* Quod autem hæc generatio priùs terminetur ad eſſe gratiæ, poſtea verò ad cooperandum nobiſcum, conſtat 1. Corinth. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum,* &c. quo teſtimonio in præſenti cauſa vtitur Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 18. & Auguſtinus, Gregor. Bernard. citandi infrà diſp. 31. ſect. 1.

Confirmatur primò. nam in huiuſmodi generatione primum initium eſt ſemen Dei: quapropter à gratia, & non à libero arbitrio, datur iuſtificationis initium. 1. Petri 5. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui.* 1. Ioannis 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* 8.

Huius generationis initium ſemen Dei.

Confirmatur ſecundò, ratione à priori, & ſumpta ex perfectione fructus producendi. Quam notauit Anſelmus in libro de concordia prædeſtinationis & gratiæ cum libero arbitrio cap. 3. inter principium & medium, dicens: *Sicut terra innumerabiles herbas, & arbores, ſine quibus humana natura alitur, aut etiam quibus perimitur, ſine omni hominis cura profert: illa verò, quæ nobis ad vitam nutriendam, maximè ſunt neceſſaria, non ſine magno labore, atque cultore, neque abſque ſeminibus: ita corda humana ſine doctrina, ſine ſtudio, ſponte quaſi germinant cogitationes & voluntates, nihil vtiles ſaluti, aut etiam noxias; illas verò, quibus ad ſalutem animæ proficimus, nequaquam ſine generis ſui ſemine, & laborioſa cultura concipiunt, & germinant.* Pondera, generis ſui ſemen eſſe ſimpliciter neceſſarium, videlicet ſupernaturale ſemen gratiæ, quod explicat continuò, dicens: *Eſt autem ſemen huius agriculturæ verbum Dei: imò non verbum, ſed ſenſus, qui percipitur per verbum, vox namque ſine ſenſu nihil conſtituit in corde.* quod fuſiùs explicat ſequenti contextu. Idem S. Bernardus alia ratione confirmat ſermone 32. in Cantica poſt med. dicens: *Nec de verbo malum, nec de corde exiet bonum, niſi quòd priùs fortè de verbo conceperit, quia non poteſt bona arbor malos fructus facere, nec arbor mala bonos: vt ſciant inimici gratiæ, abſque gratia nec ad cogitandum bonum ſufficere cor humanum; ſed ſufficientiam ipſius ex Deo eſſe, Dei vocem; quod cogitatur non cordis prolem exiſtere.* 9.

Confirmatur tertiò. Nam mortui nihil operati poſſunt, quo ſuæ vitæ, aut reſurrectionis initium præbeant; ſed totum à gratia Dei prouenire debet. Epheſ. 2. *Cùm eſſemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit.* & Coloſſenſ. 2. *& vos cùm mortui eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo.* & filius prodigus Lucæ 15. *mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt.* Vnde neceſſitatem præuenientis gratiæ, & vocationis colligit Auguſtinus in Pſalm. 77. citand. in §. ſequenti. 10.

Confirmatur quartò, quia opus fuit Deum abundaſſe miſericordia, vt aucrteret iram, *recordareturque, quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens,* Pſalm. 77. cuius paraphraſis hæc eſt vis apud Auguſtinum ibi: *Ideo eos vocando, & miſerando per ſuam gratiam ipſe reuocauit, quia per ſe ipſos redire non poterant.* & confirmat Auguſtinus ex capite 2. Prouerb. vbi de via iniquitatis dicitur: *Omnes qui ambulant in ea, non reuertentur, nimirum, niſi præueniente gratia reuocati.* Eodem verſu Pſalm. 77. ad idem probandum vtitur Proſper 1. de vocat Gentium. cap. 7. & Anſelmus dialogo de libero arbitrio cap. 10. 11.

Decima octaua ratiocinatio. Principium cuiuſque meriti, impetrationis, aut cuiuſque operis vtilis ad ſalutem ſumitur à libera poteſtate ſer- 12.

Velle ſeruire Deo ſicut

oportet ſine gratia nemo poteſt.

uiendi Deo; ſed hanc libertatem & poteſtatem ſeruiendi Deo, ſicut oportet, nullus habet, niſi per diuinam gratiam liberantem à ſeruitute peccati: ergo ante gratiam liberantem nullum eſt in nobis principium meriti, impetrationis, aut cuiuſque operis vtilis ad ſalutem. Quapropter Chriſti Domini proprium munus eſt liberare Ioann. 8. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Quem locum ad hoc confirmandum adducit Arauſican. canone 13. Fulgent. de Incarnatione & gratia cap. 19. & 20. Atque eadem protſus eſt mens Auguſtini de ſpiritu & litera cap. 30. & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 3. & in Enchirid. cap. 30. & 106. Proſper in ſententia 152. ex Auguſtino 14. de ciuitate cap. 11. & obiectiones Vincentianas obiectione 5. & contra Collatorem cap. 38. fine. Anſelmus in Dialog. de libero arbitrio cap. 3. 4. & 10. Eodem ſpectant alia teſtimonia ſacræ Scripturæ, vt Galat. 4. *Qua libertate Chriſtus nos liberauit.* 2. ad Timotheum 1. *Qui nos liberauit, & vocauit.* & id genus multa, atque inſuper multo plura, quæ de Redemptione à ſeruitute peccati loquuntur, idem probant.

SECTIO VII.

Inuentus Deus à non quærentibus, & ſortes à Deo temperatæ idem probant.

1\. *Significatio quærendi, & inueniendi vt ſacra littera hæc verba vſurpant.*

DEcimanona ratiocinatio nititur propriæ ſignificationi quærendi & inueniendi, prout ſacris litteris vſurpant hæc verba: ſupponunt namque, ouem, aut filium perditum periiſſe iam; ideóque nihil poſſe ſuis viribus, ad quærendum paſtorem & patrem: nihílque illius valere conatus, vt inueniatur, niſi præueniente gratia, priùs à Deo quæratur.

Probat primò Auguſtinus tract. 7. in Ioannem columna penultima ex Lucæ 15. & Matth. 12. *Numquid enim nos prius quæſiuimus Chriſtum, & non ille nos quæſiuit? Numquid nos venimus ægroti ad medicum, & non medicus ad ægrotos? Nónne ouis illa perierat, & paſtor quæſiuit illam, & inuenit? Nónne perierat dragma?* & cætera, quæ ſubiungit ad confirmandam imbecillitatem noſtrarum virium, niſi diuina gratia præueniamur. Conſonat illud 19. Lucæ: *Venit Filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat. Vti quem agnoſcebamus ſaluum factum, ſciremus à quærente præuentum*, ſicut ponderat Proſper in lib. contra Collatorem cap. 14.

2\. Ruſſus *Inuentus ſum*, ait, *à non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant*, Iſaiæ 65. & Roman. 10. quo teſtimonio ad præſentem controuerſiam vtitur Arauſicanum Concilium canone 3. & fusè Bernardus ſermone 84. in Cantica. Inſuper Proſper contra Collatorem cap. 4. Caſſianum carpit, quòd prædictum Iſaiæ teſtimonium limitare videatur ad aliquos tantùm homines, qui antequam Deum quærant, ab eo quærantur. *Quaſi non tota multiformis gratia opere, hoc in omnium agatur animis, vt ex nolentibus fiant volentes.* Leo Magnus in epiſt. ad Nicetum Aquileienſem Epiſcopum, quæſt. 84. aliàs 86. & incipit, *Relatione ſancti*, in cap. 3. de reliquiis Pelagianorum, ſic loquitur: *Sed ab illis ideo per naturalem induſtriam dicitur gratia præueniri, vt quæ ante gratiam proprio data ſit ſtudio, nullo videatur originalis peccati vulnere ſauciata; falſúmque ſit quod Veritas ait: Quoniam Filius hominis venit quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Atque Auguſtinus, quamuis nullibi (quod ſciam) pro hac re producat prædictum teſtimonium, tamen frequenter illius ſententiam vſurpat, dicens, hominem ſeipſum perdere poſſe: at verò ſeipſum, aut Deum quætere, aut inuenire non poſſe, niſi diuina vocatione præuentum. Ita docet Auguſtinus ad fin. Comment ad illa verba Pſal. 77. *ſpiritus vadens, & non rediens.* & ad illa verba Pſal. 69. *Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant ſemper*, &c. & concione 2. ad illa verba Pſal. 32. *Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Idem Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 22. à medio.

3\. *Inueniendi phraſis excludit præuenientem hominis operationem.*

Confirmatur, quoniam in ſacris litteris ſemper inueniendi phraſis excludit hominis præuenientem operationem in bonis, ſicut in malis excludit Dei præuenientem operationem. Veluti Ezechielis 28. *Donec inuenta eſt iniquitas in te.* & alibi ſæpe: *Non eſt inuenta iniquitas.* Bonorum exemplum apertum eſt Actuum 8. *Philippus autem inuentus eſt in Azoto*, tunc nimirum, *quando rapuit eum ſpiritus*, & in eius aduentu, atque apparitione nulla humana interceſſit induſtria. & Philippenſ. 3. *Inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed eam, quæ ex fide eſt Ieſu Chriſti.* Roman. 4. initio: *Quid ergo dicemus, inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Obſerua quomodo ſemper intentioni iuſtitiæ opponat opera, & legis ſcriptæ obſeruationem. Vnde explicatur illud Iob. 28. *Sapientia vbi inuenitur?* quaſi dicat, per humanas vires nullibi.

4\. *Obiectioni occurritur.*

Non obſtat illud Euangelicum præceptum, *Quærite, & inuenietis*; quoniam ſupponit per interiorem gratiam nos ad quærendum fuiſſe priùs excitatos, & animatos. Vnde, quod Bernardus ſermone 4. de Aſſumptione interpretatur: *Inueniſti gratiam, vtique quam quærebas*; non intelligit de prima gratia, vt conſtat ex eius ſermone 84. in Cantica.

5\. *Prima gratia ſortis nomine ſignificata.*

Vigeſima ratiocinatio, quia prima gratia per modum ſortis obtigit quibuſcunque hominibus; in quorum poteſtate non eſt, vt hæc ſors potius quàm oppoſita ſibi eueniat. *Sortes* namque *mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*, Prou. 16. fine. Propterea nihil in ſeipſo, ſed totum in Deo ſperat Dauid Pſal. 30. dicens: *Ego autem in te ſperaui, Domine; dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.* quod ad rem præſentem ſapienter ponderat Auguſtinus in eius Commentario. Idémque colligitur Epheſ. 1. *In quo nos ſorte vocati ſumus.* Itaque propter Ieſum Chriſtum Deus ad nos vocationem, quaſi ſortem, direxit. & Coloſſ. 1. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.*

Clariùs autem ſortis proprietas explicatur Actuum 1. fine. nam à diuina electione, non ab humanis meritis, aut induſtria ſortem prouenire oſtendunt in primis verba illa, *oſtende, quem elegeris.* Deinde illa: *Cecidit ſors ſuper Matthiam*, vt conſtet, caſu, ſeu fortuna obuenire ſortem comparatione hominis, quamuis à diuino conſilio dirigatur. Quæ omnia magis in prima gratia, quàm in cæteris omnibus verificantur. Prædicto teſtimonio Coloſſen. 1. contra Semipelagianos vtitur Proſper lib. 2. de vocat. gent. c. 15. & in epiſtol. ad Ruffinum circa med. 6.

Ad huius confirmationem pertinet quod ſacra Scriptura aſſerit, Spiritum ſanctum cecidiſſe, aut timorem Dei cecidiſſe, aut accepiſſe homines 7.

iuſtifican

iuſtificandos, notatur enim ſors comparatione noſtræ libertatis merè fortuita, veluti Actuum 10. & 11. *Cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos.* &c. 19. *Cecidit timor ſuper omnes illos.* & Lucæ 7. *Accepit autem omnes timor.*

SECTIO VIII.

Cauſa diſcriminis, arrogantiam comprimens, idem probat.

1. Vigeſima prima ratiocinatio. Si aliqua opera per vires naturæ elicita, præberent initium aliquod iuſtificationis, (ſiue meritum, ſiue impetrationem, diſpoſitionem, cauſam, rationem, conditionem, occaſionem, aut quouis alio modo appellaueris) iam homines pij à ſuis naturalibus viribus haberent primam rationem diſcriminis, qua ſe ipſos ab impiis diſcernerent. Vnde præterea ſequeretur, habere homines pios, de quo gloriarentur, quaſi de non accepto per gratiam, ſed humana induſtria, & libertate, quæſito iuſtificationis initio, ſed vtrumque conſequens eſt contra Apoſtolum: ergo & antecedens.

Homines ſe ipſos diſcernerent.

Haberent de quo gloriarentur.

2. Nam 1. Corinth. 4. ait: *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis. Quo præcipuè teſtimonio conuictum ſe fuiſſe, cùm ſimiliter erraret.* Videlicet, ſicut Semipelagiani Auguſtinus fatetur in lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. initio. Ideo quoties eamdem controuerſiam diſcutit, hoc repetit, & expendit, veluti in cap. 5. de prædeſtinatione Sanctorum, & lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. longè ante med. & in Enchirid. cap. 31. 32. 97. 98. & 99. & de ſpiritu & littera cap. 30. 31. 33. & 34. & de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 17. 18. & 19. & epiſtola 143. ad Iulianum Demetriadis matrem columna 3. & epiſtola 106. Eodem teſtimonio ſua decreta, contra Semipelagianos confirmat Arauſicanum canon. 6. dicens: *Qui humilitati, aut obedientia humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, reſiſtit Apoſtolo, dicenti: Quid habes quod non accepiſti?* Atque in canone 25. eodem teſtimonio vtitur, & frequenter Proſper aduersùs Collatorem cap. 15. 29. & 30. & ad capita Gallorum dubio 4. & lib. 1. de vocatione Gent. c. 25. Fulgentius de Incarnatione & gratia, cap. 18. & 20. & lib. 1. ad Monimum cap. 15. Baſilius homil. 22. de humilitate, circa med.

3. Tria puncta continentur in prædictis verbis Pauli, quæ ſingula ſigillatim confirmari poſſunt aliis Scripturæ teſtimoniis. Primò nihil eſſe in nobis vnde gloriemur 1. Corinth. 1. fine. *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* His penitus excluſit omnem rationem gloriandi, petitam ex viribus naturæ, quam nomine carnis ſignificat. Vnde concludit in ſolo Chriſto Ieſu gloriandum eſſe, quoniam tota iuſtificatio à principio, vſque ad finem ab ipſo per gratiam deriuatur, dicens: *ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt vobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* & Rom. 11. *Noli gloriari aduersùs ramos: quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.* & iterum: *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* Quod perpendit optimè Auguſtinus epiſtol. 120. de gratia noui Teſtamenti ad Honoratum cap. 20. & 21. & Gregorius lib. 22. Moralium cap. 4. & 5. versùs finem, ex illis verbis Iob 31. *Et oſculatus ſum manum meam ore meo.* Colligit in nobis nihil eſſe ingloriandum, quoniam Deus præueniendo dat velle, & ſubſequendo dat poſſe. Exod. 15. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus.* & Pſalm. 117. idem, atque Pſalm. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* quæ ad hanc rem ponderat Proſper contra Collatorem cap. 36.

Nil eſt in nobis vnde gloriemur.

4. Deinde nihil nos habere, niſi quod per gratiam Dei accepimus, confirmat Ioannes Baptiſta Ioannis 3. dicens, *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo.* & Iacob 1. *Omne datum optimum.* Quibus teſtimoniis vtuntur Proſper contra Collatorem cap. 36. & lib. 1. de vocatione Gentium cap. 24. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 15.

5. Poſtremò rationem diſcriminis, quo iuſti diſcernuntur ab impiis, non eſſe ab humanis conatibus, ſed à Dei gratuita miſericordia.

Dei miſericordia nos diſcernit.

Confirmatur exemplo figuli, qui ex eadem maſſa, nullam in ſe præhabente rationem diſcriminis, pro ſua libera voluntate format vaſa, quædam polita, & artificioſa, nobilioribus miniſteriis deputanda; alia verò, pro vilitate materiæ rudiora ad contumelioſa obſequia deſeruire permittit. Hanc figuli poteſtatem ex cap. 45. Iſaiæ verſ. 9. & cap. 18. Hieremiæ verſu 6. & Eccleſiæ cap. 33. deſumptam, ſic Paulus explicat ad Romanos 9. *Numquid dicet figmentum ei, qui ſe finxit; quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Hoc teſtimonium ad præſens dogma confirmandum producit Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. & libro de prædeſtinatione & gratia, cap. 16. & libro 1. ad Simplicianum quæſtione 2. colum. 10. & epiſtola 105. ad Xiſtum. Auguſtini multa fragmenta congerit Beda in verba citata ad Romanos 9. leuiter attingitur à Proſpero 1. de vocatione Gentium, cap. 17. fine.

6. Eadem vis eſt in analogia dierum & annorum, qui cùm ex ſe nullam haberent rationem diſcriminis, diſcernuntur diuina ſapientia, & beneplacito, vt alij ſint lucidiores, placidiores, ſalubriores, fertiliores, imò etiam ſanctiores: Eccleſiaſtici 33. *Quare dies diem ſuperat, & annus annum à ſole? à Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto ſole, & præceptum cuſtodiente per Dei ſapientiam diſcreuit tempora, & immutauit tempora, & dies feſtos ipſorum, & ex ipſis exaltauit, & magnificauit Deus: & ex ipſis poſuit in numero dierum, & omnes homines ex ſolo & ex terra, vnde creatus eſt Adam, in multitudine diſciplinæ Dominus ſeparauit eos, & immutauit vias eorum, & ex ipſis benedixit, & exaltauit, & ex ipſis ſanctificauit, & ad ſe applicauit, & ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum.* Subditque protinus ſimilitudinem figuli, quam nihil differre à prædicta ex cap. 9. ad Romanos notat Auguſtinus libro 1. ad Simplicianum quæſtione 2. columna penultima; ſed de his fuſiùs tractabimus tomo ſequenti circa prædeſtinationis cauſam.

Dierum, & annorum analogia idem comprobatur.

SECTIO IX.

Oratio, gratiarum actio, ſpes, & charitas probant iuſtificationis initium ex præueniente gratia.

1. *Pro infidelibus orat Eccleſia.* Vigeſima ſecunda ratiocinatio. Apoſtoli & vniuerſa Eccleſia orat, vt infideles, ac fidei perſecutores, ſcelerum atrocitate, ac multitudine impeditos, Deus ad fidem, iuſtificationémque conuertat; ſed in his hominibus, aut in plurimis eorum nulla ſunt opera, quibus mereantur, impetrent, aut diſponantur ad fidem, aut illius initium aliquid præbeant: cùm tamen plurima ſint, quę impediant. ergo Apoſtoli & vniuerſa Eccleſia ſupponit, à ſolo Deo per gratiam præbendum eſſe totum fidei, & iuſtificationis initium. Antecedens conſtat Coloſſen. 4. *Orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium verbi ſui, ad loquendum myſterium Chriſti.* Deus autem tunc oſtium verbi aperit, quando infidelium corda, vt credant tangendo, aperit; ſicut 1. Cor. 16. ait. *Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens.* & 2. Cor. 2. *Oſtium mihi apertum eſſet in Domino.* Quod argumentum fuſiùs exequitur Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 20. & de bono perſeuerantiæ cap. 23.

2. Confirmatur 2. Theſſal. 3. initio: *Orate pro nobis vt ſermo Dei currat, & clarificetur, vt & apud vos.* Quo teſtimonio vtitur Proſper 1. de vocat. c. 24. ad finem, & 1. Timoth. 2. *Obſecro,* inquit, *primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* non excipit infideles, imò expreſsè illos includit quando ſubdit, *pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt,* quorum fere tota multitudo eo tempore infidelis erat: quod egregiè ponderat Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 12.

3. Hoc argumentum ab oratione deſumptum, non ſemel repetit Auguſtinus toto lib. de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium, & aliis pleriſque tractatibus; videndus eſt præſertim lib. de gratia, & libero arbitrio c. 13. & 14. Notandúmque quod in fine cap. 13. multum hortatur, vt de hac re diligenter legamus, & quantum Dominus adiuuerit, intelligamus, memoriæque mandemus quod ſcripſit Cyprianus in lib. de orat. Dominica: *Vbi ſic hortatur liberum arbitrium, vt oſtendat tamen ea, quæ implenda iubentur in lege, in oratione eſſe poſcenda.* Quod etiam de voluntate credendi, & quolibet iuſtificationis initio intelligendum eſſe, probat c. 14. Præterea lib. de bono perſeuerant. cap. 2. & multis ſequentibus, & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. ad Xiſtum, & epiſt. 107. ad Vitalem, inſiſtit huic argumento, quod ab oratione ducitur.

4. Idem argumentum vrget Cœleſtinus Primus epiſtol. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 11. & ex illo Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 8. & ante illum eiſdem verbis author Homiliæ de Adam, & Eua. quam diſputat. 27. ſect. 4. versùs finem probabimus eſſe Ioannis Chryſoſtomi. Eodem argumento neceſſitatem diuini auxilij ad ſingula opera contra Pelagianos probat Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem colum. 4. & dialog. 1. contra Pelagianos col. 3. & dialogo 3. præſertim à medio, & in epiſtola ad Cyprianum preſbyterum in fine; atque Concilium Carthaginenſe in epiſt. ad Innocent. Primum, necnon idem Innocentius in epiſtola 24. reſcripta ad idem Concil. & epiſtola Concilij Mileuitani ad Innocentium: quæ omnes ſimul habentur in tomo 1. Conciliorum.

Pro huius argumenti confirmatione perpende primò, hos alioſque Patres atteſtari conſuetudinem orandi pro infidelibus, vt ad fidem conuertantur, fuiſſe in Eccleſia ab eius exordio perpetuam, atque eximio fructu comprobatam. & quidem in Romana Eccleſia nullus dubitare poterit, cùm in ſacris officiis, præſertim in die Paraſceue, tot audiat orationes pro paganis, hæreticis, aliiſque infidelibus. Sed quod attinet ad Eccleſiam Græcam, Petrus Diaconus, & cæteri Græcorum legati in lib. de Incarnatione & gratia c. 8. initio teſtatur vniuerſum Orientem in ſacrificio Miſſæ frequentare hanc orationem, à S. Baſilio Magno acceptam: *Dona, Domine, virtutem ac tutamentum, malos quæſumus bonos facito; bonos in bonitate conſerua: omnia enim potes, & non eſt, qui contradicat tibi; cùm enim volueris, ſaluas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.* 5. *Eccleſia à ſuo exordio pro infidelibus orat.* *Baſilij oratio.*

Secundò perpende in rebus maioris momenti Eccleſiam à Spiritu ſancto gubernari, maximè verò in orationibus. *Quoniam quid oremus, ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* Rom. 8. Quæ inſpiratio & motio Spiritus ſancti primò & maximè vniuerſali Eccleſiæ promittitur. Quapropter ad hanc rem confirmandam adducitur à S. Auguſtino de bono perſeuerantiæ cap. 23. 6. *Eccleſia ab Spiritu ſancto gubernatur.*

Vigeſima tertia ratiocinatio præcedenti ſimilis ex gratiarum actione colligitur, quoniam homini conſiderato præcisè quoad humanas vires, abſque auxilio gratiæ præuenientis, & adiuuantis, nullæ gratiæ debentur, eo quòd fidem acceperit, ſed tota gratiarum actio debetur Deo; ergo per humanas vires, abſque auxilio gratiæ nullum fidei initium præbere poteſt homo. Probatur conſequentia, quia ſi aliquod illius initium præbere potuiſſet, iure optimo redderetur illi gratiarum actio pro initio fidei. 7. *Tota gratiarum actio Deo debita.*

Antecedens probatur Epheſ. 1. *Ego audita fide veſtra in Chriſto Ieſu, & in omnes Sanctos, non ceſſo gratias agere pro vobis.* & 1. ad Theſſalon. 2. *Propterea nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cùm percepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, percepiſtis illud, non ſicut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei.* & 1. Corinth. 2. *Gratia autem Deo, qui ſemper triumphat nos in Chriſto, & odorem notitia ſuæ per nos manifeſtat in omni loco.* & Rom. 6. *Gratias autem Deo, quia fuiſtis ſerui peccati; obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.* & Rom. 1. *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* 8.

Hoc argumentum ex gratiarum actione deſumptum contra Semipelagianos opponunt Cœleſtinus & Petrus Diaconus locis citat. ſuprà n. 4. De illo vide præſertim Auguſtinum de prædeſtinatione Sanctor. cap. 19. poſt med. Proſperum lib. contra Collatorem c. 36. & lib. 1. de vocat. Gent. cap. 24. poſt med. Atque hac de cauſa, non ſolùm Pelagianos, ſed etiam Semipelagianos appellant ingratos Auguſtinus & cæteri Patres, qui contra illos diſputarunt; vnde etiam titulum accepit liber de ingratis apud Proſperum. 9.

Vigeſima quarta ratiocinatio ſit, ſpem collocare in viribus humanis abſque auxilio diuinæ gratiæ, præſumptio eſt, Deo contumelioſa. Ergo humanæ vires abſque diuina gratia non poſſunt aliquod iuſtificationis initiũ præbere. Explicatur 10. *Spes in Deo collocanda.*

&

& confitmatur vis atgumenti, quoniam ſi homo infidelis per humanas vires poſſet præbere initium iuſtificationis ſuæ, licitum eſſet hominibus fidelibus hoc ipſum bonum, quod infidelibus deſiderant, ita ſperare, vt ſpem illius obtinendi collocarent in ipſis hominibus infidelibus, in eorum videlicet libero arbitrio, acumine ingenij, prudentia, rerum experientia, indole; nec foret hoc præſumptionis vitium, quia bonũ ſperatum non excedit facultatem perſonæ, in qua ſperatur: ille autem exceſſus requiritur ad hanc ſpeciem præſumptionis, quæ ad vires humanas pertinet; vt conſtat ex S.Thom.1.2.q.21.art.1. Vnde præterea ſequeretur licitum eſſe cuicunque homini confidere in ſe ipſo, & in ſua naturali facultate, quod poterit ſuæ iuſtificationis initium præbere, quoties voluerit, ſiue per infidelitatem, ſiue quocunque alio peccato fuerit à Deo auerſus. Inſuper quilibet iuſtus poſſet in viribus humanis abſque ſupernaturali auxilio confidere, vt per illas obtineret auxilia ſupernaturalia requiſita ad perſeuerandum.

Liceret in hominibus ſperare.

Homini liceret in ſe confidere.

11. Hæc autem omnia contraria eſſe ſacris literis conſtat Hieremiæ 17. *Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius*, & quæ ſequuntur. Lucæ 18. Pharisæi & publicani orantis exemplo reprehenduntur quidam, *qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros.* Philip. 3. *Qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu, non in carne fiduciam habentes.* Pſal. 48. diei malæ timor incutitur, iis præſertim, *qui confidunt in virtute ſua.* & Pſal. 117. *Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine.* Prouerb. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.* & cap. 12. *Quò bonus eſt, hauriet gratiam à Domino; qui autem confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit.* & cap. 28. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur, qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt.*

12. Aliqua ex his teſtimoniis contra Pelagianos, & Semipelagianos opponunt Hieronymus Dialogo 3. circa med. Auguſt. de gratia & libero arbitrio cap.4. & lib.1. de doctrina Chriſtiana c.32. & 33. & tract.52. in Ioan. & in Enchir. cap.114. & lib. de continentia cap.4. & epiſt.52. ad Macedonium circa med. præſertim Proſper aduersùs Caſſianum cap.36. & in epiſtol. ad Demetriadem longè ante med. Eadem ratione nititur Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone inter medium & finem. Tridentinum ſeſſ.6. cap. vltim. prope finem, ait: *Abſit autem, vt Chriſtianus homo in ſe ipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino.*

13. Contra tria præcedentia argumenta duæ obiectiones occurrunt.

Obiectio prima.

Prima, quoniam naturalia bona per orationes Eccleſia poſtulat à Deo, pro illis gratias agit: & illorum ſpem non in hominibus, ſed in Deo collocat: & tamen inde non ſequitur, eiuſmodi bona indigere ſupernaturali auxilio gratiæ præuenientis, nec excluditur facultas initium præbendi per vires naturæ; ergo quamuis pro initio iuſtificationis obtinendo Eccleſia oret, gratias agat, & illius fiduciam non in homine, ſed in Deo collocet. Adhuc non rectè colligitur inde, vires naturæ inſufficientes eſſe ad præbendum iuſtificationis initium, atque opus eſſe ſupernaturali gratia præueniente.

Confirmatur, quia ſumma indigentia generalis auxilij & prouidentiæ naturalis, per primam cauſam præſtandæ, ſufficiens ratio fuit omnibus Philoſophis, vt etiam ignorata gratia orarent, gratias agerent, & in Deo ſperarent.

Vt reſpondeam, ſuppono Eccleſiam, & quoſcumque, ſicut oportet, orantes, non alia ratione poſtulare temporalia bona, niſi *vt præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti ſempiterna fiducialius appetamus.* Itaque vt ſunt inſtrumenta, ordinanda per diuinam prædeſtinationem ad gratiam, & gloriam obtinendam, ſic & non aliter ſunt materia Chriſtianæ orationis, gratiarum actionis, & ſpei: quod omnes Theologi obſeruant quando de ſingulis his virtutibus agunt, vt S.Thomas de ſpe 2.2. quæſt.17. art.2. ad 2. ac de oratione cum Auguſt. 2.2. quæſt.83. art.6. corp. Vnde conſtat naturalia bona non eſſe materiam orationis, gratiarum actionis, & ſpe ratione ipſorum naturalium bonorum, ſed ratione iuſtificationis, ad quam ordinantur. 14.

Quomodo petenda temporalia.

Hoc ſuppoſito, prima ſolutio ſit: Oratio, gratiarum actio, & ſpes optimè probant indigentiam gratiæ ad bona quælibet eodem ipſo gradu, quo verſantur circa illa. Vnde quia circa iuſtificationis initium per ſe & ratione ſui verſatur Chriſtiana oratio, gratiarum actio, & ſpes; ideò rectè probatur, initium iuſtificationis per ſe & ratione ſui indigere præueniente gratia; & omnimodo ſuperius eſſe viribus naturæ. At verò, quoniam circa naturalia bona, non per ſe propter eorum ſubſtantiam, ſed per accidens propter ſubordinationem ad iuſtificationem verſatur Chriſtiana oratio, gratiarum actio, & ſpes, ideo rectè probatur, gratiam præuenientem requiri, vt eo loco, tempore, atque menſura conferantur naturalia bona, quo ſubſeruiant fini iuſtificationis, ſed non requiri ad eorumdem bonorum ſubſtantiam. 15.

Solutio prima reiicitur.

Circa bona naturalia per accidens verſatur Chriſtiana oratio, & gratiarum actio.

Secunda ſolutio eſt, naturalia bona prout conſiderari poſſunt à Philoſophis abſque vlla notitia gratiæ, & prout ſunt materia naturalis cuioſdam orationis, gratiarum actionis, & ſpei, vt ſic non ſunt totaliter materia iſtarum virtutum moralium; è contra verò initium iuſtificationis, & quælibet ſupernaturalia bona ſunt totaliter materia orationis, gratiarum actionis, & ſpei. Huius diſcriminis radix eſt quidditas gratiæ, etenim quæcumque naturalia bona ſunt aliquo modo debita hominibus ſaltem connaturali debito: & tunc præſertim quando actu exiſtunt cauſæ ſufficientes, & non impeditæ illorum bonorum, ſiue naturales cauſæ fuerint, ſiue liberæ. Quapropter bene colenti agros debiti ſunt fructus, & bene excolenti animum debitæ ſunt morales quædam virtutes per vires naturæ poſſibiles. Idem intellige de reliquis omnibus bonis, quæ non ſuperant vires naturæ. Inde eſt, quòd eorum ſpes in naturalibus cauſis, & in libero arbitrio aliqua ex parte collocari poteſt: & poſtulari poſſunt per orationem, non quaſi prorſus gratuita; ſed quaſi aliquo modo debita. Vnde etiam minuitur gratiarum actio pro illis, è contra verò iuſtificationis initium, & omnia quæ ad iuſtificationem pertinent; ſicut ſunt prorſus indebita, prorſúsque impoſſibilia humanis viribus; ita etiam totaliter, & ſumma plenitudine implent quidditatem orationis, gratiarum actionis, & ſpei, quæ ex toto corde ad Deum referenda ſint, nihil inde hominibus, vel naturalibus cauſis reſeruando. Hæc ergo perfectiſſima ratio orationis, gratitudinis, & ſpei eſt, quæ probat noſtrum dogma de initio iuſtificationis. 16.

Secunda ſolutio refutatur.

Naturalia bona hominibus aliquo modo debita.

Digitized by Google

SECTIO IX.

Oratio, gratiarum actio, ſpes, & charitas probant iuſtificationis initium ex præueniente gratia.

1. *Pro infidelibus orat Eccleſia.*

VIgeſima ſecunda ratiocinatio. Apoſtoli & vniuerſa Eccleſia orat, vt infideles, ac fidei perſecutores, ſcelerum atrocitate, ac multitudine impeditos, Deus ad fidem, iuſtificationémque conuertat; ſed in bis hominibus, aut in plurimis eorum nulla ſunt opera, quibus mereantur, impetrent, aut diſponantur ad fidem, aut illius initium aliquid præbeant: cùm tamen plurima ſint, quę impediant. ergo Apoſtoli & vniuerſa Eccleſia ſupponit, à ſolo Deo per gratiam præbendum eſſe totum fidei, & iuſtificationis initium. Antecedens conſtat Coloſſen. 4. *Orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium verbi ſui, ad loquendum myſterium Chriſti.* Deus autem tunc oſtium verbi aperit, quando infidelium corda, vt credant tangendo, aperit; ſicut 1. Cor. 16. ait. *Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens.* & 2. Cor. 2. *Oſtium mihi apertum eſſet in Domino.* Quod argumentum fuſius exequitur Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. & de bono perſeuerantiæ cap. 23.

2. Confirmatur 2. Theſſal. 3. initio: *Orate pro nobis vt ſermo Dei currat, & clarificetur, vt & apud vos.* Quo teſtimonio vtitur Proſper 1. de vocat. c. 24. ad finem, & 1. Timoth. 2. *Obſecro,* inquit, *primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* non excipit infideles, imò expreſsè illos includit quando ſubdit, *pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt,* quorum ferè tota multitudo eo tempore infidelis erat: quod egregiè ponderat Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 12.

3. Hoc argumẽtum ab oratione deſumptum, non ſemel repetit Auguſtinus toto lib. de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium, & aliis pleriſque tractatibus; videndus eſt præſertim lib. de gratia, & libero arbitrio c. 13. & 14. Notandúmque quod in fine cap. 13. multum hortatur, vt de hac re diligenter legamus, & quantum Dominus adiuuerit, intelligamus, memoriæque mandemus quod ſcripſit Cyprianus in lib. de orat. Dominica: *Vbi ſic hortatur liberum arbitrium, vt oſtendat tamen ea, quæ implenda iubentur in lege, in oratione eſſe poſcenda.* Quod etiam de voluntate credendi, & quolibet iuſtificationis initio intelligendum eſſe, probat c. 14. Præterea lib. de bono perſeuerant. cap. 2. & multis ſequentibus, & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. ad Xiſtum, & epiſt. 107. ad Vitalem, inſiſtit huic argumento, quod ab oratione ducitur.

4. Idem argumentum vrget Cœleſtinus Primus epiſtol. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 11. & ex illo Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 8. & ante illum eiſdem verbis author Homiliæ de Adam, & Eua. quam diſputat. 27. ſect. 4. verſus finem probabimus eſſe Ioannis Chryſoſtomi. Eodem argumento neceſſitatem diuini auxilij ad ſingula opera contra Pelagianos probat Hieronymus in epiſtola ad Creſiphontem colum. 4. & dialog. 1. contra Pelagianos col. 3. & dialogo 3. præſertim à medio, & in epiſtola ad Cyprianum presbyterum in fine; atque Concilium Carthaginenſe in epiſt. ad Innocent. Primum, necnon idem Innocentius in epiſtola 25. reſcripta ad idem Concil. & epiſtola Concilij Mileuitani ad Innocentium: quæ omnes ſimul habentur in tomo 1. Conciliorum.

Pro huius argumenti confirmatione perpende primò, hos alioſque Patres atteſtari conſuetudinem orandi pro infidelibus, vt ad fidem conuertantur, fuiſſe in Eccleſia ab eius exordio perpetuam, atque eximio fructu comprobatam. & quidem in Romana Eccleſia nullus dubitare poterit, cùm in ſacris officiis, præſertim in die Paraſceue, tot audiat orationes pro paganis, hæreticis, aliiſque infidelibus. Sed quod attinet ad Eccleſiam Græcam, Petrus Diaconus, & cæteri Græcorum legati in lib. de Incarnatione & gratia c. 8. initio teſtatur vniuerſum Orientem in ſacrificio Miſſæ frequentare hanc orationem, à S. Baſilio Magno acceptam: *Dona, Domine, virtutem ac tutamentum, malos quæſumus bonos facito; bonos in bonitate conſerua: omnia enim potes, & non eſt, qui contradicat tibi; cùm enim volueris, ſaluas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.* 5. *Eccleſia à ſuo exordio pro infidelibus orat.* *Baſilij oratio.*

Secundò perpende in rebus maioris momenti Eccleſiam à Spiritu ſancto gubernari, maximè verò in orationibus. *Quoniam quid oremus, ſicut oportet neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* Rom. 8. Quæ inſpiratio & motio Spiritus ſancti primò & maxime vniuerſali Eccleſiæ promittitur. Quapropter ad hanc rem confirmandam adducitur à S. Auguſtino de bono perſeuerantiæ cap. 23. 6. *Eccleſia ab Spiritu ſancto gubernatur.*

Vigeſima tertia ratiocinatio præcedenti ſimilis ex gratiarum actione colligitur, quoniam homini conſiderato præciſè quoad humanas vires, abſque auxilio gratiæ præuenientis, & adiuuantis, nullæ gratiæ debentur, eo quòd fidem acceperit, ſed tota gratiarum actio debetur Deo; ergo per humanas vires, abſque auxilio gratiæ nullum fidei initium præbere poteſt homo. Probatur conſequentia, quia ſi aliquod illius initium præbere potuiſſet, iure optimo redderetur illi gratiarum actio pro initio fidei. 7. *Tota gratiarum actio Deo debita.*

Antecedens probatur Epheſ. 1. *Ego audita fide veſtra in Chriſto Ieſu, & in omnes Sanctos, non ceſſo gratias agere pro vobis.* & 1. ad Theſſalon. 2. *Propterea nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam, cùm percepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, percepiſtis illud, non ſicut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei.* & 2. Corinth. 2. *Gratia autem Deo, qui ſemper triumphat nos in Chriſto, & odorem notitiæ ſuæ per nos manifeſtat in omni loco.* & Rom. 6. *Gratias autem Deo, quia fuiſtis ſerui peccati; obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditiſtis.* & Rom. 1. *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* 8.

Hoc argumentum ex gratiarum actione deſumptum contra Semipelagianos opponunt Cœleſtinus & Petrus Diaconus locis citat. ſuprà n. 4. De illo vide præſertim Auguſtinum de prædeſtinatione Sanctor. cap. 19. poſt med. Proſperum lib. contra Collatorem c. 36. & lib. 1. de vocat. Gent. cap. 24. poſt med. Atque hac de cauſa, non ſolùm Pelagianos, ſed etiam Semipelagianos appellant ingratos Auguſtinus & cæteri Patres, qui contra illos diſputarunt: vnde etiam titulum accepit liber de ingratis apud Proſperum. 9.

Vigeſima quarta ratiocinatio ſit, ſpem collocare in viribus humanis abſque auxilio diuinæ gratiæ, præſumptio eſt, Deo contumelioſa. Ergo humanæ vires abſque diuina gratia non poſſunt aliquod iuſtificationis initiũ præbere. Explicatur 10. *Spes in Deo collocanda.*

&

Digitized by Google

& confirmator via argumenti, quoniam ſi homo infidelis per humanas virea poſſet præbere initium iuſtificationis ſuæ, licitum eſſet hominibus fidelibus hoc ipſum bonum, quod infidelibus deſiderant, ita ſperare, vt ſpem illius obrinendi collocarent in ipſis hominibus infidelibus, in eorum videlicet libero arbitrio, acumine ingenij, prudentia, rerum experientia, indole; nec foret hoc præſumprionis vitium, quia bonũ ſperatum non excedit facultatem perſonæ, in qua ſperatur: ille autem exceſſus requiritur ad hanc ſpeciem præſumptionis, qoæ ad vires humanas pertinet; vt conſtat ex S. Thom. 1.2.q.21.art.1. Vnde præterea ſequeretur licitum eſſe cuicunque homini confidere in ſe ipſo, & in ſua naturali facultate, quod poterit ſuæ iuſtificationis initium præbere, quoties voluerit, ſiue per infidelitatem, ſiue quocunque alio peccato fuerit à Deo auerſus. Inſuper quilibet iuſtus poſſet iu viribus humanis abſque ſopernaturali auxilio confidere, vt per illas obtineret auxilia ſupernaturalia requiſita ad perſeuerandum.

Liceret in hominibus ſperare.

Homini liceret in ſe confidere.

11. Hæc autem omnia contraria eſſe ſacris literis conſtat Hieremiæ 17. *Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius*, & quæ ſequuntur. Lucæ 18. Phariſæi & publicani orantis exemplo reprehenduntur quidam, *qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros.* Philip. 3. *Qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu, non in carne fiduciam habentes.* Pſal. 48. diei malæ timor incutitur, iia præſertim, *qui confidunt in virtute ſua.* & Pſal. 117. *Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine.* Pruucrb. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.* & cap. 12. *Qui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino; qui autem confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit.* & cap. 28. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur, qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt.*

12. Aliqua ex his teſtimoniis contra Pelagianos, & Semipelagianoa opponunt Hieronymus Dialogo 3. circa med. Auguſt. de gratia & libero arbitrio cap. 4. & lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 32. & 33. & tract. 52. in Ioan. & in Enchir. cap. 114. & lib. de continentia cap. 4. & epiſt. 52. ad Macedoniom circa med. præſertim Pruſper aduersùs Caſſianum cap. 36. & in epiſtol. ad Demetriadem longè ante med. Eadem ratione nititur Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone inter medium & finem. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. vltim. prope finem, ait: *Abſit autem, vt Chriſtianus homo in ſe ipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino.*

13. Contra tria præcedentia argumenta duæ obiectiunes occurrunt.

Obiectio prima.

Prima, quoniam naturalia bona per orationes Eccleſia poſtulat à Deo, pro illis gratias agit: & illorum ſpem non in hominibus, ſed in Deo collocat: & tamen inde non ſequitur, eiuſmodi bona indigere ſupernaturali auxilio gratiæ præuenientis, nec excluditur ſacultas initium præbendi per vires naturæ; ergo quamuis pro initio ioſtificationis obtinendo Eccleſia uret, gratias agat, & illius fiduciam non in homine, ſed in Deo collocet. Adhuc non rectè colligitur inde, vires naturæ inſufficientes eſſe ad præbendum iuſtificationis initium, atque opus eſſe ſupernaturali gratia præueniente.

Confirmatur, quia ſumma indigentia generalis auxilij & prouidentiæ naturalis, per primam cauſam præſtandæ, ſufficiens ratio fuit omnibus Philoſophis, vt etiam ignorata gratia orarent, gratias agerent, & in Deo ſperarent.

Vt reſpondeam, ſuppono Eccleſiam, & quoſcumqoe, ſicut oportet, orantes, non alia ratione poſtulare temporalia bona, niſi *vt præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti ſempiterna fiducialius appetamus.* Itaque vt ſunt inſtrumenta, ordinanda per diuinam prædeſtinationem ad gratiam, & gloriam obtinendam, ſic & non aliter ſunt materia Chriſtianæ orationis, gratiarum actionis, & ſpei: qnod omnes Theologi obſeruant quando de ſingulis his virtutibus agunt, vt S. Thomas de ſpe 2.2. quæſt. 17. art. 2. ad 2. ac de oratione cum Auguſt. 1.2. quæſt. 83. art. 6. corp. Vnde conſtat naturalia bona non eſſe materiam orationis, gratiarum actionis, & ſpe ratione ipſorum naturalium bonorum, ſed ratione iuſtificationis, ad quam ordinantur. 14.

Quomodo petenda temporalia.

Huc ſuppoſito, prima ſolutio ſit: Oratio, gratiarum actio, & ſpes optimè probant indigentiam gratiæ ad bona quælibet eodem ipſo gradu, quo verſantur circa illa. Vnde quia circa iuſtificationis initium per ſe & ratione ſui verſatur Chriſtiana oratio, gratiarum actio, & ſpes; ideò rectè probatur, initium iuſtificationis per ſe & ratione ſui indigere præueniente gratia; & omnimodo ſuperius eſſe viribus naturæ. At verò, quoniam circa naturalia bona, non per ſe propter eorum ſubſtantiam, ſed per accidens propter ſubordinationem ad iuſtificationem verſatur Chriſtiana oratio, gratiarum actio, & ſpes, ideo rectè probatur, gratiam præuenientem requiri, vt eo loco, tempore, atque menſura conferantur naturalia bona, quo ſubſeruiant fini iuſtificationis, ſed non requiri ad eorumdem bonorum ſubſtantiam. 15.

Solutio prima reiicitur.

Circa bona naturalia per accidens verſatur Chriſtiana oratio, & gratiarum actio.

Secunda ſolutio eſt, naturalia bona prout conſiderari poſſunt à Philoſophis abſque vlla notitia gratiæ, & prout ſunt materia naturalis cuiuſdam orationis, gratiarum actionis, & ſpei, vt ſic non ſunt totaliter materia iſtarum virtutum moralium; è contra verò initium ioſtificationis, & qoælibet ſupernaturalia bona ſunt totaliter materia orationis, gratiarum actionis, & ſpei. Huius diſcriminis radix eſt quidditas gratiæ, etenim quæcumque naturalia bona ſunt aliquo modo debita hominibus ſaltem connaturali debito: & tunc præſertim quando actu exiſtunt cauſæ ſufficientes, & non impeditæ illorum bonorum, ſiue naturales cauſæ fuerint, ſiue liberæ. Quapropter bene colenti agros debiti ſunt fructus, & bene excolenti animom debitæ ſunt morales quædam virtutes per vires naturæ poſſibiles. Idem intellige de reliquis omnibus bonis, quæ non ſuperant vires naturæ. Inde eſt, quòd eorum ſpea in naturalibus cauſis, & in libero arbitrio aliqoa ex parte collocari poteſt: & poſtulari poſſunt per orationem, non quaſi prorſus gratuita; ſed quaſi aliquo modo debita. Vnde etiam minuitur gratiarum actio pro illis, è contra verò iuſtificationis initium, & omnia quæ ad iuſtificationem pertinent; ſicut ſunt prorſus indebita, prorſúsque impuſſibilia humanis viribos; ita etiam totaliter, & ſumma plenitudine implent quidditatem orationis, gratiarum actionis, & ſpei, quæ ex toto corde ad Deum referenda ſint, nihil inde hominibus, vel naturalibus cauſis reſeruando. Hæc ergo perfectiſſima ratio orationia, gratitudinis, & ſpei eſt, quæ probat noſtrum dogma de initio iuſtificationis. 16.

Secunda ſolutio refutatur.

Naturalia bona hominibus aliquo modo debita.

17. Hinc conſtat ſolutio confirmationis, addendo à Gentilibus Philoſophis aliquod genus gratiæ cognitum fuiſſe, quo Deus ſacrificiis, precibúſque placatus, peccata remitteret, atque flagellis parceret. Cùm autem ſit de fide, peccata hominibus remitti non poſſe, abſque ſupernaturali gratia; manifeſtum eſt, opinioni Gentilium Philoſophorum conſequens eſſe, vt primùm orandum ſit pro gratia, & iuſtificatione impetranda; ne Deus prouocatus ſceleribus, neget temporalia bona: quod manifeſtum eſt in Eccleſiaſticis orationibus ſemper fieri, & ita 3. Reg. 8. numeratis temporalibus aduerſitatibus ſubiicitur: *Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac*, &c.

A Philoſophis aliquod gratiæ genus cognitum. Peccata remitti nõ poſſunt ſine ſupernaturali gratia.

18. Secunda obiectio naſcitur ex plurimis locis ſacræ Scripturæ, in quibus homines orantur & obſecrantur pro ſua ipſorum iuſtificatione, & gratiæ illis aguntur, & ſpes in illis ponitur, & gloria conceditur. Cæterùm hæc omnia examinabimus fuſiùs tomo ſequenti. Quod ad præſens attinet, ſatis eſt, inde ſupponere nunquam hæc referri ad hominem ſolis naturæ viribus ſine præueniente atque adiuuante gratia oitentem: & quando referũtur ad hominem ſupernaturalibus auxiliis ſuffultum, ita eſſe intelligenda, vt tota illorum laus, & virtus referatur ad Deum, atque homini relinquatur nihil, niſi in Deo, & propter Deum, ſicut inſtrumento libero per diuinam gratiam moto, & illius motionem liberè ſequenti.

19. Vigeſimaquinta ratiocinatio, quæ ad charitatem pertinet, eſt confirmatio præcedentis. Nam propterea ſpes, in viribus humanis poſita fallit atque confundit: at verò ea quæ in diuina gratia, collocatur *ſpes, non confundit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*, Rom. 5. ex quo teſtimonio Deum præueniente & adiuuante gratia eſſe authorem non ſolùm charitatis, ſed etiam fidei, quæ per charitatem operatur, & ſpei, quæ propter charitatem non confundit, vt ex eodem fonte manent, quæ tam ſimilia & cohærentia ſunt, tangit Auguſtinus variis in locis, veluti de ſpiritu & littera cap. 32. ad finem, & cap. ſequenti, & in ſermone de Aſcenſione Domini, & ſermone 44. de verbis Euangelij, & ſermone 81. de verbis Apoſtoli, quorum fragmenta refert Beda Rom. 5. & in libro ſentent. ex Auguſtino, Proſper ſentent. 295. quæ ſumpta eſt ex libro de patientia cap. 17. atque illius verba inſeruntur in Arauſicano Concilio can. 17. atque idem Proſper contra Collatorem cap. 38. & Fulgentius de Incarnatione & gratia, cap. 18. In his locis varietas magna eſt in modo, quo Patres vtuntur hoc teſtimonio; ſed eo ſemper euadunt, vt probent gratiæ præuenientis neceſſitatem, ſiue ad initium iuſtificationis, ſiue ad robur & patientiam ſpei.

Spes in humanis viribus poſita fallit, atque confundit.

SECTIO X.

Exemplo gratiæ hypoſtaticæ abſque vllo initio ex parte humanitatis, probatur idem dogma.

1. HVius argumenti vnicus author eſt Auguſtinus, vnicúſque inter Patres diſcipulus Fulgent. ex quibus tres propoſitiones, & earum probationes, ad ſcholaſticum ordinem redactæ, ſic ſe habent.

Prima propoſitio. *Ea gratia fit ab initio fidei homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus.* Verba ſunt Auguſtini in lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 15. ad medium; & tam ibi, quàm reliquis locis infrà citandis explicat, vt quantum ad independentiam ab operibus humanis, quæ præbeant initium gratiæ cuiuſlibet Chriſtiani fides & iuſtificationis initium non minus ſit gratuitum, quam fuit gratuita hypoſtaticæ vnionis gratia comparatione humanitatis. 2.

Hominis iuſtificatio tam gratuita, ac gratia hypoſtatica vnionis.

Probat primò, propoſitionem iſtam Auguſtinus de prædeſt. Sanctor. cap. 15. initio; quia Chriſtus Dominus eſt *præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ*, hoc eſt, exemplar, ad cuius normam cæterorum gratia, prædeſtinatióque dirigitur. Quapropter non decuit, humana merita, & opera plus in cæteris hominibus, quam in exemplari habere vires ad gratiam obtinendam; ſic enim plus aliquid haberent quod ſibi tribuerent. 3.

Chriſtus prædeſtinatorum exemplar.

Confirmatur. quantum ad hoc enim non poſſunt membra à capite diſcrepare, ne à ſe plus aliquid habeant, quàm ipſum caput. Quam rationem multis verbis tangit Auguſtinus in lib. de bono perſeuerantiæ cap. vltimo, præſertim illa ſunt notanda, *& Chriſtum, & nos prædeſtinauit, quia in illo, vt eſſet caput noſtrum, & in nobis, vt eius corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſciuit.* Eamdem probationem affert in lib. de correptione & gratia cap. 11. 4.

Secundò probat Auguſtinus dicto capite 15. de prædeſtinatione Sanctorum prope medium, quia *de ipſo ſpiritu quilibet Chriſtianus eſt renatus, de quo Chriſtus eſt natus.* Quapropter vtriuſque initium vitæ debet eſſe à gratia Spiritus ſancti, & non à viribus naturæ. Hanc probationem paulo magis explicuit Fulgentius de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 20. propè initium, dicens: *Forma præceſſit in carne Chriſti, quam in noſtra fide ſpiritualiter agnoſcamus. Nam Chriſtus filius Dei ſecundùm carnem de Spiritu ſancto conceptus & natus eſt. Carnem autem illam nec concipere virgo poſſet aliquando, nec parere, niſi eiuſdem carnis Spiritus ſanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fide poterit, nec augeri; niſi eam Spiritus ſanctus effundat, & nutriat. Ex eodem namque ſpiritu renati ſumus, ex quo natus eſt Chriſtus.* 5.

De eodẽ ſpiritu quo Chriſtus natus, Chriſtianus renatus.

Confirmatur, quoniam per fidem & iuſtificationem *formatur Chriſtus in nobis*, Galat. 4. Ergo conceptionis initium debet eſſe independens ab humanis meritis, elicitis abſque gratia; ſicut Chriſti Domini formatio in vtero virginis. Vnde Fulgentius continuò poſt citata verba ſubdit. *Eodem igitur ſpiritu Chriſtus formatur ſecundùm fidem in corde vniuſcuiuſque credentis, quo ſpiritu ſecundùm carnem formatus eſt in vtero virginis.* Conſonat ideo Fulgent. in fine cap. præcedentis 19. 6.

Per fidem, & iuſtificationẽ formatur Chriſtus in nobis.

Tertiò probatur, quoniam natura humana, atque illius vires, ad bene operandum moraliter præſcindendo à quacunque gratia, & dono per ſe, vel per accidens infuſo pares ſunt ſiue in Chriſto Domino, ſiue in quocumque Chriſtiano; ergo nulla eſt ratio diſcriminis, ob quam opera præcedentia ex viribus naturæ ad obtinendam primam gratiam, valeant in aliquo Chriſtiano, ſed tamen in humanitate Chriſti Domini non valuerint, aut è contrario. 7.

Omnium hominum naturales vires ad bene operandũ pares.

Secunda propoſitio. Vnionis hypoſtaticæ prima gratia collata fuit humanitati Chriſti Domini abſque 8.

Vnio hypoſta-

tica humanitatis gratis collata.

abſque vllis humanis operibus, ac proinde abſque vllo eorum merito, impetratione, diſpoſitione, ratione diſcriminis, occaſione, cōditione, aut initio, quod procederet ex ſolis naturæ viribus. Ita Auguſt. lib. 13. de Trinitate c. 17. propè initium, ait: *Vt gratia nobis, ſine vllis præcedentibus meritis, in homine Chriſto commendaretur; quia nec ipſe tanta vnitate Deo vero coniunctus vna cum illo perſona, id eſt, ipſe homo aſſumptus, mox, vt homo etiam Deus Filius Dei viueret, vllis eſt præcedentibus meritis aſſecutus.* & in lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. ait: *Ille homo, vt à verbo Patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumptus, Filius Dei vnigenitus eſſet; vnde hoc meruit? quod eius bonum qualecunque præceſſit? quid egit antè, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret?* Vbi non ſolùm meritum, ſed etiam petitionis impetratio, & qualecunque aliud bonum excluditur, quod potuerit eſſe illius gratiæ initium.

9. Probatur primò ex verbis Angeli ad Mariam ſemper Virginem Lucæ 1. in quibus Auguſtinus de correptione & gratia cap. 11. verſùs med. ponderat illam cauſalem *ideóque* (ſiue, *propterea*, vt legit Auguſtinus) cuius ſenſus eſt: vt, quod ex te naſceretur, ſit ſanctum, & verè ſit, atque appelletur Filius Dei, huius, inquam, tam ſingularis excellentiæ totalis cauſa eſt, quoniam Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Itaque à mera gratia Spiritus ſancti, non ab humano vllo merito, aut opere habere potuit initium. Vnde Auguſtinus loco nuper citato. *Propterea, inquit, non propter opera, quæ nondum nati vtique nulla ſunt; ſed propterea quia Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

10. *Humanitas Chriſti non extitit ante vnionem.*

Secundò probatur, quia humanitas Chriſti Domini nunquam extitit in rerum natura ante vnionem hypoſtaticam. Ergo nulla illius merè humana merita præcedere potuerunt.

Confirmatur, quoniam merita non præcedunt natiuitatem primam, qua primò natura humana ex nihilo in rerum naturam prodit. Quam rationem Auguſtinus tangit in omnibus locis citatis, præſertim verò in Enchiridio c. 36. dicens: *Quæ bona voluntas, cuius boni propoſiti ſtudium, quæ bona opera præceſſere; quibus mereretur iſte homo vt vna fieret perſona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, vt ſingulariter promereretur Deum? nempe ex quo homo eſſe cœpit, non aliud eſſe cœpit, quàm Dei Filius.* Hæc, & quæ retulimus verba ex 13. lib. de Trinitate recepta ſunt à Magiſtro, & communiter Scholaſticis in 3. diſt. 6. c. 3.

11. *Aliæ humanitates gratiam vnionis obtinuiſſent.*

Tertiò probatur, quoniam ſi humanitas Chriſti Domini per opera, elicita ex viribus naturæ, obtinuiſſet gratiam hypoſtaticæ vnionis, aliæ plures humanitates eandem gratiam obtinuiſſent; quoniam earum vires naturæ, præciſo omni dono per ſe, vel per accidens infuſo, non ſunt minores. Vnde Auguſtinus in libro 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 17. à medio, ait: *Nec enim & ipſe ita verbo Dei coniunctus, vt ipſa coniunctione vnus Filius Dei, & idem ipſe vnus Filius hominis fieret, præcedentibus ſuæ voluntatis meritis fecit. Vnum quippe illum eſſe oportebat: eſſent autem & duo, & tres, & plures; ſi hoc fieri poſſet, non per Dei proprium donum, ſed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipuè commendatur, hoc in ſapientiæ theſauris, in Chriſto abſconditis, quantum exiſtimare audeo, præcipuè docetur, & diſcitur.*

Quartò probatur, quoniam ſi aliqua ratio diſcriminis attendenda foret ex operibus naturæ humanæ, vt hæc potius, quā cæteræ, aſſumeretur à Dei verbo, nec liberrimæ gratiæ ac liberalitatis diuinæ foret, hanc potius quàm aliam ſuſcipere: ſequeretur, queruloſis hominum quæſtionibus occaſionem dari; quas Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15 ſic exponit: *Reſpondeat hîc homo Deo, ſi audet, & dicat; Cur non & ego? & ſi audierit, ô homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nec ſic cohibeat, ſed augeat impudentiam, & dicat: Quomodo audio, tu quis es ô homo? cùm ſim quod audio, id eſt, homo. Quod eſt ille, de quo ago* (ſcilicet Ieſus Chriſtus Dominus noſter) *cur non ſim quod & ille? At enim gratia ille talis, ac tantus eſt, cur diuerſa eſt gratia vbi natura communis eſt? certè non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quis, non dico Chriſtianus, ſed, inſanus, hæc dicat.* Vnde concludit Auguſtinus aliam diſcriminis rationem non eſſe quærendam, niſi Dei meram, & prorſus gratuitam voluntatem. 12.

Queruloſis quæſtionibus daretur occaſio.

Tertia propoſitio. Non ſolùm hypoſtatica vnio comparatione humanitatis Chriſti Domini, ſed etiam comparatione Dei genitricis Mariæ fuit gratia, cuius nullum prorſus initium datum eſt per opera procedentia ex viribus naturæ. Atque inde etiam probatur, non ex viribus naturæ, ſed ex præueniente gratia prouenire iuſtificationis initium. Hanc rationem breuiter attigit Auguſtinus in Enchiridio cap. 36. confirmans ex ſalutatione Angeli Lucæ 1. *Aue gratia plena*, & iterum: *Inueniſti gratiam apud Dominum.* Sed eam clariùs explicat Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 20. ante med. dicens: *Sicut enim non ſolùm priùs quàm Virgo Maria Chriſtum conciperet, ſed etiam prius quam ſe concepturam agnoſceret, gratia plena Angeli voce nuncupata eſt; cùm nulla tunc præcederet concupiſcendi Filij Dei, vel cognitio, vel voluntas; vt agnoſceretur ex gratia Dei eſſe tam ipſa obediens voluntas Virginis, quàm conceptio Domini Saluatoris: ſic homo priuſquam credere velle inciperet, gratia donantis infunditur cordi, vt incipiat in homine Chriſtus formari.* 13.

Vnio hypoſtatica comparatione virginis gratia.

SECTIO XI.

Experientia, & ratione à priori probatur idem dogma.

HÆc duo ſunt poſtrema iſtius diſputationis argumenta. Alterum eſt, quoniam rerum ſpiritualium Magiſtri in ſeipſis, & in aliis hominibus experiuntur præuenientis gratiæ neceſſitatem, & humanarum virium impotentiam. Nam videas peccatores aliquando ſcire præſentis ſtatus periculum, ac turpitudinem, imò etiam optare, ab illo recedere; nec poſſe à ſeipſis obtinere conſtans, & efficax propoſitum veræ pœnitentiæ: rurſus alio tempore eoſdem peccatores videas potentiſſimo impulſu & ſuauitate interiùs agi, vt omnes difficultates pœnitentiæ magna cum voluptate ſuperent. 1.

Experimur præuenientis gratiæ neceſſitatem.

Confirmatur primò. nam ſimile quidpiam experiuntur in ſeipſis ſpirituales viri circa quorundam venialium peccatorum emendationem, victoriā tentationū, & progreſſum in via ſpirituali. 2.

Confirmatur ſecundò, quoniam non ſolùm diuerſis temporibus, ſed etiam eodem ipſo tempore atque eidem perſonæ circa materiam diuerſam contingit, ſuauiter & efficaciter velle atque exequi difficiliora, nec poſſe, ad faciliora

etiam admotis ſtimulis, animum adigere. Hæc igitur experientia oſtendit, quanta ſit vis atque neceſſitas præuenientis gratiæ, qua negata, ex ſuppoſitione, quod abſit, eſt ſimpliciter impoſſibile, quòd illa præſente foret, non ſolùm poſſibile, ſed etiam quandoque facile, & ſuaue.

3. Atque vt tanti momenti veritas tanto altiores in corde radices poneret, quanto maiori doloris ſenſu, atque periculo euidentior illius experientia comparatur: Deus permittit etiam prædeſtinatos quandoque obdurari, & excæcari in criminibus, vel ad res diuinas areſcere: vt Deuteron. 8. Moyſes populo cauendum præcipit, ne cordis elatione incidat in obliuionem, & ingratitudinem, quando rerum omnium abundantia circumfluxerit, quoniam ad hoc malum cauendum Deus illum duxerat per ſolitudinem, in qua erat ſerpens flatu adurens, ſcorpio, ac dipſas, & nullæ omnino aquæ: & rurſus eduxit riuos de petra duriſſima, & manna cibauit, & ſubdit Moyſes: *Poſtquam afflixit te, ac probauit, ad extremum miſertus eſt tui, ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc omnia mihi præſtiterunt, ſed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit.* Iſtæ vires, quas Deus præbet, nihil aliud ſunt, quàm præueniens gratia iam data, & adiuuans gratia in actu primo oblata, & præparata.

4. Vnde Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 17. prope finem, ait: *Ideo quiſque noſtrum bonum opus ſuſcipere, agere, implere nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur; vt nouerit, non ſuæ facultatis, ſed diuini muneris eſſe, vel quod ſcit, vel quod delectatur; & ſic ab elationis vanitate ſanetur.* Quam rationem magis explicat in cap. 19. poſt medium, atque hoc argumento contra Semipelagianos vtitur Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 13. poſt medium, vbi poſtquam retulit illa verba Ambroſij. *Non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtra cogitationes. Quis autem tam beatus, qui in corde ſuo ſemper aſcendat? ſed hoc, ſine diuino auxilio, qui fieri poteſt? nullo profectò modo.* Auguſtinus ſubiicit: *Hoc vtique vt diceret, non ſolùm in Litteris ſacris legebat, ſed ſicut de illo viro ſine dubitatione credendum eſt, etiam in corde ſuo ſentiebat Ambroſius.*

5. Baſilius in regulis breuioribus interrogatione 16. à 6. *Quid eſt*, inquit, *quòd nonnunquam animus etiam nullo à ſe adhibito ſtudio ſua ſponte ferè, tanquam ſi ei dolor aliquis incidiſſet, compungitur; interdum autem adeò languidus eſt, vt cum maximè conetur, compungi non poſſit.* Et reſpondet: *Enimuerò talis compunctio Dei donum eſt, ad extimulandum mentis noſtræ deſiderium, vt guſtata dulcedine huius doloris eum perpetuò ſtudeat retinere.*

6. Gregorius Moralium lib. 11. c. 6. ad illa verba Iob 12. *Si continueris aquas, omnia ſiccabuntur; ſi emiſeris eas, ſubuertent terram*, ait: *Si ſancti ſpiritus gratia ab audientis mente ſubtrahitur, areſcit protinus intellectus, qui iam per ſpem vireſcere in audiente videbatur.* (& infrà:) *Si ſancti Spiritus gratia ſuperno munere iuxta vocem prædicantis infunditur, ſtatim terra ſubuertitur; quia peccatricis mentis duritia ab immobilitatis ſuæ obſtinatione permutatur.*

7. Bernardus ſermone 74. in Cantica inter medium & finem ait: *Quid prodeſt ſcire, quid te oporteat facere, ſi non detur & velle facere?* (datur autem velle per gratiam operantem, ſeu præuenientem diſp. ſequenti.) *Quantos expertus ſum agnita veritate triſtiores, & ideo magis, quia iam fugere ad ignorantiæ excuſationem non liceret.* Hæc Bernard.

Poſtrema accedat nunc ratio à priori, quæ licèt contra proteruos debilior, cæterùm ad rerum quidditates aperiendas, vnde manant rationes congruæ diuinæ prouidentiæ, ſapientibus erit vtilior. Eam D. Thomas tradit 1. 2. q. 109. art. 6. hoc ferè modo. Iuſtificationis vltimus finis eſt Deus; ſed modo ſpeciali, & altiori, quàm eſt finis omnium actionum naturalium; ergo iuſtificationis Deus eſt cauſa efficiens ſpeciali, & altiori modo, quàm omnium actionum naturalium. 8.

Præſentis dogmatis ratio à priori.

Probatur conſequentia, quoniam cùm omne agens agat propter finem, ita ſe debent reſpicere duæ iſtæ cauſalitates, efficiens, & finalis, vt ſint eiuſdem ordinis, & proportionem habeant.

Omne agens propter finem operatur.

Confirmatur, quoniam hac de cauſa vltimus finis, qui eſt primus in mouendo appetitum, & primum efficiens, ita ſe habent, vt per ſe primò ſe mutuo reſpiciant, & nullum efficiens reſpiciat vltimum finem, niſi vt motum à primo efficiente. Quam propoſitionem D. Thomas explicat exemplo Imperatoris, & inferiorum Ducum. Vide illum, & expoſitores ibi. Vnde tandem colligitur, Deum non vt authorem naturalem, ſed vt ſupernaturalem authorem eſſe, qui ſolus per ſupernaturale auxilium præbere poteſt initium aptũ & proportionatum ad finem iuſtificationis.

DISPVTATIO XIX.

De fide, pro vt eſt iuſtificationis initium.

QVAMVIS aliqua ex his, quæ in hac diſputatione tractantur de fide, illiúſque merito, & impetratione, ſoleant etiam diſputari in materia de fide, aut de merito. Cæterùm nullum eſt eis magis natiuum ſolum, quàm præſens, in quo verſamur. Ea quippe, quæ dicenda ſunt, & tanquam concluſiones naſcuntur ex principiis præcedentium diſputationum, & principia ſunt, ex quibus vlteriores concluſiones inferantur in ſequentibus diſputationibus. Quocirca ſi prætermitterentur hoc loco radici, & ramis firmior arboris pars, inter media defuiſſet. Peculiariter autem præſens diſputatio valebit primò ad penitus extirpandum Semipelagianorum errorem de fide ex viribus naturæ, atque de illius merito, & impetratione. Secundò, ad ſoluenda eorum argumenta, oſtendendo ſine fide per gratiam præuenientem inchoata, nihil valere, orationum, opera miſericordiæ, ieiunia, & cætera opera, quæ videntur eſſe pietatis, de quibus infrà diſp. 24. Tertiò, vt conſtet magis in particulari quomodo infideles ad fidem vocari incipiant, de quo infrà diſp. 25. ad confirmandam ratiocinationem tertiam, quam poſuimus diſputatione præcedenti ſect. 1. fine.

SECTIO I.

Præmittuntur quæ præſentem controuerſiam comitari ſolent, vt ab illis præciſus cernatur poſtea ſtatus diſputationis.

PRimò certum eſt, atque ab ipſis etiam Pelagianis conceſſum, ad credenda ſupernaturalia myſteria, requiri ſupernaturale auxilium, quo nobis exteriùs proponantur, ſiue per Dei, aut Angelorum reuelationẽ, viſibiliter, aut inuiſibiliter factam; 1.

factam; ſiue per hominum prædicationem, atqoe doctrinam, vt fit de lege ordinaria. Conſtat autem Trinitatem, Incarnationem, Euchariſtiam, aliáqoe ſupernaturalia myſteria inueniri non poſſe ratiocinatione humana: quod oſtendero non eſt præſentis inſtituti. Quare in præſenti non quæritur, niſi de interiori auxilio, quod inclinat ad præſtandum aſſenſum, ſuppoſita ſufficienti propoſitione myſteriorum fidei.

Supernaturalia myſteria ſolis naturæ viribus cognoſci non poſſunt.

2\. Secundò certum eſt, naturales vires intellectus, & voluntatis ſufficere, vt myſteriis fidei ſufficienter propoſitis, credamus humana fide tali, qualem hiſtoriis prodigioſis, imò, & impoſſibilibus adhibere ſolemus. Cuiuſmodi fide Iudæi, & hæretici modò credunt plurima quæ in ſacris Litteris continentur. Necnon Gentiles, & Mahumetani portentoſa dæmonis mendacia credunt. Erit autem hæc fides humana improportionata myſteriis fidei; & improportio erit quintuplex. Prima, quoniam obiectum formale, & materiale præcipuu fidei ſupernaturalia sũt. Quapropter vt actus circa illa proportionatè verſaretur, ſupernaturalis eſſe debuiſſet, ſicut etiam de charitate, atque de ſpe dici ſolet. Secunda improportio eſt, quoniã humana fides ex natura ſua nõ eſt ſufficiẽs ad excludendã omnem dubitationem, atqoe formidinem de obiecti falſitate, quam dubitationem (quantum ex ſe eſt) ſufficienter excludit fides diuina, vtpote certior omni habitu naturali, ſubnixaqne infallibili veracitati Dei. Tertia improportio eſt, quòd humana fides ex ſuo modo tendendi, indifferens eſt, vt falſum credat non ſecus, atqne verum. Sed cùm diuina veracitas non poſſit falſum affirmare, fides illi rationi formali proportionata, nulla erit, niſi quæ non poſſit ad falſum inclinare. Ex his naſcitur quarta improportio ad exercenda propria munera fidei comparatione aliarum virtutum infuſarum. Quia fides humana, non ſicut oportet, proponere poterit obiectum ſpetandum, amandum, colendum per ſpem, charitatem, religionem, cæteráſqoe virtutes per ſe infuſas. Quinta improportio eſt in ratione meriti, impetrationis, & diſpoſitionis ad iuſtificationem, de qua ſatis diximus in diſputationibus proximè præcedentibus. Vide quæ dicemus diſp. 23. ſect. 4. ratione 5.

Fides humana myſteriorum fidei improportionata.

Prima improportio. Fidei obiectum ſupernaturale.

Secunda, humana fides non excludit omnem dubitationem.

Tertia falſum credere poteſt.

Deus non poteſt falſum affirmare.

Quarta.

Quinta.

3\. Eſt autem res ambigua, vtrùm hæc ipſa fides humana, de qua nuper locuti ſumus, poſſit aliquando per ſolas vires naturæ abſque ſupernaturali auxilio, euadere honeſta ex omni circunſtantia ſibi intrinſeca; ita vt talis actus in ſeipſo formaliter nullam contineat rationem culpæ; ſed potius rationem virtutis moralis, cum plena conformitate ad rationem naturalem; quæ dictat prudentiæ leges obligare vt credamus myſteria, quæ à perſonis tantæ authoritatis, tanta miraculorum maieſtate, & tanta morum ſuauitate traduntur.

Quando humana fides ſine ſupernaturali auxilio habita ſit honeſta.

4\. Reſpondeo diſtinguendo. Nam ille homo cui proponitur vnum, aut alterum myſterium ex facilioribus, & ignorat reliqua difficiliora, poterit elicere actum credulitatis humanæ, qui ſit ex omni circunſtantia honeſtus, modo nuper explicato; ſiquidem ad hoc naturalis inclinat, & nulla difficultas impedit.

5\. Cæterùm, quoties omnia myſteria fidei, vel ſaltem difficiliora ſunt propoſita ſufficienter cum euidentia credibilitatis, toties non poterit fides humana euadere ex omni circunſtantia honeſta, ſiue circa omnia myſteria, ſiue circa aliqua illorum, cuius præcipua ratio eſt, quoniam ardua quædam, ac difficiliora opera, etiamſi ex ratione ſpecifica ſint naturalia, non poſſumus honeſtè & ſtudioſè perficere abſque auxilio ſupernaturali; præſertim vrgente aliqua graui tentatione. Sed credere omnibus myſteriis fidei, ſicut ratio naturalis dictat, illis eſſe credendum, ſuppoſita eorum propoſitione ſufficienti, eſt opus valdè arduum; ab eo nanque retardant rationes quædam humanæ, atque ſophiſticæ, occurrentes contra myſteria ſpeculatiua; ſed multò vehementiùs inordinatæ paſſiones, & affectus rerum humanarum ſuperbia, auaritia, luxuria, & cætera id genus monſtra violenter rapiunt intellectum, vt falſam iudicet eſſe legem, cuius authoritate illa omnia trucidantur. Tanta igitur difficultas prohibet, ne vires naturæ abſque ſupernaturali auxilio poſſint aſſenſum præbere ea omni circunſtantia honeſtum, & naturali rationi conſentaneum

Ardua naturalia opera ſine auxilio gratiæ honeſtè facere non valemus.

Fidei difficultas magna.

Confirmatur, quoniam nullus adiiciet animum, vt omnia myſteria ſimul certò credat, quia Deus dixit; niſi priùs excitatus diuina gratia operante. Nec ſatis erit dictamen rationis naturalis, hic & nunc dictantis, imprudentiam eſſe non credere myſteriis, quæ tanta euidentia credibilitatis perſuadentur. Si autem aliquis recuſat omnia ſimul certò credere, quoniam Deus dixit: iam eius fides humana quæ verſatur circa aliqua myſteria, vitiatur aliqua circunſtantia turpi, & contraria rationi rectæ. Videlicet, quoniam imprudenter, inconſequentérque pro libito amplectatur vnum, vt refutet aliud, cum illo copulatum in eadem ratione credibilitatis. Vnde fit, vt ipſa etiam naturalis ratio conuincat, aut nullum, aut omnia eſſe credenda. Quare contra rationem operatur, qui credit vnum ex ſuppoſitione quod aliud non credit. 6.

His ſuppoſitis Semipelagiani rectè contra Pelagium fatebantur, perfectam fidem indigere auxilio ſupernaturali gratiæ. Deinde non errabant in eo præcisè, quòd aliquam imperfectam & inchoatam fidem humanam poſſet elicere liberum arbitrium per ſolas vires naturæ. hoc enim præcisè acceptum, aut verum eſt, aut probabile. Sed in eo errabant, quòd eiuſmodi fidem, abſque auxilio gratiæ productam, exiſtimabant habere aliquam vim merendi de congruo, impetrandi, & diſponendi ad perfectam fidem, cæteráque dona iuſtificationis obtinenda (vt fuſiùs in generali de omnibus actibus elicitis per vires naturæ ſuprà diſp. 14. ſect. 2. à n. 7. vſque ad 10. explicatum fuit) imò etiam ad obtinendam perſeuerantiam, & prædeſtinationem ad gloriam, vt in eadem diſput. 14. ſect. 4. monſtrauimus. 7.

Semipelagiani perfectam fidem gratia indigere fatebantur.

Dudùm aliqoid ante exortam Pelagij hæreſim docuerat Ticonius in 3. regula, dicens: *Opera nobis à Deo dari merito fidei, ipſam verò fidem ſic eſſe à nobis, vt nobis non ſit à Deo.* Sic Auguſtinus refert lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 33. Imò & Auguſtinus eundem errorem ſcripſerat, priùs quàm crearetur Epiſcopus, vt conſtat in expoſitione propoſitionum ex epiſt. ad Rom. num. 60. 61. 62. & 63. cuius authoritate ſe tuebantur Maſſilienſes, vt conſtat ex epiſt. Hilarij col. 2. Sed poſtea Cypriani teſtimonio excitatus Auguſtinus agnouit neceſſitatem gratiæ ad omnia ſalutis opera, etiam ad ipſam fidem: vt teſtatur lib. 1. retract. cap. 22. & 23. & lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. 8.

SECTIO

SECTIO II.

Fidem ſiue perfectam, ſiue inchoatam, indigere gratia præueniente.

1. *Prima concluſio, nullus ſine gratia poteſt credere ſicut oportet.*

SIt prima concluſio. Sine præuenienti auxilio ſupernaturali gratiæ, nullus poteſt credere ſicut oportet, ad conſequendam gratiam & ſalutem. Explicatur concluſio magis. illa fides humana, quam viribus naturæ poſſumus elicere (iuxta dicta in ſectione præcedenti) ſiue vitiata per aliquam circunſtantiam, & abſolutè turpis euadat, ſiue ex omni circunſtantia honeſta, & conformis rectæ rationi naturali; adhuc non ſufficit ad ſalutem, nec ad præbendum initium perfectæ fidei. Deinde in præſenti non aſſerimus, ſed aliunde tanquam certiſſimum ſupponimus, vltra fidem requiri etiam ſpem & charitatem, ſed aſſerimus præcisè in genere fidei ad ſalutem vtilis, nihil valere prædictam fidem elicitam per vires naturæ. Denique nulla voluntas aut conatus noſter ad credendum, valebit aliquid ad fidem, vel gratiam obtinendam; niſi præueniente gratia fuerit excitatus.

2. *Probatis prima.*

Probatur primò, quoniam Tridentinum ſeſſ. 6. canone 3. ita decernit: *Si quis dixerit, ſine præueniente Dei gratia, atque adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

3. Clariùs autem in Arauſicano II. canone 5. explicatur, non ſolùm ad fidem perfectam, ſed etiam ad initium fidei requiri gratiam præuenientem his verbis: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, & ad regenerationem Baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti, corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit: Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius probatur.* & in canone 7. decernit, hæretico falli ſpiritu eum, qui confirmat, *euangelizanti prædicationi conſentire poſſe per naturæ vigorem, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & credendo veritati.* Idem docet can. 6.7.8.& bona parte canonis.

4. Aduersùs eundem errorem quacunque data, vel etiam quæſita occaſione Auguſtinus inuehitur frequentior, copioſior, ac vehementior, quàm in cæteros, veluti toto libro de prædeſtinatione Sanctorum, præſertim a cap. 5. vſque ad 10. & à cap. 17. vſque ad 20. & lib. de bono perſeuerantiæ, præſertim cap. 1. 2. 3. & 19. & lib. de gratia Chriſti cap 31. & contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 3. & lib. de geſtis Pelagij cap. 14. poſt medium. Proſper lib. 1. de vocatione Gent. præſertim c. 8. & lib. contra Collatorem cap. 36. & 37. & in epiſt. ad Demetriadem, & ad capita Gallorum cap. 8. & 14 & ad excerpta Genuenſium, dub. 5. Fulgentius de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti à cap. 18. vſque ad 23. præſertim verò cap. 20. vbi probat voluntatem noſtram non expectari ad fidem. Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 6. 7. & 8. & alij Patres citati ſuprà diſputat. 17. & citandi infrà diſp. 28.

5. *Confirmatur celebri teſtimonio.*

Ad huius dogmatis confirmationem, celeberrimum teſtimonium eſt Ioannis 6. verſ. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* & verſ. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* & poſt pauca. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* & verſ. 65. *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt: propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.*

In quibus verbis pondera primò, venire ad Chriſtum eſſe credere: ruſſus ad credendum, opus eſſe trahi, & datum accipere à Patre, vt conſtat ex poſtremis verbis, quæ retulimus ex verſu 65. Eſt autem hoc intelligendum ita vniuerſaliter comparatione omnium hominum, abſque vlla exceptione: ſic enim Arauſicanum Concilium can. 8. poſtquam damnauit eos qui aſſerebant, ad Baptiſmi gratiam quoſdam homines venire Dei gratia, & miſericordia; alios verò per liberum arbitrium, ſubdit: *Quod quàm ſit contrarium, ipſe Dominus probat, qui non aliquos, ſed neminem à ſe poſſe venire teſtatur: niſi quem Pater traxerit.* Nec ſolùm ad inueniendum perfectè per fidem charitate formatam, ſed etiam ad inchoandum veniendi motum per fidem informem, etiam imperfectam & inchoatam Dei trahentis donum requiri, deducitur ex eodem teſtimonio. 6.

Secundò illis, qui non credebant, iam à Patre data fuerat externa prædicatio Euangelij, quam vel inuitis infundebat vberrimè fons ipſe doctrinæ, & miraculorum. Quapropter non ſufficit hoc exterius auxilium, ſed aliud interius, docens, & trahens requiritur vlterius, quod Iudæis incredulis nondum fuiſſe datum Chriſtus Dominus hoc loco notauit: ſicut expendit optimè Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. ab illis verbis: *Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola*, &c. 7.

Tertiò pondera, niſi dante atque trahente Patre, non ſolùm de facto neminem venire ad Chriſtum, ſed etiam venire non poſſe, nec enim dixit Chriſtus Dominus ſolummodo, Nemo venit ad me, ſed dixit: *Nemo poteſt venire ad me.* Itaque non ſolùm actu, ſed etiam poteſtate credendi carebit, quem Dei præueniens gratia non traxerit. Nihilominus quomodo hæc verba Chriſti Domini non excludant liberam & indifferentem poteſtatem credendi, vel non-credendi, ſuppoſita præueniente gratia Dei, dicemus tomo ſequenti, vbi fuſiùs authoritate Patrum confirmanda erit huius loci interpretatio. 8.

Quartò prædictum teſtimonium non poſſe explicari de auxilio generali, ad quamcunque actionem naturalem requiſito, ſed agere de auxilio ſupernaturali per Chriſti Domini gratiam collato in ordine ad vitam æternam, quæ in viſione Dei conſiſtit. 9. *Explicari nequit de generali auxilio.*

Probatur ex contextu eiuſdem capitis 6. Ioannis. Totus enim agit de vita æterna gratiæ & gloriæ; & ait hanc eſſe voluntatem Patris, vt omne quod dedit, non perdat Filius, ſed reſuſcitet in nouiſſimo die, vt habeat vitam æternam.

Confirmatur primò, nam gratiæ proprium eſt, donari ſiue dari, vt oſtendimus in peculiari libro de quidditate gratiæ diſput. 2. At verò Chriſtus Dominus ſemel & iterum repetit neceſſarium eſſe vt Pater det. *Gratia proprii donari.*

Confirmatur ſecundò, nam *trahere* in hoc c. 6. Ioannis idem eſt, quod *dare*. cùm Chriſtus Dominus priorem ſuam ſententiam allegans, ita repetat non verba, ſed ſenſum: *Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* *Trahere, idē quod dare.*

Confir

10. Confirmatur tertiò, generalibus rationibus, quibus Parres contra Pelagium probant ſimilia teſtimonia non poſſe intelligi de narutali auxilio; ſed neceſſariò intelligenda eſſe de auxilio gratiæ per Ieſum Chriſtum, quas attigimus præcedenti diſputarione 18.ſect.1.n.5.6.& 7.

Quintò pondera, miro ſapientiæ artificio copulata eſſe duo genera verborum, alia quæ neceſſitatem denotant independentem à noſtra libertate,videlicet,*traxeris, datum fueris,* vt hæc referantur ad gratiam præuenientem, quæ fit in nobis ſine nobis, hoc eſt, ſine libertatis noſtræ exercitio. Alia verba libertatis exercitium denotant, videlicet,*venire,& credere;* vt hæc referantur ad liberam cooperationem voluntatis cum gratia præueniente, & ita ſe inuicem hæc duo verborum genera temperent,vt quod in vno videbatur excedere, ab alio corrigatur. Colligitur hoc ex Auguſtino libro 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap.19. fine. Proſpero contra Collatorem cap.6. & 14. & lib. 1. de vocatione Gentium cap.24.poſt medium,& lib.2. cap.27. à medio, Petro Diacono de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 6. Gregorio Magno Cantic.1. atque ibidem Bernardo ſermone 21. ad illa verba, *Trahe me poſt te, in odorem curremus vnguentorum tuorum.* Gregorio item optimè lib.33.moral.c.20. aliàs 25.& S.Thoma 3.contra Gent. cap. 148. & in Ioannem cap.6. lect.9.ſed de hoc fuſiùs tomo ſequenti.

11. Secundum teſtimonium eſt Epheſ. 2. *Gratia enim ſalui eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Quo teſtimonio vtitur Arauſicanum II. ad confirmandum canonem quintum, quem ſuprà n. 3. retulimus, & Auguſt. copiosè, atque grauiter ponderat in lib.de gratia & libero arbitrio c.8.& lib.de prædeſtinatione Sanctorum cap. 7. & alibi ſæpe, ſicut etiam Proſper & Fulgen. ſuprà citati.

12. Huius Apoſtolicæ doctrinæ rationem Hieronymus in Commentario ad prædicta verba ſic reddit: *Hoc autem ideo,ne forſitan nobis cogitatio occulta ſubreperet, ſi per opera noſtra ſaluati non ſumus. Certè vel per fidem ſaluati ſumus; & alio genere noſtrum eſt,quod ſaluamur. Addit itaque,& dixit:Fidem quoque ipſam non noſtræ voluntatis eſſe, ſed Dei muneris.* His ſimilia & ad præſens inſtitutum opportuna ſcribit Ambroſius in eundem locum,quibus conſonat Leo I. epiſtola 84.ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum,col.2.poſtquam retulit prædicta verba Epheſ.2.inferens: *Omnis itaque bonorum operum donatio, diuina præparatio eſt.* Vires illius phraſis, *non ex operibus*, fuſiùs explicatæ ſunt diſp.33.ſect.2 à principio.

13. His ſimilia ſunt alia pleraque teſtimonia, vt Matth.11. *Abſcondiſti hoc à ſapientibus, & prudentibus,& reuelaſti ea paruulis.* Eſt autem grauiſſimi ponderis, quæ ſubiungitur cauſa. *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Nec enim opera, ſeu merita, ſiue iam facta, ſiue præuiſa, præbuere rationem, cuius intuitu Deus eadem myſteria fidei, quæ ſapientibus atque prudentibus abſcondebat, paruulis, atque deſpectis hominibus reuelauerit. Tota itaque ratio fuit, quia ſic placitum fuit ante Deum. Quod iterum Chriſtus Dominus ibidem repetit, dicens: *Et nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Matth.16.*Beatus es Simon Barjona,quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Vtitur hoc teſtimonio Arauſicanum canone 8. & Auguſtinus tract. 7. in Ioannem col. penultima. Vbi nomine carnis, & ſanguinis excluditur quidquid humanum eſt; atque inferius diuina gratia, ſicut Ioannis 1. *Non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

14. Lucæ 8. *Vobis datum eſt noſſe myſterium verbi Dei*,& 1.Corinth. 16. *Oſtium mihi apertum eſt magnum & euidens.* videlicet vt fidem fructuosè diſſeminaret, ſimilia 2. Corinth. 2. Ergo Deus eſt, qui fidei ianuam ingreſſum & initium tribuit, vt perpendit Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap.20.Philippenſ.1.*Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum,vt in eum credatis; ſed etiam,vt pro eo patiamini.* Vtitur hoc teſtimonio Arauſicanum II. ad confirmandum canonem 5.quem n.3. retulimus. Rom. 12. *Unicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* Actuum 13. *Crediderunt, quotquot præordinati erant in vitam æternam.*

15. Myſteriorum fidei penetratio profunda, cum intimo ſenſu, atque ſpirituali guſtu,auidè complectente illorum dulcedinem,dari à Deo præueniente dono,conſtat 1.Ioannis 5. *Scimus, quoniam Filius Dei venit,& dedit nobis ſenſum,vt cognoſcamus verum Deum,& ſimus in vero Filio eius.* Quod teſtimonium ad hæc confirmanda profert Proſper 1. de vocat.Gent.c.20.& lib.2.c.15. & epiſt.ad Demetriadem. Hîc autem propriè intelligitur ille ſenſus, à quo dicitur homo ſenſatus frequenter in Eccleſiaſtico: cuius carentia omnes impios denominat inſenſatos ſæpe in eodem Eccleſiaſtico,& in lib.Sapientiæ;ſicut etiam inſenſatos reddit Galatas, & faſcinatos, Galat.3.& duos illos diſcipulos reddidit *ſtultos,& tardos corde ad credendum*, quouſque Chriſtus Dominus *aperuit illis ſenſum vt intelligerent Scripturas*, Marc.24. Omnia denique ſacræ Scripturæ teſtimonia,atque rationes quę ponderantur tota diſp.ſuperiori,probant concluſionem præſentem.

Myſteriorum fidei penetratio profunda datur à Deo.

16. Secunda concluſio. Ad maiorem explicationem concluſionis 1. Non ſolùm ex parte intellectus, ad bene iudicandum de myſteriis fidei; ſed etiam ex parte voluntaria ad piam affectionem requiritur ſupernaturale auxilium gratiæ præuenientis. Hîc non eſt diſputandum, ſed ex materia de fide ſupponendum, actum fidei conſiſtere in aſſenſu intellectus: cæterùm neceſſariò prærequiri piam affectionem voluntatis, quæ intellectum applicet ad diligenter inquirendas, & prudenter ponderandas rationes credibilitatis. Quo ſuppoſito aſſerimus ad hanc piam affectionem voluntatis prærequiri præuenientem gratiam non minus, quàm ad aſſenſum intellectus.

Ad piam affectionē myſteriorum fidei ſupernaturale auxilium neceſſarium.

Fides prærequirit piam affectionem.

Ad eam gratia neceſſaria.

17. Probatur primò, quia ita definiuit Arauſicanum Concilium can. 5. quem retulimus ſuprà n. 3.in quo notanda ſunt illa verba, *ipſum credulitatis affectum.* Cœleſtinus I. epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap.12. ait: *Per Deum fit,vt aliquid boni & velle incipiamus & facere.* Leo I. ſermone 8. Epiphaniæ cap.2. ait: *Dubium non eſt, hominem bona agentem, habere à Deo & effectum operis, & initium voluntatis.*

18. Probatur primò ex Paulo Philippenſes 2.*Deus eſt,qui operatur in vobis velle & perficere.* Ex quo teſtimonio voluntatem credendi, & quodlibet initium cuiuſque bonæ voluntatis donari per gratiam, qua præparatur voluntas à Domino; Auguſtinus confirmat toties, vt præ locorū multitudine ſint exigui, quos refero; videlicet, de ſpiritu & littera cap.33.& 34.lib.1.contra duas epiſtolas Pelagianorum. cap.8. lib.1.ad Simplicianum q.2.

non

Digitized by Google

non longè ante med. de gratia & libero arbitrio c.9.& 14. in Enchirid. c.32. de prædeſt. & gratia c.11. de bono perſeuerantiæ c.13. de gratia Chriſti c.25. epiſt. 143. ad Iulianam Viduam colum. 3. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione c.18. Concilium Arauſicanum II. can. 4. & 9. Philo tomo 1. Bibliothecæ lib. in Cantica ad illa verba: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, Proſper lib. 1. de vocatione Gentium capite 24. poſt medium, & libro contra Collatorem. cap.8. 16. & 39. atque libro de libero arbitrio ad Ruffinum ante medium. Fulgentius lib. ad Monimum à capite 8. vſque ad 14. & de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti capite 17. fine, & capite 18. & 20. & epiſtola 6. ad Theodotum de conuerſione capite 7. Leo Papa non ſolùm loco ſuprà citato; ſed etiam ſermone 8. de ieiunio decimi menſis cap. 3. Gregorius homil. 9. in Ezechiel. ſub initium. Atque eadem eſt ſententia, quamuis ſub verbis obſcurioribus Hieronymi in capite 26. Hieremiæ ad illa verba, *& dices ad eos*, &c. & in verba citata Philipp. 2. vbi etiam Ambroſius, imò & Chryſologus ibi ſermone octauo; ſiquidem ait, Deum eſſe, qui nobis promptitudinem dat, & efficaciam, & nos agit, vt velimus & agamus.

Cant. 6.

19. *Credendi voluntatem inter initia gratiæ numerabant Maſſilienſes.*

Tertiò probatur. nam Maſſilienſes voluntatem credendi expreſsè numerabant inter initia gratiæ, data ex viribus naturæ, vt oſtendit epiſtola Hilarij ad Auguſtinum prope initium, frequenter repetens *velle ſanari*, præſertim illis verbis: *Illud ſicut vnicuique partitus eſt menſuram fidei; vt ſimiliter, ad id volunt valere, vt adiuuetur qui cœperit velle, non vt etiam donetur, vt velit.* Hic erat Maſſilienſium error circa fidem, & Proſper in epiſtola ad Auguſtinum frequenter poteſtatem, volendi credere, & accedere ad fidem, & ad Baptiſmum, inculcat & damnat: eandémque refutat Auguſtinus locis nuper citatis. Imò ipſe etiam Maſſilienſium dux Caſſianus veritatis lumine victus in collat. 13. capite 3. fine fatetur. *Non ſolùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui nobis & initia bonæ voluntatis inſpirat*, &c. quæ verba poſtquam retulit Proſper in capite 39. contra Collatorem, ait: *Quod & nos amplectimur, & Catholicum eſſe profitemur.* Sed ſubiicit poſtea teſtimonia, quibus contrarium idem Caſſianus docuit.

20. *Pia affectio fidei principium intrinſecum.*

Inde ſumitur quarta probatio concluſionis, quoniam pia affectio voluntatis eſt fidei principium intrinſecum intellectum mouens ad perſpiciendas rationes credibilitatis, & imperans aſſenſum fidei: ſed initium fidei, & totius iuſtificationis non poteſt dari ex viribus naturæ, ſed indiget gratia præueniente Dei, vt ex præcedenti concluſione conſtat, & magis ex vniuerſalibus probationibus circa initium gratiæ poſitis, tota diſputatione præcedenti: ergo pia affectio voluntatis ad credendum prærequirit gratiam præuenientem & excitantem.

21. *Inter actus voluntatis & intellectus debet eſſe proportio.*

Quintò probatur, quia debet eſſe proportio inter actus intellectus, & voluntatis, quando per ſe & indiſſolubiliter copulantur; vt mouens & motum, ac præſertim actus mouens non debet eſſe inferioris ordinis, quàm actus imperatus, & motus. Qoam ob cauſam pia affectio voluntatis debet eſſe ſupernaturalis, ac proinde indigebit præueniente gratia Dei.

22. Sextò colligitur ex 16. cap. Actor. vbi Lydiæ purpurariæ *Dominus aperuit cor, intendere ijs quæ dicebantur à Paulo.* Ergo per voluntatem aperire viam fidei, vt voluntas intellectum applicet ad intendendum attentè iis quæ per fidem proponuntur; hoc, inquam, Dei opus eſt, ac proinde gratia præueniente indigens, qua ratione Auguſtinus de prædeſt. Sanct. cap. 20. & Proſper lib. 1. de vocat. Gent. c. 23. exemplo Lydiæ probant eſſe donum Dei, non ſolùm fidem, ſed etiam voluntatem audiendi, & credendi.

Septimò, denique ad huius concluſionis confirmationem valent omnia, quæ dicemus ſect. vlt. de fide inchoata.

23. *Nihil ſolis naturæ viribus circa fidei myſteria factum valet ad obtinendam gratiã.*

Tertia concluſio circa myſteria fidei quicunque intellectualis aſſenſus, vel pia affectio voluntatis, eliciti per ſolas vires naturæ, nihil valent ad obtinendam gratiam. Hęc concluſio abundè probata eſt tota diſp. 17. & 18. & magis explicabitur ſeq. diſp. 20. & corroborabitur diſp. 22. & 23.

24. *Neque potuit eſſe ratio prædeſtinationis.*

Quarta concluſio. Idem aſſenſus, eadémque pia affectio elicita per vires naturæ, ſine gratia, non potuit eſſe ratio electionis, ſiue prædeſtinationis ad gratiam, ſiue ad gloriam, vt generaliter probabimus diſput. 26.

SECTIO III.

A ſupernaturali fide ſumitur initium ſalutis diſponendo ad gratiam, & impetrando illam.

1. *Duo clauduntur in titulo.*

DVo clauduntur hoc titulo. Alterum eſt, ante fidem nihil eſſe diſpoſitionis, meriti, aut impetrationis. hoc ſect. præced. & tota diſp. 17. & 18. peregimus, idémque firmius erit ex hac & ſequentibus ſectionibus, omnibúſque diſputationibus ſequẽtibus. Alterum eſt cùm primùm adeſt aliquis actus fidei, etiam ſi cætera deſint ad iuſtificationem requiſita, reperiri aliquid, quod verè diſponit, impetrat, ac meretur de congruo vlteriora auxilia gratiæ, ac proinde acquirere poteſt vlteriores diſpoſitiones, merita, & impetrationes, atque ipſam iuſtificationem. Hoc ſecundum eſt, quod in præſenti, & ſequenti ſect. probandum reſtat.

2. *Fides ſalutis initium.*

Sit prima concluſio. Fides eſt humanæ ſalutis & iuſtificationis initium. Hæc concluſio eſt de fide, quoniam Tridentinum ſeſſ. 6. c. 8. refert *perpetuum Eccleſiæ Catholicæ cõſenſum tenuiſſe, atque expreſſiſſe, vt, ſcilicet, per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum conſortium peruenire.*

Auguſtinus epiſt. 105. ait: *Reſtat igitur, vt ipſam fidem, vnde omnis iuſtitia ſumit initium, non humano tribuamus arbitrio.* & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Vt oſtendat*, inquit, *hominem bene operari non poſſe, niſi per fidem perceperit gratiam: incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere*, &c. Idem Auguſtinus in lib. de geſtis Pelagij c. 14. poſt med. ſcribit, *fidem eſſe initium vnde bona opera incipiunt.* Fulgentius de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti, c. 10. initio ait: *Vita autem noſtra à fide ſumit initium, quia iuſtus ex fide viuit.* 3.

Proſper ad excerpta Genuenſium dub. 8. prope initium ait: *Si Deus operatur omnia bona; vtique & fidem, ſine qua nemo poteſt placere, & quæ eſt omnium virtutum fundamentum.* Hanc rationem deſumpſit Proſper ex 11. cap. ad Heb. vbi, *fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum.* Subſtantia verò eſt, quatenus ſubſtat omnibus, quaſi eorum fundamentum. Porrò res ſperandæ primariò & ratione ſui, non 4.

ſunt

ſunt alia, quàm dona gratiæ, atque gloriæ: quapropter illorum omnium initium, atque fundamentum fides erit.

5. Propterea Greg. hom. 17. in Ezech. poſt med. aſſerit, fidem eſſe portam, & hom. 19. in Ezech. ante med. aſſerit, eſſe veſtibulum per quod venitur ad cæteras virtutes. Cyril. Alex. in Iſaiam c. 52. fin. ſic ait. *Radix enim & nutrix cognitionis eſt fides, & veluti aditus ad pietatem, & ad vitam deducēs eos, qui eam*
Iſai. 6.
recipiunt; ſiquidem Propheta Iſaias inquit: Niſi credideritis, non intelligetis. Denique ex Cęleſtino Papa, epiſt. 1. ad Epiſc. Galliæ c. 12. apertè colligitur, ab initio fidei ad Deum tendere omnes affectus bonos, atque virtutes & opera, ita vt ante hoc initium fidei, nihil boni præceſſerit.

6. Secunda cõcluſio colligitur ex præcedenti. Fides eſt initiũ totius diſpoſitionis ad iuſtificationẽ, atque eidẽ ipſi fidei virtus & proportio ineſt, diſponendi ad iuſtificationem partialiter, & remotè.
Fides ad iuſtificationem diſponit remotè.
Probatur, nam Trid. ſeſſ. 6. c. 6. ita decernit: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt.*

7. Confirmatur primò, nam ſi quid obſtaret, ne fides ad iuſtificationem diſponeret ſaltem partialiter & remotè; illud maximè, quoniam non cõſtituit perſonam Deo gratã, quando nondũ collata eſt gratia remiſſionis peccatorũ. At verò hic ſtatus non obſtat, quominus fides ſit diſpoſitio: ſiquidẽ attritio *quãuis ſine ſacramẽto Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationẽ perducere peccatorem nequeat; tamẽ ad Dei gratiã in ſacramento Pœnitentiæ impetrandã diſponit,* vt Trident. decernit ſeſſ. 14. c. 4. vbi obiter põdera cum hoc genere diſpoſitionis ad gratiam coniunctã eſſe impetrationẽ, de qua dicemus concl. ſeq.
Attritio in Sacramento impetrat gratiam.

8. Confirmatur ſecundò, quia quamuis Tridentinum non dixerit expreſsè fidem eſſe initiũ diſpoſitionis; cæterùm id apertè ſupponit in c. 6. citato: ſiquidẽ ex profeſſo tractans de diſpoſitione, fidem in principio numerat. Id etiam nõ obſcurè ſignificauit c. 8. quod retulimus in concl. præced. Nã ſi aliqua diſpoſitio daretur prior, quã fides illa, & nõ fides foret radix & initium omnis iuſtificationis.
Fides radix iuſtificationis.

Confirmatur tertiò, quoniam ante fidem nihil ſupernaturale reperiri poteſt, niſi gratia vocans, & excitans ad fidem, & quidquid naturale reperitur, nihil valet, vt ad iuſtificationem diſponat, ſuprà diſp. 18. præſertim ſect. 2. & 3.

9. Tertia concluſio. Fides eſt totius impetrationis initium, & ipſa etiam habet valorem ad impetrandam iuſtificationem.
Fides totius impetrationis initium.

Probatur primò ex Aug. de ſpiritu & litera c. 29. à medio, illis præſertim verbis: *Fide igitur Ieſu Chriſti impetramus ſalutem, quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in ſpe.* & lib. 1. de prædeſt. Sanct. c. 7 ait: *Fides prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, quibus rectè viuitur.* & confirmat ex Epheſ. 1. *Gratia ſalui eſtis per fidem,* &c.

10. Secundò concluſionem eandẽ ex Apoſtolo ad Rom. 10. colligit Aug. de gratia & lib. arb. cap. 14. ante med. dicẽs: *Vtrunque dixit eſſe donatum, & illud maximè, vbi dicit,* Paulus, *habẽtes eundem ſpiritũ fidei; quod propterea dixit, vt intelligeremus, quia fides & nõ petita cõceditur, vt ei petenti alia concedatur; quomodo*
Rom. 10.
enim inuocabunt, inquit, in quem non crediderunt. ergo Spiritus gratia facit, vt habeamus fidem, vt per fidem impetremus orando, vt poſſimus facere, quæ iubemur.

11. Concilium Carthaginẽſe in epiſt. ad Innocentium I. prope med. (habetur ante epiſt. 25. Innocentij) de auxilio gratiæ ſic loquitur: *Quod auxiliũ fides impetrat, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Proſper lib. 1. de vocat. Gent. c. 24. initio, ait: *Fidem qua iuſtificatur impius ad hoc donari, vt principium poſſit eſſe meritorum: & cùm ipſa data fuerit, non petita, ipſius iam petitionibus bona cætera cõſequantur.* 12.

Hanc cõcluſionem Aug. & cæteri Patres colligũt generaliter ex omnibus locis Pauli, in quibus docet, non propter opera, ſed propter fidem obtineri gratiam. Sed peculiarem vim habere videtur illud Marc. 9. *Si potes credere, omnia poſſibilia sũt credenti.* Vbi Hieron. commentarius, quẽ S. Thom. catenæ inſeruit, ſic habet: *Si potes credere; libertatem hic arbitrij indicat. omnia poſſibilia ſunt credenti. Quæ ſunt omnia, niſi quæ in nomine Ieſu, id eſt, ſalutis, poſtulantur cũ lacrymis?* ſentẽtia eadem eſt Matth. 17. in illis verbis: *Si habueritis fidẽ, ſicut granum ſynapis, nihil impoſſibile erit vobis.* Vbi Rabanus apud S. Thom. in catena ait: *Sic enim fides mentem noſtram capacem cœleſtibus donis facit, vt quæcunque volumus, facillimè à fideli Domino impetrare poſſimus.* Chryſoſt. in hunc locum Matth. hom. 58. circa med. ait: *Si credis, vt decet, tam ſolum filium tuum, quàm alios facilè curabis.* eadem concluſio conſtabit ex dicendis diſput. 24. ſect. 1. concl. 2. 13.

SECTIO IV.

A fide ſumitur initium meriti, & ipſa de congruo meretur vlteriorem gratiam.

Non hîc ſermonem contra recentiores hęreticos inſtituam, quibus omne meritum de congruo diſplicet; ſed cõtra nonnullos Doctores Catholicos, qui negãt gratiam ante remiſſionem peccatorum, quamdiu aliquis eſt inimicus Dei, quamuis concedant operibus fidei, ſpei, & pœnitentiæ, eleemoſynæ aliarúmque virtutum ineſſe valorem, diſponendi ad iuſtificationem, & impetrandi illam: cæterùm negant ineſſe vim merendi de congruo iuſtificationem. Sed quoniam huius quæſt. proprius locus eſt 1. 2. q. 114. art. 5. nos in præſenti prætermittemus ea, quæ omnium virtutum operibus generalia ſunt ante remiſſionem peccatorũ, & ea dicemus tantùm, quæ ſolius fidei propria ſunt, atque inſtituto præſenti neceſſaria. 1.

Sit igitur concluſio Fides eſt initium meriti, & ipſa de congruo meretur vlteriora auxilia gratię. 2.
Auxilia gratia meretur fides.

Probatur primò ex Aug. epiſt. 105. vbi: *Nec ipſa* (inquit) *remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Nec enim nullum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat: Propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus merito fidelis humiliatus.* & epiſt. 106. *Cùm ergo fides impetrat iuſtificationem, non gratiam aliquod meriti præcedit humani; ſed ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.* Vbi gratia, quæ meretur augeri, non eſt alia, niſi fides.

Rurſus idem Auguſt. lib de prædeſt. Sanct. c. 2. ſub initium ait: *Quis autem dicat, eum qui iam cœpit credere, ab eo, in quem credidit, nihil mereri.* quod idem ſupponit in c. 7. Ac tandem tota præfatio in Pſal. 31 præſertim à medio, quamuis non eiſdem verbis, in re tamen idem docet, vbi planè Auguſtinus ſupponit, fidem eſſe donum Dei, & nullum illius initium, aut meritum ſumi ex noſtris operibus. Vnde collige, nec expreſsè, nec virtualiter retractatum eſſe hunc locum. 3.

Quapropter quod S. Thom. aſſerit 2. 2. q. 114 a. 5. ad 1. nihil falſum; ſed duo tãtùm vera continet, quæ noſtræ aſſertioni non repugnant. Alterũ eſt, non eſſe ex nobis aliquod initium fidei, quo mereamur eius conſummationẽ, & iuſtificationẽ. Al- 4.

Prima gratia non cadit ſub fidei meritum. terum eſt, primam gratiã, & totã integrã iuſtificationẽ non cadere ſub meritũ fidei ſupernaturalis, quæ eſt donum Dei, quoniam ipſa fides eſt iuſtificationis pars, & ad illam requiritur gratia præueniens, quam fides mereri non poteſt.

5\. Confirmatur, quia meritum de congruo, quo ſupernaturalis fides vlteriora auxilia de congruo mereatur, Auguſtinus non ſolùm retractauit nunquam, ſed etiã diſertis, & perſpicuis verbis affirmauit, in eodem ipſo capite, quẽ S. Thom. allegat (vnde impoſſibile eſt huius oppoſitum ſenſiſſe S. Thom. loco nuper citato.) Nã lib. 1. retract. c. 23. versùs finem, retractans quæ dixerat in expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſt. ad Rom. veniénſque ad illam propoſitionem, quem ſcripſerat c. 62. *In ijs quos elegit Deus, non opera, ſed fides inchoat meritũ, vt per munus Dei bene operentur.* Notat Auguſt. illud eſſe veriſſimè dictum, ſed in eo diminutum quòd *fidei meritum etiam ipſum eſſe donum Dei, nec putauerit quærẽdum eſſe, nec dixerit.* Eadem cenſura cõtinuò aliam eiuſdem capitis propoſitionem notat, dicens: *Sed & illa miſericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & iſta obduratio præcedenti impietati; quod quidem verum eſt, ſed adhuc quærendum erat, vtrùm & meritum fidei miſericordia Dei præueniat.* Huius approbationis veritas inde confirmatur magis, quoniam hæc ipſa retractationum verba inſerenda putauit Auguſtinus in lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3.

6\. Probatur ſecundò, quoniam Proſper, quẽ circa huiuſmodi quæſtiones non tam diſcipulum, quàm ipſam Auguſtini mentem alieno ſcribentem calamo, dixeris in prima reſponſione ad tria priora dubia Genuenſium, quæ ex hoc ipſo 3. c. de prædeſt. Sanct. deſumpta ſunt, ait, Auguſt. poſt ſagaciorem diligentiam, *hoc indubitanter agnouiſſe, quod electionem gratiæ nulla merita humana præcedant: & quòd fides, vnde incipiunt omnia merita, donum ſit Dei.* & de vocatione Gentium lib. 1. c. 23. prope initium ait: *Omne hominis meritum ab initio fidei, vſque ad perſeuerantiæ conſummationem, donum atque opus eſſe diuinum.* & ſeq. cap. 24. prope initium, ait, *fidem ad hoc donari vt principium poſſit eſſe meritorum.* & contra Collatorem c. 37. docet, *fidem eſſe non poſſe ſine meritis.*

7\. Probatur tertiò ex Hilario in Matth. can. 9. dicente, *fide merendum eſſe quod petitur.* Chryſoſt. autem in Ioan. c. 15. ad illa verba: *Ego ſum vitis vera, & vos palmites,* hom. 75. prope initium ait: *Radicis autem non alia cauſa hic meminit, quam vt diſcerent, ſine ipſius potentia nihil fieri poſſe; & quod ita ipſi fide vniendi ſunt, vt palmites viti.* Vnde ſupponit, ſine vnione per fidem, nullum eſſe valorem, aut meritum, & poſita vnione per fidem poni valorem & meritum. Quam veritatem vt certam Laurentius Iuſtinianus tradit lib. 1. de cõtemptu mundi c. 9. prope initium, dicens: *Valet procul dubio quis vocatus à Deo gratiam gratificantẽ mereri ex congruo.* Fuſiùs idem probat Colonienſe Enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis ad parochos, titulo de ſacramento Pœnitentiæ fol. 93. cap. *ergo quum peccatur.*

8\. *Actus ſupernaturales peccatorum meritorij de congruo.* Probatur quartò, quoniam ad meritum congrui non requiritur perſonam eſſe ſimpliciter Deo gratam; quin potiùs quamuis propter peccatũ mortale ſit inimica Dei, nihilominus actus fidei & alij, qui ex fide procedunt, ſecundùm ſe grati ſunt, quantum ſufficit, vt iuſtificationem de congruo mereantur, ſecundùm illud Hebr. 13. *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Opera namque fraternæ charitatis, & miſericordiæ ſunt tanquam ſacrificia, quibus Deum per mortale peccatum amiſſum promeremur reconciliatum accipere.

Confirmatur 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* At verò fidelitas Dei, non poteſt eſſe, niſi comparatione promiſſionis ſuæ; deinde iuſtitia conſiſtit in ſeruando, ac reddendo iure vniuſcuiuſque, vnde ſupponit aliquod debitum: hoc autem naſcitur ex merito. Quapropter ſi Dei fidei fidelitas & iuſtitia cauſa ſunt remittendi nobis peccata, ſi confiteamur ea; conſequens eſt, vt peccatorum confeſſio, ſuppoſita promiſſione Dei, habeat aliquod meritum iuſtitiæ. 9.

Atque vniuerſaliter operibus miſericordiæ, atque pœnitentiæ, non ſolùm impetrationem, ſed etiam meritum iuſtificationis concedunt Patres, quos referre non eſt præſentis inſtituti; dicemus aliquid infrà diſp. 24. ſect. 2. 3. & ſequent.

Probatur quintò, à priori ex quidditate meriti de congruo, & diſcrimine illius à merito de condigno. Nam meritum de condigno includit aliquod genus æqualitatis, natæ non ſolùm ex valore operis præciſi à perſona, ſed præſertim ex dignitate perſonæ, quæ debet eſſe Deo grata, vt Deus priùs reſpiciat ad Abel, & propter Abel reſpiciat ad munera eius. Hæc autem æqualitas, & perſonæ dignitas non requiruntur ad meritum de congruo; quoniam non eſt meritum ex mera iuſtitia, ſed ex quadam congruentia, & æquitate permixta cum liberalitate. 10. *Meritorũ de condigno, & de congruo diſcrimen, & huius quidditas.* *Perſonæ dignitas non requirit meritum congrui.*

Huius autem congruentiæ quatuor ſunt rationes. Prima, quoniam illæ actiones ſecundùm ſe conſideratæ ſupernaturales ſunt, & eiuſdem ordinis cum iuſtificatione. Secunda, quoniam ex quidditatiuo pondere deſtinantur ad charitatem & gratiam, ſicut ſemen deſtinatur ad arborem. Tertia, quoniam illarum actionum principale agens eſt Spiritus ſanctus per gratiam, ad quod agens attendere congruum eſt, proponendo demeritum humanæ perſonæ operantis, vt illis operibus propter ſuum primarium authorem habeatur honor, acceptãdo ad aliquod meritum. Quarta, licet peccator ſimpliciter, & abſolutè ſit odio dignus; nihilominus ſecundùm quid, eſt amore dignus, propter illum inchoatum amorem Dei, quem exercet in quolibet actu fidei, vel alterius virtutis ſupernaturalis: in quibus omnibus ſemper includitur aliqua pia affectio ad myſteria fidei, deſiderium iuſtificationis, amor proximi propter Deum aliquo modo. Deus autem ait, *Ego diligentes me diligo*, id quod Deus ita perfectè & exactè præſtat, vt eos, qui ſecundùm quid & inchoatè me diligunt, etiam Deus ſecundùm quid, & inchoatè diligat. 11.

Omnes iſtæ congruentiæ, ac præſertim poſtrema confirmatur verbis Auguſtini lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 9. initio dicentis: *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas? de qua Ioannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo eſt, nec initium eius ex nobis, & perfectio ex Deo, ſed ſi charitas ex Deo, tota nobis ex Deo eſt.* Vides, cupiditatem boni, quæ eſt initium fidei, appellari charitatem inchoatam, & eſſe donum Dei? ergo perſonam reddit aliquo modo dignam, quæ diligatur à Deo. 12.

Tertiò probatur, quia meritũ cõgrui neceſſariò comitatur impetrationẽ, ſed fides habet vim impetrandi iuſtificationẽ (vt oſtẽdimus ſect. præced. & concedunt etiam ij Theologi, qui negant habere vim merendi.) ergo fides habet vim merendi iuſtificationem. Maior probatur ex ſuprà citatis 13. *Meritum congrui neceſſariò comitatur impetrationem.*

verbis

verbis Auguſt. in epiſt. 105. *Nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſidei hanc impetrat*, vbi ex impetratione infert meritum: vnde idem Auguſt. Proſp. & Hilar. de merito, & impetratione iuſtificationis ita loquũtur, vt videãtur ſupponere, idẽ eſſe. Nã voces plerũque permutant, atque permiſcent, dicẽdo priùs meritũ, poſtea impetrationem, vel è contra, vt videlicet in aliquibus teſtimoniis huius & præced. ſect. atque ſeq. & memini me ſæpiùs id obſeruaſſe, dum eoſdẽ authores legerem.

14. Confirmatur primò. nã in clamore humano vim impetrãdi, vt Deus reſpõdeat, & auxiliũ præbeat, conceſſerat Caſſ. in quodã loco, nulla meriti mẽtione facta: & tamẽ inde Proſper colligit meritũ. Sic enim libro aduersùs Collatorẽ c. 16. proponit priùs verba Caſſ. dicentis: *Cùm viderit Deus nos ad bonũ velle deflectere, occurrit, dirigit, atque cõfortat. Ad vocẽ enim clamoris ſtatim, vt audierit, reſpondebit tibi,*
Iſai. 30. *& inuoca me, inquit, in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me.* Nihil amplius ex Caſſ. retulerat ibi Proſp. quod tamen cõtinuò redarguit, dicẽs: *Quis non videat quòd hæc doctrina meritũ libero aſſignet arbitrio, quo præueniatur gratia.* Perpende, quã euidens videatur eſſe Proſp. meritũ contineri in clamore, cui Deus reſpõdeat, de inuocatione, cui diuinum auxiliũ concedatur. Sed clariùs in eod. lib. contra Collat. c. 6. ait: *Quomodo nõ aduertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis, conuinceris dicere, gratiam Dei, ſecundũ merita noſtra dari, cùm aliquid boni præcedere ex ipſis hominibus, propter quod gratiã cõſequãtur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides; quærẽtis pietas; pulſantis inſtantia; præcipuè cùm omnes eiuſmodi & accipere, & inuenire, & intrare dicantur.* Ecce Proſp. meritum colligit ex eo, quod eſt proprium impetratoriæ orationis, videlicet: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis*, &c.

15. *A Deo nihil impetramus ſine merito.* Confirmatur ſecundò, quia quamuis, metaphyſicè loquendo, præſcindere poſſimus rationẽ meriti ab impetratione, & quãuis ab hominibus aliquid impetrari poſſit abſque aliquo merito (vt vidimus diſp. præced. ſect. 3.) nihilominus à Deo nihil poſſumus impetrare ſine aliquo merito congrui, quoniã, vt oratio habeat impetrandi valorẽ, debet eſſe actus humilitatis, deuotionis, & latriç. Ac proinde honorem exhibet Deo, quidquid impetrat à Deo, ſecundùm illud Pſal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Vnde impoſſibile eſt, quin ille actus ſecundùm ſe conſideratus, Deo placeat, atque dignus reputetur, in quem congruat, diuinam liberalitatem oſtendi, & in hoc conſiſtit meritum congrui, vt in præcedenti ratione notauimus.

16. *Opus impetrans proportionatur cum re impetrata.* Confirmatur tertiò, quoniam ad impetrandum requiritur aliqua proportio inter opus impetrãs, iuſtificationem impetratam, & hæc eadem proportio ſatis eſt, vt congruum ſit, acceptari tanquam meritum. Contra verò ſicut Deus de potentia abſoluta potuit nullam prorſus rationem habere huius congruitatis; & tamen ex liberalitate adiũcta quadã æquitate cõgruentiæ admittit illã ad meritũ: ita potuit nullã rationẽ habere illius operis ad impetrationẽ, ſed ex liberalitate adiũcta quadã æquitate opus illud ad impetrãdũ admittit, eſt ergo eadẽ ratio meriti, quę impetrationis, vt quãdo iſta cõceditur, illud negari nõ poſſit.

17. Argumenta, quæ in hac re præcipuam difficultatem afferre videntur, ſiue ex Trident. ſeſſ. 6. c. 8. ſiue ex Aug. in præfatione ad Pſalm. 31. facile ſolui poſſunt ex dictis in tota præſenti diſp. præſertim in alio libro de quidditate gratiæ diſp. 2. ſectione 2. ad 2. rationem dubitandi.

SECTIO V.

Fidei etiam imperfectæ & inchoatæ competunt ſupradictæ vires inchoandi, merendi, impetrandi, ac diſponendi ad iuſtificationem.

ADuerſùs ea, quæ in præcedentibus ſectionibus cõſtituta sũt, occurrũt tres obiectiones. 1. *Obiectio prima.*
Prima, quoniam infideles, antequam perueniãt ad fidẽ, poſſunt aliquid facere, quo ſe diſponãt, & impetrẽt illuminationẽ, atque prædicationẽ fidei; ergo ante fidẽ iam datur aliquod initiũ diſponendi, & impetrãdi iuſtificationẽ. Antecedens probatur, quoniã omnibus adultis, etiam barbaris, & remotis à notitia fidei, datur auxiliũ ſufficiẽs, quo ſi bene vtantur, obtinebũt vlteriora auxilia; ſed bonus vſus illius primi auxilij nõ eſt credere, ſiquidem nondũ audierunt, quid credere debeãt: ergo bonus vſus erit ſolùmodo deſiderare veri Dei notitiã, & petere à Deo, & quãtũ poſſunt inquirere.

Confirmatur, quoniam ſi fortè negaueris huiuſmodi auxilium & poteſtatem, obtinẽdi fidem, omnibus hominibus concedi: at ſaltem negare non poteris, illud cõceſſum eſſe aliquibus, in quibus culpa fuit ad fidẽ non veniſſe ob ſuam negligentiã, atque vnicus homo huiuſmodi ſatis eſt, vt integra in eo maneat tota difficultas obiectionis. *Confirmatur.*

Secũda, quia etiã ante fidẽ datur credulitatis affectus, ſeu volũtas credẽdi, & quærẽdi ſalutẽ; & hæc ſunt dona ſupernaturalia, vnde ſumit initium iuſtificatio, vt ex Arauſ. Conc. Hilar. & Proſp. mõſtrauimus ſect. 2. concl. 2. n. 16. ergo ante fidem præcedit aliud prius initium, ac proinde fides non eſt ſalutis, & iuſtificationis initium. 2. *Secunda.*

Tertia obiectio, quia fides ſupernaturalis determinat intellectum ad aſſentiendum myſteriis, certò & abſque dubitatione: at verò prędicta initia iuſtificationis reperiuntur, etiam in eo, qui nondũ præbuit aſſensũ, ſed adhuc inquirit, & dubitat, imò & ignorat pręcipua, & magis neceſſaria myſteria; ergo ante fidem pręcedit aliud initium. 3. *Tertia.*

Ad hæc explicanda, & ponenda fundamenta multarum conclusionum, quæ in aliis diſp. & in aliis etiam libris tradenda ſunt, ſtatuo tres concluſiones. 4.

Prima concluſio. Datur quædã fides imperfecta & inchoata; quæ verè eſt donũ Dei, ab excitãte & adiuuante gratia procedens, atque ab illa plerunque inchoatur iuſtificatio infidelium adultorum. Probat primò Aug. lib. de prædeſt. Sanct. toto 2. c. in quo præſertim notãda ſunt illa verba: *Et ipsũ igitur initiũ fidei noſtræ ex quo, niſi ex ipſo eſt?* videlicet Deo. Vnde in c. 4. fine concludit, etiam initium fidei acceptum, Deo referendum eſſe. *Fides imperfecta, & inchoata Dei donum.* *Ab illo quãdoq; inchoatur iuſtificatio.*

5. Probatur ſecundò, exemplo Cornelij Centurionis Act. 10. quod ad rem pręſentem ita ponderat Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. prope initium. *Incipit autẽ homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem. Sed intereſt quibus articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum gratia plenior, & euidentior infundatur. Non enim catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat Deo, cùm eleemoſynis, & orationibus dignum ſe præberet, cui Angelus mitteretur; ſed nullo modo iſta operaretur, niſi antea credidiſſet. Nullo modo autem credidiſſet, niſi vel ſecretus per viſa mentis, aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur; ſed in quibuſdã tanta eſt gratia fidei, quãta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum, ſicut in catechumenis; ſicut in Cornelio, antequam Sacramento-*

Digitized by Google

rum participatione incorporētur Eccleſia & poſt pauca: *Fiunt ergo inchoationes quadam fidei, conceptionibus ſimiles, non tamen ſolum concipi, ſed & naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam. Nihil horum tamen ſine gratia miſericordiā Dei, &c.*

6. Qualis fuerit in Cornelio fides, & quæ fuerit eius imperfectio, clarius explicat Greg. in Ezech. hom. 19. circa med. dicens: *Cornelius Centurio, cuius eleemoſynæ ante Baptiſmum, Angelo atteſtante, laudata ſunt, non operibus venit ad fidem; ſed fide venit ad opera; ſi enim verè & ante Baptiſmum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, ſi non ab ipſo ſe in bonis perfici petebat? ſciebat igitur creatorem omnium Deum: ſed quòd eius omnipotent Filius incarnatus eſſet ignorabat. Nec enim poterat bona agere, niſi ante crediſſet: ſcriptum nāque eſt, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Heb. 11. Eadem Gregorij verba refert, & ſequitur Beda Act. 10. in princ. Chryſoſt. in Matth. c. 17. hom. 58. ante med. ait: *Cornelius ſua fide gratiā Spiritus inuitauit.* Alioqui fidem eſſe Dei donum Chryſoſt. docet, vt videbimus diſp. 27. præſertim ſect. 4. Hanc ſententiam Gregorij & Auguſtini refert, & ſequitur Magiſter 3. ſent. diſt. 25. à med. quem ſequuntur cōmuniter Scholaſtici eo in loco, & in 2.2. q. 10. a. 4. fine, vbi S. Thom. docet propter implicitam fidem accepta Deo fuiſſe opera Cornelij, & obtinuiſſe pleniorem inſtitutionem fidei. Idem S. Bonauentura in 3. diſt. 24. a. 1. q. 3. fine.

7. Secundò probatur Marci 9. vbi pater cuiuſdam dæmoniaci, non ſolùm ignorabat Chriſti Domini diuinitatē, ſed etiā dubitabat, vtrùm poſſet illum à dæmone liberare: atque ita dubitando petit, *Si quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri.* Qua oratione impetrat vlteriorem gratiam excitātem ad altiorem aliom fidei gradū, ad hoc enim excitatus eſt verbis Chriſti Domini: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Vnde ille ſubiunxit: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Sciebat enim, etiam poſtquam hunc ſecundum gradum aſcenderat, reſtare ſibi ſuperiores alios gradus fidei.

8. Idem Greg. lib 22. moral. c. 14. poſt med. aliàs c. 21. dicit: *Ipſa enim fides, plerūque in exordijs ſuis, & nutat, & ſolida eſt, & iam certiſſimè habetur. & tamen de eius fiducia adhuc ſub dubitatione trepidatur. Pars namque eius prius accipitur, vt in nobis poſtmodum perfectè compleatur. Si enim certo gradu in credentis mente non proficeret, requiſitus in Euangelio pater ſanandi pueri, non dixiſſet. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Adhuc ergo aſcendebat ad fidem, quam iam perceperat, qui vno, eodemque tempore clamabat, ſe iam credere, & adhuc incredulitate dubitare.*

9. *In hac fide imperfecta ineſt meritorum vis.* In huiuſmodi fide imperfecta ineſſe, quaſi in ſemine vim, vnde pariantur cauſæ, id eſt, merita & impetrationes vlterioris gratiæ, docuit Proſper in lib. 2. de vocat. Gent. c. 11. circa med. dicēs: *Multo numeroſior pars illa hominū eſt, cui particulatim quidquid ſuperna largitas donat, accreſcit; vt cōferendorum munerū cauſæ de his quæ ſunt collata pariātur. Quidam accepta fide diffidentia non carent, quam vtique ineſſe ſibi nouerat, qui dicebat: Credo Domine; adiuua incredulitatem meam.* & ad excerpta Genuenſiū dub. 5. docet, *fidem inchoatam & perfectam eſſe Dei donum.*

10. Chryſoſt. apud S. Thom. in catena Marc. 9. ait: *Sed ſi crediderat, dicēs: Credo. quomodo ſubdit: Adiuua incredulitatem meam? Dicamus igitur, quoniam multiplex eſt fides, introductoria ſcilicet, & perfecta. Hic autem incipiens credere, Saluatorem deprecabatur, vt apponeret reliquum ad ſuam virtutem.*

11. Quod magis explicat Beda ibid. dicēs: *Quia igitur per occultā inſpirationē gratia meritorū ſuorū gradibus fides creſcit, vno eodēque tēpore is, qui necdū perfectè crediderat, ſimul & credebat, & incredulus erat.*

Ad eiuſdē rei confirmationē valent, quod Luc. 17. dixerūt Apoſtoli Domino: *Adauge nobis fidem;* vnde Anſelm. de concordia prędeſt. & gratię cum lib. arb. c. 3. ante med. poſtquā fusè docuerat nihil prodeſſe exteriora verba ſine interiori ſemine gratię, quod ſit eiuſdē generis cū ſalute animę, addit: *Qui verò dicunt: Cōuerte nos Deus, iā aliquatenus conuerſi ſunt, quia rectā voluntatē habēt, sū volunt cōuerti; ſed orant pro hoc, quod iam acceperunt, vt augeatur conuerſio: ſicut illi, qui credentes, auge nobis fidem dixerunt: Auge in nobis quod dediſti; perfice quod cœpiſti.* 12.

Tertiò probatur hiſtoria reguli, Chriſtum Dominum ita orantis: *Deſcende priuſquā moriatur Filius meus*, Ioan. 4. *Vnde datur intelligi*, inquit Beda, *in fide gradus eſſe ſicut in alijs virtutibus, quibus eſt initium, incrementum, atque perfectio. Huius ergo fides initium habuit, cùm filij ſalutem petijt incrementum, dum credidit ſermoni Domini, dicentis: Filius tuus viuit; deinde perfectionem obtinuit nunciantibus ſeruis.* quando videlicet *credidit ipſe, & domus eius tota.* 13.

Eoſdem fidei gradus fuſiùs probat Chryſoſt. in eundem locum Ioan. 4. hom. 34. à medio, præſertim notāda ſunt illa verba: *Quòd venerat, & rogabat, eius fidei eſt argumentum.* & poſt pauca: *Licèt hic crediderit, nō tamē firmiter, nec integrè, quod ſuſcitando ſeruos demonſtrauit, qua hora reliquerit eum febris. Voluit enim cognoſcere, an ſponte ſua, an Chriſti præcepto diſceſſeris.* & infrà: *Conſidera, ipſius verba, quantam viri infirmitatem indicāt. Deſcende, inquit, prius, quàm moriatur filius meus. ac ſi mortuum ſuſcitare non potuiſſet, & neſciret, vt ſe puer haberet.* Ex eiſdem verbis regulum *in fide dubitaſſe, nec putaſſe Chriſtum Dominum poſſe ſalutem dare, niſi præſens eſſet, & corpore*, colligit Gregorius hom. 28. in Euangelio. 14.

Quartò probatur exemplo cæci à natiuitate, quem Auguſt. tract. 44. in Ioann. verſ. fin. comparat cum Publicano Luc. 18 vt probet Deū exaudire etiā peccatores, & ait: *Iſta confeſſio* (publicani) *meruit iuſtificationē, quomodo iſte cæcus illuminationē.* Sed, quem actum fidei habuerit ille cæcus, antequam illuminaretur, non inuenienius aliū Ioan. 9. niſi quod iuſſus ire, & lauare in Natatoria Siloë, abiit, & lauit. Nec enim ille petiit illuminari, nec poſt illuminationē aliud credidit, niſi Ieſū nō eſſe peccatorē, ſed Prophetā. Vnde meruit tandē illuminari, ad Chriſti Domini agnoſcēdā diuinitatē, & adorandā. Eadem concluſio probatur & explicatur magis ex his quæ adducemus tota diſp. 25. 15.

Interim ſit ſecunda concluſio, compendio prælibans plurimas prædicta diſp. probandas. Inchoatio fidei poteſt eſſe vſque adeò imperfecta, vt omnia ſupernaturalia myſteria, imò etiam Dei vnitatem ignorari patiatur, interim dum ampliùs non creſcit illa inchoata lux. Adde inſuper eodē tēpore ignorari poſſe Dei exiſtentiā. Itaque ille, qui ſolummodo virtute gratiæ ſupernaturalis cœperit dubitare, atque deſiderare notitiā, vtrùm aliquis conditor & gubernet vniuerſum, & hominum curam gerat; iam habet ſupernaturalem fidem inchoatam, virtute cuius poſſit, de congruo mereri, & impetrare vlteriora auxilia gratiæ; quāuis ad hoc dubium, & deſiderium prouocandum, ſola naturalia & ſenſibilia obiecta fuerint ſibi explicitè propoſita: nam implicitè & virtualiter etiam obiectū ſupernaturale clauditur in huiuſmodi dubio & deſiderio veritatis cognoſcendæ. 16. *Fidei inchoata quanta imperfectio.*

Hinc conſtat ſolutio trium obiectionum, quas in principio poſuimus. 17.

Ad primum negatur antecedēs, & ad eius pro- *Soluitur prima obiectio.*

batio ...

bationem reſpondetur : ſi Barbatus prima vocatione bene vtatur, deſiderabit ſalutem, & à Deo illuminari,& doceri,atque hoc ipſum eſt incboata fides ; ſed boc quibus gradibus fiat explicabimus tota diſp. 25.

Soluitur 2. Ad ſecundum teſpondetur diſtinguendo conſequens. nam ante fidem factam,& adultam, certam,& determinatam præcedit quædam inchoatio fidei,qoæ licèt metaphyſica differentia diſtinguatur ſpecie ; nihilominus ſecundùm moralem conſiderationem in ordine ad iuſtificationem reputatur vt vnum, modo explicando in diſput.25. ſect.6. difficult. 7.

18. *Incboata fides est.* Ad tettium teſpondetur. Fides incboata nondum habet vim determinandi intellectum, ſed tantùm mouendi,& inclinandi ad deſiderandum & perendum à Deo auxilium & lumen ; hæc autem fides incboata eſt plerumque initium, ante fidem iam conſtitutam in ſua propria ſpecie aſſenſus certi, vt tota diſput.25.probabitur.

19. Ea vniuerſa diſp.præſenti colligitur,quo ſenſu Gregorius Magnus dixerit,ad meritom & impetrationem valere ſine fide bona opera,dummodo pro fide percipiēda fiant, ne cõtradicat Apoſtolo ad Hebr. 11. dicenti, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*.nimirum,quoniã ſine fide explicita, & adulta valent bona opera quæ proficiſcuntur ea fide implicita, & inchoata;hæc enim neceſſariò præſupponitur ad intentionem operandi pro fide percipienda. Sic ergo Greg.bom.9.in Ezech.col.3.ait: *Neque fides ſine operibus,neque opera adiuuãt ſine fide, niſi opera fortaſſe pro fide percipienda fiant : ſicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri, quàm fidelis exiſteret. Qua ex re colligitur,quia bona opera pro fide percipienda faciebat. Nam cui ab Angelo dicitur, Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in conſpectu Dei, & mox pro eadem aſcenſione præcipitur, vt ad Simonem mittat, qui ei veniens prædicare debeat, conſtat, quia hoc petiit, vnde meruit exaudiri.*

DISPVTATIO XX.

Quæ concluſiones, & quo gradu certitudinis ex præcedentibus diſputationibus colligantur.

SECTIO I.

Vniuerſaliores concluſiones, & illa, quæ ad meritum, & impetrationem pertinent.

1. *Nullum gratia principiũ viribus naturæ exiſtit.* PRIMA concluſio de fide. Ex viribus naturalibus liberi arbitrij ſine auxilio ſupernaturali gratiæ, nullum exiſtit initium iuſtificationis, nullum opus, nulla voluntas, nullàve cogitatio fieri poteſt, quæ ſit principium gratiæ ; niſi priùs noſtrum arbitrium excitetur à diuina gratia præueniente.

2. *Iuſtificationis initium non tribuitur æquè primò gratiæ & naturæ.* Quapropter obſerua diligenter, non ita negari iuſtificationis initium ea viribus naturæ, vt illud initium tribuatur æquè primò gratiæ, & viribus naturæ, quaſi duplici partiali agēti, quod vtrũque vno quaſi impetu & primo congreſſu aggrediantur iuſtificationis opus, & æquè primò illud operentur. Hoc enim non ſufficit, vt poſitiuè, atque ſimpliciter loquendo, dicatur initium ea gratia ſumi, potius quàm ex viribus liberi arbitrij : nec ſufficit vt gratia operans ſit abſolutè præueniens & excitans. Quamobrem gratia præueniens, ſiue excitans initiũ præbet prius, quàm liberum arbitrium aliquod ad iuſtificationem concurrat: & vt ſic gratia præueniens eſt ita prior, vt nullo modo ſit poſterior, neque pariter concomitans liberum arbitrium. Sed nihil in præſenti dicimus de concurſu liberi arbitrij ad aſſentiendum gratiæ præuenienti; vtrùm quantum ad hoc ſit aliquo modo prior concurſus liberi arbitrij, quamuis abſolutè ſit poſterior. nam quantum ad hunc actualem concurſum ad aſſenſum, gratia præueniens non exercet munus præuenientis, ſed cooperantis, & adiuuantis. De hoc autem dicemus infrà diſp.35. & 36.& fuſiùs tomo ſequenti.

Gratia præueniens prior quam liberum arbitriũ.

3. *Actus ex viribus naturæ elicitus quomodo comparatur ad gratiam.* Secunda cõcluſio, quæ ex præcedēti ſequitur, & ab illa non procul diſtat in gradu certitudinis. Quilibet actus, qui à nobis eliciatur per vires naturæ ſine auxilio gratiæ, nihil ad gratiam iuſtificantem, nec ad auxiliatricem gratiam influit: nihilve conducit aut confert per ſe, ratione ſui, ſed ſolummodo quaſi cauſa per accidens, remouendo prohibens, aut tanquam occaſio & opportunitas paſſiua, & à Deo accepta, non ab hominibus data, modo explicato in diſp.16.

4. Probatur, quia quocunque modo per ſe & ratione ſui conduceret ad iuſtificationem, vel auxiliatricem gratiam, eodem modo ille actus eſſet aliquod principium gratiæ, quo liberum arbitrium præueniret diuinam gratiam. Vnde gloriaretur liberum arbitrium, eo quòd non accepiſſet illud per gratiam, ſed per naturalia beneficia creationis. Hæc quæ generaliter dicta ſunt, explicantur magis in particulari.

5. *Non poteſt eſſe pars gratiæ.* Sit tertia concluſio. Quilibet actus per vires naturæ ſine auxilio gratiæ elicitus, nõ poteſt eſſe pars aliqua, etiam minima, & imperfectiſſima gratiæ auxiliatricis, & multò minus gratię iuſtificantis. Hæc concluſio eſt de fide, quia ſi foret pars etiam minima, & imperfectiſſima, foret etiam initium gratiæ : nam à prima parte imperfectiſſima incipit totum; vnde ſequerentur reliqua abſurda, quæ ſuprà diſp. 17. 18. & 19 impugnata ſunt.

6. *Non poteſt eſſe cauſa gratiæ.* Quarta concluſio. Quilibet actus elicitus per vires naturæ, ſine auxilio gratiæ, non eſt cauſa efficiens phyſica actiuitate concurrens ad iuſtificationē, nec ad gratiam auxiliatricē. Idque non ſolùm intelligendũ eſt de cauſa per ſe & extrinſeca, ordinatione concurrente ; ſed etiam de cauſa per accidēs, quæ licèt præter intentionē, concurrit tamen. Quomodo cauſæ naturales, quamuis per accidens & caſu concurrant, & præter intentionem intrinſecam agant ; verè tamen effectiuè concurrunt ad producendum monſtrum. Prætetea non poteſt eſſe cauſa efficiens ſimpliciter neceſſaria ad obtinendam gratiam ; ſed nec cauſa vtilis per ſe, aut per accidens concorrendo ad gratiam.

7. Hæc cõcluſio de fide eſt, quod attinet ad causã per ſe. At verò quod attinet ad causã per accidēs concurrentē effectiuè, abſque neceſſitate tamen, nõ eſt apertè de fide. Cæterũ ſibi proxima eſſe videtur propter eaſdē rationes, quas ex pręcedentibus cõcluſionibus ad præſētē trãsferre facile erit.

8. *Non impetrat gratiã.* Quinta concluſio. Oratio, & quilibet alius actus virtutis, ſi per vires naturæ, abſque auxilio gratiæ fuerit elicitus, non habet vim impetrandi gratiam auxiliatricem, & multò minus gratiam iuſtificantem, aut perſeuerantiam, aut gloriam. Hæc concluſio, vt iacet, eſt de fide. Quapropter, vt minimum eſt de fide, quod attinet ad impetrationem de condigno, & ad quamlibet impetrationem infallibilem, etiam ſi fuerit im-

petratio de cõgruo; de hac enim loquebantur Semipelagiani, vt vidimus diſp. 14. ſect. 2. 3. 6. & ſeq.

9. *Orationes naturæ viribus elicitas habere vim probabiliter impetrandi gratiam, non eſt contra fidem.*

Cæterùm eiuſmodi orationes, & actus non habere ſaltem vim impetrandi gratiam auxiliatricem, etiam abſque vlla infallibilitate, ſed per aliquam tenuem probabilitatem, non videtur eſſe de fide; quia definitiones Patrum & Conciliorum hoc non exprimunt, nec colligitur ex eo, quòd circa hoc errauerint Maſſilienſes, cùm illi locuti fuerint de impetratione infallibili, vt loco nuper citato vidimus.

10. *Eſt tamen periculoſum.*

Nihilominus videtur eſſe fidei proximum, ita vt oppoſitũ ſit periculoſum, & errori proximum. Omnia enim fundamenta, ſuperiùs adducta diſp. 17. & 18. tantam vim habent ad huiuſmodi probabilem impetrationem excludendam, quantum hæc impetratio habet vtilitatis per ſe ordinatæ ad obtinendam gratiam, cui gratia ſubiungitur, ſi non ſemper, & infallibiliter, ſaltem aliquando & probabiliter, ac proinde tunc gratia præuenitur à libero arbitrio, & non merè gratis datur, ſed plura de oratione dicemus diſp 24. ſect. 1.

11. *Nec de condigno meretur iuſtificationẽ.*

Sexta concluſio. Quilibet actus elicitus per vires naturæ abſque auxilio gratiæ, non meretur de condigno iuſtificationem; imò nec auxiliatricem gratiam. Hæc concluſio citra controuerſiam eſt de fide; & oppoſitum eſt aperta hæreſis Pelagiana, quam etiam Pelagiani refutabant, vt vidimus diſp. 14 ſect. 3. prope initium.

12. *Neque de cõgruo etiam remotiſſimo.*

Septima concluſio. De congruo, etiam leuiſſimo, ac remotiſſimo merito, non eſt meritorius gratiæ actus elicitus per vires naturæ abſque auxilio gratię. Hæc concluſio quamuis non ſit de fide; attamen eſt ita fidei proxima, vt oppoſitum ſit errori proximum. Nam, vt Auguſtini verbis vtar in lib de prædeſt. Sanct. c. 2. initio. *Non receditur ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in Epiſcopali iudicio Palæſtino damnare compulſus eſt, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari.* Porrò Auguſtinum ibi agere de merito congrui, conſtabit infrà n. 14. & ſequentibus.

13. Primarium fundamentum præbent Scripturæ teſtimonia, quæ iam expendimus, diſp. 18. præſertim ſect. 2. vbi oſtendimus quidditati gratiæ non ſolùm merita de condigno, ſed etiam merita de congruo repugnare. Nunc veniamus ad teſtimonia Conciliorum & Patrum, quibus id clariùs continetur. Sed priùs ponderandæ ſunt tres rationes, quibus planè conſtat Patres & Concilia, non ſolùm meritum de condigno, ſed etiam meritum de congruo negare humanis viribus.

Tres Patrum rationes ponderantur.

14. Prima ratio eſt, quoniam viribus naturæ negatur illud etiam meritum, quod incipit per fidem inchoatam, vt mereatur auxilia vlteriora & remiſſionem peccatorum: ſed hoc meritum incipiens per fidem, non eſt meritum condigni, ſed congrui; ergo viribus naturæ negatur etiam meritum congrui. Maior certò cõſtat ex diſp. 19. ſect. 4. Minor verò manifeſta eſt; repugnat enim, peccatorem Dei inimicũ habere aliquod iuſtitiæ ius & condigni, vt illi reddantur auxilia gratiæ.

15. Secunda ratio eſt, quoniam Concilia & Patres vniuerſaliter, & abſque exceptione omne meritum excludunt, quod præcedat gratiam, &, vbi ipſi nihil excipiunt, nobis non licet exceptionem addere. Præſertim, quoniam perſæpe vtuntur diſtributiuis ſignis (vt Logici loquuntur) & quando abſque illis ſignis excludunt merita; nihilominus ſenſus eſt vniuerſalis, quoniã in doctrinalibus indefinita propoſitio æquipollet vniuerſali.

Tertia ratio eſt, quoniã Patres & Concilia hoc 16.
ipſum meritũ reprobant, quod Maſſilienſes affirmabant: ſed Maſſilienſes non affirmabant meritum de condigno, ſed ſolummodo meritum de congruo ex viribus naturæ procedere, vt apertè conſtat ſuprà diſp. 14. ſect. 4. ergo hoc ipſum meritum de congruo, Concilia & Patres reprobant.

Trium præcedentium rationum vim experiemur in lib. 1. de prædeſt. Sanct. c. 2. ſub initium, 17.
vbi Auguſtinus ita diſputat. *Quis autem dicat, eum qui iam cœpit credere, ab eo in quem credidit, nihil mereri? vnde fit, vt iam merenti, cætera dicantur addi retributione diuina; ac per hoc gratiam ſecundum merita noſtra dari: quod obiectũ, ne damnaretur, Pelagius ipſe damnauit.* Vbi pondero priùs illud meritum, quod neceſſariò ſequitur ex eo quòd aliquis homo credere cœperit, quamuis nondũ fuerit iuſtificatus; idem ipſum, ſi daretur ex viribus naturæ præuenientibus gratia, inferre gratiam ſecundùm merita noſtra dari, quod Pelagius damnare coactus eſt in Palæſtina Synodo. Quapropter hic retinet ſuam vim prima ratio, nuper dicta.

Deinde pro ſecunda ratione pondera modum 18.
loquendi vniuerſalem, & diſtributiuũ *nihil mereri.* Vnde Auguſtinus colligit eo ipſo, quod non nihil, ſed aliquid mereatur, inferri Pelagij errorem. Eſt etiam duplex diſtributio in verbis, quæ poſt pauca ſubiicit: *Apoſtolus commendat iſtam gratiam, quæ non ſecundùm aliqua merita, ſed efficit omnia merita.* & ſeq. c. 3. ait: *Quæ vtique non eſſet gratia, ſi eam vlla merita præcedunt.*

Pro tertia ratione pondera hunc librum de 19.
prædeſtinatione Sanctorum ex primario inſtituto deſtinari ad extirpandas reliquias Pelagianorum, & oſtendendum, illos adhuc à Pelagianis ſemitis non recedere.

Eadem vis argumentationis ſumi poteſt ex 20.
libro 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7. & 8. & libro 1. de gratia Chriſti contra Pelagium probat, *nulla merita noſtra præceſſiſſe; nam quæ merita tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus?* & confirmat ex 1. Ioan. 4. *Non quaſi nos priùs dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Nec tamen inde inferas, nullum eſſe meritum de congruo, antequam peccata remittantur. Nam hoc loco charitatis, & dilectionis nomen extendit Auguſtinus, vt comprehendat dilectionẽ ſecundùm quid, per quam operamur opera Deo grata, & alicuius valoris: ſicut etiã in lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorũ c. 9. in principio cupiditatem boni appellat charitatem.

Confirmatur primò. nam quoties Auguſtinus Incarnationis gratiam cõparat cum gratia mem- 21.
bris Ieſu Chriſti collata, ſemper inſiſtit in ea paritate, vt ſicut huius humanitatis nulla prorſus merita, nulla oratio, nulla diſpoſitio, nulla ratio præcedere potuerunt, quibus obtineret Incarnationem; ita in nobis. Sed in humanitate negat non ſolùm merita de condigno, ſed etiam merita de congruo; ergo ſimiliter in nobis. Ad quod expendi poſſunt, quæ fusè diſſerit in libro de prædeſt. Sanct. c. 15. de bono perſeuerantiæ c. vlt. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione peccatorum cap. 17. & de correptione & gratia c. 11. & in Enchiridio c. 30. Fulgentius de Incarn. & gratia Ieſu Chriſti cap. 20. & nos ponderauimus diſputatione 18. ſect. 10.

Confirmatur ſecundò, quoniam abſque vlla 22.
exceptione merita, quæ gratiam præcedant, refutat Auguſtinus lib. 1. retractationum cap. 9. circa med.

med. lib. 4. aduerſùs Iulianum Pelag. c. 3. lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. non longè ante finem, & ſerm. 7. de verbis Domini ſecundùm Matthæum poſt med. & lib. de patientia cap. 20. & epiſtola 105. & 106. & de gratia & libero arbitrio cap. 7. & 8. & cap. 14.

23. Confirmatur tertiò, quia eamdem Auguſtini ſententiam Summi Pontifices, & Concilia, partim ante Auguſtinum obſcuriùs, partim poſt Auguſtinum clariùs tradiderunt. Nam vnus ex articulis contra Pelagianum definitis in Palæſtina Synodo, fuit. *Gratiam non ſecundùm merita noſtra dari, vt vera ſit gratia.* & alter etiam fuit. *Secundùm gratiam, & miſericordiam Dei, veniam pœnitentibus dari, non ſecundùm merita eorum; quandoquidem ipſam etiam pœnitentiam donum Dei dixit Apoſtolus: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam.* Hæc refert Auguſtinus epiſtola 106. ad Bonifacium columna 11. & 12. & ſuprà citato cap. 2. de prædeſtinatione Sanctorum. Vbi perpende negationem ante merita præcedentem, habere vim diſtribuendi omnia merita.

Palæſtina Synodus.

2. Timoth. 2.

24. Confirmatur quartò. nam Cœleſtinus epiſtola 1. cap. 12. ait: *Non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri.* Arauſicanum Concilium canon. 17. ait: *Spiritus ſanctus datus eſt nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.* Eamdem meritorum negationem ſub eadem vniuerſalitate repetit cap. 25. poſt med.

25. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. decernit, exordium iuſtificationis in adultis à præueniente gratia ſumi, *qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Sic etiam Moguntina Synodus cap. 7. §. 2. ait, *ante omne meritum.*

26. Confirmatur quintò, quoniam Auguſtinum imitati ſunt Patres illius ſectatores. Proſper ad capitula Gallorum cap. 6. *Iuſtificationis*, inquit, *homo, id eſt, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito, accipit donum; quo medio adquirat & meritum.* & libro 2. de vocatione Gentium cap. 8. initio ait: *Datur ergo vnicuique ſine merito, vnde tendat ad meritum: & datur ante vllum laborem, vnde quiſque mercedem accipiat ſecundùm ſuum laborem.* Similia ſcribit in lib. contra Collatorem cap. 16. & cap. 22. & alibi ſæpe.

27. Fulgentius lib. 1. ad Monimum à cap. 8. vſque ad 12. & cap. 26. & lib. de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti à cap. 18. per aliqua capita, facit etiam cap. 25. Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 8. Gregorius lib. 33. Moralium c. 20. aliàs 25. circa illa verba Iob 45. *Quis antè dedit mihi, vt reddam ei.* Bernardus ſermone 67. in Cantica, & aliis in locis citatis in diſputat. 17. ſectione 3. Author hypognuſticon lib. 3. dum impugnat ſecundum membrum articuli tertij, videlicet, *meritis operum gratiam vnicuique dari.*

28. Ratio autem eſt, quia omne meritum, quamnis tenuiſſimum ſit, & de congruo tantùm, requirit proportionem aliquam laboris ad mercedem, in qua proportione fundetur congruitas. At verò proportio nulla eſt in operibus elicitis per ſolas vires naturæ ante initium fidei, per gratiam datum. Quod probo, quia nec datur proportio intrinſeca operi; ſiquidem ſunt opera merè naturalia, quæ inferioris ordinis ſunt, quam ſupernaturalia: nec datur proportio, redundans in opus naturale ex dignitate perſonæ operantis, aut alicuius actus ſupernaturalis, à quo impetretur actus naturalis. Suppono enim, perſonam omni gratia & ſupernaturali actu carere: nec datur proportio merè extrinſeca operi & perſonæ, quæ proueniat ex acceptatione, aut promiſſione Dei; hanc enim nulla ſcriptura approbat, & plurimæ improbant ſuprà diſp. 18.

Meritū proportionatum mercedi.

Naturalis ad ſupernaturale nulla proportio.

29. Tanta denique eſt authoritas eorum Patrum quos retulimus, vt noſtræ concluſionis certitudinem non poſſent minuere aliqui recentiores Theologi, quantumcumque magni; quamuis ſcientes atque prudentes contra illam pugnare voluiſſent. Cæterùm nullus ita pugnauit. Nam magni aliqui Theologi, qui etiam poſt Tridentinum Concilium admittunt, ex viribus naturæ dari poſſe ad gratiam merita de congruo: nondum exactè perſpexerant quale meritum eſſet illud, quod Maſſilienſes inducere, & Summi Pontifices cum Auguſtino & aliis Patribus excludere contendebant. Nec mirum, aliquando per incogitantiam lapſos eſſe viros, alioqui doctiſſimos, præſertim in re, quæ ſuo tempore vix vnquam exactè à Scholaſticis tradebatur, vt tota diſputatione at. conſtabit.

SECTIO II.

Concluſiones ad rationem diſpoſitionis, conditionis, & occaſionis pertinentes.

PRima concluſio. Quilibet actus elicitus per vires naturæ abſque auxilio gratiæ, non eſt diſpoſitio neceſſaria, vt iuſtificatio, vel auxiliatrix gratia obtineatur; ſed ſine tali diſpoſitione obtineri poteſt. Hanc aſſertionem, exiſtimo, eſſe ita certum, vt oppoſitum ſit error, quoniam Concilium Arauſicanum II. can. 4. damnat vt reſiſtētem Spiritui ſancto eum, qui dixerit, Deum expectare voluntates noſtras, vt purgari velimus. Quod idem Auguſtinus, & alij Patres frequenter damnant. Quòd ſi actus à libera voluntate elicitus per ſolas vires naturæ foret diſpoſitio neceſſaria, expectaretur à Deo de lege ordinaria, ſecundùm quam nihil Deus operatur abſque neceſſaria diſpoſitione. Quomodo autem, poſtquam Deus, per ſupernaturalem illuſtrationem & inſpirationem præueniendo excitauit liberum arbitrium, expectet liberum conſenſum, dicemus fortaſſe tomo ſequenti. 1.

Actus viribus naturæ elicitus non diſponit ad gratiam.

Secunda concluſio. Quilibet actus elicitus per vires naturæ abſque auxilio gratiæ non eſt diſpoſitio ſufficiens ad primam gratiam auxiliatricem obtinendam, ſi propriè accipiatur diſpoſitionis nomen. Quapropter ad gratiam iuſtificationis non eſt diſpoſitio etiam remotiſſima: quoniam ad hanc remotè diſponere non poteſt, niſi quatenus diſponit ad obtinenda auxilia neceſſaria ad credendum, ſperandum, pœnitendum, amandum. Hanc concluſionem exiſtimo, eſſe ita certam, vt oppoſitum non ſolùm careat omni probabilitate, ſed etiam ſit errori proximum, quoniam ex Conciliis & Patribus citatis valde efficaciter infertur. 2.

Non eſt diſpoſitio ſufficiens ad primā gratiam.

Probatur primò, quia ſi prædictus actus foret diſpoſitio ſufficiens, illo poſito & exiſtente ſubiungeretur à Deo auxiliatrix gratia, vel ſemper vel regulariter, ac de lege ordinaria. Nam Deus poſita diſpoſitione ſubiungit formam, ad quam diſponit. Vnde ſequerentur eadem illa abſurda, quæ Patres & Concilia tota diſputat. 17. & 18. damnant. Primò enim, humanis operibus per vires naturæ elicitis ſubiungeretur diuina gratia. 3.

4\. Secundò liberum arbitrium præueniret gratiam, præbendo diſpoſitionem, qua poſita de lege ordinaria daretur auxiliatrix gratia.

Tertiò. Gratia foret debita, ſi non debito obſequij, ſeu meriti, ſaltem debito connaturalis, quod etiam repugnat quidditati gratiæ, vt vidimus diſp. 18. ſect. 2. & 3.

5\. Quartò ſequeretur, hominem ex ſe habere, & facere ſatis multum, ſi per ſolas vires naturæ poſſet elicere vnum, aut plures actus, qui ſufficienter diſponerent ad primum auxilium gratiæ. Vnde ceſſarent illæ annihilationes, quas humanis viribus improperant Scriptura & Patres: *Sine me nihil poteſtis facere; quid habes, quod non accepiſti,* &c.

6\. Quintò illæ ipſæ operationes liberi arbitrij, quæ ſufficienter diſponerent ad gratiam auxiliatricem, forent initium gratiæ, vnde ſequeretur ex viribus naturæ accipi initium gratiæ.

Diſpoſitionis cauſalitas ad cauſam materialem pertinet.

Sextò, quoniam diſpoſitionis cauſalitas pertinet ad cauſam materialem, cuius omnem prorſus cauſalitatem excludit creationis ratio, quam Scriptura ſacra creationi tribuit ſuprà diſput. 18. ſect. 6. initio.

7\. Peculiariter diſpoſitionis ratio excluditur Prouerb. 19. iuxta editionem Septuaginta, *præparatur voluntas à Domino.* Nam præparatio & diſpoſitio idem ſunt. Eſt autem hoc teſtimonium aduerſus Semipelagianos valde frequenter ponderatum ab Auguſtino, Petro Diacono, Proſpero, Fulgentio, Concilio Arauſicano, Cœleſtino Papa, & aliis, vt videbimus infrà diſput. 30. ſectione 2. Vnde Auguſtinus contra duas epiſtolas Pelagianorum lib. 1. cap. 8. poſt medium ait: *Sed nimirum quod ſcriptum eſt, hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ: non bene intelligendo falluntur, vt exiſtiment, cor præparare, hoc eſt, bonum inchoare, ſine adiutorio gratiæ Dei ad hominem pertinere.* & poſt pauca, *Hominis eſt præparare cor, quia homo præparat cor, non tamen ſine adiutorio Dei, qui tangit cor.* & infrà, *Nam quid eſt præparare cor, & os aperire, niſi voluntatem parare? Et tamen in eiſdem litteris legitur, præparatur voluntas à Domino, & labia mea aperies.* Atque apud Theologos communiter receptum eſt illud axioma deſumptum ex Auguſtino in Enchiridio cap. 31. *Deus hominis voluntatem & præparat adiuuandam, & adiuuat præparandam.* Eodem modo loquitur in eodem lib. c. 106. & alibi ſæpe.

8\. Idem confirmat Leo Primus epiſt. 84. aliàs 86. ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum colum. 2. dicens: *Omnis itaque bonorum operum donatio diuina præparatio eſt; quia non prius quiſque iuſtificatur virtute, quam gratia; quæ vnicuique principium iuſtitiæ & bonorum fons atque origo meritorum eſt.*

9\. Probatur concluſio, quoniam *aptare* idem prorſus eſt, quod reddere aptum atque præparatum; quapropter hoc ipſum eſt diſponere: at verò ſolus Deus eſt, qui ad iuſtificationis opera homines aptat; ſecundùm illud Hebr. 13. *Deus aptet vos in omni opere bono, faciens in vobis, quod placeat coram ſe.* Quem locum ad probandum initium iuſtificationis non ex viribus naturæ, ſed ex præueniente gratia, ponderat Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 9. & 14. & S. Thomas Hebr. 13. lectione 3. longè poſt med. colligit ſolius Dei eſſe aptare voluntatem immittendo inclinationem ad bonum, qua redditur apta, vt velit bonum. Cui concinit, quod de omnium iuſtorum exemplari Chriſto Domino Pſalm. 39. ſecundùm lectionem Pauli Hebr. 10. cecinit; *Corpus autem aptaſti mihi.* Econtra verò ſine gratia hominem ad nihil eſſe aptum, exemplo lumbaris putridi traditur Hieremiæ 13. & exemplo palmitis combuſti Ezech. 15.

10\. Probatur, quoniam ex Tridentino ſeſſione 6. cap. 6. & 8. non obſcurè colligitur, diſpoſitionem iuſtificationis non poſſe aliunde incipere, quàm à fide concepta per excitantem, & adiuuantem gratiam, vt vidimus in diſputatione 19. ſect. 3. concl. 2. & ex Moguntina Synodo cap. 7. §. 2. cuius verba retulimus diſputat. 17. ſectione 3. concl. 2.

11\. Probatur, quoniam prædictam ſententiam Auguſtini de præparatione voluntatis, quam Deus præſtat, accipiunt cum Magiſtro communiter Scholaſtici 1. diſt. 26. in variis capitibus.

12\. *Proportionis inter gratiã, & naturam ratio.*

Congrua ratio proportionis inter gratiam & naturam traditur ab Ægidio in 2. diſt. 28. quæſt. 1. artic. 3. quoniam diſpoſitiones ad formam naturalem materia recipit ab agente naturali, tanquam à primo mouente; ſed anima eſt veluti materia ad diſponendam iuſtificationis formam. Ergo has diſpoſitiones debet anima recipere ab agente ſupernaturali, tanquam à primo mouente. Quare non ſufficiet vlla motio inferioris agentis, vt diſpoſitionem aliquam inducat.

13\. *Præſenti tempore cautior debet eſſe Theologus.*

Accedit poſtrema ratio, quæ præſenti tempore cautiorem in hac re Theologum eſſe requirit; cùm Lutherus Summum Pontificem, cæteróſque catholicos per calumniam reprehendat, & impugnet, quoniam exiſtiment, liberum arbitrium ſine gratia poſſe ad gratiam ſe præparare. cui calumniæ occaſionem dedere minus circumſpectæ quædam loquutiones Scholaſticorum, quas referemus diſp. 21.

14\. *Natura nec phyſicè nec moraliter diſponit ad gratiam.*

Concluſio tertia ad explicationem præcedentis, & non minus certa, quàm illa. Quilibet actus elicitus per vires naturæ abſque auxilio gratiæ non eſt diſpoſitio phyſicè diſponens ad auxiliatricem gratiam, nec moraliter ad illam diſponit.

Probatur primò, quia ſiue phyſicè, ſiue moraliter diſponat, ſequuntur abſurda illa, quæ circa concluſionem præcedentem attigimus.

15\. Secundò, quoniam vt phyſicè diſponat, requiritur proportio vnius entitatis phyſicæ, cum alia entitate phyſica: ita vt ſaltem ſint eiuſdem ordinis. At verò actus elicitus per ſolas vires naturæ longè inferioris ordinis eſt, nimirum naturalis; gratia verò auxiliatrix eſt ordinis ſupernaturalis. Rurſus ſi moraliter diſponeret, eo ipſo haberet vim merendi, aut impetrandi, nec enim alio modo excitare potuiſſet, atque flectere diuinam voluntatem, vt ad conferendam auxiliatricem gratiam inclinaretur. At verò merendi, & impetrandi vim nullam ineſſe in actibus elicitis per vires naturæ, oſtendimus iam ſect. præcedenti concluſ. 5. & 7.

Auxiliatrix gratia ſupernaturalis eſt.

Confirmatur, quia, vt moraliter diſponat, requiritur moralis proportio vnius entitatis ad aliam, vt ſaltem ſint eiuſdem ordinis: at verò actus eliciti per vires naturæ non maiorem proportionem cum gratia habere poſſunt, in eſſe moris, quàm in eſſe phyſico: ſiquidem in eſſe moris adhuc ſunt merè naturales; gratia verò ſupernaturalis eſt.

16\. *Neque remotè, & imperfectè, ad gratiam diſponit natura.*

Quarta concluſio. Quilibet actus, elicitus per vires naturæ, abſque auxilio gratiæ, non eſt per ſe, & ratione ſui diſpoſitio ad obtinendam auxiliatricem gratiam, vſque adeò, vt nec partialis

inſufficiens,

inſufficiens, imperfecta & inchoata diſpoſitio eſſe poſſit; quantumcumque nulla ſit infallibilis conſecutio gratiæ auxiliatricis ex illa diſpoſitione. Hanc concluſionem ita certam exiſtimo, vt oppoſitum ſit prorſus improbabile ac periculoſum.

17. Probatur primò, quia ſi per ſe & ratione ſui diſponit ad obtinendam auxiliatricem gratiam, quantumcunque remotè, imperfectè, & ſine infallibilitate diſponat, iam præbet aliquod initium, cui ſubiungatur aliquando diuina gratia. Vnde ſecundò ſequitur gratiam præueniri à libero arbitrio, ac proinde non eſſe præuiam, ſed pediſſequam. Tertiò, ſaltem in eo caſu, in quo hæc eſt diſpoſitio partialis & inſufficiens, à Deo reſpicitur, vt ratio aliqua conferendi huic homini auxiliatricem gratiam; ac proinde veriſſimè dicitur, deſideranti, quærenti, aut quolibet modo conanti per ſuum liberum arbitrium dari gratiam auxiliatricem, contra canonem 6. Arauſic. Concilij, cuius verba referemus infrà diſput. 22. ſect. 2. num. 8.

18. Quartò; quia iam abſque Spiritus ſancti illuminatione, & inſpiratione per naturæ vigorem fiet bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ (quamuis remotè, & inſufficienter) quam propoſitionem damnat Arauſicanum Concilium canon. 7.

19. Quintò probatur. Quamuis enim Deus non expectet voluntates aliorum hominum, imò nec huius hominis voluntatem expectet ad alias collationes gratiæ: cæterùm ad hanc collationem gratiæ, cuius diſpoſitio partialis, aut inchoata, & ſine infallibilitate fuit actus elicitus per ſolas vires naturæ, verè affirmari poterit, Deum expectaſſe iſtius hominis voluntatem. At verò Arauſicanum canon. 4. vniuerſaliter, & abſque diſcrimine damnat eum qui dixerit, vt à peccato purgemur Deum expectare voluntatem noſtram.

20. Sextò. In hoc etiam caſu verificabitur voluntatem primò adiuuandam à Deo, priùs per proprios conatus præparari, quamuis à Deo præparetur, deinceps etiam adiuuanda, quod repugnat his, quæ probata ſunt in concluſ. 2. probat. 6. Septimò in hoc etiam caſu non retinetetur ratio propria creationis, excludens omnem concurſum diſpoſitionis, vt attigimus ibidem probat 7. Plura alia argumenta ex his, quæ fuſiùs tractauimus diſputat. 18. poſſunt ad rem præſentem applicari.

21. *Ad Semipelagianos quãtum ali qui accedãt.* Ex his facilè colligitur quantum ad Semipelagianos accedant, & aliqua ex parte vltra illos etiam progrediantur pauci Scholaſtici, qui exiſtimant, attritionem, quæ ſit elicita per ſolas vires naturæ ſine gratia, aut ſimilem aliam voluntatis diſpoſitionem in homine iam fideli ſufficienter diſponere ad gratiam, virtute Sacramenti conferendam. Sed hoc attigiſſe, ſatis eſt noſtro inſtituto: nam res eſt propria diſputantium de Sacramentis in genere, aut de ſacramento Pœnitentiæ.

22. *Soluitur ob iectio quãdã.* Hîc ſi obiicias ſententiam plurimorum, atque grauium Scholaſticorum concedentium ex viribus naturæ dari diſpoſitionem ad auxilia gratiæ. Reſpondeo, illos partim excuſandos, partim piè interpretandos de diſpoſitionis voce impropriè accepta pro remotione impedimenti, & occaſione paſſiua non data ab hominibus; ſed à Deo accepta, vt tota ſequenti diſputatione monſtrabimus.

Quinta concluſio. Quilibet actus per vires naturæ elicitus ſine gratia, non eſt conditio per ſe ad gratiam conducens: ita vt nec ſit conditio, ſine qua Deus non conferat auxiliatricem gratiam; nec ſit conditio, qua poſita Deus conferat gratiam infallibiliter, aut de lege ordinaria. Neque hanc conditionem largiendi auxiliatricem gratiam, appoſuit Deus omnibus hominibus, nec aliquibus, nec de hoc legem Deus condidit, aut pactum iniit, nec apud ſe decreuit, huius conditionis intuitu conferre gratiam, etiam abſque promiſſione & pacto. Aduertendum tamen eſt, clariorem eſſe repugnantiam cum gratia, quando lex & pactum interuenit, ſecundùm illud Rom. 15. *Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.* Vbi promiſſionis, ac veracitatis debitum cauſa eſt, vt Chriſti Domini miſſio ad populum Iſraël, non ita tamen gratuitæ miſericordiæ rationem haberet, quàm Euangelicæ prædicationis beneficium ad Gentiles ex mera miſericordia, nulla præcedente promiſſione deſtinatum. Ita obſeruant Chryſoſtomus ibi ſermon. 28. OEcumenius, & S. Thomas ibidem. Atque idem ſumitur ex Auguſtino in Pſalm. 78. ad illum verſum, *Effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam*, &c. Cuius Commentarij & cuiuſdam ſermonis de Paſſione Domini ſummam colligens Beda in dictum locum ad Romanos, clarius quàm Auguſtinus notat dictam antitheſim miſericordiæ & veritatis. Quòd ſi illa lex, aut promiſſio mittendi Chriſtum Ieſum, vt miniſter eſſet circumciſionis, facta fuiſſet propter moralia opera, quæ Patres feciſſent per vires naturæ: non diceret dignitatem gratiæ illa ratio iuſtitiæ, atque debiti, quæ naſcitur ex promiſſione & lege. Cæterùm quoniam promiſſio & lex illa facta eſt intuitu operum, quæ Patres per Ieſu Chriſti gratiam facturi erant, ideo hæc diminutio miſericordiæ merè gratuitæ, non dedecet eximiam dignitatem gratiæ: quin potiùs illam commendat, quoniam gratia eſt promittere, & ex gratia procedunt opera, quibus promittitur, & illorum valor totus eſt ex gratia: vt fuſiùs oſtendimus tomo præcedenti de voluntate Dei diſp. 56. ſectione 4. — 23. *Nihil naturale conditio per ſe ad gratiam.* *Chriſtus intuitu operum Patrum promiſſus nobis.*

24. Tota concluſio præcedens intelligenda eſt non ſolùm comparatione totius communitatis; ſed etiam ſingulorum hominum, & in ſingulis quibuſque collationibus gratiæ, & non ſolùm ex iuſtitia, ſed etiam ex æquitate quadam, aut ex mera miſericordia. Ad hanc concluſionem directè pertinet illa cenſura Petri Diaconi in lib. de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 7. fine. *Manifeſtè Apoſtolo omnino reſiſtit, qui dicit. Niſi ego priùs voluero, gratia ad me non venit; quod omnino nihil aliud eſt dicere, niſi priùs dare Deo, vt retribuatur illi.* Vbi coniunctio *niſi*, conditionem ſignificat, & illam impugnat, quoniam non eſſet conditio, niſi haberet aliquam rationem meriti præmittendi ad retributionem.

25. *Viribus naturæ non datur actiua occaſio gratiæ.* Sexta concluſio. De occaſione, quæ per ſe & ratione ſui occaſio ſit actiua, & ab hominibus data per vires liberi arbitrij, eadem prorſus, atque cum eiſdem ampliationibus exiſtimãda ſunt, quæ de conditione dicta ſunt in concluſione præcedenti. Rationes vtriuſque concluſionis 5. & 6. prætermitto, vt faſtidium eadem toties repetendi fugiam, potius quàm laborem, qui lectori relinquitur

Digitized by Google

quitur accommodandi ad præſentes concluſiones eadem ipſa fundamenta, quibus nituntur cæteræ concluſiones huius & præcedentis ſectionis. præſertim quoniam de his dicta ſunt multa ſuprà diſput. 18. ſect. 3. à num. 15. & diſputat. 22. fuſiùs tractandum eſt, vtrùm facienti quod in ſe eſt, per vires naturæ, Deus conferat gratiam. Cuius quæſtionis pars negatiua, quo ſenſu vera eſt, eodem à præſenti concluſione 5. & 6. vix niſi vocibus differt.

26. Septima concluſio, quæ vniuerſaliter comprehendit omnes modos deſeruiendi ad gratiam obtinendam, qui fortè excogitari à quolibet ingenio poſſunt. Abſque ſupernaturali gratia nihil poteſt homo facere, propter quod ei diuina gratia conferatur.

SECTIO III.

Vtriuſque ſectionis præcedentis concluſiones ampliantur.

1. *Qui actus præcedentibus cõcluſionibus comprehendantur.* DIco primò. Sub nomine *actus eliciti per vires naturæ abſque auxilio gratiæ*, nullus omnino excipiendus eſt. nam omnes eiuſmodi comprehenduntur in concluſionibus, ſiue ſit electio boni, voluntas aut deſiderium ſalutis, conſenſus in prædicationem, pia aliqua affectio ad res fidei, peccatorum deteſtatio, aut etiam dolor, imò & ipſe humanus aſſenſus ad res fidei, & humana ſpes, & humanus amor Dei, oratio, vigiliæ, quælibet ſtudioſa cogitatio, conatus, ſtudium, labor, inquiſitio, miſericordiæ opera, & cuiuſque alterius virtutis actus ſiue interni, ſiue externi. Quæ omnia & ſingula, ſiue genera, ſiue ſpecies, ſiue indiuidua, ſi per vires naturæ abſque auxilio gratiæ fiant, eo ipſo ſunt improportionata, vt gratiæ initium, partem, cauſam, meritum, impetrationem, diſpoſitionem, conditionem, vel occaſionem præbeant, iuxta omnia dicta in præcedentibus ſectionibus.

2. *Quid gratiæ nomine.* Dico ſecundò, ſub nomine gratiæ comprehendetur quidquid eſt ſupernaturale, & indebitum naturæ; ſiue illud ſit inhærens in homine, ſiue poſitum extra hominem; ſiue ſit habitus virtutum, ſiue actus, illuſtratio & inſpiratio, ſiue extrinſeca Dei præparatio ad concurrendum. Itaque ſiue auxilium ſit generale gratiæ, ſiue ſit ſpeciale, ſiue ſit auxilium efficax, ſiue ſufficiens, ſiue ſit primum auxilium gratiæ, ſiue quodcumque ex poſterioribus auxiliis; ſiue ſit auxilium ad iuſtificationem, ſiue ad perſeuerantiam vel augmentum, vel ad reſiſtendum tentationibus. Hæc enim omnia, quoties ſupernaturalia fuerint, erunt ordinis altioris, quàm vt illorum initium, partem, cauſam, meritũ, impetrationem diſpoſitionem, conditionem, aut occaſioné præbere poſſunt ſupradicti actus eliciti per vires naturæ.

3. *In vocatione congrua præcedentes concluſiones certiores.* Dico tertiò, in gratia vocationis congruentis, ac præſertim illius, quæ eſt ſecundùm propoſitum, & electorum propria, concluſiones omnes præcedẽtium ſectionum certiores ſunt, quàm in cæteris vocationibus, quoniam in illa peculiarem vim habent earumdem concluſionem fundamenta, cùm illa præſtantiſſimam gratiæ, & miſericordiæ rationem ſibi vendicet, iuxta illud Rom. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quapropter de illa peculiari quadam ratione verificanda ſunt omnia, quæ conſequuntur ex quidditate gratiæ, atque illud præſertim, *non eſſe volentis, neque currentis*, per vires naturæ, ſed Dei miſerentis per gratiam.

Sed non propterea minuitur certitudu earumdem concluſionum, quantum ad cæteras omnes vocationes & auxilia, quæ non ſunt congruentia, nec ſecundùm propoſitum prædeſtinationis. Ratio eſt, nam Maſſilienſes auxilia omnia, exiſtimabant eſſe omnino paria comparatione omnium hominum, quantum erat ex propoſito, & intentione Dei, quare de omnibus auxiliis gratiæ ſine diſcrimine exiſtimabant, obtineri per humanos conatus. Rurſus Patres & Concilia hunc errorem damnantes, non apponunt limitationem ad auxilia congruentia, & ſecundùm propoſitum. Quapropter tota certitudu illarum definitionũ manet integra circa auxilia, quæ non ſunt congruentia, nec ſecundùm propoſitum, quãuis aliunde acceſcat ſpeciale robur eorũ fundamentis, quãdo agitur de vocatione cõgrua, & ſecundũ propoſitum. 4. *Maſſilienſes auxilia omnia paria putabant.*

Dico quartò. Ex his euidenter ſequitur electionis, ſiue prædeſtinationis ad gratiam, ſiue ad gloriam, nullum initium, nullámve cauſam, rationem, meritum, impetrationẽ, diſpoſitionem, conditionem, aut occaſionem poſſe præberi ab homine per vires naturæ, quod probabimus diſp. 26. 5. *Electionis ad gloriam nullum initium, cauſa, ratio, meritum eſt per vires naturæ datur.*

Dico quintò. Omnes concluſiones vtriuſque ſectionis præcedentis verificantur in quibuſcumque perſonis creatis, ſiue Angelis, ſiue hominibus, ita vt ne vnus quidem ex illis poſſit per vires naturæ aliquid ad gratiam obtinendam: idque in quocunque ſtatu, ſiue naturæ integræ, ſiue naturæ lapſæ. Quoniam licèt Concilia, & Patres communiter non agant expreſsè de Angelis, nec de homine integro ante lapſum, ſed poſt lapſum; nihilominus eorum omnia fundamenta petita ex quidditate ac dignitate gratiæ, atque debilitate virium naturalium eamdem vim habent etiam in Angelo & in homine integro. Præſertim, quoniam eos indigere gratia operante, ſeu excitante clariùs traditur à Theologis Doctoribus; vt videbimus infrà diſp. 43. 6. *Præſentis doctrinæ vniuerſalitas.*

Huius autem doctrinæ vniuerſalitas ad omnes homines lapſos definitur expreſsè in Arauſicano Concilio canone 8. his verbis: *Si quis (alios miſericordia, alios verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de præuaricatione primi hominis nati ſunt) conſtanti ſanitia hominem ad gratiam Baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus*; & poſtea docet, *neminem poſſe conquirere myſterium ſalutis, nec ad Chriſtum venire ſine reuelatione Ieſu Chriſti trahentis.* Proſper etiam lib. contra Collatorem c. 39. definit. 6. illum reprehendit, quoniam aliud initium iuſtificationis à gratia, aliud verò initium à libero arbitrio docuerit: *quaſi vtrumque ita recipiendum ſit, vt in alijs hominibus voluntas gratiam, & in alijs gratia præueniat voluntatem: & non ita vt in omnibus voluntas gratiam ſubſequatur.* 7.

Non deſunt aliqui Theologi, quibus videatur eſſe probabile actus elicitos per vires liberi arbitrij abſque concurſu gratiæ, ſufficere ad obtinendam gratiam auxiliatricem, quando in homine adhuc infideli prius tempore præceſſit aliqua ſupernaturalis vocatio ad fidem, cui non dũ præbuit aſſenſum; remanſit tamen illius recordatio, elicita per vires liberi arbitrij, animo verſans eadem obiecta ſupernaturalia, eadémque motiua conuerſionis quæ præterita vocatio ſuggeſſerat. 8. *Aliquorum ſententia.*

Nihilominus dico quintò. Dubitare non poſſum, quin etiam hic caſus cõprehendatur ſub omnibus concluſionibus vtriuſque ſectionis præcedentis. 9. *Præterita illuſtrationis*

recordatio nō ſufficit ad obtinendā gratiam.

dentis. Primò, quoniam Dei vocationem ſupernaturalem priùs tempore præceſſiſſe in eodem homine, eſt ſola damnatio extrinſeca, quæ nullam dignitatem, nullúmve valorem confert perſonæ operanti, nec illius operibus. Quapropter illius perſonæ quilibet actus elicitus per vires naturæ, non concurrente auxilio gratiæ non habet maiores vires, impetrandi, merendi, diſponēdi, cauſandi, dandi occaſionem, aut conditionem, vel quodlibet aliud initium gratiæ, vltra eas vires quas haberet, antequam illa perſona pulſaretur aliqua ſupernaturali vocatione, quas nullas prorſus eſſe oſtendimus in tota præſenti diſputatione.

10. Secundò probatur, quia hic homo infidelis, vel conſenſum liberum præbuit primæ vocationi & illuſtrationi, vel non. Si præbuit conſenſum aliquem, qualis eſt velle de illa re maturè deliberare, & veritatem examinare cum deſiderio, inueniendi, & amplectendi veritatem; iam hic homo non eſt inter infideles connumerandus, habet enim aliquod ſupernaturale initium fidei, per quod poſſit vlteriora promereri & impetrare auxilia. Quare de hoc ſentiendum eſt, ſicut de homine fideli dicemus numero 14. Si autem nullum liberum conſenſum præbuit primæ vocationi & illuſtrationi, peccauit, indéque impediuit magis, quantum execratur diuinæ gratiæ principium. Quòd ſi fortè per incogitantiam, aut ignorantiam excuſatus fuit à culpa, ſaltem inde nullum reportare poteſt commodum maius, quod ante prædictam vocationem habuit, nullâque dignitas, aut valor inde in perſona, vel in operibus oriri potuit.

11. Tertiò, quia quamdiu homo eſt omnino infidelis, caret omni prorſus principio meriti, impetrationis, & diſpoſitionis ad gratiam, vt vidimus præcedenti diſp. 19. ſect. 3. & 4.

Quartò, quia quòd recordatio præteritæ illuſtrationis, & vocationis relicta ſit ex illa, & recordatio recolat eadem obiecta ſupernaturalia, quæ priùs ſuggeſſerat ſupernaturalis illuſtratio, nihil intereſt, quandiu illa recordatio eſt elicita per ſolas vires naturæ, nullum concurſum præbente ſupernaturali gratia. Quod probo, quoniam Maſſilienſes apertè loquebantur de actu credendi myſteriis ſupernaturalibus fidei, & de voluntate credendi, aut obediendi legi euangelicæ poſt auditam ſufficientem illius prædicationem: & tamen quoniam hos actus exiſtimabant præbere initium gratiæ, quamuis per ſolas vires naturæ ſine gratia elicerentur; ideo à Conciliis, Patribúſque damnantur. Ergo Patres & Concilia nihil curant de obiectiua ſupernaturalitate, niſi entitatiuè ſupernaturalis ſit actus, & principium productiuum illius ſit gratia; quod fundamentum fuſiùs confirmabitur tota diſputatione 23.

12. Quintò denique, quia neceſſaria eſt gratia præueniens entitatiuè ſupernaturalis, & eo ipſo tempore actualiter exiſtens, in quo exercet ſuum munus, vt infrà diſp. 40. ſect. 4.

Sextò denique, quia in quocunque infideli à fortiori præcedunt rationes infrà num. 9. dicendæ circa hominem fidelem.

13. Nihilominus negari non poteſt, quin ſupradictæ concluſiones de infidelibus hominibus verificantur certiùs, quantum ad primam illuſtrationem, & inſpirationem, qua primò vocantur ad fidem. Ratio autem maioris certitudinis eſt quidditas gratiæ primæ, quæ omni prorſus modo prima eſt, antequam nulla omnino gratia præceſſit: ac proinde nulla relinquitur vmbra gratiæ, cuius prætextu inducatur aliqua vis, meritum, impetratio, aut diſpoſitio in actus, qui poſtea eliciuntur viribus naturæ.

Præcedentes cōcluſiones in infidelibus certiores.

Dico ſextò. In quolibet peccatore, quantumcumque fidelis ſit, verificantur omnes illæ concluſiones. Probatur primò, quia quilibet actus elicitus per vires naturæ, ſi ad illum eliciendum non concurrit gratia, ſemper manet intra ordinem naturalem, improportionatum ordini ſupernaturali. Quapropter ad obtinendam vlteriorem aliquam gratiam, ſiue auxiliatricem, ſiue iuſtificantem, non poteſt eſſe alicuius valoris, perinde ac ſi ille actus eſſet in homine infideli. Confirmatur, quia talibus actibus nulla Dei promiſſio facta legitur, nulla etiam perſonæ dignitas valorem confert, cùm ſit inimicus, & odiu dignus peccator. 14.

In quolibet peccatore fidei verificantur.

Probatur ſecundò. Quoniam quilibet fidelis peccator, vt remiſſionem obtineat peccatorum, alia noua gratia operante indiget, quæ illum excitet ad opera ſupernaturalia, nec poteſt ipſe per ſupernaturales habitus fidei, & ſpei, ſe ipſum excitare ad earum virtutum actus, vt probabimus infrà diſput. 41. Ergo a fortiori, quamdiu peccator non operatur ſupernaturales actus, virtute habituum, vel auxiliorum ſupernaturalium, ſed illos relinquit otioſos, nullius valoris, & vtilitatis, ad obtinendam gratiam, erunt omnes actus per ſolas vires naturæ eliciti, quamuis fidei & ſpei concomitantes ſupernaturales habitus habeant. Confirmatur, nam ad eiuſmodi actus elicitos per ſolas vires naturæ, ſolummodo materialiter, concomitanter, & merè per accidens ſe habent fidei, & ſpei habitus, perinde, vt quando muſicus ædificat. Vnde ij habitus perinde ſunt, ac ſi non eſſent; quoniam nihil phyſicè, nec moraliter influunt. 15.

Peccator præter habitus ſupernaturales noua gratia excitante indiget ad opera ſupernaturalia.

Vnde ſumitur probatio tertia, quia fidelis peccator nullo modo vt eius habitu fidei, & ſpei, quem iam accepit, minus fecit, quod in ſe eſt, quàm infidelis. Quoniam in ſe fuerat per actus priores fidei, & ſpei, diutiùs illos continuando, & feruentiùs in illos incumbendo, mereri, & impetrare de congruo auxilia ad vlteriores alios actus ad iuſtificationem requiſitos. Nihilominus huiuſmodi actus per ſolas vires naturæ elicitos, ſi ab alio ſupernaturali actu imperentur, habere valorem quaſi obiectum, ſeu materiam *circa quam*, effectum, atque complementum ſui actus imperantis, dicemus diſputat. 24. ſect. 2. aſſertione 4. 16.

Dico ſeptimò. De homine iuſto, per vires naturæ abſque influxu gratiæ elicientre actus moraliter honeſtos, certum eſt non præbere cauſam, & rationem, meritum, impetrationem, diſpoſitionem, conditionem, aut occaſionem, ratione cuius Deus perſeuerantiæ donum conferat huic potius iuſto, quàm alteri. Huius probatio conſtat ex diſputat. 14. ſect. 4. vbi oſtendimus in hoc etiam errasse Maſſilienſes, atque ab Auguſtino, Hilario, & Proſpero notati, reprehendi, & impugnari. 17.

Iuſtus actibus viribus naturæ elicitis non præbet diſpoſitionē gratiæ.

Vnde validum argumentum ſumi poteſt ad probandum eoſdem actus nihil mereri de condigno, niſi quando imperantur à ſupernaturalibus actibus, & tunc non mereri, niſi præciſè, quaſi exteriores actus, ita vt quaſi actus interiores nihil gratiæ mereantur. Argumentum autem eſt, 18.

Eiſdem nihil meretur de condigno.

eſt, quia ſi poſſent mereri de condigno gratiæ augmentum; potuiſſent etiam de congruo mereri augmentum auxiliorum ſupernaturalium, quod regulariter, ac per ſe loquendo conſequitur augmentum gratiæ; iis autem auxiliis, ſemel & iterum repetitis, & auctis, confertur perſeuerantia.

19. Confirmatur primò. nam hac ratione perſeuerantiam mereri de congruo, & impetrare ſupernaturalibus actionibus poſſunt homines iuſti, vt notauimus diſp. 14. ſect. 4. num. 8.

Iuſti ſupernaturalibus actionibus perſeuerantiā poſſunt mereri de congruo.

Confirmatur ſecundò. nam contra Semipelagianos ſæpe Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius repetunt, omnia merita iuſtorum eſſe Dei dona, & gratiam, quod etiam notauit Tridentinum ſeſſione 6. cap. 16. de quo plura diximus præcedenti tomo de voluntate Dei diſputatione 56. ſect. 4. Ergo omnia merita debent eſſe ſupernaturalia & gratuita, quapropter ex viribus naturæ nullum erit meritum.

20. Denique circa huiuſmodi actus per vires naturæ elicitos Chriſti Domini virtus non influit in homines iuſtificatos, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, nec eiuſmodi opera antecedit, comitatur, & ſubſequitur: ſiquidem ad illa ſuas vires mouet liberum arbitrium, vt Gentilis aliquis, aut peccator mouere potuiſſet. quod obſeruandum valde eſt, ad ponderandum caput 16. Tridentini ſeſſione 6. Cæterùm hanc & alias rationes remitto ad proprium locum, in quo de merito agitur. In præſenti namque illud ſolummodo prætereundum non fuit, quod ex Semipelagianorum errore, atque illius refutatione tam firma illatione colligitur.

21. Sed nullam propterea cenſuram, aut notam aduerſùs contrariam opinionem in præſenti decerno; quoniam ſe poteſt aliquo modo protegere, dicendo, Semipelagianos in operibus, elicitis per vires naturæ, non curaſſe de valore extrinſeco, quem accipiebant ex habituali gratia hominis iuſtificati, cui valori totam vim merendi, & impetrandi tribuit prædicta ſententia. Quæ tergiuerſatio quamuis non ſatisfaciat prędictis fundamentis; ſententiam tamen à cenſura poterit fortaſſe liberare.

DISPVTATIO XXI.

Vtrùm Doctores Scholaſtici exiſtimauerint, opera elicita per vires naturæ, præbere iuſtificationis initium.

SECTIO I.

Communis Scholaſticorum ſententia per generalia quædam capita proponitur, & excuſatur.

1. DIco primò. Negari non poteſt, quin bona pars Scholaſticorum, quę præſentem precesſit ætatem, in hac controuerſia magis, quàm in cæteris, laborauerit aliqua negligentia repetendi antiquas definitiones Conciliorum & Patrum; nec non verborum improprietate, & ipſius rei perfunctoria, atque ambigua explicatione. Aſſertionē hanc explico magis, & probo, quia ſi verborum ſonus attendendus ſit, & eorum pondus exactè ad Scholaſticam trutinam examinandum, ſubterfugere non poſſumus, quin fateamur, totam ferè prædictam ſcholam verbis nimium fauiſſe, atque ex parte conſenſiſſe reliquiis Pelagianorum, quod attinet ad initium iuſtificationis ex operibus liberi arbitrij per ſolas naturæ vires ſine gratia verbis, inquam, fauiſſe. nam mente atque re ipſa piam interpretationem admittunt, quam trademus à num. 5. & totis ſectionibus ſequentibus, pro vt occaſio tulerit.

Scholaſticorū in hac re incuria.

Ferè tota Scholaſticorū ſchola verbis fauet Maſſilienſibus.

2. Eſt autem inter hos Doctores diſcrimen. nam illorum multi agentes de prædeſtinatione, aut de præparatione ad gratiam, rectè atque catholicè ſentiunt de initio iuſtificationis ex præueniente gratia; cuius tamen doctrinæ aliis in locis obliti, atque minus in loquendo circumſpecti, videntur in eumdem errorem labi, quem alibi refutarunt. Nec mirum. nam valdè diuerſæ, atque longè diſſitæ ſunt materiæ, in quibus controuerſia vel diſcutitur, vel attingitur. Inter quas præcipua eſt diſputatio de cauſa prædeſtinationis ex viribus naturæ. Secundum locum obtinet materia de gratia in pleriſque ſuis partibus, ſiue quando agitur de neceſſitate gratiæ, ſiue de præueniente gratia, ſiue de merito congrui, diſpoſitione, aut impetratione, ſiue quando de vniuerſalitate ſufficientis auxilij ad omnes homines, ita vt nulli denegetur. Huic adiunge materiam de peccatis, quandoque de veniali peccato inquiritur, vtrùm poſſit cum ſolo originali reperiri in filiis infidelium, peruenientibus ad vſum rationis. Tangitur etiam in materia de pœnitentia, quando agitur vtrùm illa ſit donum Dei, & vtrùm eſſe debeat ſupernaturalis, atque vtrùm pœnitentia ſit omnibus poſſibilis. Inſuper in materia de oratione, ieiunio, atque eleemoſyna, dum quæritur, vtrùm oratio, ieiunium, & eleemoſyna peccatoris habeant vim merendi, & impetrandi gratiam. Præterea in materia de Fide, vt quæritur de illius neceſſitate ad iuſtificationem, ſiue dum diſputatur de neceſſitate præuenientis gratiæ ad fidem, ſiue de barbaris inuincibiliter ignorantibus fidem.

Inter eos diſcrimen.

3. Hinc depromitur aliqua excuſatio Scholaſticorum, quoniam tanto temporis ſpatio, tantáque multitudine ac varietate quæſtionum, inter vnam & alteram materiam interiecta, quarum recentior memoria priorem obliterauerat, procliuiores fecit ad lapſum, eos præſertim Doctores, qui tritam à prioribus viam ingrediebantur.

Eorum excuſatio.

4. Inter hos Doctores laudabiliores ſunt, qui in poſtremis ſcriptis rectè de initio gratiæ ſentientes tacitè correxiſſe, aut explicaſſe videntur prioris temporis locutiones; minus autem laudandi, qui priori tempore, ſanè & rectè ſentientes, poſtea inconſequenter, & impropriè loquuti ſunt, vt nuper diximus; ſed infimo in gradu ſunt alij Doctores, qui numquam debita claritate, & proprietate verborum explicuerunt gratiæ neceſſitatem, ad præbendum iuſtificationis initium, & tamen aliquando illud adſcribere videntur viribus naturæ.

5. Dico ſecundò. Quatuor ſunt articuli, in quibus cōmuniter Scholaſtici impropriè loquuti ſunt de initio gratiæ, piam tamē explicationē admittunt.

Impropria Scholaſticorum loquutio quatuor articulis contenta.

Primus eſt, diſpoſitionem non proximam & directam, ſed remotam, & indirectam, vt obtineatur auxiliatrix gratia, concipi poſſe, atque produci per ſolas vires liberi arbitrij.

Primus.

Huius

Digitized by Google

6. *Piè explicatur.* Huius articuli pia explicatio hæc eſſe debet, vt impropriè accepto nomine diſpoſitionis, non intelligatur diſpoſitio poſitiua per ſe conducens ad iuſtificationem, etiam remotè, vt in diſp. præcedcuti ſect. 2. notauimus; ſed intelligatur diſpoſitio negatiua & per accidens, quæ ſolummodo conſiſtat in remotione maioris impedimenti, non in remotione cuiuſque impedimenti. Aut certè nomine diſpoſitionis intelligatur occaſio, ſiue opportunitas non per ſe data; ſed per accidens accepta propter diuinam miſericordiam modo explicato in tota diſputatione 16. & infrà diſputatione 22. præſertim ſect. 3.

7. *Secundus, auxilia gratia facienti quod in ſe eſt infallibiliter tribuenda. Quidam meritum congrui interuenire putant.* Secundus articulus eſt, auxilia gratiæ infallibiliter eſſe tribuenda homini facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, & per opera virtutum moralium. Quem articulum limitant aliqui, dicentes, non continuò ac ſine mora iuſtificationem ſequi infallibiliter. Inſuper quidem meritum de congruo interuenire putant, vt facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ conferantur auxilia gratiæ. Alij quodlibet meritum ex viribus naturæ reſpuentes, dicunt auxilia gratiæ conferri ex mera miſericordia, qua Deus præſtò adeſt cuicunque facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ.

8. *Explicatur. Omnibus confertur præueniens gratia.* Huius articuli pia explicatio hæc eſſe debet. Deus quibuſcunque adultis, ſiue facientibus quod in ſe eſt per vires naturæ, ſiue hoc facere negligentibus, imò committentibus atrociſſima crimina, confert præuenientem & excitantem gratiam ſupernaturalem, paratus conferre gratiam adiuuantem, ſiue cooperantem, & vlteriora auxilia, niſi per liberam hominis negligentiam ſteterit. Cùm igitur Deus omnibus adultis ſine vlla exceptione gratiam præuenientem & excitantem conferat, illam etiam confert facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ.

9. *Obiectio.* Sed obiicies primò Scholaſticos facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ plus aliquid concedere, quàm negligentibus facere, quod in ſe eſt.

Soluitur. Reſpondeo id apertè conſtare ex contextu Scholaſticorum locis citandis in ſequentibus ſectionibus. Nihilominus hic exceſſus eſſe poteſt in eo ſolummodo, quòd pluribus & grauioribus ſceleribus impediunt auxilia gratiæ, qui facere negligunt quod in ſe eſt; atque pauciores opportunitates in eis gratia inuenit, non per ſe datas ab hominibus; ſed per accidens à diuina miſericordia acceptas. Sed è contrario facientes, quod in ſe eſt per vires naturæ, paucioribus leuioribúſque ſceleribus impediti, abundant plurimis opportunitatibus, per accidens à diuina miſericordia accipiendis, vt præcedenti articulo diximus.

10. *Obiectio.* Obiicies ſecundò illos ſaltem Doctores nullam admittere interpretationem, qui dicunt, interuenire meritum congrui, vt facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ, conferantur auxilia gratiæ.

Reſponſio, meritum congrui negatiuè interpretandum. Reſpondeo ſicut in præcedenti articulo, nomen diſpoſitionis interpretati ſumus impropriè & negatiuè, ita in præſenti meritum congrui, quoties apud catholicos & pios Doctores legimus, interpretamur negatiuè: quoniam minus indigni ſunt diuina gratia, minúſque diſtant à congrua ratione accipiendi illam, qui faciunt, quod ex ſe eſt, per vires naturæ; id namque facientes, euitant grauiora impedimenta multorum ſcelerum. Quo ſenſu delicta iuuentutis, & ignorantiæ, & quæ ex bono fine per indiſcretum zelum committuntur, vulgò dicimus veniam mereri, quoniam minus indigna ſunt venia. Sed de faciente, quod in ſe eſt, plura dicemus in diſputatione ſequenti.

11. *Tertius, puer ſe ad Deum conuertens infallibiliter illuminabitur.* Tertius articulus eſt præcedentis quoddam membrum, pertinens ad ſolos pueros, nondum baptizatos, peruenientes ad vſum rationis. De quibus aliqui Scholaſtici Doctores ita decernunt. Si puer nondum baptizatus in primo inſtanti vſus rationis ad Deum ſe per naturalis rationis lumen corde toto conuerterit; vel ſi Deum inuincibiliter ignoret, firmiter ſaltem apud ſe ſtatuat, ſecundùm rectam rationem viuere, declinando à malo, & ſequendo bonum: protinus illuſtrabitur à Deo, atque efficaciter impelletur ad eliciendos eos omnes actus, quibus infallibiliter iuſtificationem conſequatur, antequam peccatum veniale committat.

13. *Impugnatur.* Huius articuli pia interpretatio eadem foret, quæ præcedentis articuli: niſi in eo durior eſſet, quoniam nimia infallibilitate, atque temporis breuitate, non vnum, aut alterum auxilium ſufficiens, ſed omnia prorſus efficacia iuſtificationis auxilia confert puero, facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ: cùm tamen ferè omnibus pueris, qui ante Baptiſmum veniunt ad vſum rationis, eadem auxilia efficacia deneget, ea ratione, quoniam in primo inſtanti vſus rationis non faciunt, quod in ſe eſt, per vires naturæ. Adde quòd in toto Semipelagianorum errore non legitur tantus valor in vno, aut altero actu elicito per vires naturæ, vt tam breui temporo totam iuſtificationem, & omnes actus ad illam requiſitos integrè, & efficaciter obtineat.

14. *Piè explicari poteſt.* Occurrit autem modus interpretandi, non vt verus ſit iſte articulus (quem in 1. 2. de veniali peccato diſputantes impugnauimus ex profeſſo,) ſed vt non ſit Semipelagianus: nimirum, ſi illius authores exiſtiment, omnes pueros ſiue per vires naturæ faciant, quod in ſe eſt, ſiue non faciant, in primo inſtanti vſus rationis excitari ſupernaturali gratia præueniente, & in promptu illis offerri parata cætera omnia auxilia, quibus efficacitèr obtinetur iuſtificatio integra: inſuper eum puerum, qui per vires naturæ fecerit, quod in ſe eſt, non impedire ſeipſum, ne excitanti primæ gratiæ cooperetur: proindéque protinus cooperari gratiæ cuicunque ſibi à Deo paratæ ad integram iuſtificationem obtinendam. Cui explicationi locum dedit S. Thomas de veritate, quæſt. 14. art. 11. ad primum, & fuſiùs in 3. contra Gentes cap. 159. poſt med. & ab illa parum diſtant recentiores aliqui Thomiſtæ, referendi ſectione 6.

15. *Quartus, ſine gratia non fit actus moraliter bonus.* Quartus articulus partim ab errore Maſſilienſium plus nimis, partim verò minus quàm par eſſet, recedit. Nam aliqui ſupra modum extenuantes vires liberi arbitrij aſſerunt, nullum actum ex omni circumſtantia moraliter bonum fieri poſſe abſque gratiæ ſupernaturali auxilio; ſed aliunde eiuſmodi actus moraliter bonos, & entitatiuè naturales plus nimio extollunt, vt poſſint eſſe iuſtificationis initium, merendo de congruo, impetrando, aut diſponendo. In hac ſententia nihil notari poteſt, quod propriè ad Maſſilienſium errorem pertineat: illi namque nunquam locuti ſunt de actu moraliter bono elicito per auxilium gratiæ ſu-

Digitized by Google

pernaturalis; ſed ſolummodo egerunt de nudis viribus liberi arbitrij, præbentibus iuſtificationis initium. Cæterùm veritati, atque doctrinæ Auguſtini, & aliorum Patrum non eſſe congruentem prædictam ſententiam, oſtendemus infià diſput. 23.

16. *Alius articulus dolor de peccatis proximè diſponat ad gratiam.*

Dico tertiò. Reſtant articuli duo, qui partem aliquam Semipelagiani erroris iam apertè continent, vt nullam interpretationem admittant. Alter in eo differt à præcedentibus articulis, quoniam illi tractant de diſpoſitione, ad obtinendam quancumque gratiam auxiliatricem, etiam illam, quæ fidem præcedit: ſed præſens articulus ſolummodo agit de diſpoſitione immediata, ad recipiendam gratiam iuſtificantem, ſuppoſita fide, & ſpe. Aſſerit ergo, fidelem hominem per ſolas vires naturæ poſſe de peccatis ſupra omnia dolere propter Deum ſummè dilectum, & hunc dolorem eſſe ſufficientem & vltimam diſpoſitiooem ad gratiam, habitualiter iuſtificantem; quamuis non merito condigni, ſed congrui.

17. *Impugnatur.*

Hæc ſententia, quamuis quoad initium iuſtificationis præcisè conſideratum, nihil habeat cum Semipelagianis commune: nihilominus quantum ad augmentum fidei, & iuſtificationis, hoc eſt, quantum ad remiſſionem peccatorum, atque quantum ad electionem ad gratiam iuſtificantem, & ad gloriam, coincidit cum parte illius erroris, vt facilè conſtabit repetenti, quæ diximus diſputatione 14. ſect. 4. Nunc ſatis ſit attigiſſe definitionem Concilij Tridentini in ſermone 6. canone 3. ſumptam ex Mileuitano, & Arauſicano, ſecundùm quam ad ſperandum, diligendum, & pœnitendum, ſicut oportet, præueniens Spiritus ſancti inſpiratio, atque adiutorium requiritur non minus, quàm ad credendum. Rurſus præter harum virtutum actus, nullas alias diſpoſitiones requiri ad obtinendam gratiam iuſtificantem, certum eſt; exceptiones verò, quæ à quibuſdam Doctoribus fiunt vel pro caſu neceſſitatis, vel pro iuſtificatione cum Sacramento, ſunt prorſus improbabiles; quoniam fundamenta Conciliorum & Patrum, quæ in præcedentibus diſputationibus retulimus, aut ſemper, & in quocunque caſu conuincunt, aut nullam prorſus vim habent; de quo non eſt locus ampliùs diſſerendi.

Quorumdam exceptiones improbabiles.

18. *Alter: ante iuſtificantem gratiã nihil ſupernaturale concedit.*

Alter articulus maiorem craſſioremque partem Semipelagiani erroris continet, quoniam ante totam gratiam habitualiter iuſtificantem, nihil ſupernaturale prærequirit: de quo dicemus ſect. 3 fine.

19. *Expoſitionis vrgens ratio.*

Dico quartò. Vt omnes catholici Doctores piam aliquam interpretationem admittant in quatuor illis articulis, quos in aſſertione ſecunda retulimus, ratio compellit vrgentior, quàm in vlla re alia, quam meminerim. Probatur primò, quoniam illos articulos tradunt nobiliſſimi quique inter Scholaſticos, quos quia catholicæ doctrinæ propugnatores ſunt, odio ſummo proſequuntur hæretici, & mille calumniis tanquam hæreticos traducere conantur. His autem conatibus quiliber catholicus author totis viribus debet reſiſtere ne hæreticis arma miniſtrans, noſtrorum ducum authoritatem frangat.

20. *Summum Pontificem & ſcholaſticos Pelagiani erroris accuſant hæretici.*

Confirmatur. nam peculiariter propter duos priores articulos de diſpoſitione ad iuſtificationem, & de faciente quod in ſe eſt, per vires naturæ, huius temporis hæretici ſummum Pontificem, & vniuerſos Scholaſticos Pelagiani erroris accuſant, veluti Caluinus lib. 2. inſtitutionum cap. 3. vbi appellat Okamicum dogma. Sed prior Lutherus paucis quibuſdam ſacræ Scripturæ teſtimoniis contendit, cum Chriſto pugnare ſummum Pontificem, & Catholicorum ſcholam, eo quòd doceant, liberum arbitrium ſine gratia poſſe, ad recipiendam gratiam ſe præparare. Hanc imprudentiſſimam calumniam optimè refellit Roffenſis in articulo 36. inter principium & medium. §. *in ſcripturis*, & multis ſequentibus, præſertim §. *ſed iam addu.* & ſequenti. Cæterùm Roffenſis refutatio falſa foret, ſi tota ferè ſchola concederet, diſpoſitionem, quæ poſitiuè & propriè ſit diſpoſitio per ſe conducens ad iuſtificationem, dari poſſe per vires naturæ abſque præuenienti auxilio gratiæ.

21. *2. Ratio ab inconuenienti.*

Probatur ſecundò, quia niſi piè interpretemur prædictos articulos de diſpoſitione ad gratiam, & de faciente quod in ſe eſt, deuoluimur ad inconueniens maximum, videlicet vt fateamur, Eccleſiam penè vniuerſam, & ferè omnes illius Epiſcopos, concionatores, parochos, & magis inſtructam fidelium partem iacuiſſe in errore Semipelagiano per annos trecentos, & eo amplius, cùm ab eadem Eccleſia damnatus eſſet multis retro ſæculis.

Scholaſticorum authoritas plurimum valet.

Probatur conſequentia. Nam optimi quique Epiſcopi, concionatores, parochi, tunc vel maximè tutam eſſe putant, ſuam doctrinam, quando ſentiunt, atque docent populum, quæ in ſcholis didicerunt: in ſcholis autem plurimum valet multitudo & authoritas Scholaſticorum, aliquam ſententiam verbo, aut ſcripto tradentium.

22. *Dei protectio circa Theologorum ſcholam.*

Confirmatur, quia circa vniuerſam ferè ſcholam, & Theologorum communitatem, ne erret, maior eſt diuina protectio & prouidentia, quàm circa paucos aliquos Doctores. Quapropter honorem, atque fiduciam debitam eiuſmodi prouidentiæ deferimus, quando præſumimus rectè in animo ſenſiſſe Scholaſticos, etiam ſi fuerint impropriè locuti.

23. *Tertia ratio à ſimili.*

Probatur tertiò à ſimili. nam in eos errores, ſiue defectus, qui à toto ferè exercitu, vel à tota penè republica florentiſſima committuntur, præſertim quando ſinguli non proprio, ſed prædeceſſorum, & præſentium exemplo ducuntur, clementiores eſſe debent Imperatores, & iudices, quàm ſi ab vno, aut altero viro committerentur: ergo maiori pietate procuranda eſt interpretatio totius ferè theologicæ ſcholæ, in qua plurimi prædeceſſorum, & præſentium opinione ducebantur.

24. *Recentiores interpretantur.*

Ex his colligo, & dico quintò. Tueri non poteſt authoritatem antiquorum, nec eorum ſententias piè interpretari, qui recentiores Scholaſticos Semipelagiani erroris inſimulat, quoniam dixerint, facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ, dari auxilia gratiæ, abſque vllo prorſus merito, impetratione, vel diſpoſitione ex mera Dei miſericordia.

Probatur primò, quoniam veram aliquam explicationem admittunt, minori verborum violentia, minúſque coacto, & improprio intellectu, quàm antiquorum Scholaſticorum verba, quæ ſonitu, & cortice vix differunt à verbis Maſſilienſium.

Proba

25. Probatur ſecundò, quoniam ij recentiores, de quibus loquor, diſertis & perſpicuis verbis reſpuunt & oppugnant Maſſilienſium errorem, & ſingulos illius articulos, quod apud antiquos Scholaſticos vix legitur, niſi valdè breuiter, & obiter factum; idque apud aliquos tantùm.

26. Probatur tertiò, quoniam iidem recentiores tanto ſunt excuſabiliores, quanto plures antiquorum habuere duces impropriæ locutionis, quos ipſi bona ex parte correxerunt, elatius quàm antea explicantes Eccleſiæ definitiones contra Semipelagianos.

SECTIO II.

Sancti Thomæ & Bonauenturæ, & qui illos præceſſerunt, Albertus, Alexander, & vterque Guillermus.

1. AGgredimur iam ſingulorum Scholaſticorum referre ſententias, vt, ipſorum ſcriptis atteſtantibus, conſtet, non fuiſſe imprudentiæ, aut temeritatis fateri, in re tanti momenti tot ac tam præclaros viros aliquando negligentia, & impropria locutione laboraſſe.

2. *S. Thomæ ſententia refertur.* S. Thomas in ſecundo ſententiarum diſtinctione 5. quæſt. 2. articulo 1. tractans de conuerſione Angelorum in Deum, aſſerit, illam potuiſſe fieri, per ſolas vires liberi arbitrij, & per illam ſe diſpoſuiſſe ad gratiam. Addit præterea, ſi homo faciat, quod in ſe eſt, per vires liberi arbitrij, Deus dat illi gratiam. Sed quoniam hæc nonnihil obſcura, & implicita ſunt in contextu, notentur præſertim illa verba, *Sed iſtam gratiam ponere* (ſcilicet gratis datam) *non videtur neceſſarium, niſi ipſa libertas arbitrij gratia dicatur, vel aliquæ occaſiones, quæ interdum dantur hominibus à Deo ad conuerſionem, vt introductio legis, caſtigatio ad humilitatem, & alia huiuſmodi: ſine quibus tamen impoſſibile eſt, gratiam conſequi, quia ſi homo faciat, quod in ſe eſt, Deus dat ei gratiam.* Vnde concludit: *Dicendum, quòd ad eliciendum actum conuerſionis, ſufficit liberum arbitrium, quod ſe ad habendam gratiam per hunc actum præparat, ac diſponit.*

3. Idem S. Thomas in 2. diſtinct. 28. quæſtione vnica, articulo 4. corpore poſt medium, ſic loquitur: *Non oportet, vt actus, quibus homo ſe ad gratiam præparat, ſint naturam humanam excedentes. Sicut enim natura humana ſe habet in potentia naturali ad gratiam, ita actus virtutum moralium ſe habent vt diſpoſitiones naturales ad ipſam; vnde non exigitur lumen gratiæ præcedens.* & poſt pauca: *& ideo, aliis conſentiendo, dicimus, quòd ad gratiam gratum facientem habendam, ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare; faciendo enim, quod in ſe eſt, gratiam à Deo conſequetur. Hoc autem ſolum in nobis eſt, quod in poteſtate liberi arbitrij conſtitutum eſt.*

4. Et ad tertium argumentum docet, ſatis eſſe exteriores occaſiones ſalutis, vt homo faciens, quod in ſe eſt, ad gratiam ſe præparet; neque requiri interius lumen, ſicut de Saulo non dicitur, quòd interiùs fuerit illuminatus; ſed tantùm quòd claritas Dei circumfulſit eum.

5. Vnde clariùs conſtat quod in corpore articuli docuerat, quòd homo ſine gratia Dei non poteſt ſe præparare ad habendam gratiam, gratum facientem, accipiendo gratiam requiſitam pro quocunque excitatiuo voluntatis, homini à diuina prouidentia exhibito. Deus namque pro ſua infinita bonitate omnibus rebus gratis impendit ea, quæ ipſis conueniunt. Præſertim notanda ſunt illa verba: *Nec refert quidquid ſit illud, quod huiuſmodi variationis occaſionem præbeat, quaſi voluntatem excitando; ſiue ſit admonitio hominis, vel ægritudo corporis, vel aliquod huiuſmodi, quæ omnia, conſtat, diuinæ prouidentiæ ſubiecta eſſe, & in bonum electorum ordinata. Vnde quidquid illud fuerit, quod hominem excitauerit ad conuertendum ſe: gratia gratis data dici poteſt, & ſic ſine gratia gratis data, homo ad gratiam ſe non præparat.*

Et in eodem articulo in ſolutione ad quartum ait: *ad gratiam habendam, aliquis ſe poteſt præparare, per id quod in ratione naturali eſt. Vnde dicitur, quòd ſi aliquis, in barbaris natus nationibus, quod in ſe eſt, faciat, Deus ſibi reuelabit illud, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando, vel doctorem mittendo. Vnde ſimiliter homo ſe poteſt præparare ad fidem habendam, ſicut ad alias virtutes & gratiam habendam.* 6.

Et de veritate quæſtione 14. articulo 11. ad 1. *Si aliquis*, ait, *nutritus in ſyluis, ductum naturalis rationis ſequeretur, in appetitu boni, & fuga mali: certiſſimè tenendum eſt, quòd ei Deus, vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret ſicut miſit Petrum ad Cornelium*, Actuum 10. & in ſequenti ſolutione ad 2. ait: *Si nos fecerimus, quod in nobis eſt, vt ſcilicet, ductum rationis naturalis ſequamur: Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis neceſſarium eſt.* 7.

Atque iterum de veritate quæſt. 24. quæ eſt de libero arbitrio articulo 1 ad 2. ait: *Gratiam, quæ opera meritoria facit, quamuis non poſſit homo ex libero arbitrio acquirere; poteſt tamen ad gratiam habendam, ſe præparare, quæ ei adeò non denegabitur, ſi faciat quod in ſe eſt.* 8.

Clariùs adhuc loquitur in articulo 15. eiuſdem quæſtionis in corpore, vbi quamuis requirat eam gratiam gratis datam, quæ ſit diuina prouidentia, dirigens ad bonum; nihilominus non ſupernaturalem, ſed ſolummodo naturalis entitatis, & ordinis directionem, & auxilium requirit, vt homo exteriùs, vel interiùs excitetur ad quærendam gratiam. Præſertim notanda ſunt illa verba, *ſi autem omnibus datur, non videtur aliud eſſe, quam aliquod naturale donum. nam in nullo inueniuntur omnes homines conuenire, niſi in aliquo naturali.* & rurſus illa verba. *Si autem per gratiam gratis datam intelligant diuinam prouidentiam, qua miſericorditer homo ad bonum dirigitur; ſic verum eſt, quòd homo ſine gratia non poteſt ſe præparare ad gratiam gratum facientem.* Atque in prima probatione concluſionis ſub diſiunctione requirit exteriorem admonitionem, aut interiorem inſtinctum, Quapropter hunc interiorem inſtinctum non requirit determinatè, tanquam ſimpliciter neceſſarium in quocunque euentu; ſed ſolummodo exteriori admonitione deficiente. Fateor tamen in ſecunda probatione paulo ampliùs fauere neceſſitati directionis, & gubernationis internæ. 9.

Sic etiam diſiunctim, interiùs, vel exteriùs auxilium prærequirit S. Thomas in 4. diſtinct. 17. quæſt. 2. artic. 2. quæſtiuncula 2. ad 2. dicens: 10.

Ipſa voluntas bona, quæ gratiam gratum facientem præcedit, ex Deo nobis prouenit: qui gratuita ſua voluntate nos ad hoc prouocat flagellis, vel aliquo auxilio interiori, aut exteriori; & in ſolutione ad 4. eiuſdem quæſtiunculæ 2. ait: *Etiam ille qui fidem non habet, poteſt ſe ad fidem habendam præparare, & ad gratiam, ſi ſecundùm ſuam cognitionem peccatum ſibi diſpliceat.* & in toto illo articulo 2. conſtanter defendit huiuſmodi peccati diſplicentiam eſſe præparationem, ſeu diſpoſitionem ad gratiam, ſed non eſſe cauſam gratiæ.

11. Et in primo diſtinct. 41. artic. 3. dicit, opus bonum, præcedens gratiam, non eſſe meritorium eius; ſed tantùm diſpoſitionem ad illam, & ſolutione ad primum ducet, homini *dari gratiam, quia præparauit ſe.* limitat autem, *vt coniunctio, quia, denotet diſpoſitionem, & non cauſam.* Deinde in ſolutione ad ſecundum addit, hanc diſpoſitionem non tollere, quin primus effectus gratiæ detur omnino gratis: quoniam datur abſque meritis, quamuis non detur abſque diſpoſitione. Vnde videtur S. Thom. agere de diſpoſitione, quæ præcedit primam gratiam auxiliatricem, ac proinde agere de diſpoſitione, quæ per vires naturæ concipitur.

12. Idem S. Thomas 1. 2. quæſt. 89. articulo 6. corpore, vt defendat originale peccatum reperiri non poſſe cum veniali peccato, docet, puero, cùm primùm cœperit habere rationis vſum, *cogitandum occurrere, ac deliberandum de ſeipſo, & ſiquidem ſe ipſum ordinauerit ad debitum finem; per gratiam*, inquit, *conſequetur remiſſionem originalis peccati.* & ex contextu manifeſtum eſt, hoc intelligere de quibuſcunque pueris, quantumcunque barbaris, & cuiuſcunque myſterij ſupernaturalis prorſus ignaris. Eamdem ſententiam docet in 2. diſtinct. 42. quæſt. 1. artic. 5. in ſolutione ſeptimi argumenti, & de veritate quæſt. 28. articulo 3. ad 4. quorum verba refert Capreolus in 2. diſtinct. 40. quæſt. 1. art. 3. col. penultima, ad quoddam argumentum 3.

13. In commentario epiſtol. ad Rom. capite 10. lectione 3. prope med. de barbaris nutritis in ſyluis, qui propter inuincibilem ignorantiam excuſantur à peccato infidelitatis, ita loquitur Doctor Angelicus: *Si qui tamen eorum feciſſent, quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam prouidiſſet, mittendo eis prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus Act. 16. Sed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt, quod in ſe eſt, conuertendo ſe, ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt, mouente corda ipſorum ad bonum.*

14. *Retractaſſe ſententiam fatentur eius Diſcipuli.* Rectè ſancti Thomæ diſcipuli communiter reſpondent, retractaſſe priorem ſententiam perſpicuis verbis, & quæ priùs attulerat argumenta diluiſſe in 1. 2. quæſt. 109. art. 6. per totum, & perpendenda eſt ſolutio ad 2. & quæſt. 112. artic. 3. corpore, & ad 1. & articulo 2. corpore, & ad 1. vbi docet non dari infallibiliter gratiam homini facienti, quod in ſe eſt, ex viribus naturæ tantùm; ſed facienti, quod in ſe eſt, ex viribus ſupernaturalibus: nullámque præparationem, aut diſpoſitionem ad gratiam, aut meritum illius exiſtere per ſolas vires naturæ. & 2. 2. quæſtione 10. articulo 4. fine docet, Cornelium non ſine fide ſupernaturali & operibus, ex illa procedentibus, meruiſſe, vt ad illum mitteretur Petrus. Quæ doctrina euertit præcipuum fundamentum, quod attulerat de veritate quæſt. 14. artic. 11. ad primum & ſecundum de puero, in ſyluis nutrito. Quapropter illam ſententiam tacitè retractat, & tertio contra Gentes cap. 159. nihil amplius tribuit libero arbitrio, niſi vt liberè poſſit impedire, vel non impedire gratiam.

Prædictam ſententiæ mutationem opponit 15.
Durandus 2. diſt. 28. quæſt 5. num. 5. agnoſcunt Capreolus eadem diſtinct. prope finem, illius. Deza in 2. diſtinct. 29. art. 1. fine. Caietanus 1. 2. quæſt. 109. art. 6. §. *nec obſtat*. Soto lib. 2. de natura & gratia cap. 3. & alij communiter: quamuis aliqui ex recentioribus interpretari conentur, & quidem piè, & probabiliter, quod attinet ad expoſitiones datas ſect. præcedenti num. 6. & 8. & 14. quas etiam expoſitiones attigit Caietanus dicta quæſt. 109. art. 6. versùs finem, ſed non ad vnguem explicuit; vt notabimus ſect. ſequenti num. 12. & ſequentibus.

Illud tamen admiror magis quod S. Thomas 16.
in quæſt. 111. articulo 5. ad 2. ait: *Per gratiam gratis datam homo non poteſt cauſare in alio coniunctionem ad Deum, quam ipſe habet per gratiam gratum facientem; ſed cauſat quaſdam diſpoſitiones ad hoc.* Perpende primò diſpoſitiones quas per gratiam gratis datam vnus homo immediatè cauſat in alio, non eſſe ſupernaturales, ſed merè naturales, vt ex parte dicemus diſputatione 39. Quapropter neque gratiam excitantem, neque aliquem illius effectum cauſare poteſt, ſed ſolam naturalem cognitionem, & amorem poteſt homo excitare, proponendo motiua per ſenſus, & nihil interiùs operando.

Secundò hinc conſtat naturalem cognitio- 17.
nem & amorem, à ſancto Thoma hoc loco diſpoſitiones appellari; quod ſi recuſaueris concedere, inde ſequetur, intelligi à ſancto Thoma ſupernaturales diſpoſitiones fidei, ſpei & pœnitentiæ, quas vnus homo cauſet in alio ſuis exhortationibus & doctrina, quatenus Deus ad illorum præſentiam interiùs per gratiam operatur. Vnde faciliùs infertur concedi poſſe eumdem hominem ſeipſum exhortando per naturalem diſcurſum in ſeipſo cauſare prædictas diſpoſitiones fidei, & charitatis, quatenus Deus ad præſentiam illius exhortationis & diſcurſus naturalis interiùs operatur per gratiam. Itaque quocunque modo interpreteris S. Thomam, oportet valdè impropriè accipi aut verbum cauſandi, aut nomen diſpoſitionis.

Tertiò perpende in fulgentiſſimo lumine 18.
Theologiæ tam breui interuallo quæſtionum, *Credi non*
non eſſe veriſimile per obliuionem, aut inco- *poteſt.*
gitantiam accidiſſe, vt quæ in quæſtione 109. articulo 6. rectè docuerat, non aduerteret in quæſtione 111. articulo 5. nec expungeret, aut emendaret in ſequenti quæſtione 112. artic. 2. & 3. iterum de eadem materia rectè & ſecundùm theologicam proprietatem diſputans. Vnde conſequens eſt, S. Thomam quocunque tempore ſuæ vitæ non multum abhorruiſſe ab illo modo loquendi improprio, quem illa Scholaſticorum ætas ferebat. & de ſancto Thoma hactenus.

Sanctus Bonauentura pro cæteris Scholaſti- 19.
cis ſemper conſtantiſſimus fuit, in aſſerenda *Præuenientis*
neceſſitate præuenientis gratiæ gratis datæ, vt *gratiæ neceſſitatem aſſe-*
ſeipſum homo ad gratiam gratum facientem *ruit Bona-*
præparet; ſine qua gratia gratis data, quan- *uentura.*
tumcuo

Digitized by Google

tumcumque homo faciat, quidquid in ſe eſt, nihil proficit ad obtinendam gratiam, vt conſtar in 2. diſtinct. 26. quæſt. vltima, & diſtinct. 28. articulo 5. quæſtione 1. ad 4. & articulo 2. quæſtione 1. corpore, & ad 3. & 4. & in lib. 4. diſtinct. 15. in 1. parte diſtiuctionis articulo 1. quæſt. 5. corpore.

20. *Non diſſidet à mente S. Thomæ.* Quapropter S. Bonauentuta in modo loquendi non parum diſcrepat à S. Thoma locis ſuprà citatis ex 2. ſentent. diſtinctione 28. & ex quæſtionibus de veritate 14. & 24. Nihilominus ſi attentiùs S. Bonauentura conſideretur, vix, aut ne vix quidem diſſidet à mente S. Thomæ. nam in dicta diſtinctione 28. articulo 2. quæſtione 1. ait: *Vocatur hic gratia gratis data, quidquid illud ſit, quod ſuperadditum eſt naturalibus, adiuuans aliquo modo, & præparans voluntatem ad habitum, vel vſum gratiæ; ſiue illud gratis datum ſit habitus, ſicut timor ſeruilis, vel pietas aliquorum viſceribus inſerta ab infantia; ſiue ſit etiam aliquis actus, ſicut aliqua vocatio, vel locutio, qua Deus excitat animam, vt ſe præparet.* Et de huiuſmodi gratia gratis data declarat intelligendum eſſe, quod concludit liberum arbitrium ſine gratia, non poſſe ad gratiam gratum facientem ſe diſponere. Ac prope finem quæſtionis docet eſſe donum Dei, & gratiam gratis datam, cognoſcere, quòd culpa ſit offenſiua Dei, ex quibus, & ex toto illius quæſtionis contextu colligitur, ſub *Quid nomine gratiæ gratis datæ comprehendat.* nomine gratiæ gratis datæ, quæ ſufficit ad eiuſmodi gratiæ diſpoſitiones excitandas, S. Bonauenturam comprehendere quaſcunque cogitationes, & affectus, quæ fuerint moraliter honeſti, præſertim ſi expreſsè verſentur circa Deum: & inſuper quemcumque habitum aut motionem, quæ ad tales cogitationes, & affectus inclinauerint, etiamſi non excedant ductum rationis naturalis, ſed cenſentur à Deo, vt authore boni moralis.

21. Confirmatur, quoniam hic erat modus ſentiendi communis Scholaſticorum ætatis illius, à quibus Bonauentura didicerat Theologiam, vel cum quibus in ea docenda concurrebat. Ab iis verò ſi diſcrepare voluiſſet Doctor Seraphicus, debuiſſet clariùs explicare, quid ſibi de communi ſententia minimè probaretur, atque argumentis oſtendere, ſe non arrogantia, aut tantorum virorum contemptu, ſed rationis pondere coactum diſſenſiſſe.

22. *Albertus quid ſenſerit.* Albertus 2. parte quæſtione 18. prope finem docet, Angelos per vires naturæ elegiſſe bonum, & ea electione de congruo, meruiſſe gratiam, & in 2. diſtinctione 28. articulo 1. ad 4. ait: *In nobis eſt, aliquid facere, quo facto habeamus poteſtatem ex gratia. Hoc autem eſt facere, quod in nobis eſt; quia ſi hoc fecerimus, Deus ineuitabiliter dat gratiam, quia ipſe vno modo ſemper ſe habet ad nos, ſcilicet gratiam porrigendo; ſed nos non vno modo habemus nos ad eum, quando auertimur. Sed ſi conuertimur, faciendo quod in nobis eſt, ſtatim accipimus.*

23. *Gratiæ neceſſitatem adſtruit.* Cùm tamen idem Albertus 2. parte quæſt. 100. membr. 1. teſtetur, *profanum eſſe dicere, niſi quòd gratia ſemper præuenit voluntatem, & erigit eam, vt velit bonum.*

24. *Alexandri mens.* Alexander 3. parte quæſtione 69. memb. 5. articulo 5. §. 1. corpore, & ad 1. docet, Deum facienti quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, conferre gratiam, non ex merito condigni, neque congrui, ſed ex merito interpretatiuo. Eſt autem meritum interpretatiuum, quando Deus *Meritum interpretatiuum quid.* ex mera liberalitate ſua, ſine aliquo merito, ex parte hominis, exhibet donum ſuum perinde, ac ſi homo meruiſſet. Rurſus in artic. 3. eiuſdem membri 5. in corpore articuli ait: *Immutabiliter ſe habet diuina bonitas ad donum gratiæ omni volenti recipere, faciendo quod in ſe eſt; qua neceſſitate nulli negat ſe. Concedendum igitur eſt, quod ſi homo faciat, quod in ſe eſt, Deus dat ei gratiam neceſſario, id eſt, immutabiliter, ſicut Sol immutabiliter dat donum ſuum omni volenti recipere.* Hanc infallibilitatem diuinæ legis & neceſſitatem confirmat in ſolutionibus argumentorum. Sed in ſolutione ad 5. eiuſdem articuli 3. videtur hoc totum reducere ad remotionem impedimenti.

Nihilominus ad 6. argumentum perſpicuè declarat poſitiuas actiones moraliter bonas naturæ lumine excitatas, ſufficere, vt illis poſitis, conferatur gratia, dicens: *Ad videndum, quid eſt, facere, quod in ſe eſt, notandum quòd in quolibet homine per naturam eſt recta ratio, & hæc rectitudo boni eſt notio, indita à creatione, qua quælibet anima poteſt cognoſcere ſuum principium, ſcilicet, Deum; per hoc enim, quod quilibet homo naturaliter ſcit, ſe non ſemper fuiſſe, ſcit ſe factum eſſe: & ita ſcit, ſe habere principium, & ſcit quòd ab illo principio habet, quidquid habet, & non à ſe: & ſcit quòd ab illo debet petere bonum. Si ergo ſecundùm iſtam notionem operetur homo ſuo arbitrio, recurrendo ad illum, quem ſcit, ſuum eſſe principium, & quem ſcit, eſſe orandum ſibi, & petat ab eo lumen cognitionis fidei, & boni dabitur ei.* Hæc poſtrema verba ſunt præcipuè ponderanda, & comparanda cum præcedentibus. 25.

Atque in eadem quæſtione 69. memb. 3. articulo 3. prope finem, dixerat Alexander: *Actio liberi arbitrij hominis, exiſtentis in peccato mortali, quando mouetur ex recta intentione, & facit, quod in ſe eſt, & Deus dat illi gratiam: non præcedit gratiam, vt meritum, ſeu meritoriè; præuenit tamen illa actio gratiam, vt diſponens ad ipſam.* Sic etiam 1. parte quæſtione 28. memb. 3. artic. 5. ad 1. docet, *hominem facere poſſe aliquid, quod facto habeat gratiam.* 26.

Secunda parte quæſtione 129. memb. 8. §. 1. de puero prorſus ignorante fidei myſteria, reſpondet: *Cùm talis peruenerit ad adultam ætatem, habet potentiam credendi omnino; quia ſi facit, quod in ſe eſt, Dominus illuminabit illum per occultam inſpirationem, aut per Angelum, aut per hominem.* & poſt pauca: *facere quod in ſe eſt, eſt vti ratione, per quam poteſt comprehendere Deum eſſe, & inuocare adiutorium Dei.* 27.

Ex quibus conſtat, quomodo Alexander intelligat catholicum dogma, quod in 3. parte 28. *Docuit catholicum dogma.* quæſtione 69. citata, memb. 1. artic. 2. corpore docuit; videlicet, *nullos eſſe conatus liberi arbitrij ad bonum, niſi excitentur à gratia.* Ipſam cogitationem bonam, & voluntatem credendi, quæ fidem præcedit, hoc modo eſſe à Deo, fatetur in memb. 3. art. 3. verſùs finem, & conſonat in ſequenti quæſt. 70. memb. 3.

Guillelmus Pariſienſ. in 1. parte verſùs finem 29. tractat. de meritis columna 4. quæſtionem proponit. *De Angelis ſanctis, aut Adam & Eua in ſtatu innocentiæ, vtrùm, cùm ex viribus ſuis naturalibus ſoli Deo ſeruirent, aliquid apud ipſum Deum mererentur ex merito, vel condigno?* & reſpondet, *Manifeſtum eſſe, quia Deum ſibi facerent debito-*

rem, & hoc ex illa promiſſione, quam veriſimile eſt, ſcriptam eſſe in cordibus eorum naturaliter. Non enim dubitat naturaliter mens humana, quin Dei bonitas adeo profuſa beneficentiæ ſit, vt qui prærogauit nondum ſeruientibus naturalia, addat ſeruientibus ampliora. Et ex præcedenti ſequentique contextu conſtat, Guillelmum agere non de merito alicuius præmij naturalia, ſed de merito in ordine ad gratiam.

30. Atque gratiam operantem non ſemper eſſe internam inſpirationem, ſed admonitiones externas eſſe ſatis, ſupponit apertè in eodem tractat. de meritis colum. penultima illis verbis: *In nobis Deus operatur opera ſua, & noſtra, non tam præſtando virtutem, facultatem, & opportunitatem; quàm etiam excitando foris doctrinis, & prædicationibus, & beneficiorum conſolationum inuitationibus, flagellorum quoque ſtimulationibus, & interdum compulſionibus, & internis inſpirationibus,* & cæteris.

Gratiam operantem docet quandoque eſſe admonitiones externas.

Ita legit meus Codex.

31. Denique ſecundùm hunc modum operantis & excitantis Dei, valde conſequenter idem Guillelmus exiſtimat nullum motum eſſe ſolius liberi arbitrij & naturalem, *niſi eum, qui non refertur ad Dei honorificentiam, vel gloriam, nec ad ſalutem propriam; ſicut ambulare, comedere, & bibere.* Cæteros alios motus, ait, procedere primatiù à gratia operante, imperante, & emanante illos.

32. Guillelmus Altiſiodorenſis lib. 3. tractat. 2. qui eſt de virtutibus cap. 1. quæſtione 5. ex profeſſo quæſtionem tractat, vtrùm hæc argumentatio ſit neceſſaria. *Iſte facit, quidquid in ſe eſt; ergo Deus dat illi gratiam;* & reſpondet affirmatiuè. Atque in fine ita concludit: *licet det ſæpè gratiam iis, qui non faciunt quod in ipſis eſt: tamen ei, qui facit quidquid in ſe eſt, ſemper dat gratiam, aliter non reciperet confugientes ad ſe.* Atque negare miſericordiam facienti, quod in ſe eſt, impoſſibile eſſe, ſicut Deum negare ſe ipſum. Inſuper in eodem tractat. 2. quæſt. 8. in principio aſſeruit, peccatoris bona opera valere ad habilitatem gratiæ.

Altiſiodorenſis mens.

33. Obiicies tamen. Altiſiodorenſis in toto illo tractatu non explicat, vtrùm loquatur de facientе quod in ſe eſt, per ſolas vires naturæ ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis; quin potiùs in lib. 2. Summæ tractat. 11. cap. 1. quæſt. 4. dixerat, *non poſſe nos ſine gratia gratis data, aliquod bonum operari.* & in lib. 3. tractat. 2. quæſtione 5. nuper citata docet, Deum ſtare ad oſtium, & pulſare, vt cuicunque facienti, quod in ſe eſt, atque hoc modo aperienti, gratiam præbeat. Ergo Altiſiodorenſis de initio iuſtificationis propriè, atque exactè loquutus eſt.

Obiectio.

Reſpondetur, Altiſiodorenſis nomen gratiæ gratis datæ extendit, vt comprehendat quamcumque diuinam influentiam, quamuis naturæ proportionatam, ac proinde ſuo modo debitam viribus naturæ; ſic enim lib. 2. tractat. 11. capite 1. quæſtione 4. nuper citata, explicat, dicens: *Si gratia largè ſumatur pro omni gratis dato à Deo, bene concedimus quòd liberum arbitrium non poſſit in opere de genere bonorum ſine gratia.*

Soluitur.

SECTIO III.

Antiquiores diſcipuli S. Thomæ quid in eadem controuerſia ſenſerint.

SAnctus Antoninus 1. parte tit. 4. cap. 2. §. 2. ad finem ait: *Licèt gratiam, qua poſſit homo meritoria opera facere, non poſſit quis ex libero arbitrio promereri, ſeu adquirere; poteſt tamen ad eam gratiam habendam ſe præparare: quæ ei à Deo non denegabitur, ſi faciat quod in ſe eſt,* & ex ſequenti contextu conſtat etiam, quod loquitur de præparatione per virtutes politicas, ad quas ſufficit poteſtas arbitrij, & in eadem 1. parte tit. 13. cap. 2. §. 3. ad finem docet iuſtificantem gratiam eſſe conferendam puero, ad vſum rationis peruenienti, ſi ſe ordinauerit ad debitum finem, ſecundùm quod in illa ætate eſt capax diſcretionis. 1.

Nihilominus idem Antoninus 4. parte tit. 9. cap. 5. §. 4. rectè ſentit de neceſſitate præuenientis gratiæ, vt homo ſe præparet ad gratiam, & quod dicitur, facienti, quod in ſe eſt, non denegari gratiam, atque in poteſtate hominis eſſe, obtinere gratiam, explicat, intelligendum eſſe, *in quantum homo eſt motus à Deo.* Cæterùm motionem hanc videtur intelligere vt cæteri Scholaſtici, in præcedenti ſectione citati, niſi priorem ſententiam mutauerit. 2.

Rectè ſentit.

Rainerius in Pantheolog. verbo *prædeſtinatio.* cap. 2. propè med. ait: *Licèt aliquis ſua virtute non poſſit cauſare gratiam, quia hoc ſolius eſt Dei: tamen poteſt aliquis facere quantum eſt in ſe; quo facto Deus de congruo ſibi infundet gratiam, ſicut aliquis aperiendo feneſtram, facit quod illuminetur domus.* Eidem ſententiæ fauet in verbo *ſpes* cap. 3. in medio. Clariùs tamen hanc ſententiam de faciente, quod in ſe eſt ex viribus naturæ, tenet idem Rainerius verbo *gratia,* toto capite 3. ſecutus ſanctum Thomam de veritate, quæſt. 24. & 2. diſtinct. 28 & Alexandrum; quorum verba ſuprà retulimus in ſectione 2. eamdémque ſententiam tradit Rainerius in verbo, *liberum arbitrium,* cap. 4. & cap. 10. poſt med. & verbo, *liberatio à peccato,* capite 23. 3.

Nec obſtat quòd poſtea cap. 24. initio dicat, in præparatione ad gratiam hominis voluntatem eſſe pediſequam gratiæ; & poſt med. eiuſdem cap. 24. dicat *præparare ad gratiam eſſe Dei, principaliter operantis, & mouentis liberum arbitrium, & pulſantis ad oſtium.* at verò liberi arbitrij eſſe quaſi conſentientis, & aperientis ianuam, & cooperantis. hæc, inquam, non obſtant, quia in eodem verbo *liberatio à peccato* in cap. 21. explicuerat indifferenter, atque diſiunctim auxilium exterius, vel interius prærequiri, quo Deus nos prouocat, ſecutus ſanctum Thomam in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 2. 4.

Ægidius in 2. diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 2. in fine ait: *Poſſumus facere, quod in nobis eſt: quod faciendo, etſi non ex condigno, tamen ex congruò Dominus dabit nobis gratiam,* & quamuis in ſequenti art. 3. corpore poſt med. expreſsè doceat, *niſi præcedat diuina vocatio, & bonarum cogitationum à Deo immiſſio; non poſſe per liberum arbitrium nos ſufficienter mouere ad gratiam.* 5.

Nihilominus in ſequenti art. 4. in dubio laterali propè initium explicat; *quando Deus immiſit nobis bonas cogitationes, ſiue per Scripturam ſacram, ſiue per prædicatores, & rectores, ſiue per ſeipſum, loquendo nobis interiùs,* iam eſſe datam vocationem 6.

Supernaturalem impulſum non putat neceſſarium.

cationem & motionem, ſeu inſpitationem Dei, & tales cogitationes poſſe vocari dininam gratiam: eámque ſatis eſſe, vt velimus eam ſequi ad obtinendam gratiam: quamuis vt gratiam conſequamur, requiratur vlterior alia vocatio. Ex illa ergo diſiuncta ptopoſitione, quam nuper retulimus, conſtat, intetiorem impulſum ordinis ſupernaturalis ab Ægidio non reputari ſimplicirer neceſſarium, vt homo faciat, quod in ſe eſt, ad obrinenda ſupernaturalia auxilia. Hanc eſſe mentem Ægidij clariùs conſtat ex eodem in 2. diſtinct. 5. quæſt. 2. attic. 1.

7. Paludanus in 4. diſtinct. 14. quæſtione 2. quaſi attritionem vtilem ad iuſtificationem, admittit pœnitenriam virtutem motalem adquiſitam abſque omni habitu, & videtur ſentire, huiuſmodi naturalem pœnitentiam poſſe contingere ita perfectam ex omni circumſtantia, vt ſtatim infundatur gratia. In quo ſubſcribit opinioni Durandi, quam fusè diſcutit. Fateor tamen illius quæſtionis diſcurſum quantum ad hunc articulum, eſſe valde implicatum, & obſcurum.

8. Capreolus ſemper profiteiur ſententiam ſancti Thomæ in 1. 2. quæſt. 109. art. 6. & quæſt. 112. artic. 2. & 3. de neceſſitate motionis gratuitæ, vt homo poſſit ſe ad gratiam præparare, faciendo quod in ſe eſt, vt conſtar in 2. diſtinct. 28. articulo 1. conc. 5. atque in fine totius diſt. 28. ait, non ſufficere bonum morale, quod nihil babeat de grattuito, nec tendat in aliquid ſupernaturale; & ſequenti diſtinct. 29. articulo 1. con. 4. in medio ait, non ſufficere influentiam generalem, ſed requiri auxilium gratiæ ad bonum, quod excedit naturæ humanæ facultatem: atque vt hanc ſententiam retineat, nullum admittit teſtimonium S. Thom. in libris ſententiarum, quamuis ibi conttarium docuerit ſui temporis magiſtros ſecutos: vt videre eſt prope finem diſtinct. 28.

9. *Labitur in eam quam reiecit ſententiam.* Nihilominus magna ex parte relabitur Capreolus in eandem ſententiam S. Thomæ iunioris, quam reiecerat. Etenim in 2. diſtinct. 29. articulo vltimo, colum. penultima, refert verba S. Thomæ in 2. diſtinctione 28 quæſt. 1. artic. 4. dicentem eam gratiam, quæ requiritur, vt homo ſe ad iuſtificantem gratiam præparet, eſſe gratiam gratis datam. *Qualis eſt*, inquit, *ipſa diuina prouidentia, quæ omnibus rebus gratis impendit, quæ illis conueniunt: nec differre quidquid illud ſit, quod huiuſmodi variationis* (qua peccator in Deum conuertitur) *occaſionem præbeat, quaſi voluntatem excitando; ſiue ſit ægritudo corporis, vel quidquid huiuſmodi*, & reliqua quæ ibi Capreolus refert, & defendit tanquam rectè explicantia non generalem, ſed ſpecialem motionem gratuitam, quæ requiritur vt homo ſe ad gratiam præparet. Vnde conſtar, Capreolum nondum agnouiſſe neceſſitatem interioris motionis, cuius entitas ſit quidditatiuè ſupernaturalis, ſed exiſtimaſſe, ſufficere motionem per externa motiua excitantia; & quidquid diuina prouidentia ordinauerit ad bonum prædeſtinatotum, etiamſi, quantum ad ſuam entitatem, non exceſſerit vires naturæ.

10. Idem Capreolus in 2. diſtinctione 40. articulo 3. versùs finem ſequitur ſancti Thomæ ſententiam de puero, faciente quod in ſe eſt, & de conuertente ſe ad Deum; cui ſtatim concedenda ſit gratia; vt retulimus ſectione 2. numero 12. fine. Vide quæ notabimus in num. 12. fine.

Deza in 2. diſt. 28. art. 1. con. 4. rectè docet hominem abſque ſpeciali, & gratuito auxilio Dei, non poſſe ad gratiam habitualem ſufficienter ſe præparare. Cæterùm, dum eamdem concluſionem explicat, & confirmat in art. 3. notab. 6. poſt med. ſequitur eam doctrinam, quam ex S. Thoma de verit. quæſt. 24. art. 15. retulimus in ſect. 2. num. 9. Vnde conſtat Dezam non requirere motionem interiorem, quæ ſit entitatis ſupernaturalis; ſed quaſi ſufficientem admittere quancunque excitantem, factam à diuina prouidentia, ſiue per exteriora, ſiue per interiora motiua, quamuis excitatio fuerit entitatis naturalis. Cui doctrinæ conſonant quorumdam argumentorum ſolutiones, quas ſubdit in art. 4. 11. *Prius rectè ſentit.* *Poſt eamdem docet ſententiam.*

Peculiariter notandum eſt quod reſpondet ad primum argumentum Durandi contra quartam concluſionem, vbi ait, exemplum à Durando inductum de anima rationali, ad quam recipiendam diſponit naturale agens, eſſe aptum, ad explicandam neceſſitatem diuinæ motionis ſpecialis, vt homo ſe ad gratiam præparet: *quoniam propria* (inquit) *& vltima diſpoſitio ad animam rationalem à Deo fit, & ſimul cum anima rationali introducitur.* Vbi cùm nihil meminerit remotæ diſpoſitionis, quam naturale agens introducere poteſt: videtur tacitè admittere, non eſſe inconueniens, vt abſque auxilio gratiæ introducatur remota diſpoſitio ad illam: præſertim quoniam de diſpoſitione ad gratiam concludit his verbis: *propria & vltima diſpoſitio ad gratiam facultatem excedit liberi arbitry.* Atque eadem videtur eſſe ratio, propter quam in art. 1. conc. 4. non abſque limitatione decreuit, hominem non poſſe ad gratiam ſe præparare: ſed limitationem addidit, dicendo, *ſufficienter præparare*, ſed inſufficientem præparationem nullibi negat, idque abſque temeritate affirmare poſſum. 12. *Diſpoſitionem gratiæ comparat cum diſpoſitione animæ.*

Hanc doctrinam de vltima diſpoſitione ad animam rationalem comparata cum diſpoſitione vltima ad gratiam, prior innexit Capreolus in 2. diſtinct. 28. propè finem, reſpondens ad argumenta contra quintam concluſionem. *Eodem exemplo vſus Capreolus.*

Denique tam Capreolus, quàm Deza deprimunt gratiam, quæ requiritur ad iuſtificationis initium, vt ſolo ferè nomine ſit gratia. Nam probant ſententiam Gregorij Ariminenſis de neceſſitate motionis ſpecialis Dei, ad quemlibet actum ſimpliciter honeſtum ex omni circumſtantia, quam referemus ſect. ſequenti num. 18. Hanc ſententiam ſequuntur Capreolus 2. diſt. 28. quæſt. vnica, art. 3 ad 15. argumentum, & Deza in eadem diſtinct. quæſt. vnica, art. 1. concl. 2. *Vterque deprimit gratiam.*

Caietanus 1. 2. quæſt. 89. art. 6. non ſolùm ſupponit tanquam verum quod S. Thom. ibi docet de puero, qui ad vſum rationis perueniens, ſi ſeipſum ordinauerit in debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati: ſed etiam Caietanus oſtendit eſſe naturalem vim & rationem, ob quam eo tempore primùm occurrat puero, deliberare de ſeipſo, & conuertere ſe ad vltimum finem: vt conſtat præſertim §. *ad cuius euidentiam*, & ſequentibus. Itaque per vires naturæ, & per euidentiam naturalem, deducit totam excitationem, atque motionem pueri, vt ſe ordinet ad debitum finem. 13. *Deficit à vera doctrina Caietanus.*

Et in quæſtione 109. articulo 6. quamuis veram illius articuli doctrinam amplectatur; nihilominus ab ea parte deficit, in §. *nec obſtat*,

ita ſcribens: *Quod communiter dicitur, quòd homo, faciendo quod in ſe eſt, diſponit ſe ad gratiam; intelligitur de diſpoſitione, & præparatione, non ſimpliciter, ſed quantum eſt ex parte ſua: & rurſus de diſpoſitione ſimpliciter accipiendo, intelligitur, vt faciat quod in ſe eſt, motus ſpecialiter à Deo.* Vnde primò conſtat, quæ non fuerit ſimpliciter diſpoſitio, ſed tantùm ſecundùm quid, & quantum eſt ex parte hominis, eam diſpoſitionem præſtari poſſe ab homine faciente quod in ſe eſt per vires naturæ, abſque ſpeciali motione Dei. Secundò colligitur, in eadem ſententia Caietani non eſſe prorſus nihil; ſed eſſe aliquid in genere diſpoſitionis ad gratiam illud, quod homo præſtat faciendo quod in ſe eſt per vires naturæ. Alioqui abſolutè falſa eſſet illa propoſitio: Homo faciendo, quod in ſe eſt, diſponit ſe ad gratiam, quantum eſt ex parte ſua; ſicut falſa eſt hæc propoſitio: Homo diſponit ſe, vt ſit ſubſtantialiter Angelus, vel Deus, quantum eſt ex parte ſua; & falſitatis ratio eſt, quia homo ex parte ſua nihil eſt in genere diſpoſitionis, vt ſit Deus, vel vt ſit Angelus. Tertiò. Hæc fuit occaſio, propter quam authores aliqui Caietano adſcribunt opinionem, quæ remotam & indirectam diſpoſitionem ad gratiam concedit, viribus liberi arbitrij comparari poſſe. His conſequenter præceſſit in eadem 1. 2. quæſtione 111. articulo 5. ad 2. vbi cùm ſanctus Thomas aſſerat, diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, cauſari poſſe ab vno homine in alium per gratiam gratis datam; Caietanus nihil ſuæ menti contrarium animaduertit explicatione indigens: ideóque nihil ſcripſit ad temperandam diſpoſitionis appellationem. Vide quæ diximus ſect. 2. numero 16.

15. *Propius ad Maſſilienſes accedit.* Cæterùm adhuc propius ad partem quandam Maſſilienſis dogmatis acceſſit in tom. 1. opuſcul. tractat. 4. quæſt. 1. de contritione, præſertim §. *ex quibus*, collato cum fine corporis, vbi exiſtimat attritionem adquiſitam fieri diſpoſitionem vltimam ad gratiam per hoc ſolum, quòd Deus vtitur illa: non quidem illam intrinſecè perficiendo; ſed extrinſecè tantùm, per gratuitam *Dei motionem, & dilectionem, qua dignatur vti noſtra adquiſita contritione, vt diſpoſitione vltima ad ſuum proprium opus, quod eſt charitas, quæ infunditur.* Quapropter, quantum ad huiuſmodi attritionem acquiſitam labori, & obedientiæ humanæ, ſubiungit gratiæ adiutorium Caietanus, quamuis non explicet vtrùm lege infallibili, necne. *Pugnat cum Arauſicano.* Cæterùm vtcumque ſit, pugnat cum Arauſicano can. 6. & cum cæteris fundamentis præcedentium diſputationum.

16. Conradus 1. 2. quæſtione 109. toto artic. 6. & quæſt. 112. toto artic. 2. & 3. conſtanter negat hominem per vires naturæ abſque motione gratuita, poſſe aliquid facere, quo ſe diſponat ad gratiam, nullámque ſubiungit limitationem, aut explicationem, quæ ab hac veritate deficiat. Cæterùm in eadem 1. 2. quæſt. 89. artic. 6. cum ſancto Thoma exiſtimat, iuſtificandum eſſe puerum ſi ſeipſum ordinauerit in debitum finem, cùm primùm ei occurrit deliberandum de ſe ipſo, in principio vſus rationis, & in quæſt. 111. articulo 5. ad 2. concedit, quòd per gratiam gratis datam vnus homo cauſet in alio diſpoſitionem imperfectam, & remotam ad gratiam. De alio Conrado qui de contractibus ſcripſit, dicemus in fine ſect. ſequentis.

Chryſoſtomus Iauellus in commentariis de prædeſt. ad quæſt. 23. D. Thom. cap. 5. exiſtimat, primò actus moraliter bonos cum ſola honeſtate naturali, quamuis ſupernaturales non ſint, & quamuis non ſint eliciti per auxilia gratiæ, & ſupernaturalia, eſſe diſpoſitiones, quibus prædeſtinatus de congruo meretur, vt illi conferatur ſtatim gratia, quæ ſit principium eorum actuum, qui ſunt meritorij gloriæ de condigno. Quapropter Iauellus ante primam gratiam iuſtificantem, nullam diſpoſitionem ſupernaturalem prærequirit, ſed ſolos actus naturales. Secundò exiſtimat, eoſdem actus moraliter bonos, ſine auxilio gratiæ elicitos, fuiſſe rationem, ob quam præcognitam ab æterno vt futuram, Deus elegerit ad gloriam eos, quos præſciuit bene operaturos; & alios reprobauerit, quos malè operaturos eſſe præſciuit. 17. *Iauelli doctrina.*

Non defuit ex recentioribus, qui Iauellum ab errore liberet, quaſi ille dixerit, opera moraliter bona, ex auxilio gratiæ profecta, & à Deo præuiſa, rationem fuiſſe, ob quam Deus decreuerit præbere auxilia ad actus ſupernaturales, fidei, ſpei, charitatis, & præbere gratiam, & gloriam. Cui explicationi anſam præbere potuit nomen ſpecialis auxilij, quod Iauellus requirit ad opera bona, verùm ſi attentè legatur totum caput quintum, manifeſtum eſt apud authorem auxilium illud ſpeciale eſſe, non ſupernaturale, ſed merè naturale. Appellatur autem ſpeciale, quoniam per illud Deus mouet ad opera moraliter bona, vt diſtinguatur ab auxilio generali, quo Deus paratus eſt concurrere nobiſcum ad actiones bonas & malas. Præterea quòd gratia, quæ eſt principium actus meritorij de condigno, qualis eſt ſola gratia iuſtificans, detur non præcedente alia diſpoſitione præter actiones moraliter bonas, manifeſtum eſt apud eumdem authorem. 18. *Eam quidam ab errore liberant, ſed immeritò.*

Eapropter Iauelli doctrina, à iunioribus communiter appellatur Pelagianus error, ſed in eo Iauellus minus errat, quàm Pelagianus, quoniam non ait, actiones illas eſſe meritorias de condigno, ſed tantùm de congruo. Attamen in eo turpius errat, quàm Semipelagiani, quoniam ſine vlterioribus diſpoſitionibus ſupernaturalibus gratiam iuſtificantem tribuit propter opera moraliter bona. Hunc errorem copioſiùs referunt, & refutant expoſitores D. Thomæ 1. parte quæſt. 23. art. 5. 19. *Minus quàm Pelagius errat.* *Turpius quàm Semipelagiani.*

Ferrarienſem eiuſdem ſcholæ egregium Doctorem propterea prætermiſi, quoniam in vniuerſis Commentariis contra Gentes, pauca & ea bene limata ſcripſerit de præſenti controuerſia, ita vt nihil expoſitione indigeat, & multò minus mereatur impugnationem: vt conſtat 3. contra Gentes cap. 149. à medio, & cap. 159. in quo illud obiter notandum eſt, apertè colligi ex eius ſententia infallibilitatem accipiendi auxilium ſupernaturale, quoties per vires naturæ non apponitur impedimentum peccando, quia Deus, quantum ex ſe eſt, omnibus eſt præſens pulſando & mouendo; niſi ipſi reſiſtant: de quo in ſectione 6. numero 24. & diſputatione ſequenti, præſertim ſect. 3. ſectio. 4. antiqui Scholaſtici poſt tempora ſancti Thomæ, & illius doctrinæ non addicti. 20. *Ferrarienſis laus.*

Scotus in quarto diſtinct. 14. quæſt. 2. artic. 2. verſ. 5. *ad huius intellectum*, & ſequentibus, dicit primò: *Peccator poteſt ex naturalibus cum communi influentia* 1.

influentia conſiderare peccatum commiſſum vt offenſiuum Dei, vt contra legem diuinam impeditiuum premij, & inductiuum ſupplicij, & voluntas poteſt ipſum, ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis deteſtari. Secundò addit *poſſe huiuſmodi deteſtationem eſſe circumſtantionatam totaliter circumſtantiis moralibus debitis.* Tertiò ait, *iſte modus dicitur eſſe attritio, & eſt diſpoſitio, ſiue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis.* Denique exiſtimat, aliter *eſſe difficile, ſaluare, quod apud Deum non ſit acceptio perſonarum*, id quod erat Maſſilienſium argumentum. Sed vtrùm hæc intelligenda ſint ſuppoſita fide ſupernaturali, non explicat ibi, quin potiùs eius prima aſſertio, quam nuper retulimus in omnes homines, tam infideles, quàm fideles, æqualiter quadrat. His planè conſonum eſt quod in 3. diſtinct. 27. quæſt. vnica, articulo 3. ex profeſſo probat liberum arbitrium per vires naturæ poſſe Deum diligere ſuper omnia, quem amorem non ſugillat ibi, quaſi ineptum, vt obtinendæ gratiæ deſeruiat; nec quaſi inutilem ad ſalutem. imò in 2. diſtinct. 28. quæſt. vnica, prope ſolutionem argumentorum, tractans de dilectione Dei ſuper omnia, ait: *Quandoque voluntas actum huius præcepti exequitur, licet informis, & diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblata vel reſiſtet, & peccabit mortaliter, vel conſentiet, & iuſtificabitur.*

2. Durandus in 2. diſtinct. 28. quæſtione 5. ex profeſſo defendit, hominem per ſolas vires naturæ, abſque ſpeciali adiutorio, ſeu motione interiori, & immediata Dei, poſſe ad gratiam ſe diſponere: atque intelligere videtur immediatam, & ſufficientem diſpoſitionem. Nam ea ratione probat, quia quamuis gratia, & natura non ſint eiuſdem ordinis, habent tamen immediatum ordinem; ſicut anima rationalis eſt ſuperioris ordinis, quàm agentia corporea: & tamen vt Deus rationalem animam infundat, diſponunt agentia corporea.

3. *Temperat doctrinam Durandus.*

Addit temperamentum, dicens, non ſine ſpeciali prouidentia Dei, prædeſtinatos ſe diſponere ad gratiam; quoniam, quidquid hominem iuuat, vt prædeſtinationis finem aſſequatur, etiamſi res naturalis fuerit, à diuina prædeſtinatione prouenit. Quod quamuis profit, nec circa prædeſtinationem Durandus deuiet à catholico dogmate; nihilominus nihil prodeſt circa gratiam, & diſpoſitionem illius: in quo puncto pluſquam Maſſilienſes à veritate diſtat. illi namque non diſpoſitionem proximam & ſufficientem ad gratiam iuſtificantem, ſed remotam, concedebant humani arbitrij viribus ſuprà diſput. 14. ſect. 2. articulo 5.

Diſtat à veritate pluſquam Maſſilienſes.

4. Hæc Durandus de quocunque homine, tam infideli, quàm fideli, videtur aſſerere. Nam in 1. diſtinct. 39. quæſt. 3 fine ait, *Deum omni creaturæ rationali contuliſſe auxilia, per quæ poteſt vitare mala culpæ, & impedimenta ſuæ ſalutis.* Cùm tamen in eodem libro 1. diſtinct. 46. quæſt. 1. ad finem doceat, ſpecialia auxilia gratiæ nullis hominibus denegari; quamuis eis concedantur communia, videlicet, liberum arbitrium, præcepta, conſilia. Quapropter hæc auxilia ſunt, quæ Durandus exiſtimat ſufficere ad vitanda impedimenta ſalutis, & obtinendam ſalutem. His conſequentia ſunt, quæ Durandus docet in 4. diſt. 14. quæſt. 1. de pœnitentia ex omni circumſtantia bona & adquiſita.

Richardus in 2. diſtinct. 28. artic. 1. quæſt. 2. ait: *Loquendo de remota, & indirecta diſpoſitione, liberum arbitrium per ſua naturalia, cum ſola generali motione primi mouentis* (quam ſupponit quælibet actio creaturæ) *poteſt ſe ad gratiam gratum facientem diſponere.* & in præcedenti quæſtione 1. videtur ſentire prædictam diſpoſitionem, per vires naturæ conceptam, ſecundùm quid, & de congruo mereri diuinam gratiam: & per illam facienti quod in ſe eſt, dari gratiam. Quod tamen clariùs docuit in 1. diſtinct. 41. art. 2. quæſt. 2. vbi probabilius exiſtimat, dari meritum congrui, & diſpoſitionem remotam prædeſtinationis. 5.

Cæterùm proximam, & directam diſpoſitionem, & meritum de condigno, ad gratiam obtinendam, expreſsè Richardus negat omnibus locis citatis. Cui conſequens eſt, pœnitentiæ actum indigere ſupernaturali auxilio: vt docet idem Richardus 2. diſtinct. 7. art. 2. quæſt. 1. & in 4. diſtinct. 14. art. 6. quæſt. 1. Quapropter falsù illi adſcribitur oppoſitum. 6.

Henricus quodlibeto 4. quæſt. 19. poſt medium loquens de prima gratia, quæ in nobis, vt velimus, operatur incipiens, ait: *Hæc igitur prima gratia nullam cauſam habet in nobis meritoriam; ſicut habet ſecunda: habet tamen cauſam congrui, non propter quam, ſed ſine qua non confertur vni prima gratia gratum faciens, quæ alteri denegatur, cùm apud Deum non ſit perſonarum acceptio, ſed æqualiter faueat omnibus*; & quamuis exemplum, continuò ſubiectum, videatur nonnihil temperare præcedentem aſſertionem: nihilominus tam exemplum, quàm aſſertio ipſa non parum accedit ad Maſſilienſium errorem, ea præſertim ratione, quia prædictam cauſam congrui, tanquam ſimpliciter neceſſariam requirit. 7.

Accedit ad Maſſilienſes.

Item in quodlibeto 5. quæſt. 20. poſt medium ait: *Quicunque eſt in mortali peccato, ſi quantum in ſe eſt bene ſe habet circa peccata, à ſe commiſſa; & circa alia, ea deteſtando, ſecundùm quod poſſibile eſt ei pro ſtatu illo; non poteſt eſſe, quod diu ſi bene ſe habeat circa actus morales, ſiue politicos, in quos poteſt ex puris naturalibus abſque gratia gratum faciente; quin Deus liberum arbitrium eius moueat aliquo motu gratiæ, gratis datæ, vt bono ſimpliciter aſſentiat.* & poſt pauca, *Ad talem autem ſtatum quilibet poteſt venire, faciendo quod in ſe eſt: & in hoc, quantum eſt ex libertate arbitrij, poteſt alium præuenire, vel ſimul cum ipſo accedere.* 8.

Ioannes Bacho in 1. diſtinct. 41. quæſtione vnica, articulo 2. prope finem expreſsè docet cauſam prædeſtinationis ex congruo, & non ex condigno eſſe præcognitionem vſus liberi arbitrij moraliter boni, qualis eſt in poteſtate noſtra ex naturalibus, ſuppoſita influentia generali Dei. Additque vſum liberi arbitrij, ſupernaturali, & gratuita bonitate præditum eſſe non cauſam, ſed effectum prædeſtinationis. 9.

Ocham in 1. diſtinct. 41. quæſtione vnica, dum impugnat opinionem primam, aſſerit: *Opera bona ex genere, facta in peccato mortali, ſunt aliquo modo cauſa, quare Deus dat alicui gratiam*, & ſubdit: *facienda eſſe, vt Deus citius det alicui gratiam.* Videtur autem loqui de operibus, factis per generale auxilium naturale, vt ſuperior, inferiorque contextus ſignificat. 10.

Gabriel in 2. ſentent. diſtinct. 22. quæſt. 2. articulo 3. docet, facienti quod in ſe eſt, per vires naturæ, dandam eſſe gratiam, & in 2. defi- 11.

nit.

nit. 27. quæſt. vnica, articulo 2. cor. 4. ea profeſſo probat de congruo mereri gratiam, eum qui per vites naturæ conuertitur ad Deum; etiamſi fuerit infidelis. Quapropter quantum ad hunc articulum, nihil à Semipelagianis diſſidet. Vnde in eiuſdem quæſtionis articulo, dubio 4. repetit, ex lege conferri gratiam, facienti, quod in ſe eſt per vites naturæ. Atque in primo ſententiarum, diſtinct. 41. quæſtione vnica, articulo 4. dub. 1. docuerat, vſum liberi arbitrij eſſe diſpoſitionem de congruo ad media prædeſtinationis, qua diſpoſitione non exiſtente, gratia non infunderetur. Inſuper in 3. diſtinct. 27. quæſtioue vnica articulo 3. dub. 2. propoſitione 1. ait: *Viatoris voluntas humana ex ſuis naturalibus poteſt diligere Deum ſuper omnia.* & propoſitione 2. ait: *Prædictum amorem amicitiæ de potentia ordinaria non poſſe ſtare ſine gratia, & charitate infuſa: quia ſecundùm legem ordinariam cuilibet facienti, quod in ſe eſt, & per hoc diſpoſito ad gratiæ ſuſceptionem Deus infundit gratiam.* & poſt pauca docet, *hunc amorem, quia eſt actus perfectiſſimus omnium actuum ex naturalibus haberi poſſibilium, eſſe immediatam & vltimam diſpoſitionem ad gratiæ infuſionem.* In quo articulo ad Pelagium acceſſit propinquior, quàm Maſſilienſes.

Quantum ad hoc nihil à Semipelagianis diſſidet.

Pelagio propinquior.

12. Dionyſius Carthuſianus in 2. diſtinctione 27. quæſtione 3. ante med. affert & tacitè approbat opinionem Petri, atque Richardi, affirmantium eum qui facit, quod in ſe eſt, abſque gratia, poſſe interpretatiuo merito, & ſecundùm quid mereri gratiam. Videtur autem agere de ſolis viribus naturæ, abſque omni ſupernaturali auxilio. & in 2. diſtinct. 28. tota quæſtiune 2. complectitur, quaſi inter ſe conſentientes doctrinas S. Bonauenturæ, S. Thomæ in ſcriptis ſententiarum, & in 1. 2. Petri Richardi, atque Durandi (quas omnes retulimus ſectione 2. & in præſenti ſectione) eáſque concordare nititur, dicens diſpoſitione remota, & mediata hominem poſſe ad gratiam ſe diſponere; non verò diſpoſitione propinqua, & immediata: idque non ſolùm ſuppoſita fide, ſed etiam ante fidem. Vnde ſi Barbarus faciat quod in ſe eſt, Deus reuelabit illi fidem.

13. Dionyſius Ciſtercienſis, quamuis rectè affirmet neceſſitatem præuenientis gratiæ, præmouentis & actuantis arbitrium ad quælibet opera bona, quibus ad gratiam præparamur, vel in gratia exiſtentes meremur, vt conſtat in 2. diſt. 25. quæſt. 2. articulo 1. conc. 5. & diſtinct. 27. quæſtione vnica, articulo 1. conc. 4. & artic. 2. conc. 1. & ſequentibus, & articulo 3. corol. 1. & 2. Cæterùm voces iſtæ exteriùs planè catholicæ, ſed excſæ latenti explicatione, redduntur inanes. Nam in dicta diſtinct. 27. quæſt. vnica articulo 1. notabili 2. ait: *Gratia gratis data ſpecialis (quæ non eſt gratum faciens, ſed quæ ſtat cum peccato mortali) poteſt dici quodlibet auxilium ad actum bonum bonitate præciſſe morali, ſicut habitus ſcientiarum, vel reuelatio, & huiuſmodi.* Cùm igitur idem author nullibi explicet, hanc gratiæ gratis datæ acceptionem non ſufficere ad bona opera, quibus ad gratiam iuſtificantem præparamur: conſequens eſt, vt acceptionem illam præmiſerit eo fine, vt eſſet generalis interpretatio eorum, quæ continuò dicturus erat de neceſſitate gratiæ gratis datæ & præmotionis diuinæ. Quapropter illud genus auxilij, quod ſufficit vt addiſcas Dialecticam, vel Philoſophiam, ſufficiet etiam, vt elicias opera bona, quibus te ad gratiam præparas: quod pluſquam Semipelagianum eſt.

Neceſſitatem gratiæ fatetur.

Notatur.

Thomas ab Argentina in 1. diſtinct. 41. quæſt. vnica, articulo 2. in §. *Reſpondeo quod Auguſtinus,* & ad 2. & 3. rationem exiſtimat, eum liberi arbitrij vſum, qui morali bonitate bonus eſt, non eſſe neceſſariò reducendum ad ſupernaturale principium, ſed ſufficere ad illum vires naturæ cum Dei generali influentia; eundémque bonum vſum eſſe meritorium gratiæ atque prædeſtinationis, non merito condigno, ſed de congruo, quod (inquit) non eſt meritum abuſiuum. Cui doctrinæ conſequens eſt quod in 2. diſtinct. 27. quæſt. vnica articulo 3. poſt med. ait: *Si faceret quod in ſe eſt, etiamſi paganus exiſteret, Deus nunquam dimitteret, qui in veritatem ſuæ fidei panderet, & infunderet gratiam Spiritus ſancti.* Quapropter, quod poſtea ſubiicit de modo redeundi ad Deum, & gratiam conſequendi, *Deo primùs admonente per gratiam præuenientem, & impetus ſpirituales,* intelligere videtur de proxima diſpoſitione, quæ eſt vera pœnitentia, non verò de diſpoſitione illa, quam in 1. ſentent. dixerat dari per vires naturæ: alioqui ſibi ipſi contrarius erit. 14.

Adam Goddam in 1. diſtinct. 17. quæſt. 1. poſt med. dub. 2. fine tradit feruentem Dei amorem ſuper omnia, & aliorum propter ipſum, eſſe naturaliter cauſabilem, & ſubdit: *Exiſtimo, quòd ſemper in habente notitiam neceſſariam ad ſalutem, eo ipſo Deus infundat gratiam: nec aliter poteſt eſſe de iſta lege ſtatuta.* Quapropter vltimam diſpoſitionem ad gratiam admittit eſſe dilectionem viribus naturæ conceptam, & in ſexto dubio ſupponere videtur, opera facta ante fidem, & ante omnem gratiam eſſe poſſe initium, ad obtinendam gratiam. 15.

Marſilius in 2. quæſt. 18. articulo 3. con. 3. & 4. & poſt art. 4. reſpondens ad 7. argumentum rectè ſenſit ea puris naturalibus, abſque ſpeciali auxilio gratis dato præueniente, & interiùs inſpirante, & admonente, neminem poſſe mereri primam gratiam, etiam de congruo. Cæterùm nimium latè acceperat nomen inſpirationis ſupernaturalis, & ſpecialis, quoniam ſi attentè legatur articulus primus, & illius concluſio 4. & 5. conferatur cum concluſione 1. conſtabit quamcunque interiorem ſuggeſtionem ad bonum, eo ipſo quòd non ſequitur omnem intellectum, & voluntatem hominis, etiam ſuppoſita tali complexione indiuiduali, ſed à Deo pro ſua libera voluntate tribuitur; à Marſilio appellari non communem influentiam, ſed Dei inſpirationem ſpecialem, & ſupernaturalem, quamuis non excedat dictamen naturalis rationis, & pertineat ad morale bonum, naturæ lege præſcriptum; nulláſque præterea vires ſuperaddat libero arbitrio: vnde intelligitur, quo ſenſu in fine articuli 3. concedat, *hominem Dei auxilio præuentum, poſſe ex puris naturalibus mereri primam gratiam de congruo;* intelligit namque præuentum eiuſmodi auxilio nuper explicato. Nam ſi intelligeret præuentum alio auxilio, quod verè & propriè auxilium gratiæ apud Patres appellatur, illa concluſio contradictionem inuolueret. Hoc enim auxilium vires maximas libero arbitrio ſuperaddit, eáſque ſimpliciter neceſſarias ad opus, quod pura naturalia non poſſunt attingere. Cui conſequens 16.

Ampliat inſpirationis nomen Marſilius.

ſequens

ſequens eſt, quod idem Marſilius docet in 5. quæſt. 20. articulo 3. propoſitione 4. & 5. & in fine totius quæſtioois, & io 2. quæſt. 17. att. 3. ad 3. rationem factam contra ſecundum ſuppoſitum: nimirum, idem, quod ex Gregotio Ariminenſi referemus in num. 18.

17. Gerſon parte prima Alphab. 24. in reg. Moralium littera M. ait: *Nulli facienti, quod in ſe eſt (hoc eſt, bene vtenti donis iam habitis) deeſt Deus in neceſſariis ad ſalutem; ſiue illa ſint credenda, ſiue operanda.* Rurſus io Alphab. 61. lit. G. rractatu de vita ſpirituali lectione 1. ait: *Nolo negare, quin anima poſſit ex ſua virtute naturali bene moraliter agere, & faciendo, quod in ſe eſt, ſe ad vitam gratiæ diſponere.* & ſubdit poſtea, in natura cortupta per peccatum, ad idem ipſum præſtandum, non requiri gratiam: niſi appelletur *gratia, quidquid a Deo gratis & liberaliter confertur ſine meritis, quomodo omnis tribulatio, omnis infirmitas, imò & ipſæ tentationes inter gratuita numerantur.*

18. *Laudatur Gregorius.* Gregotius Ariminenſis in 2. diſtinctione 28. quæſt. 1. toto articulo 1. copioſè & eruditè plurima congetit ad probandum initium iuſtificationis eſſe à gratia præueniente, & non ex viribus liberi arbitrij. *Arbitrij vires eleuat.* Cæterùm præ nimio zelo extenuandi vires liberi arbitrij eas incautè ſupra ſeipſas eleuat, vel potiùs gratiam vſque ad ipſas deprimit. Quoniam nomine ſpecialis auxilij & gratuiti comprehendit Gregorius quodlibet auxilium, quod ad agendum actus moraliter prauos non eſt neceſſarium, vt conſtat in dicto articulo 1. colum. 2. ſuppoſit. 5. & colum. 6. in quadam probatione 5. Atque inde probat, nec de coogruo poſſe hominem mereri primam gratiam gratis datam, quoniam ante illam quicunque actus liberi arbitrij eſt culpabilis, vt videre licet in dicto articulo primo colum. 4. in §. *ex his infero*, & ſequent. Hanc ſententiam, quatenus qooſcunque actus moraliter bonos facit congruas diſpoſitiones ad gratiam, impugnabimus tota diſputatione 23. præſertim ſectione 5. & aliquid notauimus ſectione 2. numero 15.

19. *Aberrat.* Maior 2. diſtinct. 28. quæſt. 1. columna 12. dum reſpondet ad 17. argumentum §. *ad formam*, ab initio iuſtificationis longius quàm Ariminenſis aberrauit, ait enim primò *Si adultus mediocriter vtatur naturalibus, licèt interdum non habeat auxilium ſpeciale ad tempus, datur ei alio tempore, dummodo bene vtitur naturalibus.* & poſt pauca: *ſi bene vtatur naturalibus aliquis, illi datur præuenire naturalia in eliciendo.* Secundò naturalium bonum vſum afferre dignitatem, & meritum ſpecialis auxilij docuit in columna ſequenti, tractans de Magdalena & Paulo, & dicens: *Qui optimè vſi ſunt naturalibus, propterea digni inuenti ſunt, quatenus Deus eis aſſiſteret.* Notat tamen alios non minus dignos fuiſſe relictos.

20. Tertiò ad bene moraliter operandum, ſicut oportet, vt nobis iuſtificationis gratia conferatur, nullum aliud auxilium requirit, vltra illud, quod appellat auxilium ſpeciale. At verò illud eſſe inferioris ordinis non excedentis lumen, & obligationem naturæ, conſtat ex prædicto § *ad formam*, vbi aſſerit illud auxilium ſpeciale requiri, *vt mali & hypocritæ egregiè declament contra vitia: & in qualibet veritate prædicata dari auxilium ſpeciale*, & antiquos Philoſophos non potuiſſe rectè ſcribere de virtutibus, abſque auxiliu ſpeciali; & in principio ſequentis quæſtioois ſecundæ aſſerit *ſpeciale auxilium requiſitum ad bene moraliter agere, apud maiores communiter vocabatur gratia.* Nec agnoſcit maior aliam præuenientem gratiam, niſi hanc. Denique idem conſtat, quoniam in diſtioctione 26. quæſt. 3. ex profeſſo probauerat, actum meritorium, & non meritorium, peculiariter verò dilectionem Dei meritoriam, & non meritoriam eſſe eiuſdem ſpeciei in genere naturæ, & ſolummodo in genere moris ſpecie differre. Quarto inter prædictas aſſertiones contradictio eſt noo obſcura. *Contradictio.* Quia nullus bene vtitur naturalibus, niſi beoe moraliter operando; ſed non poteſt bene moraliter operari, abſque auxilio ſpeciali (vt ait Maior:) ergo non poteſt bene vti naturalibus quandiù non habet auxilium ſpeciale. Vnde oon poterit bene vtendo obtinere auxilium ſpeciale, & quamuis huic obiectioni videatur occurrere in colum antepenultima. §. *de Tyriis*; cæterùm non ſatisfacit: in quo non eſt immorandum ampliùs.

21. Abulenſis in Matth parte 5. propè finem, videlicet, in caput Matth. 21. quæſt. 211. ait: *Deus preſtò eſt omni hora & inſtanti infundere gratiam nobis, facientibus quod eſt in nobis. Ipſe quoque ſemper pulſat præueniendo, vt faciamus quod in nobis eſt; & tunc ipſe infundit habitum gratiæ gratum facientis.* Hæc ſententia præcedenti, quam ex Maiore retulimus, ſimilior eſt, quàm cæteris. Videtur autem agere de exhortatiooe præueniente nos, vt à viribus naturæ bene moraliter vtamur; nam ex ea doctrina infert, dicens: *Quiſquis ille ſit, apud quaſcumque gentes, vel regiones ſit, qui nondum credens, applicat animum ſuum ad volendum ſcire, quæ ſunt illa, per quæ poterit ſalutem animæ obtinere; Deus reuelat illi, oſtendendo manifeſtè, quid credere, & agere debeat.* Clariùs loquitur Abulenſis in cap. 19. Matth. quæſt. 181. ad 4. dicens: *etiam ad fidem habendam ſe poteſt quis præparare ſine gratia, ita quòd non oportet præcedere gratiam gratum facientem, neque gratiam gratis datam habitualem; ſed per naturalem rationem, ſimul cum pulſatione Dei interiori poterit ſe ſufficienter diſponere quis ad fidem.*

Nicolaus de Orbellis in 2. diſtinct. 27. & diſt. 28. att. 2. ſequitur ſententiam Richardi in diſt. 28. quam retulimus numero 5. 22.

Michaël de Bononia in 2. diſtinct. 29. quæſt. vnica fine ait: *Exiſtens in peccato mortali ſine gratia, ſi facit quod in ſe eſt, & quidquid poteſt, ad hoc vt non peccet, vitat omnia peccata; quia ex hoc ipſo gratia ſibi à Deo infunditur.* Loquitur autem de faciente quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ abſque auxilio gratiæ: vt ex contextu conſtat. 23.

Conradus tractatu 7. de contract. quæſt. 100. conc. 2. poſt medium, & in 4 argumento, præſertim ſub ioitium, & ad finem ſupponit tanquam certum, homini facienti quod in ſe eſt, concedendam eſſe notitiam, quæ fuerit ei ad ſalutem neceſſaria; & quamdiu non conceditur, non eſſe talem notitiam neceſſariam. Atque ſimul loquitur de faciente quod in ſe eſt, per ſolas vires naturæ, & lumen rationis, necnon de faciente quod in ſe eſt, per gratiam ſibi datam à Deo, vt conſtabit conſideranti totum contextum authoris. 24.

SEC

SECTIO V.

Ætati noſtræ propinquiores Scholaſtici.

1. HAdrianus quodlibet 4. quæſt. 1. paulò poſt medium §. *ad ſciendum autem*, exiſtimat facienti, quod in ſe eſt, vt miniſterio hominum, vel Dei auxilio inſtruatur, Deum eſſe paratum, ſuccurrere in neceſſariis ad ſalutem, ſecundùm illud Pſalm. 143. *Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, & deprecationem eorum exaudiet*, &c. adeò vt Gloſſa aſſerat ad Rom. 5. *Si confugientem ad ſe Deus non reciperet, eſſet in eo iniquitas*. Vbi Hadrianus non ſolùm facientem quod in ſe eſt per vires gratiæ, ſed etiam per vires naturæ comprehendere videtur; quoniam vniuerſaliter, abſque diſtinctione loquitur: ac præſertim, quoniam agit de homine ignorante diuinum ius, eorum, quæ requiruntur ad ſalutem. Inſuper in quodlibeto 7. quæſt. 4. in medio aſſerit: *Dilectio Dei ſuper omnia quæ nobis in præcepto eſt, reponit nos in ſtatum ſalutis*. Nec diſtinguit, vtrùm ſit dilectio ſupernaturalis, vel naturalis, quin potiùs ex contextu videtur comprehendere quamcumque dilectionem Dei ſuper omnia.

2. Albertus Pighius controuerſia ſecunda de fide & iuſtificatione propius ad med. quàm ad finem §. *neque hoc rectè*, aſſerit, *noſtras præparationes, & opera non cauſam effectiuam, ſed ſolùm diſpoſitiuam eſſe, quòd Spiritum ſanctum accipiamus; & quibus poſitis, ille nunquam deſit, & quibus deficientibus non adſit*. & toto ſequenti contextu ſatis oſtendit, ſe agere de operibus, quæ præcedunt, antequam Deus miſericordiæ & gratiæ reſpectu, nobis medelam & ſanitatem afferat. Intelligit autem hæc, ſuppoſita fide, quam longè ante med. eiuſdem controuerſiæ dixerat, *præcedere omnem in nobis regreſſum ad Deum, ad eius implorandam miſericordiam*. Idem Albertus Pighius à fide dignis ſcriptoribus refertur in lib. de libero arbitrio contra Caluinum fol. 99. aſſerere facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ, Deum conferre auxilia gratiæ.

3. Driedo ſæpe docet piè credi, auxilia gratiæ conferri facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ, ad bene moraliter operandum, ſiue fuerit puer ad vſum rationis perueniens, ſiue adultus, quamuis non protinus conferantur auxilia gratiæ. ita in lib. de concordia liberi arbitrij cum prædeſtinatione parte 2. cap. vltimo §. *hic iam ſi dixeris*. pag. 193. & ſeq. Cæterùm in lib. de captiuitate & redemptione generis humani tractat 5. capite 2. parte 2. verſùs finem fol. 126. valdè exactè, & catholicè explicat prædictam doctrinam, vt ille, qui per ſolas vires naturæ abſque auxilio gratiæ fecerit quod in ſe eſt, ſolummodo remoueat impedimenta, vt ſit minus dignus, & minus diſtans à præparatione; non verò ſe reddat dignum, nec paratum, aut diſpoſitum ad obtinenda auxilia gratiæ. His ſimilia & conſequentia docuerat in tractat. 4. eiuſdem libri capite 2. à parte 3. vſque ad finem capitis, præſertim parte 4 & parte 8. memb. a. ſententia 3. & 5. & memb. 4. concl. 1.

Alibi catholicè loquitur Driedo.

4. Ruardus Tapper art. 7. de libero arbitrio circa medium §. *Doctores autem* fol. 348. ait: *Quòd tamen etiam Deus adeſt facienti, quod in ſe eſt, ex puris naturalibus ad illuſtrationes & inſtinctus diuinos, ad quos ex immenſa erga peccatores charitate inuitatur; non autem ex vllo merito aut dignitate piè creditur. Sed quod ſemper, & quaſi infallibili ordinatione eis adſit, vt neceſſaria ſalutis largiatur, diximus ſuperiùs ex Scripturis non certò conſtare poſſe: piè tamen hoc confidimus.* Inſuper tam in præcedenti, quàm in ſequenti contextu rectè atque catholicè negat ex viribus naturæ omnem diſpoſitionem poſitiuam, admittit tamen negatiuam.

Negat poſitiuam, admittit negatiuã diſpoſitionem Ruardus.

5. Caſtro de lege pœnali lib. 2. cap. 14. col. 5. & 6. vniuerſaliter, & abſque vlla diſtinctione concedit ſententiam Doctorum, dicentium, viro ignoranti præceptum Baptiſmi, aut aliud ſimile ius diuinum, ad ſalutem neceſſarium; ſi faciat, quod in ſe eſt, protinus dandam eſſe gratiam: ſed non protinus dari notitiam fidei. Cæterùm non eſſe permittendum à Deo, vt ſine fidei notitia moriatur; & quamuis expreſſè non dicat, ſe agere de faciente, quod in ſe eſt per vires naturæ, abſque auxilio gratiæ: nihilominus de hoc agere videtur, quia gratia quæ datur ante fidei notitiam ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem, non eſt gratia iuſtificans, ſed gratia auxiliatrix, & loquitur de faciente, quod in ſe eſt, cui propterea hæc gratia confertur, & totus ille contextus pertinet ad facientem, quod in ſe eſt, per ductum rationis naturalis, & vires naturæ.

6. Ioannes de Medina codice de pœnitentia, tractatu 1. quæſt. 11. §. *nunc admotiua*, in fine illius ait, *ſimpliciter non eſt negandum hominem rectè ſuis naturalibus vtentem, ſi per hominem, aut per miracula doceatur, poſſe credere alia ſuperabundanti gratia ſecluſa*. & poſt pauca de Tyro & Sidone ſubdit: *Si quod in eis erat, debitè feciſſent, doctore fidei Deo prouidente, minimè caruiſſent*.

7. Michaël de Medina lib. 3. de recta in Deum fide cap. 1. inter principium, & med. ait: *Deus, quem vult per gratiam interius mouendo, ad fidei confeſſionem adducit; & quem vult, auxilio gratiæ ſuæ deſtituendo, permittit in infidelitate ſordeſcere. Quod quamquam quidam in diuina iudicia inſcrutabilia reducant; ego tamen malim, in merita, vel demerita, qualia ante fidei aduentum, vel poſtea per vſum fidei ſuſcipienda haberi poſſunt, referre, quod eam opinionem, quæ à prædeſtinatione opera noſtra excludit, ex animo oderim. Nec enim poſſum æquo animo ferre, Deum maiori affectu ad quemuis hominum trahi, quàm ad alium.* quod idem multis exemplis confirmare nititur.

8. Non video, quomodo hæc doctrina liberari poſſit, ne coincidat cum illo articulo Maſſilienſis erroris, qui merita fidem præcedentia, dicebant eſſe rationem obtinendi fidem, & prædeſtinationem ad illam. Ne Deus eſſet perſonarum acceptor.

Liberari non poteſt.

9. Vega libro 6. in Tridentinum cap. 17. & fuſiùs cap. 20. de adultis, qui fidem, & Deum inuincibiliter ignorant, exiſtimat ſi humano modo cognoſcant legem ſequendi honeſtum, & fugiendi turpe, & eam legem adimpleant; accipere à Deo gratiam iuſtificantem, quoniam Deus ab illis non debet exigere fidem, aut alium ſupernaturalem actum, quem propter inuincibilem ignorantiam habere non poſſunt. Hæc ſententia, quamuis quoad perſonas limitata ſit, quoniam non omnes homines comprehendit, ſed ſolos inuincibiliter ignaros Dei: nihilominus quantum ad modum tribuendi iuſtificationem, abſque vlla ſupernaturali diſpoſitione incurrit

currit

Cum Iauello notandus. currit in errorem Iauelli, quem notauimos ſuprà ſect. 3. fine.

10. Minos à vera Theologia diſtat, quod aſſerit lib. 13. in Tridentinum cap. 12. columna vltima. *Vel hoc argumento poſſemus conuincere, quemlibet viatorem poſſe ſecundum legem communem conuerti; quia nullus eſt ex viatoribus, qui non poſſit bene vti naturalibus. Ei autem, qui hoc fecerit, Deus, qui nemini deeſt, facienti, quod in ſe eſt, auxilium ſine dubio praſtabit ſufficiens, ad obtinenda bona ſupernaturalia.*

11. Cæterùm operibus, elicitis per vires naturæ nullam eſſe vim merendi de congruo, aut diſponendi ad obtinendam gratiam, rectè docet in libro de iuſtificatione quæſtione 7. propoſitione 1. 2. & 5. & in ſolutione ſecundi argumenti contra illam, & in libro octauo cap. 11. vbi tamen prorſus improbabiliter addit, meritum congrui, non obeſſe rationi gratiæ, quod etiam docuit in eodem libro 8. cap. 5. & 15. & à nobis ſatis impugnatum eſt in peculiari libro de quidditate gratiæ diſp. 2. ſect. 4.

12. Victoria in relectione vltima de peruenientibus ad vſum rationis prope finem, videlicet parte 3. poſt propoſitionem tertiam num. 14. refert, & tacitè approbat, quod S. Thomas docet de poero in ſyluis nutrito, & faciente quod in ſe eſt, ſequendo dictamen legis naturalis cum appetitu boni, & fuga mali, cui ſubuenire in neceſſariis ad diuinam prouidentiam ſpectat. Et quoniã Victoria ibi expreſsè aſſerit, in inſtanti vſus rationis non eſſe præceptum alterius cuiuſquam conuerſionis ad Deum, niſi huius; ſine puer laboret ignorantia Dei, niſi in notitia, & cultu Dei fuerit educatus: & aliunde, referendo S. Thomæ doctrinam, atque tacendo, ſupponit, puerum, ſi non peccat mortaliter, violando hoc præceptum, ſtatim obtinere gratiam iuſtificantem. Conſequens eſt, vt *Sentit cum Vega.* non ſine valde probabili fundamento alij Doctores Victoriæ tribuant eumdem errorem, quem num. 7. aſſeruit Vega, ſed cum aliquo diſcrimine, quantum ad perſonas, quoniam Victoria non ſolùm de ignorantibus, ſed etiam de ſcientibus Deum loquitur, dummodo non ſint pueri peruenientes ad vſum rationis. Vega tamen de ſolis ignorantibus inuincibiliter Deum, ſed quocumque tempore, & ætate.

13. Cano in relectione de pœnitent. p. 5. longè poſt med. § *tertio etiam attritio*, ait: *Attritio quæ procedit ab amore naturali Dei ſuper omnia, forſitan diſpoſitio eſt idonea, vt virtute ſacramenti Baptiſmatis & Pœnitentiæ gratia cõferatur.* Et quamuis neceſſariam eſſe ſupponat, fidem ex auxilio gratiæ conceptam, vt conſtat in relectione de Sacramẽtis in genere p. 2. *Ex parte notatur.* longè ante med. Nihilominus partẽ aliquam Semipelagiani erroris incurrit, quatenus proximam diſpoſitionem ad gratiam admittit, eſſe actum aliquem naturalem. Atque illud duriùs adhuc, quod paulo ſuperiùs in §. *reſpondeo*, dixerat, ſolam inuincibilem exiſtimationem talis attritionis ſufficientis, (quamuis verè nõ ſit attritio, per ſe requiſita,) eſſe diſpoſitionem ſufficientem, vt per ſacramenta Baptiſmi, & Pœnitẽtiæ gratiæ conferatur.

14. Idem Magiſter, quamuis dicta relatione de Sacramentis in genere p. 2. versùs medium rectè loquatur de initio iuſtificationis ex præueniente gratia, & non ex viribus naturæ; nihilominus facienti quod in ſe eſt, per vires naturæ, Deum contuliſſe auxilia in lege naturæ, & nunc conferre in lege gratiæ, docet in eadem parte 2. inter principium & medium §. *ad primum verò*. & multo clariùs ac fuſiùs inter medium & finem eiuſdem partis 2. à §. *igitur illa opinio.* vbi ſic interpretatur S. Thomæ ſententiam de puero in ſyluis nutrito, venientead vſum rationis; vt ſi faciat quod in ſe eſt, per lumẽ rationis naturalis, Deus infundat lumen ſupernaturale fidei, vt iuſtificetur tẽpore ineunte.

Dominicus Soto in 4. diſt. 18. q. 3. art. 3. proximè ante ſolutionem primi argumenti, aſſerit probabilius fortaſſe dici, etiam peccati dolorem, qui naſcitur ex timore detrimentorum temporalium, vt infamiæ, aut mortis, aut iacturæ bonorum eſſe attritionem ſufficientẽ, vt cum Sacramento conferatur gratia, dũmodo exiſtimetur contritio. Plus igitur quàm Magiſter Cano nuper citatus exceſſit Soto. Eamdem ſententiam ſupponit in 4. diſt. 17. q. 2. art. 5. duabus poſtremis columnis, & cõfirmat in lib. 2. de natura & gratia c. 3. vbi poſtquam probauit proximam, & ſufficientem diſpoſitionem, quam infallibiliter iuſtificatio conſequatur, eſſe debere ex auxilio gratiæ; nihilominus in fine capitis excipit eam iuſtificationem, quę Sacramenti virtute confertur. & in eodem lib. c. 15. circa med. docet attritionem cognitã ſufficere vt Baptiſmus conferat gratiam. Sed vt ſacramentum Pœnitentiæ conferat nõ ſufficere, niſi reputetur contritio. Hanc autem attritionem per ſolas vires naturæ poſſe haberi, docuerat in fine præcedentis cap. 14. 15. *Exceſſit Soto.*

16. Inſuper ad iuſtificationem extra Sacramentum opus moraliter bonum, quod fit ex puris naturalibus, eſſe diſpoſitionem impropriã, inſufficientem, & remotiſſimam, concedit in eodem lib. 2. de natura & gratia c. 3. propè initium, in quo illud præſertim occurrit notandum quod aſſerit, *viam de ſe ſternere ad charitatem.* Cùm tamen hanc vim ſternendi viam non habeant, niſi valde per accidens, vt explicuimus tota diſp. 16. & confirmant omnes præcedentes diſputationes. Difficilia ſunt etiam verba, quæ ſubiicit, *præſertim ſi in huiuſmodi ſe operibus peccator exerceat intentione flectendi Deum, qui durum ſibi cor emolliat ad pœnitẽtiam. Quem nimirum finem. ſicuti & honeſtos alios, poteſt ſibi naturaliter præſtituere.* vbi planè concedit ex viribus naturæ vim aliquam ad flectendũ Deum, vt præuenientẽ gratiam conferat. Deinde in eodem c. 3. in ſolut. ad 5. concedit *hominem ex naturalibus habere deteſtationem, quæ ſit remota diſpoſitio ad iuſtificationem*, modo ſuperiùs explicato, & in lib. 1. de natura & gratia, c. 21. col. 2. dixerat, opus moraliter bonũ ex viribus naturæ eſſe diſpoſitionẽ remotiſſimã ad gratiam. *Eius difficilia verba.*

17. De illo axiomate. facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt, quamuis in dicto lib. 2. cap. 3. propè finem explicet, intelligendum eſſe, præueniente Deo, & homine cooperante cum inſpiratione. Nihilominus ab hac expoſitione recedit, ſæpiùs affirmans nullum adultum infidelium excuſabilem eſſe à peccato ignorantiæ fidei, quoniam ſi ius naturale ſecundùm dictamen rationis naturalis ſeruarent, illuminarentur à Deo, ita docet in epiſtola ad Romanos cap. 1. ad illa verba: *Ita vt ſint inexcuſabiles*, in fine illius Commentarij, & cap. 10. ad illa verba, *ſed dico, nunquid non audierint*, in fine Commentarij. & in 4. ſentent. diſtinct. 1. quæſt. 2. artic. 3. circa medium; antequam veniat ad ſecundum argumentum S. Thomæ, & lib. 1. de natura & gratia cap. 21. prope initium, & lib. 2. cap. 12. fine.

18. Viguerius inſtitutionum cap. 18. §. 4. in princip. ante verſ. 1. colum. 2. ait: *Hæc præparatio ad gratiam fit per auxilium ſpeciale Dei, quod ſemper eſt paratum homini, facienti quod in ſe eſt. Dicitur autem*

facere, quod in ſe eſt, quando ceſſat à peccato, & anhelat ad bonum rationis. & poſt pauca: *cum concurſu generali, mediante ſynderesi aſſiſtente fide, poſſumus aliquo modo conari ad bonum; licèt non poſſimus perficere.* & infra. *Sic conanti Deus ſua proclamata miſericordia adeſt, & conuertitur ad eum ſuo auxilio ſpeciali, quod dicitur gratia præueniens.*

19. Delphinus in lib. 4. de libero arbitrio circa med. ſub titolo, *Quanta ſit nunc poteſtas liberi arbitrij, & quid ſit hominem facere quod in ſe eſt.* in concluſ. 1. pagin. 161. tanquam veram S. Thomæ doctrinam, cui conſentiunt Scotus, Altiſiodorenſis, & Gerſon, docet: *Si quis in ſyluis nutriretur, ſequens ductum naturalis rationis interna cum fuga mali, & appetitu boni; certiſſimè tenendum eſt, quod Deus per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, vel prædicatorem mitteret.* Idem fuſiùs tradit in lib. 5. de iuſtificatione poſt med. in quæſt. *Poſſint ne, qui Euangelij prædicationem nunquam audierunt, ſalutem conſequi.* & confirmat verbis Gabrielis in 2. diſt. 22. quæſt. 2. art. 3. & Alexandri 2. part. quæſt. 129. memb. 8. quorum ſententiam retulimus ſect. 2. num. 27. & ſectione 4. num. 11. Cæterùm in vtroque loco citato, & paulò inferiùs poſt vtrumque locum, & præſertim in lib. 5. de iuſtificatione ſæpiſſime, vt pag. 193. & 205. conſtanter negat meritum, diſpoſitionem, ſeu præparationem ad gratiæ auxilia obtinenda, niſi per opera, quæ facimus, Dei præueniente motione excitati. Turrianus toto dogmatico de iuſtificatione, & toto dogmatico de electione docet, nihil nos obtinere per ſolas vires naturæ, ſed tantùm per opera, quæ Deus per gratiam operatur in nobis, concurrente libero arbitrio. Præſertim verò in dogmatico de electione fol. 6. refutat errorem affirmantiũ, ex viribus naturæ aliquod initium aut ſemen virtutis, & probat à ſolo Deo per gratiam volũtatem præparari.

Docet S. Thomæ doctrinã.

20. Corduba in quæſtionario lib. 2. de ignorantia quæſt. 5. ad 4. argumentum. facit: *In hunc ſenſum facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ, Deus non denegat gratiam, quia præſtò eſt Dei auxilium, illuſtrantis hominem, & monentis ad cognoſcendum, & amandum illum, vt finem ſupernaturalem, & ad ſe vltimatè, & perfectè diſponendum ad gratiam.* Quam doctrinam frequentiùs, fuſiúſque docuerat in præcedenti q. 4. præſertim propoſitione 3. probat. 2. & ratione 7. & longè inferiùs §. *ad commune autem dictum.*

21. Petrus Ciaconius in annotationibus ad Caſſianum propoſitione 2. admittit ex viribus naturæ ſine auxilio gratiæ dari remotam diſpoſitionem ad gratiam.

22. Antonius Pantuſa lib. de prædeſt. & gratia c. 6. poſt medium citatur pro eadem ſententia de diſpoſitione remota ex viribus naturæ.

23. Matthæus Feliſius inſtitut. Chriſtianæ diſp. 24. cap. 20. & 21. citatur pro eadem ſent.

24. Calderarius in expoſitione Pſalmi 50. lect. 23. tradit partem Maſſilienſis erroris malè cohærenti ratiocinatione inſertam opinioni Scholaſticorum de cauſa prædeſtinationis ex præſcientia bonorum operum, quam referre non vacat.

SECTIO VI.

Alij recentiores quid in eadem controuerſia docuerint.

1. PAlacios in 2. diſt. 29. diſput. 2. colum. 7. & 8. §. *Iam verò*, concedit morales virtutes, elicitas per ſolas vires liberi arbitrij, & non indigentes ſpeciali motione Spiritus ſancti, eſſe indirectas diſpoſitiones ad gratiam, & rationem ſubdit his verbis. *Nam, qui ad modum prædictum vitam ſuam moderatur infidelis, faciliorem habet tranſitum, vt illuminetur ad Chriſtianam pietatem, quàm qui corruptam vitam degit.* Cæterùm diſpoſitionem directam etiam remotam ad gratiam facienti, quod in ſe eſt, per ſolas vires naturæ denegat toto ſequenti contextu, & in fine præcedentis diſp. 1.

Carthagena de prędeſtinatione, diſcurſu 8. prope med. §. *reſpondendum igitur*, ait: *Quandoque homo fecerit quod in ſe eſt, iuxta id quod poteſt, ſiue per vires naturales, ſiue per vires ſupernaturales, clementiſſimus Deus ſufficienter illuminabit illum, vt credere poſſit. Nec ideo equidem aſſero, illud operari quod in ſe eſt per vires naturales, eſſe veram, infallibilem, rigoroſámque diſpoſitionem ad gratuita dona: ſed certè congruitatem quandam, quæ potiùs ſe tenet ex parte diuinæ bonitatis.* Et poſt pauca ſententiam magis temperat, dicens, ad initium iuſtificationis *naturam concurrere per modum remouentis impedimenta, qui concurſus eſt accidentarius.* 2.

Chriſtophorus de capite fontium in aſſertione catholica de libero arbitrio paulo poſt med. totius operis pagin. 201. & ſequenti docet, bona opera, ante fidem facta, & preces implorantis à Deo auxilium, & facientis quod in ſe eſt, ita grata, & accepta eſſe Deo, vt eorum contemplatione Deus fidei lumen, & gratiam largiatur. Et quantum ex toto ſuperiori, & inferiori contextu colligitur, agit de quibuſcumque operibus, etiam iis, quæ abſque auxilio gratiæ fiunt ante Baptiſmum, & ante vllam fidei notitiam. 3.

Toletus in epiſtol. ad Romanos à cap. 8. annotatione 31. versùs finem ait: *Quamuis aliquam cauſam eſſe affirmemus ex parte hominis, propter quam hos Deus ad fidem, & gratiam vocare voluerit, & propoſuerit, non autem illos; non propterea tolli rationem gratiæ diuinæ.* Quod magis temperat, & limitat, vt intelligatur de cauſa ſine qua non, merè voluntaria ex diuino beneplacito, abſque vllo merito, ex iuſtitia, *vt quando aliquis donat pecunias manum porrigenti, quoniam manum porrigit.* Hic locus à quibuſdam Doctoribus refertur, quaſi conſentiens cum Vega dicente, meritum de congruo non pugnare cum ratione gratiæ: nihilominus abſque fundamento ſufficienti. Sed ſingula examinare non vacat. Inſuper teſtimonium Toleti non bene adducitur ad probandum diſpoſitionem præuiam non pugnare cum ratione gratiæ: nam tota illa cauſa ſine qua non, pertinere poteſt ad ſolam remotionem impedimenti, & illam de facto exiſtere non affirmauit Toletus, ſed tantùm dixit illius exiſtentiam non pugnare cum ratione gratiæ. 4.

Conſentit cum Vega.

Bartholomæus Medina 1. 2. quæſt. 76. artic. 2. ad vltimum argumentum ait: *Deus dat vniuerſis hominibus ſufficiens auxilium, vt rectè, & ſtudioſè vitam inſtituant. Quod ſi facerent, ſine dubio illuminarentur.* Loquitur de infidelibus, agitque de conformitate ad legem naturalem; nam ſupernaturalem prorſus ignorare ſupponit. Idem reperit in quæſtione 109. articul. 10. poſt ſolutionem quartæ rationis, dum reſpondet ad obiectionem quamdam, vbi addit, ad hunc finem à Deo præberi *omnibus hominibus diuinarum inſpirationum viciſſitudines*; ſed illæ omnes non aliud reſpiciunt, quàm bonitatem morum ſe- 5.

cundùm

eundùm rationis lumen, quantum ex illo contextu colligitur.

6. Tam de puero, perueniente ad vſum rationis, quàm de quolibet adulto infideli, & prorſus ignaro fidei, ſi faciat quod in ſe eſt per vires naturæ, ſtatim infundendum eſſe lumen ſupernaturale fidei, quamuis non ſtatim detur gratia iuſtificans, docet 1. 2. quæſt. 89. articul. 6. ad 2. argumentum Capreoli, & quæſt. 109. articulo 6. columna penultima ad 2. & 3. argumentum. Fateor tamen, ambiguam, & difficilem eſſe cohærentiam eorum, qui ibidem ſequuntur, ſed in hoc amplius immorandum non eſt.

7. Bañes 2. 2. quæſt. 10. articul. 5. in medio, dum reſpondet ad quartum expreſsè affirmat per vires naturæ eſſe poſſibile *quod homo in ſtatu naturæ corrupta; præſertim ignorans ſuam debilitatem, deſideret, & nitatur, quantum in ſe eſt, atque proponat per totam vitam ſecundùm rectam rationem agere*, & poſt pauca de hoc ipſo deſiderio, & deliberatione agens, ait: *Quòd ſi homo in illa prima deliberatione, reuera egerit, quantum in ſe eſt, conuertendo ſe ad bonum, ſecundùm rationem proſequendum; piè credimus, quòd omnis, qui ita ſe gerit, illuminatur, & iuſtificatur à Deo per gratiam.* Sed vtrùm bene cum hac doctrina cohæreant, quæ ibidem ſequuntur, examinare non intereſt.

8. Solummodo obſeruandum eſt, hoc ipſum magis limitatum fuiſſe ab eodem authore 1. part. quæſtione 23. articul. 5. in 3. dubio, concluſ. 1. & 2. ait enim, ſi vera eſt prædicta ſententia ſancti Thomæ de veniente ad vſum rationis, neceſſariò intelligendum eſſe, quod prius natura, quàm adimpleat naturale præceptum, conuertendo ſe ad bonum, receperit gratiam præparantem. Cæterùm quantum ad hoc verbis multum, re autem parum, aut nihil reſtringit neceſſitatem gratiæ, ſed potiùs extendit gratiæ nomen. Nam ad finem primæ concluſionis ait: *Fortaſſis illud auxilium, quod vniuerſaliter dicimus conferri omnibus venientibus ad vſum rationis, non ſemper eſt ex parte intellectus; ſed ex parte voluntatis erit quædam inſtigatio ſupra naturam infirmam & peccato vulneratam, inclinando ad operandum bonum, quod aliàs lumine naturali cognoſcit.* Vnde primò conſtat ex parte intellectus non requirere vllam gratiam. Secundò ex parte voluntatis non requirere gratiam, quæ intrinſecè, & entitatiuè ſit ſupernaturalis, & verſetur circa ſupernaturale obiectum. Tertiò ſolam operationem moraliter bonam non excedentem dictamen rationis naturalis, & eius præſcriptum, probabiliter admitti tanquam initium iuſtificationis & præparationem ad gratiam.

Verbis multum, re parũ reſtringit gratiam.

9. Petrus de Aragon de initio iuſtificationis ex præueniente gratia, & de neceſſitate ſpecialis auxilij ad opera, per quæ tendimus, vel diſponimur ad gratiam iuſtificantem, ſiue mediatè, ſiue immediatè conſequendam, ſolidam, & veram Theologiam tradit 2. 2. quæſtione 10. articulo 4. concluſione 3. Eam tamen paulo pòſt ſubneruare videtur. nam ſi cum ſecundo argumento conferas duas ſolutiones ab Aragone datas, conſtabit quodcunque auxilium ſufficiens, vt homo per longum tempus bene moraliter operetur, eſſe etiam ſufficiens, vt initium iuſtificationis præbeat; & ineffabiliter conſequatur auxilia, quibus ſe vltimatè ad iuſtificationem diſponat. Quapropter nihil quod entitatiuè ſit ſupernaturale videtur requirere ad iuſtificationis initium; ſed ſolummodo gratiæ nomen extendit, vt de Gregorio, & Maiore dicebamus in ſect. 4. num. 18. & ſequentibus, & impugnabimus tota diſput. 25.

Aragon ſolidam tradit Theologiam.

Eam ſubneruat.

Cui doctrinæ conſequenter loquitur in ſolutione ad vltimum, probans verè fuiſſe Auguſtini ſententiam, quam Ariminenſis ſcripſit de impoſſibilitate cuiuſque moralis boni, abſque ſpeciali Dei auxilio. Idem author 2. 2. quæſt. 2. art. 3. poſt primam concluſionem ad 2. ait: *Qui ignorat inuincibiliter credenda, ſi faciat quod in ſe eſt, illuminabitur ſine dubio à Deo, & ſic non conſequetur ſalutem ſine ſupernaturali cognitione.* Vnde colligo, illud facere quod in ſe eſt, intelligi ante omnem ſupernaturalem cognitionem. Quòd magis limitat in eadem quæſt. 2. art. 5. versùs finem ad primum argumentum, dicens, *ſi faciat, quod in ſe eſt, ex auxilio ſpeciali Deus illuminabit*, &c. Sed hoc auxilium ſpeciale intelligit, quale ſuprà notauimus. 10.

Zumel affirmat puerum non baptizatum, qui in primo inſtanti vſus rationis ſe toto corde ad Deum conuerterit per lumen naturalis rationis; vel ſi Deum inuincibiliter ignorat, ſaltem ſtatuat apud ſe, viuere ſecundùm rectam rationem, & malũ fugere; protinus eſſe illuſtrandum à Deo, & efficaciter mouendum ad omnes actus, quibus infallibiliter conſequatur iuſtificationem, vt conſtat 1. 2. quæſt. 89. art. 6. diſp. 2. in 2. parte illius diſp. præſertim dicto 4. §. *Sed obſerua valde.* & diſputat. 3. p. 2. in confirmatione primæ concluſionis, & diſp. 4. præſertim dicto 4. 11.

Cæterùm huic ſententiæ limitationem adhibet 1. 2. quæſtione 113. articul. 4. diſputatione 2. poſt maiorem explicationem, concluſ. 4. & 5. dicens cuilibet puero in primo inſtanti vſus rationis dari ſupernaturale auxilium ex parte intellectus, & ex parte voluntatis, quo auxilio ſi bene vtatur, bonum honeſtum cognoſcendo, & amando tanquam finem; infallibiliter dabitur illi explicita cognitio Dei, & reliqua auxilia, quibus protinus iuſtificetur. In quo, vt omittamus plurimas alias, quæ inuoluuntur, difficultates, illud ſolùm obſeruemus, quo deficit ab exacta Theologia de initio iuſtificationis: quam in puero inuincibiliter ignorante Deum concedit iuſtificationis initium ſumi ab actu, qui, quantum ad totum ſuum obiectum, & quantum ad totam intrinſecam entitatem, eſt merè naturalis, & potuiſſet elici per ſolas vires naturæ ab aliquo adulto: & ſolummodo addit illi actui ſupernaturalitatem extrinſecam auxilij mouentis ad illum. Inſuper talem actum, concedit, tantæ virtutis eſſe, vt tanquam diſpoſitio infallibiliter obtineat cætera, quæ ad iuſtificationem requiruntur. 12.

Deficit à vera Theologia.

Idem author 1. 2. quæſt. 109. articul. 6. diſput. vnica, poſt concluſ. 4. §. *hæc aſſertio*, ait: *Quamuis ex operibus miſericordiæ & ceſſatione à peccatis per aliquod tempus, & ex deteſtatione imperfecta peccatorum, vt ſunt contra Deum authorem naturæ, & ex alijs bonis operibus, viribus naturæ præcisè factis inuitetur diuina miſericordia, vt conferat auxilia pro conuerſione ex mera gratia & mera liberalitate, tamen dicere quod eſt lex vniuerſalis & infallibilis Dei, ad quam omnino, & infallibiliter de facto ſequitur conuerſio.* Itaque infallibilem negat eſſe legem; verumtamen abſque infallibilitate prouocari miſericordiam concedit, & non longè ante concluſionem quintam aſſerit eadem opera eſſe *impetratoria,* 13.

& per modum impetrationis, imitando diuinam miſericordiam impetrare auxilia. cuius doctrinæ falſitas conſtat ex his quæ diximus diſput.20. ſect.1. concluſ. 5.

14. Idem in tomo primo opuſculorum ſectione 2. concl. 5. fine ait: *Si peccator ita ſe gereret, vt nullum nouum impedimentum gratiæ adhiberet; tunc auxilium gratiæ inciperet, non ex indebito, ſed ex illa liberali Dei largitate, qua ipſe ſtat ad omnium oſtium, & pulſat.* Quod confirmant omnia quæ tradit poſt concluſionem ſeptimam. Eamdem prorſus doctrinam repetit in tom.3. opuſculo de gratia, & libero arbitrio, diſcurſu 5. concl.3. fine, & ſequenti concl.4. cui reliquæ concluſiones ſequentes conſonant, & quæ ſcripſerat 1. part. quæſt.23. artic.3. quæſt.5. dubio 5.

15. Rectè idem author reſpuit omnem diſpoſitionem, impetrationem, aut meritum, & omne initium iuſtificationis, ex viribus naturæ: vt conſtat in plurimis concluſionibus & ſolutionibus, quæ præcedunt, & ſequuntur ad omnia loca citata, ſed non bene inde colligit impugnationem Molinæ, vt infrà conſtabit.

16. Molina in concord. ad quæſt. 14. articul. 13. diſputat. 10. § docet: *Quoties ex noſtris viribus naturalibus conamur, facere, quod in nobis eſt, præſtò nobis eſſe auxilia gratiæ, quibus ea, vt oportet ad ſalutem efficiamus.* & poſt pauca: *ſicut Deus præſtò eſt per concurſum generalem libero arbitrio, vt naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit; ita præſtò eſt illi per auxilium gratiæ ſufficiens, vt quoties ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex ijs quæ ad iuſtificationem ſpectant, illud exequatur prout ad ſalutem oportet.* Et poſtea exemplum ponit in hominibus, qui ex ſuis naturalibus conantur, & faciunt quod in ſe eſt, vt vel fidem amplectantur, vel de peccatis doleant.

17. In eodem articulo 13. diſputatione 14. num.5. longè poſt med. ait: *Chriſtus nobis promeruit auxilia, non ſolùm quæ, conantibus nobis ex noſtris naturalibus, efficere, quod in nobis eſt, præſtò eſſent, ac præuenirent, vt ſic illo eodem conatu eliceremus diſpoſitionem ſupernaturalem ad gratiam; ſed etiam quibus ſæpè excitaremur omnino.*

18. Hanc Molinæ ſententiam aliqui authores Semipelagiani erroris inſimulant, præſertim Zumel in omnibus ferè locis, quæ citauimus à num. 11. vſque ad 15. quandoque ſuppreſſo, quandoque expreſſo nomine authoris; præſertim verò in tomo primo opuſculorum, ſect.2. concl. 4. fol.290. & ſequentibus vſque ad concluſionem 7. & in ſolutione argumentorum, & tomo 3. diſcurſu 5. ante 1. concl. & omnibus ferè ſequentibus concluſionibus à pag.167.

Molinā aliqui Semipelagiani erroris inſimulāt.

19. Duo ſunt primaria puncta, circa quæ Zumel ſiniſtrè interpretatur Molinam contra illius expreſſa verba, quibus rectè explicatis, nullus aduerſùs eam ſententiam pugnabit Theologus.

Eum ſiniſtrè interpretatur Zumel.

Primum punctum eſt, quoniam ſemper ſupponit Molinam concedere in operibus moralibus, elicitis per vires naturæ, ineſſe aliquam rationem diſpoſitionis ad primam gratiam; præſertim verò in tomo 3. opuſculorum, diſcurſu 5. poſt concluſ. primam, paulò ante §. *moueor*. Notat Zumel rationem meriti expreſsè negatam eſſe à Molina, ſed minimè expreſſiſſe vtrum opera facta ex viribus naturæ haberent rationem diſpoſitionis.

20. Dico igitur primò, expreſsè ſatis, atque perſpicuè Molina negauit rationem diſpoſitionis etiam remotè ad primam gratiam vocationis, in quibuſcumque operibus moraliter bonis, productis per ſolas vires naturæ, vt euidens erit legenti concord. ad quæſt.14. art.13. diſp. 6. concl. 3. & diſp.8. circa med. & diſput.9. in princ. & diſp. 14. numero 5. Valde vrget neceſſitatem ſupernaturalis diſpoſitionis ad gratiam etiam virtute Sacramenti recipiendam.

Remotā diſpoſitionē expreſsè negauit.

Dico ſecundò, ex eo quòd Molina dixerit ea quæ ſuprà retulimus n.16. & 17. non bene infertur diſpoſitionem aliquam, aut aliquod iuſtificationis initium dari ex viribus naturæ. Probatur primò, quoniam ipſe expreſsè negauit omne initium iuſtificationis ex viribus naturæ, & omne meritum, impetrationem, & diſpoſitionem in locis nuper citatis. 21.

Defenditur.

Probatur ſecundò, quoniam expreſsè docuit bona opera per vires naturæ facta, non concurrere, niſi per modum remouentis aliqua impedimenta, quod præſertim explicuit in citata diſp.9. §. *patet tertiò*, dicens: *licèt Deus non vocet ad fidem propter merita aliqua eius, qui vocatur; imò ſæpè eos etiam miſericorditer vocet, qui pertinaciter reſiſtunt, & contradicunt,* (nimirum ſingulis quibuſque hominibus, quantumcunque obduratis, repetendo ſæpius vocationem & gratiam excitantem, vt expreſsè docet in diſput. 10.) *nihilominus magis indignus, vt ſupernaturaliter adiuuetur, & vocetur is eſt, qui ſiniſtra intentione, quam qui paratus obedire veritati ad ad audiendum accedit.* 22.

Tertiò probatur ex his, quæ dicemus vſque ad num.27.

Secundum punctum, prædictos impugnatores offendens, eſt illa infallibilitas diuinæ legis conferendi auxilia cuicunque facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ. 23.

Dico igitur tertiò, infallibilitas, quam Molina ponit, non pertinet ad totam iuſtificationem; ſed ſolummodo ad primam gratiam præuenientem. Vnde quantum ad hoc longe diſtant ab errore Maſſilienſium, quamplurimi ex impugnatoribus, ponentes infallibilitatem ad totam iuſtificationem in primo inſtanti vſus rationis, quoties puer non appoſuerit impedimentum, per vires naturæ, mortaliter peccando, vt conſtat apud multos Doctores in hac, & præcedentibus ſectionibus citatis.

Quam infallibilitatem concedat.

Dico quartò, infallibilitas prædicta non naſcitur ex operibus factis per vires naturæ, quaſi ex cauſa per ſe, quin imò cauſa per ſe illius infallibilitatis eſt lex infallibilis, conferendi gratiam præuenientem quibuſcunque hominibus, etiamſi non faciant quod ex ſe eſt, ſed reſiſtant gratiæ, & accumulent peccatorum impedimenta. Cæterùm opera moraliter bona facta per vires naturæ, ſunt cauſa per accidens remouendo impedimenta. Vnde fit vt Deus, qui ſemper paratus eſt dare gratiam præuenientem, conferat infallibiliter illi qui remouet impedimenta; cùm tamen alteri nonnumquam ſubtrahat propter eius impedimenta, vt dicemus diſput. ſequent. ſect.2. concl.1. & ſequentibus. 24.

Hanc doctrinam eſſe ipſam mentem Molinæ conſtabit apertè cuicunque viro docto, & bene in huiuſmodi cõtrouerſiis inſtructo, qui ſincero veritatis deſiderio legerit totum Molinę diſcurſum, in diſp.6.8.9.10.& 14. ſemper enim tanquam primarium fundamentum repetit generalem, & infallibilem Dei legem ex miſericordia Dei, & meritis Chriſti Domini profectam, dandi omnibus 25.

Eius mens.

etiam

etiam perditiſſimis hominibus gratiam præuenientem,& illam ſæpiùs iterandi. De quo notanda ſunt præſertim ea verba,quæ ſuprà num.17.ea diſp.14.Molinæ in memb.5.retulimus,atque ſemper excludit quodlibet initium iuſtificationis ex viribus naturæ,quibus ſolam vim relinquit remouendi aliqua impedimenta;vt vidimus dicto 2.

26. Confirmatur,quia Molina in eiſdem ipſis verbis,quæ retulimus n.16.& 17. expreſsè profitetur eſſe præuenientem illam gratiam , quæ datur facienti quod in ſe eſt,& vtitur exemplo Solis illuminantis omnem hominem,qui non apponit impedimentum lumini ; quod deſumptum ex S. Thom.3. contra Gentes cap. 159. commune eſt Molinæ cum ſuis impugnatoribus.Ex quo ſaltem exemplo potuiſſent animaduertere,quanta vis inferatur prædictæ ſententiæ,quando torquetur ad Semipelagianiſmum.

27. *Plus cæteris à Semipelagianis diſtat.* Dico quintò,multo longiùs diſtauit à Semipelagianiſmo prædicta ſententia Molinæ,quàm cæteri omnes Scholaſtici, quos in hac, & ſequentibus ſectionibus retulimus, vt cōſtabit ſingula eorum dicta conferenti. Vnde quid cauſæ fuerit, ob quam cæteris omnibus prætermiſſis in vnum Molinam conferatur Semipelagiani erroris aut pars, aut ſuſpicio,aut periculum ? conſideratione potius, quàm explicatione opus habet.

28. Valentia 1.2.quæſt.4. puncto 2.propè finem,& quæſt.6.puncto 4.ſub titulo,*gratiam non cadere ſub merito. §. porrò.* & ſequenti , docet homini , qui præuentus eſt aliqua Dei gratia actuali, & facit quod in ſe eſt , Deum non denegare vlteriora auxilia gratiæ. Additque nullum facere, quod in ſe eſt , niſi præuentum eiuſmodi gratia , quoniam omnes præuenit. Atque ſub eodem modo faciendi quod in ſe eſt, ſuppoſita gratia præueniente ignorantibus myſteria fidei conferendam eſſe notitiam ſiue per reuelationem , ſiue per externorum prædicationem,docet 2. 2. diſp.1. q.2. punct.2.in argumento 5.& eius ſolutione & puncto 4.ad 2.obiectionem.

29. Bellarminus vniuerſaliter, & abſque vlla diſtinctione reſpuit,facientes quod in ſe eſt per vires naturæ, ne illis gratia conferatur, ſed ſolummodo facientibus,quod in ſe eſt,cooperando gratiæ præuenienti,conferatur vlterior gratia.Ita de gratia & libero arbitrio lib.6.cap. 6. ad obiectionem 3.& conſonat lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap.8.ad 3. argumentum.

30. Eodem modo proceſſit Petrus de Soto agens de ſacramento Pœnitentiæ tota lectione 9.

31. *Laudatur Suarez.* De Franciſco Suarez nihil opus eſt dicere,cùm ipſe luculenter atque ſapienter non ſolùm ſuam, ſed etiam aliorum de hac re ſententiam explicuerit, in prima parte lib. 2. de cauſa prædeſtinationis à cap.6. præſertim cap. 7. 9. & 18. & in opuſculo de auxiliis lib. 3. cap. 2. & fuſiùs in libris de gratia. Ioannes Mariana lib. 3. de morte & immortalitate cap. 9. non ſolùm probat aliquid boni fieri poſſe viribus naturæ (idque bene contra Vaſquez,)ſed etiam addit illud eſſe remotam diſpoſitionem ad gratiam . & quæ vix mereatur nomen diſpoſitionis remotæ , Deus enim bonis operibus flectitur , ſed magis ſua benignitate , &c. Fortaſſis intellexit ſolam remotionem maioris impedimenti.

32. Nauarrete 1.part.q.19. art.8. controuerſia 23. pag.457.obiter hanc difficultatem attingens , ait: *Licèt quando viribus naturæ facit homo totum,quod in ſe eſt , non ſe diſponat ad gratiam diſpoſitione , quæ ex natura ſua,& neceſſariò exigat gratiam ; ſed ſolùm piè credendum ſit, quòd Deus tunc non denegabit gratiam, ſeu auxilium ſupernaturale;tamen aliquo modo dicitur præparatio illa , diſpoſitio.* Hæc ſententia , vt ſonat , viribus naturæ plus æquo valorem tribuit; ſed quo temperamento & explicatione liberari poſſit à falſitate,conſtat ex ſupradictis.

Ruiz de Prouidentia Dei.

33. Didacus Aluarez lib. 7. de auxiliis diſput. 56. & 57. quamuis præcipuis in articulis rectè contra Semipelagianos ſentiat ; cæterùm non ſatis ab illis receſſit , quando exiſtimauit conuerſionem ad Deum,vt eſt author naturæ, & non vt eſt author gratiæ , qua conuerſione solummodo naturale præceptum impleatur,ſufficere,vt protinus illuminandus ſit puer, atque iuſtificandus per vlteriora auxilia , idque propterea , quoniam illa conuerſio ex ſpeciali , & ſupernaturali auxilio concepta ſit.Vide illum dicta diſp.56.conferendo num.23. cum præcedenti num. 22. Docet itaque expreſsè actionem , quæ ex obiecto ſit merè naturalis,ſufficere ad iuſtificationis exordium:vnde videtur etiam parum curare , verùm ſit entitatis ſupernaturalis ſibi intrinſecæ : ſiquidem de hoc non meminit, præſertim quoniam intellectiones & volitiones entitatiuè ſupernaturales non verſantur circa obiectum merè naturale. Quapropter iſtius doctrinæ impugnatio colligi poterit ex dicendis tota diſp.23.& ſequentibus.

34. Idem author in diſp.77.concl.2. exiſtimat, conatus & induſtriam miniſtrorum Eccleſiæ eſſe cauſam ſine qua non , ad interiorem vocationem regulariter neceſſariam. Inſuper hanc cauſalitatem eſſe in eodem gradu,vt quamuis non ſit principalis cauſa conuerſionis , nihilominus ſit concauſa,& cooperetur ad conuerſionem,diſponendo ſubiectum , quemadmodum reſpiratio , & cibus,eſt cauſa *ſine qua non* vitæ animalis.

Nihil eſt quod in præſenti tractemus de Sacrificio Miſſæ, atque de Sacramentis,quorum indubitata eſt efficacia. Inſuper dubium non eſt, quin orationes miniſtrorum Eccleſiæ, impetrando , & de congruo merendo magnam vim habeant ad peccatoris cuiuſque conuerſionem.

35. Sed prædictam aſſertionem author expreſsè applicat ad prædicationem, doctrinam,cōſilium, exhortationem , ſimiles induſtrias miniſtrorum Eccleſiæ.At verò illæ omnes in alios homines nihil ſupernaturale poſſunt producere , nec iuuare ad illius productionem:ſolummodo namque producere poſſunt in auribus, & in oculis, aut etiam in aliis ſenſibus, ſpecies, quibus excitata phantaſia,& miniſtrante phantaſmata,intellectus agens eliciat intelligibiles ſpecies , & manuducatur ad cognitiones , diſcurſuſque merè naturales. Cùm autē omnes ij effectus,in alio homine reſultantes immediatè , vel mediatè ex conatu vel induſtria cuiuſque miniſtri Eccleſiæ , ſint merè naturales, nihilque ſupernaturale habeant ſibi intrinſecum; quicumque concedit eiuſmodi conatus concauſare , & cooperari ad conuerſionem , diſponendo ſubiectum , quemadmodum reſpiratio , & cibus cooperantur ad vitam animalis:proximè accedit ad concedendū quod inde ſequitur, videlicet aliquos effectus , & actiones merè naturales in homine eſſe diſpoſitiones ſubiecti per ſe & ex natura rei (& non per accidens)vtiles,& accommodatas ad recipiendam gratiam. Explicatur magis & confirmatur. nam eiuſdem ordinis , & vtilitatis ſunt omnes diſpoſitiones , quas vnus homo ſibi adquirere poteſt naturali conatu & induſtria , le-

gendo pios libros, addiſcendo liberales artes, conſiderando res omnes naturales cœleſtes & terreſtres, meditando, diſcurrendo, & quāuis inde plurimas ſpecies intelligibiles acquirat, plurimáſque rerum naturales notitias, aut effectus, & deſideria moraliter bona; ſed hæc omnia, qui aſſerit eſſe diſpoſitiones ſaltem remotas ad conuerſionem, vel aliquod illius initium, cēſetur aliquid accedere ad Semipelagianorum errorem, eodem Didaco Aluarez iudice in citata diſp. 56. & 57. ſed de hac re plura dicemus diſp. 39. ſect. 4.

DISPVTATIO XXII.

Vtrùm facienti, quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ, conferantur auxilia gratiæ?

SECTIO I.

Diſputationis ſtatus.

1\. DE hac controuerſia multa in præcedenti diſputatione dicta ſunt; ſed obiter, & non alio ſeruato diſſerendi ordine, niſi quem cuiuſque authoris ſententia exponenda, vel reſpuenda poſtulabat. Propterea neceſſarium eſt nunc ſeruato doctrinæ ordine, atque ex profeſſo tractari.

2\. Obſeruandum eſt, præſentis quæſtionis deciſionem eſſe veluti partem, aut appendicem virtute contentam in eo catholico dogmate, quod in præcedentibus diſputationibus confirmatum eſt, præſertim à diſp. 17. vſque ad 20. Ideò pauca quædam erunt neceſſariò repetenda; alia verò remittenda. Sed quia non rarò à Doctoribus hæc diſputatio inuoluitur cum præcedentibus, diligenter notare debemus diſcrimen, ac proprios fines præſentis diſputationis. In præſenti namque non quæritur, vtrùm facienti quod in ſe eſt, ex viribus naturæ conferantur auxilia gratiæ, tanquam propter merita de congruo, vel tanquam propter diſpoſitiones, etiam remotas, nec tanquam propter impetrationem, aut conditionem, ſeu occaſionem. Nuda igitur cōſecutio eſt, quæ tractanda proponitur in præſenti diſputatione, ſed conſequenter etiam tractatur, vtrùm ea conſecutio poſſit eſſe in re ſeparata à merito impetratione, diſpoſitione, conditione.

Status quæſtionis.

3\. Duæ ſunt primariæ partes huius diſputationis. Altera vtrùm quotieſcumque homo neruos, & naturales vires intendit, ad obiectum ſupernaturale cognoſcendum, vel amandum, eo modo quo præcepta ſupernaturalia dictant, eſſe cognoſcendum, vel amandum; tunc continuò & infallibiliter adſit in promptu ſupernaturale auxilium, virtute cuius actus euadat ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem. De hac parte dicemus ſect. 5.

Duæ eius primariæ partes.

Altera pars, quam continuò explicare aggredimur, verſatur circa hominem, qui ſupernaturale obiectum vel prorſus ignorat, vel nihil de illo cogitat, vel ſaltem non applicat conatum ſuum, vt circa obiectum ſupernaturale verſetur, & quaſi arripiat auxiliū ſupernaturale, ſed ſolummodo intentionē, & vires naturæ confert ad actiones moraliter honeſtas, conforméſque naturali rationi.

4\. Quæremos igitur, vtrùm ex huiuſmodi actionibus honeſtis inferatur auxiliū gratiæ dādum, non ex promiſſione, aut pacto, ſed tantùm ex ſimplici decreto, quo Deus per meram & liberalem miſericordiam ita ſtatuerit, nulla prorſus iuſtitiæ, vel debiti ratione interueniente, idque ſiue auxilia ſint protinus, ac ſine temporis mora tribuenda, ſiue pro temporis opportunitate, ac poſt plurimas actiones moraliter honeſtas; ſiue conſequutio ſit certa & vniuerſalis, ſiue ſolummodo probabilis, & quandoque contingens.

SECTIO II.

Deciſio diſputationis.

SIt prima concluſio. Ex eo quòd aliquis faciat totum quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ, eliciens actiones honeſtas, non ſequitur illi concedenda eſſe auxilia ita congruentia, & opportuna, vt illis infallibiliter obediat, & iuſtificetur. 1.

Quid de congruentibus auxilijs dicendum.

Probatur primò, quoniam ex eo quòd aliquis faciat, quod in ſe eſt per actiones mere naturales, non ſequitur, infallibiliter illi concedenda eſſe auxilia ſufficientia peculiari priuilegio vltra legem dandi auxilia, etiam iis, qui propter negligentiam omittunt eiuſmodi actiones naturales, vt oſtendetur in concluſione 3. ergo multo minus ſequetur concedenda eſſe auxilia ita congruentia, & opportuna, vt illis infallibiliter obediat, & iuſtificetur.

Probatur ſecundò, quoniam facienti quod in ſe eſt, per auxilia ſupernaturalia fidei, & ſpei, quamuis dentur auxilia ad contritionem, & charitatem, ſed non ſequitur inde, ita congruentia, & opportuna auxilia donari, vt infallibiliter cōſequatur iuſtificationem; ſed plerumque auxiliis ordinatis ad contritionem & charitatem homo liberè reſiſtit in peccato mortali, poſtquam cooperando auxiliis gratiæ elicit actus ſupernaturales fidei, & ſpei: ergo multo minus ſequentur hæc infallibilia auxilia ex actionibus quibuſcumque quæ non excedunt vires naturæ. Probatur conſequentia, quoniam cooperatio cum auxiliis ſupernaturalibus fidei, & ſpei magis proportionata eſt ad inferenda auxilia vlteriora gratiæ, quàm quicumque bonus vſus liberi arbitrij ſine gratia. 2.

Probatur tertiò, quoniam nulla authoritate ſacræ Scripturæ, aut Sanctorum poteſt probari illa conſequutio opportuni, & congruentis auxilij ex operibus naturæ, nam ſi aliqua authoritas eiuſmodi foret, maximè illa, quæ de Petro ad Cornelium, & de Philippo ad Eunochum miſſis, aſſerri ſolet, quæ quàm aliena ſit à præſenti, videbimus diſp. 24 ſect. 3. 3.

Venio igitur ad auxilia communia & ſufficientia, ex quibus non ſequitur infallibiliter fore, vt homo obediat, & iuſtificetur. 4.

De his ſit ſecunda concluſio. Cuicunque homini faciēti, quod in ſe eſt, per actiones honeſtas, ex ſolis naturæ viribus infallibiliter conferenda ſunt auxilia ſupernaturalia excitantia ad iuſtificationem pro opportunitate loci & tēporis. In quo erit ea ſaltem infallibilitas generalis prouidentię, qua omnibus hominibus, etiam iis, qui omittunt facere quod in ſe eſt, per vires naturæ conceduntur infallibiliter auxilia ſufficientia pro loco & tempore, idque propter miſericordiam vniuerſalem, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, ad cuius executionem pertinet ſtare ad cuiuſcumque hominis oſtium, & pulſare.

De ſufficientibus ſecūda concluſio.

Huius concluſionis probatio nullam difficultatem habet, ſi aduertas quod in ipſa concluſione 5.

contınen

continetur, videlicet conſecutionem hanc non inde robur accipere, quoniam iſte homo facit quod in ſe eſt per vires naturæ; ſed ea eo quod omnibus hominibus ſine vllo diſcrimine, etiamſi quod in ſe eſt facere negligant, Deus conferat præuenientem gratiam pro opportunitate loci, & temporis. Quapropter hic modus loquendi erit quaſi materialis, perinde ac ſi diceres, omnibus hominibus nauigantibus ad Indos conferuntur à Deo auxilia ſupernaturalia: quod ea ratione verum erit, quia ſiue nauigauerint, ſiue mare nunquam conſcenderint, omnibus conferuntur auxilia.

6. Atque ad confirmationem concluſionis addere poſſumus, auxilia gratiæ non impediri operibus moraliter bonis, ſed potiùs per illa remoueri aliqua impedimenta gratiæ; ergo ad auxilia ſupernaturalia obtinenda, quæ infallibilitas erat ſine operibus moraliter bonis, eadem nihilominus remanet ſi fiant opera moraliter bona.

7. Tertia concluſio, ſi abſolutè atque doctrinaliter loquamur, nulla explicatione adhibita, debemus conſtanter aſſerere, facientibus quod in ſe eſt per vires naturæ, non conferri auxilia gratiæ.

Facientibus quod in ſe eſt per vires naturæ non conferuntur auxilia gratiæ. Probatur 1.

Probatur primò, quoniam Theologorum ſermo debet eſſe formalis, reſpiciénſque ad illa, quæ rebus per ſe conueniunt, non quæ materialiter, & per accidens. At verò opera moraliter bona, elicita per ſolas vires naturæ, per ſe atque ratione ſui, nullo titulo, aut priuilegio gaudent, vt obtineant ſupernaturalia auxilia: vt ſatis conſtat ex omnibus præcedentibus diſputationibus, præſertim à 17. vſque ad 20. Vnde non ſolùm infallibilitatem auxilij ratione ſui non afferunt, ſed nec vllam maiorem probabilitatem: nam ſi qua eſt maior probabilitas, ea per accidens prouenit: vt dicemus ſect. ſeq. concl. 1. & 2.

8. Probatur ſecundò, quoniam Concilia & Patres, quos retulimus in eiſdem diſputationibus, vniuerſaliter negant connexionem, aut conſecutionem gratiæ ex noſtris operibus, & nullam limitationem adiiciunt; ergo nec nos limitare debemus, præſertim cùm argumenta quę limitationem oppugnent, grauiora ſint, quàm illa, quæ limitationem probare videntur. Circa antecedens ponderanda ſunt verba Cōcilij Arauſicani II. can. 6. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam Dei dicit conferri; non autem diuinitus vt credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem ſancti Spiritus fieri confitetur; aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium; neque vt obediens & humillimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti, Quid habes quod non accepiſti, & gratia Dei ſum, id quod ſum.*

9. Perpende igitur primò illum loquendi modum, *credentibus, deſiderantibus, conātibus*, &c. quod nihil aliud eſt, quàm dicere, *facientibus quod in ſe eſt per vires naturæ.* Nam hîc maioris claritatis gratia Patres conglobatas omnes quaſi ſpecies poſuerunt pro genere; eſt namque veluti quoddam genus, *facientes quod in ſe eſt per vires naturæ*, cuius quaſi ſpecies ſunt, *credentes, volentes, deſiderantes, conantes, vigilantes*, &c. ſi hæc non fiant per Spiritus ſancti inſpirationem, & infuſionem.

10. Confirmatur, quoniam ſi aliqua eſſet conſecutio, per quam ab operibus bonis per ſolas vires naturæ fieret gradus, ad Dei miſericordiam, & ſupernaturalia auxilia conſequenda, iam tunc abſolutè & ſimpliciter vera eſſet hæc propoſitio: *Credentibus, deſiderantibus, conantibus, petentibus, datur miſericordia Dei.* Quæ propoſitio reprobatur in prædicto canone Arauſicano.

Probatur tertiò ponderando poſtremam propoſitionem eiuſdem canonis: *Aut obedientiæ humanæ, ſubiunxit gratiæ adiutorium.* Quod etiam Petrus Diaconus & eius ſocij Græcorum Legati in libro de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 8. ſic dicunt: *Contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens, humano labori ſubiungit gratiæ adiutorium.* At verò adiutorium gratiæ ſubiungeretur obedientiæ humanæ; ſi ea præceptorum adimpletio, quæ per ſolas vires naturæ fieri poteſt, ac proinde appellatur humana, eſſet antecedens, ex quo tanquam conſequens ſequerentur auxilia; nam omne conſequens ſubiungitur antecedenti. 11.

Arauſicani propoſitio ponderatur.

Explicatur & confirmatur primò. nam opera moraliter bona, quæ per ſolas vires naturæ eliciuntur, perſæpe ſubiunguntur gratiæ, quatenus gratia impetrat, vel excitat, vt illa etiam opera eliciantur. Inſuper eadem opera multoties iunguntur, ita vt nec opera ſequantur ex gratia, nec gratia ex dictis operibus conſequatur, nec alia ratione intrinſeca copulentur, præterquam vnitate ſubiecti, & coëxiſtentia durationis: at verò gratiam prædictis operibus ſubiungi, hoc eſt impoſſibile. 12.

Cōfirmatio 1.

Confirmatur ſecundò. nam Maſſilienſes notantur erroris, eo quòd *priorem volunt obedientiam eſſe, quam gratiam*, vt Proſper ait in epiſt. ad Auguſtinum poſt med. ſimiliterque Hilarius in epiſt. ad Auguſtinum prope initium eoſdem notat; quoniam dicebant voluntatem noſtram præcedere, & gratiam Dei non eſſe præuiam, ſed comitem, aut pedissequam liberi arbitrij. 13.

Confirm. 2.

Probatur quartò, quoniam ſi aliqua infallibilitas, aut maior probabilitas auxiliorū ſupernaturalium ſequeretur ex eo quòd aliquid faciat quod in ſe eſt per vires naturæ, vltra eam infallibilitatem auxiliorum, quæ cōmunis eſt omnibus peccatoribus, iam aliquod initium ſalutis & iuſtificationis eſſent opera elicita per vires naturæ. Nam aliquod initium cuiuſque boni eſt illud, ex quo infallibiliter ſequitur illud bonum, aut ſaltem ſequitur maior probabilitas perueniendi ad illud bonum. Porrò nullum initium iuſtificationis exiſtere, niſi ex præueniente gratia, probatum eſt diſputationibus præcedentibus à diſp. 17. vſque ad 20. præſertim diſput. 18. 14.

Naturæ opera eſſent iuſtificationis initium.

Confirmatur primò, quoniam iam illæ operationes, elicitæ viribus naturæ, vtiles eſſent ad iuſtificationem, quaſi afferentes, vel nouam infallibilitatē, vel maiorem probabilitatem auxiliorum ad iuſtificationem; quare non eſſent reputandæ omnino pro nihilo in ordine ad iuſtificationem. Atqui ſacra Scriptura & Patres, omnia quæ per ſolas vires naturæ fiunt, reputant prorſus nihil, nulliúſque vtilitatis eſſe in ordine ad iuſtificationem, ſuprà diſp. 18. ſect. 1. 15.

Confirmatur ſecundò, quoniam iam Dei vocatio aliquo modo eſſet ſecundùm opera noſtra contra Paulum 2. ad Timoth. 1. de quo diſp. 18. ſect. 1. dictum eſt.

Quintò probatur, quoniam vt maior aliqua probabilitas ſupernaturalium auxiliorum ſequatur ex eo, quòd homo faciat quod in ſe eſt per vires naturæ, neceſſarium eſt dari ſaltem aliquos homines, quibus non daretur gratia, ſi non facerent 16.

Non facientibus quod in ſe eſt non datur gratia.

rent quod in ſe eſt, & tamen daretur facientibus quod in ſe eſt. Vnde vlteriùs ſequeretur hos ipſos homines venire ad gratiam per ſuum liberum arbitrium. Hoc autem damnat Arauſicanum c. 8. & Proſper contra Collatorem cap. 39. definit. 6. quorum verba retulimus diſputatione 20. ſectione 3. num. 7.

17. Sextò probatur, quia ſi diuinum decretum conferendi auxilia gratiæ, fuit tale, vt ex vi illius ſit maior aliqua probabilitas obtinendi auxilia, homini facienti quod in ſe eſt per vires naturæ; idque habito reſpectu ad bonitatem operum (vt omittam remotionẽ impedimẽti, de qua dicemus ſect. ſeq. concl. 1. & 2.) Si, inquam, tale fuit diuinum decretum, ex eo ſequitur, opera facta per ſolas naturæ vires, eſſe aliquam præparationem ad gratiam. Nam quidquid non eſt remotio impedimenti (quale ſolum eſt peccatum) & propterea iuuat quocumque modo, vt agens intuitu illius incipiat introducere diſpoſitiones ad formam, illud eſt aliqua præparatio ad formam ſaltem remota, & quamuis aliquis voce negret præparationem, re tamen ipſa concedit, ſi concedit iuuare modo ſupradicto. At verò omnem præparationem ad gratiam non eſſe ex viribus naturæ, probabimus diſputatione 20. ſect. 5. concl. 2.

Opera naturæ eſſent præparatio ad gratiam.

18. Confirmatur primò, quia quando Deus vult auxilia conferre ei, qui facit quod in ſe eſt, per ſolas vires naturæ, ſi hoc vult ſine vllo intuitu bonorum operum moralium; iam perinde conferrentur auxilia eidem homini, etiamſi non feciſſet quod in ſe eſt, per vires naturæ, quod nos intendimus. Si autem conferre auxilia Deus vult intuitu operum moraliũ, quæ videt elicienda eſſe ſine auxiliis gratiæ; iã aliqua datur ratio, & congruentia ex parte huius hominis, vt Deus illi velit conferre auxilia gratiæ; ac proinde aliquo modo minuitur ratio gratiæ, quæ tanto magis eſt gratia, quanto tunc habet ſummo gradu rationem gratiæ, quando nulla prorſus eſt ratio, aut congruentia illius ex parte eius, qui recipit gratiam, vt vidimus diſp. 18. ſect. 5. & 3.

19. Confirmatur ſecundò, quoniam iam gratia aliquo modo eſſet ex operibus, ſed gratiam nullo modo eſſe ex operibus, docet Paulus multis in locis adductis in eadem ſect. 5. & 3.

Eſſet ex operibus.

20. Probatur ſeptimò, quoniam diuina gratia antecedit omnem rationem ex parte ſua, ita vt gratia excitans huic homini, conferatur, vel conferatur abundantior, efficacior, aut frequentior, quia Deus vult, & non alia de cauſa, vt ex illis verbis ad Rom. 9. *Miſerebor, cui miſerebor, & non eſt volentis, neque currentis*, perpendimus diſp. 18. ſect. 4. Si autem ex eo quòd aliquis faceret, quod in ſe eſt per vires naturæ, ſequeretur aut noua infallibilitas gratiæ, aut maior probabilitas; iam ille conatus ex viribus naturæ eſſet aliqua ratio gratiæ.

Confirmatur. Confirmatur, quoniam inde etiam ſequeretur nos aliquo modo quærere Deum per ſolas vires naturæ, prius quàm Deus nos quæreret per auxilia gratiæ, contra ea, quæ diximus in eadem diſp. 18. ſect. 7.

21. Octauò probatur, quoniam aliqua cauſa alicuius diſcriminis inter homines, daretur ex operationibus elicitis per ſolas vires naturæ; ſi homini benè operanti per vires naturæ, aut noua infallibilitate, aut maiori aliqua probabilitate, concedenda eſſent auxilia gratiæ. Quapropter idem homo ſe diſcerneret aliquo modo, neque initij gratiæ tota gloria tribueretur Chriſto Domino; ſed aliquid humanæ libertati, antecedenti gratiam tribuendum eſſet, contra ea quæ probata ſunt in eadem diſp. 18.

Homo ſe diſcerneret.

Confirmatur, quoniam iam non mera ſorte, ſed conſilio ſuo ſibi aliquis afferret diſcrimen, quod eſſe contra ſacras Litteras, probatum eſt in eadem diſp. 18. *Confirmatur.*

Nonò probatur ab exemplo prædeſtinationis Chriſti Domini; quoniam in Chriſti Domini humanitate, vt eligeretur ad vnionẽ cum verbo, nihil prorſus præceſſit, ratione cuius eſſet infallibile, aut ſaltem eſſet probabilius illam humanitatem, potius, quàm aliam aſſumendam eſſe à Verbo diuino; ſed prædeſtinatio Chriſti Domini eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, in his quæ per ſe conducunt ad prædeſtinationem; ergo vt homo prædeſtinetur ad auxilia ſupernaturalia gratiæ, nihil præcedit in aliquo homine, ratione cuius infallibile ſit, aut magis probabile, illi homini potius, quàm alteri conferenda eſſe auxilia gratiæ. De hoc argumento recole dicta in citata diſp. 18. ſect. 10. 22.

Chriſtus noſtræ prædeſtinationis exemplar.

Decimò redditur ratio à priori, quoniam cùm moralia bona comparatione auxiliorum gratiæ ſint tam inferioris ordinis, vt meritò à ſacra Scriptura, & Patribus reputentur pro nihilo; ordo prouidentiæ poſtulat, vt illorum non habeatur ratio, ad conferenda auxilia ſupernaturalia; niſi ea præciſè ratione, quatenus vel impedimenta remouent, vel opportunitatem ſuauioris prouidentiæ offerunt, vt quælibet res naturalis offerre poteſt, modo explicato in diſput. 16. 23.

Ratio à priori.

SECTIO III.

Superioris ſectionis poſtremam concluſionem explicans, & duas alias ſubiungens.

Qvamuis rationes, quæ probant non ſequi peculiarem infallibilitatem auxiliorum ſupernaturalium, ex eo quòd aliquis faciat quod in ſe eſt per vires naturæ; eædem etiam probent non ſequi probabilitatem aliquam maiorem auxiliorum; nihilominus firmiùs probant, non eſſe vllam nouam infallibilitatem, quia inconuenientia numerata in argumentis, manifeſtius ſequuntur ex infallibilitate noua auxiliorum, quàm ex ſola probabilitate maiori. 1.

Non ſequitur probabilitas maior.

Eadem argumenta probant, nullum peculiare priuilegium ſupernaturalium auxiliorum conceſſum eſſe facienti quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ; manent tamen communia priuilegia, quæ indifferenter pro ſua libertate Deus cõfert etiam eis, qui omittunt facere quod in ſe eſt. Nullum, inquam, peculiare priuilegium, neque quoad maiorem auxiliorum copiam, aut maiorem congruentiam illorum cum libero arbitrio, aut maiorem efficacitatem, aut frequentiam, neque quoad aliud quidpiam, excepto eo, de quo dicemus n. 7. & ſequentibus. 2.

Vera eſt doctrina ſuperiùs dicta, etiam ſi aliquis per longum tempus faciat quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ, & quamuis de lege communi totum quod in ſe eſt, nullus faciat longo tempore ſine auxilio ſupernaturali; adhuc tamen, licet alicui daretur auxilium ſpecialis prouidentiæ naturalis, vt longo tempore faceret totum quod in ſe eſt per vires naturæ, inde non alia probabilitas auxiliorum ſupernaturalium ſequeretur, niſi quæ ex remotione impedimẽti & opportunitate ſequitur; 3.

ſequitur;quod prob andum erit ſequenti diſp.23. ſect. 5.

4. *Neque ex congruentia dantur auxilia.* Qui diceret, non ex condignitate operum, ſed ex quadam congruentia dari auxilia ſupernaturalia, peculiari ratione & infallibilitate, iis qui faciunt, quod in ſe eſt per vires naturæ: hic non propterea effugeret Maſſilienſium errorem, qui manifeſtè agnoſcebant, nullam eſſe condignitatem bonorum, quæ fiunt per vires naturæ ad auxilia gratiæ; ſed tantùm eſſe congruitatem, vt oſtenſum eſt diſp.14.ſect.2.

5. Qui diceret, opera elicita per vires naturæ non neceſſariò auxilia gratiæ, ſed multis gratiæ auxilia conſerri, nullis præcedentibus operibus naturalibus; veruntamen quando præcedunt opera moralia elicita per vires naturæ, iam illi peculiari ratione, & infallibilitate conferenda eſſe auxilia gratiæ ſupernaturalia; ille, inquam, qui tale affirmaret, non propterea liberaretur ab errore Maſſilienſium. Nam Caſſianus illorum Magiſter aſſerebat, in quibuſdam hominibus gratiam præcedere, in aliis conſequi ad opera elicita per vires naturæ, vt vidimus in eadem diſp.14. ſect. 5. & impugnauimus ſect. præcedenti poſt concluſionem 3. probat.5.

6. *Neque ex decreto Dei.* Qui dicit ita conſerti auxilia ſupernaturalia homini, facienti quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ, vt tamen opera moralia nullam habeant rationem diſpoſitionis proximæ, aut remotæ, nullam rationem meriti de congruo, aut de condigno, nullam impetrationem, nullam promiſſionem, aut pactum Dei, ſed ſolummodo ſimplici decreto Dei ex mera miſericordia facto, ſtatutum eſſe, vt peculiari infallibilitate, aut maiori probabilitate auxilia ſupernaturalia darentur facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ, quamuis perſæpe dentur etiam iis, qui omittunt facere quod in ſe eſt. Hic, inquam, qui ita exiſtimat, non poteſt euidenter conuinci Maſſilienſis erroris: nihilominus verè aliquam illius partem includit, quam ſimul cum aliis primariis refutant Patres, vt oſtendunt probationes pro tertia concluſione adductæ in ſectione ſuperiori. Hactenus de explicatione cauſalitatis, aut vtilitatis per ſe deſeruientis ad gratiam.

7. *Prodeſt tanquam cauſa per accidens.* Nunc de cauſalitate per àccidens ſit prima concluſio. Facere quod in ſe eſt per vires naturæ, prodeſt ad obtinendam gratiam quaſi cauſa per accidens, nihil influendo, ſed ſolummodo præcauendo impedimentum prohibens. Vnde fit, vt illa infallibilitas, accipiendi gratiam excitantem, & auxilia ſufficientia pro loco & tẽpore, quæ communis eſt omnibus hominibus, etiam contemnentibus facere quod in ſe eſt, reddatur magis infallibilis accedente aliqua probabilitate maiori, accipiendi citius hîc, & nunc prædictam gratiam excitantem, & auxilia ſufficiéntia.

8. Hæc concluſio ſatis probata & explicata fuit diſp.16.ſect.1. Nunc ſolummodo recolendum eſt breuiter, hominem per vires naturæ non poſſe præcauere omnia impedimenta gratiæ, ſed ſolummodo aliqua. Deinde iam commiſſa impedimenta remouere non poſſe. Tertiò, hanc cauſam per accidens præcauendi aliqua impedimenta non eſſe neceſſariam ad excitantem gratiam, & ſufficientia auxilia accipiendi; ſed gratiam excitantem, & cætera ſufficientia auxilia vtplurimum dari, & offerri ſine hac cauſa per accidens. Quartò, etiam data cauſa per accidens, nulla infallibilitate dari iuſtificationem, quamuis infallibiliter deotur gratia excitans, & auxilia ſufficientia modo nuper explicato.

9. *Occaſio & opportunitas accepta à Deo.* Secunda concluſio. Facere quod in ſe eſt, per vires naturæ, prodeſt ad obtinendam gratiam, quaſi cauſa per accidens, quæ eſt opportunitas, & occaſio, accepta à Deo propter ſuam immenſam bonitatem, ſed tamen à nobis non data. Vnde præterea conſequens eſt, generalem illam infallibilitatem, conferendi gratiam excitantem, & auxilia ſufficientia omnibus hominibus, reddi magis infallibilem in eo, qui facit quod in ſe eſt per vires naturæ, accedente aliqua probabilitate maiori, quod citiùs hîc, & nunc accepturus ſit, eiuſmodi auxilia, eo quòd diuina gratia plures habet opportunitates earum, quas ſuauiori prouidentia poteſt accidere. Hanc concluſionem fuſiùs explicatam, probauimus in prædicta diſputatione 16.ſect. 2. & 3. *Generalis infallibilitas infallibilior redditur.*

10. Supereſt obiectionibus ſatisfacere.

Obiectio 1. Atque prima obiectio reſultat ex congreſſu duarum concluſionum præcedentium, cum toto ſuperiori diſcurſu: nam probationes, allatæ pro concluſione 3. præcedentis ſectionis, vniuerſaliter, & ſine exceptione probant, nullam maiorem probabilitatem accipiendi gratiam, augeri per opera moraliter bona facientis, quod in ſe eſt per vires naturæ.

Soluitur. Reſpondetur, propterea in ſectione præcedenti, concluſione 3. probatione prima explicuimus, nos agere de vtilitate, quam opera præſtare poſſent, ratione ſui & per ſe. Nam ea vtilitas, quæ per accidens ſuperadditur à diuina miſericordia, nihil gloriæ tribuit operibus, ſed ſoli diuinæ miſericordiæ; & in homine non arguit virtutem maiorem, quàm naturalem. Quod vt euidenti ratione demonſtremus, hominem præſcindamus à quacunque gratia auxiliatrice, ſolummodo dato auxilio naturalis prouidentiæ, quod libero arbitrio debetur. Hic homo ſine dubio peccare poteſt, & eo ipſo quòd poſſit peccare, poteſt præcauere hoc peccatum hic, & nunc, & quodlibet peccatum diuiſiuè. Implicat namque cõtradictionem peccatum eſſe, & vitari non poſſe. Rurſus euidens eſt, peccata per ſe, & ex natura ſua eſſe impedimenta gratiæ, ita vt quantum ex ſe eſt, digna ſint priuatione gratiæ; quapropter hæc ipſa impedimenta gratiæ remoueri poſſe, non arguit in homine virtutem maiorem, quàm naturalem.

Opportunitas demum, ſeu occaſio gratiæ, quæ non ab hominibus datur, ſed à diuina miſericordia accipitur, nullam gloriam affert operibus factis per vires naturæ, nullámque virtutem, & vtilitatem illorum in ſeipſis probat, perinde ſicut occaſio ſcandali, quæ non à Chriſto Domino data, ſed à Phariſæis propter inuidiam accepta fuit, nullam veram rationem ignominiæ, nullúmque vitium in operibus Chriſti Domini fuiſſe probat, vt fuſiùs diximus diſp.16. ſect.2. 11.

Secunda obiectio eſt quorundam Doctorum, quoniam antequam homines accipiant gratiam, nullum poteſt eſſe diſcrimen, quo diſcernatur hic homo ab alio, ad accipiendam gratiam. Hoc autem diſcrimen daretur ante gratiam, ſi ab operationibus elicitis per ſolas vires naturæ, proueniret aliqua maior probabilitas gratiæ, licèt non proueniat, niſi tanquam à cauſa per accidens præcauente impedimenta, & tanquam à paſſiua occaſione non data, ſed accepta à Deo. 12.

Reſpondetur. Inter homines ante gratiam nullum

Diſcrimen per accidens. nullum eſſe diſcrimen, quantum eſt ex parte illorum, & per ſe loquendo : quòd autem ſit diſcrimen, per accidens appoſitum à diuina gratia, occaſione accepta ab operibus, quæ ſunt ante gratiam, nullum eſt inconueniens. Sicut non eſt inconueniens acutiſſimum ingenium Auguſtini acceptum eſſe à Deo, vt inſtrueretur gratia eximij Doctoris Eccleſiæ : & hoc diſcrimen à natura fuiſſe inſitum Auguſtino, vt ille ſuauius eleuari poſſet ad tam excellentem ſapientiæ gradum, ad quem minus ſuauiter eleuaretur homo ingenio tardiſſimus.

13. *Tertia.* Obiiciunt tertiò, quoniam primi effectus prædeſtinationis homo non poteſt eſſe cauſa, etiam per accidens, remouendo prohibens, aut miniſtrans actum, qui ſit occaſio paſſiua, non data ab homine, ſed à diuina miſericordia accepta. At verò prima vocatio, ſeu gratia præueniens eſt primus prædeſtinationis effectus ; ergo illius homo non poteſt eſſe cauſa, etiam per accidens.

Solutio 1. Reſpondetur primò, negãdo maiorem. Quamuis enim inter ſupernaturales effectus prædeſtinationis primus ſit prima vocatio, ſeu gratia præueniens ; nihilominus alij effectus, quantum ad *Prædeſtinationis effectus.* ſuam entitatem intrinſecam merè naturales ſunt priores. Nam & creatio in talibus circunſtantiis, & educatio, & naturales mores bene compoſiti ad rationem rectam, ſunt prædeſtinationis effectus ; ſicut & cætera omnia, quæ quomodocunque per ſe, vel per accidens iuuant, & à Deo fieri poſſunt.

14. *Solutio 2.* Reſpondetur ſecundò. Primi effectus ſupernaturalis homo per vires naturæ non eſt cauſa, nec per accidens, remouendo prohibens, ſub ratione *Electio ante præuiſa opera.* *formali effectus* prædeſtinationis : quoniam Deus hunc hominem ante omnia illius opera præuiſa prædordinauit ad gloriam, & ea intentione per diſpoſitionem naturalis prouidentiæ direxit eius mores ante omnem gratiam, vt minus impeditus, minúſque ineptus eſſet ad ſuauiter accipiendam primam gratiam præuenientem. Hæc igitur formalitas primæ gratiæ præuenientis, quæ eſt procedere à diuina prædeſtinatione, tanquam illius effectum, nullo modo cauſata fuit à bonis operibus elicitis per vires naturæ, etiam tanquam à cauſa remouente prohibens, vel quocumque alio modo cauſante per accidens.

15. *Solutio 3.* Reſpondetur tertiò, vt aliqua gratia præueniens ſit effectus prædeſtinationis, non ſufficit, vtcunque dari ; ſed neceſſarium eſt, contemperari talibus circunſtantiis, ſub quibus Deus præſcit, obtenturam eſſe conſenſum ; & quibus Deus decreuit addere cætera auxilia opportuna & efficacia ad obtinendam perſeuerantiam in gratia. At verò tanta collectio gratiarum non cauſatur ab homine, etiam tanquam à cauſa per accidens, quando ante omnem gratiam operatur aliquas actiones honeſtas.

16. *Obiectio 4.* Obiiciunt quartò, quoniam præcauere impedimenta, id eſt, vitare peccata, prouenit à diuina gratia ; ergo homo ante gratiam non poteſt per ſolas vires naturæ præcauere impedimẽta gratiæ.

Soluitur. Reſpondetur antecedens eſſe alterius diſputationis, nunc ſatis eſſe breuiter diſtinguere. Nam primò ad quædam peccata committenda grauiores tentationes vrgent, & impellunt. Quæ proinde *Vnum vel alterum peccatum vitari poteſt ſine gratia.* ſine gratia vitare non poſſumus. Secundò plurimam collectionem peccatorum, diu vitare ſinè gratia non poſſumus. Tertiò, vnum, aut alterum peccatum, præſertim grauius, nulla tentatione grauiter vrgente poſſumus vitare abſque gratia, cum generali auxilio naturalis prouidentiæ, & hoc ipſum poteſt per accidens eſſe vtile, ad citiùs accipiendam gratiam præuenientem.

Hactenus de interiori motione Dei ad credendum, vel ſperandum, vel diligendum, vel ad alium ſupernaturalem actum. Reſtat vt dicamus de reuelatione myſteriorum fidei, vtrùm vera ſit illa multorum Scholaſticorum ſententia, quos diſputatione præcedenti retulimus, qui affirmant, cuicunque puero, ſiue adulto, inuincibiliter ignoranti myſteria fidei, infallibiliter eſſe reuelanda, ſiue per interiorem illuſtrationem, ſiue per Angelum, aut hominem ſi fecerit quod in ſe eſt conuertendo ſe ad bonum rationis, & ſeruando legem naturæ. 17.

De hoc ſit tertia concluſio. Quamuis puer, ſiue adultus faciat quod in ſe eſt, per vires naturæ, non eſt infallibile, neque magis probabile conferendam eſſe illi prædicationem externam fidei, vel reuelationem illius ; ſed nihilominus remanere poterit cum ignorantia fidei, & poterit damnari propter aliqua peccata actualia, vel propter ſolum originale, de quo nihil curo in præſenti. Hæc deciſio colligitur ex hac, & præcedenti ſectione, quoniam nulla noua infallibilitas auxiliorum gratiæ, nulláque maior probabilitas ſequitur ex eo, quòd aliquis faciat quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ, vltra eam infallibilitatem gratiæ, quæ datur in homine, qui omittit, quod in ſe eſt per vires naturæ : ſed illis qui omittunt quod in ſe eſt per vires naturæ, non datur infallibiliter propoſitio fidei, per externam prædicationem, neque per internam reuelationem ; ſed quibuſdam datur, & aliis negatur. Ergo idem erit reſpectu eorum, qui fecerint quod in ſe eſt per vires naturæ. 18. *Facienti quod eſt in ſe non eſt infallibile reuelandam fidem.*

Confirmatur primò, quia vel dicendum eſt hanc reuelationem fidei infallibiliter dandam eſſe facienti, totum quod in ſe eſt, per longum tempus : & hoc eſt impoſſibile per ſolas vires naturæ ; & quamuis eſſet poſſibile, nulla inde ſequeretur maior probabilitas auxiliorum gratiæ, vt oſtenſum eſt in ſectione præcedenti : vel dicendum eſt hanc reuelationem fidei infallibiliter conferri facienti totum, quod in ſe eſt, breui tempore, aut facienti partem eius quod in ſe eſt : & incredibile eſt ante annum milleſimum quadringenteſimum inter remotiſſimas nationes Indorum Occidentalium neminem fuiſſe, qui tempore ſaltem breui fecerit aliquam partem eius boni, quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ ; cùm tamen nullus fuerit repertus, cui reuelatio hæc interior facta fuerit, neque miraculosè deſtinatus ad eum aliquis concionator. 19.

Confirmatur ſecundò, quoniam non ſolùm primi atque vnici inſtantis conuerſio ad bonum rationis, ſed etiam diuturni temporis virtutes morales non ſufficere, vt infallibiliter aut magis probabiliter Deus conferat notitiam fidei, ſiue per internam reuelationem, ſiue per externam prædicationem, experientia ipſa nos docet, Auguſtino teſte, qui in lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 22. à principio ait : *Vnde enim fit, vt homo ab ineunti pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit auaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes cæteras proueſtior aptiórque conſurgat, & tamen eo loco ſit, vbi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit? Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt?* 20.

aut

aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitijs & facinoribus coopertus, ita gubernetur, vt audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi detentus hic fuerit, laudabiliter viuat? vbi duo iſti tam diuerſa merita cõtraxerunt; non dico vt iſte credat, ille non credat, quod eſt propriæ voluntatis, ſed vt iſte audiat, quod credat; ille non audiat; hoc enim non eſt in hominis poteſtate: vbi, inquam, hæc tam diuerſa merita contraxerunt.

21. *Quid de puero dicendum.* Atque inde etiam impugnatur illa magis temperata defenſio puerorum, quæ aſſerit peruenlentibus ad vſum rationis in primo illius inſtanti ſupernaturale auxilium præberi; cui ſi cooperantes conuertantur ad bonum rationis, conferenda ſit notitia fidei. Quod breuiter impugnatur, quoniam iſti homines, qui apud Auguſtinum citatum, modeſtiores, temperantiores, & ad cæteras virtutes prouectiores euaſerant, id præſtabant, cooperando diuino auxilio, quodcunque illud eſſet, quod prouocabat ad ſequendum bonum rationis, & fugiendum malum. Quod ſi ſupernaturale auxilium dabatur illis, auxilio ſupernaturali cooperabantur: & tamen ad fidei notitiam peruenire non poterant. Itaque ſola conuerſio ad bonum rationis naturalis, à quocunque auxilio fingatur procedere, non ſufficit ad obtinendam notitiam fidei. Sed de puero, ad vſum rationis veniente, quantum ad infallibilitatem obtinendi gratiam, niſi protinus mortaliter peccet, plura diſſeruimus 1.2.q.89. art.6.dub.2.

Obiicies: Infallibile eſt omnibus hominibus, ſiue facientibus quod in ſe eſt per vires naturæ, ſiue id omittentibus, conferri auxilia neceſſaria ad ſalutem. Sed vnum ex auxiliis neceſſariis eſt notitia fidei ſufficiens; ergo cuilibet facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, datur notitia fidei ea infallibilitate, qua datur omnibus etiam negligentibus.

22. *Qua lege auxilia omnibus dentur.* Reſpondetur auxilia neceſſaria ad ſalutem, omnibus hominibus dari hac lege, vt negari ſoleant vlteriora auxilia ei, qui primæ gratiæ excitanti, non ſatis, vt debet, cooperatur. Quia igitur barbari, fidem ignorantes, priùs per gratiam præuenientem excitati ad actiones aliquas ſupernaturales, quæ haberi poſſunt ſine notitia Trinitatis, & Incarnationis, non cooperantur, vt debent, illi gratiæ excitati: propterea illis negatur notitia plena fidei, quæ aliàs concederetur. Sed de hoc dicemus plura tota diſputione 25. præſertim ſect. 1. & 3.

23. Petis, vtrùm ſaltem in eiuſmodi barbaro, & ignorante, ſi faciat, quod in ſe eſt per vires naturæ, ſit aliqua maior probabilitas accipiendi notitiam fidei; quæ probabilitas naſcatur ex cauſa per accidens, qualis eſt, præcauere aliqua impedimenta fidei, ſcilicet peccata quædam & actionem eliceret, quæ ſit opportunitas, ſeu occaſio paſſiua per Dei miſericordiam accipienda: ſicut de prima vocatione dictum eſt in concluſ. 1. & 2.

De probabilitate vllina fidei ex cauſa per accidens. Reſpondetur, neque hanc probabilitatem eſſe, niſi remotiſſimam, atque tenuiſſimam, & quæ ſit reputanda pro nihilo. Quia licèt fecerit, quod in ſe eſt per vires naturæ; adhuc incertum eſt, vtrùm cooperaturus ſit primæ gratiæ excitanti. Cui quamuis cooperetur, adhuc ambiguum eſt vtrùm cooperaturus ſit vlterioribus auxiliis ſupernaturalibus, per aliquod certum temporis ſpatium, petendo, quærendo, & pulſando per alia pietatis opera. Nec enim protinus ob primam bonam cooperationem datur prædicta notitia fidei.

Confirmatur. nam aliqui tot ſæculis ante recentem noui orbis inuentionem, ex tam innumerabili multitudine Occidentalium Indorum, aliquis fuiſſet inuentus, qui huiuſmodi notitia myſteriorum fidei fuiſſet inſtructus; ſi aliqua huius notitiæ obtinendæ probabilitas prouenitet ex operibus factis per ſolas vires naturæ. Nam quod viribus naturæ eſt abſolutè poſſibile, ſaltem alicui continget ex innumerabili multitudine.

SECTIO IV.

Soluuntur eorum argumenta, qui contendunt abſque Maſsilienſis erroris periculo defendi poſſe, opera moraliter bona, elicita per vires natura, ratione ſui, prodeſſe ad obtinendam gratiam.

PRimum argumentum eſt, quoniam Maſſilienſes non videntur requirere auxilium externum, quo dæmonis potentia comprimatur, niſi eatenus, vt hominem non reddat amentem. Ergo qui aſſeruerit hoc auxilium externum requiri ab eorum errore, tutus erit, quamuis aſſerat, facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ, per ſe quaſi propter remotam diſpoſitionem ex diuina miſericordia conferri gratiam excitantem. Antecedens probant ex Caſſiano collat. 13. cap. 14. in cuius principio aliquam huius opinionis eruendæ occaſionem præbet, præſertim illis verbis: *Non cùm à dæmonis impugnatione ſic protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum, ſed hoc tantùm procurans, ne violentiſſimus inimicus animam eius amentem faciens*, &c. 1.

Reſpondeo primò, antecedens non eſſe verum, eodem Caſſiano teſte, versùs finē capitis 14. vbi ait: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, 1. Corinth. 10. *Non vtique optat Paulus, ne eos Dominus tentari permitteret; ſed ne ſupra id quod ſuſtinere poterant, tentarentur. Hoc Domini gratiam tentationum luctamina moderantis oſtendit.* Deinde verò ſubiungit varias protectiones, quas Deus certantibus præſtat; ergo Caſſianus requirit auxilium externum, quo dæmonis potentia comprimatur, vltra illud quod datur, ne hominem reddat amentem. 2.

Reſpondetur ſecundò, quamuis conſtaret, Caſſianum ita ſenſiſſe, non inde colligeretur, cæteros Maſſilienſes fuiſſe eiuſdem ſententiæ. Quoniam Caſſianus in multis articulis à reliquis Maſſilienſibus, & à ſeipſo diſſenſit ſuprà diſp. 14. ſectione 5. 3.

Reſpondetur tertiò, conſequentiam negando, quia vt opinio noſtra ſit tuta ab aliquo errore, non eſt ſatis diſcrepare ab aliqua parte illius erroris; ſed opus eſt, diſcrepare ab omnibus illis articulis quos Patres, & Concilia refutant. Patres autem & Concilia refutant opera per vires naturæ facta, ratione ſui prodeſſe aliquid, ad gratiam obtinendam, vt vidimus ſect. 2. concl. 3. & fuſiùs tota diſp. 18. 4.

Secundum argumentum, quoniam Maſſilienſes non requirebant vllam peculiarem prouidentiam Dei ad bonam cogitationem. Dicebant enim (teſte Proſpero ad Auguſtinum.) *Quantum quiſque ad malum, tantum habere facultatis ad bonum; parique momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes mouere.* Ergo qui aſſeruerit, peculiarem Dei prouidentiam naturalem requiri ad bonam cogitationem 5.

Digitized by Google

tationem, qua excitetur homo, ad faciendum, quod eſt in ſe per vires naturæ; tutus erit ab errore Maſſilienſium, quamuis aſſerat illi tribuendam eſſe gratiam excitantem.

Confirmatio. Confirmant, quoniam Maſſilięſes ad inchoandum omne bonum, nihil aliud requirebant, niſi naturã liberi arbitrij, dono creationis acceptam.

6. *Duplex naturalis prouidentiæ acceptio.* Reſpondetur primò diſtinguendo antecedens. Nam hæc peculiaris prouidentia naturalis ad bonam cogitationem excitandam, poteſt intelligi ea ſolummodo, quæ debetur omnibus hominibus ex lege communis prouidentiæ naturalis, ſecundùm quam Deus per ſynderefim prouocat boni complacentiam, mali deteſtationem, atque conſcientiæ remorſum. Huiuſmodi autem cogitationes, cùm ipſa natura ab eius authore datæ, tã manifeſtæ ſunt, vt à Maſſilienſibus ignorati non potuerint, præſertim cùm alioqui forẽt viri acuti; & ſacris Litteris bene inſtructi. Nã & barbaris, lege carentibus *teſtimonium reddit conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*, Rom. 2. Quapropter has cogitationes comprehendiſſe videntur Maſſilienſes ſub generali nomine gratiæ creationis. Hæc autem prouidentia dicetũr peculiaris ſolummodo comparatione actionum, quia non datur ad malas actiones, ſed ad bonas.

7. Rurſus peculiaris prouidentia naturalis ad bonam cogitationem excitandam, poteſt intelligi talis prouidentia, quæ quamuis, quantum ad totam entitatem effectus producti, naturalis ſit, attamen ex modo prouidendi, & ex motiuo, aliiſque circumſtantiis, altior eſt, quàm illa, quæ naturæ humanæ debetur ex lege communis prouidentiæ naturalis. Quòd ſi argumentum hoc ſecundum intelligatur de huiuſmodi prouidentia, coincidit cum difficultate tractanda in diſputatione ſequenti, præſertim ſect. 5. ex cuius deciſione conſtabit eiuſmodi prouidentiam non ſufficere, vt gratiæ præbeamus initium.

8. Reſpondetur ſecundò, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam ſi aliquid valeret, probaret etiam, tutum eſſe ab errore Maſſilienſium, qui ex parte voluntatis nullam exigeret præuenię̃tem inſpirationem, & ſuauitatem; dummodo ex parte intellectus prærequireret bonam cogitationẽ à prouidẽntia naturali præuenientẽ.

9. Tertium argumentum eſt, quoniam Maſſilienſes non requirebant auxilium diuinæ cooperationis naturalis, vt homo faciat quod in ſe eſt per vires naturæ. Igitur qui huius auxilij neceſſitatem aſſeruerit, tutus erit ab errore Maſſilienſium, quamuis exiſtimet gratiam dari facienti quod in ſe eſt per vires naturæ.

Antecedens probant conjecturis, quas omittendas duxi, ne onerentur; ſolummodo aduerto, *Adiuuantem cooperationẽ admittit Caſſianus.* Caſſianum dicta coll. 13. c. 13. fine, & c. 14. fine admittere diuinam cooperationem adiuuantem; ſed vtrùm exiſtimauerit eam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad quodlibet opus bonum, non conſtat, quod ego ſciam.

10. Reſpondetur ergo antecedente prætermiſſo, negando conſequentiam. Nam ſi aliquid valeret, probaret, tutum eſſe ab errore Maſſilienſium, quicunque negaret, neceſſariam eſſe gratiam præuenientem, vt credamus, ſicut oportet, dummodo affirmaret neceſſarium eſſe auxilium cooperationis naturalis. Atque in his omnibus argumentis præ oculis habere oportet ſolutionem tertiã datam ad primum argumentum. Nullus enim eſt ab aliquo errore tutus, ſi aliquam illius partem à Patribus damnatam, retinet, quãuis cæteras reſpuat.

Quartum argumẽtum, quia Maſſilienſes volebant, facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, infallibiliter conferri iuſtificationem, vt oſtẽdimus diſp. 14. ſect. 2. n. 15 & 16. Ergo ab eorũ errore diſtabit, qui non iuſtificationis gratiã, ſed ſolummodo primã gratiam excitantẽ, dixerit infallibiliter conferri facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ. 11.

Reſpondetur conſequentiam eſſe nullam propter rationem notatam in ſolutionibus præcedentium argumentorum.

Denique, quamuis aliquis omnes conditiones tactas in quatuor argumentis præcedentibus, & alias plures conflet in vnam, non liberabitur à Maſſilienſium errore; ſi concesſerit, per ſe, & ratione ſui eſſe aliquam vtilitatem in operibus ſolius liberi arbitrij, ad obtinendam gratiam auxiliatricem, quantumcunque minimam. 12.

Confirmatur; quoniam ſi illæ omnes conditiones conglobatę ſufficerent ad excuſandum ab errore Maſſilienſium; ſequeretur in actibus ſolius liberi arbitrij ſine gratia concedi poſſe meritum, impetrationem, diſpoſitionẽmque immediatam, cui primum auxiliũ gratiæ infallibiliter tanquam debitum redderetur, ne Deus eſſet perſonarum acceptor: dummodo adderemus omnes illas circunſtantias limitantes, videlicet, requiri auxilium externum, & protectionem Dei, qua dęmonis potentia comprimatur, & peculiarem prouidentiam naturalem ad excitandam bonam cogitationem, rationi naturali conformem, & auxilium diuinæ cooperationis naturalis, atque huiuſmodi actibus humanis nullam infallibilitatem iuſtificantis gratiæ comparari. Hoc autem ab errore Maſſilienſium liberari non poſſe, perſpicuum eſt. 13.

SECTIO V.

Vtrùm facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, vt vtatur auxiliis ſupernaturalibus, protinus adſint auxilia ſupernaturalia, cum eo concurrendo.

QVomodo hęc difficultas à ſuperioribus differat, oſtendimus in ſect. 1. n. 3. & 4. Nunc explicare oportet, eum hominem facere quod in ſe eſt per vires naturæ, vt vtatur auxiliis ſupernaturalibus, qui, poſtquam ſufficienter didicerit, quódnam ſupernaturale obiectum, propter quam authoritatem, & quanta certitudine credere debeat, applicat ſuas vires ad obiectum ſupernaturale, tam formale, quàm materiale, & ad illius certitudinem habẽdam. De hoc quærimus, vtrùm infallibiliter illi adſit auxilium ſupernaturale, vt tunc eliciat actum ſupernaturalem, & ſimiliter quando fidelis peccator applicet ſe, ad obiectum contritionis, vel charitatis cum debita appretiatione diligendum. 1. *Quis faciat quod eſt in ſe vt vtatur ſupernaturalis auxilio.*

Affirmatiuam partem docuiſſe videntur multi ex Doctoribus citatis diſp. 21. ſect. 2. & ſeqq. quãdo affirmant, gratiam dari, facienti quod in ſe eſt per vires naturæ; ſed præſertim Molina in concordia ad articulum 13. diſp. 10. § 1. Cæterùm huius Doctoris mentem ipſe ſatis explicuit, vt vidimus diſp. 21. ſect. 6. n. 16. & ſequentibus. 2. *Sententia affirmans.*

Contra verò negatiuam partem docere videntur omnes Doctores, qui vniuerſaliter negant, facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, conferri auxilia gratiæ. Clarius quã cæteri hanc ſententiam explicant 3. *Negans.*

Digitized by Google

explicant Bellarminus libro de gratia, capite ſexto, in refutatione ſecundæ ſolutionis, & nonnulli recentiores, dum Molinam circa hunc articulum impugnant.

4. Vt in huius quæſtionis deciſione procedamos clariùs, duæ priores concluſiones agent de homine, qui nondum accepit infuſum habitum illius virtutis, cuius actum elicere tentat; ſed auxilia Dei actualia ſupplere debent, illius habitus defectum ad eliciendum actum. At verò concluſ. 3. loquemur de homine, qui habitum iam accepit.

5. *Solum actum naturalem producit ſine gratia præueniente.* Sit ergo prima concluſio. Quicunque per ſolas vires naturæ, nondum excitatas præueniente gratia, ſuum conatum applicat, vt ſupernaturalia obiecta complectatur, atque auxiliis ſupernaturalibus vtendo, producat ſupernaturalem actum fidei, vel ſpei, vel alterius virtutis; non producet ſupernaturalem actum talis virtutis, nec cum eo concurrent auxilia ſupernaturalia, ſed tantùm concipiet actum quemdam naturalem; quocircà obiecta ſupernaturalia verſetur improportionatè, & non ſicut oportet ad obtinendam gratiam.

6. Probatur primò à priori, quia eiuſmodi homo quantumuis deſideret ſuum conatum applicare, ſicut oportet, & deſideret actum prodire, ſicut oportet: attamen ipſe verè non applicat vires, ſicut oportet; perinde, vt Cypſelus, poſtquam ſemel ad terram dimiſſus iacuerit, repere poteſt, ſed volatum ſuſcipere fruſtrà tentabit, niſi alterius manu à terra excitatus in aërem.

Explicatur magis huius rationis vis, quoniam gratia præueniens eſt ſimpliciter neceſſaria, vt homo eliciat quamcunque ſupernaturalem actionem; & illa gratia debet excitare liberum arbitrium, priuſquam liberum arbitrium ſe applicet, ad obediendum gratiæ, vt conſtat ex dictis tota diſputatione decima octaua, præſertim ſect. 4.

7. Confirmatur primò, quoniam ſi antequam excitaremur diuina gratia præueniente, cùm primùm applicamus omnes naturales vires ad obiectum ſupernaturale, & ad illius appretiationem, Deus concurrit nobiſcum per auxilia ſupernaturalia, & elicimus actum ſupernaturalem: iam noſter concurſus, vt eſt à libero arbitrio, præuenit concurſum gratiæ, & excitat ad actum ſupernaturalem: cùm tamen noſter concurſus non eſſet excitatus, neque præuentus à gratia.

Actus ſupernaturalis inciperet à nobis. Confirmatur ſecundò, prætereà ſequeretur actum ſupernaturalem incipere à nobis, & non à gratia; quoniam noſtra voluntas non eſt excitata à gratia, ſed potiùs auxilia gratiæ quaſi attracta ſunt, & ad nos accerſita per noſtrum concurſum.

8. *Gratia non eſſet præueniens.* Confirmatur tertiò, quoniam tunc diuina gratia tantùm eſſet adiuuans ad actum ſupernaturalem, & ſubſequens noſtram applicationem non præueniens. Finge enim quamlibet cauſam ſiue creatam, ſiue increatam, quæ volitionem noſtram non præueniat, ſed tantùm adiuuet; illa non alio modo ſe habebit, niſi hoc, quo priùs ſit noſtram voluntatem ſe applicare ad volendum, & nullo modo priùs ſit ab illa cauſam noſtram voluntatem excitari.

9. Probatur ſecundò, quoniam Deus per actus neceſſarios ſupernaturales ſine vlla libertate noſtra debet illuſtrare priùs intellectum, & affectum inflammare, vt ea ratione voluntas noſtra moueatur ad volendum ſicut oportet, de quo tractabimus infrà diſputatione 30. Ergo niſi hæ illuſtrationes & inſpirationes ſupernaturales præcedant noſtram liberam applicationem, quamuis nos liberè applicemus ad actum ſupernaturalem, & ad illius obiectum, adhuc non prodibit actus ſupernaturalis.

Confirmatur, quoniam aliàs non eſſet neceſſarium Deum facere vt nos velimus ſicut oportet: alliciendo voluntatem, vt velimus; ſed nos per vires naturæ velimus, ſicut oportet, vt nobiſcum concurrant auxilia.

Sed ais, neceſſariò præcedere actus libertate carentes, videlicet illuſtrationes & ſuauitates, verumtamen ad actum liberum fidei, ſpei, pœnitentiæ, & charitatis non eſſe priorem concurſum Dei excitantis. Sed contra hoc eſt, quòd niſi Deus per motus illos neceſſarios, illuſtrationis, & ſuauitatis moueat ad actus liberos, & impellat ad illos, iam illi motus neceſſarij non erunt gratia excitans ad actus liberos. In eo namque poſita eſt ratio excitantis ad credendum, quod moueat, & impellat vt liberè credamus, alioqui gratia erit, ſed non erit excitans ad credendum. Atque idem intellige de reliquis virtutibus. 10. *Reſponſio diluitur.*

Probatur tertiò, quoniam ille, qui ſuas vires applicat, vt eliciat actum ſupernaturalem, circa obiectum ſupernaturale per auxilia ſupernaturalia, vel ſe applicat ſine debita appretiatione, & certitudine ſine modo proportionatu; & iam illa applicatio non præueniet ad actum ſupernaturalem, ſed tantùm eliciet actum naturalem; quantumuis interiorio hominis feratur ad actum ſupernaturalem. Vel ſe applicat cum debita appretiatione, certitudine & modo proportionato, atque applicatio hæc non poteſt prouenire à ſolis naturæ viribus; ſed prouenire debet à ſupernaturali gratia excitante. 11.

Ad cuius maiorem explicationem obiicio, quoniam per ſolas naturæ vires poſſumus elicere actum, quo Deum vt authorem ſupernaturalem diligamus ſuper omnia, & actum, quo reuelatis à Deo, credamus propter Dei authoritatem, anteponendo illam certitudinem cuicunque alteri. Ergo poſſumus per vires naturæ applicare nos ad debitam appretiationem Dei ſuper omnia, & ad debitam certitudinem credibilem ſupra omnia quæ certa ſunt. 12. *Obiectio.*

Reſpondeo, fidei, charitatis, contritionis, & aliorum actuum ſupernaturalium certitudo, & appretiatio, quamuis ſit ſupra omnia alia ſcibilia, & credibilia, & ſupra omnia amabilia; adhuc non eſt proportionata, & ſufficiens appretiatio, & certitudo, neque qualis oportet, niſi proueniat à gratia excitante, quoniam eo ipſo, quòd non proueniat à gratia excitante, erit merè naturalis, & inferioris ordinis, & ſuapte natura infirma, & incerta, & errori, atque mutabilitati obnoxia quantum ex ſe eſt, ac ſubinde obiecto ſupernaturali prorſus indigna. 13. *Fides ſi non procedat à gratia naturalis erit.*

Vnde ſumitur confirmatio noſtræ rationis, quia quamuis aliquis expreſsè vellet habere appretiationem, & certitudinem ſupernaturalem proportionatam, & qualem habere oportet ad gratiam iuſtificationis, adhuc hæc eius volun- 14. *Præcedentis rationis confirmatio.*

Digitized by Google

tas per ſolas vires naturæ elicita non aſſequetetur, quod intendit, ſed tantùm eliceret actum naturalem. Itaque in illo vera erunt verba Pauli ad Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc facio.* & iterum: *Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio.* Quod non ſolùm eſt intelligendum de externa executione; ſed præcipuè intelligendum eſt de interna voluntate efficaci, vt oportet ad iuſtificationem: ad hanc enim maximè requiritur gratia Dei per Ieſum Chriſtum, cuius neceſſitatem probat Paulus ita concludens: *Quis me liberabit de corpore mortis huius gratia Dei per Ieſum Chriſtum.*

16. *Fidelis ſine habitu charitatis, ac ſine gratia nō eliciet ſupernaturalem actum.* Secunda concluſio ad præcedentis explicationem, ſicut ille, qui nondum accepit habitum fidei, quamuis per ſolas vires naturæ ſe applicet, ad vtendum auxiliis ſupernaturalibus, & eliciendum actum ſupernaturalem fidei, non eliciet actum ſupernaturalem, ſed tantùm naturalem; ita etiam qui iam habet habitum fidei, vel etiam ſpei, & nondum accepit habitum charitatis, & contritionis; quamuis applicet ſuum conatum naturalem circa obiecta ſupernaturalia contritionis, aut charitatis, intendens elicere actum ſupernaturalem, nihilominus non eliciet niſi gratia præueniente ad contritionem, vel ad charitatem. Probatur, quoniam ad hoc non ſufficit fides ſupernaturalis; ſed præterea requiritur gratia ſpecialiter excitans ad contritionem, vel charitatem, vt probandum erit infrà diſputatione 41. ſectione tertia & ſequentibus.

17. *Horum certitudo.* Ex præcedentibus concluſionibus prima eſſe debet omnino certa; ſecunda verò propè ad certitudinem accedit. Reſtat tertia concluſio, quæ ſolummodo probabilitatis maioris obtinet gradum, habet namque adhuc ambiguitatis aliquid admixtum. Pertinet autem tertia concluſio ad eum hominem, qui præditus infuſo habitu fidei, applicat ſuum conatum naturalem, vt ſimul cum habitu eliciat actum fidei, & qui præditus infuſo habitu charitatis, applicat ſuum conatum naturalem, vt ſimul cum habitu eliciat actum charitatis; & ſic de reliquis virtutibus infuſis.

18. Nam in eo caſu verè eliciendos eſſe ſupernaturales actus prædictarum virtutum, probari poteſt,

Primò, quoniam liberum arbitrium, præditum habitibus infuſis, eſt completa, & proportionata potentia ad actus ſupernaturales.

Secundò, quoniam habitibus vtimur quando volumus.

Tertiò, quoniam ille habitus, quod ex ſe eſt, inclinat ſemper ad ſuos actus ſupernaturales, & vim habent gratiæ præuenientis & excitantis, ſicut habitus adquiſiti excitant, & inclinant ad ſuos actus.

Quartò, quoniam non eſſet maior promptitudo, & facilitas hominis, qui præditus eſt habitu infuſo, ſi excitante gratia indiget, non ſecus atque ille qui habitu caret.

19. *Præter infuſum habitum gratia præueniens neceſſaria.* Nihilominus ſit tertia, quamuis præditus ſis habitu fidei ſupernaturalis, niſi præueniaris actuali aliqua illuſtratione, & inſpiratione mouente ad actum fidei; non te applicabis, ſicut oportet, ad vtendum habitu fidei, ac proinde ſi te per ſolas vires liberi arbitrij applicaueris, concipies ſolummodo naturalem quendam, & improportionatum actum fidei; & non vteris habitu ſupernaturali. Idem intellige de reliquis actibus, & habitibus infuſis. Huius concluſionis probatio maior eſt, quàm vt poſſit huius ſectionis breuitate comprehendi, tradetur autem ex profeſſo diſputatione quadrageſima prima, ſectione tertia, & ſequentibus, vbi probabimus quemcunque ſupernaturalem actum indigere aliqua actuali gratia præueniente, & excitante; etiamſi eliciendus ſit ab homine per habitum iam ſibi infuſum.

Notandum tamen eſt in aliquo ſenſu, verum eſſe, non requiri aliam gratiam præuenientem præter habitum infuſum; quatenus ipſe habitus cauſat cogitationes indeliberatas & impulſos indeliberatos, quibus Intellectus, & voluntas impelluntur ad producendos actus proprios illius habitus, vel certè Deus ad præſentiam illius habitus cauſat eaſdem cogitationes & impulſus, vt in hoc ſicut in cæteris aliis, quoad fieri poſſit, ſupernaturalis prouidentia optimè cum naturali conſonet. Sed de hoc, atque de ſolutione argumentorum, quæ propoſita ſunt num. 18. dicemus, Deo fauente, citata diſputatione 41. 20.

Reſtat poſtremò generale aliud ſolatium omnium hominum, ſiue fuerint præditi habitibus infuſis, ſiue omni prorſus habitu caruerint. De quibus omnibus ſit 21.

Quarta concluſio. Per ſolas vires naturæ magno conatu ſe applicare ad obiecta ſupernaturalia propter eorum rationem formalem cognoſcenda cum debita certitudine, atque cum debita appretiatione diligenda, hæc, inquam, facere, eſt vtile ad iuſtificationem, & ad illius augmentum obtinendum. Eſt autem vtile per modum cauſæ per accidens remouentis impedimenta, & dantis non actiuam, ſed paſſiuam opportunitatem, & occaſionem diuinæ miſericordiæ: ſicut in ſimili diximus ſectione tertia, à concluſione prima, vſque ad finem, & fuſiùs tota diſp. 17. *Vti magno conatu viribus naturæ vtile.*

Huius ratio eſt vniuerſalis lex diuinæ miſericordiæ, qua ita decreuit, præuenientem gratiam omnibus adultis, nullo excepto, diſtribuere, ſiue ſuas naturales vires applicuerint magno conatu ad obiecta ſupernaturalia cognoſcenda, & diligenda, ſiue de hoc nihil curauerint: vt tamen ſimul ſtatuerit, ſuauiorem modum prouidendi ſeruare frequentiùs excitando, atque vehementiùs hominem minus impeditum, minuſque diſtantem ab actu ſupernaturali. At verò qui totas vires naturales impendit, ad cognoſcenda, & amanda ſupernaturalia obiecta, deſiderans habere debitam certitudinem, & appretiationem illarum, eſt minus impeditus, minuſque diſtans ab actu ſupernaturali, ad quem Deus pro ſua miſericordia excitare, & adiuuare deſiderat. 22. *Probatur.*

Confirmatur, quoniam aliàs infidelibus, aut fidelibus, iuſtis, aut peccatoribus non eſſent vtiles conciones, exhortationes, priuatæ correctiones, piorum librorum lectiones, myſteriorum ſupernaturalium meditationes, & eiuſmodi alia, ad quæ liberè nos applicamus, vel nolentibus nobis applicantur à Dei miniſtris. 23. *Confirmatur.*

Si

Si dicas:Hæc propterea valde vrilia ſunt,qúia illis ſemper aut ferè ſemper ſe interſerit diuina graria præueniens, & alioqui forent inutilia. Id ipſum eſt, quod ego probare contendo, quando. noſttum natuıalein conatum impendimus ad obiecta ſupernaturalia cognoſcenda, & amanda, ſemper aur feıè ſemper ſeſe interſerete diuinam grariam præuenientem, & excitantem, quamuis fortè non præceſſerit, antequam noſtrum naturalem conatum applicaremus.

DISPVTATIO XXIII.

Vtrùm iuſtificationis initio ſufficiant actiones honeſtæ, quarum nulla realis eſt ſupernaturalis.

SECTIO I.

Status quæſtionis, & duæ ſententiæ affirmantes.

1. VIDEBITVR alicui præſentem quæſtionem nihil à præcedenti differre. Quem propreręa monemus primò actiones naturales virtutum bifariam conſtitui poſſe initio iuſtificationis, ita vt non ſolùm actiones, ſecundùm totam ſuam entitatem realem, ſint merè naturales; ſed etiam vt productæ ſint à nobis ſine vllo concurſu ſupernaturali gratiæ, collato propter Chriſti Domini merita. Opera naturalia hoc modo accepta non eſſe initium iuſtificationis, neque rationem prædeſtinationis, pèregimus in præcedenti quæſtione.

In præſenti verò agimus, vtrùm iuſtificationis initium, & prædeſtinationis ratio ſint, illæ actiones virtutum, quæ ſecundùm totam realem entitatem naturales ſunt, & tamen eliciuntur per auxilia gratiæ, collata propter merita Chriſti Domini; & quamuis hûius deciſio haud obſcurè colligatur ex ſuperiori quæſtione, illam tamen difficilem reddiderunt authoritas Scholaſticorum, & argumenta.

2. Moneo ſecundò in præſenti quæſtione ſermonem eſſe de actione, quæ non ſolùm ex obiecto materiali; ſed etiam ex obiecto formali, ſeu fine, & ex omni circunſtantia boneſta eſt; ita vt in genere naturalis virtutis ſit actio ſimpliciter honeſta.

3. Tertiò notandum, actiones naturales honeſtas, ſi à fide & ſpe ſupernaturali imperentur, etiam in homine peccatore habere aliquam vim impetrandi, modo explicando in diſputatione ſequenti ſectione 3. Nunc autem non agimus, niſi de actionibus naturalibus honeſtis, quæ neque ſpem, neque fidem habent adiunctam; ſed ſunt in homine infideli, ſiue vincibiliter ignorante veram fidem.

4. Prima ſententia cõſtat tribus propoſitionibus. *Tres propoſitiones primæ ſententiæ.*

Prima propoſitio. Actiones merè naturales, quantum ad intrinſecam entitatem, ſi fuerint ex omni circumſtantia honeſtæ, vim habent impetrandi fidem, & reliqua ſupernaturalia pertinentia ad iuſtificationem.

Secunda propoſitio. Propterea ex viribus naturæ nullum exiſtit initium iuſtificationis, quoniam nullam actionem ex omni circunſtantia honeſtam elicere poſſimus per ſolas vires naturæ; quin potiùs omnis actio moraliter bona, quamuis merè naturalis ſit quantum ad intrinſecam entitatem, indiget auxilio gratiæ, propter merita Chriſti Domini collatæ.

Tertia propoſitio: ſi aliqua actio ex omni circunſtantia honeſta fieri poſſit per ſolas vires naturæ, præſertim deſiderium veræ religionis, & ſalutis æternæ, aut petitio illius: iam ex viribus naturæ exiſteret initium iuſtificationis.

Hanc ſententiam docti recentiores tribuunt plurimis antiquorum, ex quibus Marſilius, Maior, & Gregorius Ariminenſis ſunt authores, quorum verba id clariùs ſonant, iis proximus eſt Gerſon, quorum teſtimonia ſigillatim expendimus ſuprà diſput. 25. ſectione 4. num. 16. & ſequentibus. 5. *Tribuitur plurimis antiquorum.*

Inſuper negari non poteſt, quin eiſdem ſententiæ fauere videantur quamplurimi Scholaſtici tota diſputatione 21. citati, & in primis ſanctus Thomas in quibuſdam locis ſententiarum, & in diſputatis, nec non 1. 2. quæſt. 89. ſanctus Bonauentura, Albertus, Alex. Guillielmus Pariſienſis, & Altiſiod. quorum verba retulimus diſputatione 21. Sanctus Antoninus, Raynerius, Ægidius, Palud. Capreol. Deza, Caiet. Conradus ſenior citati in tota diſputatione 21. Ij namque Doctores quibuſdam in locis non aliam gratiam videntur exigere ad iuſtificationis initium, niſi quæ ſit ſpecialis motio Dei ad bonum. Significant autem ſufficere; quamuis ad naturale bonum iuxta dictamen rationis naturalis moueatur, & actionem moralem, ita elicitam eſſe viam per ſe diſtinctam & ſufficientem, ad obtinendam vlteriorem gratiam, quamuis ex his Doctoribus quidam clarius, quàm alij, faueant huiuſmodi actionibus merè naturalibus, elicitis ex ſpeciali motione Dei: vt fuſiùs ibi retulimus. 6.

In eandem ſententiam trahi poſſunt alij Doctores, qui humanis actionibus factis per vires naturæ, clariùs concedunt vim diſponendi, aut impetrandi, aut obtinendi gratiam. Nimirum Scotus, Durandus, Ricardus, Henricus, Bacho, Ocham, Gabriel, Dionyſius Carthuſ. & Ciſtercen. Argentina, Nicolaus de Orbellis, & Michaël à Bononia; quorum ſententias retulimus diſputatione vigeſima prima, ſectione quarta. Inſuper Hadrianus, Albertus Pighius, Caſtro, Ioannes de Medina, & Michaël de Medina, Vega, Victoria, Cano, Soto, Viguerius, Delphinus, Corduba, citati in eadem diſputatione 8. ſectione 5. Vnde ſicut mirandum non eſt, quoſdam ex his Doctoribus vocari in ſubſidium huius primæ ſententiæ, ita operoſum erit, atque ſuperfluum, examinare, vtrùm verè hanc primam ſententiam docuérint; ſatis enim fuit, quid expreſsè aſſeruerint, locis ſuprà citatis retuliſſe. Vnde etiam conſtare poteſt, quàm leui fundamento Driedoni tribuatur hæc ſententia; ſicut & quibuſdam aliis recentioribus. 7.

Sed prætereundum non eſt hanc ſententiam ſine fundamento tribui ſancto Thomæ in prima parte quæſtione vigeſima tertia, articulo quinto corpore, fine, & ad tertium, & prima ſecundæ quæſtione 109. articulo ſecundo corpore, & ad primum, & in articulo ſexto, & 2. 2. quæſt. 139. a. 3. Item fruſtrà per hanc ſententiam promittitur concordia locorum S. Thomæ de faciente 8. *Falſò S. Thomæ tribuitur.*

quod in ſe eſt per vires naturæ;cùm eandem eſſe impoſſibilem fateantur primarij omnes Thomiſtæ ſuprà diſp. 21. ſect. 2.n.15.

9. Quaſi ſecundam ſententiam numerare, placuit, temperamentum, quod addunt Docti recentiores, vt euitent inconueniens neceſſitatis peccandi, & impoſſibilitatis penè operandi, quam prima ſententia inducit in naturam humanam gratiæ auxilio deſtitutam: vtque inſuper explicent quomodo verè, & propriè ſit gratia dogmaticè dicta ad mentem Conciliorum, ea motio ſpecialis, quæ requiritur ad actiones moraliter honeſtas circa obiectum conſonum rationi naturali.

10. *Secunda ſententia.* Secunda igitur ſententia fatetur in primis hominem non ſolùm fide carentem, ſed etiam omni ſupernaturali illuſtratione & inſpiratione, ad fidem vocante, habere ſimpliciter & abſolutè potentiam, perficiendi actum moraliter bonum, non ſolùm ea obiecto, ſed etiam ex omni circunſtantia, idque per ſolas vires naturalis rationis & liberi arbitrij.

11. Sed addunt ſecundò, nunquam efficere hominem talem actum ſine aliqua præueniente gratia. Quod explicant, & concordant cum præcedenti aſſertione notando, hanc neceſſitatem præuenientis gratiæ non eſſe antecedentem, ſed conſequentem, ſupponendo, quòd noſtra voluntas liberè operaretur ſub talibus circunſtantiis, vt in eo ſenſu nemo poſſet per ſolas vires naturæ operari actionem moraliter bonam; quia niſi Deus tali modo attemperet auxilium entitatiuè naturale, & tales naturales cogitationes naturales, taléque initium deliberationis moueat, quæ ſcit opportuna, vt noſtra voluntas de facto eligat actionem moraliter bonam, nunquam bene operabitur.

12. Has duas aſſertiones huic ſententiæ concedere, nihil morabimur; quoniam illæ per ſe ſolæ nihil mutant de iuſtificationis initio. Cuius tamen fundamenta commouent duæ aliæ, quæ ſequuntur, aſſertiones.

Aſſerunt ergo tertiò prædictum auxilium, cogitationis, aut deliberationis initium, quamuis tota ſua entitate ſint naturalia, eſſe veram gratiam, de qua loquuntur Concilia & Patres. Primò propter ſpecialem illam protectionem, & opportunitatem, commenſuratam præſcientiæ boni operis conditionaliter futuri, per quam cogitatio, & motio accommodatur, vt voluntatem cum effectu inducat ad bonum actum: quod ſupra totam hominis facultatem eſt, quia non potuit homo hæc ſibi præparare. Secundò, quia hæc prouidentia non debetur naturæ. Tertiò, quia propter Chriſti Domini merita tribuitur. Quartò, quia eſt prædeſtinationis effectus.

13. Vnde inferunt & aſſerunt quartò, quamlibet actionem moraliter bonam eſſe ſufficientem, vt iuſtificationis initium præbeat, obtinendo vlteriora auxilia ſupernaturalia.

14. Hæc poſtrema aſſertio eſt, quam præcipuè examinandam ſuſcipit præſens diſputatio. nam de tertia aſſertione quid ſentiendum ſit, conſtabit diſputatione 40. Notandum namque eſt, duas eſſe quæſtiones valde ſimiles, atque coniunctas in iiſdem principiis theologicis, cæterùm planè diuerſas. Altera eſt, vtrùm quoad intrinſecam entitatem ſupernaturalis eſſe debeat gratia præueniens, ad iuſtificationis initiũ requiſita, & hæc tractanda erit diſputatione 42. Altera quæſtio eſt, vtrùm quælibet actio moraliter bona ſit iuſtificationis initium, hanc in præſenti tractamus.

Has ergo quæſtiones eſſe ita diuerſas, vt poſtquam de vnius deciſione conſtiterit, nondum de alterius deciſione cõſtet, ſed nouo indigeat examine, ſic oſtendo. Quamuis præueniens gratia fuiſſet ſupernaturalis quoad intrinſecam entitatem; ſi tamen virtute illius produceretur actio moraliter bona, quæ quoad totam ſuam intrinſecam entitatem eſſet naturalis; tunc reſtaret adhuc inquirendum, vtrùm talis actio moraliter bona poſſet impetrare vlteriora auxilia gratiæ. 15.

Rurſus è contrario dato, quòd actiones deliberatæ, quæ poſſint impetrare vlteriora auxilia gratiæ, debeant eſſe ſupernaturales quoad intrinſecam entitatem, adhuc inquirendum reſtaret, vtrùm ad illas excitandas, ſufficeret præueniens cogitatio, & impulſus, cuius intrinſeca entitas eſſet naturalis, nihil habens ſupernaturale ſibi intrinſecum; ergo diuerſæ ſunt prædictæ quæſtiones. Fundamenta primæ & ſecundæ ſententię, in ſect. 6. proponentur ſimul, & diluentur.

SECTIO II.

Negatiua concluſio probatur ex phraſi Patrum, & Conciliorum conformiter, ac ſine diſcrimine comprehendente vniuerſa iuſtificationis opera.

VNica concluſio eſt, præſenti diſp. ſatisfaciens, videlicet nullam actionem eſſe iuſtificationis initium, niſi quantum ad realem entitatem ſibi intrinſecam fuerit ſupernaturalis. Hanc concluſionem ita explico. Non ſolùm actio, quæ ſecundùm totam entitatem ſibi intrinſecam naturalis eſt, & elicitur per ſolas vires naturæ, ſed etiam actio, quæ per vires ſupernaturalis auxilij facta eſt, ſi tamen tota ipſius entitas intrinſeca eſt naturalis, non poteſt eſſe iuſtificationis initium; ſuppono enim ſupernaturalia auxilia perſæpe excitare, atque iuuare ad opera moraliter bona, quæ ex ſuo genere non excedunt vires naturæ. 1. *Sola ſupernaturalis actio iuſtificationis initium.*

Prætèrea non ſolùm actio naturalis ex parte totius obiecti, quæ videlicet nullum obiectum ſupernaturale intuetur; ſed etiam actio quæ reſpicit obiectum ſupernaturale, ſi quantùm ad totam intrinſecam realitatem ac modum tendendi fuerit naturalis, non poterit eſſe iuſtificationis initium. 2.

Semper inſiſto in realitate intrinſeca actionis. Nam quælibet denominatio extrinſeca, quæ in actionem redundet ab aliquo termino ſupernaturali, nihil valet, vt ipſa actio, tanquam actus interior, & ratione ſui mereatur, diſponat, vel impetret aliquid ſupernaturale. Quapropter actiones moraliter honeſtæ, & quantum ad totam intrinſecam entitatem, naturales, quamuis ſint in homine fideli, quamuis imperentur à fide, imò etiam quamuis à charitate imperentur, nihil valent tanquam actus interiores ratione ſui, ſed tanquam actus exteriores præciſè ratione actus ſupernaturalis imperantis, vt generaliter notauimus diſput. 30. aſſert. 6. & 7. & dicemus etiam diſput. ſequenti ſect. 2. 3. *Supernaturalitas extrinſeca nihil valet.*

Quãdo nego eiuſmodi actiones eſſe iuſtificationis initiũ, eiſdẽ nego quãcunque vim diſponendi, 4.
impetran

Digitized by Google

impetrandi, merendi, aut quacunque via obtinendi quodcunque auxilium gratiæ; ſiue tamquam cauſa, ſiue tanquam conditio, aut occaſio, modo fuſiùs explicato in tota diſputatione 20.

5. *Actus infuſarum virtutum ſupernaturales.*

Vt explicem ſupernaturalitatem intrinſecam, quæ ad iuſtificationis initium requiritur, præmitto cótrouerſiam eſſe inter ſcholas circa actus virtutum infuſarum, præſertim fidei, ſpei, charitatis & pœnitentiæ, vtrùm ij actus ſint quoad ſubſtantiam naturales, ſolúmque quoad modum ſupernaturales: an verò ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & quoad modum. Et quamuis ſupernaturalitas actuum quoad totam ſubſtantiam communiter recepta ſit à recentioribus, quoniam ex Patrum & Conciliorum decretis, atque Theologiæ principiis, colligitur efficaciter. Nihilominus multò certius eſt, actibus fidei, ſpei, & charitatis ineſſe aliquam realem ſupernaturalitatem, abſtrahendo ab hoc quòd illa ſupernaturalitas ſit modus accidentalis ſuperadditus naturali ſubſtantiæ intellectionis, & volitionis, vel potiùs ſit ipſa eſſentia, & ſubſtantia intellectionis, & volitionis: ſupernaturalitas ita abſtractè dicta ſine graui erroris periculo negari non poteſt actibus trium Theologalium virtutum fidei, ſpei, & charitatis, ad quam certitudinem iam proximè accedit ſupernaturalitas pœnitentiæ, atque illius præſertim, quæ ſine Sacramento ſufficienter ad iuſtificationem diſponit; vt obiter notauimus diſputatione 21. ſectione 4. & 6. circa quoſdam Doctores oppoſitum exiſtimantis.

6. *Credendi voluntas ſupernaturalis.*

Venio igitur ad voluntatem credendi, aut deſiderium ſalutis, vel ad quamlibet aliam actionem honeſtam, quæ poteſt eſſe initium iuſtificationis, aut vocationis, aut fidei. Et contendo illi concedendam eſſe aliquam entitatem realem, ſupernaturalem intrinſecam; ſiue illa ſit eſſentia & ſubſtantia actus, ſiue ſit modus accidentaliter inhærens. Itaque præcipuè intendo, non ſatis eſſe, quòd per auxilia ſupernaturalia producatur, niſi in ea actione ſit realitas aliqua ſupernaturalis.

7. *Concluſionis ratio.*

His ſuppoſitis, prima ratio ſic inſtruitur. Actus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ, niſi fuerint ſupernaturales quoad aliquam realitatem ſibi intrinſecam, non ſufficiunt ad iuſtificationem. Ergo quælibet actio honeſta, niſi fuerit ſupernaturalis quoad aliquam realitatem ſibi intrinſecam, non poterit vllo modo eſſe initium iuſtificationis, quamuis produceretur ex auxilio ſupernaturali, & verſaretur circa obiectum ſupernaturale. Antecedens vt certum ſuppoſuimus iam notabili primo. Conſequentiam autem efficaciter probo, quoniam omnia Concilia & Patres exigunt ſupernaturalitatem in actu fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ. Eadem prorſus phraſi loquendi, eiſdémque verbis, quibus eam exigunt in actione, quæ debet eſſe initiom iuſtificationis. Quod ſi certum eſt in actibus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ intelligere ſupernaturalitatem realem & intrinſecam, actui; idem intelligendum eſt in actione, quæ fuerit initium iuſtificationis vllo modo.

8. *Conciliorum & Patrum phraſes.*

Vt vim huius rationis explicem, & confirmem, ſuppono phraſes, quibus præcipuè, atque frequẽtiùs Concilia & Patres vtuntur ad ſignificandam ſupernaturalitatem actionis requiſitæ ad iuſtificationem, eſſe has quæ ſequuntur. *Fit per gratiam Chriſti, fit per Chriſti redemptionem, fit per infuſionem, per inſpirationem, per illuminationem, ſiue illuſtrationem, per operationem Dei, vel Spiritus ſancti, per gratiam præuenientem, per miſericordiam præuenientem, per vocationem, aut exhortationem Dei, eſt donum Dei, ſeu donum Spiritus ſancti mouentis, non eſt noſtrum, totum eſt Dei, non redditur nobis, ſed donatur, non obtinetur per liberum arbitrium, aut per humanos conatus, aut per naturales vires abſque gratia, ad illam actionem eliciendam, infirmum, & inualidum, & non liberum eſt arbitrium ſine gratia, voluntas præparatur à Domino, dante ſuauitatem, Deus præſtat vt velimus, non eſt volentis, nec currentis, nullus ſeipſum ab alio diſcernit per bona opera, ideo de illis non eſt gloriandum. Deus bonam actionem operatur in nobis, ad illam aguntur Dei ſpiritu, qui ſunt filij Dei,* & quædam aliæ loquendi formulæ his ſimiles, vt videre licet in omnibus Patribus & Conciliis, quæ citauimus tota diſp. 17. præſertim Mileuitano Concilio can. 4. & 5. & Africano can. 80. & Arauſicano à can. 3. vſque ad finem, & Tridentino tota ſeſſ. 6. præſertim cap. 5. & 6. & can. 2. 3. & 4. & decretalibus epiſtolis Cæleſtini, Innocentij, & Leonis, quas retulimus dicta diſputatione 17. ſectione 1.

Vnde ſumitur prima confirmatio in hunc modum. De quibuſcunque actionibus quomodocunque vtilibus, ad iuſtificationem obtinendam, his eiſdém phraſibus loquuntur Concilia & Patres, vt ſignificent eſſe ſupra vires naturæ, & gratuitas; ſed iſtæ phraſes, & non aliæ clariores, conuincunt omnes Theologos, vt fateantur fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ actus eſſe ſupernaturales, quoad realem & phyſicam entitatem ſibi intrinſecam: ergo eædem conuincere debent, vt fateantur eſſe ſupernaturales quoad realem & phyſicam entitatem ſibi intrinſecam quaſcunque actiones, quocunque modo vtiles ad iuſtificationem obtinẽdam. Quamobrem quæcunque quantum ad totam entitatem intrinſecam naturales fuerint, quamuis à principio efficiente ſupernaturali fuiſſent excitatæ, nihil ad iuſtificationem obtinendam valere poſſunt. 9.

Confirmatur ſecundò, quia prædicta Concilia & ſummi Pontifices, atque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & cæteri Patres non diſtinxerunt in actionibus duo genera ſupernaturalitatis; aliud, quod poſitum eſſet in ſola indigentia alicuius cauſæ efficientis, datæ propter gratiam Ieſu Chriſti; cùm tamen tota illarum actionom entitas eſſet merè naturalis: aliud verò ſupernaturalitatis genus, quod ipſam entitatem actionum conſtitueret phyſicè, & intrinſecè ſupernaturalem. Nec vllum veſtigium huius diſcriminis reperitur apud illos omnes. Vnde colligimus, Concilia & Patres ſolummodo admittere ſecundùm genus ſupernaturalitatis, quod phyſicè & realiter conſtituit actiones ab intrinſeco diuinas, & gratuitas. Sed illud primum genus ſupernaturalitatis extrinſecæ reputari pro nihilo, vt ſit vtile ad iuſtificationem obtinendam. Sic Cæleſtinus 1. epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ capite 12. ad medium, recitatis Pontificum & Conciliorum decretis ita concludit. *Sic ergo Eccleſiaſticis regulis ſumptis authoritate documentis, ita adiuuante Domino confortati ſumus, vt omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur authorem, & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita* 10.

præueniri, per quem fit, vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Perpende poſtrema verba, & illa intermedia, *quibus ab initio fidei ad Deum tenditur*, vt videas non aliud genus ſupernaturalitatis & gratiæ poſtulari ad fidei, ſpei, & charitatis actus, quibus ad Deum tenditur, niſi quæ requiritur ad initium cuiuſque voluntatis, aut operis iuuantis ad iuſtificationem. Præterea perpende non computari initium iuſtificationis, niſi *ab initio fidei*, nec computari opera bona, iuxta Conciliorum idioma, neque virtutes, niſi ſuppoſita prius fide.

11. Confirmatur tertiò. Nam hæc eadem clariora fient ſubiectis exemplis, quorum primũ accipi ex Tridentino Concilio ſeſſ.6. can. 3. *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, & adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Obſerua, quibus verbis horum actuum ſupernaturalitatem ſignificet, videlicet, quia *non poſſunt fieri abſque præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, & adiutorio.* Nunc vide in eadem ſeſſ.6.c.5. *Iuſtificationis exordium à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe.* Quam eandem ſtatim appellat excitātem gratiam Spiritus ſancti illuminationem, & inſpirationem, adiungitque inſuper neceſſitatem adiuuātis gratiæ. ergo quodcunque genus ſupernaturalitatis ſignificat Tridentinum in actu credendi, ſperandi, diligendi, & pœnitendi, idem genus ſupernaturalitatis ſignificat in quolibet actu libero, qui potuerit eſſe iuſtificationis initium.

12. Confirmatur quartò. nam Arauſicanum clariùs ſub eadem clauſula copulauit ſimul actiones omnes ad ſalutem vtiles cum actibus Theologalium virtutum, eiſdem prorſus verbis, earum omnium ſupernaturalitatem declarans in capite 25. ſub initium, dicens: *Nullus aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit; niſi gratia eum, & miſericordia diuina præuenerit.* Ergo quodcunque bonum operandum quod ad ſalutem quomodocunque ſit vtile, eodem ſupernaturalitatis genere vires naturæ ſuperat, quo credere & diligere Deum, ſicut oportuit, ſuperat vires naturæ.

13. *Iuſtificationis initia.* Confirmatur quintò. nam iuſtificationis initia maximè ſunt actus iſti, voluntas vt purgari velimus, inuocatio diuinæ gratiæ, & auxilij, credulitatis affectus, deſiderium, conatus, labor, vigilia, & ſtudium; & tamen de his omnibus Arauſicanum can. 3. 4. 5. & 6. definit, quòd debeant *fieri in nobis per gratiam, & per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem per gratiæ donum, & per inſpirationem Spiritus ſancti.* Ergo quæcunque operationes, remotiſſimæ à iuſtificatione, ſi tamen ſunt iuſtificationis initium, gaudent eodem ſupernaturalitatis genere, quæ cæteræ omnes actiones ſupernaturales.

14. Confirmatur ſextò, quia nullum eſt initium iuſtificationis longius à iuſtificatione diſtans, quàm cogitatio boni, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ: tamen huius cogitationis ſupernaturalitatem ſupra vigorem naturæ, eadem prorſus phraſi, qua ſupernaturalitatem fidei, declarat Arauſicanum canone 7. decernens, hæretico falli ſpiritu, qui dixerit: *Per naturæ vigorem bonum aliquod ad ſalutem pertinens vitæ æternæ, cogitare, vt expedit, aut eligere, ſine ſalutari, id eſt, euangelizanti prædicationi conſentire poſſe abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti*, &c. Vides nihil eſſe in hoc contextu, vnde diuerſum modum ſupernaturalitatis tueri poſſis in cogitationibus quæ fidem præcedunt veluti inchoatio fidei.

Confirmatur ſeptimò, quia his & ſimilibus formulis vtitur Cæleſtinus in epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ c. 12. Auguſt. & cæteri Patres citati. 15.

Confirmatur octauò, quoniam Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. circa medium, declarat, attritionem, quæ ex turpitudine peccati, vel pœnarum metu concipitur, *eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc inhabitantis, ſed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat.* Sed propter hæc verba, & propter ea quæ generaliter Concilia & Patres tradunt de initio iuſtificationis, iam meritò quaſi periculoſa, & errori proxima reſpuitur ſententia quorumdam Scholaſticorum, alioqui ſapientium, qui exiſtimabant, contritionem entitatiuè naturalem, quamuis in ſe & formaliter nihil haberet ſupernaturale, ſufficere ad iuſtificationem virtute Baptiſmi, aut virtute abſolutionis obtinendam. ergo huiuſmodi phraſes ex ſe ſufficientes ſunt ad ſignificandam ſupernaturalitatem realem & intrinſecam actioni, ſiue referantur ad voluntatem ſalutis, ſiue ad inuocationem diuinæ gratiæ, ſiue ad opera miſericordiæ, ſiue ad quodcunque aliud opus quod poſſit obtinere auxilium gratiæ diuinæ. 16.

Confirmatur nonò, & præcluditur effugiendi via, quoniam dici non poteſt, actus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ hac peculiari excellentia notari, quaſi altioris ordinis, quàm actus bonos moraliter, qui ſunt iuſtificationis initium; quoniam non ad hos inferiores, ſed tantùm ad illos altiores actus Concilia & Patres requirunt Dei adiutorium, ſeu gratiam adiuuantem, ſeu cooperantem, hoc, inquam, dici non poteſt, quoniam Tridentinum ſeſſ.6. can. 5. expreſsè requirit ad iuſtificationis initium, non ſolùm præuenientem, & excitantem, ſed etiam adiuuantem gratiam. Et Arauſicanum can. 9. de quolibet opere pietatis ad iuſtificationem vtile, ſine vlla exceptione ſic loquitur: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum vt operemur, operatur.* In quo vides gratiam operantem & cooperantem, quæ eadem eſt adiuuans eiſdem verbis ac ſine diſcrimine exigi ad quæcunque opera. Imò Dei adiutorium ad ſingulos actus eſſe neceſſarium, eſt frequens modus loquendi apud Auguſtinum, Hieronymum, Innocentium, & alios Patres, vt alibi ſæpe retulimus. 17. *Effugium præcluditur.*

Vnde ſumitur confirmatio decima, quia Concilia & Patres quando loquuntur de neceſſitate præuenientis, & adiuuantis gratiæ ad omnia opera pietatis, vel comprehendunt ſolummodo actus phyſicè, & quoad intrinſecam entitatem ſupernaturales, vel prætetea comprehendunt actus moraliter bonos entitatiuè naturales, ſed procedentes ab auxilio dato, per Chriſti Domini gratiam; ſi hos omnes actus comprehendunt Concilia & Patres in ſuis definitionibus, conſequens eſt nullum eſſe fundamentum aſſerendi maiorem ſupernaturalitatem, & magis intrinſecam conuenire actibus fidei, ſpei, charitatis & pœnitentiæ, quàm ſit ſupernaturalitas, cuiuſque actus boni moraliter, & reſpicientis ſolummodo conformitatem ad bonum rationis naturalis. Si autem 18.

(vt

(vt fateri debemus) Concilia & Patres ſub prædictis diffinitionibus non comprehendunt actus moraliter bonos, & naturales, quoad totam entitatem ſibi intrinſecam, ſed ſolummodo comprehenderent actus phyſicè, & quoad intrinſecam entitatem ſupernaturales. Conſequens eſt, quod probare intendimus, videlicet ad iuſtificationis initium, atque ad vlteriora gratiæ auxilia obtinenda, nihil valere actum quantumcunque bonum moraliter, cuius tota intrinſeca entitas fuerit naturalis; quia ad hunc finem nihil valet actus, niſi qui ſub prædictis Conciliorum, & Patrum definitionibus comprehenditur.

19. Confirmatur vndecimò, quoniã oppoſita ſententia viam aperit afferendi, quemcunque actum cuiuſcũque virtutis infuſæ naturalem eſſe quoad totam realitatem ſibi intrinſecam, & ſolummodo eſſe ſupernaturalem, quia fit per auxilium datum propter merita Chriſti Domini; eſſet autem in promptu huius aſſertionis fundamentum ſatis firmum, ſi prædictæ locutiones, & definitiones comprehenderent actus moraliter bonos, & quoad totam ſuam intrinſecam entitatem naturales.

20. *Habitus per ſe infuſi negari nequeũt.* Confirmatur duodecimò, quoniam habitus per ſe infuſos, diſtinctos ab aliis, qui per accidens infuſi dicerentur, negare nullus ſine temeritate aut erroris periculo poterit; ſed hos negandos eſſe conſequens eſt, ſi admittamus, actus moraliter & honeſtos, & ſecundùm totam entitatem intrinſecam naturales, indigere inſpiratione, infuſione, præueniente gratia, & adiutorio Dei, ac de illis concedamus intelligi, quæ Patres & Concilia dicunt de actibus ſupernaturalibus. Nam ex iis, & non ex aliis principiis Theologi omnes colligunt, habitus eorum actuum per ſe infuſos eſſe debere; non verò per accidens infuſos, qui ex genere ſuo poſſint per vires naturæ adquiri, quales ſunt habitus omnium virtutum moralium circa bonum rationi naturali commenſuratum.

21. *Reſponſioni occurritur.* Confirmatur decimo tertiò, quia non erit ſatis reſpondere, obiectum fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ eſſe intrinſecè & quidditatiuè ſupernaturale, ac proinde requirere habitus, & actus intrinſecè, & quidditatiuè ſupernaturales. Nam inde potiùs colligitur, verba Conciliorum & Patrum, quæ de fide, ſpe, & charitate, vel generaliter, vel ſpecialiter loquuntur, ſignificare ſupernaturalitatẽ realem, & intrinſecam actui, & habitui: ac proinde eadem verba nullo modo competere actibus naturalibus, quantum ad intrinſecam, & realem entitatem.

22. *Fidei, ſpei, & charitatis improportionati quidam actus.* Confirmatur decimo quartò. Quandoque producuntur improportionati quidam actus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ; quibus nihil realitatis ſibi intrinſecæ ſit ſupernaturale; vt diximus ſect. 4. ratione 5. & illi, cùm ſint honeſti, & conformes rationi rectæ, non producentur niſi Deo præbente cogitationem congruam, quam Doctores oppoſitæ ſententiæ requirunt ad omnes actus honeſtos, & aſſerunt eſſe propriè atque dogmaticè gratiam. Quapropter huiuſmodi ſpes, fides, & charitas, & pœnitentia merè naturales quantum ad totam intrinſecam realitatem, erunt ſufficientes diſpoſitiones ad iuſtificationem recipiendam; & per illas dicetur homo credere, ſperare, diligere, & pœnitere ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: quod eſſe valde abſurdum Theologorum dubitabit nullus.

23. Hæc omnia firmiora reddentur ex dicendis ſect. 5. præſertim pro concluſione 3.

SECTIO III.

Ex præciſa neceſſitate fidei, & ſupernaturalis auxilij, ad iuſtificationis initium, probatur eadem concluſio.

SEcundam, & tertiam probationem concluſionis ſubiungit ſectio præſens. Ratio igitur ſecunda eſt, quoniam fides eſt primum fundamentum totius ſpiritualis ædificij, prima radix ſpiritualis vitæ, & ab illa ſumitur initium iuſtificationis, & principiũ totius meriti, diſpoſitionis, aut impetrationis, (quod eſſe indubitabile demonſtrauimus ſuprà diſputat. 19. ſect. 3. & 4.) Ergo quæcunque opera fuerint facta ſine fide, non præbent vllum iuſtificationis initium; nihilque valent, vt mereantur, diſponant, vel impetrent vlteriora auxilia gratiæ, ſed opera moraliter bona, quæ ſecundùm totam realitatem ſibi intrinſecam naturalia ſunt, exiſtere poſſunt ſine fide; ergo nullum initium iuſtificationis præbere poſſunt, nec diſponere, mereri, aut impetrare vlteriora auxilia gratiæ. 1. *Ratio 2. quia fides iuſtificationis fundamentum.*

Explicatur magis, & confirmatur, recolendo ex diſput. 19. ſect. 5. vt præbeat iuſtificationis initium, ſatis eſſe fidem inchoatam, & imperfectam, quæ ſecum patitur ignorantiam cuiuſque myſterij ſupernaturalis in particulari, & diſtinctè: nihilominus talem eſſe debere hanc etiam fidem, vt intrinſecè & quidditatiuè ſupernaturalis ſit, atque infuſa; quod ex fundamentis poſitis in eadem diſput. 19. ſect. 2. facilè conſtat. Quomodo autem eiuſmodi fides imperfecta, & inchoata verſetur circa ſupernaturale obiectum, ſaltem in confuſo virtualiter, & ſub dubio; atque hoc ſufficiat, vt ipſa poſſit eſſe ſupernaturalis quoad intrinſecam entitatem, dicemus tota diſputatione 25. 2.

Hoc ſuppoſito vis noſtræ rationis in eo poſita eſt, quod authores primæ & ſecundæ ſententiæ concedunt, quælibet opera moraliter bona, quæ quantum ad totam realitatem intrinſecam merè naturalia ſunt, eſſe iuſtificationis initium, & impetrare, mereri, ac diſponere, ex eo ſolùm quòd ſpecialis quædam motio Dei, ſiue congrua cogitatio de obiecto merè naturali requiratur ad illa: quæ omnia fatentur ipſi, poſſe exiſtere ſine vlla fide, & per illa obtineri poſſe fidem. Noſtra verò ratio concludit, aliquam cognitionem, quæ quoad intrinſecam realitatem ſit ſupernaturalis, & verſetur circa aliquod obiectum ſupernaturale, ſaltem in confuſo, implicitè, & ſub dubio; & aliquam piam affectionem eodem modo ſupernaturalem eſſe minimum, & imperfectiſſimum initium, quod ad iuſtificationem dari poteſt; ita vt ſine illis, aut aliis perfectioribus actibus nihil valeant opera moraliter bona. 3.

Confirmatur ſecundò, quoniam alioqui non fides, ſed opera moraliter bona eſſent fundamentum, radix, & exordium iuſtificationis, quod nullus Theologorum tolerare audebit. Sequela probatur, quia ſi opera moralia fidem impetrant, merentur, & ad illam diſponunt (vt prædictarum ſententiarum authores fatentur) iam his operibus fides nititur, tanquam principiis; à quibus de facto accepit ſuum eſſe, & ſine quibus hæc fides non ſubſiſteret hîc, & nunc, quamuis alioqui poſſet fides exiſtere ſine operibus moraliter bonis præcedentibus fidem. 4.

Confirmatur tertiò, quoniam cogitatio de 5.

honeſtate naturali, qualem excitare poteſt ſynderesis,& naturale rationis lumen; non eſt illa *ſchola, valde remota à ſenſibus, in qua Pater auditur & docet*, vt loquitur Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. nec eſt illa reuelatio, aut tractio, de qua Chriſtus Dominus loquitur, quando agit de fide. Ergo eadem cogitatio quantumcunque congrua ſit, non meretur nomen fidei etiam inchoatæ, ac proinde ab illa non poteſt inchoari iuſtificatio.

6. *Sine fide nihil valet oratio & reliqua opera.*

Confirmatur quartò, quia ſine fide nihil ad ſalutem valet oratio quæcumque; nihil opera miſericordiæ, aut pœnitentiæ, imò & latronis in cruce oratio, centurionis eleemoſynæ, eunuchi Æthiopis peregrinatio Hieroſolymitana,& ſacra lectio, nihil ad gloriam obtinendam valuiſſent, niſi à fide ſupernaturali ſaltem inchoata procederent, vt oſtendemus ſequenti diſputatione 24. ſect. 1. 2. & 3.

7. *Supernaturale auxiliũ ſimpliciter neceſſariũ ad iuſtificationis initium.*

Tertia ratio principalis eſt, quoniam ſupernaturale auxilium gratiæ ſimpliciter neceſſarium eſt ad eliciendam quamlibet actionem, quæ ſit iuſtificationis initium, & mereatur, aut impetret gratiam. Ergo hæc actio debet eſſe ſupernaturalis quoad realitatem ſibi intrinſecam. Cõſequentia probatur, quia nulla actio, quæ naturalis ſit quoad totam realitatem ſibi intrinſecam, requirit tanquam ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium auxilium ſupernaturale, ſed tanquam per accidens neceſſarium, vel quodammodo neceſſarium, aut nullo modo neceſſarium: vt conſtabit ſectione 5.

8. Confirmatur primò. nam huius rationis vim agnoſcentes authores ſecundæ ſententiæ, quam ſect. 1. retulimus, aſſerunt opera moraliter bona ſimpliciter, & abſolutè fieri poſſe ſine gratia. Cæterùm nunquam de facto fieri, niſi quando Deus inſpirat illam cogitationem entitatiuè naturalem, quam præſcit aptam fore, vt de facto perſuadeat opus moraliter bonum. Vnde planè ſequitur, gratiam non eſſe ſimpliciter, & abſolutè neceſſariam, vt homo poſſit, ſed vt de facto præbeat initium iuſtificationis ſuæ. Conſequens autem eſſe falſum, & errori proximum conſtat, ex tota diſput. 17. 18. 19. & 20. vbi gratiam præuenientem, quaſi abſolutè neceſſariam, ita vt ſine illa nihil poſſimus agere ad initium iuſtificationis noſtræ, requirunt ſacræ litteræ, Concilia, & Patres.

9. Confirmatur ſecundò, quia qui concedit hæc duo ſimul, videlicet, opera moraliter bona, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, fieri poſſe, abſque gratia:& nihilominus concedit, eadem opera eſſe iuſtificationis initium, eo quòd numquam de facto fiunt ſine gratia. Eadem ratione conuincetur, vt concedat fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ actus, abſolutè loquendo, fieri poſſe per vires naturæ, ſed gratiam requiri, vt de facto fiant, & ea ratione diſponere ad iuſtificationem. Quod Pelagiani erroris pars eſt, aut illi valdè proximum. Sequelam probo, quoniam nullis aliis fortioribus verbis Concilia & Patres docent neceſſitatem gratiæ, ad credendum, ſperandum, diligendum, atque pœnitendum; niſi quibus idem docent de quibuſcumque operibus, quæ iuſtificationis initium præbent, vt vidimus ſect. præcedenti.

Ad poſſe gratia ſimpliciter neceſſaria.

Porrò non ſolùm ad operandum actualiter, ſed etiam ad poſſe, gratiam eſſe ſimpliciter neceſſariam, conſtat ex Tridentino canone 2.& 3. Arauſicano canone 7. & 25. Mileuitano canone 5. Africano canon. 80. & Auguſtino ſæpe, ſed videndus præſertim lib. 1. de gratia Chriſti cap. 5.

Confirmatur tertiò, quoniam opera, quæ ſufficiunt ad iuſtificationis initium, debent eſſe talia, vt ex ſua quidditate ſpecifica requirant, tanquam ſibi proprium efficiens principium Deum quaſi authorem gratiæ, & miſericordiæ; vt colligi poteſt diſcurrendo per varias rationes poſitas in diſput. 18. præſertim ſect. 6. vbi nouæ creaturæ creatio, vel generatio ex diuino ſemine, aut reſuſcitatio probant iuſtificationis initium à præueniente gratia; omnia enim hæc denotant proprium ſibi ac peculiare principium efficiens. 10.

Confirmatur quartò, quoniam actiones moraliter bonæ, quas contrariæ ſententiæ dicunt, ſufficere ad iuſtificationis initium; vel ſunt per ſe, & quidditatiue infuſæ, atque ſupernaturales, vel non: ſi ſunt per ſe infuſæ, atque ſupernaturales, iam quoad intrinſecam ſibi realitatem ſupernaturales ſunt, ac proinde ſupponunt aliquam ſupernaturalem cognitionem, qua dirigantur: & hæc ipſa perfectio eſt, quam contendimus debere conuenire actionibus, ſufficientibus ad iuſtificationis initium. Si autem prædictæ actiones non ſunt per ſe infuſæ, ac ſupernaturales, ſed per accidens infuſæ, atque per accidens indigentes ſupernaturali auxilio; iam inde ſequitur, eaſdem actiones, per ſe loquendo,& ea vi ſuæ quidditatis ſpecificæ, poſſe fieri per vires naturæ, ac proinde eſſe inutiles ad initium iuſtificationis. 11.

Confirmatur quintò, quia contradictionem implicat actionẽ aliquam ex ſua intrinſeca quidditate ſuperare totas naturæ vires,& indigere ſupernaturali auxilio gratiæ; ſed tamen quoad intrinſecam, & realem quidditatem ſpecificam non eſſe ſupernaturalem, ſed naturalem; quia nihil aliud eſt ſupernaturalem eſſe actionem, quàm indigere productiuo principio ſupernaturali, & non poſſe fieri per vires naturæ. Alioqui nulla firma relinquitur via colligendi ea ſacra Scriptura, Conciliis, & Patribus ſupernaturalitatem actionum: eas quippe non alia clariori phraſi declarant, niſi dicendo actionem per vigorem, aut vires naturæ non poſſe fieri, ſed indigere diuina gratia, inſpiratione, motione, &c. 12.

Actio ſuperãs naturæ vires intrinſecè ſupernaturalis.

Supernaturale quid.

Confirmatur ſextò, quoniam ſi omnia opera moraliter bona per ſe ab intrinſeco indigerent auxilio gratiæ; non potuiſſet Deus etiam de potentia abſoluta intellectualem naturam condere abſque gratia. Sequela probatur, quia ſi natura intellectualis conderetur abſque gratia, nullum opus moraliter bonum poſſet elicere: vnde ſequeretur, eſſe phyſicè, aut moraliter determinatam à ſe ipſa, & à ſuo conditore ad ſemper peccandum quolibet opere libero, præſertim cùm actum liberum in indiuiduo indifferentem eſſe, ſit impoſſibile. Talis autem determinatio, ad ſemper peccandum, in quolibet actu libero, non proueniens ab alio priori peccato, ſed ipſa quidditate rei, à Deo conditæ, repugnat operi, & authori; eſt enim contra ſapientiam, bonitatem, & iuſtitiam; vt oſtendimus præcedenti tomo de voluntate Dei. diſp. 27. & plurimis ſequentibus, præſertim diſp. 40. 45. & 46. 13.

Non poſſet natura intellectualis cõdi ſine gratia.

Natura ex ſe determinata ad peccãdum repugnat Deo.

Rurſus dicere naturam intellectualem non poſſe de potentia abſoluta produci abſque gratia, eſt dicere gratiam non eſſe gratiam, ſed naturam, ſicut intellectus, voluntas, & auxilia primæ cauſæ, quæ illis debentur. Nam gratiæ quidditati ſicut repugnat debitum obſequij, ita etiam repugnat

pugnat debitum connaturalitatis, vt vidimus in lib. de quidditate gratiæ tota diſp. 2.

14. *Naturalia præcepta non poſſent impleri.* Confirmatur ſeptimò, quia ſi opera moraliter bona per ſe & ab intrinſeco indigerent auxilio gratiæ, nullum naturale præceptum potuiſſet imponi. Quia præceptum, quod propriè, & ſimpliciter naturale eſt, reſpicit ſolas vires naturæ, nulla gratia præſuppoſita. At verò iiſdem viribus ita nudis nullum bonum eſſet poſſibile; ergo nulla prorſus obligatione naturali adſtringerentur. Hæc autem abſurda ſunt contra ſenſum omnium Philoſophorum, & Theologorum, & contra innatum omnibus hominibus dictamen rationis.

15. Ex quibus omnibus concludo, nullam actionem moraliter bonam, & entitatiuè naturalem, poſſe præbere iuſtificationis initium; quia non per ſe, & ab intrinſeco poſtulat, procedere auxilio gratiæ, vt in huius rationis principio dicebamus.

SECTIO IV.

Ex imperfectione earumdem actionum commenſurata viribus naturæ, probatur eadem concluſio tribus alijs rationibus.

1. QVarta ratio eſt, quoniam ſententiæ aſſerentes, nullam actionem moraliter bonam fieri poſſe per vires naturæ abſque gratia; atque inde inferentes actiones moraliter bonas ſufficere, vt præbeant iuſtificationis initium: hæ, inquam, ſententiæ, quamuis in ſpeciem videantur deprimere vires naturæ; cæterùm re ipſa ſolam gratiam deprimunt, vires autem naturæ ſupra ſe ipſas eleuant. *Honeſta opera non fiunt ſine auxilio.* Quod probatur. nam indubitatum eſt apud omnes Theologos, ad opera moraliter honeſta requiri aliquod auxilium Dei, quod non requiritur ad opera moraliter turpia. Atque hac ſola ratione huiuſmodi auxilium appellatur ſpeciale à pleriſque Scholaſticis, vt de ſingulis ſigillatim notauimus in diſput. 21. ſect. 2. & ſequentibus, à multis etiam appellatur gratia. Quapropter ij Doctores ad opera moraliter bona nullum auxilium altius exigunt, quàm cæteri omnes Theologi, exiſtimantes multa opera moraliter bona fieri poſſe per vires naturæ. Cùm ergo in re nulla ſit inæqualitas in auxilio, reſtat, vt ſolius vocis inæqualitas ponatur à prædictis ſententiis, quoniam ſpeciale auxilium, & gratiam appellant, quod ab aliis appellatur auxilium generale naturæ debitum: vnde fit, vt rem non eleuando, ſed ſolam vocem, nihilominus concedant, gratiam obtineri poſſe virtute huius auxilij & horum operum.

2. *Præoccupatur reſponſio.* Confirmatur primò, quia ſi reſpondeas, in re ipſa inæqualitatem poni, aſſerendo, eſſe realiter ſupernaturale, & gratuitum, quod alij Doctores aſſerunt, eſſe naturæ debitum, ibi manifeſtior eſt depreſſio, atque deiectio gratiæ; ſiquidem gratiæ quidditas conuenire poteſt auxilio, ſine quo natura intellectualis condi non poteſt, vt paulo ſuperiùs dicebamus in ſect. præcedenti.

3. Confirmatur ſecundò, quoniam author naturæ, in quantum talis, tenetur intellectualibus naturis præbere omnia principia ſimpliciter neceſſaria, ad ſuas naturales actiones conformiter ad ſuam naturam eliciendas. At verò vnum ex principiis requiſitis eſt prima cogitatio indeliberata, & primus impulſus indeliberatus; qui à Deo non poteſt præberi ad malum, ſed ad bonum. Hæ verò cogitationes, atque impulſus ſufficienter excitant voluntatem humanam, vt cum generali auxilio primæ cauſæ producere poſſit aliquos actus moraliter honeſtos, & abſque difficultate. Ergo hæc omnia auxilia ſunt verè, & realiter naturalia; & ſolummodo illis mutatur nomen, appellantúrque gratia, vt impetrent, & mereantur vlteriorem gratiam.

4. Confirmatur tertiò, quia cogitationem, & impulſum ad bonum naturalis rationis, non eſſe gratiam excitantem, eo quòd gratia excitans debeat eſſe de obiecto ſupernaturali, & ſecundùm intrinſecam entitatem ſupernaturalis, probabimus fusè infrà diſp. 40. ſect. 2. & 3.

5. *Honeſtè operari poteſt ſolis naturæ viribus.* Quinta ratio eſt, quoniam aliquæ actiones honeſtæ non ſolùm ex obiecto, ſed etiam ex omni circumſtantia, poſſunt fieri per ſolas vires naturæ abſque auxilio gratiæ, ſaltem nulla graui tentatione, aut alia graui difficultate impediente, atque tempore breui, ſine diuturna perſeuerantia, id quod probare ex profeſſo authoritate Conciliorum, & Patrum ratione, alterius eſt inſtituti, & à nobis abundè probatum, in lib. de neceſſitate gratiæ diſputat. 4. 5. & 6. Hac ergo veritate tanquam certa præſuppoſita, quod ad præſens attinet, eſt colligere inſufficientiam & vilitatem omnium actionum moraliter bonarum, ne poſſint eſſe iuſtificationis initium; quoniam ex eo ſunt actionum genere, quæ per ſolas vires naturæ, abſque auxilio gratiæ fieri poſſunt.

6. Confirmatur primò ſupponendo non ſolùm actiones honeſtas, quæ verſantur circa obiectum merè naturale; ſed etiam alias, quæ improportionatè & ſine plena efficacia verſantur circa obiecta ſupernaturalia, & propter motiua ſupernaturalia, poſſe fieri per vires naturæ abſque gratia: idque ſiue actiones illæ ſint per modum ſimplicis complacentiæ, aut velleitatis, ſiue per modum voluntatis abſolutæ, & efficacis (quæ tamen ſemper erit ab intrinſeca quidditate infirma, & inefficax) ſiue ſit iudicium per modum opinionis ambiguæ, ſiue ſit per modum certæ & infallibilis fidei: quamuis neceſſariò debeat eſſe fallibilis, & ambiguus, quantum eſt ex ſua quidditate intrinſeca, quamdiu non fuerit ſupernaturalis; id quod probauimus 2. 2. in 3. diſput. de charitate quæſt. 3. & aliquid diximus ſuprà diſp. 19. ſect. 1. prope initium, vbi explicuimus quinque improportiones, ob quas vileſcit aſſenſus myſteriorum ſupernaturalium, conceptus per vires naturæ: ad cuius imitationem totidem alias improportiones cogitare debemus in ſpe, vel charitate, vel contritione, conceptis per vires naturæ.

7. *Improportiones quinque.* Atque, vt exempli cauſa rem explicem, in charitate prima improportio erit, quia actu entitatiuè naturalis & per modum tendendi naturalem, non poteſt eſſe proportionatus obiecto ſupernaturali. Secunda, quia talis amor entitatiuè naturalis, non eſt ſufficiens, vt hominem diu retineat in obſeruantia præceptorum Dei, neque vt ſuperet grauem aliquam tentationem, aut difficultatem. Tertia, quoniam idem amor, quantum ex ſe eſt, erit indifferens, vt amet ſimul aliquid malum, & moueat ad illud; ſicut contingebat Iudæis zelantibus legem & Dei cultum. Quarta, improportio eſt, quoniam ad exercenda propria munera charitatis comparatione aliarum virtutum infuſarum nihil valebit charitas per vires naturæ concepta: nec erit forma fidei, nec illa conciliabit illuſtrationes, vt ſit firmior, nec ſpem confortabit,

Digitized by Google

conſortabit, nec mouere poterit virtutes morales. Quinta imptuportio, quia non poterit diſponere, mereri, aut impetrare iuſtificationem.

8. Quo ſuppoſito ſic argumentot. Huiuſmodi actiones, quamnis verſentur circa obiecta ſupernaturalia, & propter motiua ſupernaturalia, quia tamen poſſunt per ſolas vires naturæ concipi, ſuppoſita extrinſeca propoſitione obiecti ſupernaturalis, ideo ſunt indignæ vt præbeant iuſtificationis initium. Ergo à fortiori aliæ actiones moraliter bonæ, quæ per ſolas vires naturæ productæ, verſantur circa obiectum nullo modo ſuperans naturalem rationem, indignæ erunt præbendi iuſtificationis initium, nam iſtæ adhuc inferiores ſunt prioribus. Anteceděs probatur, quia Tridentinum ſeſſ.6.can.3.& Arauſicanum can.25. ſub initium non fruſtrà & Inutiliter addunt illam particulam, *ſicut oportet*, quando decernunt, abſque præueniente, & adiuuante gratia neminem poſſe credere, ſperare, diligere, pœnitere, aut bonum aliquod operari: nec poteſt alius ſenſus, Conciliis dignus, & Theologiæ vtilis excogitari; niſi denotare, abſque præueniente, & adiuuante gratia per ſolas vires naturæ, ſi fortè homo qualitercunque credat, ſperet, diligat, pœniteat, vel aliud bonum operetur, eiuſmodi actiones cunctas non eſſe, ſicut oportet ad iuſtificationem obtinendam.

9. Confirmatur ſecundò, quia ſaltem Angeli per ſolas vires naturæ, abſque vllo ſupernaturali auxilio exercere potuiſſent actiones moraliter honeſtas ea omni circumſtantia conformes naturali rationi: & nihilominus non potuiſſent per illas præbere iuſtificationis initium, nec mereri, aut impetrare auxilia gratiæ; quoniam ad hoc indigebant gratia præueniente, vt oſtendemus infrà diſputatione 43. ſectione 3. & 4. Ergo actiones moraliter honeſtæ non ſufficiunt vt præbeant iuſtificationis initium. Simile aliud argumentum ſumi poteſt ex poteſtate operandi bonum morale, quæ conueniret homini, ſi creatus fuiſſet in puris naturalibus, abſque vlla gratia, de quo paulo inferiùs dicam.

10. Seata & poſtrema ratio eſt, quia quamuis ſupernaturale ſit principium, excitans & adiuuans ad aliquam actionem, nihil propterea eleuator actio ad altiorem gradum, niſi principium ſupernaturale communicet ſupernaturalitatem realem, & intrinſecam actioni. Quapropter quæcunque actio fuerit naturalis quoad totam ſuam intrinſecam entitatem, quamuis per ſupernatorales vires eliciatur, nihilominus ab intrinſeco erit inferioris ordinis, quàm iuſtificatio ſupernaturalia: ac proinde nun erit proportionata, vt vllo modo diſponat, mereatur, impetret, aut quolibet alio modo initium præbeat iuſtificationis. Hac enim de cauſa Cuncilia & Patres citati tota diſp. 17. & 18. negant ex viribus naturæ exiſtere initium iuſtificationis, quoniam omnis naturalis actio inferioris ordinis eſt, & pro nihilo reputatur ad iuſtificationem.

Poſtrema ratio quia ſunt inferioris ordinis.

11. Confirmatur, quoniam ſi in puris naturalibus daretur auxilium ad opera moralium virtutum, & non daretur propter merita Chriſti Domini; rurſus illud auxilium & opera per Illud elicita, quoad totam entitatem intrinſecam eſſent eiuſdem rationis, & ordinis, cuius ſunt modò bona moralia, & naturalia; ſed tunc eſſent improportionata ad iuſtificationem, & non poſſent præbere illius initium: vt oſtendemus infrà diſp. 43. ſect. 2. Ergo modò quantum ad intrinſecam entitatem improportionata ſunt ad eundem effectum obtinendum, & ſi quæ illis ineſt proportio, eſt ſolummodò ex denominatione extrinſeca à meritis Chriſti Domini, propter quæ tribuuntur.

12. Confirmatur ſecundò; quatuor enim gradus caloris, vt valeant diſponere ad formam ignis, vel ad formam aquæ, vel ad formam cœli, non redduntur magis proportionati ex eo, quòd producantur à Deo immediatè & ſupernaturaliter producente potius, quàm ab igne naturaliter calefaciente ſiue ab vtroque ſimul concurrente; ergo naturales actiones moraliter bonæ, ſiue producaotur à ſolo libero arbitrio, ſiue ſimul concurrente gratia ſupernaturali, nullam inde maiorem proportionem adquirunt vt diſponant, vel obtineant iuſtificationem.

13. Confirmatur tertiò. nam dignitas, & excellentia melioris cauſæ producentis, eſt merè extrinſeca effectui, quando in effectum nihil phyſicum & reale influit, quo imitetur dignitatem & excellentiam cauſæ.

Cauſa dignitas effectus extrinſeca.

14. Confirmatur quartò, quia illa dictio, *ſicut oportet*, quæ ponitur in Tridentino ſeſſione 6. can. 3. & Arauſicano canon.25. planè ſignificat aliquam perfectionem intrinſecam actui, ratione cuius ſit proportionatus, ad obtinendam iuſtificationem, & nun ſignificat ſolummodo ordinem ad auxilium gratiæ, tanquam ad cauſam efficientem. Cuius efficax argumentum eſt, quia ſi hoc poſtremum ſignificaret Concilium, eſſet nugatio, vel potiùs identica propoſitio, eſſet namque ac ſi definiret, à ſolo libero arbitrio abſque vllo ſupernaturali auxilio excitante, & adiuuante, non poſſe produci fidem talem, quæ in ſe habeat realem ordinem dependentiæ ad ſupernaturale auxilium excitans & adiuuans, tanquam ad ſuam primariam cauſam efficientem. Hæc veritas ex terminis eſt non minus euidens, quàm hæc propoſitio: Ignis per ſolas vires naturæ abſque ſupernaturali concurſu Dei, non poteſt producere calorem talem, qui in ſe habeat realem ordinem dependentiæ ad Deum ſupernaturaliter concurrentem, tanquam ad ſuam particularem cauſam efficientem. Quæ veritas euidentiſſima, nec à Pelagio negabatur, ideóque fruſtrà contra illum decerneretur, & alioqui indigna erat quæ à Philoſophis diſputaretur, ne dum à Patribus Eccléſiæ in Conciliis Arauſicano & Tridentino.

15. Ne huius argumenti vim reſtringat fortè aliquis ad ſolam fidem, ſpem, charitatem, & pœnitentiam, de quibus meminit Tridentinum; aduertat eamdem particulam *ſicut oportet*, addi ab Arauſicano in canone 6. ad volendum; deſiderandum, conandum, laborandum, vigilandum, ſtudendum, petendum, quærendum, pulſandum. Quapropter circa quamcunque actionem cuiuſcunque virtutis, ſiue inchoatæ, ſiue perfectæ, & cuiuſcumque ſpeciei fuerit, ſi ad iuſtificationem, poteſt prodeſſe aliquid, vim habet præcedens argumentum.

16. Confirmatur quintò, quia ſecundùm oppoſitas ſententias non eſt alia intrinſeca perfectio, quæ ſignificari poſſit particula, *ſicut oportet*, niſi moralis bonitas. At verò ad hanc ſignificandam, fruſtrà adderetur illa particula, cùm per ſe notum ſit ad turpes actiones non requiri gratiam, nec opus eſſet addere, *ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur*; niſi eſſent

eſſent ſpeciales quædam actiones, quæ talem intrinſecam proportionem habent ad obtinendam gratiam, & propterea non poſſunt niſi à gratia procedere.

SECTIO V.

De actionibus quoad realitatem intrinſecam naturalibus, ſed tamen neceſſariò requirentibus auxilium ſupernaturale.

1. *Aliquæ actiones naturales ſine gratia fieri nequeunt.* PRimò ſuppono ex materia de gratia, eſſe aliquas actiones moraliter honeſtas, & quoad totam realitatem intrinſecam naturales, quæ tamen per ſolas vires naturæ abſque auxilio gratiæ fieri non poſſunt; ſiue propter eximiam obiecti perfectionem, aut difficultatem; ſiue propter aliquas circumſtantias. Hæc autem opera poſſumus ad quatuor capita reuocare. *Earum caput primum opera heroica.* In primo ſint opera ex genere, & ex obiecto heroica. Quale foret, ſi quis homo propter ſolum dictamen naturalis rationis, etiam inimicos, animo & opere diligeret, vel prorſus contemneret non ſolùm diuitias, ſed etiam humanos honores, & ex corde optaret contumelias, & rerum omnium indigentiam, vt purum & abſque vllo temporali præmio, propter purum, & ſincerum amorem Dei authoris naturalis, ſeruaret eius legem naturalem.

2. *Secundū perſeuerantia.* In ſecundo cap. eſt diuturna perſeuerantia, ſiue vnius actionis, ſiue plurium. Qualis eſſet perpetua virginitas, vel caſtitas diuturna, vel perpetua in ore veritas, abſque vllo prorſus mendacio, & multo magis diuturna perſeuerantia in obſeruatione totius naturalis legis. *Tertiū multorum collectio.* In tertio capite ſit collectio multorum operum moralium, ſimul aut ſucceſſiuè occurrentium, quorum ſingula per ſolas vires naturæ fieri poſſunt; ſed omnia collectiuè fieri, niſi per gratiam non poſſunt.

3. *Quartū difficilia.* Quartum deniq; caput eſt illorum operum, quæ nec propter obiecti excellentiā, nec propter diuturnitatem, aut multitudinem; ſed merè ab extrinſeco redduntur valdè difficilia: veluti propter grauem tentationem dæmonis, propter hominum impugnationem, propter deprauatam conſuetudinem, propter aduerſam corporis diſpoſitionem, aut quamlibet aliam ob cauſam.

4. De his omnibus operibus duo in præſenti tractanda reſtant. Primum eſt, vtrùm ſufficiant ad iuſtificationis initium, eo quòd ſupernaturali auxilio gratiæ indigent. Secundum eſt, ſuppoſito quòd non ſufficiunt ad initium iuſtificationis, quomodo ex hoc non debilitentur omnes rationes à nobis adductæ in tribus ſectionibus præcedentibus. De hoc ſecundo puncto dicemus in 2. probatione concluſ. 2. & 3.

5. *Non præbent iuſtificationis initium de facto.* Nunc ſit concluſio prima. De facto ſecundùm legem ordinariam, nunquam præbere poſſunt initium iuſtificationis quæcumque opera naturalia, contenta in quatuor capitibus nuper enumeratis. Ratio eſt, quoniam de facto ſecundùm legem ordinariam, nunquam fiunt eiuſmodi opera, niſi accepta priùs iuſtificatione, aut ſaltem illius initio per fidem. *De facto ſupponunt iuſtificationē inchoatam.* Quapropter ſupponunt ſemper iuſtificationis initium iam cauſatum ab aliis operibus; quibus ipſa, poſterius ſuccedentia nihil conferre poſſunt ad initium iuſtificationis.

6. Explicatur magis, notando, de lege ordinaria ante fidem, vel ante fidei initium per notitiam aliquam ſupernaturalem, non præberi ſupernaturalia auxilia, præſertim ea quæ ſunt copioſiora, niſi ad inchoandam fidem; quia hic eſt rectus ordo prouidentiæ ſupernaturalis, vt dirigatur prius ad fundamentum, & radicem totius gratiæ. *Ordinariè nō datur ſupernaturale auxiliū niſi ad inchoandam fidem.* Quibus auxiliis, quoniam reſiſtit, indignus eſt ſupernaturali auxilio, requiſito ad opera moraliter bona ſuperiùs numerata. Qui autem aſſenſum præbet illis auxiliis, iam habet iuſtificationis initium; & virtute illius obtinere poteſt ſupernaturale auxilium, requiſitum ad quæcunque opera, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia.

Confirmatur, quoniam auxilium ſupernaturale, quod requiritur ad prædicta opera moralia, tam excellens eſt atque ſingulare, vt nec hominibus fidelibus conferatur de lege ordinaria, quamdiu iacent in peccato mortali; nec de pœnitentia cogitant: ergo multo minus dabitur infidelibus, antequam vllam ſupernaturalem notitiam accipiant.

Sed vtrùm rarò aliquo diuinæ prouidentiæ ordine, ac præter communem legem, Deus aliquibus hominibus contulerit copioſa auxilia naturalia, & ſupernaturalia, quibus ante vllam ſupernaturalem notitiam, & initium fidei exercuerint aliquod opus ex his, quæ in prædictis quatuor capitibus continentur: atque in eo poſuerint ſolidam & veram honeſtatem coram Deo, non vmbraticam virtutis laruam ad captandam inanem gloriam: adhuc mihi non eſt exploratum, imò exiſtimo nullam eſſe rationem ſufficientem, vt in hac re aliquid poſſit, abſque leuitate affirmari. 7.

Secunda concluſio ſecundùm extraordinariam prouidentiam, vel ſecundùm abſolutam potentiam, potuiſſet Deus ita diſponere auxilia ſupernaturalia, vt homo infidelis antequam aliquod aliud præberet initium iuſtificationis faceret heroicum, & excellens opus virtutis moralis, diuturno tempore in vna vel pluribus eiuſmodi virtutibus perſeueraret, vel plurimas collectiuè exerceret, aut grauem aliquam tentationem difficultatémve ſuperaret, & hoc caſu dato, adhuc illæ omnes actiones, quoad intrinſecam realitatem, naturales, nullum præberent iuſtificationis initium. 8. *Abſolutè poteſt dari.* *Adhuc non ſunt initium.*

Probatur primò, quoniam niſi hæc concluſio vera eſſet; ſequeretur, etiam illa omnia opera moraliter bona, quæ per ſolas vires naturæ abſque auxilio gratiæ fieri poſſunt, præbere iuſtificationis initium. Sequelam probo, quoniam quæcunque opera moraliter bona, per ſolas vires naturæ abſque auxilio gratiæ facta, ſunt diſpoſitiones ab intrinſeco proportionata, vt conducant ad altiora eiuſdem generis, & ordinis opera, per altius aliud auxilium facienda. Atque illa eadem opera inferiora, & commenſurata viribus naturæ, digna ſunt, vt mereantur, & impetrent indies magis ac magis augeri auxiliorum copiam, quo perueniatur tandem ad opera difficiliora, & perfectiora intra eundem ordinem entitatis naturalis. Quòd ſi poſtrema hæc opera ſunt iuſtificationis initium, iam huius initij præceſſit aliud valde proportionatum initium ex viribus naturæ datum. 9.

Confirmatur primò, quia ſi opera entitatiuè naturalia impetrant, & merentur auxilium, ad eliciēda opera quidditatiuè ſupernaturalia, veluti ad credendum, ſperandum, & diligendum, à 10.

fortiori

Digitized by Google

fortiori opera entitatiuè naturalia, quamuis elicita ſint per ſolas vires naturæ, impetrabunt, atque merebuntur auxilium ad opera eiuſdem ordinis, & entitatis naturalis, quamuis elicienda ſint ex auxilio ſupernaturali. Conſequentia probatur, quoniam maior, & excellentior proportio eſt, quæ in phyſica realitate intrinſeca conſiſtit, quàm illa quæ conſiſtit in ſolo ordine ad principium ſui efficiens: & hæc proportio ſola deſideratur in operibus moraliter bonis, vt vnum mereatur, & impetret auxilium ad aliud opus.

11. Confirmatur ſecundò, diſcurrendo per illa quatuor genera operum, quæ indigent auxilio ſupernaturali, quamuis entitatiuè ſint merè naturalia. In primis enim ad heroicum alicuius virtutis actum eliciendum, per ſe & ex natura ſua valere plurimum, priùs aſſueſcere facilioribus actibus eiuſdem, aut ſimilium virtutum, omnes Philoſophi morales rationis lumine cognouerunt. Id namque perſuadet ratio naturalis, quoniam adquiruntur habitus, mitigantur paſſiones, & homo animoſior redditur ne difficultatibus terreatur.

12. Deinde ad diuturnam perſeuerantiam in caſtitate initium eſſe vno die, imò etiam vno temporis momento ſeruare caſtitatem, principia Geometrica, & arithmetica demonſtrant, atque idem intelligo de perſeuerantia, quamcunque diuturna, in vna vel pluribus, vel omnibus virtutibus quas ratio naturalis dictat.

13. Tertiò. In Arithmetica euidentiſſimum eſt, vnitatem eſſe principium numeri; vnde conſequens eſt, vnum opus moraliter bonum, per vires naturæ factum eſſe quidditatiuè, & ab intrinſeco principium illius magni numeri operum, quorum ſingula diuiſiuè per vires naturæ fieri poſſunt: quamuis omnia collectiuè requirant ſupernaturale auxilium.

Confirmatur, quoniam non ſolùm arithmeticè loquendo, eſt principium multitudinis, vnicum opus, ſed etiam phyſicè loquendo, quatenus primum opus moraliter honeſtum producit in anima qualitatem (ſiue illam appelles habitum, ſiue hoc nomine indignam iudices, nihil curo) quæ qualitas eſt initium habitus intenſioris, ac ſubinde inchoat facilitatem, ad frequentandos intenſiores actus.

14. Quartò. Propter eaſdem rationes quodcumque opus honeſtum, ſine tentatione, ac graui difficultate factum per ſe, & ex natura rei valebit plurimum, vt faciliùs fiat eiuſdem generis opus; quamuis contra illud tentatio, & difficultas creſcat: accedente tamen Dei auxilio, quod difficultati ſuperandæ ſit proportionatum.

15. Secundò probatur concluſio, quoniam in his omnibus generibus operum, eo quòd ſint naturalia quoad intrinſecam realitatem, quamuis ſupernaturali auxilio indigeant, ſuam integram vim retinent omnes rationes trium ſectionum præcedentium, & alioqui nihil probarent de reliquis operibus, quæ fiunt per vires naturæ, quod, vt conſtet, opus erit obiectionem proponere, quæ cunctas illas rationes eneruare videtur; & ſolutione data illarum inſtaurare vim, ad probandam præſentem concluſ. 2.

Præcedētium rationum vis integra.

16. Obiectio igitur ſic ſe habet. De prædictis quatuor generibus operum verificatur, non poſſe fieri per naturæ vigorem, ſiue per ſolas vires naturæ, indigere præueniente gratia, & auxilio ſupernaturali, fieri per operationem, infuſionem, & inſpirationem Spiritus ſancti: verificantur denique cæteræ omnes phraſes, numeratæ in ſect. 2. ratione 1. Ergo eadem opera ſunt proportionata, & ſufficientia, vt præbeant iuſtificationis initium; quamuis naturales ſint quoad totam realitatem ſibi intrinſecam. Quapropter cætera opera moraliter bona, ſi contingat procedere ex auxilio gratiæ; quamuis naturalia ſint quoad intrinſecam realitatem, valebunt ad iuſtificationis initium.

Hæc obiectio directè oppugnat primam rationem, in ſect. 2. poſitam, ſed ex obliquo cæteras omnes euertit. Nam eadem opera ſupponunt fundamentum, & radicem iuſtificationis, quæ eſt fides, & indigent auxilio ſupernaturali. Ergo quantum eſt ex his capitibus, non poſſunt reſpui, quaſi ad obtinendam gratiam prorſus inutilia omnia opera quæ ſunt naturalia, quantum ad totam realitatem ſibi intrinſecam. Vnde eneruantur rationes duæ, poſitæ in ſect. 3. & multo magis reliquæ poſitæ in ſectione 4. cùm conſtet multa eſſe opera, merè naturalia, quoad intrinſecam realitatem, quæ non ſint imperfectionis tantæ, vt commenſurata ſint viribus naturæ. 17.

Reſpondetur primum antecedens abſolutè eſſe falſum, quia Conciliorum, Patrùmque verba non verificantur, quando à proprio ſenſu, quem intendunt, detorquentur ad ſenſum improprium. Proprius autem ſenſus à Patribus intentus requirit actiones liberas, quæ ratione ſuæ quidditatis per ſe, naturæ vigorem excedant, ac propterea indigeant præueniente gratia; & quaſi per principium ſibi proportionatum, atque in quocunque euentu debitum fiant per operationem, inſpirationem, & infuſionem Spiritus ſancti. Quæ omnia repugnant quibuſcumque actionibus, quantum ad ſuam intrinſecam realitatem naturalibus, quantumcunque ſint difficillima: vt in ſequenti concluſ. 3. demonſtrabimus. 18.

Vnde conſtat, firmam ſubſiſtere rationem primam propoſitam in ſect. 2. atque idem, facile eſt, colligere de cæteris rationibus; quoniam quæcumque opera, non propter intrinſecam & realem quidditatem ſuam, ſed per accidens ſupponunt fidem, & indigent auxilio ſupernaturali; eadem ſunt ab intrinſeco ita imperfecta, vt commenſurata ſint viribus naturæ, & indigna, vt diſponant, impetrent, aut mereantur auxilia ſupernaturalia, quantumcunque per accidens indigeant fundamento fidei, & auxilio ſupernaturali, & ſuperent vires naturæ. Cui doctrinæ quoniam tota præſens diſputatio nititur, digna eſt quæ probetur ex profeſſo. 19.

Sit ergò tertia concluſio. Quatuor generibus operum moralium, in principio huius ſectionis numeratis, valde per accidens conuenit ſuperare vires naturæ, & indigere præueniente gratia, & ſupernaturali auxilio. 20.

Per accidens naturæ vires ſuperant.

Probatur primò, quoniam opera, quæ ab intrinſeca quidditate, ac per ſe poſtulant auxilium ſupernaturale, in quacunque euentu poſtulant; ita vt nec de potentia abſoluta fieri poſſint abſque ſupernaturali auxilio: nec ſuppleri poſſit illius auxilij defectus per auxilia naturalia, quantumcunque in infinitum creſcant per extraordinariam, & ſingulariſſimam

Probatio 1.

prouiden

prouidentiæ. Quapropter quamuis tota protectio poſſibilis, & totus Dei concurſus poſſibilis intra ordinem naturæ, daretur homini, non poſſet credere, ſperare, aut diligere ſicut oportet, videlicet per actus verè theologicos, & per ſe infuſos. Contrà verò illa quatuor genera operum moralium potuiſſent fieri à quocunque homine cui Deus ad eundem finem contuliſſet ſpecialem aliquam protectionem, & ſpecialem copiam auxiliorum, intra ordinem naturæ abſque vllo ſupernaturali auxilio.

21\. Confirmatur primò, quoniam iiſdem generibus operum moralium magis connaturale eſſet, fieri per huiuſmodi auxiliorum copiam & protectionem ſpecialem intra ordinem naturæ, quàm fieri per auxilia ſupernaturalia; ergo non per ſe, atque ab intrinſeca quidditate, ſed per accidens ob defectum auxiliorum ſibi magis connaturalium poſtulant auxilia ſupernaturalia, præuenientem gratiam, infuſionem, inſpirationem, &c.

22\. *Abſque auxilio fieri poſſunt ab Angelo.* Probatur ſecundò. nam opera quæ per ſe, & ab intrinſeca quidditate requirunt præuenientem gratiam, inſpirationem & infuſionem Spiritus ſancti, eam requirunt in quacunque perſona reperiantur. Alioqui per accidens ratione perſonæ, in qua ſunt, & non per ſe, ratione ſuæ quidditatis requirunt præuenientem gratiam. At verò illa quatuor genera operum moralium, quæ in principio numerata ſunt, ab Angelo fieri poſſunt per ſolas vires naturæ, abſque vllo auxilio gratiæ præuenientis, & adiuuantis. Non ergo ratione ſui, ſed per accidens, quia ſunt in homine, indigent prædicto ſupernaturali auxilio.

23\. Cæterùm ne fortè dicas, prædictam indigentiam gratiæ, per ſe conuenire operibus humanis propter eorum ſpecificam quidditatem, quæ reſpicit humanas vires longè debiliores Angelicis; addo probationem tertiam, quoniam ſi natura humana foret integra per ſubiectionem plenam inferioris portionis ad ſuperiorem, ſolæ vires naturæ abſque auxilio gratiæ concurrente ad ipſas moraliter bonas actiones, potuiſſet illas perficere. Solus ergo ſtatus naturæ corruptæ ſiue carentis prædicta integritate, eſt ratio indigentiæ ſupernaturalis auxilij, ac proinde per accidens conuenit prædicta indigentia.

Probatio 3. Fieri poſſunt ſine gratia à natura integra.

24\. *Obiectio.* At inquis: Nunniſi ſupernaturaliter per gratiam conferri poteſt illa integritas naturæ, qua inferiores vires perfectè ſuperioribus obediant; iam ergo requiritur auxilium gratiæ.

Soluitur 1. Reſpondeo primò, requiri illud auxilium gratiæ per accidens ad remouendum impedimentum illorum operum moralium, quo remoto non ſupernaturalis gratia, ſed ſolæ vires naturæ, cum auxilio naturali ſunt totale principium efficiens illorum operum.

25\. *Probatio 4.* Reſpondeo ſecundò (& ſit probatio 4.) illam plenam ſubiectionem inferiorum virium præberi poſſe per auxilium merè naturale quoad intrinſecam entitatem, quamuis valde ſpeciale debeat eſſe; imò per auxilium eiuſdem ordinis naturalis poſſit homo confirmari in vniuerſo bono præſcripto per rationem naturalem, vt conſtat tum in beatitudine naturali, quam animæ ſeparatæ acciperent in præmium, ſi creationem in puris naturalibus ſeruarent naturalia præcepta vſque ad mortem, tum etiam in eo ſtatu, quem ſortiti ſunt pueri limbi. Nam in vtroque ſtatu nihil ſupernaturale, & propriè gratuitum concedere poſſumus; & tamen concedere debemus æternam perſeuerantiam in obſeruantia omnium mandatorum naturalium, nullo excepto. Ergo non per ſe ratione intrinſecæ quidditatis, ſed per accidens ratione ſtatus corruptæ atque infirmæ naturæ requiritur gratia præueniens ad illa difficiliora opera virtutum moralium.

Quintò probatur, quoniam prædictæ actiones moraliter bonæ, non propter ſe ipſas, ſed propter alias actiones per ſe infuſas, quas per accidens ſupponunt, indigentiam ſupernaturalis auxilij, & gratiæ præuenientis contrahunt. 26.
Etenim Deus non inſtituit de facto naturam humanam in puris naturalibus, deſtinatam ſolummodo ad beatitudinem naturalem, ſed eam eleuauit ad gratiam in ſtatu innocentiæ; poſtea verò per originale peccatum vulneratam ac debilitatam decreuit non aliter ſanare, atque confortare, niſi per gratiam Ieſu Chriſti Domini noſtri; & conſequenter decreuit, illis ſolummodo hominibus conferre auxilia, requiſita ad difficiliores actus virtutum moralium, qui per charitatem, aut ſaltem per fidem, & ſpem, fuiſſent coniuncti cum Chriſto Domino, vt membra cum capite. Cùm ergo ad fidem, ſpem, & charitatem neceſſaria ſit gratia præueniens, hinc per accidens, propter prædictam inſtitutionem Dei factum eſt, vt ad opera moraliter bona, in principio numerata, prærequiratur etiam præueniens gratia.

Confirmatur, quoniam ſi homines fuiſſent à Deo creati in puris naturalibus ſecundùm perfectiorem rationem prouidentiæ naturalis, expediret à Deo præberi abundantiora auxilia merè naturalia, quibuſdam hominibus, quibus illa difficiliora opera virtutum moralium exercere poſſent, ſi vellent. 27.

Probatur ſextò, quia etiam in ſtatu naturæ lapſæ viris perfectis, qui per ſingularem auxiliorum ſupernaturalium abundantiam, & diuturnum perfectionis ſtudium ſuas omnes paſſiones bene domuerint (prout in hoc ſtatu poſſibile eſt) contingere poterit, ſolas vires naturæ abſque auxilio gratiæ ſufficere, vt ſint principium immediatè elicitiuum operum moralium, cum tota illa heroïca perfectione, diuturnitate, multitudine, aut difficultate ab extrinſeco proueniente, quam continent quatuor genera operum moralium in principio huius ſectionis numerata. 28. *Ab aliquibus in natura lapſa fieri poſſunt ſine gratia.*
Nemo tamen inde inferat, in viris perfectis prædicta opera moralia non indigere auxilio ſupernaturali; ſed fieri poſſe per vires naturæ. nam ſemper in quacunque huius vitæ perfectione indigent actuali auxilio gratiæ, vel immediatè concurrente ad ipſa opera moralia; vel ſaltem remouente impedimenta, comprimendo paſſiones, & rebellionem appetitus, & reddendo voluntatem promptam, vt rationi naturali obediat, quo ſuppoſito, iam ipſe naturæ vigor expeditè & liberè ſuas vires exercens, poterit elicere tales actus. *Supponitur gratia.*

Septimò probatur, quia non ſolùm in Ieſu Chriſto Domino noſtro, ſed etiam in eius matre digniſſima vires naturæ erant ita ſolutæ, & expeditæ à quocunque impedimento; & ita in ſuo genere robuſtæ, vt illæ ſolæ abſque immediato influxu gratiæ ſupernaturalis, potuiſſent quaſi immediatum principium efficiens, producere 29. *Sanctiſſimæ Virginis naturales vires.*

quaſlibet actiones naturales moraliter honeſtas, quantumcunque heroïcas, diuturnas, numeroſas, quacunque tentatione, difficultate, aut contradictione, exteriùs occurrente, impeditas.

30. Probatur octauò, quia quod rei conuenit ratione alicuius circumſtantiæ accidentalis, non conuenit per ſe; at verò indigentia ſupernaturalis auxilij, non conuenit moralibus operibus, niſi ratione alicuius accidentalis circumſtantiæ, videlicet, difficultatis maioris, quæ prouenit à tentatione, vel contradictione extrinſeca, vel à prauis habitibus, vel mala corporis diſpoſitione, vel à faſcinatione nugacitatis, & inconſtantia concupiſcentiæ, vel à multitudine operum concurrentium, vel à diuturnitate, aut intenſione, vel à ſiniſtra aliqua in malum inclinatione vehementi.

31. Explicatur & confirmatur à ſimili corporalium actionum. nam curſus tam velox, & tam perpetuus, vt vno menſe conficiat quinque leucarum millia, indiget ſupernaturali aliquo auxilio, aut extraordinaria aliqua protectione & auxilio naturali; cæterùm hæc indigentia non per ſe conuenit: ſiquidem curſus ex ſua quidditate ſpecifica fieri poteſt per naturæ vigorem; ſed conuenit per accidens, propter circumſtantias diuturnitatis, atque velocitatis nimiæ. Sic ergo ſupernaturalis auxilij indigentia per accidens conuenit difficilioribus actibus moralium virtutum.

SECTIO VI.

Referuntur ac diluuntur præcipua fundamenta primæ & ſecundæ ſententiæ, quas in ſectione 1. propoſuimus.

1. *Obiectio 1.* PRimum accipitur ex doctrina S. Auguſtini, Concilij Arauſicani, & aliorum Patrum contra Maſſilienſes, ex qua conſtat inprimis nullum bonum fieri poſſe abſque gratia præueniente: deinde omne bonum ex gratia præueniente factum, habere vim diſponendi, & impetrandi, atque merendi vlteriorem gratiam; ac proinde præbere iuſtificationis initium. His duobus principiis veriſſimis, illæ duæ ſententiæ ſubiungunt hanc minorem propoſitionem. Omne opus morale ex omni circumſtantia honeſtum, quamuis ſit naturale quoad omnem realitatem intrinſecam, nihilominus eſt verè bonum. Ergo idem opus morale non fit abſque præueniente gratia, & vim habet diſponendi, impetrandi, ac merendi vlteriorem gratiam, ac præbendi iuſtificationis initium.

2. Confirmatur primò, quoniam omne bonum honeſtum placet Deo, & in eius honorem cedit: ac proinde dignum eſt de ſe aliquo fauore, ac remuneratione.

Confirmatur ſecundò, quoniam peculiariter amor Dei ſuper omnia, quamuis entitatiuè naturalis ſit, dignus eſt cui Deus de congruo propter ſuam liberalitatem rependat auxilia maiora.

3. Reſpondetur. Solutio facilè conſtat ex quatuor præcedentibus ſectionibus, præſertim verò ex ſectione 5. Neganda enim eſt minor, quia licèt opera moraliter boneſta ex omni circumſtantia ſint verè bona in ordine naturali; nihilominus theologicè, atque dogmaticè loquendo in ordine ad iuſtificationem, pro nibilo reputantur, eo quòd ſint prorſus inutilia propter rationes allatas à ſectione 2. vſque ad 5. & propter authoritates ſacræ Scripturæ & Patrum adductas tota diſputatione 17. & 18. Nam & Paulus 1. Corinth. 13. *Si diſtribuero*, inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Itaque nec ſine ipſa vera, & completa charitate valent aliquid bona opera vt mereantur de condigno; nec ſine incboatione aliqua eiuſdem charitatis (quæ datur cum pia affectione fidei, vt ſæpe ex Auguſt. referimus) valent aliquid ad meritum congrui, nec ad impetrationem, aut diſpoſitionem. Vide ſuprà diſputatione 18. ſect. 1. Quapropter cùm aliunde ſit manifeſtum in ſacris litteris ieiunium, eleemoſynam, & orationem, cæteráque opera pietatis valere plurimum, vt peccatores impetrent iuſtificationem: intelligendum eſt, ſi fiant, ſicut oportet, hoc eſt, per interiores actus quidditatiuè ſupernaturales, modo explicando diſputatione 24.

Ad vtramque confirmationem reſpondetur, quodcunque bonum honeſtum, ac præcipuè amorem Dei ſuper omnia qualiſcunque potuerit eſſe, qui fuerit naturalis quoad ſuam intrinſecam realitatem, quantum ex ſe eſt, dignum eſſe fauore, remuneratione, atque vlteriori auxilio ſibi proportionatis intra eundem ordinem naturalem; cæterùm nihil ſupernaturale poſſe mereri, aut impetrare. 4.

Secundum fundamentum eſt veluti appendix præcedentis, complectitúrque plurima Conciliorum, & ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ ſolent adduci ad probandum, nullum opus moraliter bonum ex omni circumſtantia fieri poſſe per vires naturæ; quæ omnia poſſumus ad quatuor capita reuocare. In primo ſunt teſtimonia quæ aſſerunt, hominem de ſuo nihil habere, præter mendacium, & peccatum. In ſecundo quæ aſſerunt voluntatem abſque gratia non eſſe liberam ad bonum; ſed tantùm ad malum. quæ teſtimonia ſunt valde frequentia (vt videbimus alibi declarantes modum, quo gratia libertatem ſanat.) In tertio capite ſunt teſtimonia, quæ aſſerunt hominem abſque gratia nihil boni agere poſſe, cuiuſmodi aliqua vidimus diſputatione 18. ſectione 1. In quarto ſunt quæ teſtantur ad ſingula opera, & ſingulis momentis nos indigere adiutorio Dei, & gratia. 5. *Obiectio 2.*

His omnibus & ſingulis plenè ſatisfacere, non eſt huius loci, nec nobis neceſſarium, cùm copioſè, atque eruditè ſatisfecerint multi Doctores huius temporis, ſiue in Commentariis ad 1. 2. quæſtione 109. articulo 2. ſiue in controuerſiis de gratia, & libero arbitrio contra huius temporis hæreticos; diximus tamen aliquid in præcedenti tomo de voluntate Dei diſput. 36. ſect. 4. & plura in quodam libro de neceſſitate gratiæ diſput. 4. 5. & 6. 6.

Nunc verò illud peculiariter explicandum videtur, quomodo his omnibus authoritatibus ſatisfacere poſſit ſolutio nuper data ad primum fundamentum. Ratio namque difficultatis eſt, quoniam exceptio firmat regulam in contrarium. Ergo illa exceptio poteſtatis 7. *Obiectio.*

ſolum

ſolummodo ad malum, ad mendacium, ſcilicet, ac peccatum, confirmat quidquid non fuerit malum mendacium, & peccatum non cadere ſub humanam poreſtatem ac libertatem, abſque auailio gratiæ, ſed actiones moraliter bonæ ex omni circuniſtantia non ſunt malum, mendacium, & peccatum. Ergo non cadunt ſub humanam poteſtatem abſque auxilio gratiæ.

8. *Soluitur.* Reſpondeo, eaceptio firmat regulam in contrarium intra illud genus rerum, quod regula tractar, & comparatione illius finis, quem regula intuetur; ſed non extrà. Rurſus prædicta teſtimonia Conciliorum & Patrum non tractant, niſi de illo rerum genere, quæ aliquid poſſunt circa vitam æternam, ſiuè illam impediendo, ſiue ad illam diſponendo, & iuuando: & huuc finem ſalutis æternæ ſolummodo intuentur eadem teſtimonia. Nunc verò comparatione huius finis ad illum impediendum, ac deſtruendum, plurimum valent noſtra mendacia, atquè peccata, propterea quando dicebatur liberum arbitrium ad nihil eſſe liberum, nihil agere poſſe, atque valere nihil, oportuit excipere peccata. Contrà verò actiones moraliter honeſtæ nihil ſunt, nec ad impediendam, neque ad iuuandam iuſtificationem: ideóque comparatione finis, intenti à regula, nihil ſunt: propterea de illis opus non fuit, mentionem facere in eaceptione, quoniam de illis non agebatur.

9. *Explicatur à ſimili.* Hæc ſolutio explicari poteſt à ſimili: ſolemus enim aliquando dicere, talem teſtatorem nihil hæredibus reliquiſſe, præter æs alienum. Nec arguimur falſitatis, quamuis præterea reliquerit veſtes à Deo attritas, & contemptibiles, vt nullius valoris eſſent; idque propterea, quoniam non agebamus, niſi de illo rerum genere, quæ ſunt aliquid comparatione commercij, & æſtimationis humanæ.

10. *Obiectio 3.* Tertium fundamentum erat, quoniam Concilia & Patres docent, nos tentationibus reſiſtere non poſſe abſque gratia; ergo à fortiori non poſſumus facere bonum. Nam minores vires requiruntur vt declinemus à malo, ſicque ſuperemus tentationem, ad illud inclinantem, quam vt faciamus bonum.

11. *Soluitur 1.* Reſpondeo primò. Homo per vires naturæ abſque gratia poteſt leuibus tentationibus reſiſtere, ſingulis diuiſiuè, atque breui tempore; quamuis longo tempore, atque magnæ alicui collectioni tentationum leuium, vel vnicæ graui tentationi, non poſſit abſque gratia reſiſtere, nec ampliùs tradunt Patres, & Concilia. Vnde ſimiliter poſſumus abſque gratia ex facilioribus operibus moraliter bonis ſingula diuiſiuè facere breui tempore.

12. *Soluitur 2.* Reſpondetur ſecundò. Sæpè contingit, nullam tentationem occurrere contra opus aliquod moraliter bonum, ac proinde illud ſaltem fieri ſine gratia.

Soluitur 3. Reſpondetur tertiò, omnes tentationes collectiuè ſumptas, etiam grauiſſimas, longiſſimo tempore, ſuperari poſſe per ſola naturalia auxilia, per ſe loquendo; attamen per accidens contingere, quòd gratia indigeamus in ſtatu naturæ corruptæ, quod intellige, ſicut de bonis operibus explicatum, & probatum fuit ſect. præced. tota concl. 3.

13. *Obiectio 5.* Quintum fundamentum, quoniam ex oratione, atque gratiarùm actione Patres & Concilia colligunt, indigere nos diuina gratia, & ſupra noſtras vires eſſe fidem, ſpem, charitatem, & perſeuerantiam, quia nemo petit ab alio quod in ſua poteſtate habet: vt vidimus diſputat. 18. ſectione 9. Sed orandum nobis eſt in ſingulis operibus etiam moralibus, & naturalibus, vt ea faciamus honeſtè, & cùm fecerimus, pro eo beneficio Deo gratias reddere debemus; ergo inde colligere licet, cuncta opera moraliter bona indigere diuina gratia, vnde conſequens erit vt ſint ad iuſtificationem vtilia.

Reſpondeo, & dico primò. Ad orationem merè naturalem vt minimum tenetur homo, vt à Deo imploret auxilium, naturæ debitum, ad opera moraliter bona. Atque hæc obligatio eſt, quæ per ſe conſequitur naturalem obligationem operandi moraliter bona, & conformia rectæ rationi naturali. Cæterùm de hac oratione nihil Patres & Concilia curant; quoniam ſolummodo agunt de oratione, quæ nititur fidei, & ſpei in Ieſum Chriſtum, vt oſtendemus diſputatione ſequenti ſectione 1. Ea huiuſmodi oratione naturali non colligitur indigentia ſupernaturalis auxilij, ſed ſolummodo indigentia naturalis auxilij. 14. *Ad orationē naturalem tenetur homo.*

Dico ſecundò. Ad ſupernaturalem orationem, per ſe loquendo, non tenetur homo, vt à Deo petat auxilium ad opera moraliter bona, quantumcumque difficillima; quoniam, per ſe loquendo, ad illam non requiritur auxilium ſupernaturale, ſed requiritur tantùm per accidens, modo explicato in præced. ſect. con. 3. 15. *Ad ſupernaturalem vt petat auxiliū ad opera naturalia per ſe non tenetur.*

Dico tertiò. Ad orationem ſupernaturalem tenemur per accidens, vt petamus auxilium pro quibuſcunque operibus, etiam moralibus, naturalibus, & facilibus. Teneri autem intelligo, pro loco, & tempore aliquoties ſaltem obligatione ſub veniali peccato (nec enim modò diſputare volo conſcientiæ caſus; ſed rem merè ſpeculatiuam:) ſunt autem quinque rationes, vt hæc obligatio per accidens nobis incumbat. 16. *Tenetur per accidens.*

Prima, quoniam difficiliora quædam opera moralia per accidens indigent auxilio ſupernaturali, vt in ſect. præced. con. 2.

Secunda ratio, quoniam ignoramus, quænam ſint illa opera, ad quæ noſtræ vires ſufficiunt, cùm tamen certum ſit, eſſe perpauca. Inſuper ignoramus, vtrùm ea ipſa opera facilia, ad quæ noſtræ vires ſufficiunt, ſint impedienda, graui tentatione, aut hominum ſtrepitu, vel contradictione, aut bonorum operum multitudine ſimul concurrente, aut alia quauis difficultate.

Tertia ratio, quia etiam iis bonis facilioribus, quæ per naturales vires explere poſſumus, liberè ſolemus plerumque deeſſe. Quod ignoramus quando, & quibus in bonis eſſet futurum: Deus autem certò præſcit, quibus obligationibus naturalibus defuturi ſimus; niſi ſupernaturali auxilio agamur efficaciter, ad illas explendas. Ideo recta ratio ſpiritualis prudentiæ requirit, ad Dei ſupernaturale auxilium per orationem recurrere etiam ad minima naturalia opera moraliter honeſta. 17.

Quarta, atque valdè præcipua ratio eſt, quoniam Chriſtiana dignitas exigit, vt adſpiremus ad hanc perfectionem Deo placendi, in ſingulis quibuſque, atque minimis operibus, & per illa

creſcendi in charitate, & vnione cum Ieſu Chriſto: hoc autem obtineri non poteſt, ſine ſingulari auxilio ſupernaturali, & ſupernaturali oratione illud poſtulante.

18. Quinta ratio eſt, quia etiam operibus ex omni circumſtantia honeſtis, ſolemus, per alios actus eodem tempore elicitos, adiungere venialia peccata. Debemus autem curare, vt quoad fieri poſſit, pauciora, & leuiora committamus. Ad hoc autem, ſicut ſupernaturale auxilium copioſum eſt ſimpliciter neceſſarium, ita etiam orare debemus ſupernaturali oratione ad illud obtinendum.

19. Adde ſimile, quod omnes præcedentes rationes explicat. Homo infirmus ad incedendum, per accidens indiget auxiliatrice manu alterius ſani, & quandiu longum iter peragit, per accidens tenetur illam petere ſemper, etiam ſi poſſit vno, aut altero gradu ſine alterius auxilio incedere; quia ignorat, quo in loco futurum ſit, vt offendat, vel deficiat, ſi propriæ infirmitati relinquatur.

Poſtremò, quod de oratione dictum eſt, idem prorſus, ſeruata debita proportione, dictum intellige de gratiarum actione naturali, per ſe debita, & ſupernaturali, per accidens debita pro accepto beneficio bonorum operum moralium, quæ per nos facta deprehendimus.

20. Obiectio 5. Quintum fundamentum erat, quoniam omnes adulti, quantumcunque barbari, & ignari myſteriorum fidei, facultatem à Deo acceperunt, qua poſſint ad fidem, iuſtificationémque peruenire. Hæc autem facultas facilè explicatur, ſi prædicta opera conformia rectæ rationi naturali, eo quòd fiant ex congrua cogitatione, & auxilio ſpeciali, poſſunt impetrare vlteriorem gratiam, & ipſam etiam prædicationem, aut explicationem myſteriorum fidei. Hanc autem ſi prædictis barbaris claudamus viam, nulla eis ſupereſt facultas obtinendæ ſalutis.

21. Reſpondetur. Imò potiùs quibuſconque barbaris, & ignaris à Deo conceditur facultas obtinendi ſalutem per ſupernaturalia initia fidei, vt explicabimus diſputatione 25. ſectione 3. & ſequentibus.

22. Obiectio 6. Sextum fundamentum contrariæ ſententiæ fuit, quoniam cogitatio congrua neceſſaria eſt ad honeſtè operandum, & illa non eſt debita naturæ, nec eſt in poteſtate noſtra illam habere; ergo eſt gratia præueniens libertatem noſtram: ac proinde ſufficiens erit, vt excitet ad opera, quæ ſint iuſtificationis initium, merendo, impetrando, ac diſponendo.

23. Huius ſolutio duplex eſt.

Solutio 1. Prima. Cogitatio congrua, ad benè moraliter operandum, non eſt propriè, atque dogmaticè gratia præueniens, hæc enim eſſe debet ſupernaturalis, quantum ad intrinſecam ſibi realitatem, ac per ſe infuſa. Quod non obſcurè colligi poteſt ex præced. ſectionibus, ſed ex profeſſo demonſtrabitur infrà diſputatione 25. ſectione 3. & ſequentibus. Vbi conſtabit eamdem cogitationem debitam eſſe naturæ, vt minimum, in aliquibus eius indiuiduis, & præciſo impedimento peccati, debitam eſſe in omnibus indiuiduis, ſaltem pro aliquo tempore: & poſſe per naturales cauſas produci, cum ſolo generali concurſu Dei.

24. Solutio 2. Secunda ſolutio. Si prædicta cogitatio foret propriè, atque dogmaticè gratia præueniens; inde rectè colligeres, actiones moraliter bonas, quæ ſecundùm ſuam intrinſecam quidditatem illam requirunt, eſſe ſupernaturales quoad intrinſecam ſibi realitatem; atque ea ratione ſufficere ad iuſtificationis initium. Cæterùm è contrario, quoniam ſecundùm rei veritatem (quam iſtæ ſententiæ fatentur) prædictæ actiones nullam realitatem ſupernaturalem ſibi intrinſecam habent; ſequitur eas actiones non eſſe ſufficientes ad iuſtificationis initium, propter omnes rationes adductas in ſectionibus præcedentibus. Quapropter ex illa hypotheſi duo contraria ſequuntur.

DISPVTATIO XXIV.

De variis argumentis, quæ contendunt ex viribus naturæ poſſe præberi iuſtificationis initium.

HORVM argumentorum præcipua ſemina poſuerunt reliquiæ Pelagianorum, quibus incrementum dedere quidam Scholaſtici, propè ad eorum errorem accedentes: addentéſque non ſolùm confirmationes, ſed etiam nouas argumentationes, quas nos conabimur, quantum fieri poſſit, vrgere, quo firmior, ac tutior maneat poſtea catholica veritas earum ſolutione data. Suppono autem in ſuperioribus diſputationibus pro data occaſione multas difficultates eſſe expeditas, quarum in præſenti nulla erit mentio facienda.

SECTIO I.

De oratione peccatoris.

PRimum argumentum ſumitur ex innumeris teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quibus oranti, 1.
& petenti promittitur auxilium. Quale eſt illud Iſaiæ 30. (quo vtebatur Caſſianus apud Proſperum in lib. contra eum cap. 16.) *Ad vocem clamoris tui ſtatim, vt audierit, reſpondebit tibi.* Quòd autem ad impetrandum ſufficiat quæcunque oratio moraliter honeſta, quamuis per ſolas vires naturæ ſit elicita, probatur, quia verba ſacræ Scripturæ ſunt vniuerſalia, ideóque non ſunt à nobis limitanda ad ſolam orationem ſupernaturalem.

Confirmant reliqui Maſſilienſes apud Proſpe- 2.
rum & Hilarium in epiſtolis ad Auguſtinum, quoniam ſi noſtræ orationes diuinam gratiam non impetrant, fruſtrà oramus; fruſtrà nos hortatur, ac præcipit Chriſtus Dominus, ſemper orare, ac nunquam deficere: atque fraudulenter
(quod abſit) promittit, dicens: *Petite, & acci-* Matth. 7.
pietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit. & rurſus: *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis.*

Secundum argumentum eſt; quoniam pecca- 3.
toris oratio non eſt ſupernaturalis, & tamen valet ad impetrandam gratiam. Ergo quamuis oratio non ſit ſupernaturalis, ſed per ſolas vires naturæ eliciatur; poterit impetrare gratiam, ac proinde præbere iuſtificationis initium. Maior probatur, quoniam peccator non habet orationis

virtutem

virtutem infuſam: hæc enim ſine charitate non infunditur; ergo non habet principium, quo poſſit orationem ſupernaturalem concipere, ſed tantùm naturalem.

4. Eiuſdem argumenti minor, videlicet, peccatoris orationem valere, ad impetrandam gratiam, certa eſt apud omnes Theologos. Eam præſertim docuit Auguſtinus tractat. 44. in Ioannem, dicens: *Si peccatores Deus non exaudiret, fruſtrà Publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens, diceret, Deus propitius eſto mihi peccatori.* & in Pſalm. 7. in illo verſu, *Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.* Multi ſacræ Scripturæ teſtimoniis Auguſtinus confirmat peccatores ex miſericordia impetrare officium medicinæ, quo ſanatur infirmitas, ſed rectos corde ex iuſtitia impetrare officium medicinæ, quo ſanitas cuſtoditur.

5. Baſilius in regulis breuioribus interrogatione 261. fine, exponens illud Matth. 18. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quacumque petierint, fiet illis*, ait: *Cùm Deus nolit mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat; ſi qui correptus eſt, animo indoluerit, & in idem propoſitum venerit cum eo, vnde corripiatur, de omni re, hoc eſt, de omni peccato, ſi relaxationem petierint, dabitur eis à clementiſſimo Deo.*

6. Tertium argumentum difficilius colligi poteſt ex Hilario ad illum verſum Pſalm. 118. *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua*, vbi ait: *Eſt ergo à nobis cùm oramus exordium, vt munus à Deo ſit: dehinc quia de exordio noſtro munus eſt eius, ex noſtro rurſum eſt, vt exquiratur & obtineatur, & maneat.* Vbi planè docere videtur, exordium impetrandi munus, ſeu gratiam Dei, eſſe à nobis per orationem, & non à Deo.

7. Quartum argumentum. nam S. Thomas 2. 2. quæſt. 83. artic. 16. corpore docet, *orationem peccatoris ex bono naturæ deſiderio prouenientem exaudiri à Deo, non ex iuſtitia, ſed ex miſericordia.* Ergo quamuis oratio non ex ſupernaturali gratia, ſed ex bono naturæ deſiderio proueniat, valorem habet impetrandi ex miſericordia.

8. Nihilominus ſit prima concluſio. Oratio peccatoris, vt vim habeat impetrandi, debet procedere à ſupernaturali auxilio gratiæ.

Oratio impetratoria à ſupernaturali auxilio procedit.

Probatur primò ex Paulo ad Rom. 8. dicente, *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Exponendo verò, ad quid adiuuet, adiungit: *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Vnde Auguſtinus epiſt. 105. ad Sixtum inter principium, & medium ita ratiocinatur: *Ne ſaltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, ſed iam nec gratia eſſet, quia debita redderetur, etiam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur. Quid enim oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis. Quid eſt autem, Interpellat, niſi interpellare nos facit.* Quam eamdem interpretationem repetit lib. 2. de perſeuerantiæ bono, cap. 23. & lib. 1. contra Manich. & lib. 1. contra Maximum, & libru ad Probam de orando Deo, & tract. 6. in Ioannem, & ex ſermone in Pſalm. 53. quorum omnium locorum verba in vnum collecta videre licet apud Bedam Rom. 8. Eodem teſtimoniu ad eamdem concluſionem confirmandam vtitur Proſper in epiſt. ad Demetriadem verſùs finem, & Damaſcenus lib. 4 de fide cap. 23. fine.

9. Probatur ſecundò ex præcedentibus verbis eiuſdem cap. 8. ad Rom. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* Cui conſonat Galat. 4. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra clamantem: Abba Pater*, id eſt, *clamare nos facientem*, vt exponit Auguſt. epiſt. 105. inter principium & medium, & libro de correptione & gratia cap. 15. & tract. 97. in Ioannem, & Proſper in epiſtola ad Demetriadem prope finem, & contra Collatorem cap. 38. verſùs finem.

Probatur tertiò ex eodem Apoſtolo 1. Corinth. 12. *Nemo poteſt dicere: Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto*, hæc enim vox eſt inuocantis Saluatorem, vt ab eo ſalutem impetret. Vnde Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 23. verſùs finem ait: *Diuini eſſe muneris, vt oremus: quod vidit B. Ambroſius, ait enim: Orare Deum, gratia ſpiritualis eſt, ſicut ſcriptum eſt: Nemo dicit, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Vnde acceperit Auguſtinus hæc ipſa verba Ambroſij, nondum inueni. Cæterùm 1. Corinth. 12. propè initium eamdem ſententiam docet Ambroſius. Atque eodem teſtimonio Pauli ad probandum iuſtificationis initium eſſe ex gratia, vtitur Proſper in epiſtol. ad Demetriadem poſt med. & contra Collatorem cap. 14. & 15. & 1. de vocatione Gentium cap. 24. ante med. Eodem teſtimonio S. Thomas probat, orationem vtilem ad impetrandum debere ex gratuito Dei dono procedere 2. 2. quæſt. 83. artic. 15. & 1. 2. quæſt. 109. artic. 6. Si ſolutio ſecundi argumenti conferatur cum præcedenti contextu. Marcus Eremita lib. de paradiſo in proœmio, interrogatione 1. in med. ait: *Quomodo quis orabit, non impulſus ab Spiritu? Mihi quidem teſtimonium perhibet Scriptura, quæ dicit: Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto.* & paulo ſuperiùs dixerat, *eſſe verba cordis, quæ per Dominum proferuntur, & exaudiuntur in corde. Dominus enim operatur, & tunc Spiritus loquitur ſpiritualiter.* 10.

Quartò probatur, quia Concilium Arauſicanum Leonis Primi authoritate, atque inſtructione ita definit can. 3. *Si quis inuocationem humanam gratia Dei, dicit, poſſe conferri: non autem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Iſaiæ, vel Apoſtolo idem dicenti: Inuentus ſum à non quærentibus me.* & can. 6. ſimiliter damnat eum, qui *petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam, dicit, conferri: non autem diuinitus, vt hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem Spiritus ſancti in nobis fieri confitetur.* Confirmatur, quoniam oratio quamuis formaliter conſiſtat in actu intellectus; nihilominus neceſſariò ſupponit voluntatem & deſiderium boni, à quo mouemur ad petendum: at verò voluntatem, & deſiderium ſalutis fieri in nobis per Spiritus ſancti infuſionem, & inſpirationem, definit Arauſicanum can. 4. 6. & 7. 11.

Oratio formaliter intellectus actus.

Quintò probatur, quoniam Eccleſia non ſolùm omnem operationem, ſed etiam omnem orationem præueniente, atque adiuuante gratia indigere, ſupponit, quando ita orat: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta, finiatur.* 13.

Sextò probatur ex Patribus, & inprimis Dionyſius cap. 3. de diuinis nominibus, propè initium, docet orationem è ſummo cœlo pendere, veluti finem, per quem nos Deus ad ſe euehit: quamuis econtra videamur nos trahere Deum ad nos. Quo ſignificatur, & ipſam orationem, & eius 14.

eius fructum e cœlo, & ex Deo per ſupernaturalem gratiam prouenire. Dionyſij verba ſunt: *Nos igitur ipſos precibus ad altiorem diuinorum, benignorúmque radiorum conſpectum contendamus. Vt ſi funis magna luce nitens, è ſummo cœlo penderet; & hucvſque demiſſum, ſemper ante nos manibus viciſſim ſuccedentibus arriperemus: eum quidem trahere videremur, re autem vera eum, qui ſupra, & infra præſtò eſſet, non deduceremus; ſed nos ipſi ad ſublimiores magno lumine fulgentium radiorum ſplendores eueheremur.*

15. Clariùs Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 19. ad finem ait: *Vigilanter conemur, & Deum deprecemur ardenter, ſimul ſcientes, quòd ſic conamur, & quòd ſic deprecamur, dono illius nos habere.* & libro quarto contra Iulianum cap. 8. prope initium ait: *Ponere iam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare, vt his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur, quaſi gratia nulla præceſſerit, & cor tetigeris, vt quæreretur Deus, vt pulſaretur ad Deum.*

16. Sanctus Leo ſerm. 6. de Epiphan. fine ait: *Non erit vacua confitentis oratio, quoniam miſericors Deus. voluntatem timentium ſe faciet, & dabit, quod petitur, qui dedit, vnde peteretur.* Eadem eſt mens Hilarij, vt oſtendemus in ſolutione tertij argumenti, & Proſperi in epiſt. ad Auguſtinum, & locis citatis in 1. 2. & 3. probat.

17. Septimò probatur argumentis generalibus, quibus ſuprà diſp. 18. demonſtrauimus, nullam impetrationem gratiæ poſſibilem eſſe per actiones ſolius liberi arbitrij, abſque gratia præueniente & adiuuante conceptas; ſed huiuſmodi actiones eſſe ad iuſtificationem inutiles, quantum ex ſe eſt. Quem certitudinis gradum obtineat concluſio 1. facilè conſtat tum ex his argumentis, tum præſertim ex diſp. 20. ſect. 1. con. 5.

18. Secunda concluſio. Oratio, niſi ſupernaturalem fidem ſupponat, nihil valet ad impetrandum.

Oratio ſine fide ad impetrandum nihil valet.

Probatur primò Rom. 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt.* Inuocare eſt Deum in ſui auxilium per orationem vocare. Quòd autem hîc *credere*, debeat intelligi de ſupernaturali fide, qualis requiritur ad iuſtificationem, conſtat ex præced. contextu: *Quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*, & continuò ſubiungitur: *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt.* Ex quo teſtimonio Auguſt. de gratia & libero arbitrio cap. 14. ante med. ita concludit: *Ergo ſpiritus gratia facit vt habeamus fidem, vt per fidem impetremus orando, vt poſſimus facere, quæ iubemur.* Eodem teſtimonio ad eamdem concluſionem probandam vtitur Auguſtinus in libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 7. à medio.

19. Probatur ſecundò quamplurimis teſtimoniis ſacræ Scripturæ, in quibus, vt qui petit, impetret, exigitur ab eo fides: vbi ſiue fidei nomine intelligas ſolùm aſſenſum intellectus, ſiue intelligas ſolam fiduciam, quæ eſt actus ſpei, ſiue intelligas vtrunque ſimul; quocunque modo intelligas, efficaciter probatur neceſſitas eius fidei, quæ eſt prima virtus theologalis, & fundamentum, & radix omnium. Quia vbi requiritur ſpei actus, requiritur etiam actus fidei, ſine quo impoſſibilis eſt actus ſpei.

Scripturæ teſtimonia præcipua ſunt Marci 21. *Si habueritis fidem, & non hæſitaueritis; non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis: Tolle & iacta te in mare, fiet: & omnia quæcunque petitis in oratione credentes, accipietis.* Eadem prorſus ſententia habetur Marci 11. & Ioan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, & quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Petere autem in nomine Ieſu Chriſti non poteſt, niſi qui in eum credit. Quam eamdem petendi formam in nomine Ieſu Chriſti repetit Ioannes cap. 16. & Matth. 17. Diſcipuli, *Quare*, inquiunt, *nos non potuimus eiicere illum? dixit illis Ieſus; propter incredulitatem veſtram*, &c. Iacobi 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Hebr. 4. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius.*

Probatur tertiò, quoniam proprius orationis fructus eſt impetrare: at verò impetrationis initium eſt fides, vt vidimus diſput. 19. ſectione 3. præſertim con. 4. 20.

Probatur quartò, quoniam Patres quoties præſcribunt orationi conditiones, quas ſeruare debet, vt impetret, fidem in primis exigunt, ſicut Baſilius in conſtitutionibus monaſticis capite 2. verſùs finem ait: *Niſi cum labore & perſeuerantia forti admodum oraueris, non impetrabis. Deſiderandum enim eſt primùm; cùm vbi deſideraueris, ex animo quærendum, adiunctis fide, & perſeuerantia.* Quintò eadem confirmantur ex dicendis ſectione 3. de Cornelio, latrone, Eunucho, & aliis. 21.

Ex his concluſionibus ſolutio deducitur ad ea, quæ initio propoſita ſunt argumenta. 22.

Ad primum cum confirmatione reſpondetur, ſicut quando legimus in Scriptura ſacra: Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic ſaluus erit, vel æternam ſalutem promitti ſperantibus, aut diligentibus Deum, intelligere debemus, credere, ſperare, & diligere ſicut oportet; videlicet, ſupernaturali actu, per auxilium præuenientis, & adiuuantis gratiæ concepto: ſic etiam quando Scriptura ſacra promittit aliquid orantibus, petentibus, clamantibus, inuocantibus, ipſa ratio poſtulat, vt ſubintelligamus, *ſicut oportet*, nimirum, actu, qui ſit alicuius valoris in ordine ſupernaturali, in quo nihil eſt quæcunque oratio, per vires naturæ concepta. Neque id tacuere ſacræ literæ; quin potiùs apertè docuerunt in locis citatis pro prima concluſione probat. 1. 2. & 3.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo primò. Certum eſt ac indubitabile, peccatores poſſe ita orare, vt iuſtificationem, vel auxilia ſupernaturalia impetrent. Cæterùm id propterea poſſunt, quia Deus pro ſua miſericordia peccatores præuenit gratia excitante, ad orandum, & piis operibus quærendam ſalutem; atque ad hoc præſtandum, affert adiuuantem gratiam, qua poſſint eiuſmodi actus ſupernaturales elicere, quamuis eorum infuſos habitus nondum acceperint. Quod idem contingit quibuſcunque adultis, quando primos actus fidei, ſpei, & charitatis eliciunt, antequam eorum habitus accipiant. 23.

Peccatoris oratio à gratia.

Confirmatur. nam etiam in peccatore ſupernaturalis actus attritionis dari poteſt; vt conſtat ex Tridentino ſeſſione 14. capite 4. circa med. idque quamuis nullum priùs attritionis habitum acceperit. Peculiariter autem Publicani & pœnitentiam & orationem, veniæ deprecatoriam, fuiſſe donum, & opus Dei, & hanc eſſe magnificentiam diuinæ miſericordiæ, vt vbi abundauit delictum, abundet & gratia. Probat Auguſt. in Pſalm. 110. ad illa verba, *Confeſſio, & magnificentia opus eius.* 24.

Reſpon

25. *Naturalis oratio à fide imperata quomodo meritoria de congruo.*

Reſpondetur ſecundò. Oratio peccatoris ſi fidem ſupernaturalem non ſupponat, nihil valet ad impetrandum: vt conſtat ex concluſione a .& teſtimonia ſacræ Scripturæ & Patrum in argumento adducta, non agunt, oiſi de peccatore fideli, qualis erat publicanus. Vnde quamuis contigiſſet orationem peccatoris eſſe merè naturalem, quoad ſuam intrinſecam realitatem, & conceptam per ſolas vires naturæ immediatè concurrentes: nihilominus ſi mediatè mouebatur, & imperabatur à ſupernaturali fide; inde poterat deoominari oratio valens, ad impetrandum, & merendum de congruo, non quaſi actus iorerior, ſed quaſi actus exterior fidei, quæ vim habet merendi, & impetrandt: vt in ſimili dicemus ſect. ſeq. aſſert.4. num. 18.

26. Ad terrium teſpondeo, & dico primò, de Hilario dubitari non poteſt, quin ſenſerit, iuſtificationis initium eſſe à præueniente Dei gratia ſumendum: vt vidimus diſputatione 17. ſect. 3. initio. Sed peculiariter orationem debere procedere ex fide & religione, docet in Pſalm. 54. ptopè initium. Fidem verò non poſſe obtineri naturæ viribus ſine Dei præueniente gratia, docet aliis locis nuper eitatis. Quapropter apud Hilarium iuſtificationis initium non eſt naturalis oratio, qualis haberi poteſt ſine fide; ſed oratio ſupernaturalis, quæ vim impertandi, atque merendi, quod petit, à fide ſupernaturali recipiat. Confirmatur, nam in Matth. capite 9. poſt medium ait: *Cæci quia crediderant viderunt, non quia viderant, crediderunt. Ex quo intelligendum eſt, fide merendum eſſe, quod petitur: non ex impetratis fidem eſſe ſumendam.*

Apud Hilarium iuſtificationis initium ſupernaturalis oratio.

27. Dico ſecundò, in verbis quæ referuntur in argumento, Hilarius agit de exordio, quo iam adquirimus, & lucramur ſpiritualia munera, quam eſſe phraſim antiquorum Patrum conſtabit magis diſputatione 27. ſectione 5. cap. 1. ad finem. In hoc ergo ſpirituali progreſſu primus gradus eſt oratio, ſed non ſine fide ſupernaturali, quam nuper idem Hilarius requirebat, vt oratio vim habeat impetrandi. Hæc autem oratio dicitur eſſe à nobis, quia liberè illam elicimus, ſed oon ſine præueniente & adiuuante gratia Dei. Quo etiam loquendi modo ſubiungit continuò: *Ex noſtro eſſe, vt exquiratur, & obtineatur, & maneat.* Cùm tamen proximè antea dixiſſet, *munus à Deo eſſe. Dehinc quia de exordio noſtro munus eſt eius, ex noſtro rurſum eſſe, vt exquiratur.* Vnde apertè conſtat, Hilarium intelligere illud eſſe à nobis, ſiue ex noſtro, quod ſuppoſito Dei munere & gratia præueniente, fit liberè à nobis.

28. Ad quartum reſpondetur, legenti textum erit exploratum, naturam ibi non accipi vt condiſtinguitur à gratia; ſed vt opponitur contra nihil & peccatum, docetque S. Thomas orationes præcedentes à deſiderio peccatoris, in quantum peccator eſt, videlicet, ex deſiderio peccandi, non exauditi à Deo: cæterùm orationes quaſlibet alias, ex bono naturæ deſiderio profectas, exauditi; dummodo conditiones requiſitas ſeruet, inter quas ibidem S. Thomas pietatem numerat, quæ ſine fide non reperitur, & in præcedenti articuio 15. ad 1. docuerat orationem impetratoriam procedero ex gratia. Itaque de ſententia S. Thomæ dubitari oon poteſt.

***

SECTIO II.

De operibus miſericordiæ alterum argumentum præcedenti ſimile.

SVppono, indubitatam eſſe in ſacris literis, frequenter eleemoſynæ, atque aliis operibus miſericordiæ tribui remiſſionem peccatorum. Cuius veritatis, vt obſcuriora prætermittamus, manifeſtiora ſunt teſtimonia quæ ſequuntur. Tobiæ 4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Vbi perpende diſtributionem, *ab omni peccato*; & ne limites ad venialia, additur, *à morte & tenebris liberari*, hoc eſt, à mortali culpa & pœna æterna. Daniel. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Forſitan ignoſcet delictis tuis.* Vbi perpende ſermonem eſſe non ad iuſtum, ſed ad Regem grauibus ſceleribus opertum; quare agitur de mortalium remiſſione obtinenda per eleemoſynas. Eccleſiaſtici 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Similia ſunt quæ habentur Prouerb. 15. & 16. Lucæ 11. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Idem Marci 11. & Lucæ 6. & rurſus Matth. 25. *Venite benedicti*, &c. *Eſuriui enim*, &c. & Matth. 6. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cæleſtis delicta veſtra.* Eccleſiaſtici 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* Quam eamdem veritatem frequentibus eleemoſynæ laudibus exhortationibuſque commendant communiter Patres, quos recenſere oon eſt præſentis inſtituti. 1.

Miſericordiæ operibus peccatorum remiſſio tribuitur.

Ex his teſtimoniis infero, ſacræ Scripturæ & Patribus non ſatisfieri, ſi concedas ſolummodo, hominis iam iuſtificati opera miſericordiæ valere, ad impetrandam remiſſionem culpæ & pœnæ, quatenus merentur, & impetrant remiſſionem venialis culpæ, & temporalis pœnæ, quæ pro mortalibus, vel pro venialibus reſtat ſoluenda: hoc, inquam, non ſatis eſt concedere, tum quia prædicta teſtimonia loquuntur apertè de quolibet peccato, de morte, & tenebris, à quibus omnibus liberat; tum etiam, quoniam ea teſtimonia plerumque diriguntur ad homines, grauibus mortalibus obſtrictos; vt verba Danielis ad Regem. 2.

De peccatore loquuntur.

Fateor tamen, aliqua ex illis teſtimoniis non cogere, vt intelligantur de peccatoribus etiam; ſed exponi poſſe, de ſolis hominibus iuſtis, ſicut Auguſtinus lib. 21. de ciuitate Dei, capite vltimo fusè probat, intelligenda eſſe verba Chriſti Domini Matth. 6. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cæleſtis delicta veſtra.* & Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Sed de hac expoſitione, vtrùm nimirum contracta ſit, nihil opus eſt diſputare. 3.

Secundò colligo, ſacræ Scripturæ & Patribus non ſatisfieri, ſi concedas ſolummodo per accidens, quaſi remouentia impedimenta gratiæ, & quaſi paſſiuas occaſiones, acceptas à Deo, valere miſericordiæ opera, vt gratiam, & remiſſionem peccatorum mortalium obtineant. Hoc, inquam, non ſatisfaciet, quia ſupradicta Scripturæ verba ſignificant vim & valorem, per ſe & directè operantem aliquid, ad obtinendam re- 4.

Valorem per ſe ſignificant.

miſſionis gratiam, videlicet, *liberare, redimere, reſiſtere, conſequi.* Atqui dictiones cauſales, quæ in aliis teſtimoniis interponuntur, non ſunt detorquendæ ad ſenſum impropriuoi; cùm poſſint proprio ſenſu explicari. Quapropter concedendum eſt, opera miſericordiæ, per ſe diſponere mereri, & impetrare remiſſionem peccatorum mortalium, modo magis explicando in aſſertionibus.

Confirmatur. nam & Patres ita expreſsè teſtantur, vt Ambroſ. ſermone 30. de eleemoſyna propè initium ait, *Quamuis ergo pollutus, quamuis multis criminibus circumſeptus; ſi eleemoſynas feceris, innocens eſſe cœpiſti.* Nimirum, quia initium ponitur, quo iuſtificatio à fide ad remiſſionem peccatorum pergere incipit per eleemoſynas. & poſtea fusè comprobat eleemoſynam abſtergere, mundare, rediuere, extinguere peccata, toto ſermone 30. & 31. & Hilarius in Matth. cau. 27. ait: Per opera miſericordiæ Virgines emere oleum, & ſplendidiſſimum animæ lumen. Chryſoſtom. homil. 42. in Geneſ. fine ſimilia ſcribit.

5. *Obiectio ex dictis.* Hoc ſuppoſito aduerſariorum argumentum eſt huiuſmodi. Per eleemoſynam, & cætera miſericordiæ opera, peccator conſequitur remiſſionem peccatorum, ac proinde conſequitur gratiam; ſed eleemoſyna, & alia opera miſericordiæ in peccatore non poſſunt eſſe ſupernaturalia, quoniam peccator nondum habet infuſam virtutem miſericordiæ, quæ non infunditur, niſi poſt charitatem, quam conſequitur: ergo quamuis merè naturalia ſint opera miſericordiæ, valent ad obtinendam gratiam.

6. *Soluitur.* Ad huius argumenti ſolutionem ſatis erat, repetere idipſum, quod ſectione præced. diximus ad ſecundam, videlicet peccatoribus, etiam deficiente habitu virtutis infuſæ, Deum præbere gratiam excitantem, & adiuuantem, virtute cuius ſuppleatur concurſus, quem præbere deboiſſet habitus: ſicque Deum homines, alioqui peccatores, agere ad eleemoſynam, & cætera opera miſericordiæ, quæ verè & propriè ſupernaturalia ſunt; cæterùm vt firmior ſit doctrina tanti momenti, operæpretium erit, eam magis explicare, & ſigillatim confirmare.

7. *Ex gratia procedere debent.* Dico primò. Ex ſupernaturali auxilio præuenientis gratiæ procedere debent miſericordiæ opera, vt peccatoribus obtinere valeant gratiam, & remiſſionem mortalium peccatorum.

Probatur primò ex modo loquendi vniuerſali de omnibus operibus bonis; ſic enim Arauſicanum Concilium capite 25. ad finem ait: *Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus quod in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuemur; ſed ipſe prius nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui priùs inſpirat.* & Auguſtinus vbique vniuerſaliter, de quibuſcunque meritis, & de quibuſcunque operibus bonis, docet eſſe dona, quæ Deus per gratiam operatur in nobis, agendo nos ad ea per æternam prædeſtinationem. In quo genere peculiariter notanda ſunt illa verba libro de bono perſeuerantiæ capite 17. parum à principio. *Quod autem dixi de caſtitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perſeuerantia, & ne pergam per ſingula, hoc de omni obedientia, qua obeditur Deo, veraciſſimè dici poteſt.* Quæ verba referuntur ad ſuperiorem contextum illius, & præcedentium capitum, comprobantium neceſſitatem præuenientis gratiæ, per quam diuina prædeſtinatio homines agat ad bonum. Pondera illam vocem *pietate*, quæ ſolet plerumque ſignificare opera miſericordiæ, quæ ſi forte ſub pietate contineri negaueris; at certè negare non poteris *ſub omni obedientia* comprehendi.

Confirmatur. nam ipſi etiam Semipelagiani aliquando fatebantur vires naturæ non ſufficere ad opera; quamuis adhuc errarent circa fidei initium, ex viribus naturæ. ita referunt Hilarius, & Proſper in epiſtol. ad Auguſtinum, quos ipſe ſic alloquitur libro de prædeſtinatione Sanctorum capite 2. poſt med. *Quocirca, ſicut nemo ſibi ſufficit, ad incipiendum, vel perficiendum quodcunque opus bonum, quod iam iſti fratres, ſicut veſtra ſcripta indicant, verum eſſe conſentiunt: vnde in omni opere bono incipiendo, & perficiendo, ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, &c. 8.

Probatur ſecundò ex Proſpero lib. 2. de vocatione Gent. cap. 8. à medio, vbi agens de operibus miſericordiæ, quæ in die iudicij remunerantur iuſtis, & neglecta poniuntur in reprobis, ſubdit: *Quamuis enim omnia bona, dona ſint Dei, à Deo tamen quædam, etiam non petita, tribuuntur, vt per ipſa, quæ accepta ſunt, ea quæ non ſunt donata, quærantur.* Sic ergo datur non petita gratia præueniens, vt per ipſam quærantur opera miſericordiæ, quæ etiam ipſa ſunt dona Dei. 9.

Probatur terriò ex omnibus argumentis ex ſacra Scriptura, & Patribus, quæ adducta ſunt generaliter in diſputatione 17. & 18. pro quibuſcunque actionibus, quæ ad iuſtificationem valere poſſunt, & magis confirmatur ex aſſertione ſequenti.

Dico ſecundò, ex ſupernaturali fide procedere debent quæcunque opera miſericordiæ, vt peccatoribus obtinere valeant gratiam & remiſſionem mortalium peccatorum. 10. *Ex fide ſupernaturali procedere debent.*

Probatur primò, quia fides ſupernaturalis eſt primum fundamentum, & radix totius iuſtificationis, & ab illa ſumitur initium merendi, & impetrandi vlteriorem gratiam, vt generaliter demonſtrauimus tota diſputatione 19. præſertim ſectione 3. & 4.

Secundò peculiariter probatur. nam ſæpe in ſacra Scriptura, præſertim noui Teſtamenti, ſignificatur, hanc eſſe debere qualitatem operum miſericordiæ, quæ æterna mercede remunerantur, vt Matth. 10. *Qui vos recipit, me recipit, & qui recipit Prophetam in nomine Propheta*, &c. *& quicunque dederit potum aquæ frigidæ, tantum in nomine diſcipuli.* & Matth. 25. *Quamdiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Vbi duæ ponderandæ ſunt phraſes: altera, *me recipit*, atque illa, idem ſignificans, *mihi feciſtis.* Quæ denotant, opera miſericordiæ aut formali, aut virtuali aliqua intentione relata eſſe in Ieſum Chriſtum, propter quem miſeris præſtatur miſericordia: vt docet expreſsè Auguſtinus lib. 21. de ciuitate, capite vltimo, & videtur eſſe communis intellectus illorum verborum Matth. 25. Hanc autem relationem, ſicut oportet, habere non poſſunt opera, niſi per fidem naturalem, niſi, vel meliùs per charitatem referantur. Altera phraſis eſt, *in nomine Prophetæ, aut iuſti, aut diſcipuli*, quæ indicant rationem formalem eſſe debere, quoniam ille homo eſt Dei Propheta, vel amicus, vel ſaltem diſcipulus. Vnde iam hæc opera debent intueri Deum ſaltem in obliquo. 11.

Ex

Ex prædictis verbis Marth. 25. fidem & gratiam Dei operantem prærequiti ad opera miſericordiæ, quæ ad viram æternam vtilia futura ſint, colligit Leo ſermone 7. de Quadrageſima capite 3. dicens: *Quærentibus autem iuſtis, quando & qualiter potuerint iſta deprehendere, reſpondens rex, dicet illis: Amen, amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex minimis fratribus meis, mihi feciſtis. Quid hoc opera fructuoſius? quid hac humanitate felicius? quæ vtique laude ſua fraudanda non eſſet, ſi propter ipſam naturæ communionem iuuando homini ab homine præberetur. Sed quia quod non ex fidei procedit fonte ad præmia æterna non peruenit, alia eſt conditio operum cæleſtium, alia terrenorum. Mundana beneuolentia in iis, quos adiuuat, habet finem: Chriſtiana pietas in ſuum tranſit authorem, dum in ipſum dicamur benigni, quem in nobis fatemur operari, dicente Domino: Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & magnificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Quibus in verbis notanda eſt non ſolùm ſecundæ aſſertionis probatio, ſed etiam illios obiectionis præoccupatio, quæ contra illam noſtris erat temporibus opponenda, vt referemus num. 19.

12. Confirmatur. nam plurima veteris, & noui Teſtamenti hortantur ad opera miſericordiæ ſub nomine fratris, aut ſororis. Horum autem amor, & obligatio illis ſubueniendi, naſcitur ex amore, parentibus debito, & ex illo deriuato ad fratres & ſorores. Vnde 1. Ioan. 3. *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Atque eadem vis paulo obſcurior eſt in nomine *proximi*, nec enim alia ratione omnes homines inuicem proximi ſumus, niſi quatenus ab vno Deo originem ducimos, & eius imaginem participamus.

13. Tertiò probatur Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Quod non ſolùm de tota perſona, ſimpliciter & abſolotè placente, & grata Deo; ſed etiam de ſingulis quibuſque operibus intelligendum eſt, ita vt nullum opus ſit verè bonum, & ad iuſtificationem vtile, nec ſit meritorium etiam de congruo, vel impetratorium iuſtificationis, niſi ex ſupernaturali fide proceſſerit. Ita hunc locum interpteratur Auguſtinus libro 4. contra Iulianum capite 3. à medio fusè, & breuiùs capite 8. prope finem. Eamdem doctrinam tradit libro de prædeſtinatione Sanctorum capite 2. & 7. & in præfat. ad Pſalmum 31. ante medium. Necnon Fulgentius de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 25. atque Proſper libro 2. de vocat. Gent. cap. 8. à medio.

14. Confirmat Auguſt. dicto libro 4. contra Iulianum cap. 3. quia nulla eſt vera virtus ſine honeſto fine, rurſus nullus eſt finis honeſtus humanarum actionum, niſi Deus (intellige, ſiue explicitè, ſiue implicitè, & virtualiter intentus.) Deum autem non poſſumos intendere, ſicut oportet, ſine fide. Vnde facilè refutantur aliqui Doctores huius temporis, defendentes, Auguſtinum ſolummodo dixiſſe, opera moraliter bona ex omni circumſtantia honeſta, vtplurimum non fieri ſine fide. Imò Auguſtinus locutus eſt, non ſolùm de eo, quod vtplurimum, ſed etiam quod ſemper contingit; imò non ſolùm de actu, ſed etiam de potentia. Nam in omnibus locis ſuprà citatis Auguſtinus ſine vlla exceptione docet, ſine auxilio gratiæ & fide

Quidam refutantur.

nullum meritum, nullam impetrationem, nullam virtutem veram Deo placentem, eſſe poſſibilem.

Quartò probatur, quoniam propterea fides, & veritas, quæ primariò continetur in fide, copulantur cum miſericordia ad obtinendam remiſſionem peccatorum. Prouerb. 15. *Per miſericordiam, & fidem purgantur peccata.* & cap. 16. *Miſericordia, & veritate redimitur iniquitas.* 15.

Probatur quintò, quoniam opera miſericordiæ ad impetrandam remiſſionem peccatorum non valent; niſi in quantum *ſunt digni pœnitentiæ fructus*, vt colligitur ex cap. 3. Lucæ, notántque Baſilius in regulis breuioribus quæſt. 271. & Auguſt. libro 21. de ciuitate capite vltimo, & in Enchiridio capite 69. 70. 72. & 76. & ſermone 50. de tempore, qui eſt primus in ſeptuageſima, & ſermone 30. de verbis Domini. Hoc autem intelligendum eſt, vt ſaltem aliqua inchoata pœnitentia formalis, vel virtualis ſupponatur, qua homo per opera miſericordiæ deſideret aliquo tandem tempore accedere ad Deum, quamuis in præſenti malit in peccato manere: vel certè habeat aliquem timorem Dei ſaltem ſeruilem & inefficacem, qui tamen ſupernaturalis eſſe debet, vt ſit vtilis ad gratiam acquirendam. Vnde ſic probatur concluſio. Quælibet pœnitentia vtilis, ſiue inchoata, ſiue perfecta, ſupponit fidem ſupernaturalem; ſed opera miſericordiæ, vt ſint vtilia, præſupponunt aliquam pœnitentiam ſaltem inchoatam; ergo ſupponunt fidem. 16.

Quælibet pœnitentia ſupponit fidem.

Ex his colligo, & dico tertiò, ſupernaturalia eſſe debent, quoad intrinſecam ſibi realitatem opera miſericordiæ, vt ratione ſui, & tanquam interiores actus voluntatis, aliquam vtilitatem conferant ad gratiam obtinendam. 17.

Supernaturalia eſſe debent opera miſericordiæ.

Probatur, quia opera, per ſe indigentia ſupernaturali auxilio, & per ſe ſupponentia fidem, ſunt quidditatiuè ſupernaturalia, vt demonſtrauimus diſputatione præcedenti, ſectione 1. 2. & 5. Sed opera miſericordiæ vtilia ad iuſtificationem, ſunt per ſe indigentia ſupernaturali auxilio, & per ſe ſupponentia fidem: vt in 1. & 2. aſſertione monſtrauimus; ergo ſunt quidditatiuè ſupernaturalia quoad intrinſecam ſibi realitatem. Confirmatur ex dictis diſputatione 17. ſect. 3. à num. 14. vſque ad finem, videlicet aſſertione 6. & 7.

Dico quartò. Opera miſericordiæ, quæ nihil ſupernaturale habuerint ex ſua realitate intrinſeca; ſi tamen imperata fuerint ab actu ſupernaturali fidei, vel ſpei, vel pœnitentiæ, poſſunt mereri de congruo, & impetrare iuſtificationem, quaſi actus exteriores, moti, & imperati: qui ratione ſui nihil valeant, ſed præcisè quatenus ſunt materia circa quam obiectum, effectus, & complementum eorum actuum ſupernaturalium, à quibus mouentur, & imperantur, ac proinde ab illis, ſola extrinſeca denominatione accipiunt valorem. 18.

Naturalia imperata ab actu ſupernaturali meritoria de congruo.

Sed contra ſecundam aſſertionem inſiſtit illa ſecunda opinio, quam diſputatione præcedenti ſectione 1. retulimus: contenditque opera miſericordiæ in die iudicij iuſtis eſſe remuneranda, etiam ſi facta fuerint ſine memoria Chriſti Domini, & relatione in ipſum, propter ſolum motiuum releuandæ miſeriæ pauperis. Quod probant, quoniam ſi illa opera iuſtorum facta fuiſſent propter Ieſum Chriſtum, nihil eſſet, quod dubitarent, 19.

Obiectio.

bitarent, aur interrogatent in die iudicij: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & cibauimus te*, &c.

20. *Soluitur 1. Viſio in verbo.* Prima ſolutio. Iuſti in die iudicij nihil dubitabunt, nihilve ignorabunt de ſuotum opetum valote, & relatione implicita, vel explicita in Ieſum Chriſtuin Dominum; quoniam quæcunque ad ſuum ſtatum pertinent, videbunt in vetbo ab inſtanti mortis, ſoluta pœna, in porgatotio debita; præſertim verò videbunt ſua opera meritoria, & vim, quam ex fide in Ieſum Chtiſtum parricipabant, vt in Chriſto Domino gaudeant, & glorientut de illis operibus, & non in ſeipſis, eſt enim hæc optima pars gloriæ accidentalis. Interrogatio igitut Sanctotum in die iudicij à Cbriſto Domioo inducitur non ad ſignificandam ignorationem, aut dubium; ſed ad præmij magnitudinem exaggerandam eompatatione operis leuiſſimi, quod Deus pro ſua liberaliſſima dignatione dignatur, quaſi beneficium ſibi ipſi factum, accipere ac retribuere. Prætetea vt interrogatione ſignificeiut, Sanctos cuiuſque tei cognitionem à Deo pet Ieſum Chriſtum accipere; ac denique, vt ea figura colloquij magis excitarentut auditores, & attentè audirent, atque memoriæ mandatent excelleutiam meriti, & præmij retribuendi operibus miſericordiæ.

21. *Secundò ſoluitur.* Secunda ſolutio. Etiam ſi ſupponamus Sanctos in die iudicij ignotaturos eſſe ſuorum operum relationem in Ieſum Chriſtum, vel de illa dubitatutos, & inde proceſſuram eſſe interrogationem: adhuc inde non licet infette opeta non fuiſſe in Ieſum Chriſtum telata, ſi non formali, ſaltem virtuali intentione. Tria namque poterant ignorari, aut dubitati. Primum erat virtualis & implicita intenio referendi in Ieſum Chriſtum, quæ vtplurimum latet homines, præſertim minus inſtructos in Theologia pertinente ad actus humanos; *Intentio virtualis.* cùm tamen hæc intentio virtualis ſatis ſit, vt remuneratione digna ſiut opera, ſi cæteras cunditiones babeant. Secundum etat intentio formalis, referendi opera in Ieſum Chtiſtum, de qua plerumque dubitamus, vtrùm ſit qualis oporiet, vt placeamus Deo, recta & ſincera. Inſuper daro, in illos Sanctos cadere poſſet ignorantia; cadere eriam potuiſſet obliuio ſuæ intentionis formalis, quam antea cognouiſſent. Tertium erat applicatio tam ſublimium verbotum ad opeta tam vilia, quantum eſt ex patte noſtra, ita vt ignorarent Sancti, Deum opera miſericordiæ accepta referre perinde, ac ſi hoſpitio, cibo, potu, cæteriſqoe charitatis officiis aliquando fuiſſet à nobis exceptus ipſemet Ieſus Chtiſtus Dominus noſter.

22. *Argumentum.* Sed vrget adhuc eadem opinio, ita ubiiciens, Matth. 25. Impij exclodunrur à regno; quia eſurienti Cbriſto Domino non dederunt manducare, &c. Et tamen ferè omnes reptubi non omittunt opeta miſericordiæ ea intentione explicita, vel implicita, vt non ſubueniant Chriſto Domino in paupere; tanquam ex odio Chriſti Domini, pauperibus ſubtrabant eleemoſynam: ſed potiùs propter auaritiam, vel alia de cauſa. ergo ſecundùm phraſim ſacræ Scripturæ, idem eſt dare eleemoſynain Chriſto, quod dare pauperi, etiam ſine intuitu Chriſti.

23. *Retorquetur.* Reſpondeo, conſequentiam eſſe nullam; plorimis namque rerum naturalium exemplis demonſtrati poſſet, in ſimili forma fallere. Sed ſatis erit vnum de tebus ſupernatnralibus exemplum ex Matth. 10. & Lucæ 12. Quicunque in perſecotione Chriſtum Dominnm non confitetut; ſed negat coram hominibus, negandus eſt à Chriſto Domino, idque quamuis ad negandam Chriſti Domini confeſſionem, non moueatur ex intentione explicita, nec implicita, vt non reddat veritati teſtimonium, nec exhibeat debitum honotem Chriſto Domino coram hominibus; nec ex odio Chriſti, quem potiùs, optarent, retinere poſſe ſimul cum vita, & magno animi dolore negat: ſolùm mouetur nimio vitæ præſentis amore, vel familiæ, vel tormentotum terrore, vel auaritia, aut alio fine. Ergo ſecoodùm phraſim ſacræ Scripturæ idem eſt confiteri Chriſtum coram hominibus, quod exteriùs proferre verba profeſſionis fidei, quamuis non profetantur ex intentione explicita, nec implicita, teddendi Chriſto Domino debitum honorem, & veritati debitum teſtimonium. Conſtat in hoc exemplo antecedens eſſe verum, & conſequens falſum; ergo ille modus illationis vitioſus eſt.

Reſpondeo igitur: Impij excluduntor à regno cæleſti, quoniam omiſerunt debitum amorem Chriſti Domini in paupere, qui amor tunc tantùm obligabat, quando pauper egebat; ſed ratio obligationis naſcebatur ex obligatione diligendi Chriſtum in ſeipſo. Ideo quamuis huic obligationi ſatisfacere prætermiſerint ſolummodo ex auaritia, ſine vlla explicita, nec implicita intentione ſubtrahendi Chriſto Domino debitum ufficium, adhuc verè Chriſto Domino ſubtrahunt, quod Chriſto Domioo præbere debebant in paupere. Atque hinc non colligitur ſecundùm phraſim ſacræ Scripturæ, idem eſſe dare eleemoſynam Chriſto, quàm dare eleemoſynam pauperi, etiam ſine intuitu Chriſti. Addo inſuper bonum eſſe ex integra cauſa; malum verò ex ſingularibus defectibus. ideóque omnes phraſes ſacræ Scripturæ, quando referuntur ad actus bonos, intelliguntur cum multis conditionibus requiſitis, vt fiant, ſicut oportet; quando verò illis eiſdem phraſibos additur negatio, ad ſignificanda contraria peccata; tunc vnius tantùm conditionis defectus ſufficit, vt verificentur prædictæ phraſes, negatione affectæ. nam vnius tantùm conditionis defectus ſufficit, vt affirmari non poſſint, niſi falsò: vnde conſequens eſt, veram eſſe illarum negationem, qnoniam reddit contradictorium ſenſum. 24.

Poſtremò, vt occurramus aliis obiectionibus, quæ ſumi poſſunt ex eodem 25. capite Matth. obſerua, non omoes reprobos damnari propter omiſſa opera miſericordiæ; nec omnes prædeſtinatos beatitodine donari, propter opera miſericordiæ, ſed ſub his euidentioribus, faciliotibúſque charitatis indiciis comprehendere voluit Chriſtus Dominus vniuerſam charitatem in Deum, & in proximum, ac proinde omnia opera cuiuſcunque virtutis, ad quæ Dei & proximi charitas obligat, & mouet animum. Denique ſicut omne mandatum in hoc verbo inſtauratur: 25. *Aliis obiectionibus occurritur.*

Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, Rom. 13. ita etiam omnia bona opera inſtaurantur in opere miſericordiæ.

***

SECTIO III.

Soluitur argumentum tertium, ductum ab exemplis Cornelij, Latronis, Zachæi, Nathanaëlis, Eunuchi, & aliorum, qui ad fidem videntur perueniſſe per opera.

1. HÆc & ſimilia exempla verſantur in eorum ore frequenter, qui contendunt actiones moraliter bonas ex viribus naturæ ſine gratiæ auxilio conceptas, valere ad impetranda ſupernaturalia auxilia, non ſolùm internæ illuſtrationis, & inſpirationis, ſed etiam externæ propoſitionis fidei, per homines, aut per Angelos.

2. *Exemplum primum.* Primum ac celeberrimum exemplum eſt Cornelij Centurionis, Actuum 10. qui nec Iudæus erat, nec Chriſtianus, ſed Gentilis: & tamen per eleemoſynas, & orationes Angeli reuelationem, Petri prædicationem, & ſancti Spiritus gratiam obtinuit. Ergo ſine fide, ac ſine ſupernaturali auxilio gratiæ, opera miſericordiæ, & orationes poſſunt auxilia impetrare ſupernaturalia.

3. Secundum exemplum eſt latronis Lucæ 23. qui æternam ſalutem impetrauit propter opus miſericordiæ ac pietatis, quo Chriſtum Dominum in cruce pendentem à blaſphemiis alterius latronis defendit, & propter orationem, qua ſui memoriam in regno Ieſu Chriſti poſtulauit.

4. Tertium eſt Zachæi, cuius auiditas aſpiciendi Chriſtum Dominum, & recipiendi hoſpitio pietas, & diligentia, inſuper eleemoſynæ ex facultatum dimidio, & reſtitutio quadrupli, meruit audire: *Hodie ſalus huic domui à Deo facta eſt.*

5. Quartum eſt Nathanaëlis, qui propter ſimplicitatem, & veracitatem ab omni dolo alienam, obtinuit ſpecialem aliquam Chriſti Domini beneuolentiam, Ioan. 1.

7. Quintum exemplom eſt Eunuchi maximi Æthiopiæ, qui licèt eſſet Gentilis, peregrinatione tamen Hieroſolymitana, adoratione Dei in templo, & lectione ſacræ Scripturæ obtinuit miraculoſam miſſionem Philippi, ad eum inſtruendum in fide & baptizandum, Actuum 8.

8. Alia plurima exempla ſolent adduci, vt Abrahami, Moſis, illorum diſcipulorum, qui Ioan. 1. quærebant, vbi Ieſus habitaret, inſuper Cananeæ, & illius ſerui, qui precibus impetrauit decem millia talenta ſibi remitti, multáque his ſimilia.

9. *Generalis concluſio.* Nihilominus ſit prima concluſio generalis. Tam ij omnes Sancti, nuper enumerati, quam cæteri omnes, qui poſſunt in exemplum adduci, diuina gratia præueniente, & adiuuante conceperunt priùs fidem, deinde verò virtute gratiæ, atque fidei orabant, donabant eleemoſynas, & cætera opera pietatis exercebant: quæ nihil valerent ad iuſtificatiooem, niſi procederent ex illa radice.

10. Ad huius concluſionis certam, & indubitabilem probationem ſatis erant quæ in 1. & 2. ſect. dicta ſunt, & quæ vniuerſaliter diximus diſputat. 4. 5. 6. 9. & 10. Nihilominus quo magis ex omnium mentibus (quantum Deo authore, in nobis fuerit) extirpemus quaſcunque fibras rationum, quæ ad contrariam ſententiam inclinare poſſunt, adhibendæ erunt probationes, his exemplis peculiares, & illæ quidem priùs de multis, aut de omnibus exemplis ſimul, poſtea verò de ſingulis exemplis ſeparatim.

Probatur ergo primò ex Arauſicano Concilio can. 25. verſùs finem, vbi poſtquam *profitetur ſe credere, quod in omni opere bono non nos priùs incipimus; ſed Deus nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem, & amorem ſui priùs inſpirat;* ex hac doctrina generali ad omnia opera, & ad omnes homines, deſcendens ad ſingularia exempla, ita concludit: *Vnde manifeſtiſſimè credendum eſt, quòd illius latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed diuinæ largitatis donum.* Vbi pondera appellari admirabilem fidem, & donum, ſiue gratiam Dei eam, qua Centurio meruit Angeli reuelationem; & latro promiſſionem regni, & Zachæus hoſpitium Chriſti Domini. 12.

Vniuerſalitatem ad omnes homines cuiuſcunque ſæculi clariùs expreſſit Proſper lib. 2. de vocat. Gentium cap. 5. dicens: *Quis ambigat, eos, qui de quibuſcunque nationibus quibuſlibet temporibus Deo placere potuerunt, ſpiritu gratiæ Dei fuiſſe diſcretos* (ſiue, vt alij codices habent, *directos.*) *Quæ etſi parcior antea, atque occultior fuit, nullis tamen ſæculis ſe negauit virtute vna, quantitate diuerſa, conſilio incommutabili, opere multiformi.* & cap. 10. ait: *Denique ſi ad ipſa mundi exordia recurramus, inueniemus omnium Sanctorum, qui diluuium præceſſerunt, Dei ſpiritum fuiſſe rectorem. Propter quod & filij Dei nominati ſunt*, Geneſ. 6. *Quoniam, ſicut ait Apoſtolus, quicunque ſpiritu Dei aguntur, ij filij Dei ſunt*, Rom. 8. 13.

Bernardus ſermone 78. in Cantica, prope finem, ait: *Bene proinde ſe inuentam perhibuit ab his, qui cuſtodiunt ciuitatem, quæ à Domino ciuitatis præcognitam iam ſe nouerat, & præuentam. Quid Saulo paratius, qui ſupplici iam & mente, & voce clamauerat: Domine quid me vis facere? Nec minus Cornelius, qui eleemoſynis & orationibus ſuis, Domino quidem eas ſibi inſpirante, promeruit peruenire ad fidem. Inuenit quoque Philippus Nathanaelem, ſed priùs Dominus illum cum eſſet ſub ficu, iam viderat. quæ Domini viſio, nunquid non præparatio fuit? & Andreas fratrem ſuum nihilominus inueniſſe refertur, ſed præmiſſum æquè à Domino, atque præſcitum.* Nota ſingula exempla, & inuicem compara, vt ſibi mutuò ſint commentaria. 14.

Veniamus ad ſingulos viros ſigillatim, & in primis ad Cornelium Centurionem, de quo eadem concluſio probatur primò, quoniam Actuum 10. appellatur *religioſus ac timens Deum;* ſed vera religio, verúſque Dei timor eſſe non poteſt, ſine illius radice & fundamento, quod eſt fides. Vnde nunquam in ſacris literis nomen *religioſi, & timentis Deum* tribuitur, niſi viro iuſto. *Iuſtus autem ex fide viuit.* Hanc autem religionem, & timorem Dei fuiſſe cauſam, eleemoſynas faciendi, & orandi, ſignificat ſequens contextus. nam continuò ſubiungitur: *Faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper.* 15. *De Cornelio probatur concluſio 1.*

Vnde ſumitur ſecunda probatio eiuſdem doctrinæ, quoniam qui vnum Deum deprecatur, ſemper iam credit eſſe vnicum Deum, & illum eſſe miſericordem & flexibilem ad preces, vt 16. *Secundò.*

homini

hominibus oſtendat veram ſalutis viam, ad quam inueniendam ſuas omnes orationes, & eleemoſynas dirigebat, vt ſignificant verba Angeli: *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei, & nunc mitte viros in Ioppen, & accerſe Simonem quendam, qui cognominatur Petrus*, &c. *Actor. 10.*

17. Hinc Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. prope initium, colligit, præueniente Dei gratia, & inchoata in Deum fide impulſum fuiſſe Cornelium ad illas eleemoſynas & preces, quæ reuelationem Angeli præceſſerunt. Auguſtini verba retulimus ſuprà diſput. 19. ſectione 5. num. 5. In Leuiticum quæſt. 84. docet, in Cornelio, & omnibus qui cum eo baptizati ſunt, inuiſibilem ſanctificationem præceſſiſſe, antequam viſibiliter Spiritum ſanctum, Baptiſmúmque reciperent.

18. *Auguſtinus.* Et lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 7. in medio, idem confirmat his verbis: *Solet dici: Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici poteſt, cuius acceptæ ſunt eleemoſynæ, & exauditæ orationes, antequam credidiſſet in Chriſtum. Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat?* Rom. 10. & ſuperiùs, inferiuſque docet, hanc fidem ſine præueniente Dei gratia non eſſe.

19. Sic etiam Gregorius homil. 19. in Ezechielem, circa medium probat fidem Cornelij: *Si enim verè & ante Baptiſmum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, ſi non ab ipſo ſe in bonis perfici petebat.* Perpende, quid peteret Cornelius. Rationes námque non habent vim impetrandi, niſi quæ ad ſalutem animæ diriguntur. Eadem Gregorij verba refert, & ſequitur Beda Actuum 10. in principio.

20. Tertia probatio ſumitur ex illa *ſecunda voce ad Petrum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Quam his verbis ad rem præſentem ponderat Proſper lib. de libero arbitrio ad Ruffinum pag. 4. *Dicunt etiam magnum in Centurione Cornelio extare documentum, eo quòd ante gratiæ perceptionem timens, atque orans Deum, eleemoſynis, & ieiuniis & orationi ſpontaneo ſtudio fuerit intentus atque ab hoc diuino teſtimonio laudatus gratiam regenerationis acceperit: Neque intelligunt, omnem illam præparationem Cornelij per Dei gratiam fuiſſe collatam.* Quod probat ex ipſa hiſtoria Actuum 10. *Quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris, quo ſatis apertè oſtenditur, omnia bona opera, quæ in Cornelio præceſſerunt, Dei gratia ad emundationem ipſius inchoaſſe.*

21. Fauet huic probationi Hieronymus in epiſt. ad Auguſtinum de Petro reprehenſo à Paulo, columna 3. dicens: *Surge Petre, occide, & manduca*, &c. *Quo dicto oſtenditur nullum hominem ſecundum naturam eſſe pollutum; ſed æqualiter omnes ad Chriſti gratiam vocari.*

22. Idem Hieronymus Galat. 3. non multum à principio ait: *Sciebat*, Paulus, *& Cornelium Centurionem ſpiritum ex operibus legis accepiſſe; ſed non ex operibus legis, quam neſciebat* (videlicet Iudaicæ.) *ſi autem è contrario dicitur: Ergo ſine auditione fidei accipi ſpiritus poteſt. Nos reſpondebimus, accepiſſe quidem eum ſpiritum; ſed ex auditu fidei & naturali lege, quæ loquitur in cordibus noſtris, bona quæque facienda, & mala vitanda: per quam dudum quoque Abraham & Moſem & cæteros ſanctos iuſtificatos retulimus.* Quem locum conferendo cum ſuperiori loco, ad quem ſe remittit Hieronymus, conſtat, Cornelium fuiſſe iuſtificatum per interiùs loquentem non ſolum naturalem legem, ſed etiam fidem, & quidem fidem in Ieſum Chriſtum. Talem namque fuiſſe Hieronymus confirmat fidem, per quam Abraham, Moſes, ac cæteri Sancti olim iuſtificati ſunt in præceden. cap. 2. ad Galat. circa illa verba: *Scientes autem, quod non iuſtificatur homo ex operibus legis.* Cæterùm implicita erat in Cornelio hæc fides, aut ſaltem ignorabat, vtrùm iam veniſſet Chriſtus Dominus ſaluator, vt notat Magiſter citandus in numero 26.

Hinc ſumitur quarta probatio, nam Cornelius, quando eleemoſynas faciens orabat, iam erat iuſtificatus; ergo per gratiam & fidem. Antecedens probatur non ſolùm ex dictis probatione prima, ſed etiam ex verbis Petri: *In veritate comperi, quia non eſt acceptor perſonarum Deus; ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Ergo iam Cornelij perſona accepta erat Deo, & operabatur iuſtitiam ſimpliciter, ac proinde iam erat iuſtificatus; id quod apertè ſupponit Hieronymus in verbis, quæ nuper retulimus, & in epiſtola ad Saluinam de viduitate ſeruanda, columna 1. fine, & clariùs notauit Chryſoſtomus prædicta verba Petri tractans, In Acta cap. 10. homil. 23. col. 3. & 1. Corinth. 3. homilia 8. colum. 3. & in Matth. cap. 17. hom. 58. ante med. 23. *Actor. 10.*

Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 21. ait, *eſſe cœperat iuſtitia Cornelij priuſquam ipſe eſſet in plebe Chriſtiana;* & probat, quoniam alioqui non dixiſſet ei Angelus: *Acceptæ ſunt eleemoſynæ tuæ, & exauditæ ſunt orationes tuæ.* Conſonat idem Auguſtinus in libro quinquaginta Homiliarum homil. 45. in medio. 24.

Idem ſenſit Bernardus num. 14. citatus, dicens: *Cornelium eleemoſynis, & orationibus, Domino ſibi eas inſpirante, promeruiſſe peruenire ad fidem.* videlicet, magis explicitam, cùm antea illam haberet implicitam. Hugo de ſancto Victore in epiſtol. ad Rom. quæſt. 266. probat, virtute gratiæ, & ſupernaturalis fidei Cornelium impetraſſe prædicationem Petri. 25.

Quod etiam docuit Magiſter ſententiarum in 3. diſtinct. 25. à medio, referens verba Auguſtini in cap. 7. de prædeſtin. Sanctorum, & Gregorij in Ezechielem homil. 19. Eamdem ſententiam ſecuti ſunt S. Bonauentura in 3. diſtinct. 24. art. 1. quæſt. 3. fine. S. Thomas 2. 2. quæſt. 10. art. 4. fine, & communiter Scholaſtici in Commentariis ad vtrumque locum Magiſtri & S. Thomæ, atque aliis in locis notatis, ſuprà diſput. 21. præſertim ſect. 3. 5. & 6. & de Cornelio hactenus, nunc cæteros perſequamur. 26.

Latro per ſupernaturalem illuſtrationem, priuſquam oraret crediderat Chriſtum eſſe filium Dei, & Regem futuri ſæculi, cuius fidei euidens indicium fuit inprimis teſtimonium innocentiæ Chriſti Domini, quaſi omni prorſus culpa vacantis, & ea præſertim, quam tunc omnes improperabant, iactandi ſe Filium Dei, & Chriſtum Regem eſſe: quàm dignitatem ſibi arrogare foret extremum flagitium niſi propriam ſibíque debitam vendicaret. Hoc ipſum teſtatur oratio: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Supponit ergo poſt paſſionem & mortem regnaturum. 27. *De latrone probatur idem.*

Nec

28\. Nec mirum præuenientis gratiæ efficaciam tunc ſingulariter fuiſſe oſtenſam. Inde namque maxima illius vis ſumebat exordium, ſecundùm illud Ioan. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Vnde Proſper lib. contra Collatorem c. 14. prope med. ait: *In latrone autem etiamſi nulla operantis gratiæ intelligerētur indicia; nónne cum omnibus credentibus ipſum acciperemus attractum, dicente Domino: Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo; cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

29\. Idem probatur ex ſubita mutatione à tanta nequitia in tātam fidem, ſpem, & dilectionem Chriſti Domini, de qua ſubdit Proſper: *Qui cùm aliquandiu blaſphemus fuiſſet in Ieſum Chriſtum, repentè eſt mutatus. Sed vnde in vno homine tanta compugnantium vocum ſit orta diuerſitas, inſtruat nos Apoſtolus, & dicat: Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu, & nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto: vt non dubitemus, in eiuſdem hominis voluntate, & de proprio fuiſſe, quod blaſphemauit; & de Spiritu ſancto, quod credidit.*

30\. Ex eadem mutatione argumentum ſumpſit S. Gregorius in libro 18. moral. cap. 23. aliàs 25. vbi poſtquam totò ſuperiori capite docuerat neceſſitatem gratiæ præuenientis, ad illius doctrinæ exemplum profert latronem. Præſertim notanda ſunt illa verba Gregorij. *Interna gratia eſt mutatus in cruce.* (& poſt pauca) *Inſpirante Deo totum illi obtulit, quod in ſe liberum inuenit.* (& poſt pauca) *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, quas cunctas ſubita repletus gratia, & accepit latro, & ſeruauit in cruce.*

31\. Ex iiſdem capitibus Gregorij quædam verba carptim decerpens Iſidorus in lib. 2. ſententiarum cap. 5. propè medium, ſic loquitur: *Hominis meritum ſuperna gratia, non vt veniat inuenit; ſed poſtquam venerit, facit; atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum, quod remuneret, qui ſolùm inuenerat, quod puniret. Quid enim ex ſe ille latro meruit, qui de faucibus diaboli crucem aſcendit? Reus quidem ille, & fraterno ſanguine venis cruentus; ſed diuina gratia in cruce eſt mutatus.*

32\. Fauet etiam Auguſtinus quæſt. 84. in Leuiticum, quam citauimus num. 17. nam latronem priùs memorans, videtur idem ſentire de illo, quod poſtea de Cornelio ſubiecit, videlicet, inuiſibilem ſanctificationem præceſſiſſe ante orationem. His conſonat Chryſoſt. homil. 2. in Pſal. 50. col. 5. de latrone, dicens: *Tantùm præualuit ſermo, præualuit confeſſio, adiuuante miſericordia Dei.* & colum. 6. *Quomodo ergo latro ſaluatus eſt, & tanta ſoluit peccata? ſcio enim miſericordia prouocatum; ſed fide ſua tanquam adminiculo vſum in eo, quod dixit: Memento mei*, &c. Necnon Cyrillus Hieroſolymit. catech. 13. inter med. & finem ait: *Qua virtus te illuminauit ô latro, quis te docuit adorare contemptum, & ſimul cruci affixum? O lumen perpetuum illuminans obſcuratos! ideo & iuſtè audit: Confide, non quod tua opera digna ſint confidentia, ſed quia Rex adeſt, qui gratiam confert.* Bernardus tract. de paſſione ſuper illud Ioannis. *Ego ſum vitis vera:* cap. 9. circa med. *Orat*, inquit, *fide, ſpe, & charitate, dicens: Memento mei*, &c. *quod tali oratori ille bonus Pater negaret, qui enim incitauerat vt rogaret.*

33\. *De Zachæo probatur.* Zachæum diuina gratia fuiſſe præuentum, probat Proſper lib. contra Collatorem cap. 14. ex verbis Chriſti Domini Lucæ 19. *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere; niſi fortè*, inquit, *hæc vox otioſa fuit, & non præparauit ſibi eius animum, cuius elegit hoſpitium.* Confirmátque ſequentibus verbis Chriſti Domini: *Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat; vti quem agnoſcebamus ſaluum factum, ſciremus à quærente præuentum.* Adde poſtremam confirmationem, deſumptam ex ratione propter quam *hodie ſalus huic domui facta eſt*, nimirum, *eo quòd & ipſe ſit filius Abrahæ* non ſanguine: ergo fide. Iam ergo ratio ſalutis ex fide ſupernaturali originem duxit, qua filius erat patris credentium.

Nathanaelem Chriſti Domini gratia fuiſſe præuentum, vt ad Chriſtum veniret, & in eum crederet, probat Auguſtinus tract. 7. in Ioan. col. penultima, ex illis verbis Ioannis 1. *Prius quàm te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.* oſtendens non fuiſſe ſimplicem viſionem, ſed paſtoris quærentis ouem, inuenientis, & vocantis per Philippum. Eodem argumento vtuntur Gregorius 18. Moralium cap. 20. S. Bernardus in verbis ſuprà citatis num. 14. & Beda in eumdem locum Ioannis 1. 34. *De Nathanaele.*

Confirmatur primò. nam illud *videre* eſt volentis prouidere de remedio, vt ſæpè alias in ſacra Scriptura. 35.

Confirmatur ſecundò. nam illud, *Prius quàm te Philippus vocaret*, non ſignificat nudam prioritatem durationis; ſed adiunctam habet prioritatem cauſalitatis: ita vt viſio, & prouiſio Ieſu Chriſti cauſa fuerit, vt Nathanaelē Philippus viſibiliter, & altiùs Chriſtus Dominus per inuiſibilē gratiam vocaret interiùs. Quapropter hic ſenſus pro vt ad Nathanaelem refertur, eſt verè litteralis, quamuis pro vt ad genus humanū refertur, allegoricus ſit.

Eunuchum Actuum 8. verè habuiſſe implicitam fidem Saluatoris, aliquando venturi, conſtat inde, quòd venerat adorare in Hieruſalem, & tanta deuotione adhærebat Scripturæ ſacræ, vt etiam in curru legeret Iſaiam: nec dubitaret de veritate prophetiæ, ſed ſolummodo de illius interpretatione, vt conſtat ex colloquio illius cum Philippo. Multi namque ex Gentilibus Deo illuminante, & inſpirante, hoc eodem modo in Hieruſalem adorare ſolebant. 36. *De Eunucho.*

Eodem modo ſatisfacere debemus cæteris quibuſcunque exēplis Abrahami, Moſis, aut aliorum in lege naturæ, vel in lege ſcripta, & Cananeæ, & quorumcunque in lege gratiæ. In omnibus namque quamuis exterior litteræ contextus ſonare videatur cœpiſſe iuſtificationem ab eorum diligentia, conatu, obedientia, fide, pietate; ſemper tamen ſubintelligendum eſt, quod alibi ſæpe Scriptura declarauit, priorem Dei gratiam, excitando, & adiuuando præceſſiſſe. 37.

SECTIO IV.

Soluuntur variæ rationes de præparatione ad gratiam.

AD probandum initium aliquod iuſtificationis prouenire ex viribus naturæ præter ſuperiora argumenta congerimus alia in præſenti: quorum ſolutio colligitur ex præcedentibus diſputationibus. 1.

Primùm argumentum; quoniam ex natura ſui aſſenſus probabilis diſponit ad aſſenſum certum eiuſdem obiecti, reddens illum faciliorem: & ſimiliter velleitas diſponit ad voluntatem abſolutam eiuſdem obiecti reddens illam faciliorem; ergo actiones naturales diſponunt, & faciliores reddūt actus ſupernaturales. Explico antecedens, & probo conſequentiam, quoniam ſi alicui Philo- *Argumentum 1.*

Ruiz de Prouidentia Dei.

Digitized by Google

ſopho, aut viro maturi & perſpicacia ingenij proponatur externa prædicatione fides cum rationibus, quæ eam reddunt euidenter credibilem : ille per ſolas vires naturæ ſine ſupernaturali auxilio iudicare poterit myſteria noſtra, digna eſſe vt credantur, & poterit habere humanam opinionem de illorum veritate, quamuis cum aliqua formidine. Hæc autem naturalia iudicia, quamuis minus certa, iuuant ad actum ſupernaturalem fidei certum habendum, quoniam propinquius accedunt ad actum fidei, quàm ſi diſſentiret myſteriis, & eorum credebilitati.

2. Confirmatur, quoniam idem homo naturaliter poteſt optare præmia cœleſtia, quæ proponuntur, & timere æterna ſupplicia. Hoc autem deſiderium, & timor, licèt imperfecta ſint, & improportionata, via tamen ſunt ex natura ſua ad deſiderium abſolutum, & efficax, & timorem ſimiliter efficacem.

3. *Naturale iudiciũ per accidens iuuat ad fidem.* Reſpondeo & dico primò. Naturale iudicium de euidentia credibilitatis, & probabile iudicium naturale, de veritate myſteriorum fidei per accidẽs, iuuat vt obtineatur fides ſupernaturalis; quoniam remouet impedimenta oppoſiti iudicij, & materiam miniſtrat, ex qua diuina miſericordia paſſiuam occaſionem, & opportunitatem accipiat illuſtrandi intellectum, & piam affectionem voluntatis excitandi per gratiam præuenientem. Sed tamen inde non ſequitur aliquod initium gratiæ exiſtere ex viribus naturæ, vt oſtendimus diſp. 16. Atque idem intellige de naturali amore beatitudinis, & naturali timore ſupplicij comparatione ſupernaturalis, & vtilis ſpei, atque timoris.

4. Dico ſecundò. Naturale iudicium de euidentia credibilitatis, aut de veritate myſteriorum fidei. ſiue dubitationem aliquam habuerit admixtam, ſiue abſque dubitatione adhæſerit veritati, nullo modo per ſe, atque ratione ſui iuuat, vt ſupernaturali fide credamus, nec per ſe reddit faciliorem aſſenſum fidei ſupernaturalem, nec vlla phyſica conſecutione, aut morali diſpoſitione inducit ad eundem aſſenſum. Idem ſeruata proportione debita, intelligo de naturali timore ſupplicij æterni, & naturali deſiderio æternæ beatitudinis comparatione ſupernaturalis attritionis, aut contritionis.

5. Probatur, quia licèt naturales actus propter cognationem, & proportionem, quam habent intra eundem ordinem, & quoniam præſcriptis naturæ legibus gubernantur, mutua inter ſe inuicem conſecutione, aut reſultantia copulentur : ac proinde naturale iudicium de credibilitatis euidentia, vel de veritate myſteriorum fidei, ad naturalem aſſenſum certiorem, ac firmiorem poſſit inducere : quam etiam conſecutionem, & reſultantiam inter ſe inuicem actus ſupernaturales ſeruare poſſunt. Cæterùm ab actibus naturalibus ad ſupernaturales, impoſſibilis eſt conſecutio, reſultantia, vel connexio, ratione cuius actus naturalis iuuet, ac faciliorem reddat ſupernaturalem actum. Cuius ratio duplex eſt. Prima, quoniam naturales actus ſunt inferioris ordinis infirmioris & improportionati. Secunda, quia niſi Deus pro ſua liberrima miſericordia decernat, conferre præuenientem, & adiuuantem gratiam, vt præbeas aſſenſum fidei ſupernaturalem, nulla ratione ſequetur aſſenſus ſupernaturalis, quantumcumque præceſſerint mille aſſenſus naturales; nec Deus tenebitur naturæ legibus concurrere ad eiuſmodi conſecutionem & reſultantiam, ſicut tenetur ad reſultantiam, & conſecutionem inter actus naturales.

Idem intellige de naturali timore pœnarum, 6.
& naturali deſiderio beatitudinis. Quod experientia confirmat, cùm videamus frequenter, peccatores ſiue fideles, ſiue infideles etiam accepto auxilio ſupernaturali, quod ſufficiebat, vt, ſi vellent, inchoarent ſuam iuſtificationem : hærere vſque ad mortem in naturali, & ſterili velleitate ſalutis, & naturali timore, & amore pœnarum, & beatitudinis, nec vnquam peruenire ad ſupernaturalem voluntatem ſalutis, niſi fortè ad aliquam inefficacem, & citò tranſeuntem. Nam ſi volitio ſupernaturalis duraret in animo tamdiu, quamdiu naturalis ille timor, deſiderium, ſeu velleitas permanent, non foret tam ſterilis; ſed impelleret ad opera ſupernaturalia, quibus maior gratia obtineretur. Ita veriſimilius videtur, quantum Theologica coniectura capere poſſumus.

Secundum argumentum eſt : Infideles adhue 7. *Argumentum 2.*
in errore pertinaciter reſiſtentes, ſolent à piis & ſapientibus catholicis admoneri, vt à peccatis ſibi temperent, vt rationis lumini obediant, virtutes ſectentur, eleemoſynas, & alia miſericordiæ opera faciant, & Deum orent. Ergo hic eſt communis Catholicorum ſenſus, per hæc opera viam præmuniri, ad obtinendum fidei lumen & gratiam.

Reſpondeo. Fateor, hunc eſſe communem Ca- 8.
tholicorum ſenſum, & veriſſimum, atque in praxi tutiſſimum; etiam ſi nulla clariori diſcuſſione, atque explicatione adhibita executioni mandetur. Cæterùm quando à Theologo in diſputationem vocatur, diſtinguere debemus, & explicare illud conſilium propterea eſſe vtiliſſimum, quoniam Deus infideles, adhuc in errore pertinaciter reſiſtentes, frequenter excitat præueniente aliqua gratia, vt ſaltem dubitent de ſuis erroribus, & de veritate noſtræ fidei, & ſaltem deſiderent à Deo maiorem illuſtrationem obtinere, qua videntes, quod verum eſt exequantur, ſicut explicuimus diſputat. 19. ſectione 5 præſertim concluſione 2. & dicemus diſputatione ſequenti. Quapropter eo fine exhortari, vt Deum orent, & bona opera exerceant, non eſt exhortari ad opera naturalia, ex viribus naturæ, ſed ad ſupernaturalia ex viribus gratiæ facienda. Nec valdè diſtant à manifeſta huius doctrinæ notitia communiter fideles, qui huiuſmodi exhortationibus operam dant; ſiquidem ipſi per ſe atque per alios inſiſtunt orationibus, vt hoc ipſum orare, & bona opera exercere inſpiret Deus eiuſmodi infidelibus. Adde quòd à peccatis temperare, & opera moraliter bona exercere, iuuat per accidens, remouendo impedimenta, & miniſtrando materiam, ex qua diuina miſericordia ſumat paſſiuam occaſionem & opportunitatem, ſicut diximus ad primum.

Eodem modo ſoluitur tertium argumentum, 9. *Argumentum 3.*
quod frequens erat in ore Semipelagianorum; quoniam exhortationes, correctiones, & punitiones adhiberentur fruſtrà, ſi nullus poteſt, ſine præueniente gratia iuſtificationem acquirere.

Reſpondetur, rectè id ſequeretur, ſi gratia ita 10. *Gratia diſſentire poſſumus.*
præueniret noſtram libertatem, vt poſita præueniente gratia, per neceſſariam illationem ſequeretur noſter conſenſus, nec foret in poteſtate liberi arbitrij diſſentire ſi vellet, & non conuerti ad Deum, vel ſi quicumque non conuertitur,

uertitur, propterea non conuerteretur; quoniam illi denegata eſt gratia præueniens, ſic enim Maſſilienſes detorquebant doctrinam Auguſtini de neceſſitate gratiæ præuenientis, vt clariùs conſtabit legenti eorum obiectiones apud Proſperum inter capita Gallorum, & obiectiones Vincentianas, & excerpta Gennenſium.

11. Cæterùm cùm ſupponamus Deum ſtare ad oſtium, eiúſque adulti, atque per interualla, & opportunitates pulſantem, & præuenientem, interiùs vocare, atque paratam offerre ſuam gratiam adiuuantem; verumtamen ita ſuauiter, vt libero arbitrio permittat, poſſe diſſentire, ſi velit, aut conſentire: inde eſt, magno cum fructu adhiberi exhortationes, correctiones, punitiones, & alia humana remedia, quibus liberum hominis arbitrium inclinatur, vt cooperando diuinæ gratiæ conſentiat, nec reſiſtat.

12. *Argumentum 4.* Ex eadem praua interpretatione præuenientis gratiæ natum eſt quartum argumentum, quo maximè nitebantur Maſſilienſes, quoniam ſi non eſt in poteſtate liberi arbitrij, Dei gratiam ad ſe adducere, & acquirere, vel non acquirere, ſed Deus noſtram libertatem præueniens, præbet iuſtificationis initium, ſequitur inde libertatem tolli, & neceſſitatem afferri circa iuſtificationem.

13. Reſpondeo ex eodem principio. Si daretur in nobis aliqua gratia, quam, non eſſet in noſtra poteſtate, adquirere, vel reſpuere, & illa poſita non maneret integra libertas, quæ poſſet illi conſentire, aut diſſentire ſi vellet; ſed ex gratia neceſſariò ſequeretur conſenſus voluntatis: tunc quidem gratia præueniente libertas deſtrueretur, Cæterùm reuera propterea integra manet, & multo perfectior libertas, quoniam poteſt gratiæ conſentire, aut diſſentire.

14. *Argumentum 5.* Quintum argumentum, quoniam opera moraliter bona habent immediatam proportionem ad opera ſupernaturalia; ergo diſponunt ad illa. Antecedens probatur, quoniam ſupremum infimi, tangit infimum ſupremi; ſed inter naturalia bona, ſupremum eſt bonum morale, & inter ſupernaturalia bona aliquid erit infimum; videlicet prima gratia excitans ad fidem. Ergo bonum morale habet immediatam proportionem ad primam gratiam excitantem.

Reſpondetur. Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam priorem: quoniam inter bona diuerſi ordinis ſupremum vnius non diſponit ad infimum alterius; ſed comparatione illius reputatur pro nihilo. Solùm namque illud agens, quod poteſt introducere formam ſuperioris ordinis, poteſt diſponere ad illam; quoniam diſponere, eſt mouere ad formam, ex D. Thoma dictum eſt ſuprà diſp. 18. ſect. 11.

15. *Inſtantia.* Sed vrgebis; quoniam ſolus Deus confert rationalem animam ſuperioris ordinis; & tamen homo per diſpoſitiones corporeas inferioris ordinis diſponit ad eamdem animam infallibiliter recipiendam. Ergo quamuis auxilia gratiæ ſint ſuperioris ordinis, & opera moraliter bona ſint inferioris ordinis, & per vires naturæ elicita; nihilominus bona moralia poterunt diſponere ad recipienda auxilia ſupernaturalia.

Reſpondetur. Reſpondetur negando antecedens, diſpoſitiones namque corporeæ, quas homo generans introducit in materiam, neque ſunt inferioris ordinis, neque ab inferiori agente, quoniam anima rationalis eſſentialiter eſt forma corporis, & vt ſic eſſentialiter reſpicit diſpoſitiones corporeas, quibus eget, & has diſpoſitiones corporeas introducit generans virtute animæ rationalis, quam ipſe habet, in quantum ipſa etiam eſt forma corporis. At verò naturæ vires ſunt cauſa inferioris ordinis, & bona moralia ſunt qualitates inferioris ordinis, quàm gratia. Vide quæ diximus diſp. 18. ſect. 6. num. 3.

Sextum argumentum, quia quamuis ex natura rei non eſſent proportionata bona moralia, congruum tamen eſſet à Deo acceptari, vt illis poſitis daretur gratia infallibiliter. 16. *Argumentum 6.*

Reſpondeo, hoc primo aſpectu videtur eſſe congruum, ſed aliter videtur conſideranti longè excellentiorem congruitatē, ratione cuius expedit Deum re, atque opere oſtendere, quàm nihil valeant opera noſtra, ſi gratiæ auxilio deſtituta ſint. *Soluitur.*

Vrges, quoniam videtur eſſe congruum, vt ille ſaltem, qui ſine vllis gratiæ impedimentis fuerit, infallibiliter à diuina miſericordia gratiam obtineat. 17. *Oppoſitio.*

Reſpondetur ſi loquaris de prima gratia excitante, & auxiliante, hæc infallibiliter datur omnibus hominibus; ſed nulla ratio huius infallibilitatis ſumitur, tanquam à cauſa per ſe, ex eo quòd aliquis homo impedimenta remoueat; ſed tota ratio ſumitur ex diuina miſericordia, quę etiam impeditiſſimis hominibus gratiam abundantiſſimam confert. Si autem loquaris de iuſtificante gratia, nullus hominum eſt, qui non laboret aliquo illius impedimento, ſaltem originali peccato, & ſiniſtra inclinatione ad bona ſenſibilia, & apparentia. Vnde ſufficiens ratio ſumitur negandi abundantiorem, & efficacem gratiam, & relinquendi eam tenuitatem auxiliorum præcisè, quæ ſufficit, vt verè poſſit inchoare ſuam iuſtificationem, ſi voluerit. *Soluitur.*

Quòd ſi aliquem hominem Deus crearet abſque peccato originali; & abſque gratia, ſed cum decreto conferendi gratiam, ſi ſe ad illam diſponeret; adhuc non eſſet congruum, dare illi gratiam intuitu naturalium virtutum, quibus impedimenta remouet peccatorum, idque propter rationes dictas diſput. 18. ſect. vltima, & diſput. 23. ſect. 2. & ſequentibus. 18.

Septimum argumentum, quoniam gratia indignum eſſe videtur ſi conferatur hominibus indignis, & frequens axioma Patrum eſt, gratiam dignis conferri; ergo antequam gratia excitans conferatur, in homine præcedit aliqua dignitas; ſed ante gratiam nihil præcedit, niſi actiones per ſolas vires naturæ conceptæ. Ergo hæ actiones poſſunt comparare dignitatem ad obtinendam gratiam excitantem. 19. *Argumentum 7. Gratia confertur dignis, Patrum axioma.*

Reſpondetur. Indignum foret gratia, ſi conferretur hominibus, qui ante gratiam forent digni gratia; hoc enim eſſet, gratiam eſſe debitam, ac proinde non eſſe gratiam, imò illud ſummopere gratiæ dignitatem commendat, quod indigniſſimis, ſceleratiſſimiſque ſuccurrit. 20. *Quid gratia dignum.*

Foret etiam indignum, gratiam conferri hominibus, quos priori ſua indignitate relinqueret. Cæterùm ſumma gratiæ dignitas eſt, nullam ſui dignitatem ſupponere, ſed totam ſecum afferre. Vnde Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum cap. 3. in medio, tractans illud Rom. 11. *Quis prior dedit illi*, ait: *Nullum elegit dignum; ſed eligendo effecit dignum.* Similia ſcribit in lib. de prædeſtin. Sanctor. cap. 19. & Arauſican. cap. 12. ait: *Tales nos diligit Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non*

quales ſumus noſtro merito. Eſt enim Dei gratia tantæ maieſtatis regina, cui nullæ opes alienæ dignum poſſint hoſpitium præparare.

21. Imò potiùs Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij c. 14. poſt med. hac præſertim ratione quendam Pelagij articulũ damnat: *Cùm non ait, donare Deum cui voluerit; ſed ait, donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere omnes gratias, non potui, cùm legerem, non eſſe ſuſpectus, ipſum quippe gratiæ nomen, & eius nominis intellectus aufertur, ſi non gratis datur, ſed eam qui dignus eſt, accipit.* Quam veritatem poſtquam ſolitis teſtimoniis confirmauit Auguſtinus, ita concludit: *Gratia ergo donatur indignis, vt reddatur debitum dignis. Ipſe autem facit, vt habeant quacumque redditurus eſt dignis, qui ea, quæ non habebant, donauit indignis.*

22. *Argumentum 8.* Sit octauum argumentum illud, quod plerique Doctores catholici ſuprà diſputat. 21. ſect. 2. & ſequentibus citati, contendunt, puero nondum baptizato, & venienti ad vſum rationis, conferẽdam eſſe gratiam iuſtificantem, ſi faciat, quod in ſe eſt per vires naturæ, conuertendo ſe ad bonum honeſtum. Quod probant, quia niſi protinus illi tribuatur auxilium, quo iuſtificetur, ſequitur, illum poſſe venialiter peccare, antequam mortaliter peccet. Vnde præterea ſequitur, veniale peccatum reperiri poſſe cum ſolo originali; ac proinde puniendum eſſe in inferno, quod videtur diuina clementia, & æquitate indignum.

23. Reſpondeo. Plurimæ quæſtiones in hoc argumento inuoluuntur, quas ea profeſſo tractauimus 1. 2. q 89. art. 6. quarũ compẽdioſa deciſio hæc eſt.

Perueniẽs ad rationis vſũ non protinus pẽccat mortaliter ſi non conuertatur. Primò puer perueniens ad vſum rationis, non protinus peccat mortaliter, ſi non ipſo momento temporis conuertatur ad bonum honeſtum, imò in ipſa deliberãdi mora interuenire poteſt veniale peccatum, antequam committatur mortale peccatum (vt omittamus ignorantiam eiuſmodi obligationis quæ in illo ſtatu, omnibus ferè pueris erit inuincibilis.)

Secundò etiamſi conuertatur ad bonum honeſtum naturale, nihil id refert ad obtinendam gratiam. & quantum ad hoc ſuam ſententiam retractauit S. Thom. vt vidimus diſp. 21. ſect. 2.

24. Tertiò, quamuis cuicunque puero detur gratia excitans, quando peruenit ad vſum rationis; & quamuis quilibet puer cooperaretur huic primæ gratiæ excitanti; adhuc plurimum temporis reſtaret ad obtinendam iuſtificationem per inſtructionem fidei, ſpei, & charitatis.

Poſſet priùs venialiter quàm mortaliter peccare. Quartò in hoc tempore intermedio potuiſſet venialiter peccare, antequam peccaret mortaliter.

Si cum originali, & veniali ſolo moriatur in inferno puniatur. Quintò, ſi moreretur cum veniali ſolo, & originali peccato, puniendus eſſet in inferno; neque id foret diuina clementia indignum. Primò, quia non daretur illi pœna ſenſus maior, quàm pro gradu culpæ venialis, & ea citra condignum. Secundò, quoniam clementius agitur cum illo qui præmaturè rapitur, antequam mortalia committat, quàm ſi expectetur, vt cõmittat mortalia, quæ cæteri homines infideles, in quorum conſortio verſatur, infallibiliter cõmittunt. Præſertim cùm hæc ſententia plurium Scholaſticorum authoritate munita ſit, quos in eadem quæſtione 89. articul 6. citauimus. Sed de his incidentibus difficultatibus, parum ad præſens intereſt, verùm à nobis diſſentias, dummodo ita ſentias, vt conuerſio pueri ad bonum honeſtum, per ſolas vires naturæ concepta, nihil prorſus ad iuſtificationem obtinendam, valeat.

SECTIO V.

Explicantur Scripturæ ſacræ teſtimonia, quæ rationem, & cauſam gratiæ videntur admittere.

PRimum argumentum ſumitur ab illis teſtimoniis, quæ ſignificant Deum præueniri noſtris operibus, aut expectare opera noſtra, vel hominis partes eſſe præparare animum, & explere Dei præcepta, aut velle ſalutem; ſed Dei eſſe, conferre gratiam volentibus, obedientibus, præparantibus. Sic Pſalm. 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me.* Pſalm. 87. *Manè oratio mea præueniet te.* Pſalm. 118. *Præueni in maturitate, & clamaui. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.* Iſai. 30. *Expectat Dominus vt miſereatur veſtri.* Prouerb. 16. *Hominis eſt præparare animam.* 1. Reg. 8. *Præparate corda veſtra Domino, & liberabit vos.* Amos 4. *Præparare in occurſum Dei tui Iſrael.* Hierem. 15. *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis.* Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Iacob. 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* 1. Paralip. cap. 28. *Si quæſieris eum, inuenies: ſi autem dereliqueris eum, deiiciet te in æternum.* De hac re totus liber Prouerb. præſertim cap. 1. & 2. in quo notanda ſunt illa verba: *Si ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, ſi quæſieris eam quaſi pecuniam; & quaſi theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies.* His ſimilia pleraque referemus diſput. 27. ſect. 6. ab initio. 1.

Reſpondetur. Hæc & cætera id genus teſtimonia loquuntur de gratia ſubſequente, videlicet, quam obtinemus per ſupernaturales actiones, à libero arbitrio virtute præuenientis, & adiuuantis gratiæ conceptas. Talem voluntatem bonam, præparationem, orationem, clamorem, conatum, obedientiam, conuerſionem, tales denique actiones reliquas, ſacra Scriptura dicit, expectari à Deo, vt eas ſubſequatur diuina gratia perfectior. Cæterùm de actionibus, quæ procedunt ex libero arbitrio, nudo, ac deſtituto quacunque gratia, nihil agunt prædicta teſtimonia ſacræ Scripturæ. 2. *Loquũtur de gratia ſubſequente.*

Sed ais. Scripturæ verba ex ſe vniuerſalia ſunt, & quod ex ſe eſt, quaſcunque actiones, etiam naturales comprehendunt, & quamlibet auxiliatricem gratiam, etiam præuenientem: nec Scriptura illis adhibet limitationem; ergò non debent à nobis limitari, vt ſolummodo loquantur de gratia ſubſequente, obtinenda per ſolas ſupernaturales actiones, elicitas virtute prioris gratiæ. 3. *Inſtantia.*

Reſpondetur, antecedens, abſolutè loquendo, eſſe falſum. Quoniam in vnaquaque diſciplina, ſeu ſcientia verba intelliguntur, iuxta ſenſum eidem ſcientiæ vtilem; non verò iuxta ſenſum prorſus inutilem. Similiter in vnaquaque republica accipiuntur verba ad negotia pertinentia; ſic ergo in ſacra doctrina, & in ordine ad Chriſti Domini rempublicam, quæcunque illius generis verba intelligenda veniunt de ſolis ſupernaturalibus actionibus, elicitis virtute gratiæ, quoniam cæteræ omnes actiones reputantur pro nihilo. *Solutio.*

Confirmatur. nam licèt in eiſdem locis ſacræ Scripturæ, limitatio hæc non exprimatur: ſatis fuit, eam aliis pleriſque in locis explicatam fuiſſe, vt ſæpè diximus ſuprà, præſertim diſput. 18. ſect. 1.

Quòd ſi loquuntur hæc teſtimonia de ſolis actionibus ſupernaturalibus, virtute gratiæ conceptis, euidenter ſequitur, ante illas præceſſiſſe aliam 4.

aliam priorem gratiam, ac proinde illam non fuiſſe per tales actiones adquiſitam. Vnde conſtat, quæ fallacia Caſſianum deceperit in collat. 13. cap. 9. & 13. in quibus teſtimonia ſubſequentis gratiæ, quæ à noſtro libero conſenſu præuenitur, & teſtimonia gratiæ præuenientis, ſingula ſingulis eleganter conferens colligit, quoſdā homines conatibus humanis præuenire omnem gratiam; alios verò ita per gratiam præueniri, vt nihil boni fecerint ante gratiam: ſed in eo deceptus eſt, quòd hominibus diſtinctionem adhibuit, quam ſupernaturalibus auxiliis gratiæ adhibere debuiſſet, ac dicere, omniū hominum conatus, nullo excepto, præueniri à prima gratia excitante, cæterùm multos conatus, ex hac prima gratia profectos, priores eſſe vlterioribus auxiliis, & gratia iuſtificante, atque reſpectu illius eſſe præuenientes; gratiam verò iuſtificantem eſſe ſubſequentem, vt magis conſtabit infrà diſp. 37. ſect. 1.

Caſſiani deceptio.

5. Secundum argumentum ex Ioan. c. 1. *Quotquot receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* ergo humanus conatus, atque conſenſus recipiendi Chriſtum præcedere debet, vt conſequamur auxilia ſupernaturalia, conferentia nobis poteſtatem, filios Dei fieri.

Reſpondetur. Sequens contextus ſolutionem indicat, ſubditur namque: *Iis, qui credunt in nomine eius.* Vnde conſtat receptionem illam fieri debere per fidem. Nullam verò fidē eſſe, niſi Pater traxerit, reuelauerit, dederit, conſtat ex eodē Euangelio aliis in locis: vt vidimus diſp. 19. ſect. 2. Quapropter ante omnia ſupponitur gratia præueniens, vt per fidē recipiēdo Chriſtū poſſimus fieri filij Dei.

6. Tertium argumentum. Quoniam Chriſtus Dominus, peregrè proficiſcens, videlicet ad Patrem, in cœlum aſcendens, *vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij autem vnum; vnicuique ſecundum propriam virtutem,* Matth. 25. ergo ſecundùm naturalem vniuſcuiuſque hominis facultatem Deus gratiæ dona diſtribuit.

7. Reſpondetur primò diſtinguendo conſequens. Deus gratiæ dona diſtribuit ſecundùm naturalem facultatem, non tanquam ſecundùm cauſam per ſe, aut ſecundùm rationem, vllo modo per ſe mouentem; ſed ſolummodo tanquam ſecundùm cauſam per accidens; quatenus Deus non ſemper, nec vtplurimum, ſed rarò ea intentione quibuſdam hominibus confert ingenium, indolem, animi robur, aliáſque naturales facultates, vt promptiùs, efficaciùs, atque ſuauiùs cooperentur copioſiſſimæ gratiæ, ad quam eos prædeſtinauerat, vt explicuimus fuſiùs diſputat. 16. præſertim ſect. 3. probat. 2. hoc ipſum confirmantes authoritate Hieronymi, Bedæ, & Proſperi, ita explicantium Euangelij verba citata.

8. Reſpondetur ſecundò abſolutè negando conſequentiam. Quoniam parabolæ verba intelligi poſſunt ita, vt talentum ſingulis diſtribuendum, ſit gratia ſubſequens, rurſus virtus propria, ſecundùm quam diſtribuitur, ſit ſupernaturalis diſpoſitio, per auxilium præuenientis gratiæ, cōparata. Quam diſpoſitionem vnuſquiſque ſibi propriam fecit, eo quòd liberè, & cum dominio ſuæ actionis conſenſum præbuit diuinæ gratiæ. Ita S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 4. ad 1. Atque eodem modo intelligendum eſt, quod Hilarius in eamdem parabolam can. 27. Matth. ait: *Vnuſquiſque ſecundùm fidei ſuæ menſuram talentum, id eſt, Euangelij prædicationem à prædicante ſuſcepit.* Suppono namque apud Hilarium neminem per naturæ vigorem credere poſſe, ſicut oportet, vt per fidem obtineat gratiam, vt oſtendimus diſp. 17. ſub initiū. Quapropter eodem ſano ſenſu poſſumus accipere Theophylactum. Matth. 25. ita explicantem, ſecundùm menſuram fidei, & purificationis: *In vas enim, quod ego daturus ſum Deo, in illud mittet donum ſuum,* &c.

Talentū gratia ſubſequens.

Reſpondetur tertiò. Poteſt ita exponi parabola, vt talenta ſint gratiæ gratis datæ, quas Deus diſtribuit vnicuique ſecundùm propriam virtutem, videlicet ſecundùm auxilia ſupernaturalia, atque virtutes ſolidas, quas accepit, vt bene vtatur gratiis gratis datis. Ita Bellarminus lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 5. poſt med. Cæterùm probabilius videtur, tres expoſitiones huc vſque poſitas in parabolam quadrare, quaſi partes vnius plenioris expoſitionis. 9.

Talenta gratia gratis data.

Reſpondetur quartò. Quamuis hæc parabolæ pars non poſſit ad ſpiritualem ſenſum accommodari, non ſoret contra rectam rationem exponēdi parabolas; vt omnes earū expoſitores obſeruant. 10.

Quartum argumentum continet varia Scripturæ teſtimonia, quæ affirmant Deum ſine perſonarum acceptione, ſecundùm vniuſcuiuſque opera diſtribuere dona gratiæ, tanquam iudicem iuſtum, non tanquam abſolutum Dominum. Inſuper quæ affirmant Deum, velle, omnes homines, ſine vlla exceptione, ſaluos fieri; quaſi ad omnes æqualiter pertineat hæc voluntas Dei, & omnibus æqualiter faueat, quantum ex ſe eſt. Quæ omnia, Semipelagiani putant, verificari non poſſe; niſi vnuſquiſque valeat, proprio arbitrio bene operando, acquirere primam gratiam, vel non acquirere, & maiorem, aut minorem gratiam pro maiori, aut minori conatu liberi arbitrij. 11.

Confirmatur, quoniam ſi Deus non expectato noſtro conatu, aut ratione aliqua ex parte noſtra quibuſdam hominibus pinguem, & abundantem, aliis contrà tenuem & ſufficientiæ commenſuratam auxiliorum copiam diſtribuit; iam vtitur iure dominantis, & quaſi tyrannide, coniuncta cum perſonarum acceptione, dum pro ratione voluntas eſt, dandi gratiam vni potius, quàm alteri, aut abundantiorem vni quàm alteri.

Reſpondeo. Tria in hoc argumento tanguntur, quæ alibi à nobis tractata fuſiùs. 12.

Primum eſt, vtrùm voluntas, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, comprehendat etiam reprobos, & eos præſertim, quibus nulla vnquam illuxit notitia expreſſa myſteriorum fidei, cuius rei partem affirmatiuam probauimus præcedenti tomo de voluntate Dei, diſp. 19. 20. & 21.

Secundum eſt, vtrùm Deus pro ſua libera voluntate ſit cauſa inæqualitatis gratiæ, ſecundùm quam vni datur gratia opportuna & congrua, alij non datur, ſed tantùm gratia ſufficiens: inſuper vni datur gratia longè copioſior, quàm alteri.

Tertium eſt, vtrùm ſit acceptor perſonarum Deus, eo quòd pro ſua libera volūtate, nulla præcedente ratione inæqualitatis ex parte noſtra cauſet prædictam inæqualitatem in gratia, de his 2. & 3. puncto dicemus ex profeſſo tomo ſequēti; vnde nunc breuiter ſequentes ſolutiones prælibamus.

Prima ſolutio. Quamuis fingas, Deum iuſtitiæ lege teneri, vt velit omnes homines ſaluos fieri; vtque omnibus largiatur gratiam, quantum ex ſe eſt ſine perſonarum acceptione: adhuc ſatisfeciſſet abundè his obligationibus, conferendo omnibus hominibus primam gratiam auxiliatricem, & offerendo reliquas vlteriores 13.

Quomodo obligationi largiēdi gratiā fiat ſatis.

Digitized by Google

gratias, quantum eſt ex parte Dei paratas, ſi homines velint, prioribus reſpondere: adque ad hunc finem ſæpiùs inuitando, & pulſando corda hominum. Quòd ſi præſtaret aliquid eleemoſynarum diſtributor, & pauperes pro ſua liberta ignauia recuſarent venire ad eleemoſynam accipiendam: non cenſeretur erga illos exercuiſſe, quantum eſt ex parte ſua, inæqualitatem, aut vitium acceptionis perſonarum, etiamſi ex iuſtitia teneretur illas eleemoſynas diſtribuere. Vnde quamuis nullus poſſit, per vires liberi arbitrij abſque gratia obtinere primam gratiam; adhuc Deus ſeruaret prædictam æqualitatem ſine vlla perſonarum acceptione, ſiquidem præbendo omnibus primam gratiam præuenientem, præbet poteſtatem veniendi ad cæteras ſi velint.

14. Secunda ſolutio. Quamuis Deus plurimis hominibus, qui cæteros ſapientia, & bonis moribus antecellerent, nihil vnquam conferret gratiæ, nec offerret, ſed prorſus inacceſſibilem illis relinqueret aditum ad gratiam, contrà verò paucis hominibus iiſque ſceleratiſſimis, ignorantiſſimis, viliſſimiſque conferret copioſiſſimâ gratiam, nulla eſſet perſonarum acceptio apud Deum. Cuius ratio demonſtrans eſt, quoniam perſonarum acceptio eſt vitium contra iuſtitiam; ergo vbi nulla interuenit obligatio iuſtitiæ, nulla eſt poſſibilis acceptio perſonarum. Sed in diſtributione gratiæ nulla interuenit obligatio iuſtitiæ (alioqui gratia non eſſet gratia, diſputat. 18. ſect. 2. & 3.) ergo in diſtributione gratiæ nulla eſt poſſibilis acceptio perſonarum.

Deus non eſt perſonarum acceptor.

15. Confirmatur primò, quoniam nihil gratiæ debetur actionibus bonis, elicitis per vires naturæ, cùm illæ nullius ſint valoris. Ergo comparatione illarum actionum, impoſſibilis eſt acceptio perſonarum, etiamſi habenti plures actiones eiuſmodi, nihil gratiæ detur, & nihil habenti de illis actionibus donetur plurima gratia.

Confirmatur ſecundò, quoniam inter homines, quantum ad ſigna beneuolentiæ, & liberalitatis opera, licitũ eſt, pro libera vniuſcuiuſque voluntate huic perſonæ potius, quàm alteri fauere, cùm tamen inter homines ſit commune aliquod debitum, quo inuicem obligati ſumus; ergo multo magis hoc verum erit in Deo, qui nulla prorſus obligatione tenetur ad benefaciendum creaturis, niſi quàm ipſe ſibi voluerit, imponere.

16. Tertia ſolutio. Quamuis fingas, Deum naturali iure teneri ad præbendam hominibus gratiã, iam illud ius amiſiſſent omnes adulti propter actualia peccata, imò & infantes propter originale. Vnde abſque perſonarũ acceptione Deus negaret gratiam, quibus vellet, & quibus vellet, licite conferret, nihil curando de illorũ naturalibus operibus.

17. Quarta ſolutio. Ex præcedentibus colligitur à fortiori, quibuſdam hominibus præbere gratiam abundantiorem, quàm aliis; aut opportunam gratiam, ſiue præuenientem, ſiue ſubſequentem cum ſpeciali priuilegio, aliis hominibus negatoſdque nulla habita ratione moralis boni, facti per vires naturæ: hoc, inquam, ne veſtigium quidem habet acceptionis perſonarum, & aliunde multiplici demonſtratione conſtat ex ſacra Scriptura, vt demonſtrabimus tomo ſequenti.

18. Sed petis, qua in re ſitet illa perſonarum acceptio, quam ſacræ litteræ negant, quaſi vitioſam, & diuinæ iuſtitiæ contrariam.

Reſpondeo illa perſonarum acceptio neceſſariò debet præſupponere legem, & promiſſionem diuinam, ratione cuius Deus ſibi ipſi, & ſuæ veracitati debet conferre vlteriora auxilia, & dona gratiæ, his hominibus, qui præuenti & adiuti per diuinam gratiam cœperunt in Deum credere, & alias ſupernaturales actiones exercuerunt. Hîc enim ſicut interuenit aliqua obligatio iuſtitiæ, ita interueniret perſonarum acceptio, ſi quæ debentur iſtis hominibus, negarentur illis, & aliis conferenda reſeruarentur.

Vnde ſequitur, abſque acceptione perſonarum eſſe, abundantiorem gratiam ſubſequentem conferre iis hominibus, qui minus merebantur illam per opera ſupernaturalia; dummodo illis qui plus merebantur, tota gratia debita conferatur, ſed aliis citra debitum alia multo copioſior. 19.

Quintum argumentum Caſſiani collat. 13. c. 12. circa med. ſumitur ex illo 3. Reg. c. 8. & 1. Paralip. 28. *Quòd cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente pertractans. Verumtamẽ non tu ædificabis domum nomini meo.* Ex quibus verbis primò conſtat Deo gratam, & Dauidis ſaluti vtilem fuiſſe illam voluntatem Dauidis; & tamen eamdem non fuiſſe à diuina gratia inſpiratam, probat Caſſianus, quoniam Deus non negat effectum deſiderij quod inſpirat. 20.

Proſper egregie reſpondet in lib. contra Collatorem cap. 25. multa deſideria à Deo inſpirari, & præcipi, quæ vult non impleri omni ex parte, ſic præcipit, & inſpirat fidelibus deſideria, & orationes pro ſalute omnium inimicorum; & tamẽ vult Deus, quoſdam inimicorum punire, permittendo illorum obdurationem. ſic Matth. 28. præcepit Apoſtolis: *euntes docete omnes gentes.* & tamen Actorum 16. *Probibiti ſunt loqui verbum in Aſia, & ire in Bithyniam.* Neque fruſtrà Deus inſpirat voluntatem, cuius effectum impedit, quoniam ea volũtas pro facto reputatur. Quapropter plurimi confeſſores, quoniam voluntati martyrium defuit, ſed martyrio voluntas non defuit, eſſentiali præmio Martyrum coronantur. Denique quandiu Dei voluntas efficax ignoratur, laudabiliter nos deſiderare illius oppoſitum, ſi alioqui res honeſta ſit, conſtat ex his, quæ diximus 1. 2. quæſt. 19. art. 10. 21.

Multa Deus præcipit, quæ vult non impleri ex toto.

Quoniam hæc ad argumentorum ſolutionem ſufficiunt, prætermitto omnia, quæ probant Dauidis fidem ſupernaturalem, & ardentiſſimum amorem in Ieſum Chriſtum, Dei, & eiuſdem Dauidis filium, ad quem, vt ad finem dirigebat templum, & illius omnem cultum. Ex quibus colligitur, non ſine Dei inſpiratione, & ſupernaturali auxilio voluiſſe templum ædificare. 22.

SECTIO VI.

De tentatione, qua Deus tentat iuſtos, ac de fide, quam inuenit, duo poſtrema argumenta.

Caſſianus collat. 13. cap. 14. argumentatur ex teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quæ affirmant Deum quandoque ab hominibus recedere, aut eos deſtituere, vt tentet experiatúrque vires arbitrij, & noſtrum propoſitum. Vnde infert Deum ad noſtram iuſtificationem expectare opera liberi arbitrij gratia deſtituti. 1.

Confirmatur primò, præſertim exemplo Iobi, quem Satan petiit, deſtitutum diuino auxilio, ſibi tentandum permitti; & obtinuiſſe videtur illis verbis cap. 1. *Ecce vniuerſa quæ habet, in manu tua ſunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam.* Quod Caſſianus ita intelligit, vt ſolùm prohibitus ſit 2.

inimicus,

Digitized by Google

inimicus, ne Iobum amentem redderet; ſed omni ſupernaturali auxilio ad reſiſteodum fuiſſe deſtitutum. Probat, quoniam ſi per aoailia ſupernaturalia teſtitiſſet, non euaſiſſet illam diaboli calumniam. *Nónne tu vallaſti eum; ſed auſer manum tuam ab eo*, hoc eſt, ſine eum ſois mecum viribus decertate.

3. Confirmatut ſecundò, quoniam 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Ergo in eo tantùm ſita eſt protectio Dei, ne tentariones maiores ſiot, quàm pro viribus arbitrij.

4. Tertiò couſirmat tentatione, qua Deus tentauit Abraham, præcipiens ſactiſieare filium, & Deuteron. 13. cap. *Si prædixerit ſignum, atque portentum, & euenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi, Eamus & ſeruiamus dijs alienis; ne audias verba prophetæ illius, aut ſomniatoris. Quia tentans temat te Dominus Deus tuus, vtrùm diligas eum in toto corde tuo*, &c. Vnde ita argumentatur Caſſianus. *Quid eos neceſſe eſt tentari, quos ita infirmos nouit ac fragiles, vt nequaquam virtute ſua valeant reſiſtere tentatori*. Atque eodem modo vtitor verbis Iudicum 3. *Has gentes dimiſit Dominus, ac diſperdere noluit, vt in eis experiretur Iſraelem, vtrum cuſtodiret mandata Domini Dei ſui*, &c.

5. Nihilominus ad principale argumentum reſpondeo conſequentiam eſſe nullam. Cæterùm ad breuiter explicandam quæſtionem, quam argumentom tangit, dico primò. Quamuis vna aut altera leuis tentatio ſuperari poſſit viribus naturæ; ſed diuturna victoria tentationum, & cuiuſque grauis tentationis victoria indiget ſopernaturali auailio, ſecundùm illud Pſalm. 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione*. & Matth. 6. *Ne nos inducas in tentationem*. & 26. *Orate, ne intretis in tentationem*.

Diuturna victoria eget ſupernaturalis auxilio.

6. Dieo ſecundò. Quæcunque tentationum victoria, quæ vtilis fuerit ad iuſtificatiooem, vel impetraroria, aut meritoria ſaltem de congruo, ea indiget auxilio ſupernaturali; vt conſtat ex dictis diſp. 17. hucuſque, & hoc præcipuè intendunt Concilia & Patres, quando vniuerſaliter exigunt ſopernaturale auailium, ad tentationes ſuperandas De hoc fuſiùs Proſper, ſatisfaciens argumento Collatoris c. 33. quod incipit, *quis hæc*, & c. 34. & 35. Sed hoc pluribus teſtimoniis Conciliorum, & ſanctorum Patrum couſirmare pertinet ad materiam de gratia.

7. Ad primam coofirmationem reſpondetur. Cùm ex eodem cap. 1. conſtet, Iobum fuiſſe iuſtum, ac timoiſſe Deum, & in ea iuſtitia permanſiſſe, eúmque gratia iuſtificans non repetiatur ſine ſupernaturali auxilio, cùm prætetea conſtet, Iobum habuiſſe reſorrectionis, & vnius Saluatoris fidem, quam profitetur ab illis verbis cap. 19. *Credo quòd Redemptor meus viuit*, &c. conſequens eſt Iobum non pugnaſſe ſine ſupernaturali auxilio. Nam vt minimum froebatur ope, habituum ſupernaturalium, & communium auxiliorum, quæ filiis debentur; ſed vltra hæc habuit peculiaria auxilia ſupernaturalia. His conſonat Iob. c. 14. *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam*. videlicet dimittendo leuem, & à graui præſeruando iniquitate: quod vtrumque diuina gratia, flagellando præſtat electis, de quo videri poteſt Gregorius ibi lib. 12. cap. 12.

8. Ad rationem autem Caſſiani reſpondeo primò. Fortè dæmon nulla alia calumnia extenoabat laudem Iobi; niſi quoniam proſpera vtebatur fortuna, & protectione Dei circa bona temporalia, & ideo ſubiuoait: *Sed extende manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet*. quod etiam illi conceſſum eſt: *Ecce vniuerſa quæ habet, in manu tua ſunt*.

Reſpondetur ſecundò, quamuis Diabolus ſua calumnia poſtulauerit Iobum, deſtiturum diuino auailio ſupernaturali: Deus tamen nullam rationem habuit huius calumniæ, quouiam laus victoriæ in Dei gratiam, & non in naturales vires Iobi referenda erat. Conceſſit autem, quòd ad oſtendendas vires gratiæ, vtile erat, videlicet, vt careret omnium temporalium rerum auxilio. His ſimilia ſcribit fuſè Proſper contra Collatorem c. 33. 34. & 35.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur. Illud verbum, *poteſtis*, intelligitor com diuino aoailio ſupernaturali. Quaptopter additur, *ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*; ergo niſi Deus prouentum faceret, non poſſemos ſuſtinere. quod obſeruant Patres communiter in eum locum, de quo plura diximus ſuprà diſp. 13. ſect 2. & ſequentibus. 9.

Ad tertiam coofirmatiooem reſpondetur. Tentari eos, quos ita infirmos Deus nouit, ac fragiles, vt nequaquam virtute ſua valeant reſiſtere tentationi neceſſe fuit. Primò ad ſummam gloriam diuinæ gratiæ, quæ theſaorum tantum ſeruat in vaſis fictilibus, & hoc non ex nobis, Dei enim donum eſt. Secuodò, ad maiorem contumeliam, confuſionémque diabolicæ ſuperbiæ, quæ dum in ſe gloriabatur, ſibique confidebat, robuſtiſſima quamuis eſſet, non potuit obtinere, quod infirmi, atque fragiles obtinent, ſibi diffidentes, & diuino auxilio freti. Tertiò, vt Deus experiretur, vtrùm liberom arbitrium liberè cooperaretur diuinæ gratiæ, ad eam fortiter propugnandam; vel potiùs per ſolas vires liberi arbitrij eam contemneret, atque hoſtibus proderet. Vnde tandem concludo, nec illud deeſſe, quod Caſſianos deſiderat, videlicet explorari à Deo aliquid, faciendum per ſolas vires naturæ. Nam etiam hoc exploratur, nimirum, vtrùm tentationi ſuccumbens traoſgrediatur diuinam legem. Cæterùm ſimul cum hoc exploratur aliud, & præcipuè iotenditus à Deo, vt cooperando diuinæ gratiæ, reſiſtat tentationi, & ſeruet diuioam legem. 10.

Aliud argumentum interſeruit præcedenti Caſſianus in eodem cap. 14. collationis 13. ex verbis Chriſti Domini: *Non inueni tantam fidem in Iſrael*. Vnde ſic ratiocinatur. *Nullius enim laudis eſſet, ac meriti, ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donauerat, prætuliſſet. Alioquin dixiſſet: Non dedi tantam fidem Iſraeli*. 11. *Obiectio.*

Reſpondetur, ſi homo nihil cooperaretur diuinis donis, liberè acceptando, quæ donat, cùm potuiſſet liberè reſpuere; tunc rectè intuliſſet Caſſianus, eſſe nullius laudis, ac meriti; & eo in caſu dicendum fuiſſe non aliud, quàm illud, *Non dedi tantam fidem Iſraeli*. Cæterùm magna laus, magnúmqoe meritum eſt, liberè acceptare quod Deus donat, cùm poſſis cōtemnere, atque reſpuere, & quamuis ipſum acceptare ſit etiam donum Dei: cæterùm à noſtra etiam libera voluntate dependet, & ea ratione vt noſtrum ſit Deus facit. Inde etiam conſtat vis, & ſignificatio illius verbi, *inueni*, quod denotat aliquid pendens ab alio etiam arbitrio libero vltra voluntatem Dei: quod ponderauimus in tomo de ſcientia Dei diſputatione 41. ſectiooe 2. *Soluitur.*

DISPVTATIO XXV.

Impoſſibilitas inchoandi iuſtificationem per vires naturæ, abſque illuſtratione & inſpiratione ſupernaturali, & poſſibilitas obtinendi gratiam, qua concordi ratione conueniant in barbaris remotis, à quacunque notitia ſupernaturalium myſteriorum.

SECTIO I.

Rationes difficultatis, & earum ſolutiones breuiter attinguntur.

1. *Omnibus adultis dantur auxilia ſufficientia.*

DIRIGITVR hæc ſectio ad explicandam neceſſitatem, & cohærentiam eorum omnium, quæ in ſequentibus ſectionibus tractantur. Supponimus autem, omnibus adultis, nullo excepto, dari auxilia ſufficientia ad ſalutem, & non impedita, ſed ita expedita, vt in poteſtate cuiuſque ſit, illis cooperando, vlteriora auxilia obtinere. Quod ex profeſſo probandum eſt tomo ſequenti. Cæterùm obſerua; quamuis hoc non eſſet verum, adhuc procedere poſſe vniuerſam doctrinam præſentis diſputationis; quoniam oſtendit viam, & rationem, qua poſſibile erat, omnibus dari auxilia ſufficientia, & poteſtatem obtinendi ſalutem; quamuis per vires naturæ non poſſint obtinere auxilia gratiæ. Quapropter hæc diſputatio viam ſternit ad vniuerſalitatem auxiliorum in tomo ſequenti.

2. *Prima difficultatis ratio.*

Ratio igitur difficultatis prima eſt, quoniam ſi per vires naturæ non poſſumus obtinere primum auxilium ſupernaturale; non erit in poteſtate hominis conuerſio, & iuſtificatio. Quæ illatio probatur, quoniam iuſtificationem obtinere, abſque omni auxilio ſupernaturali, eſt prorſus impoſſibile. ergo ſi aliquo modo eſt poſſibile iuſtificationem obtinere; hic tantummodo poſſibile eſt, videlicet habendo priùs auxilium ſupernaturale, virtute cuius obtineatur. Vnde præterea ſequitur, impoſſibilem eſſe iuſtificationem homini, cui impoſſibile eſt, obtinere primum auxilium ſupernaturale.

Confirmatur.

Confirmatur, quoniam primum auxilium ſupernaturale, vel obtinetur per aliud auxilium ſupernaturale, & iam non eſt primum auxilium: vnde inuoluitur contradictio, vel obtinetur ſine auxilio ſupernaturali, vnde conſequens eſt, vt obtineatur per vires naturæ.

3. *Primum ſupernaturale auxilium gratis datur.*

Reſpondetur. Primum auxilium ſupernaturale nec obtinetur per aliud auxilium ſupernaturale, nec per vires naturæ, ſed merè gratis, independenter à quacunque actione, facta per vires naturæ, confertur à Deo quibuſcunque adultis, quo poſſint vlteriora obtinere auxilia, & ad iuſtificationem tandem peruenire, ſi velint, in bono eorum vſu, perſeuerando, progredi.

4. *Difficultas ſecunda.*

Sed vrget magis ſecunda difficultas, in his præſertim hominibus, qui ab infantia ſeparati ab hominum conſortio, nutriuntur in ſyluis: deinde etiam in nationibus pleriſque, ad quas poſt mille quadringentos annos à Chriſti Domini Natiuitate, nec tenuiſſimus Euangelij radius, nec leuiſſima, & obſcuriſſima forma peruenerat. Quales ſunt præſertim omnes Indi occidentales, quos Nouum orbem appellant. De quibus ſic arguitur. Ij homines nullum obiectum ſupernaturale cognoſcebant, imò plurimi illorum ignorabant etiam illa, quæ naturaliter cognoſci poſſunt de Deo: veluti vnum eſſe incorporeum, ingenerabilem, & incorruptibilem; ergo non poterant habere vllum ſupernaturalem motum, nec in intellectu, nec in voluntate; ac proinde nec poterant habere gratiam præuenientem. Probatur conſequentia, quoniam gratia præueniens eſt illuſtratio, per quam cognoſcitur obiectum ſupernaturale, & inſpiratio inclinans ad illud amandum infrà diſp. 40.

5.

Confirmatur primò, quoniam non poſſunt inchoare iuſtificationem, niſi eliciendo aliquam actionem, quidditatiuè ſupernaturalem, qua mereantur, & impetrent vlteriora auxilia, ſuprà diſp. 23. ſect. 5. ſed actio quidditatiuè ſupernaturalis eſt impoſſibilis, niſi verſetur circa obiectum quidditatiuè ſupernaturale. ergo iis, qui penitus ignorant omnia ſupernaturalia, eſt penitus impoſſibile ſuæ iuſtificationis exordium.

Confirmatur ſecundò.

Confirmatur ſecundò, quoniam actio quidditatiuè ſupernaturalis, eſt impoſſibilis, niſi propter motiuum, & rationem formalem obiecti ſupernaturalis; hanc autem prædicti barbari penitus ignorabant.

6. *Barbari gratia mouentur.*

Reſpondetur, prædicti barbari, quantumcunque ignorantiſſimi per interiorem gratiam mouentur, ad cognoſcendum non explicitè, ſed implicitè, & virtualiter: non certò, ſed ſub dubio; non in particulari, ſed in vniuerſali aliquid ſupernaturale; atque ad illud deſiderandum, idque ſufficit, vt illuſtrationes, & inſpirationes ſint quidditatiuè ſupernaturales; & inſuper liberæ actiones, per quas illis conſentiunt, & cooperantur, euadant etiam quidditatiuè ſupernaturales, & ſufficientes ad iuſtificationis initium. Id quod omnibus ſectionibus ſequentibus per partes erit explicandum.

7. *Tertia difficultas.*

Hinc rurſus naſcitur, tertia difficultas, quoniam fides eſt prima radix, & fundamentum meriti, & impetrationis, & primum iuſtificationis initium ſuprà diſp. 19. ſect. 3. & 4. Sed in iis barbaris abſque vlla notitia veri Dei, & myſteriorum ſupernaturalium, non eſt fides; ergo nullum eſt initium iuſtificationis, nulláque vis merendi, & impetrandi vlteriora auxilia; etiam ſi conſentiant, & cooperentur prædictis illuſtrationibus & inſpirationibus, quæ implicitè, & virtualiter in generali, & ſub dubio verſantur circa obiecta ſupernaturalia.

8.

Reſpondetur diſtinguendo minorem. In illis barbaris non eſt fides perfecta, quæ propriè, & ſimpliciter fidei appellationem meretur; eſt tamen in eiſdem inchoata fides quæ ad initium iuſtificationis ſufficit ſuprà diſp. 19. ſect. 5. magis explicabimus infrà, præſertim ſect. 5. & 6. num. 15. & ſequentibus.

9.

Denique in ſeqq. ſect. barbarorum nomine intelligo eos homines, quos deſcripſi in difficultate 2. n. 4. prorſus deſtitutos notitia Dei veri, & ſupernaturalium myſteriorum. Quod propterea præmoneo ne cogar ſæpius eorum ignorantiam deſcribere, & vim argumentorum obſcuriorem reddere.

SECTIO

SECTIO II.

Nullum obiectum ſupernaturale expreſsè & formaliter cognitum barbaris proponit gratia præueniens.

1. *Barbaris per primam gratiam naturale obiectum proponitur.* AD explicandas, & roborandas ſolutiones in præcedenti ſectione tactas, ſit prima concluſio. Secundùm ordinariam prouidentiam Dei, barbaris non datur talis graria præueniens, qua immediatè cognoſcant obiectum ſupernaturale expreſse, & formaliter; ſed ſolummodo naturale obiectum, quod per vires naturæ cognoſci poteſt, proponitur illis expreſsè & furmaliter per primam gratiam præuenientem.

2. Probatur primò ſupponendo, interiorem gratiam præuenientem dari ſemper, vel vt plurimum, ita vt aptè correſpondeat exterioribus auxiliis prædicationis, aut aliarum rerum, quæ dirigun-tur à Deo, vt nos excitent ad Dei cognitionem & amorem, quod probabimus alibi ex profeſſo. Quo ſuppoſito, conſidera exhortationem Pauli ad Lycaonios Actuum 14. & primam gratiam excitantem, quæ illi aptè reſpondeat, vt moneat interiùs corda ad eoſdem affectus, quos ſequentia *Actor. 14.* verba Pauli continent: *Annunciantes vobis, ab his vanis conuerti ad Deum, qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui in præteritis generationibus dimiſit gentes, ingredi vias ſuas, & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.*

3. Vbi pondera primò in hoc exordio exhortationis ad fidem, nullum obiectum ſupernaturale, expreſsè, & formaliter dictum, proponi, omnia quippe in eo contenta cognoſci poterant per vires naturæ.

Secundò pondera, quomodo Paulus occultè moneat, non eſſe excuſabiles à ſua ignorátia, quia quamuis Deus promiſerit, eos ingredi vias ſuas, peccando: cæterùm non ſubtraxit ſufficiens auxilium, quo poſſent Deum cognoſcere, & amare ſi vellent. Hoc enim ſignificat *teſtimonium*, quod interiùs corda monet, & conteſtatur veritatem, atque obligationem noſtram.

4. Tertiò pondera hoc teſtimonium eſſe, *Deum de cœlo benefacere, dare pluuias*, &c. Iam ergo prima hæc gratia præueniens nihil ſupernaturale, ſed tantùm obiecta merè naturalia proponit expreſsè, & formaliter.

Quartò, Athanaſius oratione contra Idola poſt medium, fuſiùs ponderat hoc teſtimoniū Actuum 14. & ex prouidentia naturali Dei non ſolùm colligit, quæ naturaliter cognoſcimus, & euidenter de authore naturæ; ſed etiam ſenſim aſſurgit ad ſupernaturalia myſteria, implicitè & generaliter aſſerenda.

5. Confirmatur primò, ex ſimili ſententia Act. 17. *Definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inueniant.* Vnde colligo ex naturali prouidentia Dei, quam experimur ſuppoſita inuiſibilitate Dei, & humanæ mentis ſtoliditate, ſumi valde conuenientem opportunitatem, vt Deus excitet in animo cuiuſque barbari aliquam ſcintillam deſiderandi quærere, & inueſtigare Deum, ſaltem palpandu, atque tentandu, vt cæci ſolent, ſi fortè Deum attrectent, aut inueniant, ſiue aliorum hominum doctrina, ſiue alia quauis ratione Deus ſe illis voluerit manifeſtare. Atque hoc obiectum *Virtualiter continet aliquid ſupernaturale.* expreſsè cognitum, quamuis totum per vires naturæ cognoſcibile ſit, nihilominus virtualiter continet aliquid ſupernaturale ſufficiens, vt ſit obiectum gratiæ præuenientis, vt magis explicabimus in ſectionibus ſequentibus.

Confirmatur tertiò, nam & Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos, ex naturalibus effectibus diuinæ prouidentiæ ad ſupernaturales affectus prouocabat ſæpiùs, veluti Matth. 6. *Si ergo fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei.* & rurſus: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adÿcientur vobis.* & ad dilectionem inimicorum prouocat exemplo Patris, dicens: *Vt ſitis Filÿ Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Vnde ad rem præſentem colligo, in naturali prouidentia Dei, quæ per vires naturæ cognoſci poteſt, diuinam gratiam poſſe inſerere aliquam ſupernaturalem cognitionem, & impulſum prouocantem ad ſupernaturales actus. 6.

Confirmatur quartò verbis S. Auguſtini lib. 10. Confeſſionum cap 6. in principio: *Cœlum, & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec ceſſant, dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles.* Vide exteriùs auxilium excitans, & præueniens, cui continuò ſubiungit interiorem gratiam præuenientem, dicens: *Altiùs autem tu miſereberis, cui miſertus fueris: & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris.* Deinde, vt oſtendat, illam exteriorem excitationem cœlorum, nihil prorſus prodeſſe ſine hac interiori admonitione per miſericordiam, & gratiam, ſtatim addit: *Alioquin cœlum & terra ſurdis loquuntur laudes tuas.* 7.

Confirmatur quintò, nam & Proſper, manifeſtè alludens ad cap. 14. & 17. Actorum, & illorum quaſi commentarium efficiens, noſtram concluſionem deducit in lib. 2. de vocat. Gentium cap. 1. aduersùs finem, ſecundùm antiquam diuiſionem, & ſecundùm recentiorem diuiſionem cap. 4. initio, dicens: *Sed ne in præteritis quidem ſæculis hæc eadem gratia (quæ poſt Domini Ieſu Chriſti reſurrectionem vbique diffuſa eſt, & de qua ſcriptum eſt, Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ) defuit mundo. Quamuis enim ſpeciali cura, atque indulgentia, populum Iſraeliticum, conſtet, electum, omnéſque alias nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundùm propriam, permiſſæ ſint, viuere voluntatem: non ita ſe tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cognoſcendum ſe, atque metuendum, nullis ſignificationibus admoneret.* Vide expreſſum nomen gratiæ præuenientis, & excitantis. Nam priùs appellatur eadem *gratia, quæ per Chriſtum diffuſa eſt.* Deinde illi tribuitur munus admonendi ad cognoſcendum, metuendúmque Deum, quod eſt proprium gratiæ præuenientis. 8.

Poſtremò ſignificationes exteriores, & expreſsè propoſitas menti, quibus olim admonebat diuina gratia explicat Proſper continuò ſubiungens: *Cœlum quippe, ac terra, & mare, omniſque creatura, quæ videri, atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum, & dilectionem ſui imbueretur authoris.* 9.

Hæc autem, licèt naturalia obiecta ſint, attamen à ſupernaturali gratia interiùs vim accipere, conſtat tum ex prioribus verbis, quæ initio retulimus; tum ex illis, quæ poſtea ſubdit: *Implente* 10.

omnia

Digitized by Google

omnia ſpiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & ſumus. & infrà, *Sicut enim illa gratia largitas, quæ in omnes nouiſſimè effluxit, non euacuat eam, quæ ſuper vnum Iſrael ſub lege rorauit: ita nec de illa cura Dei, quæ Patriarcharum filiis propriè præſidebat, conyciendum eſt, gubernacula diuinæ miſericordiæ cæteris hominibus fuiſſe ſubtracta. Qui quidem in comparatione electorum videntur abiecti; ſed nunquam ſunt manifeſtis, occultiſque beneficiis abdicati.* Perpende non ſolùm manifeſta, ſed etiam occulta beneficia, ſeu dona gratiæ, non eſſe denegata Gentilibus reprobis.

11. Denique idem conſtat ex cap. 5. fine: *Quæ videlicet gratia, etſi parcior antea, atque occultior fuit, nullis tamen ſæculis, ſi negatis virtute vna, quantitate diuerſa, conſilio incommutabili opere multiformi.* Iam ergo Proſper agnoſcit, occultam gratiam cunctis ſæculis fuiſſe conceſſam occaſione naturalium obiectorum, ſicut paulo ſuperiùs explicuerat ipſe. Quod idem perſequitur cap. 13. oſtendens, hanc gratiam etiam ad obduratos peruaſiſſe. Atque in eandem doctrinam conſpirant eiuſdem libri, & aliorum Proſperi multa capita.

12. *Probatio 2.* Probatio concluſionis ſecunda ſumitur ex illis verbis ad Galat. 1. *Vt reuelaret filium ſuum in me.* In quorum commentario Hieronymus ponderat illa verba, *in me*, dicens: *Non eſt autem ipſum, vt reuelaret Filiũ ſuum in me, quod ſi diceret, vt reuelaret Filium ſuũ mihi. cui enim quid reuelatur, huic illud poteſt reuelari, quod ante in eo non erat: in quo verò reuelatur, illud reuelatur, quod priùs fuit in eo, & poſtea reuelatum eſt, ſimile eſt illud in Euangelio. Medius in vobis ſtat, quem vos neſcitis, & alibi, erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Ex quo perſpicuum ſit, natura omnibus Dei ineſſe notitiam; nec quemquam ſine Chriſto naſci, & non habere ſemina in ſe ſapientiæ, & iuſtitiæ, reliquarúmque virtutum. Vnde multi abſque fide, & Euangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè, vt parentibus obſequantur,* &c. & inde infert. *Magis iudicio obnoxios fieri, eo quòd habentes in ſe principia virtutum, & Dei ſemina, non credunt in eo, ſine quo eſſe non poſſunt.*

Natura omnibus Dei ineſſe notitiam dicit Hieronymus.

13. Non eſt quòd mireris modum loquendi Hieronymi, videlicet: *natura omnibus ineſſe notitiã Dei, nec quemquam ſine Chriſto naſci*, nam etiam Paulus Rom. 2. dicit: *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex,* qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Vbi pondera primò aduerbium, *naturaliter.* *Nota.* Secundò pondera *iuſtificari huiuſmodi factores legis.* Tertiò pondera *opus legis, ſcriptum in cordibus.* quæ phraſis diuinam gratiam præuenientem ſignificat; vt vidimus diſp. 18. ſect. 5. num. 8. Vnde rectè Fulgentius lib. de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti toto cap. 25. colligit Paulum loqui non de natura abſque gratia, ſed de natura, quæ abſque lege ſcripta ſanatur diuino munere gratiæ, ſcribentis legem in cordibus. Quam expoſitionem ſumpſiſſe videtur ex Auguſtino lib. 4. contra Iulianum cap. 3. longè poſt medium, & de ſpiritu & litera cap. 26. & 27. quam eandem tradit Proſper contra Collat. cap. 22. Beda, & Anſelm. Rom. 2. vbi D. Thomas lect. 3.

Intelligendus de natura abſque lege ſcripta.

14. Et Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Iulianum propius ad finem quàm ad medium, eodem teſtimonio ad Rom. 2. vtitur, vt probet Deum in omni ætate mundi omnium Gentium ſaluti prouidiſſe ſufficienter auxilia, per inſitas leges, *quas omnium cordibus inſculpſit opifex. Natura enim per ſeipſam diſcendo, factore annuente recipit omnis boni ſcientiam.* vbi quod ait, *per ſeipſam*, intelligit ſine exteriori lege, aut magiſtro inſtruente. Nam interiores inſtructiones agnouerat, quando dixit, *inſitis ad hoc inſtructionibus peruenientes.*

15. *Defenditur ab errore Hieronymus.* Quo ſuppoſito, facilè intelligitur, qua ratione nihil habeat cum Semipelagianis commune, quod Hieronymus ait: *Natura omnibus Dei ineſſe notitiam, nec quenquam ſine Chriſto naſci, nec ſine ſemine ſapientia & iuſtitia.* Vnde nec ſine ſemine fidei, non quia naturales cauſæ proferant in nobis hæc ſemina, & hanc notitiam Chriſti: nec quia ex principiis, naturaliter notis noſtro intellectui poſſimus per diſcurſum inuenire aliquam notitiam Chriſti, ſicut oportet, vt per illam adquiramus gratiam, ſed propter tres rationes; prima, quia ipſis principiis ſpeculatiuis, & practicis, quæ nobis ſunt naturaliter nota, Deus inſerit ſuam gratiam præuenientem, & ſupernaturalem illuſtrationem, modo explicando in ſectionibus ſequentibus.

Secunda, quoniam eandem illuſtrationem inſerit cognitioni elementorum, cœlorum, & totius vniuerſi, qui occultis clamoribus prouocat ad deſiderandum notitiam maiorem creatoris, & gubernatoris.

Tertia, quoniam ſine vlla exteriori doctrina, vel diſcurſu noſtro, hoc in nobis naſcitur, & ſine noſtra libertate; quemadmodum è contrario appellantur *natura filij iræ* per originale peccatum ſine noſtra libertate contra actum.

16. *Defenditur, & interpretatur Macarius.* Confirmatur primò. ſic enim Catholicam interpretationem admittit quod Macarius ſenior, antiquitate, & ſanctitate inſignis, ſcripſit homil. 8. propè initium (habetur tomo 2. Biblioth.) *Gratia quidem continenter adeſt radicata, & permixta ab ineunte ætate, & tanquam naturale, & concretum quidpiam, quod ineſt homini, veluti vna ſubſtantia; ſed variis modis, pro arbitrio, quatenus expedit, hominem gubernat, quandoque enim vehementiùs ardet, & accenditur ignis; interdum remiſſiùs, & molliùs, ipſum quoque lumen, quibuſdam temporibus intenſiùs accenditur, & lucet; quandoque verò remittitur, & ſubtriſtis eſt.*

17. Confirmatur ſecundò. nam & Antonius Magnus tomo 3. Biblioth. epiſt. 5. ad fratres ſuos de diuina vocatione, propè initium, tres vocationis modos diſtinguit, *quibus gratia Dei vocantis apprehendit animus.* & primum modum aſſignat eorum hominum, *qui per teſtamentariam legem, & inditum in eis ſemel bonum à prima ſui conditione, perrexerunt parati cum Deo, ſicut Abraham.* Nihilominus idem Antonius paulò inferiùs explicat, hos etiam indigere, *vt primum eos vocet ſpiritus.* quod referemus diſp. 28 ſect. 4. in Antonio.

18. Confirmatur tertiò verbis Enchiridij Chriſtianæ inſtitutionis, quod nomine Concilij Colonienſis citari ſolet, in titulo de ſacramento Pœnitentiæ fol. 92. p. 1. cap. *Prior gratia*, à medio dicentis: *Quod autem* (Act. 14.) *legimus, dicente Paulo ad viros Lyſtrios, Deum in præteritis generationibus dimiſiſſe omnes gentes, ingredi vias ſuas; non ſic intelligendũ, quaſi Deus gentibus ſua gratia defuerit. Quinimò ipſe Paulus ſtatim ſubiecit, & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda eorum,* &c. & poſt pauca: *Verùm cùm gentes id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum habuerint, quod Deus illis per gratiam præuenientem manifeſtauerit, nec tamen cùm cognouiſſent Deum, ſicut Deum glorificauerunt; factum eſt, vt gentes, Dei gratiam*

con

contemnentes, ac repudiantes dimiſſa ſint, ingredi vias ſuas; atque eadem omnino ratione fit, vt non omnes illos motus gratia ſpecialis omnibus peccatoribus Deus impertiat.

19. Probatur tertiò, quia ſi ordinaria prouidentia barbaris tribueret gratiam præuenientem, qua explicitè, & formaliter cognoſcerent determinatè aliquid ſupernaturale, quod antea nunquam audiuiſſent: ſequeretur, dari illis occaſionem, vt deprehenderent manifeſtè aliquam operationem alicuius cauſæ ſuperioris, quæ in ipſis operaretur miraculosè, & ſupra naturam. Conſequens autem eſt contra ſuauem modum, quem diuina prouidentia ordinariè ſeruat. Quippe, quæ multos licèt ſupernaturales effectus ſingulis momentis operetur; eos tamen occultare ita ſtudet, vt nullus poſſit euidēter in ſe, vel in alio deprehendere ſupernaturalem effectū, eſſe factum. Nam neque Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia, neque vim effectiuam ſacramentorum, neque characterem, aut gratiam, per ſacramenta producta, neque noſtros ipſos habitus, aut actus ſupernaturales euidenter cognoſcimus. Ergo quamuis Deus in cordibus barbarorum operetur ſupernaturalem effectum excitantis gratiæ: nihilominus de lege ordinaria ita eos operabitur, vt ex ea operatione non poſſit euidenter colligi ſupernaturalem eſſe effectum, qui deprehendatur.

20. Probatur quartò. nam & ipſis baptizatis, ſiue ſcientibus, ſiue prorſus ignorantibus myſteria fidei, ſecundùm legem ordinariam non immittuntur talia phantaſmata, & tales ſpecies intelligibiles, quæ in modo repræſentandi, & in obiecto repræſentato deprehendantur eſſe ſupernaturales (etiamſi exiſtimes ſpecies ſupernaturales ad fidem præberi,) ſed potiùs, quantùm humana reflexio aduertere poteſt, idem modus repræſentandi eſt in ſpeciebus fidelium, qui erat etiam in ſpeciebus infidelium, ſiue quæ à ſenſibus acceptæ fuerant, ſiue per doctrinam prædicatoris, ſiue per naturalem diſcurſum collectæ. Hic autem ordinarius prouidentiæ ordo violaretur, ſi ordinariè barbaris gratia præueniens proponeret expreſsè & formaliter aliquid ſupernaturale, quod neque per ſenſus, neque per doctrinam magiſtri, neque per naturalem diſcurſum colligere poſſent. Tunc enim ſpecies daretur illi, repræſentans illud ſupernaturale myſteriū: idque non quaſi acceptum per ſenſus, neque per doctrinam magiſtri, neque quaſi diſcurſu collectum: ac proinde modus repræſentandi illius ſpeciei apertè differret à modo repræſentandi cæterarum ſpecierum naturalium, ita vt potuiſſet animaduerti differentia.

21. Quintò probatur, quoniam ſupponendo id quod efficaciter probabitur tomo ſequenti, videlicet omnibus barbaris adultis dari gratiam præuenientem, ſi hæc proponeret aliquod obiectum ſupernaturale formaliter & expreſsè; impoſſibile foret, in tanta barbarorum multitudine non fuiſſe inuentos plurimos, qui recordarentur illius obiecti ſupernaturalis, expreſsè, & formaliter ſibi propoſiti per gratiam præuenientem. At verò quotidiana experientia eorum Patrum, qui apud Orientales, & Occidentales Indos eorum ſalutem procurant, oſtendit, vel nullum, vel rariſſimum inueniri, cui ſupernaturale aliquid per interiorem illuſtrationem explicitè, & formaliter affulſerit antequam audirent euangelicos miniſtros. Denique ad eãdem concluſ. comprobandã valent omnia, quæ in ſectionibus ſeqq. afferenda ſunt.

SECTIO III.

Obiectum ſupernaturale implicitè, & virtualiter cognitum, barbaris proponitur per primam gratiam præuenientem, quæ datur de lege ordinaria.

SEcunda concluſio, quaſi appendix primæ concluſionis in præcedenti ſectione poſitæ, hæc 1. *Modus vocandi rudes.*
eſt. Ordinaria prouidentia talem gratiam præuenientē barbaris tribuit, quæ ſupernaturale obiectū implicitè, virtualiter, obſcurè, ſub dubio, inutili, rudi & craſſo modo propinat. Talis autem obiecti ſupernaturalis propoſitio, quãdo proportionato modo tendit in tale obiectū, etiam ſi teneat infimum gradum cognitionis ſupernaturalis, adhuc ſola ipſa, abſque alia maiori notitia ſupernaturalium rerum, ſatis eſt, vt gratia præueniens ſit quidditatiuè ſupernaturalis, & virtute illius poſſint concipi aliquæ actiones liberæ quidditatiuè ſupernaturales, quibus homines diuinæ gratiæ conſentiant, & cooperentur, ac proinde mereantur de congruo, & impetrent vlteriorem illuſtrationem, & gratiam. *Talis propoſitio ſufficit vt gratia ſit ſupernaturalis.*

Probatur primò, quia gratia præueniens barbaris tribuenda, vt per ſe ſit ſupernaturalis, debet 2.
neceſſariò verſari circa obiectum ſupernaturale: ſed non poteſt verſari circa obiectum ſupernaturale, expreſsè, & formaliter cognitum: vt in ſect. præced. monſtrauimus: ergo debet neceſſariò verſari circa obiectum ſupernaturale, implicitè & virtualiter cognitum. Confirmatur, quoniam virtualiter, & implicitè rudi, & craſſo modo proponere obiectum ſupernaturale ſufficit vt gratiæ præuenienti per ſe conueniat ſupernaturalitas intrinſeca: ergo huiuſmodi propoſitio virtualis, eſt prima quæ per gratiam præuenientem præbetur hominibus, omni prorſus cognitione ſupernaturali carentibus. Conſequentia probatur, quia ſuauitas diuinæ prouidentiæ ab imperfectionibus incipit, nimirum, vt ſupernaturalis prouidentia in hoc, ſicut in cæteris, aptè conſonet prouidentiæ naturali.

Probatur ſecundò, quoniam prædictus modus 3.
vocandi ad fidem infideles, reperitur in ſacra *Samaritanæ exemplo probatur.*
Scriptura variis in locis. Inſignis eſt vocatio Samaritanæ Ioannis 4. in qua ſupponendum eſt, incarnatum Verbum interiùs in audientis animo ſemper fuiſſe operatum ſpiritualem exhortationem, aptè correſpondentem ſenſibilibus verbis, quæ proferebat exteriùs, vt oſtendemus alibi ex profeſſo. Quo ſuppoſito, conſideretur prima vocatio, & exhortatio ad gratiam deſiderandam, & petendam, quam implicitè, obſcurè, & accommodatè ad ruditatem audientis cœperit inuitare. *Si* *Ioan. 4.*
ſcires, inquit, *donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forſan petiſſes ab eo, vt dediſſet tibi aquam viuam.* Vbi S. Thom. in Ioan. 4. cap. lect. 2. text. 1. poſt medium agnoſcit, per gratiam excitari deſiderium impetratorium vlterioris gratiæ, videlicet proponendo Dei donum, cuius tanta eſt pulchritudo, atque maieſtas, vt ſi eam ſciret Samaritana, forſitan petiiſſet; præſertim verò ſi cognoſceret eum, qui petit bibere, eſſe Deum largitorem gratiæ.

Atque vt conſtet, in audientis animo nihil minus implicitum, & obſcurum, minúſve craſſum illuxiſſe, quàm quod illa exteriora verba ſonabant, 4.
refertur Samaritanæ reſponſum. *Domine, neque in*

quo

quo haurias habes, & puteus altus eſt. & rurſus. *Da mihi hanc aquam, & non veniam huc haurire.* Adhuc ergo Samaritana materialem tantùm aquam, corporis neceſſitatibus ſeruientem, cogitabat; cæterùm aliquo ſpeciali modo ſupra naturam, ſicut & Iudæi regnum Chriſti exiſtimabant corporeum, & temporali felicitate redundans, ſed aliquo modo ſupra naturam.

5. Obiter obſeruandum eſt, Samaritanam, dum rationes dubitandi Chriſto proponeret, licèt quodammodo reſiſteret, nihilominus abſolutè fuiſſe cooperatam primæ gratiæ præuenienti: cuius immediatus finis erat, excitare ad inquirendam veritatem ſupernaturalem, miſerendo colloquia, & proponendo rationes dubitandi, cum ſincero deſiderio intelligendi veram ſolutionem.

6. Artem hanc ſeruatam à Chriſto Domino in hac muliere vocanda, notauit S. Thomas in cap. 4. Ioannis lect. 2. fine, ad illa verba: *Ego ſum qui loquor tecum*, dicens: *Non autem Deus manifeſtauit ſe à principio mulieri, quia fortè viſum ſibi fuiſſet ex vanitate loqui: nunc autem paulatim in cognitione Chriſti eam reducens, opportunè reuelauit ſeipſum.*

7. Eadem eſt ſententia Chryſoſtomi homil. 31. in Ioannem ante medium ad illa verba: *Da mihi hanc aquam*, &c. *Conſidera*, inquit, *quam paulatim ad vera doctrina altitudinem adducitur. Primum Iudæum quendam legis tranſgreſſorem ſuſpicata eſt: inde vt hoc crimen propulſauit, audita aqua viua, ſenſu perceptibilem exiſtimauit; tandem ſpiritualem intelligens, credidit, huiuſmodi aqua poſſe ſe tollere ſitis neceſſitatem. non tamen adhuc quanam eſſet, intelligens, ambigebat.* & in ſequenti homil. 32. in medio, ait: *& quanam gratia*, inquiet, *his mulieri rationibus, non perſuaſit Chriſtus, vt Nicodemo cui in medium ſerpentem attulit, & Nathanael, cui prophetauit? quoniam y viri erant, & in huiuſmodi verſati. Samaritana rudis, & abiecta mulier, expers omnium literarum erat. Ideo nullum cum eâ de ſcripturis verbum facit; ſed aqua tantùm pollicitatione, & prophetia eam allicit.* & poſt pauca. *Pedetentim, & modeſtè nactus occaſionem, omni ſe ſuſpicione abſoluit.*

8. *Deum eſſe naturaliter cognoſcibile.* Probatur tertiò, quia Deum eſſe, atque inuiſibilem, & valdè ignotam hominibus eſſe illius ſubſtantiam, eſt obiectum naturaliter cognoſcibile per naturale lumen rationis. In hac merè naturali notitia ſolet prima gratia præueniens velut in ſyluſtico ſtipite aptiſſimè inſerere deſiderium habendi maiorem notitiam de illo ignotiſſimo, & excellentiſſimo obiecto: conijciendo plurima poſſe de illo ſciri, & reuelari, quæ noſtrum captum ſuperent: & ſub dubio conijciendo, fortè alicui reuelatam eſſe aliquam notitiam. Atque hic modus virtualiter proponendi ſupernaturale obiectum, eſt proprius illius primæ gratiæ præuenientis, quæ pulſabat ad oſtium Athenienſium interiùs, quando corporis auribus audiebant illa verba Pauli Actuum 17. *Inueni aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo vos ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Et inde ſumpſit exordium, ad explicandam Dei prouidentiam naturalem, & ſupernaturalem. Suppono namque, vnum verúmque Deum, ineffabilem, inuiſibilem, & innominatum fuiſſe illum, cui hæc ara inſcripta erat, vt docet Auguſtinus libro primo contra Creſconium c. 29. Hieronymus libro quarto in Ezechielem capite 16. (licèt aliter ſenſerit ad Titum 1.) Clemens Alexandrinus libro primo ſtrom. capite 9. Quapropter quam locutione ſenſibili Paulus Athenienſibus, eandem omnibus barbaris interiùs poterit prima gratia inſerere cupiditatem inquirendi ignotum Deum, ſcitu digniſſimum.

Quartò probatur verbis ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe, remunerator ſit.* Vbi ſuppono, de ſupernaturali fide ſermonem eſſe. ſiquidem agit *de fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, vt proximè præcedenti contextu prædixerat. At verò ſupernaturalem eſſe fidem requiſitam, vt Deo placeamus, conſtat ex diſputatione 19. ſectione 2. 9.

Confirmatur ex ſuperiori contextu eiuſdem, & præcedentis capitis, agit enim de fide, ex qua *viuit iuſtus*, & quæ eſt *ſperandarum rerum ſubſtantia.*

Quo ſuppoſito probatur concluſio, quoniam in his duobus articulis, quòd Deus ſit, & quòd remunerator ſit, virtualiter & implicitè continentur cæteri articuli, etiam ſupernaturales, vt ſanctus Thomas 2. 2. quæſtione 1. art. 7. corp. docet his verbis: *Omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, ſcilicet, vt credatur Deus eſſe, & prouidentiam habere circa hominum ſalutem, ſecundùm illud ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere*, &c. *in eſſe enim diuino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter exiſtere; in fide autem prouidentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo diſpenſantur ad hominum ſalutem, quæ ſunt via in beatitudinem.* Vnde conſtat omnia myſteria ſupernaturalia, ſiue Trinitatis, quæ pertinet ad eſſe Dei, ſiue Incarnationis, & ſacramentorum, quæ pertinent ad prouidentiam Dei, vt via ad noſtram beatitudinem, virtualiter, & implicitè claudi in prædictis duobus articulis; quamuis totum quod explicitè, & formaliter continent, poſſit cognoſci ſolo naturæ lumine. 10. *In duobus articulis reliqui etiam ſupernaturales virtualiter contenti.*

11. Vnde colligo primam gratiam præuenientem barbaris hominibus collatam, habere ſufficiens obiectum ſupernaturale virtualiter, & implicitè cognitum, ſi proponat Deum eſſe, atque remuneratorem eſſe, cum dubio, atque ſuſpenſo deſiderio meliùs cognoſcendi quid ſit Deus, & quam remunerationem præbeat inquirentibus ſe, quóve ſupplicio peccatores puniat.

12. Confirmatur. nam & Gregorius homil. 19. in Ezechielem agnouit huiuſmodi fidem, qua creditur Deus eſſe creator omnium, & qui poſſit bonis ſuis perficere homines, fuiſſe ſufficientem, vt præberet initium ſalutis, verba retulimus ſuprà diſputatione 19. ſectione 5. num. 6. in quibus præſertim notanda ſunt illa: *vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat; ſi non ſe ab illo in bonis perfici petebat? ſciebat igitur creatorem omnium Deum, ſed quod eius omnipotens Filius incarnatus eſſet, ignorabat*, &c. & tamen hanc fidem ibidem aſſerit fuiſſe ſufficientem, vt per illam Cornelius veniret ad opera, quibus Deo placeret.

13. Quintò probatur, quoniam virtualem & obſcuram incluſionem ſupernaturalis myſterij ſignificare videtur Proſper libro ſecundo de vocatione Gentium capite 15. aliàs capite 5. in principio, dicens: *Adhibita ſemper eſt vniuerſis hominibus quædam ſuperna menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, ſufficit*

tamen

tamen, ſicut Dominus indicauit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium. Quòd autem hæc gratia ſufficiens omnibus ad teſtimonium, ideo appelletur à Proſpero parcior, & occultior, quia ſupernaturalia myſteria ſolummodo implicitè, & virtualiter proponebat, prout continentur in iis, quæ naturali lumine cognoſci poſſunt, conſtat ex Proſpero in eodem libro ſecundo, capite quarto & quinto, cuius verba retulimus ſuprà ſect. ſecunda, probat. 5. in fine.

14. *Obiectio.* Ex his naſcitur difficultas, quoniam nihil eſt implicitè cognitum, niſi quod virtute continetur in alio obiecto, explicitè, & manifeſtè cognito; ſed in prædicto obiecto naturali, quod expreſsè, & manifeſtè proponitur barbaris, non continetur virtualiter obiectum ſupernaturale: ergo non cognoſcunt implicitè obiectum ſupernaturale, ac proinde talis illuſtratio prima, nec poteſt eſſe quidditatiuè ſupernaturalis, nec ſufficere ad eliciendum actum liberum quidditatiuè ſupernaturalem. Minor ſyllogiſmi probatur, quoniam vt vnum obiectum virtualiter contineatur in alio, neceſſarium eſt, inferri poſſe ex illo; ſed ex obiecto naturali, quod barbaris proponitur, non poteſt inferri obiectum ſupernaturale: ergo non continetur virtualiter in illo.

15. *Duplex virtualis incluſionis gradus.* Reſpondetur, diſtinguendo duplicem gradum virtualis incluſionis & continentiæ. Primus, & perfectior eſt, quando cognoſcitur totum illud, ex quo ſufficienter inferri poteſt alterum obiectum, quod nondum eſt explicitè cognitum. Secundus gradus minus perfectus eſt, quando cognoſcis vnam quandam propoſitionem, quæ eſt quaſi maior, in qua includuntur aliæ inferiores propoſitiones, ſed illas non poteris inferre, niſi præbeatur tibi cognitio alterius propoſitionis, quam adhuc penitus ignoras. Hic ſecundus gradus virtualiter continendi ſufficit ad ſupernaturalitatem fidei. Vnde à fortiori ſufficiet ad ſupernaturalitatem gratiæ præuenientis.

16. Confirmatur primò verbis Chriſti Domini Lucæ 20. *Quia verò reſurgant mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iacob. Deus autem non eſt mortuorum, ſed viuorum, omnes enim viuunt ei.* (*Exod. 3.*) Vide quis noſtrûm, niſi valde dubia coniectura, potuiſſet peruenire ad fidem reſurrectionis: ſi nullum aliud teſtimonium illius extaret, præter hoc datum à Moyſe, & tamen Chriſtus Dominus aſſerit, in illo oſtendiſſe Moyſem mortuos reſurgere: id tamen virtualiter; quod ſignificant illa verba Chriſti Domini Matth. 22. & Marci 12. præmiſſa ante argumentationem ſupradictam: *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei*, id eſt, quod virtualiter continent Scripturæ à Deo inſpiratæ.

17. Confirmatur ſecundò, quoniam præter paucos inſigniter illuſtratus à Deo cæteri Iudæi penitus ignorabant diuini Verbi Incarnationem, Paſſionem, & Reſurrectionem; imò etiam Trinitatis myſterium, nec poterant ſine maiori illuſtratione, & doctrina ad illorum cognitionem peruenire proprio diſcurſu. Nihilominus ab omnibus Theologis dicuntur implicitè, & virtualiter credidiſſe Trinitatem, Incarnationem, Paſſionem, & Reſurrectionem; quoniam credebant in Deum, qui Abraham, & cæteris Patriarchis fuerat reuelatus, & promiſſus illius populi Redemptor, animi præparatione complectentes, quidquid Patriarchæ crediderant explicitè, & quidquid ad ſalutem, redemptionémque neceſſarium erat.

Confirmatur tertiò ex modo virtualiter, & implicitè continendi, quem circa fidei articulos notauit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 1. articulo 7. corpore, vt paulo ſuperiùs retulimus. 18.

Confirmatur quartò ex variis modis virtualiter continendi; quos ſequens ſectio explicabit.

SECTIO IV.

Varios modos virtualiter continendi ſupernaturale obiectum primæ gratiæ præuenienti ſufficere.

PRimus modus eſt dubium de aliqua veritate, quæ in ſe quidem ſupernaturalis eſt, quamuis eius ſupernaturalitas ignoretur. 1. *Dubium de veritate ſupernaturali.*

Huius primum exemplum fuit mulier Samaritana, quæ ſicut vnica fuit, quam Chriſtus Dominus extra Iudæam docuit, ita fuit typus totius Eccleſiæ, quæ poſtea ex Gentibus erat vocanda, vt Auguſtinus notat tractatu 15. in Ioan. Hæc igitur mulier conſidera, quot dubiis fuerit ad veritatem inquirendam excitata. Primum: *Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis?* &c. (*Ioan. 4.*) Secundum: *Puteus altus eſt; neque in quo haurias habes. Vnde ergo habes aquam viuam?* Tertium: *Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob?* Quartum: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt*, &c. Quintum: *Nunquid ipſe eſt Chriſtus?* Sed de hoc Chriſti Domini colloquio plura ad rem præſentem diximus ſect. præcedenti probat. 2.

Secundum exemplum eſt Nathanaëlis Ioan. 1. versùs finem, cui Philippus, *Inuenimus*, inquit, *Ieſum, filium Ioſeph à Nazareth.* Quàm obſcura & occulta latet hîc annunciatio diuinitatis, latet tamen virtualiter in illis verbis: *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ.* Ideo ſufficiens fuit vt primò excitaret tanquam opportuna gratia præueniens, quoniam duo iniecit dubia, & inquirendi auiditates in animum audientis ſincerum. Alterum; *à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*: Vnde vt ſatisfaciat dubio, libenter acquieſcit gratiæ interiùs loquenti, quòd Philippus exteriùs ſubiunxit: *Veni, & vide.* Alterum dubium: *Vnde me noſti?* Qua occaſione Chriſtus Dominus clariùs ſuam diuinitatem ſignificauit, quam protinus Nathanaël credidit, dicens: *Rabbi tu es Filius Dei*, &c. 2.

Tertium exemplum præbuit præcurſor Ieſu Chriſti, typum præferens gratiæ præuenientis. Sicut enim ille diſcipulos mittit ad Chriſtum, dubitantes, & inquirentes: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Vt ea occaſione certiores reddantur de euidentia credibilitatis; ita gratia præueniens barbaros priùs dubitare facit, vt, ad inquirendum, mittat de vera religione, ac de credibilitatis euidentia. 3.

Quartum exemplum ſit, qui à natiuitate cæcus poſtea illuminatus eſt, Ioan. 9. Quem cùm inueniſſet Ieſus, ita prouocauit ad dubitandũ, & interrogandum: *Tu credis in Filium Dei? & ille quis eſt,* 4.

Domine, vt credam in eum? Quod dubium atque inquiſitionem fides ſubſecuta eſt.

Quintum fit Paulus de cœlo proſtratus, inquirens priùs, *Quis es Domine?* & iterum, *Quid me vis facere?*

5. *2. Modus inquiſitio veritatis.* Secundus modus præcedenti valdè vicinus, at propè indiſſolubiliter cum eo coniunctus, eſt anxia ſolicitudo, inquirendi veritatem, quæ animum quieſcere non ſinit, donec eam inueniat, & amplectatur. Cuius primum exemplum oſtendit Clemens libro 1. Recognitionum, in principio, fusè referens ſuæ vocationis exordia; in quibus præſertim notanda ſunt illa verba: *Inerat mihi comes optima, quæ me quieſcere non ſinebat, immortalitatis cupido: Vt enim poſt rerum exitus docuit, & gratia Omnipotentis oſtendit, hæc me animi intentio ad inquiſitionem veritatis, & agnitionem veræ lucis adduxit.* Deinde pluribus explicat, tam vehementem ſibi inditam fuiſſe curam inueſtigandi, vtrùm poſt mortem aliqua alia vita reſtaret hominibus, vt eam à ſe abiicere, aut negligere, quamuis vehementer optaret, atque conaretur, nulla ratione potuerit.

6. Secundò probatur exemplo eorum Gentilium, qui antequam Euangelij prædicationem audirent, auidiſſimè deſiderabant, expectabántque Petrum de vero Dei cultu diſputaturum. In quo deſiderio, & expectatione gratiam præuenientem, interiùs operantem, Petrus ipſe notauit apud Clementem 4. libro recognitionum, *Petrus apud Clementem.* pagina ſecunda his verbis: *Occulta Dei virtute quem debeant diligere, prius etiam quàm doceantur, agnoſcunt. Videtis enim eos quaſi bonos ſeruos deſiderare eum, quem ſibi ſperant aduentum ſui Domini nunciare. Deſiderium ergo audiendi verbi Dei, & voluntatem eius faciendi ex Deo habent, & hoc eſt initium doni Dei, quod gentibus datur, vt poſſint per hoc doctrinam recipere veritatis.* Quibus ſimillima ſunt verba Petri, quæ idem Clemens refert in epiſtola prima ad Iacobum, columna vltima.

7. Pondera primò, quàm imperfectum potuerit eſſe hoc ſalutis initium in Gentilibus, qui deſiderabant Petri præſentiam, vt ab eo audirent Euangelium.

Secundò hoc deſiderium audiendi verbi Dei, ex Deo haberi, & occulta Dei virtute doceri.

Tertiò hoc eſſe initium doni Dei, hoc eſt, gratiæ: & inde inchoari poteſtatem recipiendi doctrinam veritatis, aſſentiendo fidei. Certè ſi aliis in locis recognitiones Clementis deprauatæ ſunt ab hæreticis; hoc tamen in loco nihil eſt, quod reprehendere poſſit, neque ſeueriſſimus cenſor eorum, quæ pertinent ad iuſtificationis exordia.

Credulitatis affectus iuſtificationis initium. Confirmatur. nam credulitatis affectum, ſeu voluntatem credendi, & quærendi ſalutem, eſſe ſupernaturalia dona, à quibus fides, & iuſtificatio initium ſumit, docent Arauſicanum Concilium, Hilarius, & Proſper, vt vidimus diſputatione decima nona, ſectione ſecunda, concluſione 2.

8. Tertiò probatur exemplo Iuſtini Martyris, qui vt ipſe diffuſa narratione exponit in Dialogo cum Tryphone paulo poſt initium ab illis verbis: *Ego quoque initio cupidus eius ſodalitij,* vehementi amore Philoſophiæ, atque veritatis, Deíque cognoſcendi ardenti deſiderio adductus eſt, ad ſperandum, quod ille Platonicus quidam promiſerat fore, vt per Philoſophiam perueniret ad Deum mente videndum. Quam ſtultam exiſtimationem diuina gratia veluti occaſionem arripuit, vt Dei videndi, atque inueniendæ veritatis ſtudium, diuina gratia præueniente inchoatum, illuſtraret, atque perficeret doctrina cuiuſdam ſenis, (homo ne, an verò Angelus incertum) qui variis ratiocinationibus eò Iuſtinum deduxit, vt aduerteret Deum videri, & veritatem cognoſci non poſſe, niſi recepta, atque ſeruata doctrina Prophetarum, & Domini noſtri Ieſu Chriſti: *Mihi continuò* (Iuſtinus ſubiungit) *quidam ignis accenſus eſt in animo, correpto Prophetarum amore, & illorum, quicunque Chriſtę cari ſunt. & cùm mecum ſermones hos reuoluerem, hanc ſolam Philoſophiam comperiebam tutam, & vtilem: atque ita euaſi Philoſophus.* Perpende interiorem gratiam, quæ intellectum Iuſtini illuſtrabat clarius, quàm antea & ardentiùs inflammabat voluntatis affectum.

Quartò probatur. nam Hilarius ſalutis exordium accepit à deſiderio, & dubia opinione immortalitatis animæ, atque diuinæ prouidentiæ circa res humanas, qua ſolicita ambiguitate ad quærendum adductus, incidit in vetus nouúmque Teſtamentum, Deo gubernante illum, qui videbatur eſſe fortuitus caſus, vt illuminaretur, & traheretur ad fidem. Ipſe Hilarius author eſt in exordio librorum de Trinitate. 9.

Quintò. non diſſimilis ambiguitas, & implicata perplexitas, nata ex contrariis placitis Philoſophorum, & anxia cupiditas inueniendi ſolidum fundamentum, in quo tutò poſſet intellectus conquieſcere, initium vocationis fuit Gregorio Thaumaturgo apud Nyſſenum in eius vita pag. 4.

Poſtremò, quoniam idem eſt author gratiæ noſtrorum temporum, qui fuit præteritorum, oſtendit nobis plurima exempla eorum, qui nunc vocantur ad fidem, ſimilia ſuprà dictis. Vnus ſufficiat Anger ille Iaponius, qui quoniam fidei ianuam aperuit ad vaſtiſſima regna Iaponis, indole, atque ingenio præſtantiora cæteris Orientalibus Indis, non fuerit indignus, qui numeretur inter inſigniora exempla vocationis ad fidem. Hic ergo propter peccata, quæ in adoleſcentia commiſerat, conſcientiæ ſtimulis agitatus, cùm nullo ſuorum Sacerdotum conſilio poſſet conquieſcere, per diuinam gratiam adactus fuit, vt à Chriſtianis remedium peteret, dubius adhuc, vtrùm ſibi poſſet aliquando ſufficere; quod tamen ſancti Franciſci Xauerij doctrina feliciſſima conſecutus eſt ad ſuam, & ſuæ nationis ſalutem, de quo Ribadeneyra in vita ſancti Patris noſtri Ignatij libro 4. capite 7. & Lucena in hiſtoria de vita Xauerij lib. 5. cap. 19. 10.

Tertius modus perfectior adhuc, & ad fidem proximior, & in legem Chriſtianam propenſio, & complacentia ſimplex, cuius inſigne teſtimonium Nazianzenus profert oratione 19. in laudem Patris mortui columna 4. vbi poſtquam illius prudentiam, temperantiámque commendauit, ac præcipuè iuſtitiam vſque adeò incorruptam, *vt quamuis in magnis Reipublicæ muneribus, adminiſtrationibúſque verſatus, ne teruncio quidem facultates ſuas auxerit,* ſubdit: *Pro his rebus fidem quoque, ni fallor, præmij loco retulit.* Quapropter oportuit, in hoc viro ante explicitam fidē Chriſti, 11. *Tertius modus in Chriſtianam legem propẽſio.*

quam

quando hæc exercebat opera virtutum, fuiſſe aliquam ſupernaturalem propenſionem ad fidem, qua Chriſtianorum lex & eorum præcepta placere inciperent, virtute cuius cætera opera bona vim habebant impetrandi fidem. Id quod ipſe Nazianzenus paulo ſuperiùs notauerat, dicens: *Quemadmodum ex noſtris plerique nobiſcum non ſunt, quos ſcilicet à communi corpore flagitioſa vita ratio ſeparat: ſic contrà permulti exteriorum à nobis ſtant, quicunque nimirum fidem moribus anteuertunt, ac ſolo Chriſtiani nomine carent, cùm rem ipſam habeant, quo in numero meus quoque Pater erat: ramus quidem alienus, cæterùm morum honeſtate ad nos propendens.* Atque huius propenſionis ad fidem Christi Domini fuit etiam aliud indicium, videlicet Chriſtianam vxorem ducere, atque illius magiſterio ad fidem ſuſcipiendam cedere, vt poſt pauca Nazianzenus notat.

12. *Cuiuſdam expoſitio reijcitur.* Vir noſtra ætate ſapientiſſimus aliter Nazianzenum exponit, ſupponendo moralia bona, per vires naturæ facta, eſſe proportionata, vel apta ad aliquam naturalem remunerationem. Quo ſuppoſito, Deus noluit huic viro dare proportionatum præmium naturalium virtutum; ſed loco illius dedit fidem, ex gratia & magnificentia ſua. Hanc expoſitionem probare non poſſum; quia quomodocunque fides data reſpiciat merita per ſolas vires naturæ facta, ita vt præmij locum, & munus ſuppleat, lædit rationem gratiæ; ſiquidem verificatur pro his meritis dari, præmij loco.

Confirmatur, quoniam de quolibet homine poſſet idem præſumere Deum pro naturalibus, humaniſque virtutibus præmij loco daturum eſſe gratiam ex ſuppoſitione, quòd negare decreuerit proportionatum præmium naturale, quod alienum eſſe à mente Auguſtini, & aliorum Patrum, conſtat ex dictis diſput. 18. ſectione ſecunda & tertia, & diſputatione 20. ſectione 1.

13. Contrà verò expoſitio noſtra inde probabilior redditur, quoniam tritam viam aperit, vt interpretemur plures, grauiſſimóſque Sanctorum, qui deſcribentes media, quibus diuina prouidentia inſignes aliquos viros ab infidelitate traduxit ad fidem, diligenter notare ſolent bonos mores, & opera rationi naturali conſentanea præceſſiſſe, ſignificantes, inde cœpiſſe aliquam diſpoſitionem, aut impetrationem fidei. quod verificari poteſt, ſupponendo illos viros tunc iam per diuinam gratiam accepiſſe aliquam inclinationem, aut deſiderium veræ religionis, à qua cætera bona valorem acciperent.

14. *Quartus, opinio de ſupernaturali veritate.* Quartus modus ſublimior adhuc eſt opinio de veritate ſupernaturali cum ambiguitate permixta, quæ appellatur etiam fides inchoata. Nam & ille, qui Marci 9. dicebat: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*, adhuc ſub dubitatione trepidabat, & *incredulitate dubitabat*. & notat Gregorius lib. 22. moralium capite 14. cuius verba retulimus diſputatione 19. ſect. 5. num. 8. Vnde adhuc aliquid habebat diffidentiæ, & incredulitatis, vt notant Proſper, & Beda in eadem ſectione 5. citati num. 9. & 11.

16. Probatur ſecundò. nam & Reguli fidem, neque integram, neque firmam, ſed dubiam fuiſſe, Ioan. 4. notarunt Chryſoſtomus, & Gregorius, quorum verba retulimus ibidem numero 14. & 15. & tamen ea fides initium fuit obtinendi integram, & certam fidem.

Probatur tertiò exemplo Dionyſij Areopagitæ, cui ſimul cum Apollophane data eſt prima gratia præueniens, quæ eos excitauit ad diuinandum ſub dubio, aliquid noui circa res diuinas contigiſſe ſupra omnem naturæ curſum, quando defectionem Solis tempore Paſſionis Ieſu Chriſti Domini noſtri contemplantes, non ſolùm defectionis ſubſtantiam, ſed etiam modum, & ordinem obſeruarunt, ſupra vniuerſum naturæ ordinem contigiſſe. Vnde idem Dionyſius in epiſtola ad Polycarpum prope finem ait: *Tum quidem etiam diuinare, haud ſcio vnde, Apollophanes cœpit, & mecum, quaſi ea, quæ fiebant, conferens hæc dixit, ſunt iſta Dionyſi diuinarum rerum viciſſitudines?* Pondera primò verbum *diuinare*, quod diuinum inſtinctum, abſque hominis libertate collatum ſignificat etiam apud Græcos Philoſophos; vt conſtat apud Ariſtotelem libro ſeptimo Ethicorum Eudemiorum capite decimo octauo, & Platonem in Menone verſùs finem. *Diuinare quid ſignificet.* Secundò quod aſſerit Dionyſius, *neſcio vnde*, ſignificat, nullam potuiſſe aſſignari humanam cauſam illius inſtinctus, ac proinde ſolummodo à Deo prouenire potuiſſe. Tertiò pondera, quàm obſcura, & ambigua fuerit hæc dubitatio, & quaſi ſuſpicio, aut ſubodoratio rei alicuius ſupernaturalis; & tamen Dionyſium reddit aptum, vt faciliùs Paulo, explicanti rationem eclipſis, præberet aſſenſum. Quem etiam præbere potuiſſet Apollophanes per diuinam gratiam, ſed ſua libera malitia reſtitit.

Quintus & poſtremus modus virtualiter, & implicitè proponendi ſupernaturale obiectum, quo gratia præueniens initium facit, vocandi infideles ad fidem, eſt vniuerſalitas quædam obiecti veri, & boni abſtrahentis à naturali, & ſupernaturali, quantum ex ſe eſt; hanc enim virtualem, implicitámque ſupernaturalitatem ſatis eſſe, vt circa illam poſſit verſari gratia, confirmat Auguſtini experientia, quam refert libro tertio confeſſ. capite quarto ad finem, vbi de Ciceronis Hortenſio, quem legebat, ſic loquitur: *Hoc tamen ſolo delectabar in illa exhortatione, quod non illam, aut illam ſectam, ſed ipſam, quæcunque eſſet, ſapientiam, vt diligerem, atque amplexarer fortiter, excitabar ſermone illo, & accendebar, & ardebam.* Vide vniuerſalitatem ſapientiæ, quæ quoniam non ſolùm naturalem; ſed etiam ſupernaturalem præcipuè complectebatur, ratio erat tantæ illuſtrationis, & ſuauitatis, quanta ſine gratia erat planè impoſſibilis ad ſpiritualia bona deſideranda; præſertim adoleſcenti adhuc infideli, & vitiis irretito. 17.

Inde colligo, etiam barbaris hominibus, qui nihil prorſus audierunt de myſteriis fidei, ſufficere illud obiectum vniuerſale, & abſtractum, quod naturali lumine ductus perſuadere poſſet Cicero, aut quilibet alius Gentilis. Quod obiectum, quoniam virtualiter, & implicitè ſub ſe continet præcipuè res ſupernaturales, dignum eſt, circa quod verſetur gratia quidditatiuè ſupernaturalis. 18.

Quod explicatur, & probatur primò; quoniam naturaliter poteſt quilibet Gentilis dubitare de tanta, & tam vtili Deorum multitudine, & propendere animo ad vnitatem potentiſſimi, & optimi gubernatoris hominum. Ex quo principio poteſt vlteriùs progredi, apud ſe inquirendo, vtrùm Deus hominibus virtutis amato- 19. *Poteſt quis de multitudine Deorum naturaliter dubitare.*

ribus ſingularia præmia, nobia ignota, reſeruauerit poſt hanc vitam, io qua plerunque patiuntur indigna: & è contrario ſceleratis maneant ſingularia ſupplicia, quoniam plerunque in hac vita rerum potiti, gaudent impunitate.

20\. Haoc igitur dubitationem, ſi diuina gratia priùs excitet, & poſtea illuſtrando intellectum, proponat meliùs rationes perſuadentes affirmatiuam partem præmij & ſupplicij, inclinétque effectiuo concurſu ad aſſenſum affirmatiuæ partis, quamuis ambiguum; ibi iam aliquod obiectum ſupernaturale virtute continetur, quoniam dum non determinat quod præmium, aut quod ſupplicium illud ſit, ibi tanquam in vniuerſali, & confuſa ratione continetur particulare præmium, aut ſupplicium ſupra naturam, ac proinde poteſt ille idem barbarus per gratiam excitantem aſſentiri præmio, & ſupplicio, iudicando illud eſſe: & timendo ſupplicium, & optando præmium, expreſsè apod ſe dicendo quodcunque illud ſit libera Dei voluntate decretum, ſiue in cœlo, ſiue in inferno; ſiue redeuntibus animabus ad corpora, ſiue non redeuntibus, ſiue quauis alia ratione Deo nota, & mihi ignota; vere tamen virtutis præmium aliquod erit, atque ſupplicium peccati.

21\. *Etiam de remedio peccati.* Secundò naturaliter poteſt homo dubitare, vtrùm Deus decreuerit aliquod remedium ad impetrandam peccatorum veniam, rurſus per gratiam præuenientem poteſt iocitari, ad exiſtimandum optimum remedium eſſe à Deo deſtinatum, & poteſt incitari ad deſiderandum illud remedium quodcunque ſit.

Confirmator, quoniam etiam barbari à præueniente gratia inclinantur, ad formidanda ſcelerum ſupplicia, ad placandum diuinum lumen offenſum.

De vero Dei cultu. Tertiò poteſt naturaliter homo dubitare; vtrùm aliquos homines Deus docuerit modum, quo velit ab hominibus honorari, & per gratiam excitantem poteſt inclinari, ad exiſtimandum ita Deum docuiſſe, & deſiderandam huius legis cognitionem.

22\. *Gentium errores ex abuſu præuenientis gratiæ orti.* Quartò confirmantur omnia adducta, quoniam non ſine probabili coniectura dicemus Gentilium errores circa præmia, pœnas, peccatorum remedia, diuinas leges, reuelationes, & alia eiuſmodi, ortum accepiſſe ex abuſu gratiæ præuenientis, & excitantia ad fidem, quoniam per inordinatos affectus præcipitationem iudicij, & dæmonia illuſionem, monſtroſa mendacia inſerebantur cogitationibus de præmio, pœna, venia, doctrina Dei, & ſimilibus, quas à natura imperfectas, & ab excitante gratia perfectiores accipiebant homines, quaſi iuſtificationis ſemina.

23\. *Aliquorum notationes ex his verificantur.* Secundùm hanc doctrinam non incongruè verificari poſſunt, quæ notant nonnulli Doctores circa imperfectionem gratiæ inchoantis iuſtificationem. Sic enim Henricus quodlib. 8. quæſtione 5. parum à medio exiſtimat, primam gratiam excitantem, qua peccatores vocantur ad pœnitentiam, eſſe admonitionem quandam, ſeu impetum inclinantem ad hoc ſolummodo, vt non velint peccare; etiam qoando neque diſtractiones, neque alia impedimenta obſtant, quominus voluntatem peccandi habere poſſent, ſi vellent: & eos, qui cooperantur huiuſmodi admonitioni, idoneos reddi, & iuſtitia congrui mereri vlteriorem gratiam auxiliatricem, qua priùs imperfectè deteſtentur peccata, deinde perfectè & ſufficienter ad iuſtificationem diſponantur. Quod intellige, dummodo admonitio illa, impellens tantùm ad ceſſandum à peccatu, proponat aliquod motiuum ita generale, vt ſub ſe contineat ſupernaturale motiuum, modo nuper explicato.

Eodem modo accipio quod Petrus de Soto de inſtitutione Sacerdotum tract. de ſacramento Pœnitentiæ lect. 9. pag. 2. vſque ad finem lectionis, optimè oſtendit, etiam imperfectiſſimos quoſdam pœnitentiæ motus, natos inter ipſas obſtinatas peccandi voluntates, à gratia præueniente proficiſci. Et quod Bellarminus lib. 2. de gratia cap. 8. ad 3. docet fidem Dei, vt remuneratoris, ſufficientem eſſe vt ignorantes barbari expreſſam fidem impetrent. 24.

SECTIO V.

Expediuntur difficultates circa ſupernaturalitatem, implicitè contentam in ſupradictis obiectis, tum maximè quando ignoratur Dei exiſtentia.

PRima difficultas. Eadem obiecta præmij & ſupplicij, turpitudinis peccati, remedij, atque veniæ, cum ea vniuerſalitate, atque ambiguitate, quæ in ſuperiori ſectione fuit explicata, potuiſſent cognoſci per ſolas vires naturæ; ſed tunc non continerent implicitè, & virtualiter obiecta ſupernaturalia: ergo eadem non continent implicitè, & virtualiter obiecta ſupernaturalia, quamuis per auxilium gratiæ cognoſcantur. Conſequentia probatur. nam obiectum aliquod implicitè, & virtualiter in alio includi, vel non includi, non pendet ex auxilio & viribus, quibus cognoſcitur obiectum includens; ſed ex propria virtute & quidditate includentis obiecti. 1.

Reſpondetur negando minorem, quin potiùs, quando prædicta obiecta cum tota illa vniuerſalitate, & indifferentia cognoſcerentur per vires naturæ, aliquid ſupernaturale implicitè, & virtualiter cognoſceretur in illis; ſed improportionato modo cognoſceretur. Cæterùm per vires ſupernaturalis auxilij per gratiam excitantem illa eadem obiecta, quæ explicitè & formaliter, & quæ implicitè, ac virtualiter proponuntur, modo proportionato rei ſupernaturali cognoſcuntur. *Supernaturalium naturalis cognitio improportionata.*

Secunda difficultas eſt de illo adulto, qui non ſolùm myſteria ſupernaturalia, ſed etiam Deum inuincibiliter ignorat. Hic enim nullum obiectum cognoſcit explicitè, in quo implicitè cognoſcatur obiectum aliquod ſupernaturale. Ergo hic non poterit obtinere iuſtificationem, niſi Deus illi vel per reuelationem internam, vel per Doctorem explicet myſteria fidei. Ac proinde in huiuſmodi hominibus recurrunt omnes difficultates, quas euitare conati ſumus hucuſque. 2.

Aliqui exiſtimant in cognitione honeſti, vt amplectendi, & turpis, vt fugiendi, implicitè cõtineri cognitionẽ obiecti ſupernaturalis. Quod ſecundùm ea, quæ diximus in præcedenti ſectione verſùs finem, ita poteſt explicari: ſi abſtrahatur ratio obedientiæ, & iuſtitiæ, comparatione 3. *Aliquorum ſolutio.*

Digitized by Google

patatione cuiuſcunque perſonæ ſibi ſuperioris, quæcunque illa ſit; in ea ratione obedientiæ cum diſtributione vniuerſali cognita, & amata implicitè continetur obedientia cuiuſcunque præcepto diuino, etiam ſi ſupernaturale ſit, & ſatisfactio pro peccatis, etiamſi ea debeat eſſe ſupernaturalis.

Hæc ſolutio quamuis probabilis ſit, difficultate non caret, eo quòd iuſtificationis initium petat ab iis obiectis, quæ longiſſimè diſtant à ſupernaturalibus.

4\. Quamobrem ſolutio probabilior eſt, omnes adultos etiam ſtupidiſſimos, & ignorantiſſimos, ſi fuerint rationis compotes, gratia præueniente excitari, vt incipiant dubitare, ac diſputando ſecum, inquirere, vtrùm ſit aliquod Numen, cui totius vniuerſi, ac potiſſimum humani generis incumbat gubernatio; deinde verò in affirmatiuam partem incipiant propendere cum ea virtuali vniuerſalitate, quam diximus in præcedenti ſectione.

Vera ſolutio: quinus gratia excitatur vt dubitet de exiſtentia Dei.

Probatur. Huius congrua ratio redditur, quia ſicut prima, & vniuerſaliſſima principia naturalis cognitionis ſine vllo diſcurſu noſtro ſunt indita ab authore naturæ, à quibus pendent omnes veritates, quas poſtea noſtro labore comparamus; inſuper ſicut amor boni, ac præcipuè noſtri boni in communi, naturaliter inditus eſt voluntati ab eodem authore naturæ, & ab hoc amore pendent reliqui naturales affectus voluntatis (vt oſtendemus infrà diſputatione 42. ſectione ſecunda, & ſequentibus) ſic ab authore ſupernaturali, congruum eſt, omnibus hominibus infundi notitiam primi, & vniuerſaliſſimi Principij ſupernaturalis cognitionis, & piam voluntatis affectionem ad illud principium, à quibus tota cauſa iuſtificationis pendet. Hoc autem principium eſt, Deum eſſe qui curam gerat humanarum actionum: vt optimè obſeruauit ſanctus Thomas 2. 2. quæſtione 1. art. 7. corp.

5\. Tertia difficultas eſt, quoniam impulſus gratiæ excitantis non poterit eſſe ſupernaturalis, niſi obiectum formale, ſeu motiuum ſupernaturale reſpiciat, ſed quando barbarus, de quo loquimur, cognoſcit Deum eſſe, atque remuneratorem eſſe, nullum obiectum formale, nec motiuum ſupernaturale reſpicit eius impulſus. Ergo ſupernaturalis eſſe nequit. Minorem probo, quia ille barbarus pro motiuo, & ratione formali, neque habet authoritatem Dei, vel alicuius Angeli reuelantis, neque aliquod ſupernaturale miraculum aduertit, neque vllam aliam ſupernaturalitatem agnoſcit; vt conſtat ex præcedentibus ſectionibus, præſertim ſect. 2.

6\. Reſpondeo, negando minorem, ad cuius explicationem dico primò, vt actus aliquis euadat ſupernaturalis, non eſt neceſſarium expreſsè animaduerti & cognoſci ſupernaturalitatem obiecti formalis, & motiui; quod experientia conſtat in plurimis rudioribus Chriſtianis, quorum mores perſuadent, illos non ſolùm eſſe fideles, ſed etiam iuſtos; quibus tamen nunquam in mentem venit ſupernaturalitas, expreſsè, & formaliter cognita; neque vnquam ſupernaturales res à naturalibus diſtinguere didicerunt.

Supernaturalis erit actus quin obiecti ſupernaturalitas cognoſcatur.

7\. Dico ſecundò, nihilominus vt actus aliquis euadat ſupernaturalis, neceſſarium eſt, potentiam intellectus, aut voluntatis moueri ab obiecto formali, quod verè in ſeipſo ſit ſuper-

Actus ſupernaturalis obiectum formale ſupernaturale.

naturale, & ſaltem implicitè, & virtualiter proponatur.

Dico tertiò. Quantum probabiliter conijcere poſſumus ex principiis Theologiæ, obiectum formale, ſeu motiuum ſupernaturale aſſentiendi, quod barbaris hominibus præueniens gratia proponit in primo congreſſu, non eſt aliud, quàm termini ſupernaturaliter apprehenſi cum tam perfecta penetratione, quæ ſufficiat, vt ex terminorum apprehenſione inclinetur intellectus, ad ſentiendum, eos inter ſe conuenire; atque per ſeipſos vniri, ad hoc etiam plurimum inclinante pia voluntatis affectione per ſuauitatem à Deo inſpiratam. 8.

Quod ſit motiuum formale barbaris propoſitum.

Explico, & probo primò, quoniam in primis principiis moralibus ratio formalis aſſentiendi, ſeu motiuum ſufficiens eſt apprehenſio extremorum cum naturali propenſione ad præſtandum aſſenſum illis: veluti ſola apprehenſio parentum, & honoris, cum inclinatione naturali, quam puer habet ad ſuos parentes, & ad præſtandum illis honorem, ſufficit vt puer facilè aſſentiatur huic propoſitioni: parentes ſunt honorandi; ergo ſi ſupernaturalem apprehenſionem terminorum Deus conferat, cum propenſione tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, hoc erit ſufficiens motiuum ad aſſentiendum. 9.

Confirmatur primò, quoniam ſimili aliqua ratione per æſtimatiuam ſine iudicio intellectus inclinarentur animalia ad ſuo modo iudicandum hoc ſibi expedire, illud verò minimè circa cibos, curſus, ſaltus, volatus, nidos, pullos, medicinas, amicitias, & pugnas.

Confirmatur ſecundò, quoniam prauus affectus voluntatis, aut appetitus ſenſitiui ſufficit, vt quibuſdam hominibus videantur eſſe euidenter vera ex terminis, & non indigere probatione aliqua, quæ ſecundùm ſe ſunt euidenter falſa; ergo à fortiori bona, & ſupernaturalis inclinatio intellectus, & voluntatis efficere poteſt vt homini videantur ſaltem probabiliter vera, quæ aliàs per ſolas vires naturæ, non agnoſceret, propter tarditatem ingenij & negligentiam.

Secundò probatur exemplo earum actionum, quæ ſupra humanam prudentiam ſunt, & ſupra communes leges diuinæ prouidentiæ; fiunt tamen inſtinctu Spiritus ſancti, ad quas actiones ita iuſtus mouetur à Deo, vt aliquando non dubitet illam actionem expedire, & tamen rationem illius nullam reddere ſciant. Quapropter irrationalis felicitas, ſeu bona fortuna appellatur huiuſmodi impulſus Dei ab Ariſtotele libro ſeptimo Ethicorum Eudemiorum capite decimo octauo, cuius verba referemus diſputatione 42. ſect. 4. num. 26. 10.

Confirmatur, quoniam viri ſpirituales dicunt, donum ſpeciale diſcretionis ſpirituum eſſe per modum cuiuſdam guſtus, vt enim per guſtum diſtinguimus ſapidum ab inſipido; & tamen aliquando rationem diſcriminis nullam reddere ſcimus: ita ſpirituales viri interiori ſenſu per ſpeciale donum Dei diſtinguunt bonum à malo ſpiritu: cuius diſtinctionis quandoque rationem ſciunt, & quandoque neſciunt; ergo poterit Deus ſimili guſtu mentis inclinare ad aſſenſum illius principij fidei, quod ſuprà diximus, quamuis nulla illius expreſſa ratio proponatur, quæ per diſcurſum probetur.

Ex his ſoluitur quarta difficultas, quæ ita ob- 11.

iicitur. Motiuum aſſentiendi, & amandi debet eſſe cognitum. Sed barbaris eſt prorſus incognita diuina motio, qua interiùs ipſi moueantur à Deo; ergo hæc eadem motio non eſt illis motiuum aſſentiendi, & amandi obiectum ſupernaturale, implicitè, & virtualiter ſibi propoſitum.

Motiuum duplex eſt quod debeat cognoſci. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, ſimul & concluſionem: aliud namque eſt motiuum per modum obiecti, aliud verò per modum cauſæ efficientis (ſiue propriè, ſiue reductiuè ad hoc genus cauſæ pertineat.) Primum quidem motiuum debet eſſe cognitum ſaltem implicitè, & virtualiter, & huiuſmodi motiuum non eſt interior motio, ſed potiùs terminorum immediata vnio ratione ſui ad modum primi principij, cui ſine diſcurſu aſſentimur: vt in præcedenti diffinitione dicebamus. Sed aliud motiuum, quod non per modum obiecti, ſed tantùm per modum efficientis cauſæ mouet, non debet eſſe cognitum; ſed quamuis penitus ignoretur, mouebit, ſicut contingit perſæpe hominibus, qui exiſtimantes ſe eſſe ab omni paſſione liberos, nihilominus ab illa ipſa mouentur, vt ſiniſtrè de rebus iudicent; atque ad illas malè afficiantur animo. Sic ergo interior motio, qua Deus impellit barbarorum mentes, non per modum obiecti, ſed per modum efficientis mouet; ideóque poteſt eſſe motiuum, quamuis penitus ignoretur.

12. Quinta difficultas, quoniam ex præcedentibus ſolutionibus ſequitur nullum adultum eſſe, qui fidem inuincibiliter ignoret, quoniam omnes fidei notitiam conſequentur, ſi quod in ipſis eſt, faciant, cooperando gratiæ præuenienti, quæ omnibus facilis & expedita tribuitur modo ſuperiùs explicato.

Reſpondetur negando ſequelam; quia quamuis conſequuturi ſint notitiam fidei, ſi cooperentur gratiæ excitanti: poſſunt inuincibiliter ignorare ſuam obligationem, cooperandi, & aſſentiendi prædictæ gratiæ excitanti. Deinde quamuis hanc obligationem non ignorarent inuincibiliter; nihilominus inuincibiliter ignorant, prædictam cooperationem, & aſſenſum eſſe medium neceſſarium, ad obtinendam notitiam fidei; eáque ratione inducere obligationem. Vnde conſequens eſt, propter ignorantiam inuincibilem huius obligationis excuſari ab ea culpa, quæ formaliter conſiſtit in præcludendo aditu fidei, quamuis ab alia culpa non excuſentur: de quo fuſiùs in materia de fide.

13. *Nullus longo tempore gratia ſine culpa caret.* Nihilominus abſolutè verum eſt, nullum adultum longo tempore vitæ carere gratia & fide, ſine aliqua culpa perſonali, qua præuenienti gratiæ reſiſtit, aut illi opponit impedimentum; quamuis ea culpa directè & formaliter non violet obligationem acquirendi fidem & gratiam. De hoc impedimento liberè appoſito videndus eſt Proſper libro ſecundo de vocat. Gentium capite decimo quinto, aliàs 5. & ſanctus Thomas 3. contra Gentes cap. 159.

SECTIO VI.

Satisfaciens alijs difficultatibus, quæ circa varia puncta præſentis diſputationis occurrunt.

Prima difficultas. Quoniam ſi de lege ordinaria ſola præueniens gratia ſufficit, vt obiectum ſupernaturale proponat modo ſupradicto, ſequitur de lege ordinaria non eſſe neceſſarium, audire prædicationis verbum. Conſequens autem eſt contra Paulum Rom. 10. dicentem: *Quomodo credent eum, quem non audierunt: quomodo autem audient ſine prædicante?* Vnde concludit. *Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti.* 1.

Implicita fides prædicatione nõ eget. Reſpondeo, & dico primò. Fides implicita, inchoata, & obſcura, in qua tota præſens diſputatio verſatur, non prærequirit prædicationis verbum propter rationes poſitas in ſectione ſecunda, tertia, & quarta.

Dico ſecundò: Fides explicita, & integrè conſtituta in ſua propria quidditate, prærequirit prædicationis verbum, & de hac præcipue loquitur Paulus Rom. 10. Vnde Auguſtinus de prædeſtinatione Sanct. cap. 7. de Cornelio ſic loquitur: *Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus.* Ergo ſine aliquo prædicante Euangelium Cornelius ſaluus eſſe non poterat. Quod idem Auguſtinus repetit lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. vbi præſertim notanda eſt illa metaphora: *Non ſolùm concipi, ſed & naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam.* id eſt, non ſolùm inchoatam fidem, & implicitam virtute gratiæ præuenientis concipere; ſed etiam ad explicitam fidem Chriſti, audito prædicationis verbo, in lucem prodire opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam. Sed de hoc plura in materia de fide. 2. *Fides explicita ea eget.*

Dico tertiò, ſi quis velit in prædicto teſtimonio Pauli, prædicationem, & auditum ſpiritualem interpretari, poterit comprehendere non ſolùm explicitam, & natam fidem; ſed etiam implicitam, & recèns conceptam, vt Chriſtus Dominus Ioan. 6. *Omnis qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad me.* De qua interiori ſchola, & doctrina ſæpe incidit mentio ſuperiùs, & plura dicemus infrà diſp. 39. ſect. 2. & ſequentibus. 3. *Spiritualis auditus.*

Accedit Paulum fortaſſe prædicantis nomine comprehendere non ſolùm Angelos, aut homines; ſed etiam quæcunque obiecta ſenſibilia, ex quibus diuina gratia occaſionem ſolet accipere, excitandi homines ad ſupernaturalem cognitionem & affectum. Quo ſenſu non ſolùm Apoſtolos, ſed etiam corporeos cœlos comprehendere poteſt ſententia, quæ ſubiungitur. *Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Nec mirabitur Paulum hac mente fuiſſe loquutum ad Rom. 10. qui recordatus fuerit, pluuias & tempora fructifera teſtimonium Dei appellari ab eodem Apoſtolo Actuum 14. vt ponderauimus ſuprà ſectione ſecunda, probat. prima. 4.

Secunda difficultas inquirit, vtrùm ille aſſenſus, qui datur primæ gratiæ præuenienti, ſolummodo implicitè proponenti ſupernaturale obiectum, ad iuſtificationem ſufficiat; ſi addatur illi actus ſpei, & contritionis, cum Baptiſmo in re, vel in voto ſuſcepto. Huius ſolutio ex dictis nuper deducitur manifeſtè: 5.

aſſenſus

aſſenſus ille non eſt ſufficiens ad iuſtificationem; ſed neceſſarium eſt, creſcere vſque ad fidem explicitam Chriſti, ſine qua de lege ordinaria nunquam exiſtet actus, qui ſit ſpes propriè dicta, & multo minus contritio propriè dicta. Erût tamen inchoationes quædam ſpei, & contritionis. Cæterùm quæ myſteria, quanta luce, & explicatione in lege naturæ, ſcripta, & euangelica, neceſſarium ſit credere, ſiue neceſſitate finis, ſiue neceſſitate præcepti, remittimus in proprias diſputationes de fide.

6. Tertia difficultas, quia ex dictis ſequitur, in quolibet infideli fuiſſe plures actus ſupernaturales ex parte intellectus, & voluntatis, quibus excitaretur ad fidem: hoc autem videtur abſurdum in homine, ſuis erroribus pertinaciter adhærente.

Reſpondetur. Si actus illi ſupernaturales deliberati forent, adhibito conſenſu libero; tunc fortaſſe inconueniens eſſet illos concedere in homine pertinaciter infideli; ſed actus indeliberatos in homine, ſine homine cauſatos à Deo, ad inſtar motus primo primi conuenientiſſimum eſt, perditiſſimis quibuſque infidelibus dari, vt quantum eſt ex parte Dei, prouocentur ad fidem; neque illorum honeſtas, & dignitas commendat, ſed potiùs vituperat eiuſmodi perſonas; ſicut econtrario turpiſſimæ quæque ſuggeſtiones dæmonis non vituperant, ſed commendant perſonam iuſti, per gratiam viriliter repugnantis.

7. Quartò Vega in Tridentinum lib. 6. cap. 20. multis argumentis contendit, non omnes adultos excitari ſupernaturali cognitione, ſed prætermiſſis aliis, quæ facilè ſoluuntur ex dictis. Vnicum huius authoris argumentum profero. Si omnes barbari excitarentur ad ſupernaturalem cognitionem; ſequeretur omnes eſſe Prophetas, aut ſaltem aliquando prophetare, tunc videlicet, quando explicita fides illis ſine prædicatore reuelatur.

Argumentum Vega.

8. Reſpondeo primò conſequentiam multiplici ratione claudicare. Primò, quia non omnes barbari, ſed ſi aliquis rariſſimus, explicitam fidei reuelationem accipiunt abſque prædicatore. Vnde non prophetant, quantum attinet ad fidem explicitam. Secundò actum fidei implicitæ, & inchoatæ, de qua hucvſque locuti ſumus, perpauci infideles liberè eliciunt ad præſentiam prædictæ gratiæ præuenientis, antequam Euangelij prædicatores audiant; ſed potiùs eidem gratiæ cooperari, ferè omnes infideles contemnunt, quapropter non prophetant, quod attinet ad fidem implicitam.

9. Tertiò gratia præueniens, quæ datur omnibus barbaris, non eſt actus, nec habitus prophetiæ, propter duo præſertim diſcrimina. Primum, quia prophetia certò, & ſine dubitatione dictat, Deum, aut eius nomine Angelum eſſe, qui loquitur. At verò gratia præueniens illa, in qua verſamur, aut nullo modo, aut non ſine ambiguitate dictat Deum eſſe qui loquitur. Secundum diſcrimen, quia prophetiæ non poteris diſſentire, licèt velis: at verò præuenienti gratiæ poteris diſſentire, ſi velis. Propter hoc diſcrimen, etiamſi per reuelationem tribueretur barbaro fides explicita, non eſſet propriè prophetia; quandiu eidem foret integrum reuelatis diſſentire, ſi vellet.

Gratia præueniens Barbaris data non eſt prophetia.

Prophetiæ diſſentire non poſſumus.

10. Reſpondetur ſecundò. Nullum foret inconueniens concedere, actum aliquem prophetiæ communicari pauciſſimis hominibus, quibus fortaſſe fides explicita ſine prædicatore reuelata fuit, eo quòd præuenienti gratiæ cooperatores, fecerint, quod in ſe eſt. Nam ſiue prophetia differat à fide, ſiue non differat ſpecie, metaphyſicè conſiderata vtriuſque quidditate (quod nihil ad præſens attinet) cæterùm quantum ad Theologicam conſiderationem ſufficientiæ ad iuſtificationis initium, non differunt ſpecie. Quoniam virtute prophetiæ poſſet homo mereri de congruo, & impetrare vlteriora auxilia, vt ſperaret, diligeret, & pœniteret, ſicut oportet; etiamſi nullam fidem accepiſſet alterius ſpecificæ quidditatis.

11. Reſpondetur tertiò. In barbaris hominibus propriè reperietur inſtinctus propheticus, quando probabiliter, & cum formidine cognoſcunt, Deum eſſe, qui ad eos loquitur. In hoc enim Doctores propheticum inſtinctum à prophetia ſolent diſtinguere. Cæterùm communi lege neque prophetia, neque inſtinctus propheticus tribuitur barbaris: quoniam Deum eſſe, qui ad eos loquitur, penitus ignorant.

12. Quinta difficultas verſatur in examinanda honeſtate illius dubitationis, quam ſect. 4. in principio diximus, cauſari aliquando per gratiam præuenientem, hoc enim conſtabit eſſe impoſſibile, ſi dubitatio fuerit turpis, & contraria diuinæ legi. Quoniam gratia non niſi ad honeſtum, & diuinæ legi conſonum inclinare poteſt. Eſſe autem turpem atque contrariam diuinæ legi, probatur, quia eſt certiſſimæ veritati contraria, cui debetur aſſenſus determinatus, & certus: at contra certitudinem, atque determinationem ambiguitas pugnat.

Confirmatur primò. nam peccatum infidelitatis eſt, de rebus fidei dubitare.

Confirmatur ſecundò. nam etiam voluntas habet ſuum genus dubitandi de violanda, vel ſeruanda lege diuina, quam conſtanter, & abſque ambiguitate ſeruare tenetur. Ideóque prædicta dubitatio ex genere mortale peccatum eſt.

13. Reſpondetur diſtinguendo duplex dubium, ac duplicem illius rationem formalem. Alterum dubium eſt, quo à vero, & à bono, cui adhærebas, recedens, ad falſum accedis & turpe, incipiens habere aliquam illius complacentiam, quæ ad æquilibrium mentem reducit; quaſi nouo pondere poſito in altera libræ lance, quæ priùs exigui ponderis reputabatur in animo. Huiuſmodi dubium turpe eſt, fidei, & charitati cõtrarium, vt argumentum demonſtrat, & eius confirmationes.

Duplex dubium.

14. Alterum dubium eſt, quo à falſo & turpi, cui adhærebas, recedens, ad verum & honeſtum accedis, incipiens habere aliquam veri, & honeſti complacentiam, quæ ad æquilibrium mentem reducit, quaſi propria virtutis amplitudine, atque illius pondere denuo poſito in altera libræ lance, quæ priùs nullius ponderis reputabatur in animo, cùm deberet eſſe ſummi. Huiuſmodi dubitationem, conſtat continere inchoationem veri, & boni, ac proinde ſub hac ratione, cum vero, & bono non pugnat; quamuis ſecum patiatur aliquid repugnans bono, & vero, quod repugnans non cauſatur à gratia præueniente, ſed ſolummodo illud, quod vero & bono fauet, quaſi conceptum illius ſemen.

15. Sexta difficultas eſt. Fides alicuius barbari, ignorantis myſteria fidei, & ſolummodo dubitantis, & deſiderantis cognoſcere veritatem, eſt longè imperfectior ea fide, quam per vires naturæ aliquãdo elicit hæreticus, qui firma adhæſione

intellectus & voluntatis aſſentitur diſtinctè plurimis fidei myſteriis, ſed hæc propter ſuam imperfectionem non ſufficit, præbere iuſtificationis animum. Ergo neque illa.

Soluitur. Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Nam ſecundum quid eſt imperfectior, quatenus non habet aſſenſum determinatum, nec notitiam expreſſam: cæterùm ſimpliciter eſt perfectior, quem *Inchoatæ fidei perfectio.* perfectionis exceſſum incomparabilem cum altera probat primò illius quidditas ſupernaturalis: ſecundò eius cauſa, quæ debet eſſe gratia.

16. *Certitudo.* Tertiò eundem perfectionis exceſſum probat modus attingendi obiectum, in eo ſenſu certiſſimus, quoniam contradictionem implicat, inclinare ad falſum: ac proinde quidditas eius, ſi cognoſceretur, certò tribueret infallibilem certitudinem de obiecto, quod repræſentat; ſed quia non cognoſcitur, non reddit certum habentem, ſed patitur adhuc dubitationem in animo.

Confirmatur. Confirmatur exemplo plurimorum actuum prudentiæ ſupernaturalis ad particulares actiones dirigendas deſtinatæ. Qui licèt plerumque admixtam habeant dubitationem aliquam: nihilominus eo ſenſu certiſſimi ſunt, quoniam qui ſequitur eorum ductum, errare non poteſt. Idem intellige de inſtinctu prophetico, & quolibet alio inſtinctu Spiritus ſancti ſecum admittente ignorantiam, vel dubitationem de ſuo authore.

17. Quartò eumdem probat exceſſum, prædictæ fidei virtus & effectus, videlicet quantum ex ſe eſt, perducere ad certam fidem, & perfectam, quam virtualiter, & quaſi in ſemine continet.

Quintò probat eius contrarium. nam huiuſmodi fides repugnat cum pertinacia propria infidelitatis, per quam adhæretur erroribus fidei contrariis; aut ſaltem incipit ab ea pertinacia aliquantulum recedere, vt captiuet intellectum in obſequium fidei: his autem perfectionibus caret illa fides humana, quæ hæreticus aſſentitur aliquibus myſteriis fidei.

18. Solutionem explico à ſimili, quia quantum ad omnes operationes vitæ ſenſitiuæ, & quandam imitationem humanæ & rationalis aſtutiæ, ſimia, præſertim, quæ inter homines diu verſata ſit, lógè perfectior eſt humana embrione, præſertim antequam infundatur anima rationalis. Nihilominus abſolutè perfectio eſt embrio humanæ naturæ: quoniam virtute continet hominem, & requirit perfectiorem cauſam: ideóque initium eſt vitæ humanæ. Nunc verò fides illa, qua hæreticus plurima myſteria fidei firma adhæſione humana diſtinctè credit, eſt ſimia veræ fidei, ſed aliud deſiderium ſalutis, & inchoata fides, etiam dubitans, vel ignorans, eſt veluti embrio veræ ac perfectæ fidei. Cætera facilè applicabis.

19. Septima difficultas ex dictis ſequitur, non eſſe actum fidei illum ſupernaturalem aſſenſum, qui primus elici poteſt virtute primæ gratiæ præuenientis, ſuperiùs explicatæ. Conſequens autem eſt falſum: ergo & antecedens. Sequelam probo, quoniam fidei actus habet pro ratione formali diuinam veracitatem reuelantem, & ab Eccleſia propoſitam, quæ ratio formalis non reperitur in illo primo aſſenſu, imò neque certitudo requiſita ad eſſentiam fidei. Sed conſequentis falſitas probatur, quoniam prima vocatio, & excitatio Dei debet eſſe ad fidem: ergo primus ille actus, quem barbarus elicit per gratiam præuenientem, debet eſſe aſſenſus fidei. Secundò quoniam fides eſt initium cuiuſque meriti, & impetrationis ſuprà diſput. 19. ſect. 3. & 4. Sed barbarus per primum ſupernaturalem aſſenſum de congruo meretur, & impetrat vlteriora auxilia: ergo ille aſſenſus eſt actus fidei.

Reſpondeo, & dico primò. Metaphyſicè loquendo, prædictus aſſenſus inchoatæ fidei ſpecie diſtinguitur à fide iam facta, & quaſi adulta. 20. *Diſtinctio à fide iā facta.*

Probatur primò, quoniam hæc fides mouetur à diuerſo obiecto formali, & diuerſo modo propoſito, nempe à diuina veracitate reuelante, & per Eccleſiam propoſita; ſed fides inchoata, tanquam ab obiecto formali mouetur à terminorum immediata vnione per modum primi principij ſuprà ſect. 5. num. 8. & ſequentibus.

Secundò, quia fides inchoata eſt incerta, & quandoque eſt mera dubitatio, ſed altera fides eſt aſſenſus determinatus, & certus.

Tertiò, quia prædictam ſpecificam diſtinctionem planè ſupponit Catechiſmus Pij V. paulo ante expoſitionem Symboli; quando ait: *Fides autem, quamquam latè pateat, & magnitudine, ac dignitate differat (eſt enim ſic in ſacris litteris: Modicæ fidei, quare dubitaſti? &, magna eſt fides tua, &, adauge nobis fidem; item, fides ſine operibus mortua; & fides, quæ per charitatem operatur) tamen eſt idem genere, & diuerſis fidei gradibus eadem definitionis vis, & ratio conuenit.* 21. *Catechiſmus Py V.*

Quartò, quia propter hanc metaphyſicam diſtinctionem quandoque Patres de inchoata fide loquuntur, quaſi de actione, quæ fidem præcedit, & ipſa non eſt fides. Sic enim Gregorius homil. 9. in Ezechielem inter principium & medium ait: *Neque fides ſine operibus, neque opera adiuuant ſine fide, niſi fortaſſe pro fide percipienda fiant, ſicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audire, quam fidelis exiſteret. Qua ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat. Nam cui ab Angelo dicitur: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei; & mox pro eadem aſcenſione præcipitur, vt ad Simonem mittat, qui ei veniens prædicare debeat, conſtat, quod hoc fecit, vnde meruit exaudiri.* Nota exceptionem, in qua ſine fide adiuuant opera, videlicet, quæ pro fide percipienda ſunt: ergo nondum percepta eſt fides. Cùm tamen idem Gregorius aliàs non ſemel huiuſmodi inchoationem ſoleat appellare fidem; vt hom. 19. in Ezechielem. 22.

Et Titus Boſtrorum Epiſcopus ad illa verba Lucæ 14. *Compelle, intrare*, ait, *Donum fidei a Deo non ſine precibus obtineri ſolet.* Pondera preces ante fidem habere vim obtinendi fidem; ergo ſupernaturalis cognitio, cui preces nituntur, non eſt fides; intellige, iam facta & adulta fides. nam inchoata prærequiritur. Habentur illa verba in Bibliotheca homiliarum tomo 3. Dominica 2. poſt Pentecoſtem. 23.

Dico ſecundò. Nihilominus in genere moris, atque in ordine ad iuſtificationem, vterque aſſenſus reputatur ad eandem ſpeciem pertinere, ideóque propriè & theologicè loquuntur Patres, fidei appellatione; comprehendendo etiam aſſenſum inchoatæ fidei implicitæ & dubiæ, veluti quando aſſerunt fidem eſſe primam radicem, & fundamentum ſpiritualis vitæ, neminémque ſine fide placere Deo, neque actum de congruo meritorium, vel impetratorium elicere. 24.

Confirmatur primò, quoniam in ordine ad conſeruationem vniuerſi, & Reipublicæ bonum reputantur, vt vnum, recèns conceptus filius, & iam informatus animæ rationali. Vnde ſimile 25.

gaudium,

gaudium,& ſpem propagandæ familiæ, ſimilémque protectionem, curam,& prouidentiam in parentum animis generare ſolet; præſertim quoniam,iſtæ inchoationes rerum non propter ſpeciem ſibi peculiarem, ſed propter perfectiores ſpecies,ad quas quidditatiuè deſtinantur,inductæ ſunt à natura. Idem proportione ſeruata dictum exiſtima de fide inchoata comparatione fidei factæ & adultæ, ſupponendo illud Auguſtini lib.1. ad Simplic. quæſt.2. prope initium: *Sunt ergo inchoationes quadam fidei, conceptionibus ſimiles.* quæ videlicet ab authore gratiæ, non propter ſpeciem ſibi peculiarem; ſed propter fidem explicitam inductæ ſunt, ad quam quidditatiuè deſtinatur, ſicut ad terminum via,& medium ad finem.

Confirmatur ſecundò, quoniam etiam hæc inchoata fides nititur diuinæ veracitati, & ex ea quamdam certitudinem participat, modo explicato ad ſextam difficultatem num. 15. & ſequentibus.

DISPVTATIO XXVI.

Vtrùm ex viribus naturæ detur cauſa prædeſtinationis ad gratiam, vel ad gloriam.

1. QVONIAM affirmatiua pars erat vnus ex articulis Maſſilienſis erroris ſuprà diſput. 14. ſect. 4. eius impugnatio non debuit in hoc loco prætermitti; præſertim, quoniam omnia illius fundamenta iam ſunt conſtituta, vt nihil reſtet operoſum. Ex authoribus catholicis eandem partem affirmauerunt aliqui authores citati diſput. 21. præſertim Bacho, Argentina,& Iauellus ibi ſect.4. num.9.14 & 17.& Michael de Medina ſect.5.num.7.

2. *Prædeſtinationis nulla ex viribus naturæ cauſa.* Nihilominus ſit prima concluſio. Electionis, ſiue prædeſtinationis ad gratiam,ſiue ad gloriam, nullum initium,nullámve cauſam, rationem,meritum, impetrationem, diſpoſitionem, conditionem, aut occaſionem præberi poſſe à nobis per ſolas vires naturæ,abſque auxilio gratiæ.

Probatur primò, quoniam quæcunque actio ſolis naturæ viribus concepta, quocunquemodo ex dictis valeret aliquid, vt Deus illius intuitu nos eligeret ad conferendam nobis gratiam, aut gloriam; eo ipſo valeret,vt nos obtineremus gratiam & gloriam: ſed tota diſputat. 17. 18. & 20. demonſtratum eſt, actiones eiuſmodi nihil prorſus valere,vt obtineamus à Deo gratiam, vel gloriam. Ergo nihil valent vt Deus nos illarum intuitu eligat, ad conferendam nobis gratiam, vel gloriam.

3. Confirmatur primò,quoniam quicunque actus foret quocunque modo ex dictis ratio, cuius intuitu Deus nos eligeret ad gratiam, vel ad gloriam, idem actus foret ratio, cuius intuitu Deus nobis conferret vocationem efficacem, & ſecundùm propoſitum quæ primarium prædeſtinationis inſtrumentum eſt. Conſtat autem ex diſp. 20. ſect.3. num. 3. peculiari certitudine excludi omnem rationem,petitam ex viribus naturæ ad conferendam vocationem efficacem, & ſecundùm propoſitum.

4. *Virtualis definitio.* Confirmatur ſecundò, quia quamuis à Conciliis, & ſummis Pontificibus,citatis ſuprà diſp.17. non definiatur expreſſè hoc,quod de prædeſtinatione diximus,nihilominus virtualiter definitur, quoniam euidenti illatione deducitur ex eorum definitionibus, præſertim ex canone 12.Concilij Arauſicani. *Tales,* inquit, *nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito,* & canone 25. in principio. *Diſplicentes amati ſumus, vt fieret in nobis vnde placeremus.* Id denique ab Auguſtino, Proſpero, & Fulgentio expreſſè traditur,vt oſtendemus tomo ſequenti tractantes de cauſa prædeſtinationis.

Confirmatur tertiò, quoniam ij Patres hunc etiam articulum de electione ad gloriam, facta propter opera merè humana tanquam ſanæ doctrinæ contrarium ſugillant, & inter Pelagianorum reliquias cenſent ſuprà diſp.14.ſect.4.

Probatur ſecundò. quamuis enim ex viribus naturæ daretur ratio, & cauſa gratiæ, adhuc non daretur cauſa prædeſtinationis ad gratiã, & ratio eſt, quoniam actiones honeſtæ elicitæ per ſolas vires naturæ, eſſent effectus prædeſtinationis ad gratiam; quoniam eo fine Deus nos moueret ad eas actiones moraliter bonas, vt per eas obtineremus gratiam,ad quam nos prædeſtinauerat. 5.

Confirmatur primò, quia Doctores non pauci quamuis admittant, ex viribus naturæ dari cauſam meritoriam de congruo, aut diſpoſitionem remotam ad gratiam; adhuc tamen exiſtimant, prædeſtinationis nullam eſſe cauſam, quoniam actiones moraliter bonæ ſunt effectus prædeſtinationis, ita Durandus,Richardus, Scotus, Driedo, & quidam alij ex citatis ſuprà diſputat. 21. ſectione 4.

Confirmatur ſecundò, quoniam actiones elicitæ per auxilia ſupernaturalia, ſunt cauſa accipiendæ gratiæ iuſtificantis; & actiones ſupernaturales, in gratia elicitæ, ſunt cauſa de condigno meritoria gratiæ, nihilominus non ſunt cauſa prædeſtinationis ad gloriam, quoniam ſunt effectus prædeſtinationis ad gloriam; ergo quamuis actiones moraliter bonæ eſſent cauſa gratiæ, non protinus eſſent cauſa prædeſtinationis ad gratiam. *Supernaturales actiones non ſunt prædeſtinationis cauſa.*

Tertiò probatur, quod attinet ad prædeſtinationem gloriæ, quoniam quamuis aliquis homo per actiones moraliter bonas, elicitas ſolis naturæ viribus, obtinuiſſet prædeſtinationem ad auxilia ſupernaturalia, vel etiam ad iuſtificantem gratiam, non protinus obtinuiſſet prædeſtinationem ad gloriam: quoniam vt longo tempore perſeueret in gratia, indiget ſpeciali auxilio ſupernaturali, inſuper vt matura morte colligatur ad gloriam eo tempore,quo perſeuerat in gratia, neque detrudatur ad inferos, tùm primùm in mortale fuerit lapſus indiget ſpeciali protectione Dei, qua deficiente multi, qui priùs iuſti fuerant,propter peccata commiſſa damnantur. 6.

Confirmatur, quoniam quamuis actiones elicitæ per vires naturæ, eſſent cauſa meritoria gloriæ; non protinus eſſent cauſa prædeſtinationis ad gloriam, propter ea quæ diximus probat.2. 7. *De potentia abſoluta potuit ex naturæ viribus dari prædeſtinationis cauſa.*

Sed peris, vtrùm de potentia abſoluta potuerint actiones, elicitæ per ſolas vires naturæ, eſſe cauſa, vel ratio prædeſtinationis ad gratiam, vel ad gloriam.

Reſpondeo, & ſit concluſio affirmatiua, quoniam præſcindendo à decretis diuinis,vt de facto ſunt, non inuoluit contradictionem, ſi Deus ab æterno decreuiſſet illis conferre gratiam, & gloriam, de quibus præuidiſſet, fore vt per vires naturæ magis ſibi à peccatis temperarent, &

magis incumberent in morales virtutes: ita vt ratio ob quam huic homini potius, quàm alteri gratia & gloria tribueretur, eſſent præuiſa opera ex viribus naturæ elicienda: ante quorum præuiſionem non exiſteret determinatum decretum de ſalute hominis. Cæterùm quamuis hoc non inuoluat contradictionem, dedecet dignitatem gratiæ, & ordinatiſſimam Dei prouidentiam; quare eo modo impoſſibile eſt, quo impoſſibile eſt à Deo perturbari ordinem vniuerſi ſine fructu maioris boni, & præter ſapientiæ leges gubernari res naturales atque ſupernaturales.

DISPVTATIO XXVII.

Vtrùm Chryſoſtomus docuerit actiones ſolis naturæ viribus elicitas præbere iuſtificationis initium.

SECTIO I.

Quanta neceſſitas cogat, Semipelagianiſmi ſuſpicionem à Chryſoſtomo, cæteriſque Patribus Auguſtini prædeceſſoribus propulſare.

1. IN ſequenti diſputatione dicemus ſigillatim de ſingulis antiquioribus, etiam Latinis, ſed præcipuè de Græcis Patribus; in præſenti verò dicemus generaliter de omnibus: ſed peculiariter de Chryſoſtomo, cuius hoc tempore ſententia per calumniam traducitur. Vtranque diſputationem ad finem iſtius tractatus reſeruabimus, ne lectoris memoriam obrueret, antequã placidè abſque faſtidio tanti laboris vero dogmate, & eius rationibus imbueretur.

2. *Caſſianus Chryſoſtomi diſcipulus.* Supponendum eſt primum, Caſſianum in Eccleſia Græca didiciſſe doctrinam ſacram, & in primis Chryſoſtomi fuiſſe diſcipulum, vt omnes cum Trithemio fatentur, & ipſe Caſſianus de Incarnatione aduersùs Neſtorium lib. 7. in fine, de Ioanne Chryſoſtomo ita loquitur: *Ille me docuit, ac per hoc non tam meum hoc, quàm illius eſſe creditur.* Videri poteſt Baronius tomo 5. anno 404. §. *poſt Paladium.*

3. Prætetea certum eſt, Caſſianum ita ſuos magiſtros intellexiſſe, vt idem ipſum aſſererẽt, quod ipſe docuit de initio gratiæ per vires naturæ, vt conſtat ex lib. 12. de inſtitutis renunciantium, cap. 13. & 14. Vbi de ſua doctrina circa humanos conatus & labores, quibus ſubiungatur gratia, ſic loquitur: *ſed plane conſtantiſſimè non mea, ſed ſeniorum ſententia definio.* & in cap. 13. dixerat. *Tempus eſt, vt ipſis, quibus tradunt, verbis Patrum ſententiam proferamus, eorum ſcilicet, qui viam perfectionis, & qualitatem eius non verborum iactantia depinxerunt; ſed potiùs re, & opere, ac virtute ſpiritus poſſidentis, experimentis eam proprijs, & exemplis certiſſimis tradiderunt.* Quibus ſimilia ſcribit collat. 13. Abbatis Cheremonis cap. 18. in principio, dicens: *Per quod euidenti ratione colligitur, ab his, qui non loquacibus verbis, ſed experientia duce,* &c. & poſt medium capitis. *Hoc ab omnibus Catholicis Patribus definitur; qui perfectionem cordis non inani diſputatione verborum, ſed re atque opere didicerunt diuini eſſe muneris.*

Iis verbis ex obliquo vanitatis notare videtur Auguſtini, & diſcipulorum eius ſubtilitates, quibus acriter pungebatur, & ſupra vires vrgebatur. Sed Caſſiano vicem reddidit Proſper epiſtol. ad Demetriadem (quæ apud Ambroſium tom. 3, lib. 10. eſt epiſtola 84.) vbi pagina 4. fine ait, *Viros meritis, & heroicis virtutibus claros, per elationem & ſuperbiam in hunc errorem deueniſſe.* & lib. contra Collatorem in peroratione dicit. *Per ſuperbiam paucorum, & aliorum imperitiam hæc eſſe turbata.* Vbi nullus magis quàm Collator notari poteſt ſuperbiæ, qui ſibi ſuiſque rem, opus, experientiam atque virtutem ſpiritus arrogauerit; ſed ſuis antagoniſtis vaniloquas tantùm reliquerit ſubtilitates, cùm tamen econtrario fuerint ſanctitate præclari. 4. *Nouitatis Auguſtinum arguit Caſſianus.* *Collatoris ſuperbia notatur.*

Certum eſt, Maſſilienſes in eodem ſenſu accepiſſe doctrinam omnium antiquorum Patrum, & præſertim Orientalium. Nam, vt referunt Proſper, & Hilarius in epiſtolis ad Auguſtinum, Maſſilienſes obſtinationem ſuam vetuſtate defendentes, oppoſitam ſententiam nouitatis accuſabant, vt contrariam menti omnium Eccleſiaſticorum. 5. *Antiquis Patribus ſuã imponebat doctrinam.*

Confirmatur, quoniam Caſſianus præcipuus Maſſilienſium magiſter fuit, ſuprà diſputat. 14. ſect. 1. num. 3. & 4. Quapropter quod ipſe exiſtimauit, hoc etiam diſcipulos docuit, eſſe germanam interpretationem antiquorum Patrum.

Nec deſunt hoc tempore viri ſapientia non minus inſignes, quàm zelo catholicæ pietatis, qui nolentes Caſſiano, & Maſſilienſibus maximum præſidium ferant, dum exiſtimant Patres antiquiores Auguſtino, præſertim Græcos, maximè verò Chryſoſtomum, plus æquo extuliſſe vires arbitrij, proindéque minus rectè de initio gratiæ fuiſſe locutum, quo in iudicio non eorum tantummodo Patrum, ſed totius etiam Eccleſiæ res agitur, quia non tam eorumdem authoritas, quàm recentiorum, præſertim Auguſtini, maximè verò Romanorum Pontificum in diſcrimen vocatur. 6. *Caſſiano quidam præſidiũ ferunt.*

E contrario tamen, vt huius cauſæ patrocinium ſuſcipiat ſtrenuus quiſque profeſſor Theologiæ, mouent plures vrgentiſſimæque rationes. 7. *Defenduntur Patres Græci.*

Prima, quoniam liberi arbitrij hoſtes hac tempeſtate magnum ſui erroris prædium collocant, in accuſandis Græcis, ac præſertim Chryſoſtomo, quod in extollendo libero arbitrio modum exceſſerint, vt hac exceptione omnia eorum teſtimonia taxantes à iure ſuffragij, depellant antiquiores nobiliores, locupletioréſque teſtes libertatis, quæ ſibi dominetur, vt poſſit in vtramuis partem ſe flectere, ſiue ad malum ſine gratia, ſiue ad bonum cum auxilio diuinæ gratiæ. Quæ teſtimonia vidimus tomo de ſcientia Dei à diſp. 39. vſque ad 44.

Sic Caluinus apud Ruard. articul. 7. pag. 371. ait; *Græci præ alijs, atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomus in extollenda humana voluntatis facultate modum exceſſerunt. Veteres autem omnes, excepto Auguſtino, ſic in hac re, aut variant, aut vacillant, aut perplexe loquuntur, vt certè fere nihil ex eorum ſcriptis referre liceat. Apud Latinos liberi arbitrij nomen ſemper extitit. Græci verò multò arrogantiùs vſurparunt vocabulum αὐτεξούσιον, quod ſignificat ſui ipſius poteſtatem, ac ſi illa eſſet penes hominem.* Veruntamen Patres nec variaſſe, nec vacillaſſe circa libertatem arbitrij, ſed conſtantiſſimè ſemper in eius aſſertione perſeueraſſe, conſtat ex nuper citatis 8.

Digitized by Google

citatis diſputationibus, præcipuè diſp. 43. ſect. 5. fine in tomo de ſcientia Dei.

9. Secunda ratio, quoniam non ſolùm Caſſiano, & Maſſilienſibus eripimus, quos violenter rapiunt in duces ſui erroris; ſed etiam catholico dogmati teſtes, & patronos reſtituimus numero, antiquitate, & pondere maiores.

10. Tertia ratio. Sic enim etiam cum catholicis diſputantes de indifferentia libertatis, plura & firmiſſima conſeruamus antiquitatis teſtimonia ab eo tempore, quo Petrus Apoſtolorum Princeps, cæterique Apoſtoli, & eorum proximè ſucceſſores de libertate diſputant contra Simonem Magum, Manichæos, Aſtrologos, aliáque illius ætatis monſtra, præſertim verò contra Ethnicos Philoſophos libertatis impugnatores, vt propterea nihil mirandum ſit, in cauſa libertatis clariorem, certiorémque lucem attuliſſe, quàm Patres ſequentis ætatis, qui ſupponentes, iam ſuo tempore circa libertatem arbitrij nihil ferè reſtare periculi, ſuas omnes vires contulerunt, ad propugnandam gratiam, circa quam eo tempore bellum vrgebat periculoſiùs.

11. Quarta ratio, quia quantum in nobis fuerit, Deo præſertim authore, debemus ſubtrahere occaſiones, ad quas plurimi offendunt, & ſcandalizantur, quando ſtudioſè ſe legunt antiquiores Patres. Quorum legitimam interpretationem ignorantes, vel ſibi hauriunt falſa dogmata pro veris, vel Patribus erroris lapſum imponunt.

Quinta ratio eſt generale præceptum orthodoxæ atque ſanè interpretandi, quoad fieri poſſit, verba cuiuſcunque Doctoris, qui pietate & doctrina claruerit; quæ charitatis, & iuſtitiæ lex vrget tanto magis, quanto maior eſt numerus antiquitas, & authoritas eorum Patrum, de quibus agitur in præſenti.

Sexta & præcipua ratio, quoniam firmiſſimis argumentis oſtenditur, prædictos Patres nihil ſiniſtrè de initio gratiæ ſenſiſſe, vt conſtabit tota præſenti, & ſequenti diſputatione.

SECTIO II.

Antiquos Patres generaliter rectè ſenſiſſe de iuſtificationis exordio.

1. *Antiqui Patres, idem quod Auguſtinus ſenſerunt.*

PRima concluſio ſit. Eccleſiæ Patres, qui Auguſtinum ætate præceſſerunt, de initio gratiæ, & cauſa prædeſtinationis, non ſumenda ex viribus naturæ, ſenſiſſe, atque docuiſſe idem, quod poſtea clariùs explicauit Auguſtinus, certum eſt, ſicut e contrario temerarium, & periculoſum videtur aſſerere, illos aduerſa & repugnantia docuiſſe, quamuis concedi poſſit non magis exactè explicaſſe, quam ſui temporis neceſſitas poſtulabat.

2. Probatur primò. Nam Auguſtini doctrinam, quæ defendebatur à Proſpero, & Hilario, fuiſſe antiquam; & eius contrarium errorem Maſſilienſium fuiſſe nouitatem, notat apertè Cæleſtinus epiſtol. 1. ad Epiſcopos Galliæ, quam totam eſſe deſtinatam ad defendendam doctrinam Auguſtini, Proſperi, & Hilarij, de iuſtificationis exordio, & neceſſitate gratiæ præuenientis, conſtat ex principio eiuſdem epiſtolæ, & cap. 2. In proœmio igitur epiſtolæ Cæleſtinus ita prohibet: *Non ſit illis liberum habere pro voluntate ſermonem. Deſinat, ſi ita res ſunt, inceſſere nouitas vetuſtatem.* Quæ verba egregiè ponderat Vincentius Lyrinenſis lib. aduerſùs hæreſes, propè finem, vbi etiam plurimis aliis argumentis confirmat, antiquam doctrinam eſſe catholicam; ac ſubinde non eſſe catholicam, quæ repugnat antiquitati.

3. Vnde ſumitur confirmatio prima. quamuis enim Cæleſtinus nihil expreſsè dixiſſet de antiquitate doctrinæ; nihilominus manifeſtum foret ſupponere, Auguſtini doctrinam non pugnare cum antiquioribus Patribus. Semper enim Sedi Apoſtolicæ fuit in ſumma veneratione antiquitas, præſertim eorum Patrum, qui quo propiùs aberant à Chriſto Domino & Apoſtolis, eo firmiùs, certiúſque mentem, & traditiones eorum retinebant.

Confirmatur ſecundò, quoniam omnes definitiones, quas tota illa epiſtola contra Semipelagianos conſtituit, eſſe compendium eorum, quæ antiqui Patres tradiderant, teſtatur in fine tertij capitis, dicens: *Conſtitutiones ſanctorum Patrum compendioſè manifeſtemus indiculo.*

Confirmatur tertiò. nam & Proſper contra Collatorem cap. 42. de Cæleſtino ſic loquitur: *Euidenter pronuncians, quantum ſibi præſumptionis iſtius nouitas diſpliceret, qua auderent quidam aduerſùs antiquos magiſtros inſolenter inſurgere.*

4. Probatur ſecundò. nam Arauſicanum Concilium, Leonis Primi authoritate directum, cap. 1. ait: *Pauca capitula, ab Apoſtolica ſede nobis tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt*, &c. & cap. 25. versùs finem vocat *definitionem antiquorum Patrum, noſtrámque, quæ ſubſcripta eſt.* Hæc vera eſſe nulla ratione poſſunt, ſi noſtra concluſio falſa eſt.

5. Probatur tertiò. nam Hormiſda Papa in epiſtula ad Poſſeſſorem poſt medium (quamuis non ſit exploratum, non eſſe ſuppoſititiam) doctrinam Auguſtini de gratia & libero arbitrio, contrariam libris Fauſti, approbat quaſi Apoſtolicæ, catholicæ, & antiquæ fidei conſentientem: & ante medium aduerſarios ſuggillans appellauerat. *Contemptores authoritatum veterum, nouarum cupidos quæſtionum, eo vſque tumoris elatos, vt ad arbitrium ſuum vtrinſque orbis putent inclinandum eſſe iudicium.* Alter orbis eſt Græcorum, alter verò Latinorum; vtrumque verò contrarium eſſe errori Semipelagiano Fauſti, Hormiſda declarat.

6. *Auguſtinus ſuam ſententiam antiquorum Patrum eſſe teſtatur.* Probatur quartò, quoniam Auguſtinus lib. 2. de bono perſeuerantiæ à cap. 17. vſque ad 19. probat, ſuam ſententiam eſſe omnium fidelium, & antiquorum Patrum, quorum aliquos refert, vt videbimus diſputat. ſequent. ſect. 1. & 3. & in epiſtol. 106. ad Bonifacium colum. 11. & 12. eandem doctrinam de initio gratiæ ex Palæſtino Concilio recitans, adiungit: *Hæc ſemper tenuit catholica Eccleſia.* Conſonat lib. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 14. & toto libro de geſtis Pelagij.

7. Confirmatur primò, quoniam non in hac ſolùm, ſed etiam in reliquis controuerſiis fidei Auguſtinus ſemper fuit diligentiſſimus explorator antiquitatis, eiuſdémque diſcipulus modeſtiſſimus, vt conſtat, præſertim lib. 1. & 2. aduerſùs Iulianum, & libro de gratia Chriſti à cap. 43. vſque ad finem, & libro de natura & gratia à cap. 61. vſque ad 65. Ergo procul ab eo fuit imprudentia, vel impudentia, qua ſcienter, aut ignoranter noua dogmata cuderet ſub ſigillo antiquitatis.

Confirma

Auguſtinus reuocauit errorem. Confirmatur ſecundò. nam Auguſtinus, teſtimonio Cypriani conuictus, reuocauit errorem de fide per vires naturæ obtinenda, vt fatetur lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap.3. initio. Ergo multo promptior foret, vt quemcunque ſenſum ſibi peculiarem, vel iam euulgatum rettactaret, vel recens erumpentem in ſua mente comprimeret, ac ſuffocaret, ſi pugnaturum crederet cum tota vniuerſalitate Doctorum.

8. Probatur quintò. nam Petrus Diaconus, & alij, qui in cauſa fidei à Græcis ex Oriente Romam miſſi fuerunt, de Incarnatione & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & de libero arbitrio ad Fulgentium, & alios Epiſcopos Africæ ſcripſiſſe librum, in quo initium iuſtificationis ex gratia eo modo, quo ab Auguſtino traditur, ducent eſſe totius Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ doctrinam & fidem Sanctorum Patrum. Notanda ſunt præſertim illa verba capitis primi. *Petrus Diaconus.* *In nullo ſanctam glorioſámque confeſſionem veſtram* (videlicet Fulgentij, & ſequacium) *credimus diſſentire, præſertim cum vno vbique Spiritu ſanctam Dei Eccleſiam vegetari minimè dubitemus. Non enim parua, imò potius magna lætitia vniuerſi replebuntur Orientales, ſi ſanctitatem veſtram ſuis, imò magis catholicis, nouerint, in omnibus conſentire dogmatibus.* & ad finem capitis ait: *Vt in fide ſanctorum Patrum perſeuerantes*, &c. Huic libro eiuſdem tituli de Incarnatione, & gratia Ieſu Chriſti reſcripſit Fulgentius, in quo à cap. 12. reſpondet eamdem ſententiam de initio iuſtificationis probans, quam Orientales profitebantur cum Petro Diacono, tanquam à ſuis maioribus acceptam.

9. Idem Petrus Diaconus in fine totius operis, poſtquam Cæleſtini, & Innocentij doctrinam de initio iuſtificationis ex præueniente gratia retulerat, ſubdit: *Hæc ad confutandum eorum amentiam, qui ea, vt noua dogmata, & penitus Eccleſijs inaudita refugiunt.* (& poſt pauca) anathematizat non ſolùm Pelagium, & Cæleſtium; ſed etiam *præcipuè libros Fauſti Galliarum Epiſcopi, quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe, non dubium eſt. In quibus non ſolùm contra horum omnium ſanctorum Patrum, verùm etiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens, humano labori ſubiungit gratiæ adiutorium.* Hæc Petrus.

10. *Caſſiani ſententia tutior foret.* Sextò probatur, quia ſi antiquiores Patres communiter de initio gratiæ, vel prædeſtinationis cauſa, ſumenda ex viribus naturæ, docuerant idem, quod Caſſianus, Maſſilienſes, & Fauſtus; conſequens erit, horum opinionem tutiorem fuiſſe, magiſque probandam maturioribus ingeniis, & catholicæ antiquitatis ſectatoribus. Quapropter iniquæ fuerint Pontificum, & aliorum Patrum aduersùs illos increpationes, quibus arrogantiæ, ingratitudinis, nouitatiſque notantur; cùm potiùs propter prudentiam, antiquitatẽ, ſtudium, & modeſtiam, qua iudicium proprium ſubmittebant antiquitati, commendandi fuiſſent, & de contrario vitiu Auguſtinus, & ſui forent vituperandi.

11. *Erraſſet Eccleſia.* Probatur ſeptimò, quia ſi antiquiores Patres modo ſupradicto, errauiſſent: inde ſequeretur Eccleſiam totam, vel ferè totam erraſſe in illis ſeculis, quæ Auguſtinum præceſſerunt. Conſequentis abſurditas manifeſtiſſima eſt. Sequela verò probatur, quia cùm primarij Theologiæ magiſtri errarent, neceſſarium erat alios ſuppares, vel inferiores illis prædicatores fidei vtplurimum erraſſe in eodem articulo; atque ſuum errorem inſtillaſſe in plebem fidelium, ſiue in publicis concionibus, ſiue in priuatis colloquiis, tã apud Græcos, quàm apud Latinos. Porrò quanto plures numero fideles, quanto grauiores doctrina, & authoritate Doctores, quanto diuturno magis tempore quod ab Apoſtolis fluxerat ad Auguſtinum vſque, quanto liberiùs ab omni contradictione alterius catholici Doctoris de initio gratiæ, & cauſa prædeſtinationis ſenſerunt, & docuerunt, tanto certius eſt, Deum promiſſa erga ſuam Eccleſiam prouidentia cauiſſe, ne maxima, & optima pars Eccleſię Orientalis, & Occidentalis erraret. Confirmatur, quia aliud eſt, aliquem articulum fidei tempore ineunte declarari magis ab Eccleſia, quod frequenter contigit: aliud eſt, denuo in Eccleſia definiri contrarium eius, quod olim communiter docti, & indocti tenuerint in Eccleſia; & hoc ſuppoſita Chriſti Domini prouidentia, Eccleſiæ promiſſa, eſt impoſſibile. Cuncta denique in hac & ſequenti diſput. tractanda, faciunt ad huius concluſionis confirmationem.

SECTIO III.

Græcos Patres communiter, ſed præcipuè Chryſoſtomum vera docuiſſe de initio iuſtificationis, & prædeſtinationis cauſa, non ſumenda ex viribus naturæ.

Secunda concluſio ſit. Præſtantiores Græcorum Doctores communiter nihil docuerunt contra doctrinã Auguſtini, circa præſentem controuerſiam cum Maſſilienſibus: quin potiùs præuenientis gratiæ neceſſitatem tradiderunt; nihilque valere naturæ vires, gratia deſtitutas, vt auxilia, vel prædeſtinationem obtineant. Ita Salmeron tom.4.part.1.tract.17. ad illa verba: *Quid quæritis*, Bellarminus de gratia, & libero arbitrio lib. 5. cap.25. §. *ſeptimus decimus*. Suarez lib. 2. de cauſa prædeſtinationis cap.8. 1. *Præſtãtiores Græcorũ nihil contra Auguſtinum docuerunt.*

Hæc concluſio probatur primò, quia manifeſta illatione deducitur ex præcedenti ſectione, illa enim ætate, quæ Auguſtinum præceſſit, ſacræ litteræ apud Græcos maximè floruerunt, quo tempore Athanaſius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Nyſſenus, Epiphanius, aliique, ſuppares contra hæreticos ſtrenuè dimicabant, & quamuis apud Romanam ſedem ſemper fuerit ſupremum examen doctrinæ; cæterùm ab eo tempore cœperunt præcipui Latinorũ Doctores exurgere, iique Græcorum Patrum diſcipuli, aut viua voce, vt Hieronymus à Nazianzeno, aut eorum ſcriptis edocti: ex quibus plurima mutuatos eſſe, conſtat, Ambroſium, Hilarium, alióſque Latinos Doctores. Vnde ſi Græci Patres communiter errabant eo tempore, non poterant Latini non errare; quandiu in eorum ſcholis, ſcriptiſque verſari, nihil in hac controuerſia ſuſpicabantur latere falſitatis. 2.

Probatur ſecundò ex conſenſione Orientalium Epiſcoporum in Concilio Palæſtino, quod refert Auguſtinus epiſtol. 106. colum. 11. & 12. notans, in illo fuiſſe damnatam Pelagij ſententiam iam exortam, & Semipelagianorum ſententiam antequam eſſet exorta. Neque immeritò. nam idem Concilium definiuit duodecim articulos, quos & Pelagium confiteri compulit, & inter illos quatuor articuli ſunt Semipelagianis cõtrarij. Primus eſt gratiam Dei & adiutorium etiam ad ſingulos actus dari, eámque non dari ſecundùm 3.

merita

merita noſtra, vt vera ſit gratia. Secundus, eſſe liberum arbitrium, etiam ſi diuino indiget auxilio. Tertius, quando contra tentationes, concupiſcentiáſque illicitas dimicamus, quamuis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adiutorio Dei, noſtram prouenire victoriam. Quartus, ſecundùm gratiam, & miſericordiam Dei veniam petentibus dari, non ſecundùm merita eorum; quandoquidem ipſam etiam pœnitentiam donum Dei dixit Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam.*

4. Confirmatur primò, quoniam his articulis Semipelagianorum errorem anathematizatum eſſe, non ſolùm Auguſtinus nuper citatus, ſed etiam Proſper notauit, quando in lib. de ingratis cap. 2. eandem Synodum referens ita cecinit:

—— Sed ſancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de ſemine prolem.

Poſteáque refert, vniuerſum orbem Græcorum, & Latinorum cum Romano Pontifice contra errorem vtrunque conſpiraſſe. His ſimilia refert contra Collatorem cap. 41. & 42.

5. Confirmatur ſecundò, quia ſi non expreſsè omnes partes Semipelagiani erroris in iis articulis anathematizatæ ſunt: nihilominus implicitè, & virtualiter omnes, nulla excepta, damnantur in ſua radice, ac ſemine.

Confirmatur tertiò, quoniam Græci Epiſcopi in ſuis Conciliis diligenter diſcutere, atque perpendere ſolebant antiquorum Patrum ſententias, maiori ex parte Græcorum, & minori Latinorum, vt clariùs conſtabit legenti ſextam Synodum Conſtantinopolitanam, actione 8. & tribus ſequentibus. Ergo non eſt veriſimile, Palæſtinum Concilium contra mentes Græcorum Patrum definiuiſſe.

Quartò, nam longo pòſt tempore, quando per ſchiſma ab Eccleſiæ vnitate Græci receſſerant, ea præſertim ratione coniuncti ſunt, concedere Spiritum ſanctum à Patre, Filióque procedere, quoniam Græci Patres communiter ita docuerunt, ſimul cum Doctoribus Latinis, & eorum quædam verba, quæ oppoſitum ſonare videbantur, habebant legitimam, & orthodoxam explicationem.

6. Confirmatur quintò, nam hoc argumentum maximè probat de Chryſoſtomo, qui vel eo viuebat tempore, interfuitque Palæſtino Concilio, vt aliqui cenſent probabile: vel Chryſoſtomus ante annos circiter octo ad meliorem vitam fuerat tranſlatus (ſecundùm probabiliorem Chronologiam apud Baronium tomo 5. anno 415. § *Diſcipuli*, & §. *Cùm inter*) quando celebrata eſt Palæſtina Synodus, quæ appellatur etiam Dioſpolitana. Cùm igitur eo tempore Chryſoſtomi diſcipuli, ſcripta, fama, & recentiſſima memoria plurimum valerent apud vniuerſos illius Concilij Patres; non eſt veriſimile tanta conſenſione definiuiſſe contra Chryſoſtomi ſententiam, præſertim cùm longo pòſt tempore in ſexta Synodo Conſtantinopolitana actione 8. & 10. diligentiùs quàm cæterorum Patrum, Chryſoſtomi ſententia ponderata ſit.

7. *Contraria ſententia reſponſio refutatur.* Contraria ſententia reſpondet, Palæſtini Concilij Patres non intellexiſſe latentem in verbis Pelagij fraudem. Sed nihil propterea debilitantur, quæ attulimus argumenta. Nam Patres rectè atque catholicè intellexere ſuos articulos, nec minus penetrarunt errores Pelagij, quos totos extirpare voluerunt, nullis eorum fibris remanentibus, ex quibus Pelagianorum reliquiæ pullularent. Huius rei certa ſcientia, & deſtinata voluntas à Spiritu ſancto inſpirata, Patribus negari non poteſt: & ea ſufficit vt confirmet quod intendimus, quidquid ſit de inſidioſis vocabulis Pelagij.

Tertiò probatur, quoniam Auguſtinus non ſolùm legebat cum ſtudio, & cum veneratione ſequebatur antiquos, vt vidimus ſectione 2. ſed etiam peculiari affectu Chryſoſtomum: cuius teſtimonia contra hæreticos multa producit, & quæ ab hæreticis obiiciuntur Chryſoſtomi verba, exponenda ſuſcipit ex profeſſo, veluti libro de natura & gratia, cap. 64. & lib. 1. contra Iulianum cap. 6. & 7. & lib. 2. cap. 6. ſecundùm recentiorem partitionem. Ergo ſimiliter explicuiſſet Chryſoſtomum circa præſentem controuerſiam, ſi aliqua certa, determinataque verba illius ſibi fuiſſent à Pelagianis obiecta, nec pateretur eum ſibi aduerſarium reputari. 8. *Maximo affectu Chryſoſtomum Auguſtinus legebat.*

Confirmatur, quoniam ſi tam grauiter exceſſit Chryſoſtomus in libero arbitrio prædicando, cur veteres illum non reprehendunt, aut exponendo temperant eius exceſſum, ſed potiùs Auguſtinus eum locis citatis vehementer laudat, præſertim libro 2. contra Iulianum cap. 6. inter principium & medium.

Sed oppoſita ſententia ita redarguit. Quando Semipelagiani Græcos Patres, Chryſoſtomum præſertim intelligentes, opponebant contra ſententiam Auguſtini, facilè potuiſſet Auguſtinus reſpondere, negando tales eſſe illius erroris patronos. Quapropter faciliorem hanc, promptiorémque ſolutionem tacendo, conſentire videtur. Auguſtinus namque reſpondet, antiquiores Patres ſcripſiſſe antequam Pelagiana hæreſis eſſet exorta: proptereáque non curaſſe, niſi de antiquis erroribus euertendis, & commendando ſtudio bonorum operum. Ita in lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. & in lib. 1. contra Iulianum, cap. 6. circa vicinam controuerſiam de originali peccato ab eiſdem Pelagianis excitatam, proponit obiectionem, quare Chryſoſtomus aliquo in loco obſcuriùs paulo fuerit de infantium peccato locutus, & reſpondet: *Quia diſputans in catholica Eccleſia, non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecuriùs loquebatur.* 9. *Oppoſita ſententia argumentum.*

10. Reſpondeo primò, ac ſimul confirmo præcedentem probationem. Auguſtinus lib. 2. de bono perſeuerantiæ cap. 18. fine manifeſtè teſtatur, antiquos Patres, qui dicunt Deum prædeſtinare ad gratiam, & gloriam eos, quos præſcit facturos eſſe bona opera, intelligi poſſe de operibus, quæ Deus præſcit, diuina prædeſtinatione mouente, & adiuuante, facienda eſſe; quam explicationem conuenientem eſſe probat; quoniam ita intelligendus eſt Paulus ad Rom. 11. dicens: *Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſcivit* (de quo fuſius dicendum erit tomo ſequenti.) Sed euidentiùs in cap. 23. eiuſdem libri initio probat Auguſtinus ſuam ſententiam contra Maſſilienſes eſſe omnium fidelium, quoniam omnes ſiue docti, ſiue indocti petunt à Deo conuerſionem eorum, qui audita fide, adhuc permanent in errore; atque pro huiuſmodi fide gratias agunt, de cuius rationis pondere dictum eſt diſputatione 18. ſectione 9. Nunc autem ſatis ſit Auguſtinum, qui vniuerſæ Eccleſiæ tribuit ſuam

Digitized by Google

ſententiam, non poſſe ab illa excludere Doctores maximos orientalis Eccleſiæ, præſertim cùm à Maſſilienſibus non minus obiicerentur orientales, quàm occidentales Doctores.

11. Reſpondeo ſecundò. Quod Auguſtinus reſpondit in libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. præcipuè dirigitur ad reddendam rationem, ob quam antiqui Patres non adeò expreſsè, & fusè, vt Auguſtinus, quæſtionem diſputauerint. Quòd ſi Auguſtinus ibi tacitè concederet, opinionem Maſſilienſium fuiſſe antiquorum Patrum, non excuſabantur antiqui Patres à falſitate doctrinæ, neque ſententia Auguſtini liberabatur à ſuſpecta nouitate.

Confirmatur, quoniam quod Auguſtinus reſpondet teſtimoniis antiquorum in libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. idipſum reſpondet ad explicanda, & retinenda pleraque ſua teſtimonia aliorum librorum, vt videbimus ſect. 6. probat. 2. & ſectione 7. fine. Ergo ita exiſtimat, alios Patres fuiſſe in vera ſententia, ſicut ille fuerat, quando ſcripſit ea, quæ tanquam vera defendit & explicat.

12. *Gelaſius Caſſiani libros apocryphos dicit.* Probatur quartò. nam Gelaſius Papa in Concilio Romano, cap. *Sancta Romana*, diſtinct. 15. libros Caſſiani, & Fauſti, quaſi apocryphos reiicit; vt vidimus diſput. 14. ſectione 1. Econtrario Ioannis Conſtantinopolitani, videlicet, Chryſoſtom. opuſcula numerat inter ea, quæ Catholica Eccleſia recipit; ſimilitérque Athanaſij, Baſilij, Nazianzeni, & aliorum Patrum Græcorum. Ergo Eccleſia Catholica nunquam fuerat ſubodorata in iis Patribus eum errorem, propter quem præcipuè Caſſiani, & Fauſti libros reſpuit.

13. *Sanctitas Græcorum.* Probatur quintò ex peculiari repugnantia huius erroris cum principio ſanctitatis, eiuſdémque primario fundamento. Quam ob cauſam vel neganda eſt vera ſanctitas Doctoribus Græcis Chryſoſtomo, Nazianzeno, Nyſſeno, Baſilio, Athanaſio, & aliis; vel ab omni huius erroris ſuſpicione liberandi ſunt. Gratia enim ſanctitatis principium ſuperbos, arrogantes, & ingratos deſerit, tota id Scriptura clamante. Eadem quoque vitia humilitatem diruunt, præcipuum ſanctitatis fundamentum. Aſt omnes, qui proprio arbitrio, & naturæ viribus adſcribunt iuſtificationis initium, bonam voluntatem, fidem, merita, & impetrationem gratiæ, ij ſuperbi ſunt, arrogantes, & ingrati, Paulo ſæpiùs atteſtante, & clariùs exponente Auguſtino, Proſpero, Fulgentio, & aliis ſæpè citatis.

14. Confirmatur primò, quia ſi Græci Patres Semipelagianorum errore laboraſſent, poſuiſſent carnem brachium ſuum, & à Domino receſſiſſet cor eorum: quapropter non ſancti, ſed maledicti forent (quod abſit) ſecundùm illud Hieremiæ 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem*, &c. ſuprà diſputatione 18. ſect. 9. num. 11. Quocirca maiori iure nunc in quemlibet Græcorum Patrum quadrarent illa verba, quibus Chryſoſtomum alloquitur Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum cap. 2. circa medium; aliàs capite 6. ante medium. *Si verè tale aliquid inueniſſet Iulianus, & quod ipſe ſentit, et ſentire claruiſſet, nunquam te vnum tot, & talibus præferre in ea cauſa poſſemus, de qua nunquam fides Chriſtiana & Eccleſia catholica variauit. Sed abſit, vt tu aliud ſaperes, & in ea tam præcipuus emineres.*

Confirmatur ſecundò, quoniam hic error de peccato originali, quem Chryſoſtomo tribuebat Iulianus, cum vera & Chriſtiana humilitate, ac ſanctitate minus directè pugnabat, quàm Semipelagianorum error. Ergo potiori ratione Auguſtinus aſſereret, Chryſoſtomum non potuiſſe in Eccleſia inueniri tam præcipuum Doctorem, ſi ita ſenſiſſet. 15.

Probatur ſextò. Nam Chryſoſtomus, & cæteri Græci Patres perſpicuè ſatis docuerunt veritatem Catholicam de initio iuſtificationis, & de Chryſoſtomo quidem in ſequentibus ſectionibus, de cæteris verò in ſequenti diſputatione conſtabit.

SECTIO IV.

Aliqua ex teſtimoniis Chryſoſtomi in cauſa gratiæ contra Semipelagianos.

PRæmitto poſtremam huius diſputationis concluſionem. Chryſoſtomus veritatem catholicam, directè pugnantem cum Semipelagianorum errore, plurimis in locis docuit clarius multò, quàm alij Patres, tam Græci, quàm Latini, qui à Cæleſtino Papa, Auguſtino, Proſpero, & Petro Diacono, citantur pro veritate catholica. Eius teſtimonia claritatis gratia ad capita reducemus. 1. *Chryſoſtomus veritatem ſæpè docuit.* *Eius teſtimonia ad capita reducuntur.*

Inprimis Initium & fundamentum iuſtificationis, ſemen conceptum, & partum timoris eſſe à diuina gratia, Chryſoſtomus docet 2. Corinth. 1. homil. 3. prope morale, ad illa verba: *Qui confirmat nos vobiſcum, quique vnxit nos, ac ſignauit, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris*, dicens: *Si initia & fundamentum dedit, ſi radicem, & fontem veluti veram de ipſo cognitionem, Spiritus communionem: qui conuenit, vt quæ ex his naſcuntur, daturus non ſit?* & poſt pauca, *Non enim, niſi totum daturus erat, voluiſſet arrhabonem exhibere, & perdere.* Apertè igitur Chryſoſtomus docuit initium, fundamentum, medium & conſummationem, totum eſſe Deo dandum, & non hominibus, atque non de exteriori ſolùm exhortatione, & doctrina; ſed præcipuè de interiori cordis inſpiratione Chryſoſtomum agere, conſtat tum ex textu Pauli, quem explicat, videlicet, arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris datum, tum etiam ex cætero commentario Chryſoſtomi, vbi aliam ſententiam fuſiùs explicat. 2. *Primum.*

Idem homil. 22. in Geneſim col. 2. *Nónne manifeſtum eſt*, inquit, *ſua quemuis voluntate, vel malitiam, vel virtutem eligere: nam niſi ita eſſet, & naturæ noſtræ poteſtas in ſua eſſet, neque illos puniri, neque iſtos virtutum retributiones recipere oportebat: verùm quia in noſtra voluntate totum poſt gratiam Dei relictum eſt, ideo & peccantibus ſupplicia propoſita ſunt, & benè operantibus retributiones.* Pondera præſertim poſtremam clauſulam, *in noſtra voluntate totum poſt Dei gratiam relictum eſt.* Ergo Chryſoſtomus priores partes concedit gratiæ; & quoties totum, vel partem boni arbitrio tribuit, hoc propterea dicit, quoniam priores partes gratiæ nunquam hominibus deeſſe ſupponit, quantum eſt ex parte Dei; ſed potiùs totum, quod deficere ſolet ad iuſtificationem hominis, pertinet ad partes hominis. Similia docet Eph. 1. ſerm. 2. cuius verba referemus infrà num. 16. & homil. 13. in Ioan. de qua infrà num. 6. 3.

Ruſus homil. 14. ad Populum Antiochenum 4.

poſt

poſt medium ait: *Qui verò corda compungit, qui compunctionis dat ſpiritum, corda noſtra compungat, & in profundo ſemina ponat, & ab ipſo timorê concipiat, & pariat Spiritum ſalutis.* Epheſ. 2. ſermone 4. prope morale ad illa verba: *Ipſius ſumus opus, creati in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambularemus*; ſic creationem explicat: *Igitur creatio eſt res iſta, alteraque pretioſior. Nam ex illa quidem, quòd viuimus; ex iſta verò, quòd bene viuimus, contingit, ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambularemus, non vt exordiamur dumtaxat, ſed vt ambulemus.* Perpende primò aſſertionem e diametro pugnantem, cum illa gratia creationis naturalis, ex qua iuſtificationis initium Semipelagiani ſumebant. Nam Chryſoſtomus duplicem creationem diſtinguit, alteram pretioſam quidem, ſed naturalem; alteram vero pretioſiorem, videlicet, ſupernaturalem, ex qua veluti ex principio contingit, quòd bene viuimus ad opera bona, quæ præparauit Deus, &c. Perpende ſecundò poſtrema illa verba: *Non vt exordiamur dumtaxat.* ex quibus conſtat, ex prædicta creatione ſupernaturali, & præparatione bonorum operum præueniſſe tum exordium, tum etiam iuſtificationis progreſſum.

5\. Secundum caput apud Auguſtinum & alios celeberrimum eſt; Deus aliquid priùs operatur in nobis ſine nobis, vt poſtea bonum, quod appetimus, operetur nobiſcum, de quo fuſiùs dicemus diſputatione 29. ſectione 1. Hanc ipſam ſententiam aliis verbis Chryſoſtomus docuit homil. 34. in Matthæum inter principium, & medium. *Ipſe*, inquit, *Apoſtolos oues manſuetudine fecit, id enim ſignificatur, cùm dicitur: Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum.* Deinde Matth. 10. *Vt aliquid etiam à ſe ipſis conferant, neque omnia videantur eſſe à gratia, nec fruſtrà & aliena, ſed ſua virtute coronari aſtimetur, adiecit: Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Nota priùs præſupponi aliquid, quod Deus fecit, in quo nihil à ſeipſis homines conferunt: deinde aliud eſſe, in quo aliquid à ſe ipſis homines conferunt, neque tamen ſine gratia, & hæc cauſa eſt, vt non aliena ſolùm virtute coronentur.

6\. Tertium caput eſt, gratiam non reddi præcedentibus meritis. ita Chryſoſtomus homil. 13. in Ioannem ait: *Gratia Dei ſemper in beneficiis priores ſibi partes vendicat. Non enim noſtris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem, non ſolum quòd facti ſumus ex nihilo, ſed quòd facti, & facienda didicerimus.* & homilia 71. in Ioannem ad illa verba: *Sicut ego dilexi vos*, ait: *Non enim veſtris præcedentibus meritis debitum perſolui; ſed ego incepi.*

7\. Prætetea homil. 38. ad Populum de humilitate & quiete, inter med. & finem, inquit: *Ne mercedem repûtes, vt capias mercedem; gratia conſitere ſaluari, vt Deus tibi ſe debitorem confiteatur, non modò meritorum, verùm & talis gratitudinis.* Epheſ. 2. ſermone 4. prope morale idem aſſerit, illis præſertim verbis: *Quid operatum ac meritum? nihil.* Multaque poſtea in eandem ſententiam.

8\. Quartum caput eſt, vocationem à Deo, & non à noſtro arbitrio, atque humanis conatibus cœpiſſe, Ita Chryſoſtomus 2. ad Timoth. 1. homil. 2. colum. 2. ad illa verba: *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam*, &c. ait: *Quomodo vocauit, inquit, vocatione ſancta: hoc eſt, ſanctos effecit, qui peccatores, & inimici eramus; & hoc non ex nobis, ſed ex diuino munere eſt. Si igitur ille, & potens eſt vocando, & bonus; idque per gratiam, non ex debito faciendo; nihil eſt cur metuamus. Qui enim nos cùm perditi, inimicique eſſemus, ſaluos per gratiam fecit; multò magis cùm operantes viderit, cooperator accedit: Non ſecundùm opera noſtra, inquit, ſed ſecundùm propoſitum ſuum. Nemine cogente, nemineque conſulente, ſed ex propoſito ſuo, ſola vi ſuæ bonitatis impulſus, ſaluos nos fecit; ſecundùm propoſitum ſuum, inquit, & gratiam.*

9\. 1. Corinth. 1. homil. 2. in med. illa verba: *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis*, ita ponderat: *Vocati eſtis, inquit Paulus, non ipſi ſponte veſtra acceſſiſtis.* & homil. 4. de laudibus Pauli, colum. 1. fine ait: *Concede incomprehenſibili Dei prouidentia, ſalutes hominum notis ſibi temporum opportunitatibus ordinari. Sic enim etiam Paulus fatebatur, dicens: Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit de vtero matris meæ, vocauit per ſuam gratiam*, &c. Vnde protiuus infert Chryſoſtomus: *Diſcamus, quoniam nullus ante Paulum, neque ipſe Paulus Chriſtum inuenit, ſed ipſe ſe Chriſtus oſtendit; & idcircò dicebat: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Deinde quæſtionem proponit, quare Paulus non antea crediderit; tot cernens argumenta credibilitatis, & reſpondet: *Quia necdum vtique vocatus fuerat à Chriſto.* Vnde poſt pauca infert, omnes homines è cælo vocari à Deo, & nihil aliud deeſſe, niſi vt habeant animam paratam ad obediendum vocationi diuinæ.

10\. Quintum caput eſt, Dei gratia præueniri noſtros conatus: quod non ſolùm conſtat ex præcedentibus capitibus, ſed etiam homilia 38. in Geneſim col. 4. vbi Chryſoſtomus docet, Deum ita preces noſtras præuenire, vt eam ipſam diſpoſitionem conferat, qua promiſſa impetrare meremur: *Vt ſcias*, inquit, *quòd Deus non ſolùm benefacere vult, & dona ſua dare, ſed ſolitus ſit, ſua beneficia accepturos facere clariores. vide quomodo hoc & in Chananæa illa faciat.* & poſt pauca: *Neque reſponſo dignatur eam miſericors, & clementiſſimus Dominus, alioqui preces noſtras ſemper præueniens.* & homil. 28. in 9. cap. Geneſis, verſùs finem, egregiè declarat, quomodo per diuinam gratiam fides hominibus ſuadeatur; & cùm propoſuiſſet plurima impedimenta, ne mundus Apoſtolorum prædicationi crederet, ſubiungit: *Prauia gratia ſubſtulit hæc omnia.*

11\. Ad idem caput reducitur gratia, excitans ad bona opera, de qua Chryſoſtomus ad illa verba 2. Corinth. 8. *Gratias autem ago Deo, qui dedit eandem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi.* in homil. 18. initio ait: *Dei monſtrans hoc opus eſſe, & gratias agit ei, qui dedit; atque adeò ſic adhortatur: nam ſi Deus illum excitauit, & miſit ad vos; ipſe petit per illum. Ne igitur putetis humanum eſſe, quod factum eſt.* Inſuper homilia 2. in Pſalmum 50. colom. 6. ait: *Prouocat nos Deus, & dicit: Da & tu aliquid, vtputa mille ſcelera perpetraſti, habes onera delictorum, volo alleuiare pondus tuum, da & tu manum tuam. Non quia ego tui egeo, ſed quia volo, & te aliquid conferre ad tuam vtilitatem.* Ergo apud Chryſoſtomum quicunque conatus, quem Deus requirit à noſtra libertate, præuenitur à diuina gratia, prouocante nos ad illum.

12\. Sextum caput eſt, Deum in nobis operari noſtra bona opera, & agere nos ad illa. Hoc Chryſoſtomus teſtatur non ſolùm in eo, quod nuper retulimus teſtimonio ex 2. Corinth. 8. ſed etiam

ad Philippenſes 2. ſermone 8. in id, *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere*,&c. obſeruat non ſolùm opera, ſed etiam bonam volontatem, & promptitudinem Deum operari nobiſcum; & *proverſionem*, inquit, *voluntatis ipſe nobis prebet,& operationem.* ſubditque: *Deus vult, nos ſecundùm voluntatem ſuam viuere; ſi verò vult, agit nos ad hoc: ipſe iſtud omnino operabitur.* Pondera operationem, qua Deus operatur in nobis, & ad bene operandum nos agit, eſſe gratiam præuenientem, excitantem, ſiue operantem, quam Semipelagianis Catholici cum Diuo Auguſtino opponunt, quaſi è diametro pugnantem.

13. Septimum caput eſt, fidem non ſolis naturæ viribus, ſed & diuinæ gratiæ auxilio, & inſpiratione indigere. ita Chryſoſtomus homil. 44. in Ioannem poſt medium, ad illa verba Ioannis 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* præſertim illis verbis: *Cùm enim Pater*, inquit, *aliquem dirigit, nihil prohibet illum ad me venire.* Ergo directio Patris debet præcedere poteſtatem veniendi per fidem ad Chriſtum. & poſt pauca confirmat verbis Chriſti Domini Matth. 10. *Beatus es Simon Barjona; quia caro & ſanguis non reuelauit tibi. quod ſignificat, non paruam rem eſſe fidem; ſed ſuperno indigere auxilio, quod per totum Euangelium generoſæ cuiuſdam animæ, & inſpirationis diuinæ eſſe contendit.* Perpende ſupernum auxilium, & inſpirationem, quæ manifeſtè pertinet ad gratiam præuenientem ex parte voluntatis; neque prætermiſit illuſtrationem, ex parte intellectus requiſitam, quando poſt pauca ſubdidit: *Non paruum quiddam eſſe credere, atque humanam cogitationem ſuperna indigere reuelatione, & anima, quæ eam fideliter accipiat.*

14. Ioannis 15. in id: *Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt.* Homil. 75. docet, ſine vitis potentia nihil fieri poſſe, & inter ea, quæ facienda ſunt, numerat fidem, qua vniendi ſumus vt palmites viti, & quamuis paulò pòſt explicans illud: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſe metipſo*, dicat Chryſoſtomus, Deum à nobis exigere priores partes, ſcilicet, vt maneamus in vite per fidem: verumtamen hoc ipſum, quod à nobis priùs exigitur, ſcilicet, manere in radice per fidem, dicit ſtatim eſſe à Patre, & omnia bona diſcipulorum eſſe etiam à Filio.

15. Inſignis eſt locus ad Epheſ. 2. ſermone 4. prope morale, vbi poſtquam retulit dignitatem, ad quam Chriſtus Dominus euexit hominem, ſubiungit: *Quem exiſtentem? mortuum, naturáque filium iræ. Quid operatum ac meritum? nihil. Nam gratia ſalui eſtis, inquit, etenim ne beneficiorum magnitudine extollat, vide quomodo te contrahat. Gratia ſi quidem, inquit, ſalui eſtis per fidem. Deinde ne rurſus libera voluntatis facultas lædatur, poſuit & quæ noſtra ſunt: atque iſtud iterum ſuſtulit, dicens: Atque hoc non ex vobis, neque fides ex vobis, niſi enim veniſſet, niſi vocaſſet, quomodo credere valuiſſemus. Itaque neque quod fidem concernit, noſtrum eſt. Dei, inquit, donum eſt.* Perpende, quomodo Chryſoſtomus non ſolùm Dei auxilium, ſed etiam noſtrum liberum conatum, ad eliciendam fidem, aſſerat eſſe donum Dei ex vocatione proueniens, non ex meritis, aut ex operibus noſtris, quod fuſiùs poſtea perſequetur. Similia ſcribit Philip. 1. fine, ſermone 4. prope morale, ad illa verba: *Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in ipſum credatis.* & 1. Corinth. 4. homil. 12. vtriuſque loci verba referemus cap. 10. num. 20.

Octauum caput eſt fidem, & opera non eſſe cauſam prædeſtinationis ad illa; ſed potiùs prædeſtinationem eſſe cauſam fidei, & bonorum operum. Ita Chryſoſtomus ad Epheſ. 1. ſerm. 2. *Deus*, inquit, *prædeſtinauit ad hoc, vt credant.* Ergo apud Chryſoſtomum fides eſt finis, & effectus intentus & cauſatus, à diuina prædeſtinatione. Quapropter paulò inferiùs addit: *Credidimus, principium hoc eſt, ita & ipſe arrhabonem dedit.* nimirum, dando hoc principium, vt crederemus, ſicut in n. 2. retulimus ex 2. Corinth. 1. hom. 3. 16.

Præterea homil. 9. de laudibus Pauli fine: *Videmus*, inquit, *complures ad defenſionem ſuæ ignauiæ prætextu tali vti, & quando eos adhortamur, vt illuminentur, & ad meliorem vitam conuertantur, atque ad alia id genus bona opera, reſpondere, quaſi cunctabundos, & reſilientes: ſi Deus volet, perſuadebit mihi, & conuertar. Quos non arguo, ſed valde probo, quòd ad voluntatem Dei confugiunt. Vellem autem nos etiam noſtra afferre, & tum dicere: ſi Deus voluerit.* Chryſoſtomus ergo valde probat eorum ſententiam, qui conuerſionem, & perſuaſionis efficacitatem reuocant in diuinam voluntatem, vt in cauſam primariam: & ſolummodo ita temperat, vt non inde occaſionem ſumamus reſiſtendi voluntati Dei. 17.

Inſuper diuinæ bonitatis efficacitatem, vt faciat nos à peccatis recedere, & virtutem ſequi, docet homil. 2. in Pſalm. 50. colum. 5. iis verbis: *Si Deus dixerit adultero: Iam nolo, vt adulter ſis, verba ſtatim vertuntur in opera. Si dixerit fornicatori: Ceſſa ab immunditia tua, illico mens eius in melius mutatur; & vt ſcias, quia ita eſt, dixit: Fiat cælum, & factum eſt cælum. Præcepit fieri terram, & verbum eius in opere ceſſit. Volo fieri luminaria, & ſtatim facta ſunt, & aſtris completum eſt cælum, Sol, & Luna præcepto eius conſummant curſum ſuum. Volo fieri Angelos, & in puncto horæ tanta millia facta ſunt, & qui ex nihilo hæc omnia fecit, ſi vult, ſermone ſuo tua peccata non valet ſoluere, & pœnitentiam in Angelicum conſtituere gradum?* & poſtea: *Si Deus voluerit, nullus impediet.* 18.

Nonum caput eſt, neminem poſſe tentationibus etiam ordinariis, & humanis reſiſtere, ſine auxilio diuinæ gratiæ. Qua in re luculentiſſimum eſt teſtimonium Chryſoſtomi 1. Corinth. 10. homil. 24. propè initium, dicentis: *Fidelis autem Deus: qui non patietur vos tentari vltrà quam ſufferre poteſtis. Sunt ergo tentationes, quas ſufferre non poſſumus; & quænam ſunt illæ? omnes, vt ita dicam: poſſibilitas enim in diuino nutu eſt, quam noſtra allicimus voluntate. Quare vt certò cognoſcas, non ſolum illas, quæ virtutem noſtram exuperant, non poſſe nos ſine diuino auxilio facilè ſuſtinere, ſed ne has quidem humanas,* addidit: *Sed faciet cum tentatione, & prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Et quidnam hoc ſignificat? neque enim mediocres illas, quod dixi, inquit, propria virtute ſufferemus; ſed hic quoque diuino indigemus auxilio, vt eas vel effugiamus, vel certè perferamus, ſi vitare non detur. Ipſe namque & patientiam dat, & celeritatem mutationis inducit, vt in hac parte tolerabilis fiat tentatio. Hoc autem ſignificauit, cùm dixit: Faciet euentum, vt poſſitis ſuſtinere: & omnia ei tribuit.* 19.

Caput decimum eſt. Nihil nobis, ſed Deo totum eſſe tribuendum: propterea que nihil eſſe vnde gloriemur. In hoc multus eſt Chryſoſtomus, præſertim 1. Corinth. 4. homil. 12. col. 2. dicens: *Igitur quod accepiſti, habes, neque hoc tantùm, aut illud, ſed quidquid habes. Non enim merita tua* 20.

hac

Digitized by Google

hæc ſunt, ſed Dei gratia. Quamuis fidem adducas, à vocatione eam accepiſti; quamuis peccatorum veniam adducas, quamuis dona, quamuis doctrinæ ſermonem, quamuis virtutes, omnia inde tibi prouenerunt. Quid igitur habes, quæſo, quod non acceptum habeas? num ipſe per te rectè operatus es? non ſanè, ſed accepiſti, & idcirco magni te facis. Propterea cohibearis oportet: non enim tuum id munus eſt, ſed largientis. Nam ſi accepiſti, ab illo accepiſti; ſi ab illo non tuum accepiſti, ſi non tuum, quod inſoleſcis, ac ſi tuum habeas? &c.

21. Multa ſimilia habet 1. Corinth. 3. homil. 8. col. 3. explicans illud: *Vnicuique ſicut Dominus dedit.* & illud: *Ego plantaui, Apollo rigauit*, docens quidquid boni habent prædicatores, & auditores, quamuis exiguum ſit, acceptum eſſe à diuina gratia, & liberalitate. Idem ad illa verba 2. Corinth. 9. *Propter eminentem gratiam Dei in nobis.* Homil. 20. col. 2. fine ait: *Vidiſti Pauli ſapientiam, quomodo laudatis illis, totum acceptum tulerit Deo; opus enim gratiam vocauit.*

22. Rurſus 2. ad Theſſal. 3. homil. 5. prope initium ad illud: *Confidimus autem de vobis fratres in Domino, quoniam quæ præcepimus vobis, & facitis, & facietis*; ait: *Nam oportet quidem totum in Deum proiicere: ſed ita vt & ipſi operemur, & labores, & certamina aggrediamur.* & homil. 38. ad populum, quæ eſt de humilitate, & quiete, ait: *Nolimus igitur extolli. Sed nos dicamus inutiles, vt vtiles efficiamur*, multaque in eamdem ſententiam ſcribit in eadem homilia.

23. Extremum locum teneant eiuſdem Chryſoſtomi verba in homil. de Adam, & Eua, præſertim colum. vltima, vbi Semipelagianorum errorem eiſdem verbis refutat, quibus Cæleſtinus vtitur epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 11. & 12. Illa verò reperies ſuprà diſp. 17. ſect. 2. num. 3.

24. *Obiectio.* Sed contraria ſententia prædictam homiliam de Adam & Eua, aut certè illius extremam partem, contendit, eſſe ſuppoſititiam; neque habere pro authore Chryſoſtomum. Probat primò: quoniam ea videtur conſcripta propter errorem Pelagianorum, ante cuius ortum Chryſoſtomus obiit.

Solutio 1. Reſpondetur primò, inde non inferri verba non eſſe Chryſoſtomi. Alioqui concluderet, totas ferè homilias, quas in præſenti ſectione citauimus, eſſe falsò adſcriptas Chryſoſtomo. Nam ea quæ retulimus teſtimonia, clariora, & locupletiora ſunt, quàm homilia de Adam, & Eua, ad euertendum non ſolùm Pelagianum, ſed etiam Semipelagianum errorem. Nec nouum eſt in Eccleſia, recentes errores inuenire apud antiquos Patres antidota, à Spiritu ſancto per profundam Scripturarum intelligentiam præparata.

Secunda. Reſpondetur ſecundò, antecedens eſſe falſum. Chryſoſtomus namque, vt minimum, duobus annis vixit, poſtquam Pelagiana hæreſis è latibulis erupit in publicum, vt colligitur ex epiſtola 4. Chryſoſtomi ad Olympiadem, & oſtendit Baronius tomo 5. ad annum Domini 405. §. *de Pelagio*, adiuncto obitu Chryſoſtomi anno 407. §. *cùm inter.*

25. *Secunda obiectio.* Argumentatur ſecundò, quoniam ea homilia lectorem remittit ad concertationes Auguſtini, & aliorum Patrum, quæ fuerunt poſt Chryſoſtomi obitum.

Soluitur. Reſpondetur primò. Nulla ibi mentio fit Auguſtini, neque dubium eſt quin duobus illis annis, graſſante iam peſte Pelagij, aliquod remedium adhibere conati fuerint Doctores Eccleſiæ, ad quos lectorem potuit remittere Chryſoſtomus, vel etiam ad aliquem tractatum Auguſtini, iam tunc ab eo compoſitum.

Tertiò poſſumus adiungere maiorem rationem dubitandi, quoniam poſtrema columna 26.
eiuſdem homiliæ non eaſdem ſolùm ſententias, ſed etiam ferè omnia verba continet, quæ habentur in epiſtola 1. Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ cap. 11. & 12. Cæterùm cùm in ea epiſtola profiteatur Pontifex, ſententias, & verba proferre aliorum Epiſcoporum: non erit mirum ſi Chryſoſtomi ſententiam protulerit, & propterea nomen ſuppreſſerit, quoniam non erat Summus Pontifex, vt alij, quos retulerat.

Omnia ſupradicta confirmantur, quoniam de 27. *Præcedentis doctrinæ confirmatio.*
initio gratiæ, & cauſa prædeſtinationis, non ſumenda ex viribus naturæ plura, & clariora fundamenta petuntur ex Paulo, vt vidimus diſputatione 18. & ſequentibus. Qua in re tam copioſus eſt Apoſtolus, tótque concluſiones deducit ex his fundamentis, vt optimam illius partem ignorare neceſſe ſit, qui ignorauerit, ad quidditatem gratiæ pertinere, nullis hominum meritis, aut conatibus præueniri. Chryſoſtomus autem ita excelluit in exponendis epiſtolis Pauli; vt meritò credatur, multa ab Apoſtolo didiciſſe, vel eo dictante excepiſſe. Ergo incredibile eſt, Chryſoſtomum ignoraſſe hanc præcipuè, & ſummopere commendatam à Paulo ſententiam. Vnde præterea infertur, plurimos alios Græcos, qui à Chryſoſtomo factam doctrinam, ſeu viua voce, ſeu ſcripto didicerunt, eamdem de initio iuſtificationis hauſiſſe ſententiam.

Aliquibus ex ſupradictis teſtimoniis contraria 28. *Oppoſita ſententia ſolutio.*
ſententia reſpondet, eaſdem propoſitiones, quæ à Chryſoſtomo conceduntur, concedi à quibuſdam Maſſilienſibus, & nihilominus conſtitui ex viribus naturæ aliquod initium iuſtificationis tam à Chryſoſtomo, quàm à Maſſilienſibus.

Hæc ſolutio refutatur primò, quoniam apud *Impugnatur 1.*
omnes certum eſt, illas propoſitiones, benè intellectas, contrarias eſſe errori Maſſilienſium, quòd ſi illas malè intelligebant Maſſilienſes, aut aſſerebant contraria, & pugnantia; non protinùs exiſtimandum eſt idem de Chryſoſtomo, niſi euidentia teſtimonia oſtendant; quod tamen non oſtendunt, vt conſtabit in ſectione ſequenti.

Impugnatur ſecundò, quoniam cùm teſtimo- 29. *Secundò.*
nia Chryſoſtomi inter ſe pugnare videantur, & neceſſariò explicanda ſint: veriſimilius attingit mentem tanti Doctoris, qui interpretatus fuerit in ſenſu Catholico teſtimonia, quæ aliud ſonare videntur, quàm qui interpretantur in ſenſu erroneo teſtimonia, quæ ex ſe ſonant veritatem catholicam.

Tertiò impugnatur, quoniam nihil amplius 30. *Tertiò.*
aſſeruere Cyprianus, Ambroſius, & Nazianzenus; & tamen Cypriani teſtimonio incitatus eſt Auguſtinus, vt diſcederet ab errore, quem antea docuerat, & eiuſdem Cypriani, Nazianzeni, & Ambroſij teſtimoniis eundem confutat errorem, vt conſtat lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum capite 3. & 14. & lib. 2. de bono perſeuerantiæ capite 19. & libro de natura & Gratia cap. 43. & ſequentibus, vt videbimus diſputatione ſequenti ſectione 1. & 3.

SECTIO V.

Exponuntur teſtimonia Chryſoſtomi, quæ Semipelagianis fauere videntur.

1. *Caput 1.* CHryſoſtomi locutiones quò faciliùs exponantur, ad capita reducendæ ſunt.

Primum caput eſt, à Deo non præueniri voluntates noſtras, ſed Deum ſubſequi iuſtificationis initium, à nobis datum. Ita Chryſoſtomus homil. 27. in Ioannem, longè poſt med. ad illa verba primi capitis (*Ioan. 1.*): *Conuerſus autem Ieſus*, ſic ait: *hinc admoneri poſſumus Deum ſuis in nos beneficiis noſtras non præuenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe, ſed cùm nos prompto, paratòque animo, ad ſuſcipiendam gratiam, exhibemus, tunc multas nobis offert ſalutis occaſiones.* & homil. 12. in epiſt. ad Hebræos in expoſitione morali, parum à principio, inquit: *Oportet nos eligere primùm, quæ bona ſunt, & tunc Deus, quæ ſua ſunt introducit, non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur arbitrium: cùm autem nos elegerimus, multam tunc adfert auxiliationem.*

2. Homil. 42. in Geneſim prope initium, & iterum versùs finem de Abraham ita loquitur: *Niſi priùs ille, quod ſuum erat, feciſſet, non tanta à Domino obtinuiſſet. Eapropter attende, quomodo primum in omnibus virtutis ſuæ indicium exhibuerit, ac ſic diuinum meruerit præſidium.* & poſt pauca: *Vidiſti quomodo ab initio, quæ à ſemetipſo erant, obtulerit, & propterea diuina vbertim acceperit?* Simillima ſunt quæ loquitur homil. de conuerſione Pauli, & lib. 1. de compunctione cordis, agens præſertim de Paulo, & homil. 19. in Acta Apoſtolorum, agens de Eunucho Candacis reginæ, & Corinth. epiſt. 2. homil. 2. propoſito exemplo Chananeæ, & illi, ſerui, qui precibus impetrauit remiſſionem decem mille talentorum, colligit hanc ſententiam. *Hinc itaque diſcimus, quòd quamquam miſericordiam ſumus experturi: tamen vt nos ipſos priùs miſericordia dignos præbeamus oportet.*

3. Huic etiam locutioni valde proxima eſt altera, videlicet, Deum expectare, vt nos incipiamus, ipſum verò perfectionem adiungere. Quod non ſolùm aliqua ex ſupradictis teſtimoniis ſignificant; ſed etiam illud homil. 9. in Geneſ. propè initium: *Gratia parata eſt, quærens qui ſe cum largitate ſuſcipiant. Quòd ſi Deus viderit animam vigilem, & deſiderium feruens; ipſe ſuas diuitias largiter ſuppeditat.*

4. *Similes locutiones apud alios Patres reperiuntur.* Reſpondeo, & dico primò, ſimiles propoſitiones reperiri apud alios ſanctos Patres, quos non propterea exiſtimamus Semipelagianum aliquid ſenſiſſe (vt videbimus diſput. ſequenti.) præſertim verò apud Hieronymum epiſt. 147. ad Damaſ. de filio prodigo col. 3. dicentem: *Vnumquemque viuere non ex imperio Dei, ſed ex obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate.* & apud Damaſcenum lib. 2. fidei capite 30. & dialogo aduersùs Manichæos pag. ante penultimam, dicentem: *Deum non prædefinire, atque prædeſtinare ea, quæ ſunt in nobis.* Quapropter ſicut hos Patres interpretari compellimur: ita Chryſoſtomum interpretari debemus. & quidem ſanctus Thomas communiter receptus à Theologis 1. parte quæſt. 23. art. 1. ad 1. reſpondet, *Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis.* Idque optimè probat ex ſequenti contextu, & confirmari poteſt ex doctrina, quam præmittit in cap. 26. eiuſdem libri ſecundi, dum explicat ea, quæ ſunt in nobis.

Hæc ſolutio veriſſima eſt, eadémque vndique 5. quadrare poteſt in teſtimonia Chryſoſtomi, nuper citata, præſertim cùm ex tota præced. ſect. abundè conſtet præuenientis, excitantis, & prouocantis gratiæ neceſſitatem Chryſoſtomo fuiſſe perſpectam. Cæterùm operæpretium fuerit, explicare, vnde apud Græcos Patres nata fuerit iſta locutio, ne videantur ſine ratione locuti; aut contra ſuam mentem à nobis explicati.

Dico igitur ſecundò. Chryſoſtomus aliique 6. Patres eiuſmodi locutionibus intendebant ſignificare, diuinam gratiam comparatione noſtrorum actuum, quibus ad iuſtificationem diſponimur, non eſſe totaliter priorem in concurrendo ad tales actus: ſed in tali concurſu eſſe quodammodo poſteriorem noſtro libero concurſu; quamuis ſimpliciter & abſolutè ſit prior, atque hæc totalitas prioritatis negatur, quando dicunt, non præuenire, non prædefinire, non prædeſtinare noſtra opera, non fieri ex imperio Dei, & his ſimilia. *Qui talibus intenderent loquutionibus.*

Ad hoc explicandum dico tertiò: Prædicta 7. teſtimonia Chryſoſtomi agunt de diuino auxilio, non qua ratione præueniens eſt, ſed præcisè, qua ratione eſt adiuuans, ſiue ſubſequens. *Agunt de adiuuante auxilio.*

Probo, quoniam auxilium, præcisè conſideratum, qua ratione præueniens eſt, quamuis deſtinatum ſit, vt prouocet actum liberum: cæterùm tota eius quidditas manet integra, quamuis nullus actus liber eliciatur, cooperando cum eadem gratia. Quapropter, qua ratione idem auxilium ſimul cum noſtro arbitrio concurrit ad actus liberos, dicitur gratia adiuuans, cooperans, vel ſubſequens, vt conſtabit tota diſputatione 34. & 36.

Rurſus Chryſoſtomum agere de auxilio Dei, 8. pro vt concurrit ad actus liberos, & non præcisè pro vt reperiri poteſt ſine vlla cooperatione hominis, conſtat ex ipſo contextu, præſertim homil. 12. ad Hebræos, & in cap. 2. ad Epheſ. ſerm. 4. prope morale, & ad Philip. ſerm. 8.

Confirmatur, quoniam Chryſoſtomus ſemper agit exhortatorem virtutis, potius quàm Scholaſticum diſputatorem; exhortatio verò verſatur ſolummodo circa liberas actiones, quibus diuino cooperamur auxilio.

Dico quartò. Concurſus gratiæ, vt eſt ſubſe- 9. quens adiuuans, ſeu cooperans comparatione actionis liberæ ſupernaturalis, eſt quodammodo poſterior concurſu noſtræ voluntatis, qui eſt quodammodo prior diuino concurſu. Ratio à priori eſt, quoniam in his quæ ſimul duratione ſunt poſterius eſſe, idem eſt quod dependere ab alio; hoc autem aliud eſſe, prius idem eſt, atque ab illo pendere illud poſterius, quod fuſiùs oſtendimus in tomo de voluntate Dei diſput. 22. 23. & 24. Quo ſuppoſito, cùm diuinum auxilium non poſſit cum noſtro libero arbitrio concurrere ad eliciendum actum ſupernaturalem, niſi noſtrum liberum arbitrium priùs excitatum liberè ſe applicet, atque determinet, ad concurrendum, & cooperandum cum diuino auxilio; conſequens eſt, diuinum auxilium, quantum ad prærhendam actualem cooperationem, eſſe quodammodo poſterius, hoc eſt, dependens, quamuis abſolutè priùs ſit. Sed hæc fuſiùs, & enucleatiùs tractari poſtulant alibi. *Gratia cooperantis concurſus noſtro quodam modo poſterior.*

Dico quintò. Aliqua teſtimonia Chryſoſtomi, 10. & aliorum Patrum agunt ſolummodo de illa gratia, quæ propriiſſime eſt ſubſequens, quia con- *Aliqua loquutiones de gratia propriè ſubſequente agũt.*

fertur

fertur à Deo propter meritum & impetrationem alicuius actus ſupernaturalis, vel quia illum neceſſariò ſupponit, ſicut auxilium proximè, & ſufficienter mouens ad actum contritionis ſupponit liberum actum fidei, & ſpei, & vtplurimum aliqua alia merita de congruo ad impetrandum tale auxilium. Sed ne fortè reprehendas Chryſoſtomum, & alios Patres, quòd abſolutè dicant liberi arbitrij præparationem eſſe priorem diuina gratia, ſubintelligendo, ſubſequente, ſed non explicando. Aduerte ſanctos Patres ante exortam Pelagij hæreſim in hac ſicut in aliis locutionibus ſecutos eſſe ſacras literas, quæ licèt abſolutè doceant, diuinam miſericordiam, & gratiam præuenire, nihilominus quandoque etiam aſſerunt, Dei miſericordiam ſubſequi, Deum expectare, & hominem præuenire, vt in ſequenti ſectione 6. initio notabimus.

11. *Iuſtificationis initium duplex.* Dico ſextò. Duplex eſt iuſtificationis initium. Aliud merè extrinſecum iuſtificationi, eo quòd reperiri poteſt cum ſummis impedimentis iuſtificationis, & nulla diſpoſitione ad illam. Cuiuſmodi eſt prima gratia, præueniens omnem libertatem, & meritum, & huiuſmodi initium Chryſoſtomus non requirit à nobis, ſed à Deo: vt oſtendimus ſectione præcedenti. Aliud eſt initium intrinſecum iuſtificationi, in quo iam voluntas cœpit liberè cooperari gratiæ, ac tendere ad iuſtificationem, diſponendo ſe, impetrando, atque merendo. Hoc initium eſt, quod Chryſoſtomus, & alij Patres dicunt, expectari à Deo, vt gratiam vlteriorem, & perfectiorem conferat. Nec nouus eſt iſte modus loquendi, ſiquidem fidei actus liber à Patribus appellatur iuſtificationis initium ſuprà diſputatione 19. ſect. 3. & ſequen. & credulitatis affectus, quo ad regenerationem Baptiſmatis peruenimus, appellatur initium fidei ab Arauſicano Concilio canone 5. *Hilarius Semipelagianorum primus delator.* & Hilarius Primus Semipelagianorum delator, aliquando aſſerit: *A nobis, cum oramus, exordium eſſe, vt munus à Deo ſit*, de quo ſuprà diſput. 24. ſect. 1. ad 5.

12. *Prædefinitionem expreſſè docet Chryſoſtomus.* Ex his tandem conſtat minimè negare Chryſoſtomum eam prædefinitionem Dei, quæ libertati non repugnat: quin potiùs eam expreſsè docet in locis, quæ retulimus ſect. præcedenti cap. 8. num. 16. & ſequen.

13. *Caput 2.* Secundum caput continet aliam locutionem hom. 42. in Geneſ. propè initium, cuius aliqua verba cap. 1. explicuimus, ſed præterea teſtant hæc de Abrahamo. *Qui ante gratiæ tempus, & ante legem fuit, à ſe ipſo, & ſcientia naturæ inſita in tantum peruenit virtutis faſtigium.*

14. Reſpondent, etiam Paulum Rom. 2. dixiſſe: *Factores legis iuſtificabuntur; cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis, ſcriptum in cordibus ſuis:* & Hieronymus Galat. 1. ait: *Natura omnibus Dei ineſſe notitiam, nec quemquam ſine Chriſto naſci, nec ſine ſemine ſapientiæ & iuſtitiæ.* & Nazianzenus oratione 19. In laudem Patris mortui colum. 4. poſtquam illius eximias virtutes morales narrauerat, ſubdit: *Pro his rebus fidem quoque, ni fallor, præmij loco retulit.* At verò de Nazianzeni ſenſu catholico aduersùs Semipelagianos dubitare non licet, niſi contra Auguſtinum ſentire velimus, vt conſtabit diſputatione ſequenti ſectione 3.

Sicut ergo Paulus, nuper citatus ab Auguſtino, & Fulgentio, ſic exponitur, vt loquatur de natura abſque lege ſcripta, & abſque aliis exterioribus auxiliis doctrinæ, exemplorum, & gubernationis; ſed non ſine interiori gratia, interiùs in cordibus ſcripta, vt vidimus ſuprà diſputatione 25. ſect. 2. prob. 2. & ſicut inde explicuimus ibi Hieronymum, & in eadem diſput. 25. ſect. 4. num. 11. Damaſcenum, vt loquatur de virtutibus, elicitis ex aliqua ſupernaturali complacentia, & propenſione ad fidem: ita explicare tenemur Chryſoſtomum, præſertim cùm hoc ſatis inſinuet ſequens contextus illis verbis: *Quando à patria ſua migrabat, nullo à progenitoribus ſuis fidei ſemine accepto, ex ſe ipſo valde religioſam, & piam mentem habuerit*, &c. Vnde conſtat, Chryſoſtomum ſolummodo negare exteriora prouocatiua fidei, & pietatis, quibus plurimi homines quamuis abundent; nihilominus diuinæ gratiæ, interiùs, exteriúſque vocanti, reſiſtunt; proptereáque prorſus inexcuſabiles redduntur: ſed è contrario Abraham ſine vlla exteriori doctrina, directione, gubernatione, aut exemplo naturæ vires totas contulit, ad cooperandum diuinæ gratiæ, interiùs præuenienti, & vocanti omnes homines, remouendo impedimenta, & facilem ſe præbendo. 15.

Confirmatur primò, quoniam Chryſoſtomus non ignorabat ad illud virtutis faſtigium Abrahamum perueniſſe per fidem; cùm hoc ex profeſſo confirmet Paulus ad Hebræos 11. à n. 8. at verò fidem eſſe donum Dei, à diuina gratia procedens, docuit Chryſoſtomus locis adductis in ſect. præcedenti num. 13. & ſequentibus. 16.

Confirmatur ſecundò, nam & alij Patres & ipſe etiam Auguſtinus, quandoque aſſerunt, hominem poſſe ſuo arbitrio peccare peccata, & exercere bona opera, idque nulla expreſſa mentione gratiæ: neque propterea cenſentur gratiam excluſiſſe, quin potiùs eam tacitè ſupponunt: ſic enim Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 64. & 65 explicat Sixtum Philoſophum, & Hieronymum. Quam explicationem non retractat, ſed tacendo approbat lib. 2. Retractationum cap. 42. atque eodem modo ſeipſum exponit, vt videbimus ſect. ſequenti num. 8.

Tertium caput eſt alterius locutionis, videlicet, *Dei præcepta eſſe adeò leuia, vt multi philoſophica tantùm ratione, ea excesſerint.* Hanc & aliam ſimilem ſententiam video Chryſoſtomo tribui primæ Corinth. 1. homil. 3. ſed neque ibi, neque alibi vſpiam, omni adhibita diligentia, reperire potui. Fortè tamen huius rei occaſio accepta eſt ex variis locis Chryſoſtomi, quibus commemorat aliquas inſigniores virtutes Philoſophorum, quæ nobis non ſunt in præcepto, ſed conſilio, veluti de iis, qui naturaliter potuerunt in paupertate viuere, mentionem facit. Rom. 8. ſerm. 15. col. 2. ad illa verba: *Omnia cooperantur in bonum.* & 1. Corinth. 1. homil. 4. in morali propè initium, & in medio de iis, qui mortem contempſerunt, atque vt Deorum multitudinem refellerent, ſubierunt extremum periculum, & eiuſdem epiſtolæ homil. 7. in morali propè initium: *In errore*, inquit, *perſeuerantes philoſophiam tamen ampleCtuntur, nos autem contrà.* & prope medium eiuſdem moralis: *In vita philoſophica non adeò hæc præcepta grauia fuiſſent.* 17. *Caput 3.*

Nihilominus quoniam fieri potuit, vt me fugerit, verè tamen ſcripta ſit à Chryſoſtomo illa locutio. 18.

Reſpondeo, Chryſoſtomum ibi agere non de omnibus virturibus collectiuè, ſed de vna, aut altera tantùm virtute: & de hac non quantum ad perfectè cohibenda inordinata deſideria cordis ſpontaneo ſtudio virtutis; ſed præſertim quantum ad externam operis executionam, ad quam, vtplurimum, vel inani gloria, vel ſpe temporalis emolumenti, vel pœnæ timore ducuntur. Quæ explicatio colligitur ex eodem Chryſoſtomo 1. Cotinth. 5. homilia 8. col. 3. vbi poſtquam dixerat: *Impoſſibile eſſe permanere in errore eum, qui rectè viuit.* & exemplo Cornelij Centurionis & Petri verbis Actorum 10. confirmauerat, ita ſibi obiicit: *Quánam ratione Gentilis ille probatus, bonus, benignus in errore perſiſtit? Illud reſponderem, quòd aliis ſuperatur affectibus, inani, ſcilicet, gloria, aut animi ſocordia, aut propria ſalutis negligentia, dum temere res ſuas agi arbitratur.* Sic etiam Epheſ. 4. ſermone 12. colum. 2. *Talia*, inquit, *Græcorum quidam philoſophati ſunt, ſed fruſtrà duram vitæ conuerſationem oſtenderunt; ſed temerè præter rationem, non ad commodum finem reſpicientes, ſed ad vanam gloriam.*

19\. Quapropter ſi quando Chryſoſtomus dixit, multos philoſophica tantùm ratione exceſſiſſe diuina præcepta, intellexit vnum, aut alterum præceptum externa eaecutione ſine conſcientiæ puritate exceſſiſſe, aut paupertate, vel abſtinentiæ, vel tolerantia iniuriarum. Qua in parte præceptoris ſui doctrinam aſſecutus eſt Caſſianus in collat. 13. cap. 5. vbi exemplo Socratis & Diogenis probat, in Gentilibus Philoſophis externam virtotis ſpeciem animi puritate caruiſſe.

20\. *Caput 4.* Quartum caput eſt, quoniam electionis ad gloriam, aut reprobationis cauſam eamdem videtur Chryſoſtomus reddere, quam Maſſilienſes, videlicet, quoniam Deus præuidit, quoſdam bene operaturos, alios verò malè. Quod fusè probat Chryſoſtomus in id ad Rom. 9. *Cùm nondum nati fuiſſent*, neque quidquam boni, &c. (cuius verba referemus n. 24.) & ſerm. 16. circa medium, & in epiſtolam ad Epheſ. hom. 1. & hom. 2. Similia docet homil. 31. in Matth. prope initium, diſputans de vocatione Pauli, & Matthæi, dicens: *Tunc fuiſſe à Deo vocatos, quando ſciebat, illos eſſe obtemperaturos.* Idem tribuitur Chryſoſtomo homil. 56. in Matthæum, apud alios homil. 96. in Matth. & homil. in Pſal. 115. & lib. 1. de compunctione cordis in principio, quæ ipſe non inuenio.

21\. *Eius præſcientia à Maſſilienſium præſcientia longè diſtat.* Reſpondeo, & dico primò. Longiſſimè diſtat hæc Chryſoſtomi præſcientia à præſcientia Maſſilienſium, ij námque loquebantur de operibus, eliciendis per ſolas vires naturæ abſque auxilio gratiæ: Chryſoſtomus autem de operibus, eliciendis virtute ſupernaturalis auxilij. Cuius euidens inditium eſt, quoniam Chryſoſtomus, & multi alij Patres, eodem modo loquentes, agnūt de operibus, quæ à Deo præſciuntur, fore de condigno meritoria gloriæ: at verò talia opera eſſe, quæ ſolis naturæ viribus eliciuntur, foret Pelagiana hæreſis, vſque adeò, craſſa, vt prorſus incredibilis ſit de tantis Eccleſiæ Doctoribus. Rurſus Maſſilienſes dicebant, præſcientiam illorum operum eſſe cauſam prædeſtinationis ad gratiam, & ad gloriam. Chryſoſtomus autem non aſſerit, præſcientiam eſſe cauſam prædeſtinationis, ſed ſolummodo aſſerit præſcientiam gubernare, & promouere executionē prædeſtinationis, vt congruam, & efficacem vocationem adhibeat pro loco, tempore, aliiſque circumſtantiis. Quapropter Chryſoſtomus, in hac re idem docet quod Auguſtinus tractans de gratia congrua, & opportuna, quam Deus præbet ſub iis circumſtantiis, ſub quibus præſcit fore, vt homo conſentiat. Imò & Paulus ait: *Notum eſſe Domino opus ſuum, & præſciuiſſe, ac prædeſtinaſſe, conformes fieri imagini filij ſui.*

Confirmatur. nam & Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 18. fine, antiquos Patres, dicentes, Deum prædeſtinaſſe ad gratiam, & gloriam eos, quos præſciuit facturos eſſe bona opera, exponit poſſe intelligi de operibus, quæ Deus præſcit diuina prædeſtinatione mouente, & adiuuante facienda. Quo etiam modo idem Auguſtinus de prædeſt. Sanct. c. 19. ait: *Cùm nos prædeſtinauit, opus ſuum præſciuit.* Vide ſect. ſeq. n. 16. & ſequentibus. 22.

Dico ſecundò. Mens Chryſoſtomi fuit, illis tantùm decreuiſſe Deum gratiam, gloriámque conferre, quos gratiæ aſſenſum præbituros eſſe præſciebat. & Chryſoſtomus quidem abſtrahebat ab hoc, quod Deus futurum aſſenſum præſciret ex vi ſui decreti conferendi gratiam, & media infallibiliter prouocantia ad cooperandum gratiæ; vel ex vi præſentiæ in æternitate, vel ea alia quauis ratione. Nihil enim tunc expreſsè cogitauit, aut dixit de ſcientia viſionis, aut ſcientia conditionali ea ſuppoſitione ſui decreti: quoniam id ſolùm intendebat, quod catholica fides docet, videlicet, Deum ab æterno voluiſſe, ac præſciuiſſe futurum, vt ex operibus, quæ facienda erant virtute ſupernaturalis auxilij, quædam eſſent cauſa diſpoſitiua ad gratiam; alia verò eſſent cauſa meritoria gloriæ: atque omnium cauſa finalis eſſet gloria. Quo ſenſu, ſimilia quædam teſtimonia Auguſtini, & Ambroſij exponit Alexander 1. parte quæſt. 28. memb. 3. art. 1. fine & Præpoſitiuus, quem ſequitur Altiſiodorenſis lib. 1. Summæ, cap. 9. quæſt. 2. fine. Vtitur autem Chryſoſtomus illa forma loquendi, ne occaſione prædeſtinationis ſubrepat, quæ ſolet diffidentia, & negligentia liberæ cooperationis. 23.

Sed prædictam expoſitionem recuſare videntur verba Chryſoſtomi ad Rom. 9. nuper cit. *Multi Matthæo meliores eſſe videbantur ab apparenti verum argumento. Verùm qui cogitationis aptitudinem probare poteſt, is & in cœno margaritam iacentem nouit: omiſſiſque aliis, admiratus huius pulchritudinem, illum elegit: voluntatiſque nobilitati ſuam cùm adiunxiſſet gratiam, probatum illum eſſe pronunciauit.* Quibus, aliiſque ſimilibus comparationibus, Chryſoſtomus videtur, ſupponere aliquam voluntatis nobilitatem, quæ præceſſerit, antequam Matthæus eligeretur, vt illi adiungeretur gratia. Quapropter illa nobilitas voluntatis non potuit eſſe effectus electionis, & gratiæ. 24. *Obiectio.*

Reſpondetur. Licèt primo aſpectu id ſignificare videantur verba; nihilominus quærendus eſt altior eorum ſenſus, quem explico exemplo. Nam Chriſtus Dominus Ioan. 10. dixit: *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* Vbi primo aſpectu videtur ſupponere iam eſſe oues, & non lupos eas, quæ nondum ſunt ex hoc ouili, quas propterea oportet adducere, vt vocem Chriſti audiant; alioquin dicere debuiſſet: Ego decreui plurimos Ethnicos, & peccatores, qui ex ſe ipſis ſunt lupi rapaces, per meam gratiam adducendo, vt vocem meam audiant, conuertere in oues, & adducere ad hoc ouile: & tamen æterna ſapientia Chriſti Domini maluit ſimplici locutione vti, attemperando ſe ad captum auditorum; 25. *Solutio.*

& aliis

Digitized by Google

& aliis in locis rem magis explicando. Cur ergo non concedamus, Chryſoſtomo licuiſſe, vti huiuſmodi vulgari locutione, quæ ex aliis eiuſdem Chryſoſtomi locis, in præcedenti ſectione citatis, interpretationem recipit. Idem argumentum ſumere poteris ex verbis Ioannis 11. *Ieſus moriturus erat pro gente; & non tantum pro gente, ſed vt filios Iſrael, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.*

26. *Caput quintum.* Quintum caput eſt, quoniam Chryſoſtomus concedit, ex nobis eſſe aliquas diſpoſitiones ad gratiam, veluti pœnitentiam, ac proinde dilectionem, & ſpem: quæ tamen ea ſe non ſufficiant, ad delendum peccatum, niſi accedat gratia, quæ ad perfectiores actus non moueat. Ita docet ſupradicta homil. 42. in Geneſ. versùs finem, & homil. 27. in Geneſ. col. 8. & homil. 2. in Pſalm. 50. & citata homil. 12. in epiſt. ad Hebræos in expoſitione morali, & homilia: *Quod nemo læditur niſi a ſe ipſo.*

27. Reſpondetur. Chryſoſtomus loquitur de pœnitentia elicita virtute ſupernaturalis auxilij. Nam euidenter loquitur de pœnitentia, quæ eſt ſufficiens, & immediata diſpoſitio ad remiſſionem peccati. Qualis fuit pœnitentia Dauid, dicentis: *Peccaui Domino.* & latronis orantis: *Memento mei Domine*, &c. His enim exemplis Chryſoſtomus ſuam ſententiam confirmat, ſicut etiam aliis teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quæ tractant de pœnitentia, proximè ſufficienti ad ſalutem, quale eſt illud: *Conuertimini ad me*, &c.

28. *Obiectio.* Sed vrgens: Si Chryſoſtomus ageret de pœnitentia elicita per vires ſupernaturalis auxilij, non diceret eſſe inſufficientem ad delendum peccatum.

Soluitur 1. Reſpondetur primò. Inter actus pœnitentiæ, ſpei, & dilectionis ſupernaturalis aliquos eſſe imperfectos, ex ſua ratione ſpecifica, qui non ſufficienter, & immediatè diſponunt ad iuſtificationem.

Soluitur 2. Reſpondetur ſecundò. Etiam actus pœnitentiæ perfectos, & proximè diſponentes ad gratiam iuſtificationis, non eſſe condignam ſatisfactionem pro peccato, neque ſe ipſis formaliter iuſtificare; ſed opus eſt noua gratia, & miſericordia Dei, remittentis peccatum, & infundentia gratiam iuſtificantem, ad præſentiam talis diſpoſitionis congruæ. Hæc igitur fuit mens Chryſoſtomi.

29. *Chryſoſtomi expoſitio alia.* Addo inſuper aliam expoſitionem, quæ in aliqua teſtimonia huius, & præcedentium capitum quadrat. Chryſoſtomus namque plerumque loquitur de copioſa, & exuberante gratia, quæ communi lege non confertur à Deo, niſi præcedentibus, pleriſque actionibus liberis, elicitis tamen ex auxilio gratiæ. Sic loquitur homil. 9. & 42. in Geneſim, & homil. 19. in Acta Apoſtolorum. Exempli loco ſufficiant verba in homilia 5. de laudibus Pauli, aliàs de conuerſione Pauli, col. 2. initio: *Hæc ſunt*, inquit, *miranda, quia Paulus etiam ante gratiam magnus ab ipſis rudimentis, ab ipſis fidei ſuæ inuenitur feciſſe principiis.* Totus autem ſequens contextus oſtendit euidenter Chryſoſtomum appellare ante gratiam facta ea, quæ geſſit Paulus antequam ſegregaretur à Deo ad munus Apoſtolicum, ſed tamen recèns baptizatus, quandò circa controuerſiam fuerat per gratiam iuſtificatus, & paulò ſuperiùs Chryſoſtomus dixerat: *Paulus non ſolùm gratia Dei, ſed etiam ſua voluntate talis effectus eſt, & idcirco gratia, quia etiam de propria voluntate.* Pondera illud *etiam*; denotat enim gratiam non potuiſſe ſuum effectum ſortiri, vt Paulum perfectum redderet, niſi cooperante voluntate Pauli: & de hoc genere cauſæ intelligitur illa dictio *etiam*.

Hinc ſoluitur obiectio contrariæ ſententiæ, quæ contendit Chryſoſtomum agere de pœnitentia, elicita per ſolas vires naturæ. Probatque 30. *Obiectio ſolutio.*
tum ex homilia nuper citata, quæ eſt 5. de laudibus, ſeu de conuerſione Pauli, & lib. 1. de compunctione cordis ante finem libri. col. 4. vbi ait: *Rectas enim mentes diligit Deus, & ſine fuco propoſitum. Quod etiam in Paulo proſpiciens, licèt alio adhuc itinere videretur incedere, tamen quia propoſito recto, & zelo Dei hoc agebat, dicit de eo Dominus, quia vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael. Hæc autem teſtatus eſt de eo, priuſquam ei gratia daretur.* Quod teſtimonium paulo difficilius eſt, quoniam agere videtur de zelo, quo Saulus agebatur, vt Chriſtianos perſequeretur.

Nihilominus etiam ſi de illo zelo Chryſoſto- 31.
mus egerit, valde commodam habet expoſitionem ſecundùm ea, quæ diximus diſput. 25. ſect. 3. & ſequentibus de initio fidei, quod ad merendum de congruo, & impetranda vlteriora auxilia ſufficere poteſt, etiam in media infidelitate, blaſphemia, & perſecutione. Saulus igitur antequam cælitus vocaretur, habebat initium fidei, & dilectionis ſupernaturalis erga Deum Iſraël, & Redemptorem, ab eo promiſſum. Ex qua fide ac dilectione procedebat bonus, & ſupernaturalis zelus contra aduerſarios legis à Deo datæ. Hic zelus per accidens propter culpabilem ignorantiam Sauli detorquebatur, ad perſequendos Chriſtianos, quos veri Dei, ac Redemptoris aduerſarios eſſe putabant: & quamuis his criminibus Deum grauiter offenderet: nihilominus illo fidei, & dilectionis initio ſupernaturali apud Deum aliquid merebatur de congruo, impetrabàtque vlteriora auxilia.

Obiicit præterea contraria ſententia, quia 32.
Caſſianus idem aſſerit, quod Chryſoſtomus. Sed huic argumento reſpondebimus ſect. ſequenti. Porrò Chryſoſtomum hoc ipſo in loco tractaviſſe de operibus, quæ per auxilium gratiæ fiunt, vt permaneat in nobis gratia, quæ priùs ad nos veniat, conſtat ea contextu immediatè præcedenti. Nam poſtquam ſibi obiecerat: *Si gratia Dei nihil requirit à nobis; ſed ipſa eſt, quæ facit vnumquemque perfectum, cur non omnibus ex æqua infunditur, & fiunt omnes repentè perfecti?*

Reſpondet: *Quoniam non ſola gratia Dei hoc agit: requiritur enim, vt & nos, quod in propoſito noſtro, & viribus noſtris eſt, expleamus. Idcirco venit quidem ad vnumquemque gratia Dei; ſed apud eos, qui dignè explent ea, quæ mandata in ipſis ſunt, permanet: ab his verò, qui minus dignè agunt, citò diſcedit, ad eos autem, qui nec initium faciunt conuertendi ad Dominum, omninò non venit; rectas enim mentes*, &c.

Sextum caput eſt, quia circa æqualitatem gra- 33. *Caput ſextum.*
tiæ, omnibus hominibus diſtributæ, ita vt non ex parte Dei, ſed ex parte liberi arbitrij exiſtat diſcriminis ratio, quæ iuſtum ab iniquo diſcernit, videtur idem quod Maſſilienſes ſentire Chryſoſtomus homil. 45. in Matth. quod etiam ſignificant, quæ nuper retulimus ex libro 1. de compunctione cordis.

Cæterùm hic modus aſſerendi æqualitatem diuinæ gratiæ, quantum eſt ex parte Dei, communiſſimus eſt omnibus Patribus, & intelli-

gendus

Digitized by Google

gendus de gratia ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, vel intelligi debet æqualitas non Geometrica, ſed Arithmetica, iuxta proportionem vniuſcuiuſque ſtatus, & muneris, aut aliæ æqualitates explicatæ tomo de voluntate Dei diſputatione 53. & fuſiùs tractandæ tomo ſequenti de prædeſtinatione.

SECTIO VI.

Probationes generales, ad confirmandas expoſitiones, in præcedenti ſectione traditas.

1. *Præcedentibus locutionibus aliæ in ſacra Scriptura ſimiles.* PRima probatio, quia in ſacra Scriptura reperiuntur locutiones plurimæ, valde ſimiles illis, quas contraria ſententia in Chryſoſtomo, aliiſque antiquioribus Patribus quaſi Semipelagianas reprehendit, quæ ſi expoſitionem admittunt in ſacra pagina ſcriptæ; eandem admittunt in libris antiquorum Patrum, qui non ſolùm mentem, ſed etiam phraſim Scripturæ ſacræ affectarunt. Eas autem locutiones ad capita reducimus claritatis ſtudio.

2. *Caput 1.* Primum eſt. Homo ſua oratione, & conatu præuenit: Deus expectat, & ſubſequitur. Pſalm. 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me*, &c. Pſalm. 87. *Mane oratio mea præueniet te.* Pſalm. 118. *Præueni in maturitate, & clamaui. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.* Iſai. 30. *Expectat Dominus vt miſereatur veſtri.* Zachariæ 1. & Ioëlis 2. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Iacobi 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

3. *Caput 2.* Secundum caput eſt. Cauſam accipiendi gratiam, & dilectionem Dei, eſſe aliquam operationem noſtram. Apocal. 3. *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum, tentare habitantes in terra.* Ioan. 16. *Ipſe enim Pater amat vos; quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia à Deo exiui.* Sapientiæ 1. *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum; quoniam inuenitur ab iis, qui non tentant illum: apparet autem iis, qui fidem habent in illum. Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia.* Matth. 6. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* 2. Petri 3. *Propter quod, fratres, hæc expectantes ſatagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace.* ſcilicet in die iudicij. ergo ſatagendo per noſtram ſolertiam, cauſare poſſumus, vt inueniamur immaculati.

4. *Caput 3.* Tertium caput eſt præcedenti proximum. Actiones noſtræ ſunt conditio prærequiſita, vt Deus nobis gratiam conferat. Hieremiæ 15. *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis.* 1. Paralipom. capite 28. *Si quæſieris eum, inuenies: ſi autem dereliqueris eum, reiiciet te in æternum.* De hac re totus liber Prouerb. præſertim caput 1. & 2. In quo notanda ſunt illa verba: *Si ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ; ſi quæſieris eam vt pecuniam; & quaſi theſauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies.* Exodi 19. *Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum; eritis mihi in peculium de cunctis populis*, &c. Similis conditio repetitur Deuteronomij 30. Ioan. 15. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* (& poſt pauca:) *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* & cap. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Quartum caput. Ex parte noſtra prærequiritur præparatio ad gratiam. Prouerb. 16. *Hominis* 5. *Caput 4.*
eſt præparare animam. 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino, & liberabit vos.* Amos 4. *Præparare in occurſum Dei tui Iſraël.*

Quintum eſt. Gratiam conferri dignis, dili- 6.
gentibus, humilibus, manſuetis, obtemperan- *Caput 5.*
tibus, & quærentibus. Sapientiæ 6. *Dignos ſe ipſos circuit quærens.* Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilauerit ad me, inueniet me.* (& poſt pauca.) *vt ditem diligentes me.* Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Iſai. 28. *Quem docebit ſcientiam, aut quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Prouerb. 3. & Iacobi 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Multa eiuſmodi paſſim, vt Pſal. 33. & 101. 112. & Prouerb. 29. idémque de manſuetis frequenter. Ad eaſdem locutiones pertinet totus ſermo Domini in monte de octo Beatitudinibus Matth. 5. & illud Eccleſiaſtici 27. *Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt, & veritas ad eos, qui operantur illam, reuertetur.* Pſalm. 17. *Cum ſancto ſanctus eris*, &c. *quoniam tu populum humilem ſaluum facies.*

Sextum eſt, nos cauſare noſtram ſanctitatem, 7.
veluti Ezechielis 18. *Facite vobis cor nouum, &* *Caput 6.*
ſpiritum nouum. Hebr. 12. *Remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret; magis autem ſanetur.* Iſaiæ 40. *Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.*

Hæc, & his ſimilia, plurima Scripturæ verba, niſi ſecundùm exponendi canones temperarentur, adiunctis aliis locis eiuſdem Scripturæ, facilè colligeretur ex illis Semipelagianus error, ſicut ex Chryſoſtomo, & antiquioribus Patribus colligitur. De expoſitione ſimilium teſtimoniorum diximus ſatis ſuprà tota diſput. 24. præſertim ſect. 5. & dicemus etiam tomo ſequenti, conferentes inter ſe plura Scripturæ verba, quæ nunc à Deo, nunc ab hominibus tales effectus exigunt.

Secunda probatio eſt. Omnia quæ ſecundùm 8.
errorem Maſſilienſium docuerat Auguſtinus, ca- *Similes propoſitiones non*
preſsè retractauit in 1. de prædeſtinatione San- *retractauit*
ctorum cap. 3. & lib. 1. Retractationum, cap. 23. *Auguſtinus.*
& tamen non retractauit, ſed potiùs explicauit, & retinuit, vt veras pleraſque propoſitiones, ſimiles iis, propter quas error Maſſilienſium tribuitur Chryſoſtomo, & Græcis Patribus. Ergo ſicut Auguſtinus eas propoſitiones vero & catholico ſenſu priùs docuit, & poſtea explicatas retinuit; ſic explicanda, & retinenda ſunt ſimilia teſtimonia veterum. Antecedens probatur ex lib. 1. Retractationum cap. 9. vbi Auguſtinus ex variis tractatibus ſuis refert propoſitiones, quibus aſſeruit, noſtram voluntatem pro ſua libertate poſſe liberè virtutem, aut vitium amplecti, idque tanta facilitate, vt ipſum velle honeſtè viuere, ſit habere quod voluit. & poſtea ait in voluntate meritum eſſe. Deinde ſic loquitur Auguſtinus: *His atque huiuſmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare poſſunt, ſuam nos tenuiſſe ſententiam. Sed fruſtra hoc putant. Voluntas*

quippe

quippe eſt, quia peccatur, & rectè viuitur, quod his verbis egimus. Sic ergo antiqui Patres exiſtimandi ſunt egiſſe partes liberi arbitrij, quod tunc ab hæreticis oppugnabatur, ſed nihil dixiſſe contra gratiam Sanctorum.

9. Confirmatur primò, quoniam Auguſtinus eodem libro 1. de prædeſt. Sanctorum cap. 9. ait, ſe contra Porphyrium dixiſſe, quòd ſufficiebat conuincendæ illius infidelitati, & conſultò euitaſſe difficiliorem controuerſiam de gratia, & prædeſtinatione. Ergo ſimili prudentia, credibile eſt, vſos fuiſſe Orientales Patres, diſputantes de libero arbitrio.

Hoc autem de Chryſoſtomo veriſimilius eſt. Nam in homil. de Adam, & Heua col. vltima tomi. 1. poſtquam oſtendit, initium iuſtificationis eſſe non ex nobis, ſed ex gratia Dei præueniente, nullis præcedentibus meritis noſtri liberi arbitrij, ſubdit: *Profundiores verò difficilioréſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, non neceſſe habemus aſtruere, quia ad confitendam gratiam Dei, ſatis ſufficere credimus*, &c. Vnde conſtat, Chryſoſtomum in exhortationibus ad populum profundiores gratiæ, & prædeſtinationis quæſtiones conſultò, & ſtudioſè vitaſſe.

10. Confirmatur ſecundò, quoniam Auguſtinus 1. de prædeſt. Sanct. cap. 6. dum oppugnat Maſſilienſes, concedit hanc propoſitionem cauſalem: *Illi homines quia voluerunt, crediderunt: & illi quia noluerunt, non crediderunt.* Nihilominus dicit, initium, & rationem fidei eſſe ex Deo; quoniam Deus facit, vt velint: atqui in cauſalitate prioritas ineſt. Ergo quamuis Chryſoſtomus, & alij prioritatem aſſerant in noſtro libero arbitrio reſpectu fidei; adhuc ea prioritas, & cauſalitas poterit moueri, & excitari ab auxilio ſupernaturali Dei, præſertim cùm aliis in locis iidem Patres hoc ipſum ſignificauerint.

11. *Auguſtinus exponendus.* Confirmatur tertiò, quoniam ſicut neceſſarium eſt, Auguſtinum exponere in lib. 83. quæſt. quæſt. 68. poſt medium: ita poſſumus, ac ſubinde tenemur, Chryſoſtomum interpretari, quando ſimilia loquitur. Auguſtinus igitur loco citato dicit: *Cuius vult, miſeretur, & quem vult, obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſſimis meritis, quia & ipſi peccatores cum propter generale peccatum vnam maſſam fecerint; non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.* (& poſt pauca.) *Parum eſt velle, niſi Deus miſereatur: ſed Deus non miſeretur, qui ad pacem vocat, niſi voluntas præceſſerit.* Ex vtroque teſtimonio manifeſtè conſtat, Auguſtinum admittere aliquod meritum voluntatis præcedere, ratione cuius quidam digni ſunt diuina miſericordia; alij verò digni ſunt, qui permittantur obdurati manere. Quamobrem Magiſter 1. ſentent. diſtinct. 41. cap. *his tamen*, reſpondet: *Quid intelligere voluerit Auguſtinus, ignoratur: niſi fortè hoc dicatur intellexiſſe, quod ſupra diximus, eum retractaſſe.* Quem reſpondendi modum docti recentiores imitati ſunt.

12. Nihilominus Auguſtinus 1. Retractationum cap. 26. versùs finem, perueniens ad dictam quæſtionem 68. nihil prorſus retractat, ſed ſolùm explicat illa poſtrema verba, quæ ſuprà retulimus: *Deus non miſeretur, niſi voluntas præceſſerit*, dicens: *Hoc dictum eſt poſt pœnitentiam. Nam eſt miſericordia Dei, etiam ipſam præueniens voluntatem; quæ ſi non eſſet, non præpararetur voluntas à Domino; & ad eam miſericordiam pertinet & ipſa vocatio, quæ etiam fidem præuenit.* Atque hanc fuiſſe ſuam mentem confirmat ex variis verbis eiuſdem quæſtionis, ex quibus placuit hæc addere: *Nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus, & vocatus*, &c. Vnde poſtea infert: *etiam ipſum velle Deus operatur in nobis.* (& poſt pauca.) *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur.* & iterum: *Non habuit meritum præuium, vt vocaretur.* Conſidera in vno, eodémque contextu nihil re ipſa pugnare, quæ in ſpeciem pugnare videbantur; vt diſcas in diuerſis contextibus inuenire concordiam. Vide ſuprà diſputatione 6. ſect. 5. ad finem.

Confirmatur quartò. Nam Pelagius aſſeruerat, *donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere omnes gratias, ſicut Paulo Apoſtolo donauit. Ad hoc Synodus dixit, conſequenter, & Eccleſiaſtico ſenſu, & ipſe ſenſiſti de dono gratiarum, quæ in ſancto Apoſtolo continentur.* Ita refert Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij cap. 14. inter princ. & med. quam Palæſtinæ Synodi ſententiam veneratur Auguſtinus, & ita exponit, vt gratia priùs donetur indignis, quibus reddantur digni vlteriori gratia, vt retulimus ſuprà diſput. 24. ſect. 4. num. 21. 13.

Aliam eiuſdem propoſitionis explicationem tradit Auguſtinus in eodem lib. cap. 17. ad finem, dicens: *Si enim pro eo, quod poſitum eſt, dignus, poſitum eſſet*, prædeſtinatus, *vel aliquid huiuſmodi, nihil certè ſcrupuli tangeret, atque tangeret animum. Et tamen ſi dicatur, eum, qui per electionem gratiæ iuſtificatur, nullis quidem præcedentibus meritis bonis; ſed deſtinatione dignum vocari, ſicut electus vocatur, vtrùm vel certè, vel minima offenſione intelligentiæ, dici poſſit, difficile iudicatur. Nam quantum ad me attinet, ab hoc verbo facilè tranſirem, niſi me liber ille, cui reſpondi, vbi omninò nullam dicit Dei gratiam, niſi naturam noſtram cum libero arbitrio, gratiam creaturam, de ipſius Pelagij ſenſum ſolicitum redderet, ne fortè hoc verbo non de negligentia locutionis, ſed de diligentia dogmatis curauit inſerere.* 14. *Eiuſdem propoſitionis explicatio alia.* *Ita habet prima editio huius libri.*

Pondera poſtrema verba, illiſque cum vtraque interpretatione collatis, collige quantò faciliùs tranſiret Auguſtinus; nec offenderet, ſed potiùs catholico interpretaretur ſenſu, ſi apud Chryſoſtomum, Nazianz. Baſilium, cæteróſque, quos veluti magiſtros venerabatur, legeret, dignis præberi Dei gratiam, vel auxilia. Quam eandem doctrinam, vtpote magni momenti, in cap. 35. eiuſdem lib. in epilogo repetendam duxit, Palæſtinos Patres his verbis excuſans: *Et quòd eas omnes gratias, quas loco vno commemorat, habuit Apoſtolus Paulus; quas tamen eum dignum fuiſſe accipere, aut non ſecundum merita, ſed potiùs ſecundùm prædeſtinationem aliquo modo intelligere potuerunt.* 15.

Confirmatur quintò. Nam circa electionis, & reprobationis cauſam aliqua Auguſtini teſtimonia indigent eadem interpretatione, quam ſuperiori ſect. num. 22. & ſequentibus. conceſſimus Chryſoſtomo, veluti lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. col. 4 illis præſertim verbis: *Nemo eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reiicitur. Vnde quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo ſit dictum, niſi præſcientia.* & ſerm. 7. de verbis Domini ſecundùm Matthæum in principio, agens de illo, qui Matth. 8. ſe obtulit Christo, dicens: *Domine ſequar te, quocunque ieris*, Auguſtin. inquit, reprobatum fuiſſe illum hominem, quoniam *ſi ſequeretur Chriſtum, ſua quæſiturus erat*, 16.

erat, non quæ Ieſu Chriſti. Et tamen ex ſequenti contextu euidens eſt Auguſtinum in iis verbis fictam Chriſti Domini ſequelam intellexiſſe. Nam eum hominem fictum, doloſum, & inſidioſum appellat. Contrà verò omnem hominem, qui verè, & ex animo ſe offert Ieſu Chriſto, hanc ipſam promptitudinem, ac deuotionem animi accipere à Deo merè gratis, late perſequitur idem ſermone 7. Sic etiam epiſt. 49. quæſt. 2. poſt med. ait: *Tunc voluiſſe apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri.*

17. Sicut ergo Auguſtinus in Dei præſcientia conſtituit vnum hominem, qui crediturus eſt, & ſimplici fide victurus, atque propterea dignus eſt, cui Chriſti Domini præſcientia, euangelica doctrina, electio, & vocatio tribuatur. Rurſus in eadem præſcientia conſtituit alium hominem, qui propter cordis fictionem reprobatur, & nihilominus idem Doctor agnoſcit fidei ſimplicitatem, & rectitudinem, atque vitæ puritatem eſſe dona, cauſanda per diuinam electionem, vocationem, & gratiam: ita etiam eadem eſſe potuit mens, & concordia Chryſoſtomi, quando diuerſis in locis diuerſimodè loquitur de præſcientia operum in ordine ad prædeſtinationem, aut de prædeſtinatione, cauſante fidem, & opera. Plura de iis teſtimoniis Auguſtini dicemus tomo ſequenti tractantes de cauſa prædeſtinationis.

18. *Antiqui Patres ab Auguſtino commendati.* Tertia probatio fit. Quoniam aliqui antiquorum Patrum ipſo etiam Auguſtini teſtimonio commendati ſunt, quaſi rectè, & catholicè de initio gratiæ contra Semipelagianos exiſtimantes. Veluti Nazianz. Cyprianus, Ambroſ. & Hieronym. & tam ij Patres, quàm alij plurimi, quandoque vſurparunt eaſdem locutiones, quas ſententia contraria quaſi Semipelagianas in Chryſoſtomo reprehendit, vt videbimus diſput. ſequenti, ſect. 1. & 3.

SECTIO VII.

Contrariæ ſententiæ quæ reſtant argumenta ſoluuntur.

1. *Argum. 1.* PRimum argumentum eſt. Quoniam Caſſianus Chryſoſtomi, aliorúmque Græcorum diſcipulus fuit, ſuamque ſententiam tradit, quaſi à ſuis præceptoribus acceptam: vt vidimus ſect. 1. ergo eiuſdem ſententiæ fuerant Græci, ac præcipuè Chryſoſtomus.

Soluitur. Reſpondetur illationem eſſe nullam. Alioqui probaret, etiam Scripturæ ſacræ fuiſſe Caſſiani ſententiam, quam ille tot Scripturæ teſtimoniis demonſtrari putabat. Caſſianus igitur ſicut Scripturam, ita etiam Græcorum Patrum, ac præſertim Chryſoſtomi mentem aſſecutus non eſt. Quod in difficilioribus fidei controuerſiis non rarò contingit hominibus, qui propter facilitatem ornatè dicendi, & rerum ſpiritualium experientiam tantum ſibi arrogant, vt hæc ſibi ad Theologiæ dogmata ſufficere reputantes, ſcholaſticas Theologiæ ratiocinationes, & ſubtilium Doctorum authoritatem contemnant.

Confirmatur. Confirmatur. nam Caſſianus, & cæteri Maſſilienſes, non ſolùm Græcos, ſed etiam Latinos Patres, & vniuerſam antiquitatem faciebant ſuæ ſententiæ; vt Auguſtini ſententiam nouitatis inſimularent: quod oſtendimus ſect. 1. & 2. Sicut ergo decepti ſunt circa Latinos, & vniuerſam antiquitatem: ita circa Græcos Patres propria ſunt arrogantia decepti.

Secundum argumentum. Quoniam Caſſianus, Fauſtus, aliique Semipelagiani eaſdem locutiones vſurpant, quas Chryſoſtomus, & alij Patres Græci. 2. *Argum. 2.*

Reſpondetur primò. Fateor vſurpare aliquando eaſdem locutiones; ſed non eas ſolas: ſed adiungere plures alias locutiones, quibus earum ſenſum detorquent ad Semipelagianiſmum. Itaque ſi Caſſianus, Fauſtus, & Maſſilienſes in fauorem liberi arbitrij docuiſſent nihil amplius, quàm Chryſoſtomus, aliique Græci: & inſuper aliis in locis, ad confirmandam indigentiam diuinæ gratiæ præuenientis, & diuinæ voluntatis, & prædeſtinationis, eadem docuiſſent, quæ Chryſoſtomus, & alij Græci tradiderunt; illi nulla ratione ab Eccleſia damnarentur quaſi Semipelagiani. At verò diſertis verbis negabant neceſſitatem gratiæ, quæ præueniat omnes conatus naturalium virium: aſſerebántque, opera, quæ ſolis naturæ viribus fiunt, poſſe de congruo mereri, & impetrare gratiam, vltra alios manifeſtos errores, quos ſuprà diſputatione 14. retulimus ſectione 5. & ſequent. Atque illud maximè deprauatum ſenſum eorum declarabat, quod aperto marte pugnantes contra Auguſtinum, illius dogmata de initio gratiæ, & prædeſtinationis cauſa, non ſolùm argumentis, ſed etiam maledictis lacerabant. *Soluitur.*

Tertium argumentum. Quoniam Auguſtinus reſpondens obiectionibus Maſſilienſium, tacendo videtur concedere, quod illi affirmabant, ſecum antiquos Patres ſenſiſſe de initio iuſtificationis. Sed huic argumento abundè ſatisfecimus ſect. 3. probat. 3. 3. *Argum. 3.*

Quartum argumentum. Quoniam Auguſtinus aliquando exiſtimauit, fidem haberi poſſe per vires naturæ, abſque gratia: ergo non erit inconueniens concedere circa eandem materiam Chryſoſtomum, ac cæteros Græcos erraſſe. 4. *Argum. 4.*

Reſpondetur. Ex vi antecedentis ſolùm colligi poterat Chryſoſtomum, & cæteros Græcos, ſingulos ſeparatim ſumptos, errare potuiſſe: ita verò, vt quilibet ſe ipſum corrigeret, vel corrigeretur ab Eccleſia vniuerſali, vel certe non tanto in pretio haberetur, vt quaſi tutam, & ſuſpicione carentem eius doctrinam Eccleſia reciperet. Sic enim Auguſtinus errauit, antequam crearetur Epiſcopus, qui niſi ſuum correxiſſet errorem, non tantam in Eccleſia obtinuiſſet docendi authoritatem. Nihilominus repugnat protectioni, quam Deus Eccleſiæ promiſit, Chryſoſtomum ſæpius atque conſtanter Semipelagianiſmum docuiſſe; multis Græcorum annuentibus, & nullo illius, vel ſequentis temporis Doctore, ſiue Græco, ſiue Latino aduersùs Chryſoſtomum animaduertente, ſed potiùs Eccleſia vniuerſa recipiente, ac venerante illius doctrinam, & aliorum Græcorum, cuius repugnantiæ rationem fuſiùs explicuimus ſect. 3. *Reſponſio.*

Quintò valdè ponderare ſolent contrariæ ſententiæ Doctores, quod Græci Patres, ſimpliciter, & abſolutè loquentes, gratiam plerumque ſilentio prætereant, quando vehementer incumbunt ad commendandos liberi arbitrij conatus. Cæterùm obiectionis huius ſolutio eadem eſſe debet, quam Auguſtinus adhibuit ad præoccupandam obiectionem Pelagianorum contra libros 5.

de

de libero arbitrio in lib. 1. Retractationum c. 9. in med. dicens: *In his, atque huiuſmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare poſſunt, ſuam nos tenuiſſe ſententiam, ſed fruſtrà hoc putant.* Nota rationem excuſationis, quia tunc non agebatur de gratia. Cui Auguſtinus ſubiungit duas alias, nimirùm, quia tunc Pelagiani nondum erupetant, ſed tantùm contra Manichæos ſcribebat. Et quia nihilominus non omnino de gratia reticuit, ſed aliquam illius mentionem fecit, cùm diceret omnia bona eſſe à Deo. Vide nunc ſit ne aliquis antiquorum Patrum, qui non clariorem gratiæ mentionem fecerit in ſuis ſcriptis, quàm Auguſtinus in prædictis libris de libero arbitrio.

6. Confirmatur, quia catholici, quibus hæc ſolutio non ſatisfecerit, cogentur concedere, inſolubilia eſſe Græcorum argumenta, quibus probant, Spiritum ſanctum à filio non procedere, quia Concilium Nicænum, & plurimi antiquiſſimi Patres dixerunt, Spiritum ſanctum à Patre procedere, nulla expreſſa mentione Filij: inſuper iuſtè accuſari Eccleſiam, quæ in ſymbolo Nicæno addiderit, *Filióque.* Quòd ſi hæc, quæ virtualiter, & implicitè continebantur in verbis antiquorum Patrum, licuit ſupplere & exprimere: licebit etiam gratiam ſubintelligere, & ſupplere, præſertim cùm longè clariora de gratia teſtimonia extent apud Chryſoſtomum, & cæteros Patres ſuprà ſect. 4. & tota diſp. ſequent.

7. Poſtremò diligenter obſeruandum eſt pro hac, & ſequenti diſp. eas ipſas locutiones, quæ tempore Chryſoſtomi, & aliorum Patrum nulla reprehenſione dignæ cenſebantur, & meritò; nunc ſine culpa, vel nota vſurpari nõ poſſe à Scholaſticis. Quoniam temporum varietas, & hæreticorum inſidioſæ fraudes, quas quotidie nouas experimur, compellunt à Theologis exigere doctrinam exactè, atque diſtinctè explicatam, cui opus non ſit, limitationes, aut cõdimenta ſupplere. Inde occaſionem arripiunt ex recentioribus aliqui refellendi quædam teſtimonia Chryſoſtomi, & aliorum Patrum, quæ ipſis opponuntur; quoniam inquiũt, Nullus Theologus hęc audebit hodie affirmare. Quos nunc generaliter redarguimus, quoniam quilibet Theologus poteſt, & debet illa eadem affirmare, adhibita ſemper expreſſa explicatione, ex eiſdem Patribus deſumpta, vt nuper dicebamus: nec propter expreſſam explicationem detrahitur aliquid eorum authoritati; nec excuſatur aliquis Theologus à recipienda eorũ veritate.

DISPVTATIO XXVIII.

Vtrùm cæteri omnes Patres circa iuſtificationis exordium cum Chryſoſtomo, & Auguſtino concordent.

1. *Diſputationis vtilitas.*

HVius diſputationis vtilitas eſt duplex, prima, vt tanto firmior ſit catholica veritas, quanto conſtiterit clariùs, omnes Patres circa initium iuſtificationis in eandem ſententiam conſpiraſſe. Secunda, vt in hoc, & cæteris tomis pro libertate vendicanda integros habeamus plurimos teſtes, quos hac ſola exceptione à teſtimonio depellere conantur libertatis oppugnatores, vt vidimus diſputatione præced. ſect. 1. Tertia vtilitas eſt, vt eos Patres, qui probatiſſimi ſunt Eccleſiæ, audiendo circa liberum arbitrium, & gratiam, & eorum teſtimonia conferendo cum aliis Patribus, quorum doctrina ſuggillatur, euidenter conſtet, omnes eiuſdem fuiſſe ſententiæ, ſiue quando exactè loquentes, explicant neceſſitatem præuenientis, & operantis gratiæ, ſiue quando in ſpeciem videntur oppoſitum ſentire, dum locutiones accommodant ad communem, & vulgarem loquendi modum.

Hac de cauſa duæ priores ſectiones continebunt eos Patres, quorum doctrina circa iuſtificationis exordium, maiorem in Eccleſia obtinuit authoritatem, quo cæteris Patribus facilior pateat explicationis aditus in 3. 4. 5. & 6. ſect. 2.
Suppono autem ex diſputatione præcedenti ſect. 2. & 3. generalibus probationibus eſſe monſtratum, non potuiſſe tot Patres, tanto tempore, in re tanti momenti errare. Quapropter nihil reſtat in generali dicendum, ſed tantùm de ſingulis in particulari.

SECTIO I.

Cyprianus, Ambroſius, & Hieronymus quomodo cum Auguſtino, Græciſque conſentiant.

DE Cypriano Auguſtinus lib. 1. de prædeſtin. Sanctor. cap. 3. initio contra Maſſilienſes ſic 1.
loquitur: *Non ſic pius, & humilis Doctor ille ſapiebat Cyprianus, qui dixit, in nullo gloriandum eſſe, quando noſtrum nihil ſit. Quo præcipuè teſtimonio conuictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem non eſſe donum Dei*, &c. Idem clariùs repetit lib. 2. de bono perſeuerantiæ, cap. 14. poſt med. Vbi ex eodem teſtimonio Cypriani colligit prædeſtinationem ante præuiſa opera, elicienda per ſolas vires naturæ, abſque auxilio gratiæ. Vnde conſtat etiam, Auguſtino iudice, Cyprianum in præſenti cauſa eſſe teſtem omni exceptione maiorem.

Quid de Cypriano ſentiat Auguſtinus.

Nihilominus idem Cyprianus in lib. de exhortatione ad Martyrium cap. 10. fine ait: *Vnuſquiſque ſecundùm Dominica promiſſa, & fidei ſuæ merita tantum accipit de Dei ope, quantum ſe credit accipere, neque eſt quod Omnipotens præſtare non poſſit, niſi accipientis fides caduca defecerit.* Quæ verba non de qualibet ope, & auxilio Dei; ſed ſolummodo de ſubſequenti erunt neceſſariò intelligenda; niſi velis Semipelagianiſmum in eis admittere. Inde igitur diſcas, ſimiles locutiones, etiam apud Græcus non temere damnare, ſed exponere. 2.

Idem Cyprianus in fin. libri primi de opere, & eleemoſyna, & lib. 4. epiſtolarum, epiſt. 7. affirmat, omne hominum genus diuinis auxiliis æqualiter perfrui. Quam ſententiam Semipelagianam exiſtimabis; niſi aduertas, eſſe communem antiquorum Patrum, intelligendámque ſolummodo de auxiliis ad ſalutem ſimpliciter neceſſariis, vt fusè oſtendemus tomo ſequenti. 3.

Ad Ambroſium veniamus, cuius doctrinam de gratia, & viribus naturæ, veneratur Auguſtinus tota ferè epiſtola ad Vitalem 107. & locis infrà citandis. Ac in primis lib. de bono perſeuerant. cap. 8. in medium refert Ambroſium in lib. de fuga ſæculi, c. 1. dicentem: *Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & cogitationes noſtræ, quæ improuiſo offuſa, mentem, animúmque confundunt*, &c. Vnde rectè Auguſtinus colligit, iuſtificationis initium non eſſe in poteſtate noſtra, ſed in Dei poteſtate; *Qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem.* Nam à cogitatione datur initium 4.

Ambroſij doctrinam veneratur Auguſtinus.

Digitized by Google

iuſtificationis ſuprà diſp. 18. ſect. 5. atque in c. 13. eiuſdem libri de bonu perſeuerantiæ. Iterum ponderatis eiſdem verbis Ambroſij ſubiungit alia eiuſdem: *Quis autem tam beatus, qui in corde ſuo ſemper aſcendat? ſed hoc ſine diuino auxilio quî fieri poteſt? nullo profectò modo. Denique ſuprà eadem ſcriptura dicit: Beatus vir, cuius eſt auxilium eius abs te, Domine, aſcenſus in corde eius*, Pſalm. 83.

5. Eiuſdem teſtimonio vtitur Auguſtinus de bono perſeuerantiæ, cap. 19. quo & in commentario ſuper Lucam, exponens illa verba proœmij, *Viſum eſt & mihi.* Inde Ambroſius colligit, eum, qui Deo credit, poſſe etiam dicere: viſum eſt & mihi credere; quoniam non ſibi ſoli, ſed etiam viſum eſt Deo, à quo præparatur voluntas ad credendum: *Poteſt* (inquit Ambroſius) *non ſoli viſum eſſe, quod ſibi viſum eſſe declarat. Non enim voluntate tantùm humana viſum eſt; ſed ſicut placuit ei, qui in me loquitur Chriſtus, qui vt id, quod bonum eſt, nobis quoque videri bonum poſſit, operatur: quem enim miſeretur, & vocat.* Eodem prorſus teſtimonio ad eandem veritatem confirmandam vtitur Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 46.

6. In eodem cap. 19. de bono perſeuerantiæ Auguſtinus aliud producit teſtimonium eiuſdem Ambroſij lib. 7. in Lucam, ad illa verba capitis noni: *Quia facies eius erat euntis in Hieruſalem.* vbi, *Simul diſce*, inquit, *quia recipere noluit non ſimplici mente conuerſos. Nam ſi voluiſſet, ex indeuotis feciſſet deuotos. Cur autem non receperunt eum, Euangeliſta ipſe demonſtrat, dicens: Quia facies eius erat euntis in Hieruſalem. Diſcipuli autem recipi intra Samariam geſtiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit.* Quibus recitatis, Auguſtinus ait, nihil euidentius dici poſſe contra Semipelagianum errorem, ſi adſit amor, & delectatio inueniendi veritatem.

7. In eodem libro de bono perſeuerantiæ cap. 23. versùs finem refert Ambroſium dicentem: *Orare Deum gratia ſpiritualis eſt, ſicut ſcriptum eſt: Nemo dicit, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Atque inde colligit Auguſtinus initium cuiuſque boni operis, & fidei, & orationis procedere à Dei gratia præueniente.

8. Idem Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelagium, & Cœleſtiū c. 44. refert aliud teſtimonium Ambroſij ſuper Lucam lib. 2. c. 12. vbi: *Videt vtique* (inquit) *quia vbique Domini virtus ſtudijs cooperatur humanis, vt nemo poſſit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, nemo quidquā incipere ſine Domino, & ideo iuxta Apoſtolum, ſiue manducatis, ſiue bibitis, omnia in Dei gloriam facite.* Quæ verba ponderans idē Auguſtinus, ſubiungit: *Videtis, quemadmodum ſanctus Ambroſius etiam illud quòd ſolēt homines dicere, nos incipimus, & Deus perficit, his verbis abſtulit dicens: Neminem quidquā vel incipere ſine Deo.*

9. Deinde in eodem capite 44. refert aliud teſtimonium eiuſdem Ambroſij ſuper Lucam lib. 6. cap. 21. quo probat, dilectionem, & dilectionis augmentum ad beneficium gratiæ pertinere. Sed in cap. 45. eiuſdem libri de gratia Chriſti Auguſtinus citat aliud teſtimonium Ambroſij, quod clariùs teſtatur neceſſitatem gratiæ præuenientis ad conuerſionem, & pœnitentiam, nimirum lib. 10. ſuper Lucam cap. 96. ad illa verba Lucæ 22. *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum.* Sed quomodo vterque Doctor ponderauerit efficaciam Domini reſpicientis & flentis Petri cooperationem, opportunè referemus infrà diſputatione 31. ſect. 3. nunc attigiſſe ſatis fuerit. Plura ad huius dogmatis confirmationem ſpargit Ambroſius toto cap. 2. ad Epheſ. & ad Hebr. 6. ad illa verba: *Generans herbam opportunam*, ait: *Notandum eſt, quòd omnis abundantia in frugibus terræ, in fructibus arborum, non aliter niſi per Dei benedictionem cultoribus ad voluntatem reſpondere poterit. Neque enim agricolarum eſt, terram excitare ad fructus; ſed imperium Dei, ſicut alibi Beatus Paulus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit; ſed Deus incrementum dedit.*

10. Idem lib. de Iacob & vita beata lib. 1. cap. 6. ait: *Non habeo igitur vnde gloriari in operibus meis poſſim. Non habeo vnde me iactem, & ideo gloriabor in Chriſto. Non gloriabor quia iuſtus ſum; ſed quia redemptus ſum. Gloriabor non quia vacuus peccati ſum, ſed quia mihi remiſſa ſunt peccata: non gloriabor quia profui*, &c. Idem in prologum Lucæ inter medium & finem, ait: *Vt Deus honorificetur à ſancto, Dei gratia eſt.* Ergo quæcumque actio, ad iuſtificationem quomodocunque vtilis, eſt gratia Dei: nam quacunque eiuſmodi actione Deus honorificatur.

11. Ac lib. 6. in Lucam cap. 9. ad illa verba cap. 8. *Date illis vos manducare*, ait: *Gratia cæleſtis impartitur alimentum; ſed quibus impertitur aduerte. Non otioſis, non in ciuitate quaſi in Synagoga, vel ſæculari dignitate reſidentibus; ſed inter deſerta quærentibus Chriſtum. Qui enim non faſtidiunt, ipſi excipiuntur à Chriſto, & cum ipſis loquitur Dei verbum.* Si hæc fortè dixiſſet Chryſoſtomus, aut Græcorum alter, protinus contrariæ ſententiæ Doctores notarent coincidere cum verbis Semipelagianorum, quæ in Arauſicano canone 6. damnantur, videlicet miſericordiam conferri credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus ſine gratia Dei.

12. Attamen huius notæ ſuſpicionem ſuſtulit non ſolùm tanti Doctoris authoritas apud Auguſtinum, cæteróſque aſſertores gratiæ, ſed etiam quod iis omnibus priorem eſſe ſanitatem, quam offert gratia vocationis, oſtendunt verba, quæ ſubdit Ambroſius: *Itaque nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus, & illi, qui vocantur ad cœnam, priùs vocando ſanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem accepit: ſi lumine erat priuatus oculorum, domum vtique Domini niſi refuſa luce intrare non potuit. Vbique ergo myſterij ordo ſeruatur, vt priùs per remiſſionem peccatorum, vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cæleſtis exuberet.*

13. Præterea libro 2. de Abraham Patriarcha cap. 10. poſt medium: *Talem*, inquit, *te præbe bonis ſtudijs, & promptis fide, vt Deus tui miſereatur, & vocet te.* Hæc verba ſi à cætero contextu diuulſa reperirentur apud aliquem Græcorum, non dubitarent Doctores oppoſitæ ſententiæ numerare inter ea, quibus plus nimio fauent libero arbitrio. quaſi hominum ſtudia primam Dei miſericordiam mereantur: nam prima gratia, & miſericordia eſt vocatio. Nihilominus quæ immediatè præcedunt verba, & quæ ſequuntur, manifeſtè teſtantur contrarium dogma catholicum. *Concluſit*, Ambroſius ait, *Deus omnia in incredulitate, vt omnibus miſereatur: vt non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei eſſet gratia: ne te ipſum iuſtificares, ſed omnia tribueres Deo, qui te vocauit. Nemo enim pigreſcat, & excuſationem prætendat, quo ſtrius credat, quia ſcriptum eſt: Non volentis, neque currentis eſſe. Conſideret enim quid additum ſit; ſed miſerentis, inquit, Dei.*

Idem

14. Idem in Pſalm. 118. ſermon. 10. ad illa verba: *Fiat miſericordia tua, vt conſoletur me*, ait: *Non volentis, neque currentis hominis perſeuerantia eſt. Non eſt enim in hominis poteſtate; ſed miſerantis Dei eſt, vt poſſis complere, quæ cœperis.* Quæ verba videntur innuere, initium eſſe volentis; atque currentis; at verò miſerentis Dei non eſſe, niſi complementum, & perſeuerantiam. Cæterùm in præcedenti, atque ſequenti contextu apertè docet, exhortationem, qua peccatores reuocantur ad ſalutem, eſſe diuinæ miſericordiæ deputandam. Vnde conſtat, non de prima miſericordia, & vocatione, quæ eſt totius vocationis initium: ſed de vlteriore vocatione, qua fideles vocantur, vt de peccatis doleant, vel acceptam iuſtificationem augeant, locutum eſſe Ambroſium in prioribus verbis.

15. Eadem interpretatione accipiendum eſt, quod in Pſalm. 36. colum. 3. ait: *Bonus agricola quotidiana operatione, & peruigili ſolicitudine exercet agrum ſuum, & propria rura cuſtodit, ne deuaſtet ea aper de ſylua, & fructus maturos raptor eripiat. Ara ergo terram tuam, vt cùm venerit, qui ſeminat verbum, animam tuam inueniat præparatam*, &c. Pondera, ſemen eſſe cuiuſque viuentis initium, proindéque ſignificare primam gratiam ſuprà diſput. 18. ſect. 6. propè initium. Quapropter ſignificare videtur Ambroſius, aliquem laborem, & diſpoſitionem ex parte liberi arbitrij, vel prærequiri, vel certè poſſe præcedere ante primam gratiam. Cæterùm ibi agit de fidelibus, qui per fidem, ſpem, orationem, & pœnitentiam ex priori alio ſemine gratiæ conceptas, diſponuntur, vt altiorum virtutum ſemina accipiant à Deo; vt conſtabit legenti totum illius Commentarij diſcurſum.

16. Simili alia explicatione intellige, quod in eodem Commentario Pſalm. 36. colum. 4. (numerando à fine) ad illa verba: *Os iuſti meditabitur ſapientiam*, ait: *Ideo memor erat in ſtratu ſuo ſemper Domini ſui, & in ipſo meditabatur, vt diluculum preueniret, & in tenebris ei illuceſceret Chriſtus, dicens: Surge qui dormis. Nam in omnibus hæc gratia eſt; ſed poteſt eſſe & in pluribus diligentia. Ne igitur expectes, vt excitet te Chriſtus; ſed potiùs Chriſtum excita, excitat eum, qui de ipſo dormitans cogitat. Si tu illum excitaueris, & ipſe te excitabit à ſomno, reſuſcitabit à morte, dicens tibi: Exurge à mortuis. Cùm ſurges ergo, vel reſurges, ipſum loquere, vt impleas quod iuberis; audi quomodo te Chriſtus excitat.* Hæc omnia intelligenda ſunt non de gratia primò excitante; ſed de alia excitante gratia. Homines quippe iam excitati ad fidem, ſpem, & orationem, per illarum virtutum actus excitare poſſunt Chriſtum, vt ipſos excitet ad maiores profectos, de qua dicemus infrà diſput. 41. ſect. 1. num. 9. & ſequentibus.

Pſal. 6.
Epheſ. 5.

17. Idem Ambroſius ad Philippenſ. 1. fine explicans illud: *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum, vt in eum credatis; ſed etiam, vt pro illo patiamini*, ait: *Quamquam Dei gratiam extollat in omnibus: ad laudem tamen illorum proficit, quod dicit; quia Deus illis conceſſit pati pro Chriſto. Non enim concedit, vel donat, niſi amatoribus Chriſti.* Quæ verba Semipelagiana erunt, niſi, vt debemus, exponamus de ſola gratia ſubſequente, atque de laude illa, quam virtute diuinæ gratiæ, cum illa cooperando, comparamus.

18. Tandem Philippenſ. 2. ad illa verba: *Cùm timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate ſua*, dicit, *Deum bonos conatus adiuuare teſtatur* (ſcilicet Paulus;) *omnem enim gratiam ſemper reportat ad Deum, vt noſtrum ſit velle; perficere verò Dei.* Ecce noſtrum eſt velle, aliquo peculiari modo, quo perficere non eſt noſtrum, ſed ſolius Dei; & tamen perficere eſt noſtrum. Atque hoc non obſtat, quominus *omnem gratiam* Ambroſius cum Paulo *reportet ad Deum*; quoniam velle noſtrum eſt propter liberam voluntatis cooperationem cum præueniente, & adiuuante gratia. Ergo quamuis Chryſoſtomus, aut Græcorum alius dicat, noſtrum eſſe velle, aut credere, aut voluntatem ad gratiam præparare, intelligendum erit eodem modo.

Teſtimoniis Ambroſij adiungere poſſumus aliud ex commentariis epiſtolæ ad Roman. quæ tribuuntur Ambroſio, ad illa verba ad Roman. 9. *Antequam quidquam boni egiſſent, aut mali*, & ad illa: *Miſerebor, cui miſerebor.* Vbi electio ex præſcientia facta eſſe ſcribitur, illis præſertim verbis: *Sciens eſſe conuerſurum, & manſurum apud me*, &c. & iterum: *Eum vocare, quem ſcit obaudire; & eum non vocare, quem ſcit minime obaudire.* Qui locus exponendus erit eodem modo, quo diſputat. præcedenti ſect. 5. cap. 4. expoſuimus Chryſoſtomum, & ſect. 6. probat. 2. confirmat. 4. Auguſtinum. 19.

Tertius accedat Hieronymus, cui ne minimam quidem Semipelagianiſmi ſuſpicionem tribuere permittit in primis Gelaſij authoritas in cap. *Sancta Romana*, diſtinct. 15. vbi doctrinam Hieronymi de gratia, & libero arbitrio contra Ruffinum, Semipelagiano errore tactum, approbat: ſicut etiam approbat epiſtol. 7. ad Epiſcopos per Picenum versùs finem, vt vidimus diſputatione 14. ſect. 1. num. 11. Deinde quoniam Hieronymus Auguſtini ſententiam de gratia contra totum Pelagianum errorem commendat in Dialogo 3. aduersùs Pelagianos fine, vt vidimus diſputat. 17. ſect. 1. fine. Et ipſe viciſſim Auguſtinus Hieronymi de præſenti cauſa ſententias, à Pelagio recitatas, exponit in libro de natura & gratia cap. 65. Qualis eſt illa Matth. 5. vbi Hieronymus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſum Deum videbunt: quos non arguit conſcientia vlla peccati. Mundus mundo corde conſpicitur, templum Dei non poteſt eſſe pollutum. Hoc vtique agitur in nobis, conando, laborando, orando, impetrando, vt ad illam perfectionem, in qua poſſimus Deum mundo corde conſpicere, eius gratia perducamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quæ verba vera eſſe fatetur Auguſtinus: cæterùm intelligi de conatu, labore, oratione, & impetratione, quæ prouenit à gratia. De alio tamen teſtimonio Hieronymi circa libertatem, quod ibidem exponit Auguſtinus in tomo de ſcientia Dei, dicemus diſp. 43. ſect. 2. 20.

Idem Hieronymus in expoſit. Pſal. 89. videlicet in epiſt. ad Cyprian. col. 4. ait: *Sanctos quoſque excelſaſque virtutes Dei, ſemper miſericordia procreari.* & propè fin. epiſtolæ in illa verba Pſalmi eiuſdem: *Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua.* ita ratiocinatur: *Ergo in ſeruis ipſe Dominus operatur opus ſuum.* 21.

Præterea Hieremiæ 9. prope finem: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire, & noſſe me.* Vbi Hieronymus ait: *Omnis hominum aufertur ſuperbia, dum & ſapientia, fortitudo, & opes eorum reputantur in nihilum; & illa eſt ſola gloriatio, vt ſciat & intelligat,* 22.

quòd ipſe ſit Dominus. (& poſt pauca :) *Ubi ſunt ergo, qui dicunt hominem proprio regi poſſe arbitrio, & ſic datam liberi arbitrij poteſtatem, vt Dei miſericordia tollatur, atque iuſtitia? Unde & Apoſtolus aſſumens hoc teſtimonium, ponit exemplum: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Pondera primò omnes vires naturales liberi arbitrij pro nihilo reputari ad ſalutem ſub illis nominibus, *ſapientia, fortitudo, & opes.* Secundò, hominem non ita proprio regi arbitrio, vt ad ſalutem non præcipuè indigeat gubernatione diuinæ miſericordiæ, ſeu gratiæ. Tertiò, hanc eſſe rationem, vt nullus in ſe poſſit, ſed tantùm in Domino gloriari.

23\. Idem Hieronymus lib. 3. aduersùs Pelagianos propè medium ait : *Ubi autem miſericordia, & gratia eſt, liberum ex parte ceſſat arbitrium, quod in eo tantùm eſt, vt velimus, atque cupiamus, & placitis tribuamus aſſenſum.* Ex parte igitur ceſſat arbitrium, quantum ad gratiam præuenientem, quam nobis tribui, vel non tribui, non eſt in noſtra poteſtate ; at verò vt illi tribuamus aſſenſum per liberam volitionem, in noſtra poteſtate eſt. Inſuper Iſaiæ 49. propè initium, videlicet colum. 2. ait : *Dei enim vocare eſt, & noſtrum credere. Nec ſtatim ſi nos non credimus, impoſſibilis Deus eſt; ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio reliquit, vt iuſtè voluntas præmium conſequatur.* Cùm autem aliàs Hieronymus, præſertim in epiſtol. ad Cteſiphontem, & tribus dialogis contra Pelagianos expreſsè doceat indigentiam diuini auxilij, adiuuantis ad omnia opera; conſtat, ita eſſe noſtrum credere, vt etiam ſit Dei, ac proinde vocare ita eſſe Dei, vt non ſit noſtrum.

24\. Non ſecus ad Galat. cap. 5. ad illa verba : *Perſuaſio veſtra non eſt ex eo, qui vocauit vos*, ait: *Dei eſt vocare, hominum verò credere, vel non credere.* Dixerat autem huius rationem paulo antea: *Quia in arbitrio poſitum eſt, obedire, vel non obedire.* & Epheſ. 1. illud: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*, gloſſat Hieronymus : *Non cùm eſſemus ſancti.* & quod ſequitur : *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*, gloſſat : *Non ſecundùm merita noſtra.*

25\. *Eiuſdē alia teſtimonia, quæ Semipelagiana videntur.* Hactenus ea retulimus Hieronymi teſtimonia, quæ diſertè continent veritatem catholicam de iuſtificationis exordio. Reſtat vt audiamus alia, quæ Semipelagiana videbuntur planè, ſi eadem trutina ponderentur, quam Græci Patres iniuria ſubire coguntur. Hieronymus ergo Ezechiel. 3. propè initium in illud : *Et aperui os meum*, &c. ait : *Aperto ore Dominus largitus eſt cibos, vt initia voluntatis in nobis ſint, & perfectionem beatitudinis à Domino conſequamur. Non eſt enim volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei: attamen & velle, & currere noſtri arbitrij eſt.* Hoc ita explicandum eſt, vt primæ diſpoſitiones liberæ ad iuſtificationem ſint initia, quæ in nobis ſunt, id eſt, in noſtra poteſtate, ſuppoſita Dei gratia præueniente, & adiuuante : atque eodem modo velle, & currere noſtri arbitrij eſt. Hæc autem rectè appellantur initia comparatione donorum, quæ propter has diſpoſitiones liberas Deus nobis confert, infundendo habitus gratiæ, & gloriæ; ad quam infuſionem immediatè non concurrit liberum arbitrium. Et hanc eſſe mentem Hieronymi colligitur ex verbis ſequentibus : *Pro aperui, ſeptuaginta tranſtulerunt, aperuit, vt ſubaudiatur Deus, quia ipſe & aperuit os Prophetæ, & cibauit eum,*

Inſuper dialogo 3. aduersùs Pelagianos propè 26.
luit. (quo in opere, quantum poterat, diſtare affectabat ab errore Pelagianorum, quem refutabat) ſic loquitur : *Quæ* (videlicet iuſtitia) *labore, & induſtria, ac diligentia; & ſemper ſuper omnia Dei clementia cuſtoditur; vt noſtrum ſit rogare, illius ſit tribuere, quod rogatur : noſtrum incipere, illius perficere : noſtrum offerre, quod poſſumus, illius perficere, quod non poſſumus.* Nihilominus Hieronymum notare nullus audebit, quaſi ex viribus naturæ ſine gratia iuſtificationis initium dari concedat : quoniam ex illis tribus dialogis, & ex præcedenti epiſtola ad Cteſiphontem conſtat Hieronymum ita intelligere, vt ipſum rogare, incipere, & offerre fiat virtute auxilij diuini, quod ad ſingulas quaſque actiones eſſe neceſſarium, ex profeſſo probat. Clariùs tamen præcedentia explicantur verbis eiuſdem Hieronymi epiſtol. 8. ad Demetriadem cap. 7. ſub initium, dicentis : *Velle, & nolle noſtrum eſt: ipſum quoque quod noſtrum eſt, ſine Dei miſeratione noſtrum non eſt.*

Hieronymum nullus notare audebit.

Item ad Epheſ. 2. in illa verba : *Gratia enim eſtis ſalui facti per fidem.* ita claudit commentarium: *Addidit itaque Paulus, & dixit, fidem quoque ipſam non noſtræ voluntatis eſſe, ſed Dei muneris. Non quòd liberum homini tollatur arbitrium, & ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 9. Non ſit currentis, nec volentis, ſed miſerentis Dei: verùm quòd arbitrij ipſa libertas Deum habeat authorem, & ad illius beneficium cuncta referantur, cùm etiam nos velle ipſe permiſerit.* Vides Hieronymum circa fidem, & iuſtificationis exordium recurrere ad creationis gratiam, quam Maſſilienſes ſufficere putabant? Nihilominus ex aliis teſtimoniis ſupradictis, & infrà referendis, præſertim ex dialogis contra Pelagianos conſtat, Hieronymum expreſsè refutaſſe, quod illi dicebant, ea tantùm ratione omnia bona in bonum reduci, quoniam ille dedit homini liberum arbitrium. Quare quod hoc loco Hieronymus ait, ſupponit, quod antea ſæpe docuerat, arbitrij libertatem completam ad bene operandum conſtare non ſolùm noſtra naturali potentia ; ſed etiam gratuito Dei auxilio, ad ſingulas actiones requiſito. Ergo quia hæc completa arbitrij libertas Deum habet authorem, inde eſt, vt ad eius ſupernaturale beneficium cuncta referantur, & niſi ita intelligatur Hieronymus, nec cum textu, neque cum præcedentibus verbis eiuſdem commentarij cohæret. 27.

Exponitur.

Idem in Matth. lib. 1. cap. 5. ad illa verba : *Ut ſitis filij Patris veſtri*, ait : *Si Dei præcepta cuſtodiens filius quiſ efficitur Dei : ergo non eſt natura filius, ſed arbitrio ſuo.* Subintellige, ſuppoſita gratia, quæ arbitrium præueniat, & adiuuet. Et in id Galat. 1. *Ut reuelaret filium ſuum in me*, ait : *Natura omnibus Dei ineſſe notitiam, nec quemquam ſine Chriſto naſci, nec ſine ſemine ſapientiæ, & iuſtitiæ.* Hæc tamen explicuimus ſatis diſputat. 25. ſect. 2. probat. 2. 28.

Circa prædeſtinationem etiam factam ex præſcientia futurorum operum, difficilia quædam occurrunt in Hieronymo, præſertim epiſtol. 150. ad Hedibiam q. 10. poſt med. vbi docet, Deum indurare vaſa iræ, vocare autem, & non ſoluere vaſa miſericordiæ. Cæterùm *cauſis præcedentibus, quia alij non ſuſceperunt Filium Dei; alij autem recipere ſua ſponte voluerunt.* & poſt pauca aſſerit, *Paulum idcirco dixiſſe, Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehendiſſe iuſtitiam; quia non ſuperbierint: ſed in Chriſtum crediderint. Iſraëlis autem magnam* 29.

partem

Digitized by Google

partem ideo corruiſſe, quia offenderit in lapidem offenſionis, & petram ſcandali; & ignorauerit iuſtitiam Dei, & quærens ſuam ſtatuere iuſtitiam, iuſtitia Dei, quæ Chriſtus eſt, ſubiici noluerit.

30. Rurſus Malach. 1. colum. 3. ait, rationem dilectionis erga Iacob fuiſſe; *quia ex arbitrij libertate in vtramque partem, vt volumus, declinamus: quamuis vna ſtirpe geniti, vt Iacob, & Eſau.* Similiter rationem prædeſtinationis ex præſcientia futuri actus liberi, docet, eſſe Galatas 1. ad illa verba: *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit.* Cæterùm vtriuſque loci expoſitio eſſe debet eadem, quam ſimilibus Chryſoſtomi teſtimoniis dedimus diſp. præcedenti ſect. 5. cap. 4.

31. His ſimilia ſunt alia teſtimonia, quibus Hieronymus docet: *Eligere noſtrum eſſe, ita vt non viuamus ex imperio Dei, ſed ex arbitrio noſtro.* Veluti in Matth. cap 9. ad illa verba: *Si vis perfectus eſſe.* & epiſtol. 147. ad Damaſum de filio prodigo colum. 3. Cæterùm eorum contextus oſtendit, ſolummodo excludere coactionis neceſſitatem, libertati contrariam; ſed minimè negare imperium Dei, non ſolum obligantis per mandata, ſed etiam dirigentis, & agentis filios ſuos per gratiam: vt expoſuimus tomo de ſcientia Dei, diſp. 44. ſect. 3. n. 17. & ſequent. Denique auxiliorum æqualitatem affirmat Hieronymus in epiſt. nuper citata 147. & epiſt. 150. paulo ſuperiùs citata, & epiſtol. ad Auguſt. de Petro reprehenſo à Paulo colum. 3. Cæterùm tomo ſequenti conſtabit, hæc, ſicut cætera multorum Patrum, de auxilij ſufficientis æqualitate intelligenda eſſe.

32. Ad hunc locum placuit reducere, quæ ſolent citari ex commentariis in epiſtol. ad Romanus ſub inſcriptione Hieronymi. ſed illa præſertim 8. & 9. cap. plurimas continent propoſitiones, non Semipelagianas tantùm, ſed etiam Pelagianas, vt propterea falsò adſcripta eſſe Hieronymo exploratum ſit Theologis ſapientibus. Nihil ergo de illis curandum eſt ampliùs.

SECTIO II.

Cæteri Patres Latini cum Auguſtino, Chryſoſtomóque concordant.

1. *Optati Auguſtinus laudat.*

Optatum Mileuitanum Auguſtinus laudat in lib. poſt collationem contra Donatiſtas cap. 31. & lib. 1. contra Parmenianum cap. 3. atque Ambroſio, Cypriano, Lactantio, & Victorino comparat libro de vnitate Eccleſiæ cap. 16. & lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 4. ſicut & Fulgentius lib. 2. ad Monimum. Hic præſul in lib. 2. contra Parmenianum propius ad medium quàm ad finem (habetur Bibliothecæ tomo 2. aliàs tomo 4.) explicans illud 1. Ioannis 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus,* &c. ait: *Eſt enim Chriſtiani hominis, quod bonum eſt, velle; & in Deo, quod bene voluerit, currere; ſed homini non eſt datum perficere.* (& poſt pauca: *Noſtrum eſt velle, noſtrum eſt currere: Dei, perficere.* Cæterùm ex ipſis verbis, & ex præcedenti, ſequentique contextu conſtat, ſubintelligi diuinam gratiam; virtute cuius noſtrum ſit velle, & currere. Nam cùm dicit, in hac vita non eſſe datum perficere, ſupponit datum eſſe velle, & currere: ac proinde dono cœleſtis gratiæ haberi eiuſmodi poteſtatem. Mens autem Optati hæc eſt. In præſenti vita per diuinam gratiam poſſumus ad perfectionem currere, ſed nunquam poſſumus ad eam perfectionem venire, qua ſine vlla veniali culpa viuamus. Lactantius diuinarum inſtitut. libro 7. cap. 5. poſt medium ait: *Voluit nos Deus vitam nobis inuitam comparare.* (& poſt pauca:) *ſpiritualem vitam per nos ipſi adquirimus.* Hic niſi ſubintelligitur diuinum auxilium, grauior erit error quàm Semipelagianorum. Cæterùm ſubintelligendum eſſe donum, & gratiam, apertè oſtendunt poſtrema verba eiuſdem capitis. *Propterea coli ſe, Deus expetit, ab homine, tanquam Pater, vt virtutem, & ſapientiam teneat. Nam quia nullus alius præter ipſum donare eam poteſt, ſolus poſſidet pietatem hominis.*

2. *Chryſologus ab aliquibus notatur.*

Petrus Chryſologus ab aliquibus authoribus huius ætatis notatur, eo quòd dixerit: *Primam voluntatem reportare à Deo bona, maláve,* quaſi nos priùs demus Deo, vt retribuatur nobis. Sic enim eius verba interpretantur. Cæterùm licet illud de voluntate fuiſſet à Chryſologo dictum (quod adhuc reperire non potui) non foret Semipelagianum, ſed verum. Ageret namque de voluntate concepta per diuinam gratiam, ſine qua nihil boni à nobis fieri poſſe tradit multis in locis. *Defenditur.* Quemadmodum ſerm 97. qui eſt ſecundus de parabola zizaniorum, illa verba Matth. 13. *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo?* ita ponderat: *Seminaſti, non ſeminauimus: nos quod per te facimus, tibi ſemper noſtro aſſignamus authori: & tu in ijs quæ nobis facienda præcipis, ipſe operator aſſiſtis. Ergo ſi nos operis tui facis eſſe pro tua dignatione conſortes, non nobis ſolis quod Zizania naſcuntur, adſcribas.* & poſt pauca: *Nos,* inquit, *præter tuam gratiam nihil habemus per quam ſtamus, viuimus, mouemur, & ſumus: & ſine qua iacemus, deficimus, & perimus.* Perpende etiam ſemina, & initia bonorum Deo aſſignanda eſſe & ſermone 108. in verba Apoſtoli Roman. 12. *Obſecro vos,* &c. ſub init. ponderat illud: *Per miſericordiam Dei, quia per ipſam ſolam, & Paulus crimen perſecutoris amiſit. & Apoſtolatus tanti adeptus eſt dignitatem, ſicut ipſe fatetur,* &c. Et ſermone 11. de ieiunio, & tentationibus Chriſti: *Scribant,* inquit, *diabolo mala, bona Deo, declinent mala, faciant bona, habituri in bonis adiutorem Deum, qui dat poſſe quod iubet, & quæ præcipit, facit ipſe.* Gratiæ præuenientis neceſſitatem etiam ad fidem, & ad voluntatem bonam docet ſerm. 136. in Diuum Laurentium ad finem, dicens: *Vt fides non deficeret, vt ſpes non auerteretur, vt charitas inter pœnas igneas corporales plus accenderetur, Dei dona erant. Fratres mei, nemo arroget potentia ſua, quod non dat, niſi Deus. Merito Apoſtolus alloquens Martyres, vt in epiſtola eius hodie, cùm legeretur, audiſtis. Vobis;* inquit, *donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt credatis in eum, ſed etiam vt patiamini pro eo.* Philipp 1. *Ergo Martyrum merita, velut Dei dona laudemus, amemus, oremus, ſubinferamus voluntatem noſtram. Voluntas enim ſequitur, non præuenit.* Vide nunc quomodo potuerit Chryſologus exiſtimare, nos eſſe qui priores demus Deo voluntatem, vt reportemus à Deo bona. Similia tradit in ſermon. 152. de infantium nece propè finem, & in ſerm. 176. qui eſt poſtremus ad finem illum, ait: *Venit ad eum Chriſtus, & apprehendit manum eius, vt dono vocatus, non beneficio legis, non proprio curatum, ſe gloriaretur arbitrio.* Vide quomodo primum iuſtificationis initium, quod eſt vocatio, Dei dono, ſeu gratiæ, non libero adſcribat arbitrio.

Digitized by Google

3. Sedulius in Collectaneis epiſt. ad Rom. in illud: *Hu qui ſecũdum propoſitum vocati ſunt*, ait: *Quos praſcinit futuros deuotos ſibi, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* & infrà: *Quos praſcinit credituros, hos vocauit, vocatio enim volentes colligit.* & infra: *Iacob, & Eſau, qui ex vno ſunt de Rebecca nati concubitu, antequam naſcerentur, fidei ſunt merito ſeparati, vt propoſitio iam maneret; ita ergo & nunc quos praſcinit de Gentibus credituros, elegit, & ex Iſrael reiecit incredulo*. Cæterùm hæc patiuntur eandem explicationem, quam verba Chryſoſtomi diſputat, præced. ſect. 5 cap. 4.

4. Theodolus Rom. 8. exponens illud: *Quos autem prædeſtinauit*, ſic loquitur: *Abſurdum colligitur, ſi Deus in quoſdam beneficium contulit, in quoſdam vero non contulit.* & ſequentibus verbis dicit eſſe perſonarum reſpectum in Deo, niſi virtus eorum, qui prædeſtinantur, præcognita ſupponatur. Sed eandem quam Sedulius expoſitionem admittit

5. Ennodius Ticinenſis, ante mille annos ſcribens ad Conſtantium quendam, apud Turrianum lib. 4. pro epiſtol. Pontificum cap. 2. propè fin. ait: *Nemo negat, nemo condemnat, quod authore gratia præſtante, & ipſe æquitatis callis hominibus aperitur, dux enim bonorum, & præceſſor eſt gratia, quando cælitus multiplici ad requiem incitamur hortatu; quando nobis dicitur: Venite filij, audite me.* (& poſt pauca:) *Ergo debemus gratia, quòd vocamur: debemus gratia, quòd occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitales infunditur. Noſtra tamen electionis eſt, quòd beneficia demonſtrata ſectamur.* Plurimaque ſubiungit in eiuſdem ſententiæ confirmationem, qua & præuenientem gratiam, & ſubſequentem arbitrij noſtri electionem copulauit.

6. *Hilarius ſupra antiquiores omni ſuſpicione maior eſt.*

Hilarius ſupra cæteros antiquiores omni ſuſpicione Semipelagianiſmi maior eſt. Nam omnes eius libros ſine vlla ſuſpicione erroris legi poſſe teſtatur Eccleſia in eius officio matutino, confirmátque teſtimonio Hieronymi ad Lætam. Hilarij præclara teſtimonia pro initio iuſtificationis ex præuenienti gratia vidimus diſputat. 17. ſect. 3. initio.

7. Nihilominus aliqua ſcripſit, quæ ſi apud Græcos reperta fuiſſent, eamdem, quam cætera, debuiſſent ſubire calumniam. Cuiuſmodi eſt illud in Matth. cap. 7. ad illa verba: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus*, vbi rationem reddit, ob quam inanis erat ſpes regni cælorum, concepta ex ſola miraculorum operatione, nimirum, quia in illa nihil erat proprium; ſed omnia perficiebantur à virtute Dei. & ſubdit: *De noſtro igitur eſt beata illa æternitas promerenda, præſtandumque eſt aliquid ex proprio, vt bonum velimus, & malum vitemus, totóque affectu præceptis cæleſtibus obtemperemus.* Cæterùm Hilarius proprium, & noſtrum appellat opus propter liberi arbitrij dominium; ſupponens tamen, Dei eſſe præcipuè, cui totum bonum tribuendum eſt, vt docuit ſuprà diſp. 17. ſect. 3. initio.

8. Idem Hilarius in Matth. can. 27. explicans parabolam talentorum, quæ diſtributa ſunt vnicuique ſecundùm propriam virtutem, ait: *Diuiſio pecunia inæqualis eſt, ſed non ad diuitem referenda, diuerſitas eſt, ait enim, vnumquemque ſecundum virtutem ſuam accepiſſe. Ergo in quantum quis capax eſſet, accepit: & extra moderantis arbitrium eſt, quod irat in iure ſumentis.* Cæterùm Hilarius non loquitur, niſi de ſolo talento ſubſequentis gratiæ, quæ meritis ſupernaturalibus redditur. Nam poſt pauca ſe ipſum explicans ait: *Igitur vnuſquiſque ſecundum fidei ſuæ menſuram talentum, id eſt, Euangelij prædicationem à prædicante ſuſcepit. Hæc enim incorrupta ſubſtantia eſt, hoc patrimonium Chriſti, æternus hæredibus reſeruatum.* Porrò fidem eſſe ex præueniente gratia, agnouit planè Hilarius ſuprà diſputatione 17. ſectione 3. Itaque vult, pro quantitate ſuæ ſupernaturalis fidei vnumquemque plura, pauciorave ſuſcipere, atque executioni mandare ex his, quæ perſuadet Euangelica prædicatio.

Rurſus in Pſalm. 118. ad illum verſum: *Inclina cor meum ad teſtimonia tua*, ait: *Eſt ergo à nobis, cùm oramus, exordium, vt munus à Deo ſit: dehinc, quia de exordio noſtro munus eſt eius, ex noſtro rurſus eſt, vt exquiratur, & obtineatur, & maneat.* Quis hoc in loco non diceret, ex viribus naturæ ſine gratia concedi iuſtificationis exordium; & tamen neceſſariò explicandus eſt locus de oratione, & exordio, liberè à nobis facto virtute præuenientis, & adiuuantis gratiæ, vt fuſius explicuimus diſput. 24. ſect. 1. ad 3. 9.

Paulinus Nolanus quàm bene de iuſtificationis initio, de infirmis naturæ viribus, & neceſſitate gratiæ ſenſerit, quamuis alia deforent teſtimonia, ſufficienter probaret illius familiaritas cùm Auguſtino, cuius doctrinam per epiſtolas veneratur, vt videre licet inter epiſtolas Auguſtini epiſtol. 31. 33. & 58. quem Auguſt. viciſſim commendat epiſtola 31. 34. 59. & 106. Cæterùm eius expreſſa teſtimonia non deſunt. Nam in epiſtola 27. quæ eſt 1. ad Aprum colum. 4. (tomo 3. Bibliothecæ) ait: *Opus Dei eſt mutare hominem; quia ſolus poteſt inſtaurare, quem fecit: quod toto iam orbe terrarum ſapientia Dei Chriſtus operatur, vbique ſe gentium, verbo, voluntate circumferens, & per electas animas ſemetipſum immittens, vt in omni gente primatum habeat.* Pondera primò opus Dei eſſe conuerſionem, & iuſtificationem hominis. Secundò Chriſtum ſe ipſum circumferre, & immittere, nec expectare, vt ab hominibus adducatur, aut vocetur. & infrà: *Quanto enim prudentiorem te cæteris, & doctiorem fuiſſe meminerunt, tanto euidentior eis eſſe debet operatio potentiæ Dei, quia prudentem à ſententia ſua curſu, vel ſtatu non poteſt flectere, niſi ſumma ipſa ſapientia*, &c. His conſonant plura, quæ in ſeq. epiſt. ſubiicit. 10.

Paulinus rectè de iuſtificationis initio ſenſit.

Idem Paulinus in epiſt. 2. ad Seuerum colum. vltima ait: *Vt ſpiritu, quo cœpti ſumus, eiuſdem Domini gratia proficiamur.* Vbi paſſiua voce dicens, nos eſſe cœptos, ſignificat, eundem Chriſtum Dominum fuiſſe, qui cœpit in nobis opus bonum: præſertim quoniam ſpiritus, & gratia refertur ad vtrunque membrum eiuſdem propoſitionis. Deinde in epiſtol. 4. ad eundem Seuerum fusè oſtendit, Chriſtum eſſe, qui nobis reſecat vitia, vt virtutes inſerat per gratiam. Notanda ſunt præſertim illa verba in colum. 4. fine: *De potente exit dulce, cum amaritudine malitia noſtra per ipſum, in dulcedinem bonitatis commutata; dulcis à verbo eius eſca procedimus, qui nos edens, conſumpſit peccato, reparauit ad vitam; ſolus hic potẽs, dulciter potens, qui liberauit pauperem ab auaro potente;* & colum. 7. eiuſdem epiſtolæ: *Chriſtus illuminat omnem hominem venientem ad hunc mundum, id eſt, omnis hominis mentem venientem; ſollicitat nos ab aſpectu præſenti in ſuſpectum æternorum.* & column. 11. ait: *Opera noſtra bona annumeranda à Chriſto, ſicut capillos capitis ſui.* Significat ergo Chriſti Domini 11.

diuini

diuinitatem eſſe primum principium omnium bonorum operum.

12. Ex his collige interpretandum eſſe Paulinum, quando gratiæ nulla mentione facta, noſtræ libertati & operationi tribuit aliquod bonum, aſſerens eſſe proprium noſtrum. Semper enim ſubintelligit Dei gratiam operantem, & cooperantem, quam in prædictis locis teſtatur. Ita interpretari debes, quod in eadem epiſtola 4. ad Seuerum verſùs finem ait: *In nobis eſt, vnde ſaluamur; res poteſtatis noſtræ eſt noſter affectus. Hunc Domino impendamus, & ſoluimus.* & epiſt. 2. ad eundem Seuerum col. 3. ait: *Nunc opus eſt, vt quæ verè noſtra ſunt, dependamus Deo, hoc eſt, cor & animam, & corpora noſtra exhibentes in hoſtiam viuam, vt ſcriptum eſt, Domino: nóſque ipſos ædificantes ei in templum ſanctum in ipſo lapide angulari, qui nobis ſanctificationis noſtræ formulam in ſemetipſo dedit, & ait: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Quæ igitur nobis gratia, ſi in alieno tantùm fideles fuerimus, niſi de proprio ſeruiamus, id eſt, de libero voluntatis arbitrio?*

Paulini interpretatio.

13. Leo Magnus Primus, Semipelagiani dogmatis damnator, vt vidimus diſp. 17. ſect. 2. num. 5. nihilominus aliquas propoſitiones ſcribit, in quibus niſi gratia ſubintelligatur, Semipelagianæ videbuntur. Qualis eſt illa in ſermone 3. de Pentecoſte prope init. *Oportebat, vt aliquid etiam ſaluandi pro ſe agerent, & conuerſis ad Redemptorem cordibus, ab inimici dominatione deſciſcerent.* quod ſubintelligendum eſſe fieri Spiritus ſancti gratia, ſequens contextus apertè monſtrat.

Leo Primus Semipelagianiſmi damnator.

14. Proſper, præuenientis gratiæ propugnator acerrimus, vt vidimus diſput. 17. ſect. 3. ſub init. nihilominus videtur aliquam in natura concedere rationem gratiæ, veluti lib. 2. de vocat. Gent. cap. 8. aliàs 2. vbi ait, ſecundùm vniuſcuiuſque naturalem poſſibilitatem diſtribui talenta gratiæ. Cæterùm expoſuimus cum diſp. 16 ſect. 3. n. 13. & in eodem libro 2. cap. 31. & lib. de ingratis capite 10. poſt medium aſſerit, Dei prouidentiam & bonitatem, pari, & æquali gratia omnibus hominibus ſubuenire. Cæterùm iſtas æqualitates, toties à Patribus repetitas, ſolùm ad auxilia ſufficientia referenda eſſe videbimus tomo ſequenti.

15. Gregorius Magnus tam copioſè, atque frequenter de præuenientis gratiæ neceſſitate diſputat, vt propterea non verba, ſed loca notauerimus diſp. 17. ſect. 3. circa med. Nihilominus ſcribit aliqua, in quibus gratiam ſupplere oportet, veluti homil. 10. in Ezech. prope init. ait: *Os aperire eſſe ſenſum ad intelligentiam ſacri eloquij præparare; ſed cibum hunc ſumere, non eſſe noſtrarum virium.* Vnde ſignificare videtur, præparare ſenſum eſſe noſtrarum virium abſque gratia. Nam ſi ſubintelligas gratiam, eodem modo erit noſtrarum virium cibum hunc ſumere. Nihilominus Gregorius intelligit, præparare ſenſum eſſe noſtrarum virium, ſuppoſita gratia præueniente, & cooperante, quæ omnibus Chriſtianis communiter offertur; ſed cibum intelligentiæ ſumere peculiari, & altiori gratia indigere, quæ non omnibus, ſed quibuſdam hominibus pro Dei libera voluntate conceditur.

Copiosè de gratia diſputat Greg.

16. Iſidorus, ſicut in cæteris, ita etiam in aſſerenda neceſſitate præuenientis gratiæ imitator Gregorij, vt vidimus diſputatione 17. ſect. 3. Nihilominus quibuſdam in verbis ſimilem deſiderat expoſitionem, veluti in lib. de ſummo bono c. 2. cùm ait: *Voluntatem credendi eſſe ex libero arbitrio.*

Gregorij imitator Iſidorus.

Gloſſa ordinaria ad Rom. 9. ait: *Miſerebor, cui miſertus ſum, id eſt, cui ſcio miſerendum, ſciens illum conuertendum, & apud me manſurum, hoc eſt, illi dare, cui dandum eſt; & non dare illi, cui dandum non eſt, vt eum vocet Deus, quem ſciat obaudire.* Quæ omnia verba deſumpſit ex commentariis ad Rom. quæ adſcribuntur Ambroſio. Quapropter debetur Gloſſæ in hoc loco eadem expoſitio, qua diſput. præcedenti ſect. 5. num. 21. & ſequentibus expoſuimus Chryſoſtomum, & ſect. 6. num. 16. & ſeqq. Auguſtinum. Nam aliàs gloſſam tenere non ſolùm Auguſtini ſententiam, ſed etiam verba, ex variis locis deſumpta texere conſtat multis in locis, præſertim ſequenti verſu ad Rom. 8. vbi ait: *Deus hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Nolentem præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit.* Quod confirmat adducto teſtimonio Auguſtini, & in ea verba: *Cuius vult miſeretur,* ait Gloſſa: *Meritum miſericordiæ nullum eſt.* 17.

Gloſſa Auguſtini ſententiam ſequitur.

Eadem Gloſſa 1. Ioan. 2. ad illa verba: *Aduocatum habemus apud Patrem,* ait: *Non eſt aduocatus, niſi eum inuocantibus; diſpliceant peccata tibi, clama, & ipſe audit, & liberat.* Quod intelligendum eſt de patrocinio proximo, & immediato, ad peccatorum remiſſionem, & iuſtificationis gratiam impetrandam; non verò de patrocinio, ad primam gratiam præuenientem concedendam. Et Ezech. 3. prope init. ad illa verba: *Et aperui os meum;* aſſerit: *Initia voluntatis in nobis eſſe, & noſtri arbitrij eſſe velle, & currere.* Cæterùm quoniam hæc verba deſumpta ſunt ex Hieronymo, eandem habent interpretationem, quam Hieronymus ſectione præcedenti num. 25. 18.

Hugo de Sancto Victore videri poſſet fautor Semipelagianorum, quoniam tomo 1. in quæſt. in epiſt. ad Rom. quæſt. 238 poſt med. ita loquitur: *Poteſt dici, quòd gratia æquè prædeſtinato, ac reprobo proponitur, quam tamen vnuſquiſque non apprehendit.* & diuinam gratiam comparat Soli, & reprobum comparat ei, qui oculos claudit, ne ſolem videat; & quæſt. 248. inquirit rationem ob quam Iacobo potius quàm Eſau gratia collata eſt, & reſpondet: *Quoniam gratia eadem vtrique propoſita eſt; ſed Eſau gratiæ ſe ſubtraxit, & oculum ſuum clauſit: Iacob verò gratiæ ceſſit, & trahentem ſecutus eſt.* Cæterùm, quàm longè à Semipelagianis diſtet, conſtat ex eiſdem, aliiſque quæſtionibus. nam in quæſt. 238. ad fin. defendit totum bonum eſſe gratiæ, & hominem nihil boni poſſe ſine illa tangente, mouente, & illuminante, vt poet qui non poteſt incedere, niſi ab aliquo ducatur. & in quæſt. 248. ad citata verba ſubiungit: *Deo omnia operante, & diſponente pro arbitrio iuſtiſſimæ voluntatis ſuæ.* Ruſus in quæſt. 241. dixerat voluntatem bonam eſſe Dei vt authoris. & in quæſt. 266. expreſsè ait, nullum meritum eſſe ſine auxilio gratiæ. Deinde argumento aduerſariorum, deſumpto ab exemplo Cornelij Centurionis, reſpondet Cornelium meruiſſe doctrinam Petri, virtute præcedentis fidei ſupernaturalis, & gratiæ, de quo iam diximus diſp. 24. ſect. 3. Nec minus catholicè de initio iuſtificationis loquitur in commentariis Dionyſij de cœleſti Hierar. lib. 9. in cap. 9. poſt med. & multo clariùs neceſſitatem gratiæ præuenientis, excitantis, & operantis docuit in ſumma ſententiarum tract. 3. cap. 9. ad med. 19.

Longè à Semipelagianis diſtat Hugo.

Arnobium placuit in hunc locum reſeruare, quoniam licèt prædictis Patribus ætate fuerit antiquior, ſed non authoritate doctrinæ. Hic etiam 20.

pro iuſtificationis initio teſtimonium fert; ſed non ſatis apertum, quod non eſt mirandum tanto tempore ante Pelagianam hæreſim. In commentario igitur ad Pſalmum 146. poſt med. ait: *Obijcitur hoc loco, nos hoc ita dicere, vt videamur hominis voluntatem oſtendere, quod Dei gratiam antecedat.* Hoc autem refutat enumerando vniuerſalia redemptionis beneficia, quibus humana voluntas reſtitit, potius quàm illa præueniendo impetrauerit, & ſubdit: *Oſtendimus tibi antecedentem gratiam Dei generalem, omnium hominum bonam voluntatem. Nota tibi, prædeſtinate, quod loquor. Omnium hominum bonam voluntatem Chriſti gratia hoc ordine, quo diximus, antecedit: ſi tamen pro omnibus natus, ſi tamen pro omnibus poſitus. Si non negas pro omnibus mortuum, ſi cum Apoſtolo aſſeris, quod vult, omnes homines ſaluos fieri, age nunc tolle te à generali gratia, ad ſpecialem accede.* (& poſt pauca:) *Non vtique nobis rogantibus, omnibus nobis medicus ſuperuenit, officinam aperuit, & vocem emiſit, qua acſi præco clamans, dixit: Venite ad me omnes. Iam modò poſt hanc vocem, antecedit voluntas gratiam.*

21. Hæc ſi ita intelligantur, vt ſolummodo præcedat ea generalis gratia, quæ conſiſtit in redemptione humani generis, & prædicatione Euangelij, Semipelagiana ſunt. Si autem intelligantur iuxta modum loquendi ſacræ Scripturæ & antiquorum Patrum, qui ſub exteriori doctrina, & prædicatione ſemper intelligunt interiorem gratiam, quæ illam, vt corpus anima comitatur: ſic rectè dicit, priùs antecedere gratiam vocationis, qua ſuppoſita noſtra voluntas antecedit gratiam, quatenus eam determinat, ſe diſponendo ad iuſtificationem, vt idē author explicat poſtea.

22. Aponius lib. 4. in Cantica col. 4. (tomo 1. Bibliothecæ) videtur, primo aſpectu Semipelagianis fauere, quando aſſerit: *Chriſtum Dominum expectare, ſe ab impio inuocari.* Nihilominus apertè docet, præuenientem gratiam & initium conuerſionis præmittere Chriſtum & a nobis ſolam cooperationem voluntatis expectare. Verba illius ſunt: *Poſt parietem incredulitatis noſtræ ſtans Dominus Chriſtus, expectat, ſe ab impijs inuocari, & vocat ad pœnitentiam animam peccatricem, & expectat ſibi ab incredulis credi. Poſt quem parietem ſtat vſque ad tempus baptiſmatis, vel pœnitentiæ. Et licèt non mereamur, eum intueri; tamen per hoc, quod idololatriam abdicamus, feneſtras in ſupradicto facimus pariete, quibus nos ab immundis ſpiritibus defendendo, reſpicit Chriſtus, & ipſi ſoli genua cordis flectendo, cancellos facimus, per quos compunctionem ad ſe conuertendo, donando proſpiciat.*

23. Lucas Abbas Sancti Cornelij in ſummariolis commentarijs Aponij col. 5. (in eodem tomo 1.) ait: *Chriſtus per occultam compunctionem pulſat oſtium mentis, vt ſuſcitata a ſomno lethali, videat ſe periculis circundatam, & deprecetur à ſe adiutorium.*

24. Petrus Abbas Cellenſis lib. de panibus, capite 26. de pane frigido, inter princ. & med. (tomo 9. Bibliothecæ ad finem) ait: *Sicut nonnunquam gratia ex operibus, alicuius mentem præueniendo, vngit in exultatione futuri præmij; ſic ex ſua bonitate Deus quandoque hominem immeritum, tam ad meritum, quam ad præmium clementer excitat.* Huius ſententiæ primum membrum à Caſſiani errore nihil diſtare videbatur. Ille namque exiſtimabat, non ſemper, ſed nonnunquam humanis meritis diuinam gratiam præueniri ſuprà diſputatione 14. ſectione 5. num. 3. & 4.

25. Nihilominus illud intelligendum eſſe de gratia, quæ licèt comparatione futuri operis ſit præueniens, tamen comparatione prioris gratiæ eſt ſubſequens. Inſuper ante omnia hominis merita neceſſariò præcedere aliquam gratiam, probant quæ continuò ſubijcit verba: *Sed quale, vel ad quid eſt meritum noſtrum? ſine dubio meritum noſtrum, per ſe tam malum eſt, vt a Deo, meritò deſeramur, tam peſſimum, vt non immeritò condemnemur. Ex dono autem Dei, fit donum per præuenientem gratiam, fit melius per cooperantem: vt ex Deo ſit, panis vnctus; ex homine, panis durus in menſa deferatur: vt Deo attribuas vnctionem illuminationis, tibi peccatori duritiam excæcationis.*

26. Laurentius Iuſtinianus Semipelagianis fauere videtur in ſermone ſancti Lucæ Euangeliſtæ prope init. dicens: *Magna profectò liberi arbitrij virtus eſt, qua ſalutis, vel propriæ damnationis efficitur cauſa, vnde reprobationem ex ſe meretur & laudem.* & prope med. *Ad gratiam vtique non repente, ſed prauia mentis exercitatione ac virtutis propoſito per incrementa perficient. Non enim adipiſcitur gratis, quod ex animi torpore deperijt.* (& poſt pauca:) *Cordis noſtri habitaculum ſponſi hortus eſſe perhibetur. Naturaliter quidem fœcundus eſt, & ad ſponſum ſuſcipiendum idoneus; ſi tamen neglectus non maneat. Tanquam ab opifice ſummo conditus bene ſemper naturaliter tendit ad bonum, quanquam ab adoleſcentia hominis ad malum pronus appareat.* Nihilominus tam ex eodem ſermone, quàm ex alijs plurimis locis conſtat, Iuſtinianum loqui de inſita, & naturali poteſtate liberi arbitrij, vt cooperetur præuenienti; & cooperanti gratiæ. Nam prope init. prædicti ſermonis ait: *Spirituales affectiones gratis donantur à Chriſto: neque eſt, qui earum quidquam virtute propria ſibi vendicare ſufficiat.*

27. Idem in lib. de contemptu mundi cap. 8. init. ait: *Liberum autem arbitrium eſſe, dixerim, facultatem rationis, & voluntatis, qua eligitur bonum gratia exiſtente. Hoc autem tantum noſtrum proprium eſſe noſcamus: cætera autem ſiue naturalia, ſiue gratuita, Dei ſunt munera nobis collata.* Vnde ex obliquo ſignificare videtur eligere bonum ita eſſe noſtrum proprium, vt Dei munus non ſit. Cui conſonant illa verba ad fin. eiuſdem cap. *Virtutes, & meritorum cumulus ex liberi arbitrij aſſenſu creantur; Dei nihilominus cooperante virtute, quæ liberum arbitrium adiuuando perficit. Ex liberi itaque arbitrij electione peruerſa quemadmodum homo delinquit; ita ex electione laudabili efficitur iuſtus, & ad promerendum idoneus. Nam ſecundum arbitrij electionem gratificatur opus.* Vide quàm ſimilia ſint hæc locutionibus Græcorum Patrum, quando liberi arbitrij voluntatem ſtimulant.

28. Nihilominus quàm rectè de neceſſitate gratiæ operantis ſenſerit, conſtat ex ſuperiori contextu, præſertim, vbi ait: *Quod Deus iubet, nequaquā voluntas aſſequitur, quoniam amiſſa arbitrij libertate, iacet velut mortua torpens ſpiritualis ignauia, a qua niſi Dei operante virtute liberari non valet.* & ad finem eiuſdem capitis ait: *His paucis vales percipere, vnde virtus generetur merendi. Non quia ieiunaſti, fleuiſti, laboraſti, &c. ſed quoniam ſuadente gratia, liberóque tuo arbitrio conſentiente iſta compleſti.* & in exordio eiuſdem capitis dixerat: *Operum noſtrorum merita ex gratia Dei, & libero noſtro arbitrio procreari.*

29. Rurſus pœnitentiam eſſe munus Dei præuenientis, & vocantis, docet lib. de obedientia cap. 15. init. & ſæpe aliàs totum bonum eſſe à Deo; hominem à ſe non poſſe irreprehenſibilia facere, a nobis nihil eſſe niſi malum; ideóque nihil eſſe

vnde

Digitized by Google

vnde gloriemur: veluti in libro de humilitate cap.1.& cap.7.& in faſciculo amoris cap.8.versùs finem: vbi magis expreſsè notat neceſſitatem gratiæ operantis, & cooperantis, qua Deus operetur in nobis velle, & perficere. Similiáque ſcribit in lib.de diſciplina, & perfect. cap. 23. ante med. & lib.de humilitate cap.12.inter princip.& med.ait: *Fides humano nequit haberi ſtudio, nec laboribus adquiri; ſed cœlitus infuſa, cui vult donatur a Domino.*

SECTIO III.

Græcorum Patrum præcipui, qui circa tempora Chryſoſtomi floruerunt, de iuſtificationis exordio teſtimonia.

1. NAzianzeni ſit primum, ſancti Auguſtini authoritate corroboratum, qui in lib. de bono perſeuerantiæ cap.19. poſt med. de Nazianzeno ſic loquitur: *Credere in Deum, & quod credimus confiteri, Dei donum eſſe teſtatur, dicens: Vnius Deitatis, quæ ſumus, vos confitemini Trinitatem. Si verò aliter vultis, dicite vnius eſſe natura, & Deus vocem dari vobis à ſancto Spiritu deprecabitur: id eſt, rogabitur Deus, vt permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri poſſitis. Dabit enim, certus ſum; qui dedit, quod primum eſt, dabit, & quod ſecundum: qui dedit credere, dabit & confiteri.* Eundem Doctorem commendat authoritas Hieronymi, qui tanto gloriatur magiſtro ſacras Litteras didiciſſe.

2. Nihiluminus in eodem Nazianzeno reperiuntur aliqua, quæ à quibuſdam hæreticis, & à nonnullis Catholicis ſigillantur, quaſi Semipelagianis fauentia. Nam oratione 32. in dictum illud Euangelij: *Cùm conſummaſſet Ieſus ſermones hos,* &c. Matth. 19. poſt med. orationis, ſic diſſerit: *Cùm audis, quibus datum eſt, adde; volentibus datum eſt, & ijs qui ea animi propenſione ſunt. Etenim cùm illud audis: Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei; idem exiſtimandum cenſeo.*

3. *Mens Nazianzeni Semipelagianis contraria.*

Cæterùm quàm fuerit illius mens Semipelagiano errori cõtraria, conſtat ex verbis, quæ continuò ſubiicit, Deum appellans authorem, & ſuppeditatorem bonorum, & dicens: *Quod ipſum etiam rectè velle diuino auxilio indigeat, imò, vt rectiùs loquar, voluntas quoque ipſa, & electio eorum, quæ recta, & cum officio coniuncta ſunt, diuinum quoddam beneficium eſt, atque a Dei benignitate manans. Idcirco ait: Non volentis, id eſt, non ſolùm volentis, neque currentis ſolùm, ſed miſerentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipſum a Deo eſt, optimo iure totum Deo aſſignauit.* Vide nunc, verùm Semipelagianis vel potiùs Auguſt. placeat totum bonum Deo aſſignari tanquam authori, ita vt bona voluntas, & electio, & quodcunque bonum opus ſit Dei beneficium. Quapropter Nazianzenus prioribus verbis, atque poſterioris ſolummodo intendit, aſſerere libertatem noſtram, ſuppoſito principali agente, quod eſt Deus per miſericordiam, & gratiam.

4. Inde etiam explicatur, quod in eadem oratione 31. versùs finem illa verba eiuſdem cap. 19. Matthæi: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt.* &c. exponit de iis hominibus, *qui cùm nullos magiſtros nacti eſſent, probi ſibi ipſis magiſtri extiterunt.* (& ſubdit) *At tu rationem tibi inſitam mouens, ac virtutis igniculum per arbitrij libertatem exſuſcitans, te ipſum exſecuiſti, radicem excidiſti, vitij inſtrumenta depuliſti, tantum tibi virtutis habitum comparaſti, vt iam ad vitium ferri propemodum nequeas.* In quibus omnibus exprimitur libera & propria hominis actio; ſed præueniens gratia, & adiuuans ſubintelligitur, quæ priùs in eadem oratione fuerat explicata, virtute cuius priùs excitata mens, ſe ipſam mouet, exſuſcitátque rationis igniculum. Denique orat.19. in laudem Patris mortui, col. 4. apertè ait: *Fidem moribus anteuertiſſe; & fidem loco præmij retuliſſe.* Verùm hoc de fide explicita, & certa intelligit, ſupponendo inchoatam fidem, ſupernaturali auxilio conceptam; vt explicuimus fuſiùs diſput. 25. ſect. 4. num. 11. & 12.

Athanaſius in quæſtionibus quæſt. 137. explicans illud 2. Corinth. 5. *Si qua ergo in Chriſto noua creatura,* ait: *Hoc eſt, ſi quis in Chriſtum credidit, in aliam vitam tranſiuit. Nam è ſupernis eſt natus per Spiritum, & viuit non eam, quæ in peccatis, ſed vitam, quæ eſt in ſpiritu.* Ergo iuſtificationis initium, agnoſcit Athanaſius, eſſe à natiuitate, qua per ſpiritum producitur noua creatura. 5.

Et in q.144. illud Eph. 5. *Expergiſcere, qui dormis, ſurge a mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.* ita interpretatur: *Dormientem vocat eum, qui peccatis immerſus eſt. Nam qui in peccatis viuit, mortuus dicitur. Etenim vt mortuus immobilis eſt: ita qui in peccatis eſt mortuus, ad bonum non mouetur.* Vnde apertè conſtat, apud Athanaſium nihil ad ſpiritualem vitam vtile fieri poſſe a peccatore, niſi ſupernaturali virtute Dei excitetur. 6.

Gratiam eſſe à Deo operante, tradit Athanaſius epiſt. ad Serapionem de Spiritu ſancto col. antepenult. dicens: *Gratia & donum, quod datur, in Trinitate datur, à Patre per Filium in Spiritu ſancto, vt enim a Patre gratia Filij, quæ donatur proficiſcitur; ita quoque non poterit fieri in nobis communicatio doni, niſi in Spiritu ſancto.* (& poſt pauca:) *Vna ergo ex iſtis operatio Trinitatis declaratur.* 7.

Inſuper huiuſmodi operationes, gratias, & virtutes eſſe ſupra humanas vires, docuerat Athanaſius orat. 1. contra Arrianos, propè init. docens: *Diſciplina quidem & gratia eius in nos collata, magna haud dubia ſunt, & ſupra hominem: vt eſt cœleſtis politiæ ſpecimen, poteſtas contra dæmones, adoptio, iúſque filiorum, & quod tranſcendit ſua excellentia omnia chariſmata Patris, illa ipſiúſque Verbi cognitio, & donatio ſancti Spiritus. Sed tamen hominis animus ſtudioſè ad malum proclinis eſt, aduerſarius item noſter diabolus, tanta nobis bona inuidens, obambulat, quærens, vt rapiat ſementem verbi è nobis. Ea de cauſa Dominus, diſciplinas ſuas veluti theſauros quoſdam in nobis recondens, denunciatione iſtorum verborum vti voluit.* Apud Athanaſium ergo quæcunque pietatis actio, ac præſertim fides ſanctiſſimæ Trinitatis & donum pretioſiſſimum, ſuperans humanas vires, à Deo gratis collatum; ſed hominis libertati commiſſum, & commendatum, aſſiſtente interim gratia, & ſuadente, vt ſeruetur. 8.

Dei electionem, atque prædeſtinationem eſſe noſtræ fidei, cæterarúmque virtutum cauſam, docet idem Athanaſius ſermone 3. contra Arrianos non longè ante finem, dicens cum Paulo Epheſ. 1. *Quemadmodum elegit nos in ſe, ante iacta fundamenta mundi, vt ſancti eſſemus, & incontaminati coram ipſo, cùm iam animi beneuolentia prædeſtinaſſet, vt nos ſibi in filios adoptaret per Ieſum Chriſtum. Quomodo igitur elegiſſet nos antequam fieremus, niſi, vt ipſe dixit, In eius animo iam antea præfigurati, declinatique fuiſſemus? aut quomodo omnino priuſquam homines crearemur, nos deſignaſſet in adoptiuos filios, niſi ipſe Filius ante æuum fundatus fuiſſet?* & paulo inferiùs ait: *Quia vita noſtra fundata fuit, & præparata in Chriſto, ideo fit, vt vita noſtra in eo nitente, & conſtabilita,* 9.

Digitized by Google

bilita, poſſimus & nos quoque vitam æternam obtinere: Deus enim, vtpote bonus, ſemper hoc voluit, cognoſcens, noſtram infirmam naturam egere ſuo auxilio, & conſeruatione.

10. *Explicandus eſt Athanaſius.* Inde fit explicationem catholicam deberi aliis locis Athanaſij, quæ primo verborum ſonitu Semipelagiana videntur. Quale eſt illud in orat. contra idola longè poſt med. *Via quæ ad Deum tendit, in nobis ſita eſt, & initium eius a nobis inueſtigari poteſt, quemadmodum & Moyſes docuit his verbis: Verbum fidei intra cor tuum eſt, quod & Saluator noſter ſignificauit, ac confirmauit, dicens: Regnum Dei intra vos eſt. Quia enim in nobis habemus fidem, & Dei regnum, ideo poſſumus celeriter intelligere, & contemplari vniuerſitatis Regem.* (& poſt pauca ſubdit:) *Mentem eſſe viam, per quam ſolam Deus ſpectari, & intelligi poteſt.* Quod longè inferiùs magis explicat, dicens: *Ideo certè diuinæ contemplationis vim, intelligentiámque poſſidet, ipſáque ſibi ipſi vt via ac methodus quædam, non aliunde, ſed ex ſeipſa Verbi diuini ſcientiam apprehenſionémque haurit, ac percipit.* Sed in his gratiæ auxilium Athanaſius ſubintellexit, quod ſilentio premere, conſultum fuit, quando id præcipuè agebat, vt idololatriæ crimen conuinceret argumentis. *Exod. 8. Luca 17.*

11. Idem Athanaſius in vita Antonij col. 8. refert eum dixiſſe: *Virtutis ſtudium ex noſtro, Dei gratia præcedente, pendet arbitrio.* Perpende gratiam Dei præcedere ante quodcunque ſtudium virtutis, in quo iuſtificationis exordium ſitum eſt. Vnde facilè explicantur, quæ alioqui Semipelagiana dixiſſes. Nam continuò ſubiungit: *Huius operis homini inſerta natura eſt, & eiuſmodi res eſt, quæ noſtram tantummodo expectat voluntatem.* Perpende ideo ſolam voluntatem expectari, quia nunquam deficit gratia præcedens ex parte Dei. Vnde intelligitur etiam, quod addit poſt pauca: *Regnum Dei intra vos eſt: virtus quæ in nobis eſt, mentem tantùm requirit humanam. Cui enim dubium eſt, quia naturalis animæ puritas, ſi nulla fuerit ſorde polluta, fons ſit, & origo omnium virtutum?* & infrà: *Sufficit nobis naturalis ornatus.* Quæ omnia intelliguntur ſuppoſito quod iam intra nos eſt regnum Dei, & virtus, videlicet, diuina gratia. Vnde etiam intelligitur quod longè ſuperiùs dixerat Antonius: *Tenendus eſt continuus inſtituti rigor habentibus Deum auxiliatorem, ſicut ſcriptum eſt: Quia omni proponenti bonum Deus cooperatur.*

12. Gregorius Nyſſenus lib. de beatitudinibus tit. 5. in 5. beatitudinem: *Beati miſericordes,* paulo ante medium ait: *Per ſingularia enim & particularia de vniuerſalibus docemur, quod non alia ratione potiri quis poſſit eorum, quæ cupit; niſi ipſe ſibi bonum largiatur. Quamobrem Dominus alicubi dicit ad auditores: Regnum Dei intra vos eſt. & quicunque petit accipit; & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur; vt & accipiendi, quod deſideretur, & inueniendi quod quæratur, & introeundi quo cupiamus, penes nos poteſtas ſit, & à noſtro pendeat arbitrio cùm velimus.* *Luca 17. Matth. 6.* Hæc, ſi cenſuram pro ſonitu aurium adhibeas, Semipelagiana dices: ſi autem iuxta regulas, ſupeiùs traditas, Nyſſeni mentem ſcruteris; eadem videbis eſſe intelligenda ex ſuppoſitione, quòd Deus *omnium bonorum materias, atque ſubſidia in natura ſui operis depoſuit, nimirum tanquam in cella quadam penuaria,* vt paulo antea docuerat. Non quòd naturalia ſint; ſed quòd in arbitrio noſtro ſupernaturalia auxilia recipiantur: & ibi ſint parata, vt quando voluerimus, illis poſſimus vti, priùs tamen à Deo excitati.

Eadem ſuppoſitio ſubintelligenda eſt in verbis, quæ poſt pauca ſubdit: *Diuinum iudicium, incorrupta iuſtáque ſententia ſequens ea, quæ iuxta propoſitum noſtrum commiſſa, ac deſignata ſint, cuique tribuit id, quod quis ſibi ipſe fortè præſtiterit. Iis quidem, qui, vt inquit Apoſtolus, perſeuerantes in bono opere gloriam, & honorem quærunt, vitam æternam; iis verò qui veritati non obtemperant,* &c. Homo itaque ſibi præſtat perſeuerantiam in bono opere; ſed ſuppoſitis ſubſidiis ſuprà dictis; vel non obtemperat veritati, & tunc ſolus ſibi malum præſtat. 13. *Rom. 2.*

Clariùs virtutem & efficacitatem gratiæ vocantis, & excitantis declarat in explanatione Canticorum. Nam orat. 5. inter princip. & med. explicans illa verba: *Surge veni,* ait: *Surge,* inquit, *nimirum à lapſu, neque hoc ſatis eſt tibi; verùm etiam per profectum in bonis progredere.* (& poſt pauca:) *Non enim tantùm ſermo excitat incumbens illud ſuo lectulo; ſed etiam ambulare iubet. Quibus verbis, equidem arbitror, per modum incedendi ſignificari quandam in melius progreſſionem, & incrementum. Surge, inquit, ac veni. O vim mandati huius! Reapſe Dei vox eſt, vox poteſtatis, quemadmodum in Pſalmorum libro dicitur: Ecce dabit vocem ſuam, quæ vox eſt poteſtatis. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. En etiam modo prolatis adiacentem verbis hiſce, ſurge, ac veni: mox e mandato fit opus ipſum. Simul enim atque vim poteſtatémque ſermonis illa recepit, exurgit, & adſiſtit ei, iamque propiùs ad lumen accedit, quemadmodum ipſe is teſtatur, qui eam vocat.* 14.

His ſimilia repetit inter med. & fin. eiuſdem orat. 5. *Quoties adeò tum verbum hoc, ſurge, tum alterum illud, veni, profert; toties facultatem aſcendendi ad potiora largitur. Sic & illa, quæ ſequuntur, intellige. Nam cùm hortatur, vt formoſa fiat etiam formoſior: prorſus idem vult, quod Apoſtolus præcipiens, vt eadem imago ex gloria in gloriam transformetur.* Et circa med. eiuſdem orationis docet, Deum eſſe cauſam omnium virtutum in anima, quemadmodum ver, hyeme expulſa, producit flores, & fructus. 15.

Idem clariùs explicuit in lib. de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos paulo poſt principium, dicens: *Quodcunque ad nos à diuina potentia, atque virtute bonum peruenerit, hæc omnia efficientis gratiæ actionem, & opus eſſe dicimus, vt inquit Apoſtolus: Hæc omnia operatur vnus, & idem Spiritus, diſtribuens ſingulatim vnicuique prout vult. Si inquiramus autem, an à ſolo ſancto Spiritu bonorum ſubminiſtratio accepto initio, ita perueniat ad eos, qui digni ſint iis bonis. Rurſus à Scriptura deducitur ad id, vt ſubminiſtrationis bonorum, quæ per Spiritum nobis ſuppeditantur, principem, authorem, & cauſam vnigenitum Deum eſſe credamus.* Nota primò quod ſit initium gratiæ, quis author, & cauſa prima, quæ verò cauſa efficiens inſtrumentalis, nimirum, gratia efficiens, & operans. Deinde nullum eſſe bonum, quod inde non deriuetur. Cui non repugnat quod interſerit; *iis qui digni ſunt:* intelligit namque eos, qui gratiæ actionem non impediunt, reſiſtendo (quod à ſe ipſis poſſunt,) ſed potiùs illi cooperantur. Vt inde diſcas interpretari quoties apud Græcos & Latinos legeris, gratiam dignis dari. 16. *1. Cor. 12.*

Idem Nyſſenus de orat. Dominica ad illa verba: *Fiat voluntas tua,* paulo poſt initium ait: *Quare precamur, vt à Deo bonum nobis animi propoſitum contingat? Quia infirma ad bonum eſt humana natura, poſteaquam ſemel per vitioſitatem eneruata eſt.* Apertè igitur exiſtimat ex gratia eſſe initium, qui bonum propoſitum à Deo eſſe exiſtimat. 17.

Baſilium fuiſſe patronum veri dogmatis cõtra 18.
Semi

Digitized by Google

Semipelagianos antequam morirentur, conſtat ex Petro Diacono in lib. de incarn.& gratia Ieſu Chriſti cap.7. cuius verba ſunt: *Baſilius Cæſarienſis in oratione ſacri altaris, quam penè vniuerſus frequentat. Oriens, inquit, malos queſumus bonos facito, bonos in bonitate conſerua, omnia enim potes. Cùm enim volueris, ſaluas: & nullus reſiſtis voluntati tuæ.* Pondera hanc fuiſſe mentem non ſolùm Baſilij; ſed etiam pænè totius Orientis,& tam certam, vt potuerit in altaria ſacrificio interponi.

19. Et homilia 22. de humilitate prope med. ait: *Nihil tibi relictum eſt, ô homo, de quo gloriari poſſis, cuius gloriatio & ſpes in eo ſita eſt, vt omnia tua mortifices, & futuram in Chriſto vitam quæras, cuius primitias habentes in his nunc ſumus, per vniuerſum in gratia ac dono Dei viuentes. Et Deus eſt qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Deus item eſt, qui ſapientiam ſuam prædefinitam ad noſtram gloriam per ſpiritum ſuum reuelat. Deus eſt, qui in laboribus dat virtutem. Abundantiùs omnibus, inquit Paulus, laboraui: non autem ego; ſed gratia Dei, quæ eſt mecum.* Ad eiuſdem dogmatis confirmationem plura ſuperiùs, inferiúſque diſſeroit. Similiter, *omnia rectè facta eſſe Deo adſcribenda, & non ſibi,* docet in regulis breuioribus interrogatione 47.

20. Idem in Hexaëmeron homil. 10. inter med. & fin. ait: *Niſi enim is, qui nos condidit, Dominus anteuertiſſet occupatione, vt diceret illud. Faciamus, & ad ſimilitudinem. ſi non ſua ſolius munificentia prærogaſſet poteſtatem, qua adiutrice nos ipſius ſimilitudini conformaremus, nulla vnquam noſtra ipſorum facultate ad diuinæ ſimilitudinis ſuſceptionem euaſiſſemus. Nunc quando potentia quidem nos ſimiles Deo fecit, largitus poteſtatem in hoc, vt aſſimilemur Deo: reliquum erat vt nos fineret cooperari iſti gratia ſimilitudinis, nobis potentia prærogata.* Vbi pondera plurimas voces, ſignificantes præuenientem gratiam, independentem à libera cooperatione noſtra, videlicet, *anteuertiſſet occupatione*, id eſt, præoccupaſſet, *ſua ſolius munificentia, prærogaſſet*, & tandem, *prærogatam dicit eſſe ſimilitudinem in potentia.*

21. Rurſus cuiuſque bonæ actionis Deum eſſe cauſam docet in conſtitutionibus monaſticis capite 17. dicens: *In omnibus, quæ rectè fiunt, cauſas, cur illa ſic fiant, Domino aſſignare Dominus debet, neque omnino eſſe quidquam exiſtimare, quod ſuarum virium facultate aſſequi poſſit.* Idem in regulis breuioribus interrogat. 16. ait: *Talis compunctio donum eſt, ad ſtimulandum mentis noſtræ deſiderium.* Plurima, ad præſentis dogmatis confirmationem opportuna, ſcribit in homil. cui titulus eſt: *Quòd ſine diuina virtute, & gratia reſiſtere Sathanæ non poſſit quiſquam.* præſertim circa princip. & circa finem eiuſdem homiliæ.

22. Vnde conuincimur catholico ſenſu exponenda eſſe aliqua, in quibus Baſilius minus expreſſit neceſſitatem gratiæ præuenientis. Quale eſt illud, quod in Hexaëmeron homil. 10. inter med.& fin. dum explicat diſcrimen illarum vocum ad imaginem & ſimilitudinem ait: *Quod priore ſtatuitur loco, in ipſa mox creatione obtinuimus; quod poſteriore, ipſi vt aſſequamur à noſtro pendet libera voluntatis arbitrio. Nam quòd ad imaginem Dei facti ſumus, nobis ſuppetit ex ipſa ſtatim primigenia conditione; vt autem ſimilitudine inſigniamur Dei, id demum relinquitur nobis ad inquirendum certa animi deſtinatione.* In his, & ſimilibus præuenientem, & adiuuantem gratiam Lector ſupplere tenetur mutuatam ex locis ſuprà citatis.

23. Idem in conſtitut. monaſt. cap. 16. ait: *Neque enim in rebus bonis conatus humanus ſublata ope diuina, per vnquam, quod vult, poterit adipiſci: neque item viciſſim diuinum præſidium ad nos nullo noſtro ſtudio venturum putandum eſt. Sed ad perfectum virtutis cumulum coniuncta ſimul eſſe vtraque oportet, & humanum ſtudium, & auxilium cæleſte, fidei opera aſcitum, & comparatum.* Vbi quod ait, *non eſſe putandum diuinum præſidium ad nos nullo noſtro ſtudio venturum*, intelligendum eſt de ſubſequenti auxilio, ſiue de cooperante actualiter, ita vt nos liberando, ſortiatur effectum. Et hoc idem eſſe debet fidei opera aſcitum, & comparatum. Aliud autem auxilium primò præueniens ad fidem nullo noſtro conatu, nec fidei opera aſcitum, donatur à Deo.

24. Philo Carpathiorum Epiſcopus, per diuinam reuelationem ab Epiphanio conſecratus libro in Cant. tom. 1. Biblioth. ad illa verba: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* ita ſcribit: *Sed priùs ſponſus in hortum deſcendat, oportet. Nihil enim ad id per ſe poteſt humana fragilitas, niſi diuina gratia præuenta: nihil valet ad cæleſtia conſequenda, niſi trahatur à Patre gratiarum; ſicut eadem veritas ait: Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* & col. ſeq. ait: *Parendum eſt Deo, quod proprijs viribus adipiſci nullo modo valemus. Unde Seruator noſter ait: Sine me nihil poteſtis facere.* & toto ſequenti contextu frequenter repetit gratiæ præuenientis neceſſitatem. Confirmátque Apocal. 3. *Sto ad oſtium.* & Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur,* &c. & Rom. 11. *Alioqui gratia non eſſet gratia.* Alia etiam einſmodi, vt dixeris, cum Auguſtini voce locutum. Præſertim notanda ſunt illa verba: *Gratia alliciendo incipit, admiſſa conſequitur, bene retenta, ac ſota perficit.*

25. Inde conſtat, Philonem nihil contra Iuſtificationis exordium ſentire, quando poſt pauca illud: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, exponit: *Intelligendum eſſe quod hunc amore, illum odio dignum fore prouiderit.* Hanc autem prouidentiam fuiſſe illius dignitatis cauſam, monſtrant ea, quæ poſt pauca ſequuntur: *Omnia bona ſoli Deo accepta refert; in illúmque primum authorem, & vberrimum fontem bonorum omnium, perfectorémque reijcit, ſecundùm illud: Omne datum optimum, & omne donum perfectum ſupernè eſt, deſcendens à Patre luminum.*

26. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſ. 16. poſt med. apertè docet, bonæ cogitationis initium, & exhortationem ad virtutem eſſe ab operante Spiritus ſancti gratia, illis præſertim verbis: *Quòd ſi fortè ſedenti tibi de caſtitate, aut virginitate ſubeat cogitatio illius, eſt ea doctrina.* Deinde perſequitur alia exempla virtutum, quarum aſſerit cauſam eſſe Spiritus ſancti eruditionem, & annunciationem. Ac peculiariter explicat exhortationes, quibus Spiritus ſanctus confeſſores ſuos, imminente martyria, *alloquitur, & deſcribit homini regnum cælorum, & demonſtrat delitiarum paradiſum, & docet quid dicendum ſit.* Vbi hæc poterit auidus Lector inſpicere. Rurſus diuinæ gratiæ operantis efficacitatem docuit in præfatione ad catecheſ. fine, dicens: *Potens eſt autem Deus, qui nouit corda veſtra & ſcit, qui ſit verus, qui verò ſimulator: germanum quidem ſuum ſeruare, hypocritam verò fidelem efficere. Poteſt enim Deus facere fidelem, ſi modo cor illi præbuerit.* Intellige non præueniendo gratiam, ſed ſubſequendo, & illi cooperando.

27. Et catecheſi 16. ante med. de Spiritu ſancto, & eius gratia ſic loquitur: *Alius temperantiam corroborat, alium inſtituit ad eleemoſynam, alium docet ieiunare, & exerceri ad pietatẽ, & res corporeas cõtemnere,*

alii :

alium præparat ad martyrium; & aliis plurimis effectibus numeratis concludit cum Paulo: *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* & inter med. & fin. eiuſdē catech. *Reſpice*, inquit, *magnum hunc præſulem, & gratiarum parochum* (id eſt, exhibitorem) *quomodo in vniuerſo mundo, alij quidem caſtitatem, alij virginitatem, alij ſtudium paupertatis, alij vim repellendi aduerſarios ſpiritus tribuit.*

28. His clariora deſiderari non puſſunt contra Semipelagianos teſtimonia: vt inde colligas, quomodo ſit intelligendum, quod aſſerit in catecheſ. 1. initio: *Liberalis nāque Deus, & pronus ad beneficentiam, expectat tamen cuiuſlibet propriam voluntatem.* Nimirum poſtquam diuina gratia præuenerit, ubtuleritque adiuuantem gratiam, expectat voluntatis liberum conſenſum. ſic etiam circa medium eiuſdem catech. 1. ait: *Vt telum ab aliquo impellatur, neceſſe eſt: ſic & gratia indiget credentibus*, nimirum vt proprium aſſequatur vſum.

29. Explicandum eſt etiam, quòd catech. 1. in med. ait: *Quemadmodum qui milites ſunt conſcripturi, & ætatem, & corpora diligendorum ad pugnam diligenter excutiunt: ſic & Dominus, delectum faciens animarum, voluntates illarum ſcrutatur. Ac ſi quam hypocriſim deprehenderit occultam, reijcit hominem, tanquam ad veram illius militiam non idoneum. Si verò dignum inuenerit, huic libenter confert gratiam; non dat ſancta canibus: ſed vbi bonum videt propoſitum, illic ſanctum ſigillum, & admirandum imprimit.* Cæterùm ex eadem catecheſi vt ex aliis ſupracitatis conſtat, non propterea negate præuenientem gratiam. Subdit enim: *Dei eſt plantare, & rigare, tuum verò fructum facere. Dei eſt gratiam dare, tuum acceptare. Ne ſpernas gratiam, quia gratis datur.*

30. Quapropter quod priùs dixerat, Deum deligere quem dignum inuenerit, vt conferat gratiam, intelligendum eſt de gratia ſubſequenti, ſuppoſito, quòd Deus illi priùs dignitatem contulerit. Atque eodem modo exponendum venit, quod in catech. 16. poſt med. de Spiritu ſancto ſic loquitur: *Maior eſt, qui certat pro nobis, modo illi oſtia aperiamus. Obambulat enim ille, qui digni ſunt quærens, & quibus dona conferat.* Quæ verba ſuggillabit nullus, niſi oblitus illud Sap. 6. *Dignos ſeipſa circuit quærēs.*

31. Denique quod ad æqualitatem diuinæ gratiæ attinet in eadem catecheſ. 16. & catech. 1. verſùs finem, explicabimus tomo ſequenti.

SECTIO IV.

Alij Patres Græci eiuſdem, aut ferè eiuſdem ætatis cum præcedentibus.

1. MAcharius ſenior homil. 15. inter princip. & med. tomo 2. Biblioth. interrogationem ita proponit: *An poſt lapſum hominis permaneat gratia?* Reſpondet: *Deus optat hominem denuo ad vitam reducere; eùmque hortatur iterum ad luctum, & pœnitentiam: ſin perſeuerer, ad luctum & pœnitentiam iterum hortatur hominem, vt eum pœniteat eorum nomine, quæ quondam deliquit.* & lōgè ſuperiùs in eadem homil. ait: *Abſque vaſis Dei, hoc eſt, ſine gratia, impoſſibile eſt quempiam Deo ſeruire, hoc eſt, Deo gratum eſſe ad quācunque eius voluntatem. Cæterùm vbi anima gratiam eſt adepta, tunc intellectu multo, atque perſpicacia opus eſt quæ etiam ipſa largitur Deus animæ, ab eo poſtulanti.* Pondera quomodo non ſolùm, ad ſeruiendum Deo neceſſaria ſit gratia, ſed etiam bonus illius vſus ſit gratia Dei.

Vnde explicanda ſunt, quæ in eodem Doctore 2.
leguntur ad confirmandam liberam poteſtatem arbitrij, non expreſſa mentione gratiæ. Tacitè namque ſupponit illius neceſſitatem nuper explicatam, veluti in homil. 27. col. 4. præſertim illis verbis: *Verſatilis eſt natura: ac ſi quis velit, euadit Filius Dei. ſin contra, filius perditionis; eò quòd permaneat liberum arbitrium.*

Marcus Eremita, ſanctitate, doctrina, & mira- 3.
culis illuſtris tomo 5. Bibliothecæ, aliàs 3. in lib. de paradiſo, & lege ſpirituali in proœmio interrogatione vlt. *Iubet Deus*, inquit, *vt homo in primis cognoſcat, & cùm cognouit, amet, & voluntatem depromat: vt autem mens exerceatur, laborem perferat; vt autem opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti, & credenti. Quare voluntas hominis eſt, velut auxilium, à natura inſitum, qua abſente ne Deus quidem quidquam operatur, tametſi facultate non caret: quod fit ob humani arbitrij libertatem. Igitur operis perfectio Dei eſt; voluntas autem hominis.*

Hæc præcedentium, atque ſequentium verbo- 4.
rum luce carentia, nihil mirum, ſi tenebris Semipelagiani erroris ſimilia videantur. Sed euidens eſt ex eodē aliiſque locis eiuſdē authoris dogma prorſus orthodoxum de iuſtificationis exordio tradidiſſe. Quod priuſquam oſtēdam, explico nuper ſcripta verba. Operis perfectionem Deo adſcribit; ſed cognitionem, & voluntatem homini, quoniam per auxilia cōmunia, quæ omnibus hominibus conceduntur, poteſt homo cognoſcere & velle; ſed plerunque non poteſt opus quod vult perficere: quoniam requirit vlteriorem gratiam ſpecialem infrà tota diſp. 58. Deinde quod aſſerit, voluntatem eſſe, *velut auxilium, à natura inſitum*, manifeſtè oſtendit ſe agere de auxilio naturali, quod eſt ipſa potentia liberi arbitrij, quod propterea non appellatur ſimpliciter auxilium, ſed *ſicut auxilium*, vt oſtendat eſſe diuerſi generis ab auxilio ſupernaturali.

Explicatur præcedens teſtimonium.

Alioqui proximè præcedentibus verbis, quæ 5.
poſtrema ſunt interrogationis præcedentis, euidenter declarat gratiæ præuenientis, & operantis neceſſitatem, dicens: *Non ſaluat hominem opus ſuum; ſed qui facultatem operandi largitur. Quapropter ſi quis ſtigmata Domini perferat, ne exiſtimet aliquid eſſe, quod quiduis fecerit, & quod diligenter atque accuratè vt opus illud efficeret, incubuerit. Nunquam igitur exiſtimes te præuentiſſe Dominum in virtute, ex eius ſententia qui dicit: Ipſe eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate.* & paulò ſuperiùs dixerat: *Quomodo quis orabit, niſi impulſus à Spiritu ſancto.* & probat 1. Corinth. 12. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.*

In prædicta interrogatione poſtrema paulo poſt 6.
verba initio relata docet, quamlibet operationem bonam fieri ab homine tanquam ab inſtrumento, quod Deus occultè mouet, vt per illud operetur. *Quemadmodum*, inquit, *ferrum, dum ſecat, ſcindit, arat, plantat; ipſum quidem quatenus impellitur, aliquid præbet; alius tamen eſt, qui mouet & agitat ferrum: & vbi fuerit attritum, igni mandat, & inſtaurat. hunc in modum homo, licèt exerceatur, & laboret, operans quod bonum eſt, Dominus tamen clam in ipſo operatur.* Nota inſuper hanc occultam Dei operationem in homine non eſſe per generalem concurſum tantùm; ſed ſpecialem, & ſupernaturalem impulſum, qui negatur ad actiones malas, in ordine, ad quas *hominem impelli, & acui à Sathana.* & eſſe illius inſtrumentum, ſubdit ibidem Marcus.

Rurſus gratiæ quidditatem cum præcedenti 7.
merito

merito repugnare, docet in eodem procemio paulo ante interrogationem primam, dicens: *Quod enim per gratiam donatur, non iam metiri debemus pro modo & merito antecedentis infirmitatis. Si quidem gratia iam non eſſet gratia.* Et in eodem libro de paradiſo, & lege ſpiritoali inter capita ſub titulo primo, capite primo ait: *Primum omnium certò ſcimus, Deum totius boni eſſe authorem, cùm principium, tum medium, tum finem, porrò impoſſibile eſſe, nos quidquam boni facere, aut credere, niſi per Chriſtum Ieſum, & Spiritum ſanctum. Omne bonum à Domino gratuitò nobis datum eſt.* (& poſt pauca:) *Incipiat ille promouendo omne animi tui propoſitum*, & multis ſequentibus capitibus ex præcedenti doctrina colligit in nullo bono opere eſſe gloriandum.

8. Præterea in capite tertio ait: *Legem Dei citra Dei miſerationes ab hominibus compleri non poſſe.* & capite 40. *Omnis virtutis initium, & author Deus eſt, quemadmodum ſol quotidiani luminis.* & capite quadrageſimo ſeptimo: *Omne bonum proficiſcitur à Deo, pro nutu diſpenſante.* & numero 76. *Quoties homo homini verbis profuerit, aut operibus, Dei vterque gratiam agnoſcat.* In eodem libro ſub titulo ſecundo, capite 5. ait: *Regnum cœlorum non eſt merces operum, ſed gratia Domini, fidelibus ſeruis præparata.* Ecce gratia præuenit omnia merita. & capite 56. *Occulte gratia nobis auxiliari non deſinit: in nobis autem ſitum eſt pro virili bonum facere, aut non facere. Primum quidem diuinitus excitat conſcientiam. Vnde etiam malefici, vita per reſipiſcentiam in melius mutata Deo accepti ſunt. Rurſum in doctrina proximi occultatur* (videlicet gratia) *quæ occultè nobis auxiliari non deſinit.* vt paulo antea dixerat. Vides iterum excitantem gratiam præuenire merita omnia, ſiquidem excitat conſcientiam, & cauſa eſt, vt etiam malefici reſipiſcantur.

9. Sub eodem titulo cap. 108. ait: *Vna eſt & immutabilis gratia Spiritus: operatur autem in vnoquoque quemadmodum ſibi viſum fuerit.* & cap. 137. *Oportet primum in corde habere gratiam Spiritus ſancti operantem, atque ita ſecundum proportionem ingredi regnum cœlorum.* & cap. 154. docet, nihil boni eſſe poſſibile ſine diuino auxilio: *Si verò, inquis, de vnaquaque re neceſſaria ſolicitè cogitauerimus, debemus etiam pro vnaquaque conſequenda preces ad Deum fundere. & hoc eſt quod dixit Dominus: Sine me nihil poteſtis facere.* & cap. 168. ait: *Veritas non loquentis, ſed operantis Dei eſt.* Nunc attentè Lector conſideret, vtrùm clariora pro neceſſitate gratiæ præuenientis teſtimonia tulerint Nazianzenus, Ambroſius, Cyprianus, Hieronymus, quos Auguſtinus in ſua cauſa de iuſtificationis exordio teſtes producit. Ioan 15.

10. Cyrillus Alexandrinus perexiguo tempore iunior Auguſtino in Ioan. libro decimo, capite 24. ait: *Ego elegi vos, non vos me: ego me notum vobis ignorantibus feci humanitate, clementiáque commotus: ego vos adeo roboraui, vt procedere, progredique ad tantam cum Deo fiduciam poſſitis, vt quodcunque petieritis in nomine meo, vobis concedatur. Quare non debetis vos, qui mei diſcipuli eſtis, ſedentes expectare, vt vltrò ad fidem homines veniant; ſed errantibus manus porrigendis, & audire nolentibus ſalutaris ſermo a vobis eſt prædicandus, etiamſi vos acerbiſſimè perſequantur.* Perpende primò, electionem Dei præcedere priorem, quæ cauſa ſit cuiuſque virtutis in homine. Secundò hinc prouenire vim impetrandi in oratione. Tertiò hanc gratiam à Deo collatam eſſe ſine præcedentibus meritis, & multis præcedentibus demeritis, & ſceleribus, à quibus Deus homines reuocauit ad merita.

Vt hinc accipiatur generalis commentarius ad plurima loca eiuſdem Cyrilli, in quibus licèt Deum ſolùm faciat gratiæ atque boni cuiuſque authorem; aſſerit tamen dignis iſta conferri. Intelligit autem, quos ipſe ex indignis dignos facit eorum arbitrio conſentiente. Huiuſmodi eſt illud lib. 1. in Ioan. capite 20. *De plenitudine namque Filij, quaſi iugi fonte, gratiarum dona ſcaturiunt, in ſingulas animas, quæ dignæ ſunt, deſluit,* (& poſt pauca:) *Hac de re ſapientiſſimum quoque Paulum commotum ad creaturam dixiſſe arbitror. Quid enim habes, quod non accepiſti? non enim eſſe ſolum, ſed etiam bene eſſe, vt ſic, aut ſic eſſe, a Deo creaturis conceditur, quæ cùm nihil a ſe ipſis habeant, ſola libertate largientis ditantur.* 11. Ita dicit.

Sic etiam idem Cyrillus libro tertio contra Iulianum inter medium & finem ait: *Diuinam notitiam a natura hominis maxime fundatam fuiſſe, & ei genuinam omnis boni, & ad ſalutem neceſſarij cognitionem immiſiſſe opificem dicimus.* (& longè inferiùs:) *Proprium Dei eſt omne, quod excellens, admirabile, virtutúmque ſplendoribus glorioſum.* 12.

Nihilominus versùs finem eiuſdem libri ait: *Sufficientiſſimus Deus, nullius eget prorſus. Ipſe autem potius dat ſapientiam, & intellectum his, qui vt capiant digni ſunt.* Sed quod paulo ſuperiùs dixerat: *Natura per ſeipſam diſcendo, factore annuente, recipit omnis boni ſcientiam.* iam explicatum eſt diſput. 25. ſect. 2. probat. 2.

Clariùs autem à diuina gratia prouenire fidem, docuit lib. 4. in Ioan. cap. 5. versùs finem, dicens: *Gratia Dei cognitionem ſui haberi oſtendit; cùm dicat, neminem ad ſe venire poſſe, qui Patris monitionibus non trahatur.* Nihilominus in ſeq cap. 6. ait: *A Deo Patre dignis hominibus ineffabili doctrina Filium reuelatum iri.* & capite 7. initio: *Patrocinio Dei Patris, quod ex charitate dignis præſtatur, non vi, Chriſtum fideles agnoſcunt.* Sic etiam in præced. lib. 3. capite 39. dixerat: *A Deo Patre illos qui digni ſunt facti ſunt, Filio adduci, dicimus: pernicioſa enim res omnino eſt cordis durities.* Idem Cyrillus in commentario Malachiæ ad illa verba capite primo, ſub initium: *Iacob dilexi*, &c. dicit: *Cùm præcognitos haberet Deus vtriuſque mores futuros, meliorem dilexit.* & poſt pauca: *Ergo ſecundùm præcognitionem dilectus eſt Iacob.* & iterum: *Deus docere vult dilexiſſe, ſiquidem Iacob non alia de cauſa, niſi quia fuiſſet ſimplex & probus*, &c. Cæterùm electione diuina cauſari probitatem atque virtutem, quæ præcognoſcitur, & diligenter, iam docuit Cyrillus in Ioan. lib. 10. c. 24. ſuprà num. 10. atque idem ſatis conſtat ex illius verbis in Iſaiam cap. 65. ad illa verba: *Ne perdas hunc, quia fortunabitur.* Quare ij duo loci non probant electionem fuiſſe poſteriorem ſcientia viſionis operum futurorum. Ioannes Climacus à quibuſdam Theologis adiungitur Caſſiano Comes, quoniam aſſeruerit ſemina virtutum eſſe nobis inſita. Nihilominus ſi fortè hoc dicit alicubi (nã hactenus reperire non potui) intellexit de naturali poteſtate liberi arbitrij, vt cùm diuina gratia eleuãte cooperetur, quemadmodũ loquitur etiam Damaſus infrà citand. n. 16. Nam gratiæ neceſſitatẽ extremam & ſummam infirmitatem naturæ Climacus ſæpe 13.

fatetur veluti gradu 15. de caſtit. columna ſecunda, capite 24. & 25. de humil. & gradu 28. de oratione.

14. Damaſcenus eiuſdem ferè temporis cum Auguſt. egregiè de iuſtificationis exordio & præueniente gratia decreuit io libro ſecondo de fide orthodoxa capite 30. prope initium, dicens: *Illud quoque ſciendum, virtutem quidem naturæ noſtræ diuinitus inditam eſſe, Deúmque ipſum omnis boni fontem, atque authorem eſſe; nec citra ipſius opem, atque auxilium fieri poſſe, vt bonum velimus, aut faciamus. Cæterùm nobis liberum eſſe, vel in virtute perſtare, Deúmque nos ad eam vocantem ſequi, vel à virtute abſcedere.* Vbi obſeruandum eſt primò virtutem diuinitus, id eſt, ſupernaturaliter inditam eſſe oaturæ. Alioqui ſi naturaliter eſſet congenita, non magis diceretur eſſe diuinitus iodita, quàm corporis, & animi naturales facultates ac dotes.

Secundò Deum eſſe omnis boni authorem.

Tertiò non ſolùm ad bonum quodlibet opus, ſed etiam ad bonam voluntatem neceſſarium eſſe Dei aoxilium.

Quartò, Dei auxilium eſſe debere non ſolùm adiuuans; ſed etiam præueniens & vocans, quo ſuppoſito, & non antea liberum nobis eſt ſequi, aut non ſequi vocantem. Ex quibus coaleſcit integra, & expreſſa gratiæ præuenientia doctrina.

15. Cui conſonat quod in libro quarto, capite vigeſimo tertio prope initium ait: *Adueniens Dei lex menti noſtræ, attrahit ad ſeipſam, & ſtimulat noſtram conſcientiam.* Vbi nomine *legis* gratiam intelligit excitantem; & ad finem eiuſdem capitis: *Nam Spiritus correluctatur infirmitati noſtræ, & præbet virtutem legi mentis noſtræ aduerſus legem, quæ eſt in membris noſtris. Quid enim oremus, ſecundùm quod oportet, neſcimus, ſed & ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc eſt, docet nos, quod oremus. Quare impoſſibile eſt, niſi per perſeuerantiam & orationem mandata Dei adimplere.* Vbi apertè vides duo alia dogmata contra Semepelagianos de neceſſitate gratiæ, tom ad tentationes ſuperandas, tum etiam ad orandum, ſicut oportet.

16. Idem in lib. de duabus Chriſti voluntatibus paulo poſt medium ait: *Vt non minus boni, quod datum eſt, quàm Dei, qui dedit ſemina, ſiamus participes. Ipſe enim & rectè agendi nobis poteſtatem dedit, & noſtræ poteſtatis nos procreauit, vt tum ab ipſo, tum à nobis præclaræ actiones oriantur. Omnes enim, qui ea, quæ bona ſunt, volunt, & ſequuntur, in ijs efficiendis Deus adiuuat, vt cum ea, quæ à natura data ſunt, nobis integra ſeruauimus ea, quæ naturam ſuperant, conſequamur, tum immortalitatem, tum ex Dei coniunctione diuinitatem.* Vnde colliges primò, Dei donum eſſe boni ſemina, ac proinde iuſtificationis initia. Secundò, Dei donum eſſe bene agendi poteſtatem, quam actione priorem eſſe, conſtat ex terminis. Tertiò, prætetea neceſſariam eſſe adiuuantem gratiam ad ſingulas actiones præclaras & honeſtas. Quartò ea, quæ nobis à natura donata ſunt, iotegra non ſeruari, niſi virtute huius auxilij.

17. Hæc ponderaſſe opus fuit, nec coi Theologo liceat declinare onus catholico ſenſo interpretandi, quæ io eiſdem, aliiſve libris Damaſceni Semipelagianum ſonant. Quale eſt, quod paulo ſuperiùs ante poſtrema verba quæ retulimus, aſſerit. *A natura Dei ſerui ſumus, & liberum arbitrium habemus, quod virtutis efficiens eſt.* Supple ſimol cum gratia præueniente & adiuuante. Quo eodem ſupplemento catholicum dogma eſt quod libro quarto de fide, capite 22. ait: *Vnuſquiſque propria voluntate bonus, aut malus ſit*, & quod in hiſtoria Batlaam cap. 15. ad finem ait: *Cum facultates virtuti conſentaneæ in noſtra poteſtate ſint, in noſtra quoque poteſtate virtutes ſint, neceſſe eſt.*

Rurſus libro ſecundo de fide capite vigeſimo nono poſt medium ait: *Electionem agendorum in noſtra eſſe poteſtate, finem autem bonorum in Dei cooperatione, iuſtè cooperante, ijs, qui rectà conſcientia bonum eligunt ſecundùm præſcientiam; malorum autem derelictione Dei, rurſus ſecundùm præſcientiam iuſtè derelinquente.* Hæc ſignificare videntur, Dei cooperationem ad initium boni non requiri; ſed tantùm ad finem, id eſt, ad finalem perſeuerantiam. Rurſos eandem cooperationem Dei non concedi niſi his hominibus, qui rectà conſcientia bonum eligunt. Cæterùm mens Damaſceni eſt, in nobis eſſe libertatem, per quam ſuppoſita Dei præueniente, & adiuuante gratia, poſſomus eligere quæ agenda ſunt: attamen electiooem non poſſumus ad operis executionem deducere, oiſi Deo vlteriùs auxilium præſtante: quod auxilium Deus concedit iis, qui rectà conſcientia bonum eligunt. 18.

Damaſcenus tandem libro ſecundo de fide capite 30. initio idem his verbis docet: *Operæpretium eſt cognoſcere, omnia præſcire Deum, non autem omnia prædefinire, atque prædeſtinare. Præſcit enim & ea, quæ in nobis; non prædefinit autem has. Nam non prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti. Prædefinit autem ea, quæ non in noſtra poteſtate ſunt.* Similitérque in dialogo contra Manichæos pag. antepenolt. ait: *Deum non prædefinire niſi ea, quæ in arbitrio noſtro non ſunt.* Vnde videri potuiſſet Damaſceous negare prædeſtinationem Dei ad ſupernaturales actiones liberas: cùm tamen, vtminimum aliquas eſſe prædefinitas, & prædeſtinatas catholicum dogma ſit contra Semipelagianos. Quapropter amplectenda eſt expoſitio S. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad primum, dicentis: *Damaſcenus nominat prædeterminationem*, (aliàs *prædefinitionem*) *impoſitionem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminata ad vnum. Quod patet ex eo quod ſubdit, non enim vult malitiam, neque compellit virtutem.* 19.

SECTIO V.

Græci Patres ab Apoſtolis vſque ad tempora Chryſoſtomi.

CLemens Romanus epiſt. 1. ad Iacobum Fratrem Domini col. vlt. refert Petrum hæc ſibi tradidiſſe docenda: *Animæ hominum occulta Dei virtute, quem debeant diligere priuſquam doceantur agnoſcant.* (& poſt pauca:) *Deſiderium habere erga Doctorem veritatis, hoc à Patre cœleſti donatum eſt. Sed ſalus in eo eſt, vt voluntatem eius, cuius amorem & deſiderium (Deo largiente) conceperis, facias.* & 4. lib. recognitionum pag. 2. eadem ferè repetuntur, & prætetea clariùs exprimitur prædictum deſiderium eſſe *initium doni Dei.*, *quod gentibus datur.* Et in prædicta epiſtola 1. col. antepenult. refert Petrum prædicaſſe, *boni aliquid in ſe cùm viderit* 1.

Digitized by Google

tiderit, Deo applicare (ſiue, vt alij interpretantur, *attribuere*) *& malum à ſe factum cognoſcat, & ſibi imputet.*

2. Ex quibus conſtat, non ſine orthodoxo ſenſu dicta eſſe, quæ prope finem eiuſdem epiſtolæ ſubdit: *Deus his, qui rectè ſentiunt, & bona agunt, præſtò eſt, quoniam his manifeſtat ſeipſum.* (& infrà:) *quapropter preparanda ſunt corda noſtra, ac corpora ſancta mandatorum eius, ſuorúmque Epiſcoporum, ac prædicatorum obedientiæ militatura, vt ſua gratia iubeat nobis auxilium miniſtrari.* Quæ intelligenda veniunt de gratia ſubſequenti.

3. Dionyſius Areopagita de diuinis nominibus c.2.3.& 4.imò vſque ad finem libri oſtendit, omnia bona ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia procedere à prima bonitate, tanquam à primo efficienti, & cauſa exemplari. Peculiariter c.11.poſt med. ait: *Diuina pro virili parte perficiemus Ieſu Chriſti prouidentia, qui omnia operatur in omnibus.* Ecce gratiam operantem, cuius vim clariùs explicuit in eodem lib. de diuinis nominibus cap.4.inter principium & medium. Nam inter plurima bonorum genera, quæ à pulchro, hoc eſt, à Deo cauſantur, annumerat: *Stationes omnes, & motus, qui ſunt mentium, qui ſunt animarum, qui ſunt corporum.* Cuius rationem ſubdit, quia Deus *ſtatio omnibus eſt, & motus, quod eſt ſuper omnem ſtationem, & omnem motum, collocans vnumquodque, & mouens ad diuinum motum.* Motus autem mentium & animarum præcipuè appellantur actiones intelligendi, & volendi. Tales igitur motus, & ſtationes in illis per eorum perſeuerantiam circa idem obiectum cauſantur à ſummo pulchro, mouente ſecundum diuinum motum.

4. Idem lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.2. neceſſitatem gratiæ præuenientis ad quamlibet bonam actionem probat, quoniam eſſe prius eſt, quàm operari: hoc autem eſſe diuino ortu & generatione efficitur, de quo fuſiùs diximus diſp. 18.ſect.6.à num.6.

5. Quapropter quod Dionyſius de diuinis nominibus cap. 2. in medio, & de cœleſti Hierarchia cap.9. poſt medium, videtur aſſerere, totam rationem inæqualitatis prouenire ex defectu accipientium gratiam, explicandum erit tomo ſequenti.

6. Ignatius epiſt. 1. ad Mariam Caſſobolitam prope initium ait: *Omnium namque bonorum largitor eſt Deus.* & in fine eiuſdem epiſtolæ: *Incolumem & carnali, & ſpirituali ſalute Dominus te ſanctificet ſemper.* & epiſt. 3. ad Magneſianas poſt medium, poſtquam grauiſſima impiorum ſcelera numerauerat, ſubdit: *A quibus eruamini miſericordia facienie per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Non enim ſentimus vtilitatem eius,* (hoc eſt, ſummam indigentiam gratiæ,) *niſi nos tentauerit; ſecundum autem quod agimus, iam non erimus, niſi ipſi noſtri miſeratus fuerit; ſi enim iniquitates obſeruauerit, quis ſuſtinebit,* id eſt, ſecundùm vires, & merita noſtrarum actionum nihil ſumus, & in nihilum iam eſſemus redacti. Vide ſummam neceſſitatem diuinæ miſericordiæ, facientis, ſiue operantis per gratiam Domini Ieſu Chriſti, quæ non ſolùm non ſupponit merita; ſed etiam eruit nos à grauiſſimis demeritis, & ſceleribus. & in fine eiuſdem epiſtolæ ad Magneſianos ait: *Fidelis eſt Pater Ieſu Chriſti, adimplere petitionem meam, & veſtram, in qua inueniamur immaculati, & acquiſiti in Domino. Amen.*

7. Idem in epiſt. 12. ad Rom. poſt med. apertè ſignificat, Deum eſſe authorem martyrij; ſiquidem qui operatur in martyrio, adiutor eſt Dei; ſic enim ait: *Princeps mundi huius diripere me vult, & in iudicio Dei mei dirumpere. Nemo ergo de præſentibus vobis auxilietur ei, magis autem mei adiutores eſtote, hoc eſt, Dei.* & in epiſt. 1. ad Epheſ. poſt medium: *Præſens gratia eſt, vt inueniamur in Chriſto Ieſu, & in veritate viuamus.* & in epiſtola 10. ad Heronem poſt med. monet, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

Quapropter explicandum eſt quod in epiſt.6. 8.
ad Philadelphienſes circa medium ait: *Per ipſum ſalutem adepti ſunt, qui erant digni dilectione, & digni laude ſanctificati à Ieſu Chriſto.* Intellige quos Chriſtus Dominus dignos dilectione, & laude reddidit ſua gratia, cùm priùs eſſent indigni. Sic enim epiſtola ſeptima ad Smyrnenſes prope finem ait: *Vinctus omnes ſaluto, qui non ſum dignus eſſe vltimus eorum, ſed ſecundùm Dei voluntatem dignus effectus ſum, non eximia prouidentia, ſed ex gratia Dei, quam opto, perfectam mihi tribui.*

Rurſus quod epiſt. 6. ad Philadelphienſes poſt 9.
med. poſtquam dixerat ſe accepiſſe Spiritum à Deo, ſubdit: *Ego quod meum eſt, feci vt homo in vnitate perfectus.* Ergo aliquid eſt ſuum, & facit. Intellige quod ſuppoſita præueniente & adiuuante gratia meum eſt, quia illud facere poſſum, & ex meo munere teneor.

Iuſtinus in dialogo cum Tryphone inter me- 10.
dium & finem, dum explicat illud Pſalmi 21. *Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me,* docet: *Omnem hominem debere ſpem ſuam in Deo ſolo ponere, & ab illo auxilium, ſalutémque petere.* (& poſt pauca:) *Nam ſi videmus, Filium Dei, nec viribus ſuis, nec ſapientia,* (videlicet humanitatis,) *ferre acceptam ſalutem, cùm tamen ſit innocentiſſimus, nec putare ſe poſſe, ſine Deo ſaluum euadere; quî fieri poteſt, vt quicunque ſine hac ſpe ſalutem expectant, non ſeipſos decipiant?* Conſtat ergo apud Iuſtinum nullum prorſus hominem, etiam liberum à quocunque vulnere & corruptione originalis peccati, poſſe aliquid ſine diuina gratia.

Hæc igitur gratia ſubintelligenda eſt, quando 11.
aſſerit: *In noſtra poteſtate eſt, eſſe caſtos, aut ſcortatores.* veluti in quæſtionibus, quæ agentibus propoſitæ fuerant quæſtione 9. & apologia 2. pro Chriſtianis ad Imperatorem Antoninum paulo poſt medium ait: *Libero arbitrio genus humanum, & res turpes fugere poteſt, & pulchras, ac bonas ſequi.*

Irenæus eodem modo exponendus eſt, quan- 12.
do libro 4. aduersùs hæreſ. cap.9. ait: *Homo liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat,* videlicet cauſa ſecundaria ſuppoſito primario authore per gratiam præuenientem, & adiuuantem vt fiat frumentum, quod idem ſubintelligendum eſt libro quarto aduersùs hæreſ. capite 72. vbi ex verbis Matth. 9. *Secundùm fidem tuam fiat tibi.* colligit, *hominis proprium eſſe fidem, quoniam propriam ſuam habet ſententiam.*

Clemens Alexandrinus quantum eius anti- 13.
quiſſima tempora ferebant, præuenientis gratiæ neceſſitatem docuit, vt conſtabit attentè conſideranti totum librum primum de Pædagogo, in quo æternum verbum omnium hominum, veluti puerorum curam gerit, monendo,

exhortando, docendo, corripiendo, & reuocando etiam ſceleratos, & impios, quique nullo beneficio digni ſunt. Quam etiam doctrinam repetiit in libris Stromatum, præſertim lib. 7. à principio vſque ad med. oſtendens Deum vocare omnes, & omnium curam gerere, & omnes adhortari. Quæ omnia non ſolùm de exteriori, ſed etiam de interiori exhortatione intelligenda eſſe, conſtabit legenti totam ſeriem. Peculiariter notentur illa verba lib. 1. pædagogi c. 3 initio: *Intus eſt in homine id amatorium, quod Dei inſpiratio, ſeu inſufflatio dicitur.* Amatorium autem appellatur poculum, ad amoris inſaniam impellens, vt conſtat ex Plinio lib. 8. cap. 12. & lib. 13. cap. 15.

14. Et in oratione exhortatoria ad Gentes paulo propiùs ad med. quàm ad finem ait: *Quidnam aliud reſtat incredulis, quàm iudicium, & condemnatio? Non negligit autem Dominus, ſuadens, terrens, adhortans, excitans, admonens. A ſomno quidem excitat, & ab ipſis tenebris, eos qui aberrauerunt, facit ſurgere. Expergiſcere, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus Dominus ſol reſurrectionis.* (Epheſ. 5.) Perpende primò, quomodo etiam eos, quorum nulla merita, ſed multa incredulitatis demerita præceſſerunt, Deus excitet, hortetur, admoneat. Perpende ſecundò, quòd facit eos ſurgere, quod eſt gratiæ operantis, & excitantis proprium.

15. Inſuper lib 5. Stromatum pag. 2. vt bene operemur, Dei gratiã prærequiri notat his verbis: *Oportet quoque mentem habere ſanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia à boni veneratione. ad quod quidem maximè diuina opus habemus gratia, rectáque doctrina, & munda animi affectione, & Patris ad ipſum attractione.* In quo teſtimonio diligenter aduerte primò, ſequentia nomina propria eſſe gratiæ præuenientis, vt conſtabit ſequentibus diſputationibus, præſertim diſputatione 29. ſect. 2. videlicet mentis ſanitas, quæ nulla pœnitentia, id eſt, triſtitia, odio, & auerſione retardetur à bono, attractio Patris ad Filium & doctrina interior. Rurſus libro 4. Stromatum pagina 8. fol. 102. ait: *Et ſi quis altercans dicat, & quomodo fieri poteſt, vt caro imbecilla reſiſtat poteſtatibus, & ſpiritibus dominationum; illud ſciat, quòd omnipotenti Domino freti, in eóque habentes fiduciam aduerſamur poteſtatibus tenebrarum, & mortis.*

16. Hæc quæ retulimus probant ſano, & vero ſenſu explicanda eſſe, quæ in ſpeciem docere videntur, ex libero arbitrio ſine gratia exiſtere aliquod initium, aut cauſam iuſtificationis. Cuiuſmodi ſunt primò varia loca, in quibus Clemens, nulla facta mentione gratiæ, tradit eſſe in noſtra poteſtate, bonum eligere, aut non eligere, credere, aut non credere: ſeruare, aut non ſeruare præcepta, videlicet lib. 1. Stromatum circa med. & lib. 2. pag. 3. & 5. & prope med. eiuſdem libri 2. & lib. 4. longè ante finem, & lib. 7. pag. 3. quorum verba retulimus tomo de ſcientia Dei, diſputatione 42. ſectione 2. quibus omnibus in locis gratia præueniens, & adiuuans ſubintelligenda eſt.

17. Aliis in locis videtur ex viribus naturæ concedere aliquam diſpoſitionem ad gratiam, veluti lib. 1. Stromatum pag. 7. ait: *Præparat ergo Philoſophia, ei viam muniens, qui à Chriſto perficitur.* Vbi nomine *Philoſophiæ* intelligit, non ſolùm quæ ad intellectum, ſed etiam quæ ad mores practicè componendos, & exercendos pertinent. Et in eodem libro primo Stromatum circa medium ait: *Sed ſi non comprehendit Græca Philoſophia veritatis magnitudinem, & eſt adhuc imbecilla, ad mandata Domini exequenda; at maximè quidem regali doctrina viam præparat, vtcunque caſtigans, & mores prorſus formans, & ad ſuſcipiendam veritatem confirmans eum, qui opinatur prouidentiam.* & lib. 7. Stromatum pag. 5. *Philoſophia autem Græca veluti præpurgat, & præparat animam, ad fidem accipiendam, ſuper quam veritas ædificat cognitionem.*

18. Hanc præparationem intellige, remouendo impedimenta, & præparanda naturalia bona, ex quibus Deus pro ſua miſericordia merè gratuita ſumat paſſiuas occaſiones, ſiue opportunitates vocandi ad fidem, modo explicato ſuprà tota diſp. 16. atque inſuper aptitudinem præbendo, vt ſuppoſita fide per Dei gratiam accepta faciliùs homo perueniat ad illius myſteria penetranda, exercendáſque virtutes, quas dictat; quod clariùs explicuit lib. 7. Stromatum pag. 3. dicens: *Si quis autem ex Græcis tranſgreſſus, id quod præcedit Græca Philoſophia, protinus ad veram aggreſſus eſt doctrinam, is, etſi planè rudis, longo ſuperauit interuallo eùm ſalutis compendium per fidem elegerit ad perfectionem. Quæcunque ergo nihil impediebant, quominus eſſet homini liberum eligendi arbitrium, effecit Deus; vt ea ad virtutem opem ferrent.*

19. Prædictum genus præparationis duobus illuſtrat ſimilibus, altero in lib. 5. Stromatum pag. 7. vbi; *Græca*, inquit, *Philoſophia ſimilis eſt illuminationi, quæ fit ex ſcirpo, quem homines accendunt, lucem artificiosè à ſole ſuffurantes. Verbo autem prædicato vniuerſa illa ſancta lux eluxit. Deinde furtum quidem noctu vtile eſt in ædibus, interdiu autem illuſtratur ignis, & vniuerſa nox illuminatur tanto ſole lucis, quæ percipitur intelligentia.* Alterum ſimile in libro primo Stromatum longè poſt medium ita proponit: *Eſt quidem per ſe perfecta, & nullius indiga ſeruatoris doctrina, cùm ſit Dei virtus, & ſapientia. Accedens autem Græca Philoſophia non veritatem facit potentiorem, ſed debilem aduerſùs eam efficit ſophiſticam argumentationem, & propulſans doloſas aduerſùs veritatem inſidias, dicta eſt vinea apta ſepes, & vallus.*

20. Poſtremò quod in libro ſeptimo Stromatum pagina ſecunda dicit: *Omnes homines ex æquo vocari à Deo.* & pagina quinta: *Omnibus omnia à Deo propoſita eſſe æqualia.* intelligendum eſt de generalibus auxiliis gratiæ, vt oſtendemus tomo ſequenti.

21. Ephrem Syrus præuenientis gratiæ munera tradit ſerm. 1. de compunctione cordis à med. dicens: *Semper Dei gratia corda noſtra viſitat; & ſi locum ſibi paratum inuenerit, ingreditur, ſempérque in anima noſtra quieſcit; ſed ſi cor immundum offenderit, illico recedit. Rurſúſque miſericordia tactus, cogit eam ad nos peccatores inuiſendos venire.* & poſt pauca: *Vnde fit, vt cùm ad nos viſitandos gratia ingredi cupiat, improbarum cogitationum fœtorem turpiſſimum in cordibus noſtris reperiat, quare illico recedit, cùm locum introeundi, acquieſcendi, in nobis ſicut volebat, non inueniat. Veruntamen cor noſtrum dulcedine luminis ſui pulſat, vt reſipiſcat & intromittatur ipſa, vt ſic lucis dulcedine allectus homo, ipſam inquirat: nequis enim penitus nos gratia deſerere; à propria enim ipſius benignitate eò adigitur vt omnium noſtri miſereatur.* Perpende primò propria gratiæ præuenientis nomina dulcedinem, ſiue ſuauitatem; lumen, ſiue illoſtrationem viſitantem & pulſantem, vt reſipiſcat peccator. Secundò ad hæc

Deum

Deum nullis hominum meritis inuitari, ſed potiùs demeritis offendi; & ſua merè gratuita miſericordia compulſum, hæc præſtare.

22. Idem in breui quodam opuſculo *de diuina gratia*, eam comparat matri, quæ hominem velut infantem, prorſus ignorantem quid circa ſe geratur, vbera præbens, nutrit, ab inſidiatoribus cuſtodit, inſtruit, exercet. Circunſtantiam illam ignorantiæ infantium addidit Ephrem, vt ſignificaret homines ſuo ſtudio, aut diligentia nihil contuliſſe vt diuinam gratiam adipiſcerentur. Et conſequenter in ſermone de vita religioſa atque monaſtica pag. 6. ait: *Ipſe dilexit nos, ipſe miſertus eſt noſtri, ipſe mentis noſtræ oculos illuminauit, ipſe nobis ſuæ cognitionis gratiam præbuit, ipſe dulcedinem ſuæ charitatis nobis guſtandam indulſit.* Ergo non ſolùm charitatem, ſed etiam fidem agnoſcit Ephrem, eſſe donum ſupernaturalis gratiæ.

23. Inſuper effectus diuinæ gratiæ præuenientis deſcribit fusè in opuſculo de timore animi. Præſertim notanda ſunt illa verba poſt medium: *Gratia præſentia, ſimul cum cordis compunctione, animi dulcedinem, & tranquillitatem affert. Exhilarant vnda diuina gratia, imbérque ſancti Spiritus, noſtra pectora; faciúntque vt anima repentè omnium rerum terrenarum, cupiditatúmque carnalium, ac noxiarum obliuiſcatur. Fouent igitur vnda diuina gratia intellectum, ſimul & animam.* Et in opuſculo de timore Dei ad imitationem Prouerbiorum longè poſt medium ait: *Si gratiarum donis effectus ſis dignus, ne propterea ſuperbias, nihil enim habes boni quod a Deo non acceperis.*

24. Ex prædictis teſtimoniis conſtat, ſubintelligendam eſſe præuenientem, & adiuuantem gratiam in plurimis locutionibus, quæ ſine hac mente forent Semipelagianæ. Veluti quando variis in locis aſſerit, gratiam dari petentibus, quærentibus, inuocantibus, diligentibus, aut ſimiles alias ſententias; peculiariter verò quando in citato ſermone de vita religioſa, atque monaſtica pagina 5. ait: *Voluntas cùm libera ſit, ac ſui iuris, tanquam agricola quidam eſt, naturæ noſtræ conſuetudines prauas inſerens, & bonas ſicut ipſa voluerit.* Quam ſententiam iterum atque iterum repetit, & inter medium & finem eiuſdem ſermonis ait: *Hominis eſt gratiam inuocare, vt illa adueniens mentem, ac cor ei illuminet: purificáuſque ſe ipſum homo, eam in domicilio pectoris ſui inhabitatricem, & auxiliatricem ſibi acquirat.*

25. Antonius Magnus tomo 3. Bibliothecæ epiſt. 1. ad Fratres de diuina vocatione à principio, viribus, & bono quod à prima conditione inditum eſt naturæ, videtur concedere vim ſufficientem, vt homo pergat paratus ad Deum. Nihilominus paulo inferiùs apertè docet, omnibus hominibus neceſſariam eſſe præuenientem gratiam, dicens: *Puto quòd eos primus vocet Spiritus, qui ingrediuntur ex toto corde certamen.* (& poſt pauca:) *Præſtat eis, lenitate in omnibus iuuans eos Spiritus, vt indulcentur in illis opera pœnitentiæ. Ponit eis terminos per modum quendam pœnitudinis in corpore, & anima eorum, vſquequo doceat, eos etiam conuerſionis modum ad conditorem proprium, Deum; nec non & præbet eis violentiæ compulſionem in anima diſcurrentium, & corpore, vt vtraque ſanctificari queant.*

26. Inſuper epiſtola 2. ad Fratres Arſenoitas columna vltima ait: *Vt cognoſcatis, quia benignitas Patris non ceſſat à quo motio facta eſt beneficij, ſuſcitans ſemper vſque in hodiernum.* Loquitur autem

Id eſt, ex quo cæpit tempus.

Ruiz de Prouidentia Dei.

non ſolùm de hominibus piis, & dignis, ſed etiam de impiis, & indignis; vt conſtat ex ſuperiori, & inferiori contextu. Denique gratiam excitantem omnes homines apertè docuit epiſtol. 5. ad Fratres Arſenoitas prope initium, dicens: *Non in vno tempore viſitationem facit creaturarum ſuarum, ſed a conſtitutione mundi moderatur Deus proprias creaturas, per generationes ſingulas, expergefaciens quemque occaſionibus quibuſdam & gratia.* Alia eiuſdem Antonij verba apud Athanaſium in eius vita explicuimus ſect. 3. num. 11.

Origenes non videtur omnino prætereundus, eius namque teſtimonium in aliis fidei controuerſiis non contemnitur. Errauit ille quidem circa prædeſtinationis cauſam turpius, quàm Maſſilienſes. Cæterùm eorum errorem nullibi, quod ſciam, docuit apertè: ſed potiùs eundem aliquibus in locis ſatis expreſſe refutauit, veluti in epiſt. ad Rom. libro octauo, capite 11. ad illa verba: *Si autem gratia, iam non ex operibus*, vbi: *Sciendum eſt*, inquit, *quia opera quæ Paulus repudiat, non ſunt iuſtitiæ, quæ mandantur in lege; ſed ea, in quibus hi, qui ſecundum carnem legem cuſtodiunt, gloriantur, id eſt, vel circumciſio carnis, vel ſacrificiorum ritus, vel obſeruatio Sabbathorum, & neomeniarum. Hæc & huiuſmodi ſunt opera, ex quibus dicit, neminem potuiſſe ſaluari, & de quibus in ipſo loco dicit; quia non ex operibus. Alioquin gratia iam non eſt gratia. Si enim per hæc quis iuſtificatur, non gratis iuſtificatur. Qui autem per gratiam iuſtificatur, iſta quidem opera ab eo minimè quæruntur; ſed obſeruare debet ne accepta gratia inanis fiat in eo; ſicut & Paulus dixit: quia gratia eius in me vacua non fuit, ſed amplius quàm omnes illi laboraui. & iterum addidit tanquam memor gratiæ: Non ego*, inquit, *ſed gratia Dei mecum. Non facit ergo inanem gratiam ille, qui digna ei opera ſubiungit, & gratiæ Dei non exiſtit ingratus. Qui enim poſt conſecutam gratiam peccat, ingratus fit ei, qui præſtitit gratiam. Si autem non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia, & tanquam mercedem boni operis gratiarum multitudinem conſequeris.* 27.

Pondera primò, hîc apertè, tanquam inutilia refutari omnia prorſus opera, quæ gratiam præcedunt. Secundò, ea tantùm opera vtilia cenſeri, quæ accepta gratia opera præueniente, & cooperando gratiæ adiuuanti exercentur; quod apertè notatur illis verbis: *Ne accepta gratia inanis fiat in eo*, & illis: *Digna ei opera ſubiungit*; & iterum: *poſt conſecutam gratiam.* 28.

Et in eiſdem commentariis ad Rom. lib 4. cap. 4. ad illa verba: *Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit permiſſio*, ait: *In ſuperioribus Paulus diſtinctionem dedit mercedis, & gratiæ, dicens, mercedem rem debiti eſſe, gratiam autem nullius eſſe debiti, ſed beneuolentiæ beneficium, &c. In præſenti ergo loco oſtendere volens Deum hæreditatem promiſſionum non ex debito, ſed per gratiam dare, dicit, quia hæreditas a Deo his, qui credunt, non ex mercedis debito, ſed fidei munere concedatur.* 29.

Nec tacuit etiam cuiuſque meriti principium, quod eſt fides, eſſe gratiam. Nam poſt pauca ita occurrit obiectioni: *Quòd ſi fortè videatur, hoc ipſum quod dicitur ex fide non eſſe gratis; quippe ſi offerenda ſit fides prius ab homine, & ita à Deo gratia promerenda: audi quomodo in alijs etiam de hoc idē Apoſtolus docet. Etenim vbi enumerat dona Spiritus, quæ dicit ſecundum menſurā fidei credentibus dari,* 30.

ibi inter cætera, etiam donum fidei aſſerit per Spiritum ſanctum tribui. Poſt multa namque ita etiam de hoc dicit: Aliy fidē in eodem Spiritu, vt oſtendat quòd etiam fides per gratiam datur. Sed & alibi idem Apoſtolus docet, dicens: quia à Deo vobis datum eſt, non ſolùm vt credatis in Chriſtum, ſed etiam, vt patiamini pro illo. Aliquid ſtatim ſubdit paulo duriùs; ſed explicari debet ne proximè præcedentibus contradicat.

31. Eandem doctrinam confirmat in eiſdem commentariis lib 3. cap. 3. procul ante finem, dicens: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, tantum eſt, vt is qui iuſtificatur per gratiam fidei, dicat ſecundùm Paulum, quia gratia Dei, quæ data eſt mihi, inanis non fuit. Excluditur ergo omnis gloriatio, quæ ex legis operibus venit.* (& poſt pauca:) *Videt Apoſtolum non gloriantem ſuper iuſtitia ſua, neque ſuper caſtitate,* &c. *& dicentem: Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

32. Ex dictis teſtimoniis colligo, eſſe incredibile contra veritatem iſtam, ſenſiſſe Origenem in eiſdem commentariis ad Roman. quando in libro ſeptimo, capite 9. ad illa verba: *Voluntati eius quis reſiſtet?* & iterum: *An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa,* &c. docet, Dei eſſe, eligere ex præſcientia meritorum eos, quos ſcit futuros eſſe bonos, & puros: cæterùm, noſtræ voluntatis eſſe, & ex nobis fieri bonos & puros. Vbi gratiæ præuenientis, & cooperantis auxilium debet ſuppleri mutuatum ex teſtimoniis nuper citatis.

SECTIO VI.

Cæteri Patres Græci qui poſt Auguſtini tempora floruerunt.

1. THeodoretus, quamuis contra Semipelagianorum errorem nihil ſcripſiſſet expreſſum, certis argumentis comprobare potuiſſet, nullum illios erroris articulum docuiſſe, tum propter Magni Leonis Papæ ad Theodoretum, & ipſius ad Leonem vltrò citróque conſcriptas epiſtolas eo tempore quo Leo coacto Concilio Arauſicano II. aliiſque remediis eum errorem exſtirpare conabatur: tum etiam, quoniam Chalcedonenſis Synodus Theodoretum orthodoxum, & catholicum Eccleſiæ Doctorem, & paſtorem appellauit. Nihilominus multa & ſatis aperta tulit aduersùs Semipelagianos teſtimonia, quæ eadem confirmant, in hac parte ſanam fuiſſe Chryſoſtomi doctrinam, quam Theodoretus vt plurimum ſequitur, præſertim in Pauli expoſitione.

2. Fidem ergo eſſe Dei gratiam, & fidei initium fuiſſe ex diuina vocatione ſine vllis noſtris meritis, docet Theodoretus ad Epheſ. 2. ad illa verba: *Gratia ſalui eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Non enim* (ait Theodoretus) *noſtra ſponte credidimus, ſed vocati acceſſimus, & cùm acceſſiſſemus, non exigit vitæ puritatem, & innocentiam; ſed ſola fide ſuſcepta, condonauit peccata. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Illud, creati, hic poſuit pro regeneratione. Vocauit nos, inquit, per ſuam bonitatem ineffabilem. Obediuimus, & cùm credidiſſemus, ſumus ſalutem conſequuti. Sed ante Baptiſmum quidem actiuam à nobis virtutem non exegit, poſt Baptiſmum verò ei etiam iubet hærere, & eam tenere. Hoc enim dicit, in operibus bonis, vt in illis ambulemus:* Actiuam virtutem appellat quamlibet actionem hominis, quæ obtinere potuiſſet, vt ad Baptiſmum vocaremur.

Idem Philip. 1. fine, illa verba: *Vobis donatum eſt,* &c. ſic interpretatur: *Dona Dei vocauit & credidiſſe, & ſplendidè decertaſſe; non liberum, & ſpontaneum, tollens animi arbitrium, ſed docens, quòd ipſa per ſe mens, aut voluntas, gratia deſtituta, nihil poteſt rectè, & ex virtute facere.* Ex his manifeſte conſtat, nulla virtutis actione potuiſſe præberi iuſtificationis, nec fidei exordium, abſque præueniente vocatione & gratia. Sed prætereà fidei confeſſionem indigere diuina gratia, docet 1. Cor. 12. prope init. *Nec fieri poteſt vt Deum purè & ſincerè confiteatur, niſi ab illa gratia illuminetur.* 3.

Rurſus Rom. 8. ad illa verba: *Nam quid oremus,* &c. orationem indigere diuina gratia, ſic docet: *Deus etſi nihil petatis, ſed tantùm gematis, pro gratia, quæ inhabitat operantes, veſtra ſapienter adminiſtrat; & id quod vobis vtile futurum eſt, præbebit. Hoc enim ſubiunxit: Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus; quia ſecundùm Deum poſtulet pro ſanctis. Spiritum autem hic non dicit ſubſtantiam Spiritus, ſed gratiam quæ data eſt iis, qui credunt. Ab ea enim excitati, compungimur; ab ea inflammati, alacrius precamur, & gemitibus inenarrabilibus Deum compellamus.* 4.

Seruitute peccati mancipatum teneri hominem, donec auxilio gratiæ liberetur, docet ad Rom. 7. dicens: *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Introducit hominem ante gratiam ab animi motibus, & perturbationibus obſeſſum. Carnalem etiam vocat eum, qui nondum ſpiritalem gratiam eſt aſſecutus. Illud autem, venditus ſub peccato, per id quod à Propheta vſurpatur intelligamus. Ecce, inquit, peccatis veſtris venundati eſtis. Hoc etiam hic dicit, tranſfugi ad peccatum, & me illi venundedi.* Rectè etiam de principio gratiæ loquitur 2. Corinth. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis,* &c. & 1. Corinth. 4. in illa verba: *Quid habes quod non accepiſti?* & Rom. 11. ad illa verba: *Alioqui gratia non eſſet gratia.* 5.

Peculiariter circa electionem ac prædefinitionē, de qua ſolet ſuggillari Theodoretus, rectè ſenſiſſe conſtat Epheſ. 1. prope init. vbi ait: *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. Ab initio enim ante conſtitutionem mundi ea, quæ ad nos pertinebant, præſciuit, & prædefiniuit. Docet autem etiam quanam de cauſa elegerit. Vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius; & quomodo elegit eos, qui nondum nati erant? In charitate qui prædeſtinauit in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, & præſciuit nos, & dilexit, & noſtram vocationem præconſtituit, vt nos filiorum adoptionis donum perciperemus, per ſeruatoris noſtri diſpenſationem. Illud autem, in ipſum dicit Patrem, pro eo, quod eſt, & eius filij appellamur. Deinde honoris & liberalitatis magnitudinem admirans, ſubiunxit: Secundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Hoc enim, inquit, voluit, hoc ei placuit.* Quibus in verbis prædeſtinationem, & electionem, agnoſcit eſſe cauſam noſtræ vocationis, iuſtificationis, ſanctitatis, & bonorum operum. 6.

Ex his colligo expoſitionem eiuſdem Theodoreti ad Rom. 8. ad illa verba: *Quos autem prædeſtinauit,* &c. vbi ait: *Quorum propoſitum præſciuit, eos ab initio prædeſtinauit, prædeſtinatos autem, ac prædefinitos etiam vocauit,* &c. Nam ſi totus ſequens contextus expendatur, conſtat ſolummodo intendiſſe Theodoretum excludere neceſſitatem, quam diuina prædeſtinatio antecedenter inducat. De 7.

cætero

cætero hanc Theodoreti ſententiam de prædeſtinatione ex præſcientia explicare debes, ſicut Chryſoſtomum diſput. præced. ſect. 5. num. 21. & ſequentibus. Eodem modo intelligendum eſt, quod aſſerit ad Rom. 9. ad illa verba: *Non ex operibus, ſed ex vocante.*

8. Rurſus quod ad Rom. 8. ad illud: *Iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*, aſſerit. *Non enim vocat ſimpliciter, ſed eos, qui habent propoſitum*, intelligendum eſt de vocatione, actualiter cooperante cum libera voluntate, vt conſtat ex eodem 8. vbi ait: *Non cooperatur omnibus, ſed iis qui diligunt.* Multa alia ſcribit, quæ intelligenda ſunt de gratia conſequente, ſicut ad Roman. 12. *Secundùm menſuram fidei gratiam ſuppeditari.* & in fine epiſtol. ad Epheſ. *Non ſimpliciter omnibus ſuppeditatur gratia; ſed iis, qui Dominum diligunt.* Quod non de quacunque gratia auxiliatrice, ſed de ſola gratia, quæ ſimpliciter iuſtificat, intelligendum eſſe, demonſtrant verba, quæ continuò ſubiungit: *Neque iis quidem ſimpliciter; ſed iis, qui propter id quod amant, eius viuificas leges ſeruant.* Similia vide 1. Corinth. 7. in id: *Sed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo.* & Philippenſ. 2. in id, *Deus eſt, qui operatur.*

9. Diodochus de perfectione ſpirituali cap. 2. tomo 5. Bibliothecæ, ait: *Homo efficitur bonus, dum mutatur in id boni, quod ex ſe ipſe non eſt, per eum qui vi ſua bonus eſt.* Vides, principium mutationis ab impietate ad iuſtificationem ex Deo eſſe? Nunc fidem quam cognitionis nomine comprehendit, cæteráſque virtutes eſſe gratiæ dona, ita docet in cap. 9. *Vnius quidem Spiritus ſancti ſunt chariſmata, ſapientia, & cognitio, ſicut cætera omnia diuina chariſmata. & quæ ſequuntur.* Et cap. 89. docet gratiam Baptiſmi priùs nos reuocare ad imaginem Dei; cæterùm, *vt ſimus ad ſimilitudinem Dei, non ſtatim largitur; ſed expectat potius, vt illud nobis adiutoribus cooperetur.* Vbi fusè deſcribit initia, & progreſſum gratiæ, operantis perfectionem in anima. Facit etiam, ad confirmandam neceſſitatem gratiæ, quod aſſerit in fine cap. 87. *Aduertendum tamen eſt, quòd cùm ipſe ſatanas per ſe pugnam cum anima committit, inde ceſſiens, inquam, gratia, qua fit ad erudiendum, ſubducit quidem ſe ipſa, vt dixi, gratia, quodam tamen ignoto, & occulto auxilio animam adiuuat, vt inimicis eius oſtendat, animæ eſſe victoriam.* Conſidera poſtrema verba, vt videas, animæ, atque hominis eſſe quodcunque bonum, liberè factum: quamuis non fiat ſine gratia, ſiue occulta, ſiue manifeſta.

10. Theophylact. Marc. 10. ad illa verba: *Qui vos audit, me audit*, ait: *Ne gloriemini, vel ſapite ſublime, quòd quidam vos audiant, non enim veſtrum eſt opus, ſed meum & gratiæ.* Ergo apud Theophylactum, Dei, & gratiæ opus eſt fides, quia infideles audiunt, & obediunt Apoſtolis, prædicantibus Euangelium. Porrò hanc ipſam fidem & obedientiam ſine noſtris meritis, aut labore merè gratis à Deo donari notat Theophylact. in prologo ad Euangel. Matthæi, dicens: *Euangelium nunciat, quod facilè, & gratis hæc bona, nempe remiſſionem peccatorum, & adoptionem in filios accipimus. Nec enim noſtro labore aſſecuti ſumus hæc bona, ne ea ex noſtris accepimus bonis operibus; ſed gratia & miſericordia Dei talia bona conſecuti ſumus.*

11. Ex his collige primò, quomodo intelligenda ſint, quæ poſtea ſpargit in vniuerſis commentariis Euangeliorum de noſtris liberis operibus ad ſalutem neceſſariis. Nam Theophylactus hæc intelligit ſuppoſita prima gratia excitante, & vocante merè gratis, & ſine noſtra cooperatione. ſic Matth. 22. ad illa verba: *Multi ſunt vocati*, ait: *Multos enim, vel potiùs omnes vocat Deus; pauci verò electi; pauci enim qui ſaluantur, & qui digni vt eligantur à Deo: ita vt Dei quidem ſit vocare, electos autem fieri vel non noſtrum.* Vbi apertè ſupponit, vocationem eſſe ſolius Dei, ſed cooperationem eſſe noſtram ſimul cum diuino auxilio.

Aduerte præterea illam vocem *electos*, hîc non 12.
accipi quaſi participium, ſignificans Dei electionem verſari circa illos; ſed accipitur quaſi nomen ſignificans rem optimam, & quæ digna eſt, vt eligatur; ſicut paulo antea in hoc ipſo contextu dixerat idem Theophylactus. ſic enim Pſalm. 17. dicitur: *Cum electo electus eris.* & ſæpe in Scriptura milites, aut cedri, aut ciuitates, aut res aliæ propter egregiam præſtantiam dicuntur electæ.

Negandum tamen non eſt, quin poteſt etiam 13.
illa vox *electos*, eſſe participium, ſignificans electionem Dei. Hanc autem circa nos verſari, nos ipſi quodammodo facimus, quatenus ab ea moti liberè cooperamur illi. Quomodo D. Petrus ait: *Fratres ſatagite, vt per bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Nec te offendat prædictus modus loquendi Theophylacti. nam & Proſper electionis defenſor acerrimus, libro 2. de vocat. gent. cap. 35. ait: *Deus ergo his, quos elegit ſine meritis, dat vnde ornentur, & meritis, & fruſtra dicitur, quòd ratio operandi non ſit in electis, cùm etiam ad hoc operentur, vt electi ſint.* Sic ergo Theophylactus dixit, noſtrum eſſe cooperari, vel non cooperari, vt electi ſimus. Anſelmus etiam per omnia Auguſtinianus in Commentario ad illud 2. ad Timoth. 2: *Et diſcedat ab iniquitate omnis, &c. Liberum, inquit, arbitrium dedit nobis Dominus vt arbitrio proprio voluntatis recedamus ab iniquitate; & ſimus ex illis, quos ipſe nouit, ſuos eſſe: vel permaneamus in iniquitate, & ſimus ex illis, quos nouit ad ſe non pertinere.*

Ex eiſdem teſtimoniis colligitur ſecundò, quan- 14.
do Theophylactus dicit, fidem à nobis dari. ſubintelligere, ſuppoſita gratia præueniente noſtra merita, & conatus, cuius gratiæ opus ſit fides, & quando dicit; ſecundùm menſuram fidei dari gratiam, intelligere non de prima gratia præueniente, ſed de ſubſequente. ſic Matth. 25. ait: *Spiritualia dona accipientes, illi quidem plura, hi verò minora, vnuſquiſque ſecundum propriam facultatem, hoc eſt, ſecundum menſuram fidei, & purificationis, in vas enim quod ego daturus ſum Deo, in illud mittet donum ſuum. ſi paruum dedero, paruum dabit ipſe donum; ſi magnum, magnum ipſe quoque dabit.*

Colligitur tertiò ſano & catholico ſenſu acci- 15.
pi debere, quod aſſerit Rom. 8. ad illa verba: *Quos præſciuit & prædeſtinauit*, videlicet, *præcognoſcit Deus eos, qui vocatione digni ſunt, deinde ſic prædeſtinat. Prior itaque eſt præſcientia, poſtea ſequitur prædeſtinatio. Prædeſtinationem autem intelliges impermutabilem Dei voluntatem. Præuouit itaque Paulum vocatione dignum eſſe, ſicque præfiniuit, ſeu prædeſtinauit, hoc eſt, impermutabiliter decreuit, adeòque ſtatuit vocare ipſum.* Quæ verba eandem interpretationem poſtulant, quam ſimilia Chryſoſtomi diſputat. præcedenti ſect. 5. num. 21. & ſequentibus. Peculiariter verò notandum eſt, quod Theophylactus in id Oſeæ 5. *Sublatus eſt Ephraim*, aſſerit, *Deum omnia præoccupare ſua præſcientia, & prædefinitione.* Vbi verbum *præoccupare*,

apertè ſignificat prioritatem comparatione noſtrorum operum, & quantum conijcere poſſumus, non ſolùm temporis, ſed etiam cauſalitatis prioritatem ſignificat.

16. Eodem modo exponendum eſt, quod Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus quæſtionibus in Scripturam quæſt. 59. circa med. ait: *Præſciuit Deus fore, vt non pœniteret Pharaonem, & indurauit cor eius dilatione, & lenitate, qua eum ad tantum deduxit contemptum & audaciam, vt etiam aquis fuerit obrutus; ſimiliter præſciuit Hieremiæ rectitudinem, & prædeſtinauit eum exiſtere vas electionis: ſi ergo quem vult Deus ſeruat; quem autem vult, perdit; neque qui ſeruatur, dignus eſt mercede; neque qui perit ſupplicio.* Quæ doctrina eò tantùm euadit, vt non independenter à libera cooperatione arbitrij executioni mandetur prædeſtinatio, & multò minus reprobatio: neque Deus ſolus ſine noſtra cooperatione libera ſit boni operis author, & multò minus author praui operis; ideóque Anaſtaſius tota illa quæſt. confirmat indifferentiam libertatis, vt bene operetur, aut malè.

17. Euthymius gratiam præuenientem expreſsè docuit in Pſal. 20. dicens: *Quoniam præuenisti eum, & præoccupaſti ſæpiùs beneficijs tuis, antequam ipſe aliquid peteret à te. Benedictionem hic pro beneficijs accipere debemus, quæ à Dei bonitate proficiſcuntur, & ideo dicit, in benedictionibus bonitatis.* Et iterum in Pſal. 58. *Miſericordia eius præueniet me Vide,* inquit, *quali perfruar Deo, qui præſto ſemper mihi eſt, vt ſumma ſua miſericordia meas longè præueniat preces.* Præterea gloriandum non eſſe virtutibus, quoniam Deus ſolus victoriam vitiorum præſtat, docet in Pſalm. 31. fine, dicens: *Gloriamini non de veſtris virtutibus. Infirmæ enim ſunt, niſi conſeruentur à Deo: ſed in ipſo ſolo Domino, qui adiuuat ac protegit vos. Nam & ego olim in virtute confidens, lapſus ſum.* & paulò inferiùs in Pſal. 34. in principio: *Iuſtos,* inquit, *nulla alia in re exultare iubet, quàm in Domino, qui ſolus & verè adiuuat, & victoriam præſtat.*

18. Iuxta doctrinam his in locis traditam intelligenda ſunt alia verba, quæ ſilentio tegunt præuenientis gratiæ neceſſitatem, quale eſt illud in Ioannem c. 6. (quod apud illum eſt nonum) ad illa verba: *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit.* Vbi obiicit: *Culpa ergo carebit qui non venerit, vtpote non datus à Patre.* & reſpondet: *Sed Pater illos dat, in quibus præcedit bona voluntas: neque enim hæc per ſe facere poteſt vt credant abſente Dei adminiculo, neque illud auxilium, niſi bona voluntas.* Obſerua primò, ex poſtremis verbis conſtare Euthymium fateri mutuam dependentiam auxilij & voluntatis, quantum ad eliciẽdum actum credendi. Secundò hinc collige illam præcedentiam voluntatis, quã priùs dixerat Euthymius non eſſe talem vt bona voluntas præcedat ſimpliciter, & abſolutè auxilium Dei, ſed præcedat ſolummodo completum, & abſolutum effectum gratiæ, virtute cuius verificatur hunc hominem eſſe datum à Patre, & venire ad Chriſtum. Hic enim completus & abſolutus effectus requirit concurſum diuini auxilij, & voluntatis humanæ: ac proindè vtraque partialis cauſa eſt prior hoc pleno, & completo effectu.

19. Idem Euthymius Lucæ 17. ad illa verba: *Auge nobis fidem,* ſic loquitur, vt videatur aſſerere partem aliquam fidei, quæ eſt prior, & imperfectior, eſſe à noſtro libero arbitrio, & non eſſe donum Dei; aliam verò fidem poſteriorem, & perfectam eſſe donum Dei, ait enim: *Fides partim à nobis inducitur, iuxta illud: Fides tua te ſaluam fecit; partim verò à Deo datur.* Hanc quæ à Deo datur eſſe diuerſam partem, ſignant illa verba, quæ ſubiicit. *Petunt diſcipuli eam fidem, quæ à Deo datur, quam etiam acceperunt poſt ſuperuentionem Spiritus ſancti.* Cæterùm ex contextu colligitur hanc eſſe mentem Euthymij. Duplex eſt fides: altera cuius habendæ facultas omnibus hominibus conceditur à Deo, per gratiam præuenientem, & adiuuantem, ea videlicet fides, quæ ad ſalutem eſt ſimpliciter neceſſaria; & hæc eſt pars fidei, quæ à nobis inducitur, & quæ dicitur eſſe tua, vel noſtra. Altera fides pertinet ad gratias gratis datas, vel certè eſt altior quidam gradus fidei, ad quem perueniendi facultas non omnibus hominibus conceditur à Deo, ſed peculiari priuilegio donatur aliquibus. Et ob hanc cauſam dicit, fidem partim à Deo dari, quam & diſcipuli petierunt, & per ſuperuenientem Spiritum ſanctum acceperunt, ideóque ad huius confirmationem rectè Euthymius citat Rom. 12. vbi fides numeratur inter alia gratias gratis datas. *Fides duplex.*

OEcumenius in Collectaneis ad epiſtol. Pauli plurima dicit, præſertim ex Photio Patriarcha Conſtantinopolitano, quæ directè pugnant cum Semipelagiano errore, maximè verò quod aſſerit ad Epheſ. 2. ad illa verba. *Etiam cùm eſſemus mortui.* vbi ait: *Mortui quantum ad boni alicuius operationem.* (& poſt pauca:) *Viuificauit nunc quidem poteſtate, poſtmodum verò efficacia; per gratiam eſtis ſeruati, non labore, non proprijs bonis operibus. nam cùm oportuiſſet punire eos, qui facti erant filij iræ; hos ſola gratia ſeruauit.* 20.

Et paulo inferiùs, ad illa verba: *Non ex operibus, ne quis glorietur,* ait: *Ne quis arrogantiæ anſam accipiat, quaſi ex proprijs operibus factus ſit ſaluus. At qui licèt contingeret ex operibus ſaluum fieri, nec ſic oportet,* inquit, *in arrogantiam, ac iactantiam decidere.* (& poſt pauca:) *Quando ad bona opera conditi, non ſolùm nihil boni operati ſumus; ſed in contrarium potius delati ſumus, & delati, non ex nobis ipſis conuerſi ſumus, ſed gratia, & dono Dei. Quanta debetur à nobis Deo gratiarum actio? Quod autem ait: Ad opera bona conditi, ſimul & adhortantis eſt, & ad bonas actiones excitantis.* 21.

Idem in procœmio primæ epiſt. ad Corinth. ad illa verba: *Per quem vocati eſtis,* ait: *Nemo quippe venit ad Filium, niſi Pater traxerit eum; quemadmodum neque ad Patrem quiſquam venit, niſi cui reuelauerit Filius. Per quem vocati eſtis, qui vocauit vos.* (& poſt pauca:) *Vocati eſtis, neque enim à vobis ipſis veniſtis, ſed gratia vocati eſtis.* Deinde in eadem prima Corinth. cap. 4. ad illa verba: *Quid habes quod non accepiſti,* ait: *Verè fortaſſis laude dignus es ob doctrinam, at ne ita quidem extolleris. Non enim tuum opus eſt factum hoc, ſed Dei donum.* 22.

Rurſus 2. Corinth. 8. ad illa verba: *Qui dedit eamdem ſolicitudinem pro vobis,* &c. notat ab Apoſtolo *Dei opus appellari, quod Titum ad hoc excitauerit.* Præterea fidem & vocationem gratis, & abſque operibus à Deo donari, docet Rom. 11. ad illa verba: *Si autem gratia, iam non ex operibus.* Vbi peculiariter notandum eſt, quàm exactè rationem gratiæ opponat retributioni, & operibus, vt quantum ad hoc punctum nihil ampliùs notauerit Auguſtinus. Faciunt ad eandem veritatem confirmandam, quæ breuiter notat OEcumenius Philippenſ. 1. fine, in id: *Vobis pro Chriſto datum eſt,* &c. & 2. Corinth. 3. in id: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare,* &c. 23.

Ex his colligo eaſdem interpretationes OEcumenij 24.

menij deberi, quas multis Patribus tam Latinis, quàm Græcis ſuperiùs attulimus, & peculiariter quando OEcumenius ad Rom.8. ait: *Quos præſciuit, hos etiam prædefiniuit, quia ſecundùm propoſitum ſunt: quos autem prædefiniuit, hos & vocauit, quia ſecundùm propoſitum ſunt: & quos vocauit, eoſdem & iuſtificauit, quia ſecundùm propoſitum ſunt; & nihil abſurdi occurrat, ſi quibuſdam Deus benefaciat, quibuſdam verò non. Cùm enim ſubditur, ſecundùm propoſitum; ſtatuitur illorum virtus, qui ſecundùm proprium propoſitum crediderunt, & ſic à perſonarum reſpectu Deus liberatur.* Quo in loco intendit Deum, quod ex ſe eſt, nullum à vocatione, ſiue à iuſtificatione excluſiſſe; quippe qui omnibus hominibus ſufficientia obtulerit auxilia. Vnde non Dei, ſed hominum culpa eſt, ſi non iuſtificantur, qui libero voluntatis propoſito vocationem, & auxilia reſpuunt. Sed è contrario ea his qui libero voluntatis propoſito vocationi acquieſcunt, nulli Deus iuſtificationem, gratiam, & gloriam denegat, quod ſolùm perſonarum acceptio appellari ſolet in ſacris litteris, quando remouetur à Deo. Eodem ſenſu locutus eſt Rom.9. ad illud: *Cùm nondum nati fuiſſent*, &c.

25. Deinde ad Rom.3. vbi legit Vulgata: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis*, &c. OEcumenius legit: *Omnes peccauerunt, & poſteriores ſunt gloria Dei, gratiſque iuſtificantur per gratiam ipſius.* Quæ verba fauerent plurimum gratiæ præuenienti, niſi in Commentario limitaſſet, dicens, nos gratis iuſtificari abſque operibus noſtris, nihil aliud conferentes præter fidem. Cæterùm explicandum eſt nos fidem conferre, poſtquam merè gratis accepimus præuenientem, & adiuuantem gratiam ad credendum, vt conſtat ex locis ſuperiùs citatis.

26. Denique quod Philippenſ.2. videtur, aliquod initium noſtri ſtudij atque voluntatis à nobis exigere, vt Deus operetur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate ſua, temperandum eſt, atque ad ſubſequẽtem gratiam referendum, vt in ſimili ſuperiùs frequenter oſtendimus. Nec te moueat, quòd OEcumenius multa ex Gennadio colligat; non enim ex Latino Gennadio, qui fuit Maſſilienſis Presbyter circa annum 500. ſed ex Græco Gennadio Conſtantinupolitano, qui floruit circa annum 460.

27. Authorem imperfecti in Matth. quod eſt inter opera Chryſoſt. hoc loco placuit adiungere. Hic enim homil.18. in Matth. ad illa verba cap.7. *Petite, & accipietis; quærite*, &c. plurimas ſpargit locutiones Maſſilienſibus ſimiles. Qualis eſt illa in colum. 1. *Non ita infirmum Deus creauit hominem, vt omnino nihil boni facere poſſit.* & colum. 2. *Adiutorium non dormientibus datur; ſed feſtinantibus, & præualentibus.* & colum. 3. *Quod potes, fac, vt ampliùs poſſis*, & iis ſimilia multa, & in homil. 32. colum. 6. ad illa verba Matth. 19. *Sed quibus datum eſt*, ait: *Debet autem voluntas præcedere; & ſic ſequitur gratia.*

28. De horum explicatione non oportet eſſe ſollicitos Theologos, quibus exploratum eſt, illud opus ita eſſe authoris incerti, vt tamen ſit hæretici certi, quod notauit Baronius tom.5. ann.407. §. *Sed quod.* Nihilominus, quoniam huius authoris teſtimonia ad confirmanda Theologica dogmata inter Patres citari ſolent, non erit contemnenda horum verborum expoſitio, ſi qua ea eiſdem locis peti poteſt.

29. Et poteſt quidem. nam in prædicta homil. 23. paulò ante verba, quæ retulimus, Semipelagianum errorem confutat illis verbis: *Quibus datum eſt, non hoc ſignificat; quoniam quibuſdam datur, quibuſdam non datur: ſed illud oſtendit, quia niſi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus.* (& poſt pauca:) *Nam nec gratia ſine voluntate aliquid operatur, nec voluntas ſine gratia poteſt. Nam & terra non germinat, niſi pluuiam ſuſceperit, nec pluuia fructificat ſine terra.* & in cit. homil. 18. colum. 3. *Dum tu iuſtitiam operaris in te, iuſtitia te operatur in ſe.* (& poſt pauca:) *Qui iuſtitiam operatur, cùm ſit, & ipſa iuſtitia Spiritus ſanctus, operatur in eo delectationem iuſtitiæ faciendæ, vt delectatus circa iuſtitiam ampliùs faciat.* Sed in iis ponderandis, & illis explicandis non oportet ampliùs immorari.

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS

DE

PRÆDESTINATIONIS EXORDIO DANDO PER GRATIAM OPERANTEM, AC DE QVIDDITATIVO diſcrimine illius à gratia cooperante.

PROOEMIVM.

Destinabitvr præſertim iſte tractatus ad explicandam neceſſitatem vtriuſque gratiæ in ordine ad iuſtificationis progreſſum, & interim clarius certiúſque manebit quomodo requiratur gratia præueniens ad initium prædeſtinationis, quod actum eſt toto præcedenti tractatu, cuius hic quartus eſt veluti appendix & complementum. Sub nomine *gratiæ operantis* comprehendimus gratiam præuenientem, ſiue excitantem: & ſub nomine *gratiæ cooperantis* comprehendimus adiuuantem, concomitantem, & ſubſequentem, de quarum omnium quidditatiua ratione ac neceſſitate ſimul dicemus in ſequentibus diſputationibus.

DISPVTATIO XXIX.

Quænam ſit vis & ratio nominum, quibus operans & cooperans gratia compellari ſolet.

SECTIO I.

De nominibus operans, *&* cooperans gratia.

1\. *Nominum vſus.* Hæc nomina quamuis frequenter occurrant apud Magiſtrum ſententiarum, & alios Scholaſticos in 2. diſt. 26. & 27. apud nullum (quem ſciam) antiquorum Patrum reperiuntur expreſſa. Cæterùm non ſine eorum authoritate inducta ſunt. Quoniam Auguſtinus paſſim, & poſt illum aliqua Concilia & Patres docent, Deum gratuita ſua voluntate quædam in nobis ſine nobis operari: quædam autem operari nobiſcum. Hanc igitur appellant Scholaſtici gratiam *cooperantem*, illam verò *operantem*.

2\. Huius theologicæ phraſis fundamentum præbuit præſertim Paulus 1. ad Theſſal. 2. *Suſcepiſtis illud non ſicut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.* Philippenſ. 2. *Qui operatur velle & perficere pro bona voluntate ſua.* 1. Corinth. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Hæc & ſimiliter teſtimonia ſignificare gratiam operantem multorum patrum authoritate probauimus ſuprà diſp. 18. ſect. 4 à num. 13. & diſp. 19. ſect. 2. num. 18.

Plurima teſtimonia Patrum, quæ his nominibus præbuere fundamentum, vidimus diſp. præcedenti, & videbimus etiam toto diſcurſu ſequentium diſputationum, præſertim verò videbimus diſput. 31. interim hæc pauca ſufficiant. Primum ac præcipuum Auguſtini lib. contra duas epiſtolas Pelagianas cap. 8. fine receptum à Concilio Arauſicano II. can. 20. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non præſtet Deus, vt faciat homo.* Priora ergo bona, quæ ſolus Deus facit, ſunt gratiæ operantis; poſteriora, quæ Deus præſtat, vt homo faciat, ſunt gratiæ cooperantis cum libero arbitrio. Quod explicuit magis idem Auguſt. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. ſub initium, dicens: *Ipſe vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apoſt. Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur.* 3.

Cæleſtinus epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ c. 12. ait: *Agit Deus in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus.* Eadem verba habentur in hom. de Adam, & Heua colum. vltima, de cuius authoritate dixi diſp. 27. ſect. 4. fine. 4.

Proſper epiſtol. ad Demetriadem inter med. & finem ait: *Operante ſpiritu Dei, iuuatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia, vt voluntas curata reualeſcat; & gaudeat, ſe non interrogantem edoctam, & non quærentem eſſe quæſitam.* Nota primò Dei ſpiritum operantem, & gratiam agentem. Deinde perpende huiuſmodi gratiam, & ſpiritum operantem referri ad voluntatem, antequam interroget, aut quærat; ac proinde antequam aliquid ad ſalutem vtile operetur. 5.

Gregorius 16. moralium, cap. 10, aliàs 11. in expoſitione poſtremæ ſententiæ cap. 22. Iob ait: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis: vt,* 6.

ſequente

ſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum, quod iam appetimus, agat nobiſcum.

7. Iſidorus in lib. 2 ſentent. cap. 5. propè initium, ait: *Nam ſi confeſſionem boni operis non in nobis Deus operatur; cur per Prophetam dicitur: Confeſſio & magnificentia opus eius? Ab illo enim nobis omnia bona gratia præueniente, donantur.*

8. *Operans gratia cur in nobis ſine nobis.* Sed cùm gratia operans quidditatiuè includat operationes aliquas vitales intellectus, atque voluntatis noſtræ, vitaliter ab illis productas, vt conſtabit infrà diſput. 33. Occurrit protinus inueſtiganda ratio, propter quam gratia operans dicatur fieri in nobis ſine nobis: nec enim dicitur, ita fieri ſine nobis, quaſi fiat ſine noſtro phyſico concurſu effectiuo, quam ſine dubio præſtant noſter intellectus, & voluntas, eleuati diuino ac ſupernaturali concurſu. Sed dicitur fieri ſine nobis, hoc eſt, ſine noſtro morali, & imputabili concurſu.

9. Hæc explicatio clarior eſt apud Bernardū tract. de gratia & liber. arbitr. tota col. penultima, illis præſertim verbis; *Deus tria hæc, hoc eſt, cogitare, velle & perficere operatur in nobis. Primum profectò ſine nobis; ſecundum nobiſcum; tertium per nos.* & toto præcedenti, & ſequenti contextu explicat, ea tantùm Deum operari nobiſcum, quibus per noſtrum liberum conſenſum cooperamur; cætera verò ſine nobis fieri in nobis. Præſertim notanda ſunt illa verba, quæ paulo pòſt ſubiicit: *A Deo ſine dubio noſtra fit ſalutis exordium, neque per nos vtique, neque nobiſcum; verùm conſenſus & opus, etſi non ex nobis, non iam tamen ſine nobis.*

10. *Ratio à priori.* Ad hunc loquendi modum ita exponendum, exemplum, & rationem à priori habemus ex Paulo ad Rom. 7. vbi agens de inordinatis animi motibus primis, ac prorſus indeliberatis, quos excitat peccatum, hoc eſt, concupiſcentia, ex peccato originali prouenicns, & ad peccata perſonalia inclinans (vt ex mente Auguſtini explicat Trident. ſeſſ. 5. can 5.) ſic ratiocinatur Apoſtolus: *Rom. 7.* *Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* In hac propoſitione conditionali pondera primò duas partes Antecedentis: altera eſt verbum *facio*, quo notatur phyſicus concurſus ad eiuſmodi actiones: altera eſt verbum, *nolo*, quo excluditur libertas electionis. Deinde perpende conſequens. *Iam non ego operor illud*, videlicet, quaſi homo liber modò humano, & imputabili; ita vt mihi eius malitia tribuenda ſit, vt authori; ſed potiùs tribuenda eſt concupiſcentiæ, non vt eſt à Deo, ſed quatenus propter originale peccatum caret rectitudine debita. Vnde additur, *ſed quod habitat in me peccatum.*

11. De prædicta neceſſitate operationis, omni conſenſu, & libertate carentis, hunc locum exponunt Methodius Martyr pag. penultima & vltima. Cuiuſdam fragmenti (quod recitat & tacitè approbat Epiphanius hæreſi 64.) Baſilius in regulis breuioribus interrogat. 16. (quamuis aliter exponat alibi, vt referemus n. 15.) Auguſtinus de libero arbitrio c. 18. & de natura & gratia c. 67. lib. 1. retractationum c. 9 & concione 2. & 3. in Pſal. 18. Cyrillus Alexan. lib. 3. contra Iulian. col. 12. Bernardus tractatu de gratia, & libero arbitr. inter med. & finem, & epiſt. 42. ad Henricum Senonen. Epiſcopum circa med. Anſelmus de concordia prædeſtinationis & gratiæ cum libero arbitrio cap. 3. propè med. Eandem explicationem ex variis ſententiis Auguſtini texuit Magiſter ſent. ad Rom. 7. eandémque ſequitur D. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. ad 1. conſonátque 1. 2. q. 74. art. 3. in, ſed contra.

12. Demum pondera vim illationis, latentem in coniunctione conditionali *ſi*, vnde neceſſarium eſt, eam conſequentiam, ſi bona eſt, valere in quacunque materia, ſiue honeſta, ſiue turpi. Quapropter de ſubitis illuſtrationibus intellectus, & inſpirationibus voluntatis, quibus ante ſuam liberam electionem, imò contra ſuam obſtinatam voluntatem, Saulus agebatur ad fidem, & ſanctitatem, quando audiuit; *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*, iure optimo dixiſſet: *Si quod nolo bonum, illud facio: iam non ego operor illud: ſed quod habitat in me, diuinum auxilium.* hoc eſt, nullo modo mihi vt authori, & cauſæ morali, ſed ſoli gratiæ ſancti Spiritus imputandum eſt illud bonum.

13. Hac ipſa ratione Martyres ſic alloquitur Chriſtus Dominus Matth. 10. n. 18. *Non enim vos eſtis, qui loquimini: ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Quod propter operantem Spiritus ſancti illuſtrationem, & inſpirationem, ſine humana deliberatione, atque præmeditatione, infuſam, dictum eſſe, apertè oſtendunt ſuperiora verba: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Eadem prorſus ſententia habetur Marci 13. & Lucæ 12. Videnda ſunt quæ notauimus ſuprà diſp. 18. ſect. 4. ſub finem.

14. *Quæ noſtra dicantur.* Confirmatur primò, quoniam illa propriè noſtra ſunt, quibus nos dominamur liberè; quapropter prædictæ operationes, cùm ſint extra noſtræ libertatis dominium, ac ſolius Dei nutu immittantur, & reuocentur, meritò dicuntur eſſe ſolius Dei, & non hominis operationes.

Neceſſariæ operationes non dicuntur humanæ. Confirmatur ſecundò. Nam operationes libertate carentes, non dicũtur humanæ, quia non ſunt hominis, vt homo eſt, vt communiter Doctores docent cum Ariſt. ac D. Thom. 1. 2. quæſt. 1. art. 1.

Confirmatur tertiò, quoniam agere propriè dictum, quando ad humanas actiones refertur, ſignificat, operari cum indifferentia libertatis, vt oſtendimus tomo de ſcientia Dei diſp. 45. ſect. 1.

15. Videbitur alicui ſuperiorem ratiocinationem, debilitari, eo quòd verba Pauli ad Rom. 7. quibus illa nititur, alio etiam ſenſu exponatur ab eiſdem, aliiſque Patribus. Nam de conſenſu libero, atque culpabili, ad quam liberum arbitrium, voluntate atque concupiſcentia delinitum, inclinatur; interpretantur Chryſoſtomus ibi ſerm. 13. Hieronymus, Ambroſius, & Theodoretus ibidem: atque iterum Ambroſius lib. 1. de Iacob cap 4. à medio. Hieronymúſque in epiſt. ad Cteſiphontem contra Pelagium propè init. & poſt med. & in dialog. 2. aduerſùs Pelagianos col. 1. & 2. Baſilius in moralibus regul. 23. init. Bernardus ſerm. 81. in Cantica verſùs finem.

16. Nihilominus ex hac ipſa expoſitione noſtra doctrina colligitur à fortiori. Si enim neceſſitas quædam ſecundùm quid, & quaſi violenta ſeruitus contracta ex originali per concupiſcentiam, & ex perſonali peccato per conſuetudinem, ſufficiens ratio fuit Paulo, vt diceret. *Si quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud*, etiamſi opus fuerit liberum abſolutè: conſequens eſt, vt à fortiori de actu bono, & ſimpliciter neceſſario, in quo nulla ſit libertas noſtri arbitrij, ſed ſolius diuini, maiori iure dicere liceat: *Si quod nolo bonum, facio, iam non ego operor illud, ſed quod in me habitat, ſupernaturale auxilium.*

17. Obiicies prædictam rationem probare, gratiam, quam Theologi appellant operantem, potiori iure, ac proprietate appellandum fuiſſe operatam:

ratam: ſiquidem illa fit in nobis ſine oobis, & ipſa non operatur in nobis ſine nobis.

Reſpondetur primò ex D.Thoma 1. 2. q. 111. art.2.ad 1.hanc gratiam eſſe operantem, non efficientis, ſed formalis cauſę operatione, conſtituendo formaliter hominem, illuſtratum, & incitatum ad bonum; ſicut albedo conſtituit album.

18. Reſpondetur ſecundò. Deum eſſe, qui operatur, & cooperatur, ſecundùm phraſim, magis frequentem Auguſtini, & aliorum Patrum locis citandis diſp.31. ac proinde eius præparatio, ad excitandum, eſt, quæ propriè dici poteſt gratia operans, vt principium efficiens, de quo infrà diſp.36. ſect. 1. At verò ea gratia, qua Deus operatur in nobis ſine nobis, appellatur operatio & infuſio Spiritus ſancti, vt conſtat in Arauſicano II. canone 4. & apud alios Patres citatos in præced. diſputationibus.

19. Cooperantis gratiæ nomen clarius fundamentum habet in ſacris litteris. In primis namque fidem eſſe gratiam, ſæpè teſtatur Apoſtolus ſuprà diſp.19.ſect.2. Rurſus eandem fidem eſſe aliquando cooperantem, conſtat Iacobi 2. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius?* videlicet Abrahami, quando obtulit Iſaac filium ſuum ſuper altare.

20. Secundò homines eſſe cooperatores cum Deo, conſtat 1.Cor. 3. *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem; Dei enim ſumus coadiutores.* Vbi vox Græca *συνεργοὶ* ſignificat *cooperatores*, eadem enim eſt, quæ habetur Marci vltimo, *Domino cooperãte, & ſermonem confirmante.* Vbi pondera primò hanc operationem referri ad opus liberum, & meritorium, dignum præmio, vt conſtat ex priori membro, *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.*

21. Secundò ex noſtra cooperatione à poſteriori colligi eius correlatiuum, ſcilicet, Dei, & eius gratiæ cooperationem, quæ aſſeritur Marci vltimo, *Domino cooperante.*

Tertiò diſtinctionem obſerua illarum vocum, *Domino cooperante*, vt referatur ad prædicationem, orationes, & alias actiones liberas; & *ſermonem confirmante*, vt referatur ad miracula, quæ ſolus Deus præſtat.

22. Idem colligitur tertiò ex 3.epiſt.Ioannis: *Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſmodi, vt cooperatores ſimus veritatis.* vbi, ſiue increatam veritatem Deum intelligas, ſiue creatam & Euangelicam veritatem; conſequens eſt, Deum per Euangelicam gratiam, ſeu veritatem, nobiſcum cooperari: alioqui nos veritatis cooperatores non eſſemus.

23. Quartò colligitur ex 1.Corinth.vlt. *In miniſterium Sanctorum ordinauerunt ſeipſos, vt & vos ſubditi ſitis eiuſmodi, & omni laboranti & cooperanti.* Quibus nominibus appellat quemcunque prædicationis, vel gubernationis miniſtrum. Vnde Paulus Timotheum hortatur in 2.epiſt.cap.1. dicens: *Collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit,* &c. Supponit ergo virtutem Dei, in Euangelio latentem, collaborare Timotheo, id eſt, cooperari cum illo ad labores ſubeundos præbendo robur, & fortitudinem.

24. Denique ſalutationes, ſeu benedicẽtis imprecationes in ſacra Scriptura frequentes: *Dominus vobiſcum, Dominus tecum, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum, ſiue cum ſpiritu veſtro, communicatio ſancti Spiritus ſit cũ omnibus vobis,* & cęteræ ſimiles, quæ in veteri Teſtamento & in epiſtolis Pauli reperiuntur, ſine dubio primariò ſignificant affectum deſiderantis, & obſecrantis Deum; vt ipſe eiúſque gratia nobiſcum cooperetur ad ſalutem. Hic enim eſt præcipuus modus, quo in præſenti vita gratiam Dei nobiſcum adeſſe præſentem, & cum omnibus hominibus deſiderare debemus.

Hanc eandem doctrinam confirmant teſtimonia Patrum, quorum pauca ſufficient in re manifeſta. Anacletus Papa epiſt.13.poſt med. ait: *Summopere ſtudẽdum eſt, vt cooperatores ſimus gratiæ Dei; quia ad hoc vocati ſumus, eiúſque familiari colloquio ſociati, & Sacerdotes ſacrati, vt fructuoſos illi manipulos reportemus cooperante gratia eius.* Vbi Anacletus notauit vtriuſque agentis mutuam cooperationem. Nam & nos cooperatores, & gratiam cooperantem appellauit. 25.

Cœleſtinus epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ c.12. verſus fin. ait: *Agit Deus in nobis, vt quod vult, velimus, & agamus. Nec otioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit; vt & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei.* Alludit ad verba Pauli 1. Corinth.3. ſecundùm Græcam vocem, de qua diximus paulo ſuperiùs num.20. Auguſtinus de gratia & libero arbitrio cap.17. *De operante illo,* ait, *vt velimus dictum eſt, Deus eſt, qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo, cum iam volumus, & volendo facimus. Scimus,* inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* Rom.8. 26.

Magnus Antonius apud Athanaſium in eius vita col.8. *Tenendus eſt,* inquit, *continuus inſtituti rigor habentibus Deum auxiliatorem, quia omni proponenti bonum Deus cooperatur.* Damaſcenus lib. 2. de fide cap.29. poſt medium, & alibi ſæpe cooperationem Dei, & cooperantem Deum nominat. Poſtremò ex dictis facilè colligitur ratio huius nominis, *gratia cooperans;* quia videlicet, ſimul cum noſtro libero arbitrio concurrit ad opera pietatis, vt magis conſtabit tota diſp.31. 27.

SECTIO II.

Alia plura eiuſdem gratiæ operantis nomina, & quædam etiam cooperantis.

GRatia operans appellatur etiã excitans. Nam illud Iſaiæ 45. de Chriſto capite dictum ad eius etiam membra ſeruata proportione referri debet. *Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam.* Appellatur autem excitans, ſiue à morte, ſiue à ſomno peccati. & à morte quidem Pſalm. 55. *Nunquid mortuis facies mirabilia; aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?* Vnde nullius egregij concionatoris, ſed ſolius Dei eſſe, peccatorem intima gratia excitare, vt confiteatur Deo, colligit Auguſtin. ibi. Mortem & ſomnum complectitur Paulus Epheſ.5. *Surge qui dormis; & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus.* 1.

Hoc teſtimonium Epheſ. 5. docti recentiores reſpuunt, quaſi alienũ à gratia excitante, eo quòd intentio Apoſtoli reſpexerit aliud quod probare intendebat; ſed hæc ratio promptam habet ſolutionem, quoniam quidquid aſſeritur à Paulo, verum eſt ipſũ in ſe; quamuis deſtinetur, ad probandum aliquid aliud. Aſſerit autẽ Paulus hoc loco, gratiam excitantem à ſomno, & à morte; vt communi Patrum expoſitione oſtendere aggredimur. Sed priùs confirmatur præcedens ſolutio ex communi ſtylo omnium Patrum & Scholaſticorũ, qui fidei dogmata confirmant quocunque teſtimonio Scripturę, in quo verè aſſeritur illud, de quo agũt: quãuis primaria intentio ſcriptoris ſacri eo in loco reſpexerit hiſtoriæ narrationem, vel exhortationem ad mores, vel aliud quoduis intentum. 2. *Obiectio ſoluitur.*

In

3\. In primis ergo Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad gentes paulo propius ad medium, quàm ad finem ait: *Quid aliud reſtat incredulis, quam iudicium, & condemnatio? non negligit autem Dominus, ſuadens, terrens, adhortans, excitans, admonens, à ſomno quidem excitat, & ab ipſis tenebris eos, qui aberrauerunt, facit ſurgere; expergiſcere, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus Dominus ſol reſurrectionis.* Vtramque igitur excitationem, & à ſomno, & à morte complectitur.

4\. Athanaſius quæſt. 144. prædicta verba Epheſ. 5. ita interpretatur: *Dormientem vocat eum, qui peccatis immerſus eſt. Nam qui in peccatis viuit, mortuus dicitur. Etenim, vt mortuus immobilis eſt: ita qui in peccatis eſt mortuus, ad bonum non mouetur.*

5\. Ambroſius in poſtremo verſu Pſalm. 118. Chriſtum Dominum ſic alloquitur: *Pulſas ad ianuam, vt excites dormientem: vis iacentem leuare, dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis?*

6\. Auguſtinus lib. 8. Confeſſionum capite 5. ait: *Non erat, quod reſponderem tibi, dicenti mihi: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus; & vndique oſtendenti vera te dicere: non erat omnino quid reſponderem veritate conuictus.* & de natura & gratia cap. 23. initio ait: *Deſerti luce iuſtitia, quid pariant aliud, quàm opera tenebrarum; donec dicatur illis, ſi dicto obaudiant: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabis te Chriſtus.*

7\. Fauet Chryſoſtomus Epheſ. 5. ſermone 18. colum. 3. notans impoſſibilitatem, qua tenentur dormientes, & multo magis mortui, ne videant, audiant, vel aliquid vtiliter operentur. & ſanctus Thomas in Commentario Epheſ. 5. & 1. 2. quæſt. 109. artic. 7. ad 2. intelligit, prædictis verbis præcipi actum liberi arbitrij, quo ſurgere conatur homo, priùs tamen motus per diuinum auxilium.

8\. Excitantis & adiuuantis gratiæ nomina, & neceſſitatem docuit Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione capite 18. dicens: *Quòd ad Deum nos conuertimus, niſi ipſo excitante, & adiuuante, non poſſumus*, prioris gratiæ neceſſitatem ſub nomine excitantis probat Auguſtinus libro 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum capite 19.

9\. Proſper epiſtol. ad Demetriadem propius ad med. quàm ad finem, ait: *Cooperatores nos eſſe oportet gratiæ Dei, vt illam excitantem, iuuantem, & quotidie prouehentem, vigilanter, & ſobriè ſubſequamur.* & Bernardus tract. de gratia, & libero arbitrio col. antepenult. ait: *Conatus noſtri ad bonum caſſi ſunt, ſi à gratia non adiuuentur; & nulli, ſi non excitentur.*

10\. *Gratia excitans & operans eadem formaliter.*

Hinc ſumitur ratio nominis, & ſimul oſtenditur gratiam operantem, & excitantem eſſe eamdem re, & ratione formali; hoc ſolo diſcrimine quòd excitantis nomen clariùs explicat indigentiam hominis, ſed operantis nomen clariùs ſignificat ſolius Dei actiuitatem. Ratio eſt, quia ſicut mortuus nulla naturali vi redire poteſt ad vitam, niſi ſupernaturali virtute excitetur: & ſicut dormiens non pro ſua libertate ſomnum excutit, quo vſque vel interior virtus naturalis decoquat excutiatque vapores capitis, vel alterius perſonæ, clamor, aut concuſſio excitet; ſic peccatores indigent Dei clamore, atque manu interiùs tangente, & reſuſcitante ad vitam. Vide, quæ diximus ſuprà diſputatione 18. ſect. 6. num. 10. & 11.

11\. Adiuuantis gratiæ nomen ex plurimis locis Scripturæ ſacræ accipitur, veluti ex Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Marci 9. *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Actuum 26. *Auxilio autem adiutus Dei vſque in hodiernum diem ſto.* In Pſalmis verò frequenter ad Deum referuntur hæ voces: *Adiuuare, adiutorium*, & *adiutor*, velut Pſalm. 18. *Miſericordia tua, Domine, adiuuabat me.* & Pſalm. 118. *Adiuua me, & ſaluus ero.*

12\. *Nominum limitatio.*

Quamuis prædicti nominis vſus ita ſit à ſacra Scriptura inductus, & ab antiquiſſimis Patribus receptus, vt adiuuans Dei auxilium indifferenter reſpiciat gratiam excitantem, operantémque, vel gratiam cooperantem: nihilominus Scholaſticorum vſus, in Auguſtino fundamentum habens, poſteàque à Tridentino receptus in verbis ſtatim citandis in num. 14. limitauit nomen *adiuuantis*, vt non conueniat gratiæ operanti, ſed ſolummodo gratiæ cooperanti. Nec defuit huius accommodationis atque limitationis congrua ratio, quoniam adiuuare quidditatiuè reſpicit eum, qui aliquid laboris, atque concurſus impedit ex parte ſua. Si enim ad ferendum pondus ne digitum quidem admoueas, non adiuuatis ad ferendum pondus; ſed ſolummodo tuum onus ab alio portatur.

13\. Præuenientis gratiæ appellationem Doctores ſumunt ex Pſalmo 20. *Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* & Pſalm. 58. *Miſericordia eius præueniet me.* Simili modo appellari potuiſſet gratia anticipans, ſecundùm illud Pſalm. 78. *Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ*; vel gratia præoccupans, ſecundùm illud Sapientiæ 6. *Præoccupat, qui ſe concupiſcunt.* Quæ teſtimonia de præueniente gratia Concilia & Patres intelligunt, vt vidimus ſuprà diſput. 18. ſect. 4. initio.

Appellari poteſt anticipans & præoccupans.

14\. Non diſtinctam, ſed potiùs vnam, & eamdem eſſe gratiam, quæ appellatur præueniens, vel excitans, vel vocatio, vel iuſtificationis initium, vel inſpiratio, aut motio, conſtat ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. declarante: *Iuſtificationis initium à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe, diſponantur.* & cap. 6. ait: *Diſponuntur ad iuſtitiam dum excitati diuina gratia, & adiuti*, &c. Idem canone 3. appellat *præuenientem Spiritus ſancti inſpirationem.* & can. 4. ait: *Motum, & excitatum.* Eadem identitas gratiæ præuenientis, & operantis conſtat ex Auguſtino multis in locis, præſertim de natura & gratia cap. 31. 32. & 33.

15\. Hæc omnia nomina pertinere ad eamdem gratiam, conſtat ex plurimis teſtimoniis Auguſtini inter ſe collatis; quorum multa referemus omnibus quæſtionibus quæ reſtant.

Tertiò. Apud Bernardum tractatu de gratia & libero arbitrio tota columna penultima manifeſtum eſt hæc nomina eſſe eiuſdem gratiæ, *cogitatio, ſeu cogitatum, ſeminatum, exordium ſalutis, præueniens, excitans, operans in nobis ſine nobis.*

16\. Idem ferè colligitur ex vſu Scholaſticorum. nam gratiam operantem eſſe, quæ præuenit, & præparat, docet Magiſter 2. diſtinct. 26. initio, & communiter Scholaſtici ibidem. Albert. 2. parte quæſt. 98. memb. 2. & quæſt. 100. & 101.

ſæpè Alexand. 3. parte quæſt. 69.memb. 3. art. 3. Gabriel in 2.diſtinct.26.quæſt.vnica art.1.not. 2. Enchiridion Chriſtianæ inſtitutiunis (quod ſub nomine Concilij Colonienſis ſolet à quibuſdam authoribus citari) in tit. de ſacramento Pœnitentiæ capite, *Septimo retinendum eſt*, ait: *Gratia diſtinguitur in gratiam operantem, & cooperantem; ſeu in præuenientem, & ſubſequentem*; ac deinceps quaſi de iiſdem ſemper loquitur. Atque non ſolùm præuenientis, ſed etiam excitantis nomen coincidere cum gratia operante, ſupponit D. Bonauentura 2.diſtinct.26. art. vnico, quæſt. 6. corpore. Eodem modo S.Thomas loquitur, quando de gratia ſimpliciter, & abſolutè præueniente diſſerit. Aliquando tamen gratiæ præuenientis nomen videtur extendere vt conueniat cuicunque gratiæ, quæ duos ſubordinatos effectus cauſans, comparatione ſecundi appelletur præueniens, & comparatione primi appelletur ſubſequens, vt conſtat 1.2.quæſt.111.artic. 3. corpore. Cæterùm eadem ratione potuiſſet extendere operantis gratiæ nomen, vt quælibet gratia in quantum priorem effectum cauſat, vt poſtea cauſet ſecundum, appelletur operans, in 1. effectu, vt in 2. cooperetur; atqui in his non eſt ampliùs immorandum, vide quæ dicemus infrà diſputat. 35.ſect. 2.

17. *Cur appelletur præueniens.* Duæ ſunt rationes, ob quas præueniens appellatur hæc gratia. Prima, quoniam præuenit noſtram libertatem, cùm fiat in nobis ſine nobis ſuprà ſect.1.& infrà diſp.31.per totum. Secunda & præcipua ratio eſt, quoniam prior ad nos venit hæc gratia, antequam nos ad gratiam veniamus vllo modo, ſiue per cognitionem, ſiue per affectum, & antequam vllo modo gratiam ad nos attrahamus impetratione, merito, diſpoſitione, aut ratione aliqua data per humanos labores, & conatus, vt oſtendimus præcedentibus tredecim diſputationibus à diſput. 17.

18. *Quid gratia ſubſequens.* Hinc facilè colligitur quid ſignificet nomen *gratia ſubſequens*, erit namque illa, quæ poſt præuenientem gratiam data fuerit. Cæterùm tres alias acceptiones præuenientis, & ſubſequentis gratiæ vſurpant Auguſtinus, aliique Patres, & Doctores Scholaſtici. Prima acceptio eſt, vt ſola gratia, quæ poſt iuſtificationem ſequitur, appelletur ſubſequens: reliquæ omnes gratiæ, quæ hanc præcedunt, appellentur præuenientes. Secunda acceptio vt auxilium immediatè adiuuans exterioris operis executionem, appelletur gratia ſubſequens, & comparatione illius quodlibet auxilium, interiorem voluntatis actum adiuuans, ſit gratia præueniens. Tertia acceptio eſt, vt quælibet gratia, appelletur præueniens, ſi poſt illam ſequitur alia, eadémque appelletur ſubſequens, ſi poſt aliam priorem gratiam collata fuit. Sed de his fuſiùs infrà diſput.37.ſect.2.

19. *Concomitans.* Gratia concomitans dicitur, quæ cooperatur cum libero arbitrio ad conſenſum, illumque adiuuat. Huius nominis fundamentum eſſe potuit, quod Eccleſiaſticus capite 1. de timore Domini: *Cum fidelibus in vulua concreata*, id eſt, in ipſo vitæ ſpiritualis exordio per conceptionem diuini ſeminis aſſerit: *Cum electis fœminis graditur; & cum iuſtis & fidelibus agnoſcitur.* & capite 27. idem Eccleſiaſticus, *Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt: & veritas ad illos, qui operantur illam, reuertetur.* Nimirum, vt ſimul cum illis cooperetur, illóſque comitetur; vt volatilia, quæ gregatim amant diſcurrere. Gratiæ comitatum miniſtrat, & indicat Dei Angelus. Vnde Tobias cap. 5. ſic Deum precatur: *Sit Deus in itinere veſtro, & Angelus eius comitetur vobiſcum.*

Ex his colligo id, quod ad vniuerſas quæ- 20.
ſtiones ſequentes dictum eſſe volo, quidquid de gratia operante fuerit à me affirmatum, vel negatum, idem intelligendum eſſe de gratia excitante, & præueniente, atque viciſſim è contra: item quidquid de gratia cooperante dictum fuerit, intelligendum eſſe etiam de gratia adiuuante, ſeu concomitante; atque viciſſim econtra. Quapropter ſuperfluum erit, de omnibus ſigillatim diſputare.

Neque obſtāt argumenta, quibus aliquis huius 21.
temporis author contendit, ſolam gratiam, moraliter operantem, eſſe realiter idem cum gratia excitante; ſed gratiam phyſicè operantem realiter diſtingui à gratia excitante, omnia quippe nituntur in phyſica prædeterminatione, quam exiſtimat eſſe præueniens, & excitans initium cuiuſlibet operationis humanæ, eandémque putat eſſe concurſum cooperantem cum libera voluntate. Hic particularis articulus erit refutandus diſputatione 35. Sed totum corpus eiuſdem prædeterminationis abundè refutatum manet tomo de ſcientia Dei diſputatione 38. & multis ſequentibus, & tomo de voluntate Dei diſput. 27. & multis ſequentibus, & tota diſput. 18. & 28. & dicendis duabus diſputationibus ſequentibus, colligitur, vnius & eiuſdem gratiæ præuenientis plurima eſſe nomina, quarum præcipua coaceruatim proponere, viſum eſt, quoniam eorum notitia neceſſaria eſt legentibus Concilia & Patres. Appellatur enim primò gratia operans. 2. excitans. 3. anticipans. 4. ſapientia præoccupans 5. operatio Dei, ſiue Spiritus ſancti. 6. gratia faciens, vt velimus. 7. faciens, vt ſciamus, atque in præceptis Dei ambulemus. 8. Spiritus ſancti motio. 9. infuſio, ſiue diffuſio. 10. inſpiratio. 11. initium ſalutis, ſeu iuſtificationis initium. 12. prima gratia. 13. vocatio. 14. gratia liberans, id eſt, tribuens libertatem ad bonum. 15. ſtans ad oſtium, & pulſans. 16. tangens cor. 17. inclinans cor. 18. emolliens cor. 19. auferens cor lapideum, & dans carneum. 20. ſubleuans cor, & erigens vt ſurſum aſcendat. 21. faciens cor nouum. 22. mutans cor. 23. aperiens cor. 24. appellatur tractatio Patris ad Filium. 25. doctrina, Inſtructio, diſciplina, ſiue interior ſchola Dei. 26. inſtinctus, inſtigatio, ſiue impulſus, aut incitatio, aut ſuggeſtio Spiritus ſancti. 27. Scriptura in corde. 28. ſanitas, ſiue voluntatis præparatio. 29. viſitatio. 30. exhortatio, ſuaſio, admonitio, locutio Dei. 31. Gratia inuitans ſiue alliciens. 32. illuſtratio, ſiue illuminatio, reuelatio, ſiue oculorum apertio. 33. dulcedo, ſiue ſuauitas, conſolatio, exultatio, dilatatio cordis. 34. ſancta cogitatio. 35. intellectus, ſiue ſenſus à Deo nobis datus, vel apertus, apparitio Dei, vt inueniatur à non quærentibus. 36. inquiſitio, qua Deus non quærentes quærit. 37. erectio. 38. directio. 39. confortatio. 40. gratia deducens. 41. prudentem faciens. 42 concupiſcentia ſapientiæ, ſiue deſiderium. 43. reprehenſio, correctio. 44. terror. 45. creatio in operibus bonis. 46. viuificatio, ſuſcitatio, aut reſuſcitatio. 47. ædificatio, conſtructio. 48. manus Dei facta ſuper hominem. 49. manus Dei deducens, & dextera tenens. 50. denique dicitur parua voluntas, & charitas parua, ſeu inchoata, hoc eſt ſimplex, & ineffi-

ca

Digitized by Google

cax complacentia Dei, aut boni ſupernaturalis ab Auguſtino lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 9.

DISPVTATIO XXX.

Quænam operationes vitales ſint propriæ gratiæ operantis.

SECTIO I.

Vtrùm excitans, ſeu præueniens gratia formaliter ſit actus vitalis intellectus, aut voluntatis.

1. *Sententia negans.* QVI expreſsè negauerit, inuenio nullum, præter vnum, aut alterum præſentis temporis authorem; apud quem: *Gratia purè præueniens, ſeu, quæ primò præuenit nos, non eſt formaliter actus noſter vitalis, ſed cauſaliter.* Additque ita docere communiter Thomiſtas.

2. Probat primò, quoniam ſecundùm doctrinam Auguſtini confirmatam in Arauſicano Concilio, gratia præueniens eſt bonum, quod non facit homo; ſed in homine fit à Deo. Cæterùm huius ſolutio planè conſtat ex dictis diſput. præcedenti ſect. 1. vbi oſtendimus ſecundùm phraſim Scripturæ ſacræ, & ſanctorum Patrum, imò etiam Philoſophorum, propriè accipiendo verbum *agere*, nos ea ſolummodo agere, quæ facimus cum dominio, & libera poteſtate omittendi: ea verò non agere nos ipſos; ſed agi nos ad illa per aliud extrinſecum agens in nobis, ad quæ neceſſariò, ac ſine libertatis indifferentia mouemur; quamuis phyſico influxu ad illa concurrat intellectus noſter, vel voluntas, vt conſtabit magis diſputatione 33.

3. *Soluitur.* Secundò probat ex illis verbis Apocalypſ. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis*, &c. ſed pulſatio effectiuè procedit à ſolo pulſante, non autem ab homine, cuius pulſatur oſtium: ergo, &c.

Reſpondetur, ſi pulſationem intelligas merè materialem, & prorſus inanimatam; illa præcisè conſiſtit in actu, quo pulſans, extrinſecus oſtium quatiendo, ſonitum edit, nullo reſpectu habito ad hominem, intra domum clauſum, qui prouocetur ad aperiendum: ſicque nullo modo procedit affectiuè à concurſu phyſico illius hominis, cuius oſtium pulſatur. At Scriptura ſacra non hanc, ſed animatam & humanam pulſationem intelligit, quæ idem ſit quod fortior quædam vocatio hominis, magis diſtantis atque impedientis conuerſionem. Hæc pulſatio in eo formaliter conſiſtit, quòd efficiat, vt homo audiat, & intelligat ſe à Deo inuitari ad ſalutem; Deúmque paratum ſtare, ad præbendum auxilium, niſi per hominis contumacia ſteterit. Hæc autem percipere, & audire formaliter eſt vitalis actio intellectus. Rurſus per hæc inchoari motionem voluntatis, quæ à pulſante prouocatur, conſiſtit formaliter in volitione, ſeu deſiderio inchoato. Quapropter actus vitales intellectus, & voluntatis clauduntur in pulſatione formaliter accepta.

4. Probat tertiò. Nam gratia præueniens non eſt influxus immediatus Dei in actiones intellectus, & voluntatis; ſed eſt influxus immediatus in ipſas potentias, intellectus & voluntatis, videlicet phyſica prædeterminatio realiter inhærens, & realiter diſtincta à quacunque actione vitali. In hoc argumento quaſi in radice continentur alia plurima, quæ illo refutato radicitus conuelluntur. Qualia ſunt ea omnia, quæ contendunt nullum actum ſupernaturalem, ſiue liberum, ſiue neceſſarium elici poſſe, abſque aliquo inhærente dono ſupernaturali, quod Deus ſuo immediato concurſu, etiam de potentia abſoluta, ſupplere nequeat. Hæc autem ſoluta manebunt partim ex ſequentibus diſputationibus & tomo ſequenti, partim ex præcedentibus tomis de ſcientia, & voluntate Dei.

5. *Concluſio 1.* Ex his colligo, & dico primò. Foret de ſolo nomine quæſtio, proindéque de illa parum nobis curandum eſt, ſi hoc ſolùm intenderet prædicta ſententia, quòd illa virtus Dei extrinſeca, in nobis cauſans illuſtrationes intellectus, & ſuauitates, ſeu bonas concupiſcentias voluntatis, appellari poſſit excitans gratia & præueniens, præciſa ab actu intellectus & voluntatis, quem cauſat: ſimilitérque ab eodem actu vitali præſcindi poteſt actualis concurſus, ſeu actio; per quam producitur à Deo; atque hæc actio Dei, ita præciſa, quamuis ab aliquo Scholaſtico appellaretur gratia præueniens, excitans: dummodo eorumdem nominum impoſitionem atque ſignificationem communi antiquorum Patrum vſu receptam, & in ſequent. ſect. probandam, minimè negaret, nec antecedentem neceſſitatem induceret.

6. *Præueniens gratia non eſt prædeterminatio. Primò.* Vnde dico ſecundò. Prædictæ acceptioni nominum conſtanter, ac fortò reſiſtendum eſt propter ſequentes rationes, & inconuenientia, quæ ſequuntur ex illa. Primò namque ſequitur ex prædicta nominum impoſitione libertatis indifferentiam antecedenti neceſſitate ligari tam in omnibus actibus voluntatis etiam naturalibus, in illis enim etiam ſuo modo, & proportione, neceſſariò præcedit impulſus, & motio Dei excitans, operans, & præueniens: vt videbimus diſput. 42.

Secundò. Secundò, talis nominum impoſitio latenter excludit veram ſententiam Conciliorum & Patrum de cauſa, & modo prouidentiæ ſupernaturalis circa prædeſtinationem, & eius effectus generales, qui ſunt exordium iuſtificationis ex præueniente gratia, & illius progreſſus per cooperantem gratiam, ſupponit enim eorum vocibus ſignificationem eorum menti contrariam.

7. Tertiò, quia ſi probatum fuerit à nobis, actiones concurſu phyſico à voluntate productas eſſe illas, quas Concilia, & Patres tradunt in nobis fieri ſine nobis; idque propterea, quoniam independenter à dominio, & poteſtate cohibendi, & omittendi, voluntas, & intellectus neceſſitate rapiuntur ad illas. iam eo ipſo fateri cogentur nullam cooperationem voluntatis à prædictis authoribus admitti, per quam formaliter voluntas verè & propriè agat, ſecundùm propriam acceptionem huius verbi *agere*, quam authoritate Philoſophorum, Patrum, & Scholaſticorum probauimus tomo de ſcientia Dei diſp. 45. ſect. 1.

8. Vnde præterea conuincuntur apud illos omnem concurſum voluntatis fieri in nobis ſine nobis; quoniam apud illos phyſica prædeterminatio voluntatem ad quemcunque actum ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem: ita neceſſariò rapit, vt nullum voluntatis dominium, aut poteſtas impedire poſſit, quo minus prædeterminationẽ recipiat, & multo minus, quominus eadem prædeterminatione recepta voluntas operetur.

9. Ex his duobus inconuenientibus tertium neceſſariò ſequitur, videlicet, prædictos authores non poſſe diſcrimen vllum oſtendere, quo illuſtrationes, & ſuauitates à ſolo Deo immiſſæ differant ab actu fidei, ſpei, & charitatis, liberè ab arbitrio virtute diuinæ gratiæ concepto; diſcrimen, inquam, ratione cuius voluntas verè dominetur actibus charitatis, fidei, & ſpei, poſsítque illos omittere; nihil tamen dominetur illuſtrationibus, & ſuauitatibus, quæ ad præuenientem gratiam pertinent. Ratio autem huius impoſſibilitatis eſt, quoniam ſiue illuſtrationes, & ſuauitates ſine noſtra libertate immiſſæ, ſiue actus fidei, ſpei, & charitatis, liberè concepti virtute diuinæ gratiæ, prærequirunt eodem gradu neceſſitatis illam præmotionem Dei, quam iſta ſententia vocat præuenientem, & excitantem, atque eodem gradu neceſſitatis antecedentis ſequuntur ex illa (iuxta eandem ſententiam.) ergo non poteſt in illis oſtendi ſufficiens differentia quoad modum libertatis, & dominij.

10. Confirmatur, quoniam in voluntate, quantum ex ſe eſt, reperitur paſſiua indifferentia, vt à Deo recipiat, vel non recipiat illam entitatem realiter diſtinctam à volitionibus indeliberatis, quibus impellitur ad bonum. Inſuper hæc indifferentia non eſt minor, quàm illa, per quam voluntas eſt indifferens, vt à Deo recipiat illam entitatem, realiter diſtinctam à volitionibus deliberatis, & ſimpliciter liberis. Rurſus ex parte Dei, protſus eadem eſt actiua indifferentia libertatis, vt prædictam entitatem tribuat, vel non tribuat impellendo ad volitiones indeliberatas, incitatores ad bonum: nec magis indifferens eſt diuina libertas, vt eam entitatem tribuat, vel non tribuat voluntati, impellendo ad eos actus virtutem, qui debent eſſe ſimpliciter liberi. Denique antecedens impoſſibilitas omittendi actum virtutis, & antecedens neceſſitas eliciendi illum, ex ſuppoſitione, quòd à Deo collata ſit entitas illa (quam iſta ſententia vocat præuenientem gratiam) non eſt minor ad actus virtutum, qui debent eſſe ſimpliciter liberi, quàm ad indeliberatos impetus voluntatis, quibus abſque libertate placet illi virtus, & incipit illam amare, & deſiderare.

11. *Aufugium reiicitur.* Vnicum ergo prædictæ ſententiæ reſtat effugium, recurrendo ad cognitionem intellectus. nam ad quoſdam voluntatis actus eliciendos præcedit in intellectu diſcuſſio rationum, quibus aperitur via, & motiuum eligendi alteram è duabus partibus contrarietatis, aut contradictionis, nullam ex illis determinando. Cæterùm huiuſmodi indifferentiam non ſufficere, niſi quando inde manat in voluntatem formalis indifferentia, expedita ab omni vinculò, independenter à ſua libertate ſibi iniecto, & neceſſariò determinatè ad vnam partem, oſtendimus tomo de ſcientia Dei diſput. 53.

12. *Inconueniens quartum.* Inde labuntur in quartum inconueniens, concedúntque ſubſequentem gratiam dari ante liberum voluntatis conſenſum, quam acceptionem gratiæ ſubſequentis apud nullum Patrum oſtendere poterunt, cùm apud omnes ſubſequens appelletur, quæ vel ſequitur poſt liberum aliquem voluntatis conſenſum, virtutem gratiæ præuenientis, & cooperantis elicitum; vel certe cooperatur ad liberum conſenſum, vt oſtendemus diſputat. 37. ſect. 2.

13. Hoc autem inconueniens euitare non poſſunt, quia ſi vitales actiones, quæ independenter à noſtra libertate immittuntur à Deo, non ſunt propriè prima gratia præueniens, & excitans; ſed ſolùm comparatione ſequentium actuum liberorum, & ante illas præcedit prædeterminatio phyſica, quæ propriè ſit prima gratia excitans, & præueniens: inde neceſſariò ſequitur, prædictas vitales actiones abſolute & ſimpliciter eſſe gratiam ſubſequentem comparatione primæ gratiæ præuenientis, & excitantis.

Dico igitur tertiò, & principaliter. Excitans, ſeu præueniens gratia formaliter eſt actus vitalis intellectus & voluntatis. 14. *Excitans gratia formaliter eſt actus vitalis.*

Probatur primò ab inconuenientibus contrariæ ſententiæ, quæ à num. 7. huc vſque retulimus.

Probatur ſecundò, quoniam vera non ſunt fundamenta contrariæ ſententiæ, vt oſtendimus à principio vſque ad numerum ſextum, & clariùs conſtabit in aliis diſputationibus ibidem citatis.

Tertiò probatur, quia vocatio eſt gratia præueniens, Tridentino ita atteſtante ſeſſione 6. cap. 5. *Iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione.* Sed vocatio quidditatiuè, & formaliter includit productionem notitiæ, qua vocatus intelligat, ſeruari à Deo, & quibus rationibus inuitetur, & alliciatur ad ipſum; inſuper includit voluntatis motum prouocantem, ad obtemperandum vocanti, qui omnes formaliter ſunt actus vitales. 15.

Confirmatur primò, quoniam huiuſmodi cognitiones, & voluntatis motus nomine *vocationis* intelligunt Auguſtinus, & cæteri Patres, quoties agunt de vocatione Pauli, Matth. & cæterorum Apoſtolorum: item quoties agunt de vocatione Gent. præſertim & Proſper, & Auguſtinus, tunc maximè, quando agit de vocatione ſecundùm propoſitum, quorum multa teſtimonia inſerenda ſunt variis in locis huius, & ſequentis tomi. 16.

Confirmatur ſecundò, quoniam ſi per poſſibile, vel impoſſibile Deus Saulo præbuiſſet aliquo tempore ſolam phyſicam prædeterminationem, negando prorſus ſuum concurſum ad quamlibet illuſtrationem ſupernaturalem intellectus, & ad quamlibet ſuauitatem, & complacentiam voluntatis: tunc Saulus non poſſet appellari vocatus à Deo ad fidem Ieſu Chriſti: ergo phyſica prædeterminatio non eſt formaliter vocatio, ac proinde nec eſt gratia præueniens. 17.

Quartò probatur, quoniam Summi Pontifices, Concilia & Patres communiter, præſertim Auguſtinus de illuſtrationibus atque exhortationibus intellectus, necnon de voluntaris conſolationibus, ſuauitatibus, deſideriis piis, concupiſcentiis, terroribus, aliíſque affectibus loquuntur, quaſi de gratia operante, præueniente & excitante: cuius rei plurima teſtimonia dabunt quinque ſectiones ſequentes, & nunc affirmo, me plurima eiuſmodi, quæ occurrerunt, conſultò prætermiſiſſe, ne obruerent. Porrò prædictas illuſtrationes & ſuauitates, cæteróſque motus intellectus, & voluntatis eſſe vitales actiones earumdem potentiarum, probatur, quoniam illuſtratio non eſt aliud, quàm intellectio, qua cernitur verum, quod antea non videbatur. Exhortatio autem, aut perſuaſio Dei eſt intellectio, qua melius, quàm antea, penetrantur rationes ad bonum allicientes, & deterrentes à malo. Porrò delectationem, & motum timoris, ſpei, ſiue triſtitiæ, 18.

aliosque

alióſque ſimiles eſſe actus vitales appetitus rationalis, vel ſenſitiui, quibus verſatur circa bonum, vel malum præſens, vel abſens, eſt ita manifeſtum in libris de anima, & in 1. 2. vt in hoc ampliùs non ſit immorandum.

19. Confirmatur, quoniam Scholaſtici communiter locis citandis in ſequenti diſputat. ſect. 7. & diſputatione 34. nullam præuenientem, & excitantem, ſeu operantem gratiam memorant, niſi prædictos vitales actiones, aut habitus permanenter infuſos.

SECTIO II.

Varios affectus, & impulſus intellectus & voluntatis, ſed præcipuè illuſtrationem & ſuauitatem eſſe partes operantis gratiæ, probatur ex Scriptura & Patribus.

1. *Gratia operans intellectus, & voluntatis operationes complectitur.*

Concluſio in hac & ſequentibus ſect. probanda, & explicanda, hæc eſt. Gratia operans complectitur operationes intellectus & voluntatis. Primò ex parte intellectus illuſtrationem, hoc eſt, intellectionem magis quàm antea perſpicuam, magíſque certam, & melius penetrantem myſteria ſupernaturalia cum quodam intimo ſenſu rationum, quæ ad bonum alliciunt. Secundò ex parte voluntatis complectitur ſuauitatem, delectationem, lætitiam, complacentiam, & deſiderium (ſiue ſimplex & inefficax, ſiue efficax, & abſolutum) iſti, & ſimiles ſunt affectus gratiæ operantis circa bonum. Sed circa malum complectitur triſtitiam, confuſionem, terrorem, alióſque ſimiles motus indeliberatos.

2. Probatur primò ex ſacris literis. Nam illuſtrationem intellectus poſtulat Paulus Epheſ. 1. *Deus det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitionem illuminatos oculos cordis veſtri.* 2. Corinth. 4. *Deus, qui dixit, de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei.* Quod teſtimonium pro gratia præueniente adducit Proſper libro contra Collatorem capite 14. & epiſtola ad Demetriadem. De lætitia, ſeu gaudio, in exordio naſcentis Eccleſiæ, quando operantis gratiæ virtus maximè enituit Actuum 2. fine dicitur: *Sumebant cibum cum exultatione.* & cap. 8. *Factum eſt gaudium magnum in illa ciuitate.* Actuum 13. ad finem. *Audientes Gentes, gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* 1. Theſſal. 1. *Excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus ſancti.* Rom. 15. *Deus ſpei repleat vos omni gaudio, & pace, in credendo.* Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* & Pſalm. 50. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* 1. Machab. 4. *Facta eſt lætitia in populo magna valde.*

3. De triſtitia 2. Corinth. 7. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.*

4. De timore Lucæ 1. *Factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum*, vt iam inde inciperent ad prædicationem gratiæ præparari. Lucæ 7. *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum*, nimirum quando incipiebant ad fidem Chriſti inuitari. Actuum 2. *Fiebat omni animæ timor.* & iterum: *Metus magnus erat in vniuerſis.* & cap. 5. *Factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia.* cap. 19. *Cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Ieſu.* Eccleſiaſt. 1. *Initium ſapientiæ timor Domini, cum fidelibus in vulua concreatus eſt.* videlicet in ipſa prima conceptione diuini ſeminis.

Confirmatur primò. Nam quod in Saulo viſibiliter egit diuina gratia Actuum 9. quem ſubitò circumfulſit lux de cœlo, & trementem, ac ſtupefactum reddidit, hoc idem inuiſibiliter in omni vocatione geritur, vt ſubita coruſcatione, & quaſi fulgore intellectum, ac voluntatem, fragore, aut ſonitu vehementis ſpiritus, & interna voce Deus excitet. Vnde Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 19. ait: *Vt credat, ipſa voluntas* (ſicut Sauli) *deſuper excitatur.* 5.

Confirmatur ſecundò. nam vtramque partem gratiæ operantis, illuſtrationem, videlicet, ex parte intellectus, & ſuauitatem ex parte voluntatis complectitur ſenſus, quem ſacra Scriptura dicit à Deo dari, vel aperiri. Velut 1. Ioan. 5. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum & ſimus in vero Filio eius.* & Marci 24. *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.* Eſt autem ſenſus profunda penetratio cum intimo & ſpiritali guſtu, auide complectente myſteriorum dulcedinem. 6.

Hæc omnia indicantur clariùs Sapient. 7. *Propter hoc optaui, & datus eſt mihi ſenſus: & inuocaui, & venit in me Spiritus ſapientiæ: & præpoſui illam regnis, & ſedibus*, &c. Hunc autem ſenſum eſſe gratiam operantem, ſequent. cap. traditur his verbis: *Quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia? ſi autem ſenſus operatur: quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex?* Vnde Auguſtinus lib. de geſtis contra Pelagium capite 3. ſub initium, poſtquam retulit prædictam orationem Salomonis ita ſcribit: *Nónne luce clarius apparet, quemadmodum iſte, conſiderata miſeria fragilitatis humanæ, non eſt auſus, ſe regendum ſibi committere, ſed optauit, & datus eſt ei ſenſus, de quo dicit Apoſtolus: Nos autem ſenſum Domini habemus, & inuocauit, & venit in eum Spiritus ſapientiæ. Hoc enim ſpiritu, non viribus propriæ voluntatis, reguntur, & aguntur qui filij ſunt Dei.* Porrò regere, atque agere homines proprium eſſe gratiæ præuenientis, paulo ſuperiùs in eodem capite docuerat Auguſtinus præter alia plurima loca referenda tomo ſequenti, quando probauerimus, aliquid ex ſeipſis agere, *qui ſpiritu Dei aguntur*, Rom 8. Quibus conſonant quæ de ſenſu diximus ſuprà diſp. 19. ſect. 2. num. 15. 7.

Deinde probatur ex Patribus, quos in quatuor ordines diſtribuo. Primus erit eorum, qui de ſola illuſtratione loquuntur. Secundus eorum, qui de ſola ſuauitate, ac dulcedine. Tertius eorum Patrum; qui ſimul illuſtrationem ſuauitatémque complectuntur. Quartus eorum Patrum, qui varios affectus, & impulſus Dei vltra ſuauitatem & illuſtrationem complectuntur. In primo ordine eſt Dionyſius Areopagita, qui ſæpè illuſtrationes, illuminationes, & lucis largitiones appellat, vt de cæleſti Hierarch. capite 9. circa med. de diuinis nominibus cap. 3. & 4 & alibi ſæpè. 8.

Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem cap. 7. fine ait: *Cognitionem ſui Filij, non ſono, aut voce Pater nobis immittit. ſed illuminatione mentis, qua rectè diuinas Scripturas percipimus; quæ illuſtratio animi à Filio quoque fieri dicitur. Scribitur enim, quia tunc adaperuit oculos eorum, vt Scriptura inuolucra poſſent intelligere.* 9.

D. Gregorius 17. Moral cap. 9 ad illud Iob 25. *Super quem non ſurget lumen illius*, ait: *Lumen Dei eſt gratia præueniens, quæ ſi in corde noſtro nequaquam* 10.

gratuita conſurgeret, profectò mens noſtra in peccatorum ſuorum tenebris obſcura remaneret. Atque idem probant alia teſtimonia Patrum, quæ diſput. præcedenti ſect. 2. à num. 3. vſque ad 7. de excitante gratia intelligunt illud Epheſ. 5. *Surge qui dormis*, &c.

10. Secundus ordo eorum Patrum, qui de ſola ſuauitate, ac dulcedine loquuntur, ſine expreſſa mentione illuſtrationis. Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. explicat id Pſalmi 20. *Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis*, dicens: *Benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, quæ fit in nobis, vt nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus, quod præcipit nobis; in qua ſi nos non præuenit Deus, non ſolum non perficitur, ſed neque inchoatur ex nobis.* & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 19. *Victricem delectationem*, appellat eam gratiam, quæ ita nos præuenit, vt faciat conſentire.

11. Idem Auguſtinus libro 1. ad Simplicianum quæſt. 2. col. penultima ait: *Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat.* & prope finem totius quæſtionis ait: *Voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo poteſt.*

12. Gregorius Cant. 1. ad illa verba: *Trahe me; poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Fusè exponit præuenientis gratiæ dulcedinem, & ſuauitatem charitatis, qua Pater trahit ad Chriſtum.

13. Confirmatur. nam ex ſuauitate prouenire vires, & efficacitatem, vt illuſtratio liberum conſenſum obtineat à voluntate, ſumitur non obſcurè ex Clemente Romano lib. 1. Recognitionum ſub initium, vbi, exponens ſuæ vocationis initia, diligenter obſeruauit, qua ratione tantam vim habuerit cura & ſolicitudo immortalitatis, vt eam à ſe abiicere ac ſpernere non potuerit: *Quin potiùs, velut cum quadam voluptate latenter irrepens, huiuſcemodi cogitatio mentem, & animum poſſidebat.*

14. Tanta eſt efficacia ſuauitatis, vt compulſionis nomen acceperit ab Antonio Magno epiſtola 1. ad fratres de diuina vocatione prope initium (tomo 3. Bibliothecæ) vbi modum, quo iuſtificandos *primus vocat Spiritus*, deſcribit his verbis: *Præſtat eis lenitate in omnibus, iuuans eos Spiritus, vt indulcentur eis opera pœnitentiæ.* Hoc autem auxilium & ſuauitatem non ſolùm ad animam, ſed etiam ad corpus pertinere notauit, continuò ſubiungens: *Ponit eis terminos per modum quemdam pœnitudinis in corpore & anima eorum vſque quò doceat eos etiam conuerſionis modum ad conditorem proprium Deum, necnon & præbet eis compulſionem, in anima diſcurrentem & corpore, vt vtraque ſanctificari queant.*

15. Tertius ordo eorum Patrum, qui ſuauitatem ſimul, & illuſtrationem in gratia operante, ac præueniente contineri, clariùs tradiderunt. Concilium Arauſicanum ſecundum canone 7. docet, nullum poſſe *conſentire prædicationi Euangelicæ, neque bonum aliquod eligere abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & credendo veritati.*

16. Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 6. ad finem ait: *Credere in Dominum gloriæ crucifixum, vtique non ex arbitrij libertate, quia non hoc caro, & ſanguis, ſed Pater cæleſtis reuelat, cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem, non violenta neceſſitate, ſed infundendo ſuauitatem per Spiritum ſanctum.* Conſidera reuelationem, & ſuauitatem, virtute quarum trahimur, abſque violenta neceſſitate.

17. Ephrem Syrus lib. de timore animi pag. 2. ait: *Diuina gratia fructus, ac medicamenta nobis ſplendorem, dulcedinem, lætitiámque præbent: anima illuſtratur eius ſplendoribus, & afficitur dulcedine.* Idem ſermone 1. de compunctione versùs finem de gratia à nobis repulſa per peccatum, ac ſæpiùs ad quærendum in nobis locum redeunte, ſic loquitur: *Cor noſtrum dulcedine luminis ſui pulſat, vt reſipiſcat, & intromittatur ipſa, vt ſic; lucis dulcedine allectus homo, ipſam inquirat.* Similia ſcribit in libro de agone, atque luctamine ſpirituali prope finem, & in beatitudinibus parte 2. prope finem.

18. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſ. 16. prope medium de aduentu Spiritus ſancti ſic loquitur: *Primum enim manſuetus illius aduentus, fragrans progreſſus, onus leuiſſimum, ante ſuum acceſſum radios præmittens lucis & cognitionis.* Vbi priora membra ad ſuauitatem voluntatis & inſpirationis poſterius ad illuſtrationem pertinet; & hanc eſſe priorem, apertè notauit illis verbis: *Ante ſuum aduentum præmittens.* & poſt pauca ait: *Vocatur paracletus propter conſolationem, & auxilium infirmitatis noſtræ; nos enim quid & quatenus orare debeamus, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus ineffabilibus.*

19. Bernardus tractat. de gratia & lib. arbitr. ait initio: *Diuerſa ſunt cæco ducatum, ac feſſo præbere vehiculum, non quicumque oſtendit viam, præbet & viaticum itinerandi: aliud illi præſtat qui facit, ne deuiet, & aliud qui præſtat, ne deficiat in via. Duo mihi ſunt neceſſaria, doceri, & iuuari.* Quæ verba ferè omnia ſonant operantem gratiam, potius quàm cooperantem, vt colligitur ex dictis diſput. præced. ſect. 2. & dicendis tota diſput. ſequenti.

20. Illuſtrationem ſimul & dulcedinem poſtulat Eccleſia in 3. orat. ad poſtulandam charitatem, dicens: *Spiritus ſancti gratia, quæſumus Domine, corda noſtra illuminet, & perfectæ charitatis dulcedine abundanter reficiat.*

21. Quartus ordo eſt eorum Patrum, qui varios effectus, & impulſus Dei, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, vltra ſuauitatem, & illuſtrationem, peculiariter verò timoris, atque terroris inſtinctum pertinere, putant, ad præuenientem & operantem Dei gratiam. Inter quos Proſper eſt copioſior, qui in lib. contra Collatorem cap. 14. poſtquam docuit: *Quomodo contemplatio, cognitio, timor, lætitia, deſiderium, & delectatio trahit ad Deum.* ſic loquitur: *Quiſquis perſpicere, aut enarrare poſſit per quot affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, vt quæ fugiebat ſequatur, quæ oderat, diligat, quæ faſtidiebat, eſuriat; ac ſubitò commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, ſint aperta; quæ oneroſa, ſint leuia, quæ amara, ſint dulcia, quæ obſcura ſint lucida? hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis pro vt vult.*

22. Ad hanc multitudinem affectuum magis in particulari explicandam deſcendit in lib. 2. de vocatione Gent. cap. 9. aliàs 26. dicens: *Gratia Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo; ſed etiam voluntas hominis* (ſcilicet libera) *ſubiungitur ei, atque coniungitur: quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, vt diuino cooperetur operi; & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate,*

rabilitate, ſi deficit: de gratia opitulatione, ſi proficit.

23. Peculiariter autem timorem, atque terrorem eſſe gratiam præuenientem, qua Deus ex nolentibus facit volentes, fusè Proſper explicat toto ſequen. cap. 27. eiuſdem lib. 2. de vocat. Gent. præſertim illis verbis: *Hunc autem conſenſum non ſolùm cohortatio prædicantium, & incitamenta doctrinæ, ſed & metus gignit. Propter quod ſcriptum eſt: Principium ſapientiæ timor Domini, qui quantiſlibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam vt quem fecerit timentem, faciat & volentem; neque ſolum volentem, ſed etiam ſapientem.*

24. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Iſaiam tomo 2. ad illa verba capitis 28. *Diſcite audire*, ait: *Optimus & Maximus omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hinc eos, qui infirmi erant, commonefaciens, & qui animam ſuam nihili fecerunt, in rectam & planam ſemitam reuocans, omnes vias, omnémque orationem admonet. Nunc enim ſuppliciorum minis, ac iræ terroribus concutiens, ad melius reducit, nunc autem bonorum pollicitationibus ineſcat, attrahitque ad vtile.* Vide, quomodo Deus peccatores, non ſolùm moneat vtcunque; ſed etiam apud eos orationem habeat in genere ſuaſorio. Deinde conſidera hinc terrores, illinc verò hamum & eſcam in ſuauitate: hæc ſcilicet ars eſt, qua Deus homines capit.

25. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 16. prope med. munera, ſeu nomina præuenientis gratiæ, & operantis enumerat, dicens: *Germani* (id eſt, veri, ſine hypocriſi, & fictione) *protectoris viſcera habens aduenit, venit enim ſeruare, ſanare, docere, adhortari, confortare, admonere & illuminare mentem.* Deinde aliquibus interpoſitis, explicat, quibus exhortationibus Spiritus ſanctus erigat ſuos confeſſores, quando martyrium imminet. *Interea ſanctus Spiritus alloquitur: Suſtine Dominum, parua ſunt iſta, quæ fiunt: breui tantum tempore labora, & in ſempiternum eris cum Angelis. Deſcribit homini regnum cælorum, demonſtrat deliciarum paradiſum*, &c. & confirmat verbis Chriſti Domini: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

26. Clemens Alexandrinus toto lib. 1. Pædagogi multitudinem atque varietatem eximiam eorum affectuum, quibus Deus excitat, & agit homines ad bonum, fusè atque ſapienter explicat. Peculiariter notanda ſunt illa verba cap. 8. ad finem. *In pædagogia eius magna eſt ſapientia, & varia eſt eius adminiſtrationis ratio ad ſalutem. Bonis enim fert teſtimonium pædagogus; vocatos autem ad meliora euocat, & eos, qui ad iniuriam faciendam properant, ab impetu auertit: iubet autem ad vitam meliorem traduci.* & in princip. ſequen. cap. 9. ait: *Omnibus ergo viribus humanæ naturæ pædagogus diuinum noſtrum verbum vtens, omnibus ſapientiæ machinis infantes conſeruare aggreſſus eſt, admonens, reprehendens, increpans, arguens, minans, ſanans, promittens, gratificans, multis quibuſdam quaſi frænis à ratione alienos humanæ naturæ appetitiones alligans. Vt ergo paucis dicam, in nos ita ſe gerit Dominus, vt nos in noſtros filios, &c.* Hæc autem intelligere, non ſolùm quantum ad exteriorem doctrinam, exempla, & opportunitates, ſed præcipuè quantum ad interiorem inſpirationem, conſtat ex toto libro 1. Pædag. præſertim cap. 3. initio, vbi agit de *interna inſpiratione*, quæ ad dilectionem Dei prouocat, & ex Epilogo lib. 3. ad finem.

27. Chryſoſtomus de Spiritu ſancto in Pentecoſt. ſerm. 2. poſt med. hac ratione notat Spiritum ſanctum appellari *Paracletum, hoc eſt, inhortatorem. Inhortatur enim ſemper ad bonum corda fidelium, inhortatur animam, vt Deo ſe vniat, inhortatur mentem, vt à malis deſiſtat. Mirum, inhortatur, & obſecrat Deus mortalem, obſecrat Deus lutum, obſecrat creator creaturam, obſecrat Dominus ſeruum, idque intrinſecus in anima, & alios quidem alloquitur amicè vt filios, alios vt fratres, alios vt amicos compellit, inſtigat, ad ſe attrahit, ineffabili, & mentali charitate cor exhilarat, edulcat, calefacit, a terrenis transfert, & ad cæleſtia vocat: redire facit animam, & ad Deum tranſire, & volare, vrget mentem, diuino accendit deſiderio, docens, vt bona, quæ illic ſunt, cogitemus.* Atque in eandem ſententiam ſcribit multo plura inferiori, ſuperiorique contextu.

SECTIO III.

Eiuſdem concluſionis duæ aliæ probationes à ſanitate, quæ palato & ſtomacho, &c. cæli benignitate, ac ſuauitate, quæ fructibus terræ neceſſaria eſt.

PRima ratio eſt; quoniam vt palatus & ſtoma- 1.
chus ſanitate prius indigent, ne vtilem ac ſuauem cibum cum faſtidio reſpuant: ſic intellectus & voluntas à morbis ignorantiæ, & concupiſcentiæ, propter originale contractis, debent priùs ſanari, ne cum faſtidio recuſent Dei cognitionem & dilectionem. Ignorantiæ ſanitas eſt illuſtratio: concupiſcentiæ ſanitas, eſt ſuauitas, delectatio, & auiditas boni, cæterique affectus ſuprà enumerati. *Hæc igitur ſanitas debet eſſe primus effectus gratiæ qualitercunque acceptæ; ac proinde propriiſſimus eſt gratiæ præuenientis*, vt docent cum Magiſtro communiter Scholaſtici 2. diſt. 26. & 27. & D. Thomas 1. 2. quæſt. 111. art. 3. corp. confirmántque ex Auguſtino de gratia & libero arb. cap. 31. ſub init. dicente: *Præuenit, vt ſanemur: ſubſequitur, vt ſanati vegetemur.*

Clariùs vtriuſque morbi ſanitatem complexus 2.
eſt Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo paruulorum cap. 17. quem refert, & ſequitur Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 28. dicens: *Ignorantia & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueamur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Vt autem innoteſcat, quod latebat, & ſuaue fiat, quod non delectabat: gratia Dei eſt, quæ hominum adiuuat voluntates.*

Confirmatur primò; quoniam ſenſus guſtan- 3.
di, quando ſanus eſt, atque ad Dei ſimilitudinem reuocatus, præſtat vtrumque munus; & rectè iudicandi de ſaporibus, & reſpuendi cum horrore malum, atque auidè appetendi bonum. Hunc autem ſenſum, niſi per Dei gratiam operantem, nullus poteſt obtinere. Sapient. 9. *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis, & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris; & quæ tibi placent, didicerint homines? Nam per ſapientiam ſanati ſunt, quicunque placuerunt tibi Domine, à principio.* Hac nimirum ſanitate indiget, quicunque vt ſciat ſenſum Dei, rectè de ſaporibus iudicando, vt iudicat Deus. Id quod Ennodius notauit, ſcribens: de libero arbitrio cùm dixit: *Debemus gratiæ quod occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur.* Sine hoc ſpirituali guſtu: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras:*

ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, &c. Iſai. 5.

4. Confirmatur ſecundò, quoniam ex hac doctrina conſtat, quàm benè in eandem ſententiam de gratia præueniente, & operante conſpirant duæ lectiones, quæ alioqui videbantur longè diſtantes Prouerb. 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Vbi antiquiſſimi Patres ſecundùm Septuaginta legunt: *Præparatur voluntas à Domino.* Explicantes hanc præparationem eſſe præuenientem gratiam, à qua ſumitur iuſtificationis initium. ita Concil. Arauſ. can. 4. & prior Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanct. cap. 20. ad finem, & epiſt. 107. colum. 2. & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 18. & lib. 2. cap 8. poſt med. & lib. 4. contra Iulian. cap. 3. non procul à principio, & alibi ſæpè.

5. Idem notarunt Zoſimus Papa, & ad illum reſcribentes Epiſcopi Africani, quos refert & approbat Cæleſtinus Papa epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 8. his verbis: *Præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum tangit ipſe corda fidelium.* Quæ verba ex Cæleſtino referunt Petrus Diaconus lib. de Incarnatione & gratia Chriſti cap. 8. ante med. & Proſper contra Collatorem cap. 10.

6. Eundem locum Prouerb. 8. ſecundùm prædictam lectionem Septuaginta, ad præſentem veritatem confirmandam adducit Fulgentius de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti cap. 17. fine, & cap. 21. Ambroſius item ad illa verba Lucæ in proœmio. *Viſum eſt & mihi*, ait: *Chriſtus, vt id quod bonum eſt, nobis quoque bonum videri poſſit, operatur; quem enim miſeretur & vocat.* (& poſt pauca:) *A Deo enim præparatur voluntas hominum.* Quam ſententiam Ambroſij pro initio iuſtificationis ex præueniente gratia, meritò ponderat Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 19. Gregorius in ſeptimum Pſalmum pœnitent. ad illa verba: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* vtitur eodem teſtimonio: *Præparatur voluntas à Domino*, ad probandam neceſſitatem præuenientis gratiæ, vt conſtat ex ſuperiori, inferiorique contextu, ſimilitérque Author libri de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 26.

7. Confirmatur denique Prouerb. 21. initio: *Dirigit corda Dominus.* ſiue: *Præparat corda Dominus*, vt Theodotion & Lyranus legunt in annotationibus ad Biblia Septuaginta. Clarius præuenientem ſanitatem diuina illuſtratione donati, vt ſit initium vitæ, notauit Eccleſiaſt. cap. 34. vt magis explicabimus diſp. ſeq. ſect. 2. fine. Quibus conſonat Gelaſius Papa in tomo de anathematis vinculo inter med. & fin. dicens: *Non per ipſorum propriam emendationem, ſuoque intellectu vel motu, ſuáque virtute, vel poſſibilitate conuerſi ſunt, vt ſanentur, ſed per gratiam Dei ſanati ſunt, vt conuerterentur.*

8. Secunda ratio. Quemadmodum terra, vt incipiat flores fructuſque proferre, non horrentem hyemis rigorem, neque vrentem æſtatis ariditatem, ſed benignam ſuauitatem cæli requirit, aperiente vere. Sic terra noſtra vt incipiat dare fructum ſuum, diuinæ gratiæ benignam ſuauitatem exigit, Pſal. 84. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Ita hunc verſum interpretantur Patres, & inprimis Auguſt. de peccatorum meritis, & remiſſione lib. 2. cap. 17. poſt med. ait: *Ideo vnuſquiſque noſtrûm bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit: nunc delectatur, nunc non delectatur; vt nouerit, non ſuæ facultatis, ſed diuini muneris eſſe, quod ſcit, vel quod delectatur, ac ſic ab elationis vanitate ſanetur, & ſciat, quam verè non de terra iſta, ſed ſpiritualiter dictum ſit: Dominus dabit ſuauitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Eandem prorſus ſententiam bis repetit in cap. 19. eiuſdem libri initio, & in medio capitis, & in expoſitione eiuſdem Pſalm. 84.

9. Idem Doctor Eccleſiæ in lib. de correptione, & gratia cap. 2. *Quando id agunt, ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione iuſtitiæ; ſuauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eius daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant.*

10. Auguſtinum ſequuntur Fulgentius, & Proſper; & Fulgentius quidem lib. de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti cap. 24. confirmat his verbis: *Deus qui fidem donat, ipſe hominis mutat, & dirigit voluntatem, Dominus dabit ſuauitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Proſper autem contra Collatorem cap. 6. *Non reſiſtentem*, ait, *inuitúmque compellit: ſed ex inuito volentem facit, & quibuſlibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat, vt cor audientis, obediendi in ſe delectatione generata, ibi ſingat, vbi premebatur, inde velit, vnde nolebat. Etenim Dominus dabit ſuauitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.*

SECTIO IV.

Eiuſdem veritatis quatuor aliæ probationes, quæ reſtant.

PRima ſumitur ex libertate, quæ ad bonum non ſolùm perficiendum, ſed etiam inchoandum facultatem tribuit. Tetro namque tenebrarum carcere, ac dura peccati ſeruitute noſtrum tenetur arbitrium; quo vſque illuſtratione intellectus liberetur ex tenebris; & ſuauitate atque dulcedine boni ſoluantur vincula difficultatis atque impoſſibilitatis, quibus impedita tenebatur voluntas. 1. *1. Ex libertate ad bonum.*

2. Scitè namque Sanctus Auguſt. de Spiritu & litera cap. 3. ſcripſit: *Neque liberum arbitrium quidquam, niſi ad peccandum, valet, ſi lateat veritatis via: & cùm id quod agendum, & quò nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur; non agitur, non ſuſcipitur, non bene viuitur; vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per arbitrium liberum, quod ſurgit ex nobis; ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

3. Ad eandem libertatem, atque poteſtatem, quæ per illuſtrationem, ſuauitatémque confertur, pertinet, quod Auguſtinus in eodem libro de Spiritu & litera cap. 15. fine: *Spiritus*, inquit, *Domini, cuius dono iuſtificamur, quo fit in nobis, vt non peccare delectet vbi libertas eſt: ſicut præter hunc Spiritum peccare delectat vbi ſeruitus eſt, à cuius operibus abſtinendum, id eſt, ſpiritualiter ſabbatizandum eſt.* Explicabat Auguſtinus quid ſignificet obſeruatio Sabbati, abſtinendo ab operibus ſeruilibus.

4. Eandem libertatem voluntatis præberi per affectum timoris, quem Deus præuenienti gratia operatur, notauit Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 27. dicens: *Cùm ergo hic timor, etiam per quandam vim magni terroris, immittitur, non ibi ratio extinguitur, neque intellectus aufertur, ſed potiùs illa, quæ mentem premebat, caligo diſcutitur, vt voluntas, deprauata priùs, atque captiua, recta efficiatur, & libera.*

5. Ad libertatis perfectionem pertinet expulſio timoris ſeruilis, & filialis inductio; quam fieri per dulcedinem, & ſuauitatem, docuit Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti cap. 13. fine, illud

Pſalmi 118. litera *Teth. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas*, ita legens & exponens: *Suauis es Domine, & in tua ſuauitate doce me iuſtitiam tuam, id eſt, vt non formidine pœnæ ſeruiliter cogar eſſe ſub lege; ſed libera charitate delecter eſſe cum lege. Præceptum quippe liber facit, qui libens facit. & hoc modo quiſquis didicerit, agit omnino, quidquid agendum didicerit.* Hinc Auguſtinus ibi reddit rationem virium, & efficaciæ, quæ eſt in lege gratiæ longè maior, quàm in lege ſcripta.

6. Similiter in epiſtol. 120. de gratia Noui Teſtamenti ad Honoratum cap. 21. ait: *Hunc timorem charitas foras mittit, quam non delectat iniquitas, etiam ſi proponatur impunitas; non illum quo timet anima, ne amittat ipſam gratiam, qua in illa factum eſt, vt eam non peccare delectet.*

7. Secunda probatio. Quoniam illuſtratio, & ſuauitas abundantior, ſi à Deo concederetur impiis, conuerterentur, vt eſſent pij; imò etiam tam copioſa præberi potuiſſet, vt euaderent perfecti, & prorſus immaculati. Cuius doctrinæ membrum prius colligitur non obſcurè ex 1. Corinth. cap. 2. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Lucæ 19. *Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Ioan. 4. *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.*

2. Ex copioſa ſuauitate quæ peccatoribus concedi poteſt.

8. Confirmatur, quia propterea reprobis, quorum finalis impœnitentia iuſto Dei iudicio permittenda erat, opus fuit abundantiorem illuſtrationem ſubtrahere, vt permitterentur ſua libera culpa excæcari; ſimiliterque abundantiorem dulcedinem, & ſuauitatem denegare, vt permitterentur obdurari vſque ad cor lapideum, ſecundùm illud Iſaiæ 6. confirmatum ore Chriſti Domini Matth. 13. & Ioan. 12. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.*

9. Cognitionem, & delectationem ſupernaturalis boni per Dei potentiam abſolutam concedi potuiſſe hominibus in via, ita perfectam atque copioſam, vt per illam vincere omnem difficultatem, vitare quamcumque culpam, etiam venialem, perfectè viuere, atque perſeuerare poſſemus, conſtat ex Auguſtino lib. de Spiritu, & litera cap. 35. vbi poſtquam dixerat, hominem per Dei gratiam, & liberum arbitrium poſſe viuere ſemper ſine vllo peccato; cæterùm hoc nulli hominum contigiſſe vnquam, & fore etiam, vt nulli vnquam contingat; ſubdit hæc verba: *Ecce quemadmodum ſine exemplo eſt in hominibus perfecta iuſtitia: & tamen impoſſibilis non eſt; fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei: eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad iuſtitiam, nos lateret, & ea ſic delectarent animum, vt quidquid aliud voluptas, ſiue dolor impedit, delectatio illa ſuperaret: quod vt non ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad iudicium Dei pertinet. Quis enim neſciat, non eſſe in hominis poteſtate quid ſciat, neque eſſe conſequens vt, quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, niſi tantum delectet, quantum diligendum eſt: hoc autem ſanitatis eſt animæ.*

10. Tertia probatio. Quoniam gratia operans, ſeu præueniens eò deſtinatur, vt Deus per eas operationes, quas in nobis ſine noſtra libertate operatur, nos inuitet, & ſuauiſſima compulſione trahat, vt liberè velimus, quod antea nolebamus, vt conſtabit diſputatione ſequenti ſect. 4. num. 17. & 18. At verò prædictas operationes intellectus & voluntatis eſſe ex ſuo genere maximè accommodatas, & opportunas ad hunc finem, probatur, quoniam debita proportione reſpondent illis operationibus intellectus, & voluntatis, quibus naturaliter excitamur ad nouam electionem liberam alicuius rei arduæ, quæ priùs deterrebat. Nam ad huiuſmodi electionem naturaliter non moueris, niſi nouas rationes, aut nouam penetrationem antiquarum rationum propria inuentione, vel alterius ſuaſu conceperis; & propter mutationem corporis, aut animi, aut obiecti placere incipiat, & arridere, quod antea tibi moleſtum erat, vel nouis periculis terrearis denuo, vel nouis adiutoribus erigaris ad ſperandum felicem nouæ electionis euentum. Itaque ij aut ſimiles motus ſubiti, & indeliberati debent naturaliter præcedere vt poſtea liberè poſſis, nouam electionem concipere.

Quarta probatio ſumitur ex analogia tentationum. Quoniam in malo quidquid boni reperitur, conſiſtit in fallaci quadam imitatione illius, quod eſt ſimpliciter bonum. Quapropter induſtria incitandi ad peccatum libertate manente eſt indicium à poſteriori oſtendens, qualis ſit modus, ſuauiter, & ſalua libertate excitandi ad pietatem. At verò ſuggeſtione cuiuſdam ſplendoris, apparentis in bono creato, quod dæmonis præſtigiis ob oculos imaginatiuæ ponitur quaſi præſens, & euidenter cognitum: inſuper vehementiore illius delectatione, quæ à Dæmone fiunt in nobis ſine nobis, hoc eſt, ſine libero noſtro conſenſu, inuitamur ad liberum conſenſum peccati. Hæc igitur induſtria à poſteriori oſtendit, optimum modum attrahendi hominem, eſſe per illuſtrationem, atque delectationem veri & ſolidi boni. Vnde acutè Auguſtinus Pelagianos ſuis Epiſcoporum verbis ita redarguit lib. 1. contra duas epiſtol. Pelagian. cap. 19. *Cur enim non dixiſti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari: ſicut dixiſti in malum diaboli ſuggeſtionibus incitari?* & Concilium Toletanum Quartum cap. 56. relatum cap. *de Iudæis* 45. diſtinct. ait: *Sicut enim homo proprij arbitrij voluntate ſerpenti obediens periit: ſic vocante ſe gratia Dei propria mentis conuerſione quiſque credendo ſaluatur.* 11.

4. Ex analogia cum malo.

Confirmatur primò. Sic enim *vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus, vt concupiſcentia, cum conceperit, pariat peccatum*, Iacobi 1. vbi ex ſuggeſtione dæmonis, quaſi ex ſemine Patris, concupiſcentiam per delectationem concipere, & parere conſenſum, exponunt Beda, Gloſſa, & clariùs S. Thomas ibi; ergo diuinâ prouidentia dignum eſt, in arte ſapientiſſima reuocandi homines à peccato altiori modo præbuiſſe exemplar cuiuſque ſuauitatis, efficaciaſſque mouendi liberam voluntatem, dum ſapientia *ſe nobis oſtendit hilariter, & initium illius veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia*, Sapien. 6. 12.

Confirmatur ſecundò. Sic enim ſapientiſſimæ arte operantes gratiæ ſunt directè contrariæ inſidiis, & machinationibus Dæmonis, mundi, & carnis. Illuſtratione namque ſoluitur *faſcinatio nugacitatis, quæ obſcurat bona*, & hilaritate atque concupiſcentia ſapientiæ ſanatur *inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertens ſenſum ſine malitia*, Sapientiæ 4. 13.

Confirma

14. Confirmatur tertiò. Nam ſicut datur gratia operans, ita etiam datur malitia operans, tum ex parte Dæmonis, tum etiam ex parte mundi & carnis. De omnibus enim hoc notauit eximius operantis gratiæ Doctor variis in locis, vt 2. Theſſal. 2. *Myſterium iam operatur iniquitatis.* Epheſ. 2. *Princeps poteſtatis aeris huius, ſpiritus operatur in filios diffidentiæ.* 2. Theſſal. 2. *Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Sathanæ in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt.* Rom. 7. *Paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.* & infrà: *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

15. Confirmatur quartò. Sic enim Deus veteres delectationes & deſideria nouis delectationibus & deſideriis quaſi clauum clauo trudit, vt Bernardus notat ſerm.20.in Cantica, quod expertum ſe eſſe teſtatur Auguſtinus lib.9.Confeſſ.cap.5.& Cyprianus 2.lib.epiſt.2.

16. Confirmatur quintò, quoniam tentationes, initium,& vires ſumi à ſuggeſtione cogitationis, atque delectatione, Patres communiter tradunt. Auguſtinus de ſermone Domini in monte lib.1. cap.13. docet tribus peccatum conſummari, ſuggeſtione, delectatione, conſenſu, quæ correſpondent ſerpenti, mulieri, & viro.

17. Ambroſius etiam libro de paradiſo cap. 15. propè init. ait: *Delectatio prima eſt origo peccati.* Leo ſermone 6.de Epiphania propè fin. ait: *Quia nullum ſine delectatione peccatum eſt, citò acquieſcitur deceptoriæ voluptati.* Cauſalem pondera, vt colligas delectationem, & voluptatem eſſe medium efficaciſſimum ad obtinendum conſenſum.

18. Gregorius lib.4.Mor.cap.25.aliàs 27. *Quatuor,* inquit, *modis peccatum perpetratur in corde, ſuggeſtione, delectatione, conſenſu, & defenſionis audacia.* Vnde eamdem ſententiam ferè ad verbum deſumpſit Iſidorus lib. 2. ſenten. cap.16. in medio, & in eodem libro 2. cap. 13. propè initium ait: *Iſtis fomitibus, quaſi quibuſdam gradibus crleſcit omne peccatum; cogitatio namque praua delectationem parit, delectatio conſenſionem,* &c.

19. Bernardus de interiori domo cap. 39. ait: *Cogitatio praua delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem,* &c. & cap. 40. *Cogitatio mala non inquinat, compulſat: niſi cùm hanc ſibi per delectationem ſubiugat.* quæ verba ex Gregorio mutuatus eſt Bernardus.

20. Gregorius namque fuſiùs, & clarius, quàm cæteri, cogitationem malam fieri in nobis ſine nobis; conſenſum autem, vel diſſenſum eſſe liberum; inſuper delectationem eſſe opportunum medium ad ſubiugandum mentem, docuit 21. Moral. cap. 3. ſub init. (& refertur cap. *Inter hæc,* de pœnit. diſtinct. 2.) *Inter hæc,* ait, *ſciendum eſt, aliud eſſe, quod animus de tentatione carnis patitur, aliud verò, cùm per conſenſum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione praua pulſatur, ſed renititur: plerumque autem, cùm peruerſum quid concipit, hoc intra ſemetipſum etiam per deſiderium voluit, & nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cùm pulſat; ſed cùm hanc ſibi per delectationem ſubiugat. Hinc etenim prædicator egregius dicit: Tentatio vos non apprehendit niſi humana,* (1.Corinth.10.) *humana quippe tentatio eſt, qua plerunque in turpi cogitatione tangimur, etiam nolentes.* (& poſt pauca:) *Iam verò dæmoniaca eſt & non humana tentatio, cùm ad hoc, quod carnis corruptibilitas ſuggerit, per conſenſum ſe animus adſtringit.* Similia docent Magiſter, & communiter Scholaſtici 2. diſtinct.24. poſt med.

Ne calumniis pateat prædicta ſimilitudo modi, quo Diabolus ad malum, & Deus præmouet, atque excitat ad bonum: diligenter obſeruandum eſt, analogiam præſenti probationi ſufficientem, in eo ſolùm conſiſtere, quòd vterque procurat exordium ſumere à cognitione viua, & lucida imaginatiuæ, & intellectus, necnon à delectatione voluntatis, & appetitus ſenſitiui; vt ita perſuadeat, & inuitet arbitrium ad conſenſum: relinquendo tamen illi facultatem integram aſſentiendi, vel diſſentiendi, ſi velit. 21.

De cætero eſt diſcrimen maximum, præcipuè quo ad hæc duo. Primò quoniam Deus phyſicè & realiter cauſat in intellectu illuſtrationem, & in voluntate ſuauitatem; quæ præuenit libertatem noſtram ad bonum. Sed Dæmon nihil poteſt immediatè cauſare in noſtro intellectu, & voluntate; ſed ſolummodo poteſt mouere localiter humores corporis, & ſpiritus animales, in quibus recipiuntur ſpecies ſenſibiles, & mouere localiter exteriora corpora, applicando actiua paſſiuis, vt ſic ſenſibus obiecta proponens, intellectui ſuggerat, & voluntatem prouocet ad delectationem, mediante phantaſia & appetitu ſenſitiuo. Secundò Deus phyſicè & realiter concurrit ad ipſum actum liberum meritorium; ad nullum tamen actum liberum concurrere dæmon nulla ratione poteſt, vt magis conſtabit diſput. 40. ſect. 5. 22. *Notandum diſcrimen.*

SECTIO V.

Vtrùm ſolummodo ad exordia conuerſionis, vel potiùs etiam ad perſeuerandum, requiratur prædicta illuſtratio & ſuauitas.

Dico primò. Lux & ſuauitas maior magiſque neceſſaria eſt in exordio conuerſionis, vt infantes, in Chriſto naſcituri, ſuaui aliquo cibo ablactentur à lacte, auellantùrque ab vberibus mundi, vt eos Deus ſcientiam doceat, & intelligere faciat auditum, Iſaiæ 28. Notauit hoc Gregorius lib. 18. Moral. cap. 7. ad finem, dicens: *Prius dulciter vocat, poſtea terribiliter increpat, & ad extremum irretractabiliter damnat.* 1. *In conuerſionis exordio lux, & ſuauitas maior.*

Fuſiùs rem explicuit Gregorius lib.24. Moral. cap.7. inter principium & medium, aliàs cap.13. cùm ait: *Tres modi ſunt conuerſorum, inchoatio, medietas, atque perfectio; in inchoatione autem inueniunt blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum verò perfectionem plenitudinis. Priùs ergo illos dulcia ſuſcipiunt, quæ conſolentur,* &c. Quod fusè probat ſimilitudine ducta ab ſponſo, quando futuram ſponſam inuitat ad nuptias, aliiſque ſimilitudinibus, quas ſacræ Scripturæ teſtimoniis confirmat. 2.

Ex hoc Gregorij loco deſumpſit Iſidorus quod ſcripſit in lib.2.ſenten.cap.8.initio: *Trimodum eſt genus conuerſionis ad Deum, inchoationis cum dulcedine, medietatis cum labore, perfectionis cum requie. Sed tamen plerumque alij incipiunt à dulcedine, alij à tentationum amaritudine.* Quod tamen ita intelligendum eſt, vt ſuper ipſam tentationis amaritudinem magis amara ſit ignauia ſuccumbens; nihilque dulce ſit niſi conſtantiæ pugnæ, viriliter reſiſtens, vt ad finem præſentis ſectionis dicemus. 3.

Simili,

4. Simili, ducto ab arte medicinæ, rem illuſtrauit Bernardus in ſermone de conuerſione ad clericos cap. 6. vbi ait: *Multiplex nunc conſolatio argumentis conſcientiæ reuelat cruciatum. Benignus eſt enim Deus, qui non patitur nos tentari vltra quod poſſumus, neque vermem hunc ſupra modum, patitur malignari, maximè inter initia conuerſionis. Oleo miſericordiæ linit vlcera, vt neque morbi quantitas, neque difficultas curationis vltra, quam expedit, innoteſcat; magis autem arridere videtur facilitas quædam, quæ poſtmodum euaneſcit, quando iam exercitatos habenti ſenſus, certamen forte datur, vt vincat, & diſcat, quoniam omnium potentior eſt ſapientia.* Has veritates etiam tacentibus Eccleſiæ Doctoribus, quotidiana vitorum ſpiritualium experientia confirmat.

5. *Ad perſeuerandum ſpiritualis voluptas neceſſaria.* Dico ſecundò. Nihilominus etiam ad perſeuerandum requiri ſpirituales voluptates, à Deo per charitatem immiſſas, ita vt earum affluentia cauſet perſeuerantiam: ſed data illarum inopia, & poſitis contrariis voluptatibus mundi, lapſus, ſequatur ex libero arbitrio, tradit Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 11. fine. Vbi de charitate ſic loquitur: *Quæ quoniam non ſolùm ex Deo, ſed etiam Deus eſt, ſtabiles & perſeuerantes, atque inſuperabiles facit, quos flumine ſuæ voluptatis impleuerit. Qui autem iſtam aquarum dulcedinem neſciunt, & adhuc de mundi lutulentis torrentibus bibunt, aut etiam, ſi aliquid primoribus labris de vitæ fonte guſtarunt, inebriati tamen aureo Babylonis calice delectantur; ſuo prorſus decipiuntur arbitrio, ſua voluntate labuntur: & ſi in hac deſidia perſeuerant, ipſi ſe his, quæ accepere, deſpoliant.*

6. Conſonat Ignatius, ſupponens, exultationem eſſe medium, quo Deus in nobis operatur propenſionem ad fraternam charitatem, & illius perſeuerantiam, quando in epiſt. 6. ad Philadelphienſes ante med. ait: *Fratres mei valde pronus ſum ad dilectionem veſtram, ſuperexultans de vnanimitate veſtra.* Propterea iuſtus quilibet Deum orare debet cum Dauid Pſal. 85. dicens: *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.*

7. *Obiectio.* Obiiciet aliquis. Impius quilibet excitatur, & præuenitur, vt à peccatis ſurgat, & conuertatur, cùm tamen plerumque maximam difficultatem, obſcuritatem, tædium, & amaritudinem experiatur: ergo gratia excitans & præueniens non ſemper conſiſtit in luce, & ſuauitate, ſeu delectatione.

Confirmatur primò: nam & viri ſpirituales idem experiuntur non rarò, quando impelluntur à Deo, vt ſe ipſos, ſuarúmque paſſionum repugnantiam vincant.

8. Confirmatur ſecundò. Nam etiam excæcatis & obduratis, & iis qui prauæ conſuetudinis tenentur in vinculis, datur gratia operans, & præueniens; & tamen illorum obduratio conſiſtit in carentia illuſtrationis & ſuauitatis: ergo non omnis gratia operans ac præueniens continet illuſtrationem & ſuauitatem.

9. *Soluitur.* Ad principale argumentum reſpondeo. Etiam tunc adeſt aliqua lux cœli, qua cernatur non ſolùm præſens obſcuritas, & abſentia lucis, ſed etiam quæ præcipitia immineant, niſi vigilanter, atque ſolicitè diuina poſtuletur directio. Tunc etiam adeſt delectatio aliqua, atque ſuauitas, virtute cuius tolerare & vincere tædium, ac deſiderando, atque petendo quærere Dei lucem, & conſolationem, delectat magis, quàm contriſtat repugnantia, tædium, & mæſtitia inferioris partis. Vt enim quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, & dolor de peccatis comitem habet de dolore gaudium; ita qui carnis repugnantiam animosè ſuperat, quamuis triſtetur de opere, in quantum tendit contra naturalem inclinationem, vel contra malos habitus; cæterùm de victoria obtinenda delectatur.

Huc pertinere videtur illud Auguſtini in lib. de Spiritu & litera cap. 29. prope fin. *Sub quo timore anima laborans, quando concupiſcentiam malam non vicerit, per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, vt det, quod iubet, atque inſpirata gratiæ ſuauitate per Spiritum ſanctum, faciat, plus delectare, quod præcipit, quàm delectat, quod impedit.* Supponit ergo Auguſtinus, quamuis nondum delectent diuina præcepta; ideóque non vincatur concupiſcentia, adhuc delectare aliquid faciliùs, videlicet confugere ad miſericordiam Dei, petendo delectationem. Hinc conſtat ſolutio 1. confirmationis. 10.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, excæcati & obdurati quantum habent gratiæ operantis, tantum habent illuſtrationis & ſuauitatis ad bonum. Sed quoniam illa perexigua eſt comparatione difficultatis, & tædij, quod ſua libera culpa fouent, & nutriunt aduersùs virtutem, & comparatione cæcitatis, qua voluntariè oculos claudunt; ideo dicuntur obcæcati & obdurati, de quo aliàs fuſiùs. 11.

SECTIO VI.

Expediuntur incidentes difficultates.

PRima eſt, vtrùm aliquando à ſola illuſtratione intellectus ſine delectationis motu indeliberato incipiat deliberatus, & abſolutus conſenſus voluntatis virtute adiuuantis gratiæ elicitus ad iuſtificationem inchoandam. Sed de hoc commodiùs dicemus diſp. 32. ſect. 3. & diſp 44. 1.

Secunda difficultas, vtrùm de lege ordinaria prædicti motus voluntatis, quibus conſtat gratia operans, ſiue excitans ſint velleitates, & non abſolutæ volitiones, quas appellant efficaces, ex modo volendi. 2.

Gratia operans velleitas, & ſimplex complacentia. Reſpondetur. De lege ordinaria non ſunt volitiones abſolutæ, ſed velleitates, aut ſimplices complacentiæ.

Probatur primò, quia quamuis actus efficaces charitatis, vel cuiuſque alterius virtutis ſupernaturalis poſſint à Deo fieri in nobis ſine noſtra libertate; ac proinde Deus per illos de potentia abſoluta poſſit, quemcumque voluerit, excitare: nihilominus ex intrinſeco modo tendendi, atque intrinſeca perfectione talium actuum, ſunt minus apti, vt fiant in nobis ſine noſtra libertate. E contrario tamen illi motus voluntatis, quos in ſect. 1. commemorauimus, aptiſſimi ſunt.

Antecedens probatur primò exemplo naturalium affectuum, quibus debita proportione reſpondent ſupernaturales. Nam volitiones efficaces hominibus ſanæ mentis deſpoticè obediunt, alioqui exteriora membra, ad exequendum, mouerent ſine libertate: ſed è contrario cogitatio, delectatio, & auiditas cum ſuauitate, aut tædium, terror, diſplicentia, motus deſperationis, aut iræ, aliíque ſimiles circa obiecta naturalia bona, vel mala ante omnem deliberationem, imò etiam contra liberam electionem, nunc violenter aſſurgunt, nunc verò penitus extinguuntur. Ergo iſti affectus inefficaces ex natura rei ſunt aptiores, vt in nobis fiant ſine nobis, & ab illis incipiat 3.

mutatio

Digitized by Google

mutatio voluntatis. Confirmatur. nam etiam bruta per inefficaces paſſiones appetitus excitantur ad actus efficaces, vt facile poteſt indiciis deprehendi.

4. Probatur ſecundò. Nam voluntas efficax eſt perfecta ex ſuo modo tendendi; ſed complacentia ſimplex, velleitas, aut inefficax deſiderium imperfecta ſunt; ergo hæc aptiora ſunt, vt ab illis incipiat gratia, vt progrediatur ad perfectiora; ſicut natura progreditur in omnibus viuentibus. Confirmatur. nam ars imitatrix naturæ, vt fructiferam arborem inſerat ſyluaticæ, non arborem integram, imò nec ramum aliquem fructibus onuſtum, ſed tenerum ſurculum, aut corticem, vna vel altera gemma erumpentem, imponit: eſt autem diuina gratia *inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas*, Iacob. 1. & conſonat Rom. 11.

5. *Cuius virtutis actus gratia excitans eſt.* Tertia difficultas, cuiúſnam virtutis actus ſint prædicti omnes motus, quibus conſtat gratia præueniens.

Reſpondeo, & dico primò. Quando infidelis excitatur ad fidem, illuſtratio intellectus, quæ eſt gratia præueniens, non eſt actus fidei; ſed alia intellectio, per quam ſupernaturaliter, & melius quàm antea penetrantur rationes credibilitatis, & optima conſonantia myſteriorum cum ratione, & cum diuina maieſtate. & in voluntate gratia præueniens non eſt actus alicuius virtutis nominatæ, ſed eſt quædam imperfecta affectio pietatis erga Dei veracitatem & eius legem, qui actus quamuis metaphyſica ſpecie differat ab actu fidei; cæterùm appellatur quandoque actus fidei, quando liberè admittitur à voluntate, propter rationem explicatam ſuprà diſput. 25. ſect. 6. difficul. 6.

6. Secundò: quando fidelis excitatur ad pœnitentiam, tunc in intellectu illuſtratio, quæ eſt gratia præueniens, communiter eſt actus fidei, ſolito clarior, & firmior, vt dixi ſectione 1. ſed poſſunt altioris generis cognitiones ad eundem finem immitti.

7. At in voluntate poteſt eſſe gratia præueniens ſubitus motus ſpei, attritionis, terroris inferni; ſed perfectior eſt modus amoris cuiuſdam imperfecti, & inefficacis erga Deum. Hunc enim eſſe licitum, & ſupernaturalem ſæpe, & initium ad actum charitatis, oſtendi de charitate tractans diſput. 4. quæſt. 6. & 7. Nunc verò obſerua huiuſmodi cupiditatem boni, qua dulceſcere incipit, appellari ab Auguſtino charitatem imperfectam, ſeu inchoatam, & præuenientem gratiam in libro 2. contra duas epiſtolas Pelagian. capite 9. initio, & de gratia & libero arbitrio capite 17. Non quia metaphyſica quidditate ſpecifica cum charitatis actu conueniat, cùm potiùs ſpecie differat; ſed quoniam ſecundùm moralem conſiderationem reputatur vnum cum charitate, eo quòd ſit ſemen, & initium charitatis, vt in ſimili de initio dictum eſt diſputatione 25. nuper citata.

9. Præſentis diſputationis complementum poſtulabat, vt poſtquam explicatæ ſunt interiores, & ſpirituales actiones, quæ ſunt quaſi anima, & forma gratiæ operantis: explicarentur etiam exteriores partes illius, partim viſibiles, partim verò inuiſibiles, quæ ſunt quaſi corpus complens integram ſubſtantiam gratiæ operantis. Sed de his magis opportunè dicemus infrà diſputat. 39. ſectione 4.

DISPVTATIO XXXI.

Vtrùm præcipuum diſcrimen gratiæ operantis à cooperante conſiſtat in libertate huius, & illius indeliberatione.

DE quidditatiua ratione gratiæ operantis, & cooperantis magna eſt ſententiarum non modò varietas, ſed etiam obſcuritas; plurima hinc inde argumenta, ex quibus vtiliora referemus; ſed non prius; quàm placidè & expeditè deduxerimus veritatis filum, quod poſtea, in hac & ſequentibus diſputationibus videbimus plurima trica impeditum, & nodo.

SECTIO I.

Affirmatiua ſententia explicatur, & probatur ex Sapientia 9. & 1. Corinth. 15.

PRima concluſio. Gratia operans conſiſtit formaliter in hoc, quòd nihil cooperante libertate noſtra, immittantur à Deo illæ illuſtrationes intellectus ſuauitas, & cæteri affectus voluntatis, quos retulimus diſputatione præcedenti. 1. *Gratia operans in eo quod à Deo ſine noſtra libertate immittatur conſiſtit.*

Secunda concluſio. Gratia cooperans conſiſtit formaliter in hoc, quòd ſimul cum noſtra libertate concurrat, & cooperetur ad liberum conſenſum meritorium. Sed vtrùm debeat concurrere tanquam principium actiuum, vel tanquam concurſus, & actio, dicemus infrà diſputat. 36. Hanc ſententiam eſſe omnium Scholaſticorum tam antiquorum, quàm recentiorum, oſtendemus ſect. 7. Excipio Doctorem vnicum ex recentioribus, cuius opinionem, & fundamenta refutabimus in ſect. 9. 2. *Cooperans in eo quod ſimul cum noſtra libertate concurrat.*

Ad explicandas concluſiones, notanda ſunt duo. Primum eſt, in præſenti diſputatione præcipuè tractari eam rationem gratiæ operantis, quæ communis eſt vtrique gratiæ operanti, ſiue illi, quæ eſt initium fidei, ſiue illi, quæ operatur in nobis poſt acceptam fidem, vel poſt acceptam remiſſionem peccatorum, & filiationem Dei. Nam illa prior gratia operans, quæ eſt initium fidei, rigidiſſimè dicitur præueniens & operans, non ſolùm quia ſine vlla præſenti cooperatione noſtræ libertatis exiſtit; ſed etiam quoniam nullum minimum meritum de condigno, aut congruo, nulláve minima diſpoſitio, etiam remotiſſima, neque vlla minima ratio impetrandi, vel accipiendi præceſſerit: de quo ſatis dictum eſt ſuprà diſputatione 18. 20. 22. & 23. 3.

At verò gratia operans, ſeu præueniens minus rigidè accepta eſt, quæ fit à Deo in nobis ſine noſtra libertate; quamuis illam præceſſerint merita de congruo, & orationes impetratoriæ. De quidditate igitur, quæ vtrique gratiæ communis eſt, agimus in præſenti diſputatione. Vide quæ dicemus diſputatione 41. ſectione 1. versùs finem. 4.

Notandum eſt ſecundò admittendas eſſe præterea alias duas minus rigidas acceptiones gratiæ operantis, ſeu præuenientis alteram, quæ eſt operatio libera, modo explicando in ſequenti diſput. 5.

diſput. ſect. 3. alteram quæ non eſt operatio, ſed habitus, de qua infrà dicam diſp. 34.

6. *Probatio 1.* Prædictæ concluſiones, prout nuper explicatæ ſunt, probantur primò ex cap. 9. Sapientiæ, & 1. Corinth. 15. quæ duo loca in eandem ſententiam conſpirant; dum exponunt duo munera ſapientiæ, ſeu gratiæ. *Gratia duo munera.* Prius eſt, nobiſcum eſſe de cœlis miſſam; ſicque nobis eſſe quoddam ſupernaturale & principium operationis tribuere, quod independenter à quacumque noſtra operatione libera præſtat gratia; poſterius munus eſt, nobiſcum laborare, quod non fit, niſi dependenter ex noſtra libera electione, qua collaboramus, & cooperamur gratiæ. Verba Sapientiæ 9. hæc ſunt: *Mitte illam* (videlicet ſapientiam) *de cœlis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret.* Quam loquendi formulam videtur ſtudioſè imitatus Paulus 1. Corinth. 15. dicens: *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quem locum Pauli ad rem præſentem Patres communiter adducunt.

7. Et in primis de infuſione, & inſpiratione ſancti Spiritus quæ ſit iuſtificationis exordium, Concilium Arauſicanum Secundum can. 6. intelligit priora illa verba Pauli, *Gratia Dei ſum, id quod ſum;* poſteriora verò *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Hieronymus in Commentario eiuſdem loci ita explicat: *Neque ſe ſine gratia, dicit in Euangelio laboraſſe; neque gratiam ſine ſe; vt liberum ſeruaret arbitrium.* Ergo cooperans gratia, ad liberi arbitrii vſum adiuuandum, pertinet.

8. Clariùs & crebriùs Auguſtinus Pauli verba ponderauit, præſertim lib. 3: de prædeſtinatione & gratia cap. 10. & cap. 11. poſt med. illis præſertim verbis: *Gratia Dei ſum id, quod ſum. Hæc eſt prima miſericordia, quam libera voluntatis opera conſequuntur. Sed vt Apoſtoli Pauli vocationem bona opera ſequerentur, qui ait. & gratia eius in me vacua non fuit. Quid enim feciſti? Plus, inquit, omnibus laboraui. Ne multum ſuperbias, ò liberi defenſor arbitrij, audiens Paulum de ſuis laboribus glorianteum, attende, quod ſequitur: Non autem ego; ſed gratia Dei mecum.*

9. Idem Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 5. ita loquitur: *Ne voluntas putetur ſine gratia Dei boni aliquid poſſe, continuò cum dixiſſet Paulus: Gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantius illis omnibus laboraui; ſubiunxit: Non ego, ſed gratia Dei mecum, id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per hoc, neque gratia ſola, neque ipſe ſolus; ſed gratia Dei cum illo.*

10. Vbi notandum eſt primò, in contextu proximè ſuperiori Auguſtinum probaſſe, liberi arbitrij cooperationem eſſe ad ſalutem neceſſariam. Quapropter, quæ nuper retulimus verba, referenda ſunt ad liberam electionem cuiuſque boni, vt colligitur ex illa vltima negatiua: *Ne voluntas putetur ſine gratia Dei boni aliquid poſſe.* Ergo etiam cooperans in eo conſiſtit formaliter, quòd ſimul cum noſtra libertate concurrat, & cooperetur ad quancumque liberam electionem ſalutis. Hunc locum Auguſtini in hoc ipſo ſenſu acceperunt communiter Scholaſtici cum Magiſtro in 2. diſtinctione 27. §. *idem nempe.*

11. Ruſus ex eodem teſtimonio Pauli Auguſtinus continuò poſt verba prædicta colligit operantem gratiam, dicens: *Vt autem de cœlo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola.* Ergo vocatio, ſeu gratia præueniens fit in nobis à ſola gratia, ſine cooperatione noſtræ libertatis.

Eodem ferè modo vtitur hoc Pauli teſtimonio Baſilius in homilia de humilitate propè medium, ad probandum totam virtutem noſtram eſſe à Deo. 12.

Similem valdè explicationem Ennodius tradit, de libero arbitrio ſcribens ad Conſtantium quemdam, vbi ſupponens gratiam aliquam independenter à noſtro libero concurſu collatam, clariùs explicat; cooperantem gratiam tenuari & macie conſumi, ſi noſtra libera cooperatio deſit: verba refert Turrianus lib. 4. pro epiſtolis Pontificum cap. 2. propè finem. Verba Ennodij ſunt: *Cùm inimicus arrogantiæ dixit: Gratia Dei ſum, id quod ſum. Ne ſic fugax gloria crederetur, vt longo interuallo à veritate deſciſceret, ſapiens architectus adiunxit: Abundantiùs omnibus laboraui, & gratia Dei in me egena non fuit. quod dixiſſe eſt, Chriſtus in me, quem dignè, aut abundanter muneraretur, inuenit. Non enim pauper eſt diuina gratia; ſed meritorum noſtrorum putatur quadam macie, aut exilitate tenuari: quæ tunc non ſuis æſtimatur meatibus fluere, quando de ſuis curſibus ariditatis noſtræ vena nihil recipit.* 13.

Philo tomo 1. Bibliothec. lib. in Cantica ad illa verba: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* poſtquam docuit, ad conſequenda cœleſtia, nihil poſſe humanam fragilitatem, niſi diuina gratia *præuentam*; opponit: *Ergo non laborandum*, &c. Cui obiectioni reſpondet: *Audi quomodo hunc nodum rectè ſoluat Apoſtolus: Gratia Dei ſum id, quod ſum; ſed gratia eius in me vacua non fuit; collaboraui enim, & quidem pluſquam cæteri. Studeamus igitur & nos, hunc imitari, poſt acceptam Spiritus ſancti gratiam, ex libero voluntatis arbitrio, quæ bona ſunt agere, cooperemur gratiæ.* 14.

Vtramque gratiam operantem & cooperantem ex eodem loco Pauli deducit Gregorius 16. Moralium cap. 10. ſic: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis; vt ſubſequente quoque noſtro arbitrio bonum, quod iam appetimus, agat nobiſcum. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat; præuenit, Paulus ait: Gratia Dei ſum id, quod ſum. Et quia eandem gratiam liberum arbitrium ſubſequitur, adiungit: & gratia eius in me vacua non fuit. Qui dum ſe de ſe nihil eſſe, conſpiceret, ait: Non autem ego; & quia ſe eſſe aliquid cum gratia, inuenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret mecum, ſi cum præueniente gratia ſubſequens liberum arbitrium non haberet.* Eodem modo explicat eundem locum Pauli lib. 24. Moralium cap. 6. fine, in id Iob 33. *Liberauit animam ſuam;* &c. & homil. 9. in Ezechielem ſub initium: Facit etiam ad rem præſentem lib. 18. Moralium cap. 22. 15.

Bernardus tractatu de gratia & libero arbitrio columna penultima tractans eundem locum Pauli, ait: *Potuit dicere, per me; ſed quia minus erat, maluit dicere, mecum; præſumens, ſe non ſolùm operis eſſe miniſtrum per effectum, ſed & operantis quodammodo ſocium per conſenſum.* quod poſtea confirmat ex 1. Corinth. 3. *Coadiutores Dei ſumus.* 16.

Auctor Commentariorum in primam ad Corinth. quæ tribuuntur Anſelmo, eadem tranſcripſit verba, quæ paulò ſuperiùs retulimus ex Gregorio. 17.

gotio. Sed Beda, vt ſolet, ex Auguſtino variis in locis Collectaneam texit in dicta verba 1. Corinth. 15.

18. Quòd gratia cooperans ſit illa quæ ſimul cum noſtro libero arbitrio concurrit ad operationem liberam, colligit ex Paulo 1. Corinth. 15. & 2. Corinth. 6. Concilium Senonenſe in ſua præfatione colum. 2. Cuius decretis de gratia, & libero arbitrio contra Lutheranam hæreſim, eo tempore graſſantem, authoritas magna conciliatur ex ſuo præſide Cardinali Archiepiſcopo, & tacita approbatione Summorum Pontificum, ac præcipuè Tridentini Concilij, quod viginti pòſt annos edidit decreta de gratia & libero arbitrio, quas authoritatis rationes fuſiùs alibi ponderamus. Huius igitur Concilij verba ſunt: *Debuerat certè Lutherus ex Apoſtolo noſſe, ita neceſſariam eſſe diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat. Teſtis ſiquidem eſt Apoſtolus, diuinam gratiam in ſe vacuam non fuiſſe: Cum abundantius (inquit) laboraui; non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Vnde rectè conficitur, ipſum diuinæ gratiæ, & reliquos fideles cooperatum fuiſſe. quos ipſe cohortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant, laborem eorum pronuncians, nequaquam fore vacuum; ſi ſic gratia vtantur, vt non fruſtrà illam videantur ſuſcepiſſe.*

Concilium Senonenſe.

19. Hæc Conciliorum, & Patrum teſtimonia ſi legiſſent docti, & catholici recentiores aliqui, nunquam eò proceſſiſſent, vt putarent, argumentum præſens debilitari ea ratione, quoniam teſtimonium allatum ex 1. Corinth. 15. apertè agit de Apoſtolatu, & prædicatione Euangelica, quæ gratia eſt gratis data, non gratum faciens. Cæterùm inde nihil roboris minuitur argumento. nam, vt oſtendimus in lib. de quidditate gratiæ diſputat. 4. ſectione 3. & ſequent. præſtantiſſimæ gratiæ gratis datæ includunt eſſentialiter gratias gratum facientes, & earum præſtantiſſimas operationes; maximè verò gratia Apoſtolatus, quæ ſine ardentiſſima charitate erga Deum & proximos ſuccumberet difficultatibus. Vnde conſtat, ſolidiſſima ratione ſubnixos fuiſſe Patres ſuperiùs citatos, vt non ſolùm de gratia gratis data, ſed etiam de gratia gratum faciente intellexerint prædictum locum.

Recentiores quidam reijciuntur.

20. Hæc poſtquam ſcripſeram, ad meas manus peruenit Auguſtini liber de geſtis Pelagij, in cuius cap. 14. fusè ponderat prædictum teſtimonium Pauli, vt de quacunque gratia intelligatur dictum, quod de Apoſtolatus gratia docuit Apoſtolus. Rationem verò reddit, quoniam Apoſtolatus cæteras omnes gratias includit; præſertim ab illis verbis versùs finem capitis: *Non ſolum nulla ſe habuiſſe, dicit, merita bona, vt Apoſtolus fieret; ſed etiam mala merita ſua dicit, vt Dei gratiam manifeſtet, & prædicet. Non ſum, inquit, idoneus vocari Apoſtolus; quod quid eſt aliud, quàm non ſum dignus? nam hoc plerique Latini codices habent. Hoc eſt nempe quod quærimus, nempe iſto munere Apoſtolatus illa omnes gratiæ continentur. Non enim decebat, aut oportebat Apoſtolum non habere prophetiam, aut non eſſe doctorem, aut non clareſcere virtutibus, donationibuſque ſanitatum, aut adiutoria non præbere, aut Eccleſias non gubernare, aut linguarum generibus non excellere. Omnia hæc vnum nomen Apoſtolatus amplectitur.*

Quo fundamento præſuppoſito pergit deinceps circa quodcunque genus gratiæ ponderare verba Pauli 1. Corinth. 15. priùs autem operantis gratiæ propriam rationem, vt præcedat omnia merita, colligit, dum Paulum his alloquitur: *Faciens igitur tantum mali, vnde meruiſti tantum boni? audiant reſpondentem omnes gentes: ſed gratia Dei ſum, id quod ſum. Nunquid aliter eſt gratia commendata, niſi quia eſt indignè data?* 21.

Deinde pergit explicare propriam rationem cooperantis gratiæ requirentis liberi arbitrij laborem, talem tamen vt illius vis atque laus tota pendeat à præueniente & cooperante gratia, quando ſubiungit: *Et gratia eius, inquit, in me vacua non fuit. Hoc etiam alijs præcipit, vt etiam arbitrium voluntatis oſtendat, vbi ait: Præcipientes autem & rogamus, ne in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis. Vnde autem probat, quod gratia eius in eo vacua non fuit, niſi ex eo quod ſequitur, ſed plus omnibus illis laboraui. Proinde non laborauit vt gratiam acciperet, ſed accepit, vt laboraret; atque ita vnde ad accipienda debita præmia fieret dignus, gratiam gratis accepit indignus. Nec ipſum ſanè laborem ſibi auſus eſt arrogare. Cùm enim dixiſſet, plus omnibus illis laboraui, continuò ſubiecit: Non ego, ſed gratia Dei mecum. O magnum gratiæ præceptorem, confeſſorem, prædicatorem. Quid eſt hoc? plus laboraui non ego: vbi ſeſe extulit aliquantum voluntas; ibi continuò vigilauit pietas, & tremuit humilitas, quia ſe agnouit infirmitas.* 22.

Confirmatur primò. Nam ita ſentientes de legitimo intellectu verborum Apoſtoli, diſtamus magis non ſolùm à Luthero, quem illis nuper oppugnabat Senonenſe Concilium, ſed præſertim à Caluino, qui per ſummam impudentiam deridet antiquos Patres, quòd ex hoc loco gratiam cooperatricem eſſe colligant. 23.

Huic occaſio fuit, quod Græcus textus ſonar, & apud Græcos Patres perſæpè legitur: *Gratia Dei, quæ mecum.* Vbi Vulgata reddit: *Gratia Dei mecum.* Cæterùm idem prorſus eſt ſenſus vtriuſque lectionis, & neceſſariò referendus ad cooperationem. Alioqui ſi ad ſolius gratiæ operationem referendũ fuiſſet (vt Caluinus volebat,) hoc poſterius membrum deſtrueret, quod priùs aſſeuerat Paulus, gratiam in ſe vacuam non fuiſſe, quoniam ipſe Paulus laborauerit. De quo Bellarminus optimè lib. 6. de gratia & libero arbitrio cap. 10. fine. 24.

Confirmatur ſecundò, quoniam eadem exceptione notate potuiſſent plurima teſtimonia Pauli, quæ à Conciliis, & Patribus communiter proferuntur, ad confirmanda dogmata de gratia iuſtificationis: cùm tamen Pauli contextus clariùs ſonet gratiam Apoſtolatus, quale eſt illud 2. Corinth. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus, cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti.* Cùm tamen, ad probandum iuſtificationis exordium ex gratia præueniente contra Semipelagianos, frequenter proferatur hoc teſtimonium ab Arauſicano, Auguſtino, Proſpero, Fulgentio aliiſque Patribus, & communiter à Doctoribus Scholaſticis, vt vidimus ſuprà diſput. 18. ſect. 5. n. 6. 25.

SEC

SECTIO II.

Ieſus reſpiciens Petrum, & ille foras egreſſus, & amarè flens, probant prædictum operantis gratiæ diſcrimen.

1. EXordium & progreſſus pœnitentiæ, qua Petrus poſtquam ter negauit, rediit in gratiam Lucæ 22. exemplar eſt, & argumentum, ad probandas duas concluſiones, poſitas in principio ſectionis præcedentis. Quoniam in poteſtate Petri non erat, vt poſt tertiam negationem continuò gallus cantaret, & conuerſus Dominus reſpiceret Petrum, & recordaretur Petrus verbi Domini Ieſu, ipſo non ſolùm excitante memoriam, ſed etiam ſuggerente remedium, vitandi occaſiones peccandi, & vtiliter pœnitendi. At in poteſtate Petri fuit, obedire huic diuinæ inſpirationi: ergo proportione ſeruata, idem continget omnibus, qui conuertuntur; vt priùs aliqua Deus interius & exterius præbeat excitamenta, quæ nullo modo pendeant a libertate hominis; ſed poſtea conſenſus ſit in hominis poteſtate.

2. Confirmatur, ſic enim reperiemus, contigiſſe non ſolùm in prima vocatione Apoſtolorum, Zachæi, & omnium Diſcipulorum; ſed etiam quando errantes in viam reuocari ſunt poſt reſurrectionem. Neque enim erat in poteſtate Magdalenæ, & omnium diſcipulorum, vt Chriſtus Dominus, corporeis ſe offerens oculis, lucem intellectui, & gaudium afferret voluntati, cuius multa poſt reſurrectionem exempla leguntur in Euangeliis & Actis Apoſtolorum.

3. Sed peculiariter, quod Petri pœnitentiam attinet, ponderarunt Patres ad rem præſentem. In primis Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. 96. aliàs 13. ad finem, dicens: *Quos Ieſus reſpicit, plorant delictum. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non reſpexerat Dominus. Negauit ſecundò, non fleuit, quia adhuc non reſpexerat Dominus. Negauit & tertiò, reſpexit Ieſus, & ille amariſſimè fleuit. Reſpice Domine Ieſu, vt ſciamus noſtrum deflere peccatum.* Poſtrema verba pondera, quibus breuiter notauit Ambroſius argumentum, quod ex hoc loco ducitur ad cuiuſlibet peccatoris pœnitentiam; cuius initium præbeat Ieſus, continuò reſpiciens. Quod clariùs explicuit poſt pauca, dicens: *Et tu, ſi veniam vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam. Eodem momento, eodem tempore reſpicit te Chriſtus. Si in aliquo fortaſſe laberis; quia ſecretorum tuorum aſſiduus teſtis, reſpicit, vt recorderis, & fatearis errorem.*

4. Ambroſij teſtimonium cùm protuliſſet Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 45. concludit, gratia interiùs reſpiciente, atque excitante, actum eſſe, vt Petrus recordaretur, & fleret, & quamuis ambiguum ſit, quod Auguſtinus ibi ſupponit, Ieſum non reſpexiſſe viſibiliter corporalibus oculis (de quo egregiè diſputat Suarez in 3. partem ſancti Thomæ tomo 2. diſputatione 35. ſectione 1. ad finem) nihilominus omnino certum eſt, præcipuam vim fuiſſe, non in exteriori oculorum coniectu, ſed in ea gratia interiori, quam Pſalm. 24. poſtulamus: *Reſpice in me, & miſerere mei.* Quod ad rem præſentem accommodatè Auguſtinus loco nuper citato explicuit, dicens: *Quod ſcriptum eſt: Reſpexit eum Dominus, intus actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt. Miſericorditer Dominus latenter ſubuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiori gratia viſitauit Petrum, interioris hominis vſque ad exteriores lachrymas mouit, & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adiuuando adeſt voluntatibus, & actionibus noſtris. Ecce quemadmodum & velle, & operari operatur in nobis.* & lib. de corrept. & gratia cap. 5. versùs finem: *Nullo*, inquit, *hominum orante pro Petro, Dominus reſpexit eum, & fecit eum ſuum peccatum flere.* Similia tradit in eodem lib. de corrept. & gratia cap. 9. fine.

In hoc etiam, vt in cæteris, Auguſtinum imitatus eſt Proſper de vocation. Gentium cap. 28. dicens: *Quis ergo, tunc conturbatum cor Apoſtoli non humanis, ſed diuinis conuenit oculis; & ad largos pœnitudinis fletus potens incitauit aſpectu: potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre diſcipulo.* 5.

Idem ſentit Leo ſermon. 9. de paſſione propè finem dicens: *Dominus Ieſus, qui intra Pontificale Concilium ſolo corpore tenebatur, trepidationem diſcipuli, foris poſiti, diuino vidit intuitu; & pauentis animum, mox vt reſpexit, erexit; & in fletus pœnitudinis excitauit.* (& poſt pauca:) *adfuit dextera Domini Ieſu Chriſti, quæ labentem priuſquam deijceretur exciperet; & firmitatem ſtandi in ipſo cadendi periculo recepiſſet.* & ſermone 3. de paſſione cap. 5. ait: *Reſpexit Dominus Petrum & turbatum diſcipulum conuenit oculis, quibus eum præuiderat eſſe turbandum. & in illum conuerſa eſt veritatis inſpectio, vbi erat cordis facienda correctio, quaſi quadam illi vox Domini inſonaret, ac diceret: Quid habes Petre? quid in tuam conſcientiam recedis? ad me conuertere, in me confide, me ſequere.* 6.

Gregorius homil. 8. in Ezechielem prope initium ait: *Omnipotens Deus & implet Sanctorum mentes cœleſti deſiderio, & ipſe exaudit impletas: ipſe enim creat in Sanctorum cordibus amorem; & ipſe ex amantibus cordibus ſuſcipit preces. Negationem ſuam Petrus fleuit amarè; ſed tamen illic præmittitur, quia Ieſus reſpexit Petrum.* 7.

Et in ſeptimum Pſalmum pœnitentialem ad illa verba: *Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum*, ait: *Auertente Domino faciem, peccator in lacum deſcendit; quia niſi illum Dominus miſericorditer reſpexerit; poſt multa perpetrata ſcelera in deſperationis foueam cadit. Nam & Petrus amarè non fleuiſſet, niſi eum Dominus reſpexiſſet. Niſi benigna Dei miſericordia mentem hominis illuminauerit, impoſſibile eſt ei, in nouam naturam mutari.* 8.

Iſidorus lib. 2. ſentent. cap. 12. § 4. ait: *Quiſquis peccatorum memoria compungitur ad lamenta, tunc Dei ſe ſciat viſitari præſentia, quando id, quod ſe admiſiſſe recolit, interius erubeſcit; ſuóque iudicio pœnitendo iam punit. Nam tunc Petrus fleuit, quando eum Chriſtus. Vnde Pſal. Reſpexit, inquit, & commota eſt, & contremuit terra.* Coaleſcit hic locus ex tribus Pſalmis, videlicet 103. & 17. & Pſalm. 76. præſertim ſecundùm Pſalterium Iſidorianum, vt obſeruat ibi Loayſa. 9.

Drogonis Hoſtienſis Epiſcopi eadem eſt ſententia in ſermone de Sacramento Dominicæ paſſionis columna 4. dicentis: *Tandiu faciem habuit velatam Petrus, donec reſpexit eum Chriſtus. Sed nunquid non etiam prius reſpiciebat? etiam; ſed Petrus reſpicientem ſe Chriſtum non reſpiciebat, quia velatam faciem habebat. Vnde bene alius Euangeliſta: & recordatus eſt, inquit, Petrus. recordatus Petri, reſpectus fuit Chriſti. Ergo cùm peccatorum flendo* 10.

recordaris, à Chriſto videris; imò ſublato velamine Chriſtum vides.

11. Denique Domini reſpicientis oculi præueniente, & ſubſequente miſericordia præſtiterunt Petro illos omnes effectus, qui Eccleſiaſtici 34. numerantur his verbis: *Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentia, & firmamentum virtutis,* (vt iſtius petræ fides non deficeret) *tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani,* tempore paſſionis, ne ſummo illius ſplendore, humanæ mentis aciem præſtringente, fides conniueret in Petro, quando in eius fratribus caligauit. *deprecatio offenſionis* (videlicet negationis iam commiſſæ) *& adiutorium caſus* (ne in deteriora rueret prioris peccati pondere atque impetu) *exaltans animam,* eleuando ad ſupernaturales actus ſperandi veniam, ac dolendi de peccatis. Hæc autem omnia præſtat per illuſtrationem intellectus & ſanitatem voluntatis, quam eſſe gratiam præuenientem, conſtat ex diſp. præced. ſect. 2. & 3. Quapropter continuò ſubditur: *Illuminans oculos dans ſanitatem.* Vnde ſequitur iuſtificatio, & auxilia, quæ iuſtificatis debentur: quapropter additur, *& vitam & benedictionem.*

SECTIO III.

Aliæ duæ rationes, à priori probantes idem diſcrimen gratiæ operantis à cooperante.

1. PRima ratio eſt, quia poteſtas prima non ſupponit aliam poteſtatem, ſed impoſſibilitatem. Vnde primam poteſtatem habere non eſt in noſtra poteſtate; ac proinde nullo modo pendet à noſtra libertate: at verò data nobis poteſtate vti, vel non vti, eſt in noſtra poteſtate, ac proinde à noſtra libertate dependens. Sed gratia operans, & præueniens eſt prima poteſtas operandi bonum. ergo illa nullo modo pendet à noſtra libera poteſtate. Rurſus gratia cooperans concurrit ad vſum acceptæ poteſtatis bene operandi: ergo gratia cooperans conſiſtit in hoc, quòd ſimul cum noſtra libertate concurrat ad liberum conſenſum.

Poteſtas prima.

2. Hanc rationem confirmat in primis Baſilius in Hexaëm. homil. 10. inter med. & fin. dicens: *Niſi enim is, qui nos condidit, Dominus anteuertiſſet occupatione, vt diceret illud: Faciamus, &c. ad ſimilitudinem; ſi non ſua ſolius munificentia prærogaſſet poteſtatem, qua adiutrice nos ipſius ſimilitudini conformaremus: nulla vnquam noſtra ipſorum facultate ad diuinæ ſimilitudinis ſuſceptionem euaſiſſemus. Nunc, quando potentia quidem nos ſimiles Deo fecit, largitus poteſtatem in hoc vt aſſimilemur Deo; reliquum erat, vt nos fineret cooperari isti gratiæ ſimilitudinis, nobis potentia prærogata.*

3. Vbi perpende primò plurimas voces, ſignificantes præuenientem gratiam, independentem à libera cooperatione noſtra, videlicet, *anteuertiſſet occupatione*, id eſt, præoccupaſſet; *ſua ſolius munificentia, prærogaſſet*; & tandem *prærogatam* dicit, eſſe *ſimilitudinem in potentia.* Vnde ſecundò perpende totam hanc gratiam præuenientem, independentem à noſtro libero arbitrio referri ad potentiam. Tertiò quod attinet ad cooperationem, *Deus non ſinit cooperari*, id eſt, relinquit in manu conſilij noſtri. Quod poſt pauca explicuit clariùs, dicens: *Penes me eſſe voluit, & liceat arbitrarium, vt ad Dei poſſim pertingere ſimilitudinem.* & paulò ſuperiùs dixerat: *A noſtro id pendere libera voluntatis arbitrio.*

4. Eandem rationem confirmat ſecundò Clemens Rom. lib. 4. Recognitionum pag. 2. dicens: *Deſiderium audiendi verbi Dei, & voluptatem ſine quærendi ex Deo habent, & hoc eſt initium doni Dei, quod gentibus datur; vt poſſint per hoc doctrinam recipere veritatis.* Hoc autem initium eſſe ſine hominum libera cooperatione; ſed poſtea Deū exigere ab hominibus cooperationem liberā, oſtēdit poſt pauca, dicens: *Operum vero ratio poteſtati, & arbitrio vniuſcuiuſque permittitur; & hoc ipſorum eſt propriū.* & poſtea oſtendit, hominē debere in ſe habere aliud ex diuino munere; aliud ex propria induſtria.

Tertiò Damaſ. lib. de duabus Chriſti voluntatibus paulo poſt med. ait: *Semina bonorum, & rectè agendi poteſtatem nobis datam eſſe à Deo* (quod independēs eſt à libera quauis actione bona; cùm ante omnem actionem præcedat illius potentia.) *inſuper actiones bonas tum à Deo, tum à nobis oriri.* Atque hoc, docet ibidem, eſſe in noſtra poteſtate. Cui conſonat lib. 2. de fide, c. 29. poſt med. & in eodem lib. c. 12. ante med. ait: *Poteſtatem habet, & manendi & proficiendi in bono diuina cooperante gratia; itemque & mutari ex bono, & in malum prolabi, Deo id permittente, propter liberam eius poteſtatem.* 5.

Confirmatur quartò, quoniam *poteſtas, vt filij Dei fiant, qui credunt in eum, nulla eſt; niſi à Deo detur*, vt Auguſtinus lib. 1. ait contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 3. à medio, atque in eandem ſententiam lib. 1. Retractationum cap. 22. ad finem ait: *In poteſtate hominis eſt mutare in melius voluntatem; ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur; de quo dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cum enim hoc ſit in poteſtate, quod, cum volumus, facimus; nihil tam in poteſtate, quam ipſa voluntas eſt; ſed præparatur voluntas à Domino.* & poſt pauca repetens eandem voluntatis præparationem, concludit: *Eo modo ergo dat poteſtatem.* Ex quibus conſtat operante & præueniente gratia præberi poteſtatem, vt filij Dei fiant, qui credunt in Ieſum Chriſtum: cæterùm, vt de facto fiant, pendere à noſtra libertate, docet Auguſtinus in ſequentibus verbis eiuſdem capitis, & alibi ſæpe. 6.

Secunda ratio, veluti præcedentis appendix, ſumitur ex propria ratione cogitationis, prout à Patribus ſolet vſurpari. Pro cuius explicatione præmitto, cogitationis nomen in ſacra Scriptura, Patribus, atque pleriſque Scholaſticis, rarò ſumi pro mera, & nuda cognitione intellectus; frequentiùs enim connotat adiunctum affectum voluntatis, ſaltem indeliberatum, vt Geneſ. 8. *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* & Lucæ 24. *Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra.* 1. Corinth. 13. *Charitas non cogitat malum.* Ex quo teſtimonio S. Auguſt. lib. de geſtis Pelagij, cap. 4. poſt medium colligit, eſſe diſtinguendum, his verbis: *Cogitatio vocari ſolet etiam aliquid in mentem veniens, etſi conſenſio non ſequatur. Cogitatio verò, quæ culpam contrahit, & meritò prohibetur, conſenſione non caret.* Idem planè dicere de cogitatione, quæ meritum parit, & præmium; ideòque præcipitur, conſenſione non caret. 7.

Propria cogitationis ratio.

Præterea licet Scriptura ſacra nunquam videatur limitaſſe cogitationis nomen, vt ſolos indeliberatos motus comprehendat; nihilominus communiter Patres, & Scholaſtici Doctores ita limitant, & quidem quando de tentationibus agunt, cogitationis nomen ita reſtringere conſtat ex præcedenti diſput. ſect. 5. ad finem. Similiterque de præueniente gratia tractantes, cogitationis 8.

nis nomine intelligere ſolos indeliberatos motus intellectus, & voluntatis, conſtabit ex teſtimoniis in hac ratione citandis.

9\. Hoc ſuppoſito ratio eſt, quoniam illæ cogitationes, quæ præbent poteſtatem volendi, & perficiendi bonum, quibus ad pietatem allicimur, ſunt gratia operans, & præueniens; ſed prædictæ cogitationes non ſunt in noſtra poteſtate; ergo gratia operans non eſt in noſtra poteſtate. Rurſus cogitationi præbere conſenſum, poſitum eſt in noſtra poteſtate: & hoc ipſum eſt cooperari cum gratia, nobiſcum cooperante, ergo gratia cooperans eſt, quæ ſimul cum noſtra libertate cooperatur ad liberum conſenſum.

Cogitatio poteſtatem præbens gratia operans.

10\. Duplicis iſtius ſyllogiſmi propoſitiones, & conſecutiones confirmantur Patrum teſtimoniis. Ambroſius lib. de fuga ſæculi cap. 1. ait ex Pſalmo 118. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quæ improuiſò offuſa mentem, animúmque confundunt, atque alio trahunt, quàm tu propoſueris.* Ex quo teſtimonio Ambroſij Auguſtinus lib. 2. de bono perſeuerantiæ cap. 8. ſequentia intulit: *Non itaque in hominum, ſed in Dei eſt poteſtate, vt habeant homines poteſtatem filij Dei fieri, ab ipſo quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias* Idque continuò confirmat 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; in cuius eſt poteſtate cor noſtrum, & cogitationes noſtræ.* Hæc Auguſtinus in cap. 8. atque eamdem doctrinam, eiſdem Pauli, & Ambroſij teſtimoniis confirmatam, repetit in cap. 13. eiuſdem libri.

11\. Ex eodem Auguſtino de ſpiritu & littera cap. 34 (reſecatis paucis verbis) ſumitur hæc ſententia: *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus; ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes; ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.*

12\. Idem lib. 1. ad Simplicianum quæſtione 2. columna penultima, ait: *Quis habet in poteſtate, tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo complectitur aliquid, quod non eum delectat? aut quis habet poteſtatem, vt vel ei occurrat, quod eum delectare poſſit; vel delectet, cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro, & induſtria ſtudij, vt ſint opera charitate feruentia, ille tribuit.* & infrà propè finem totius quæſt. *Voluntas, niſi aliquid occurrerit, quod delectet atque inuitet animum, moueri nullo modo poteſt. Hoc autem vt occurrat, non eſt in hominis poteſtate.*

13\. Recole ex præcedenti diſputat. viſum ac cogitationem occurrentem, & delectationem, quæ inuitant animum, vt moueatur ad bonum, eſſe gratiam operantem, & præuenientem. Deinde aduerte, nihil occurrere, quod voluntatem delectet, niſi per cogitationem intellectus. Quapropter rectè Auguſtinus probat, non eſſe liberi arbitrij gratiam operantem, & præuenientem; quia non eſt in eius poteſtate, vt occurrat talis cogitatio, neque vt delectet, cùm occurrerit.

14\. Clemens Romanus libro Recognitionum exorditur his verbis: *Ego Clemens, in vrbe Roma natus, ex prima ætate pudicitiæ ſtudium geſſi: dum me animi intentio, velut vinculis quibuſdam ſollicitudinis, & mœroris innexum teneret: interat mihi cogitatio (incertum ſanè, vnde initium ſumpſerit) crebro enim ad memoriam meam conditionem mortalitatis adducens, ſimúlque diſcutiens, vtrùmne ſit mihi aliqua vita poſt mortem.* Et cætera multa, quæ ſcribit ibidem, ad oſtendendum exordium ſuæ vocationis fuiſſe ex huiuſmodi ſolicita cogitatione.

Reit. de Prouidentia Dei.

Hanc autem ſibi non fuiſſe liberam perſuadet primò, quia ſibi incertum erat, vnde initium ſumpſiſſet; quod propterea dicit, quia neque ipſe ſibi illam attulit; nec incidentes occaſiones attulerunt, ſed ſolus Deus. Secundò quia vinculis tenebat innexum; ergo non erat libera. Tertiò, quia poſt pauca verba ſubdit Clemens: *Interat mihi comes optima, quæ me quieſcere non ſinebat, immortalitatis cupido, vt etiam poſt rerum exitus docuit, & gratia Dei omnipotentis oſtendit, hæc me animi intentio ad inquiſitionem veritatis & agnitionem veræ lucis adduxit.* Quartò, quia *neque abijcere poteram* (inquit Clemens) *deſiderium requirendi; ſed quanto magis negligere tentabar, ac ſpernere, tanto ardentius, velut cum quadam voluptate latenter inrepens, huiuſcemodi cogitatio mentem, & animam poſſidebat.* Vides quàm ſine libertate, imò etiam contra liberos conatus Clementi Deus cogitationem, & operantem gratiam impreſſerit. 15.

Petrus Diaconus & alij Orientales in lib. de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti ad Fulgent. cap. 6. poſt med. ait: *Vt ergo falſa libertas fieret Chriſtiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quo poſſet per eius gratiam ea cogitare & deſiderare, quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hac gratia poteſt quidem cogitare & deſiderare humana; non autem poteſt cogitare, aut velle diuina.* 16.

Bernardus toto tractatu de gratia, & libero arbitrio, nomine *cogitationis*, videtur complecti omnem motum animi, qui non eſt liber. Nam liberum vſum voluntatis ſemper condiſtinguit à cogitatione, tanquam membrum adæquatum oppoſitum in motibus animi noſtri. 17.

Denique confirmatur exemplo, ducto à malis cogitationibus ad bonas, eo quòd in vtriſque non ſint libera illarum initia; verùm illis obedire ſit liberum. Vnde Methodius Martyr in penultima pagin. cuiuſque fragmenti, quod aduerſus Origenem refert Epiphanius hæreſi 64. ait: *Non enim in nobis omnino ſitum eſt, vt aut cogitemus, aut non cogitemus abſurda; ſed vt cogitationibus vtamur, aut non vtamur. Impedire quidem, vt ne incidant in nos cogitationes, quæ forinſecus ad probationem noſtri inſpirantur, non poſſumus; non obedire autem, aut non vti ipſis poſſumus.* Plura ſubiungit, ad eamdem ſententiam confirmandam, explicans illud Pauli: *Non quod volo bonum facio.* Conſonant quoque cæteri Patres, quorum aliquos retulimus præcedenti diſputatione ſectione 3. ad finem. 18.

Confirmatur exemplo.

SECTIO IV.

Quidditatiua ratio vocationis alia tria miniſtrat argumenta eiuſdem diſcriminis.

SVppono, vocationem eſſe gratiam operantem ſeu præuenientem, vt oſtendemus diſput. 18. ſect. 5. num. 3. Quare, quod de vocatione probatum fuerit, idem probatum erit de gratia operante, ſeu præueniente. Hoc ſuppoſito accipio ra- 1.

Vocatio præueniens gratia.

recordaris, à Chriſto videris; imò ſublato velamine Chriſtum vides.

11. Denique Domini reſpicientis oculi præueniente, & ſubſequente miſericordia præſtiterunt Petro illos omnes effectus, qui Eccleſiaſtici 34. numerantur his verbis: *Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentia, & firmamentum virtutis,* (vt iſtius petræ fides non deficeret) *tegmen ardoris, & vmbraculum meridiani,* tempore paſſionis, ne ſummo illius ſplendore, humanæ mentis aciem præſtringente, fides conniueret in Petro, quando in eius fratribus caligauit. *deprecatio offenſionis* (videlicet negationis iam commiſſæ) *& adiutorium caſus* (ne in deteriora rueret prioris peccati pondere atque impetu) *exaltans animam,* eleuando ad ſupernaturales actus ſperandi veniam, ac dolendi de peccatis. Hæc autem omnia præſtat per illuſtrationem intellectus & ſanitatem voluntatis, quam eſſe gratiam præuenientem, conſtat ex diſp. præced. ſect. 2. & 3. Quapropter continuò ſubditur: *Illuminans oculos dans ſanitatem.* Vnde ſequitur iuſtificatio, & auxilia, quæ iuſtificatis debentur: quapropter additur, *& vitam & benedictionem.*

SECTIO III.

Aliæ duæ rationes, à priori probantes idem diſcrimen gratiæ operantis à cooperante.

1. *Poteſtas prima.* PRima ratio eſt, quia poteſtas prima non ſupponit aliam poteſtatem, ſed impoſſibilitatem. Vnde primam poteſtatem habere non eſt in noſtra poteſtate; ac proinde nullo modo pendet à noſtra libertate; at verò data nobis poteſtate vti, vel non vti, eſt in noſtra poteſtate; ac proinde à noſtra libertate dependens. Sed gratia operans, & præueniens eſt prima poteſtas operandi bonum. ergo illa nullo modo pendet à noſtra libera poteſtate. Rurſus gratia cooperans concurrit ad vſum acceptæ poteſtatis bene operandi; ergo gratia cooperans conſiſtit in hoc, quòd ſimul cum noſtra libertate concurrat ad liberum conſenſum.

2. Hanc rationem confirmat in primis Baſilius in Hexaëm. homil. 10. inter med. & fin. dicens: *Niſi enim is, qui nos condidit, Dominus anteuertiſſet occupatione, vt diceret illud: Faciamus, &c. ad ſimilitudinem; ſi non ſua ſolius munificentia prærogaſſet poteſtatem, qua adiutrice nos ipſius ſimilitudini conformaremus: nulla vnquam noſtra ipſorum facultate ad diuinæ ſimilitudinis ſuſceptionem euaſiſſemus. Nunc, quando potentia quidem nos ſimiles Deo fecit, largitus poteſtatem in hoc vt aſſimilemur Deo; reliquum erat, vt nos fineret cooperari iſti gratiæ ſimilitudinis, nobis potentia prærogata.*

3. Vbi perpende primò plurimas voces, ſignificantes præuenientem gratiam, independentem à libera cooperatione noſtra, videlicet, *anteuertiſſet occupatione*, id eſt, præoccupaſſet; *ſua ſolius munificentia, prærogaſſet*; & tandem *prærogatum* dicit, eſſe *ſimilitudinem in potentia.* Vnde ſecundò perpende totam hanc gratiam præuenientem, independentem à noſtro libero arbitrio referri ad potentiam. Tertiò quod attinet ad cooperationem, *Deus non ſinis cooperari*, id eſt, relinquit in manu conſilij noſtri. Quod poſt pauca explicuit clariùs, dicens: *Penes me eſſe voluit, & licuit arbitrarium, vt ad Dei poſſim pertingere ſimilitudinem.* & paulò ſuperiùs dixerat: *A noſtro id pendere libera voluntatis arbitrio.*

4. Eandem rationem confirmat ſecundò Clemens Rom. lib. 4. Recognitionum pag. 2. dicens: *Deſiderium audiendi verbi Dei, & voluntatem bonæ quærendi ex Deo habent, & hoc eſt initium doni Dei, quod gentibus datur; vt poſſint per hoc doctrinam recipere veritatis.* Hoc autem initium eſſe ſine hominum libera cooperatione; ſed poſtea Deũ exigere ab hominibus cooperationem liberã, oſtẽdit poſt pauca, dicens: *Operum vero ratio poteſtati, & arbitrio vniuſcuiuſque permittitur; & hoc ipſorũ eſt propriũ.* & poſtea oſtendit, hominẽ debere in ſe habere aliud ex diuino munere; aliud ex propria induſtria.

Tertiò Damaſ. lib. de duabus Chriſti voluntatibus paulo poſt med. ait: *Semina bonorum, & recte agendi poteſtatem nobis datam eſſe a Deo* (quod independẽs eſt à libera quauis actione bona, cùm ante omnem actionem præcedat illius potentia.) *inſuper actiones bonas tum à Deo, tum à nobis oriri,* Atque hoc, docet ibidem, eſſe in noſtra poteſtate. Cui conſonat lib. 2. de fide c. 29. poſt med. & in eodem lib. 2. c. 12. ante med. ait: *Poteſtatem habet, & manendi & proficiendi in bono diuina cooperante gratia; identidem & mutari ex bono, & in malum prolabi, Deo id permittente, propter liberam eius poteſtatem.* 5.

Confirmatur quartò, quoniam *poteſtas, vt filij Dei fiant, qui credunt in eum, nulla eſt; niſi à Deo detur,* vt Auguſtinus lib. 1. ait contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 3. à medio, atque in eandem ſententiam lib. 1. Retractationum cap. 22. ad finem ait: *In poteſtate hominis eſt mutare in melius voluntatem; ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur; de quo dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cum enim hoc ſit in poteſtate, quod, cum volumus, facimus; nihil tam in poteſtate, quam ipſa voluntas eſt; ſed præparatur voluntas à Domino.* & poſt pauca repetens eandem voluntatis præparationem, concludit; *Eo modo ergo dat poteſtatem.* Ex quibus conſtat operante & præueniente gratia præberi poteſtatem, vt filij Dei fiant, qui credunt in Ieſum Chriſtum: cæterùm, vt de facto fiant; pendere à noſtra libertate, docet Auguſtinus in ſequentibus verbis eiuſdem capitis, & alibi ſæpe. 6.

Secunda ratio, veluti præcedentis appendix, ſumitur ex propria ratione cogitationis, prout à Patribus ſolet vſurpari. Pro cuius explicatione præmitto, cogitationis nomen in ſacra Scriptura, Patribus, atque pleriſque Scholaſticis, rarò ſumi pro mera, & nuda cognitione intellectus; frequentius enim connotat adiunctum affectum voluntatis, ſaltem indeliberatum, vt Geneſ. 8. *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* & Lucæ 24. *Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra.* 1. Corinth. 13. *Charitas non cogitat malum.* Ex quo teſtimonio S. Auguſt. lib. de geſtis Pelagij, cap. 4. poſt medium colligit, eſſe diſtinguendum, his verbis; *Cogitatio vocari ſolet, cùm aliquid in mentem venit, etſi conſenſio non ſequatur. Cogitatio verò, quæ culpam contrahit, & meritò prohibetur, conſenſione non caret.* Idem planè diceret de cogitatione, quæ meritum parit, & præmium; ideòque præcipitur, conſenſione non caret. 7. *Propria cogitationis ratio.*

Præterea licet Scriptura ſacra nunquam videatur limitaſſe cogitationis nomen, vt ſolos indeliberatos motus comprehendat; nihilominus communiter Patres, & Scholaſtici Doctores ita limitant, & quidem quando de tentationibus agunt, cogitationis nomen ita reſtringere conſtat ex præcedenti diſput. ſect. 5. ad finem. Similiterque de præueniente gratia tractantes, cogitationis 8.

nis nomine intelligere ſolos indeliberatos motus intellectus, & voluntatis, conſtabit ex teſtimoniis in hac ratione citandis.

9. *Cogitatio poteſtatem præbens gratia operans.* Hoc ſuppoſito ratio eſt, quoniam illæ cogitationes, quæ præbent poteſtatem volendi, & perficiendi bonum, quibus ad pietatem allicimur, ſunt gratia operans, & præueniens; ſed prædictæ cogitationes non ſunt in noſtra poteſtate; ergo gratia operans non eſt in noſtra poteſtate. Rurſus cogitationi præbere conſenſum, poſitum eſt in noſtra poteſtate: & hoc ipſum eſt cooperari cum gratia, nobiſcum cooperante, ergo gratia cooperans eſt, quæ ſimul cum noſtra libertate cooperatur ad liberum conſenſum.

10. Duplicis iſtius ſyllogiſmi propoſitiones, & conſecutiones confirmantur Patrum teſtimoniis. Ambroſius lib. de fuga ſæculi cap. 1. ait ex Pſalmo 118. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quæ improuiſo offuſæ mentem, animùmque confundunt, atque alio trahunt, quàm tu propoſueres.* Ex quo teſtimonio Ambroſij Auguſtinus lib. 2. de bono perſeuerantiæ cap. 8. ſequentia intulit: *Non itaque in hominum, ſed in Dei eſt poteſtate, vt habeant homines poteſtatem filij Dei fieri, ab ipſo quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias.* Idque continuò confirmat 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; in cuius eſt poteſtate cor noſtrum, & cogitationes noſtræ.* Hæc Auguſtinus in cap. 8. atque eamdem doctrinam, eiſdem Pauli, & Ambroſij teſtimoniis confirmatam, repetit in cap. 13. eiuſdem libri.

11. Ex eodem Auguſtino de ſpiritu & littera cap. 34. (reſecatis paucis verbis) ſumitur hæc ſententia: *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus; ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes; ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.*

12. Idem lib. 1. ad Simplicianum quæſtione 2. columna penultima, ait: *Quis habet in poteſtate, tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo complectitur aliquid, quod non eum delectat? aut quis habet poteſtatem, vt vel occurrat, quod eum delectare poſſit; vel delectet, cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro, & induſtria ſtudij, ut ſint opera charitate feruentia, ille tribuit.* & infrà propè finem totius quæſt. *Voluntas, niſi aliquid occurrerit, quod delectet atque inuitet animum, moueri nullo modo poteſt. Hoc autem vt occurrat, non eſt in hominis poteſtate.*

13. Recole ex præcedenti diſputat. viſum aut cogitationem occurrentem, & delectationem, quæ impulsant animum, vt moueatur ad bonum, eſſe gratiam operantem, & præuenientem. Deinde aduerte, nihil occurrere, quod voluntatem delectet, niſi per cogitationem intellectus. Quapropter rectè Auguſtinus probat, non eſſe liberi arbitrij gratiam operantem, & præuenientem; quia non eſt in eius poteſtate, vt occurrat talis cogitatio, neque vt delectet, cùm occurrerit.

14. Clemens Romanus libro Recognitionum exorditur his verbis: *Ego Clemens, in vrbe Roma natus, ex prima ætate pudicitiæ ſtudium geſſi: dum me animi intentio, velut vinculis quibuſdam ſollicitudinis, & mœroris innexum teneret: inerat mihi cogitatio (incertum ſanè, vnde initium ſumpſerit) crebrò enim ad memoriam meam conditionem mortalitatis adducens, ſimúlque diſcutiens, vtrùm ne ſit mihi aliqua vita poſt mortem.* Et cætera multa, quæ ſcribit ibidem, ad oſtendendum exordium ſuæ vocationis fuiſſe ex huiuſmodi ſolicita cogitatione.

Hanc autem ſibi non fuiſſe liberam perſuadet primò, quia ſibi incertum erat, vnde initium ſumpſiſſet; quod propterea dicit, quia neque ipſe ſibi illam attulit; nec incidentes occaſiones attulerunt, ſed ſolus Deus. Secundò quia vinculis tenebat innexum; ergo non erat libera. Tertiò, quia poſt pauca verba ſubdit Clemens: *Intrat mihi comes optima, quæ me quieſcere non ſinebat, immortalitatis cupido, vt enim poſt rerum exitus docuit, & gratia Dei omnipotentis oſtendit, hæc me animi intentio ad inquiſitionem veritatis & agnitionem veræ lucis adduxit.* Quartò, quia neque abijcere poteram (inquit Clemens) *deſiderium requirendi; ſed quanto magis negligere conabar, ac ſpernere, tanto ardentius, velut cum quadam voluptate latenter irrepens, huiuſcemodi cogitatio mentem, & animum poſſidebat.* Vide, quàm ſine libertate, imò etiam contra liberos conatus Clementi Deus cogitationem, & operantem gratiam impreſſerit. 15.

Petrus Diaconus & alij Orientales in lib. de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti ad Fulgent. cap. 6. poſt med. ait: *Vt ergo falſa libertas fieret Chriſtiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quo poſſet per eius gratiam ea cogitare & deſiderare, quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hac gratia poteſt quidem cogitare & deſiderare humana; non autem poteſt cogitare, aut velle diuina.* 16.

Bernardus toto tractatu de gratia, & libero arbitrio, nomine *cogitationis*, videtur complecti omnem motum animi, qui non eſt liber. Nam liberum vſum voluntatis ſemper condiſtinguit à cogitatione, tanquam membrum adæquatum oppoſitum in motibus animi noſtri. 17.

Denique confirmatur exemplo, ducto à malis cogitationibus ad bonas, eo quòd in vtriſque non ſint libera illarum initia, verùm illis obedire ſit liberum. Vnde Methodius Martyr in penultima pagin. cuiuſque fragmenti, quod aduerſus Originem refert Epiphanius hæreſi 64. ait: *Non enim in nobis omnino ſitum eſt, vt aut cogitemus, aut non cogitemus abſurda; ſed vt cogitationibus vtamur, aut non vtamur. Impedire quidem, vt ne incidant in nos cogitationes, quæ forinſecus ad probationem noſtri inſpirantur, non poſſumus; non obedire autem, aut non vti ipſis poſſumus.* Plura ſubiungit, ad eandem ſententiam confirmandam, explicans illud Pauli: *Non quod volo bonum facio.* Conſonant quoque cæteri Patres, quorum aliquos retulimus præcedenti diſputatione ſectione 3. ad finem. 18. *Confirmatur exemplo.*

SECTIO IV.

Quidditatiua ratio vocationis alia tria monſtrat argumenta eiuſdem diſcriminis.

SVppono, vocationem eſſe gratiam operantem ſeu præuenientem, vt oſtendemus diſput. 18. ſect. 5. num. 3. Quare, quod de vocatione probatum fuerit, idem probatum erit de gratia operante, ſeu præueniente. Hoc ſuppoſito accipio rationem 1. *Vocatio præueniens gratia.*

tionem communem vocationis, abſtrahentem à Deo, vel ab Angelo, vel homine vocante; & primum argumentum ita conficio. Vocatio ex ratione vocationis pendet à ſolo arbitrio libero vocantis, & nullo modo pendet à libero conſenſu perſonæ vocandæ, præſertim quando hæc à vocante auerſa eſt, atque contrariis rebus intenta. Ergo ſupernaturalis vocatio, præſertim hominis auerſi à Deo, & terrenis rebus intenti, à ſolo arbitrio Dei pendet, & nullo modo ab arbitrio libero hominis vocandi.

Vocatio à ſolo vocante pendet arbitrio.

2. Rurſus vocationi reſpondere, & conſentire, poſitum eſt in libero arbitrio eius, qui vocatur: ergo liber conſenſus eſt non à ſola gratia operante, ſed à gratia cooperante cum noſtro libero arbitrio. Vtriuſque argumenti fundamentum habemus Iſaiæ 50. *Erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam, quaſi magiſtrum. Dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico.* Vbi Chriſtus Dominus, in quantum homo, ſuam ſibique liberam operationem, agnoſcit, eſſe obedientiam docenti exhibitam; ſed poteſtatem audiendi, atque doctrinam cui obedit, ſolius Dei eſſe profitetur. Hæc autem poteſtas & doctrina eſt vocatio; idémque licebit de quolibet Chriſti membro ſentire.

3. Confirmatur primò: nam Matth. 22. & Lucæ 14 ad nuptias vocati ſunt multi, in quorum poteſtate non fuit, vocari, aut non vocari; ſed in eorum poteſtate fuit, contemnere, aut obedire vocanti. Quam rationem dignis momentis ponderat Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 68. colum. 3. peculiariter ad rem præſentem notanda ſunt illa verba: *Etſi quis ſibi tribuit, quòd venit vocatus; non ſibi poteſt tribuere, quòd vocatus eſt.*

4. Confirmatur ſecundò, quoniam vocationem non pendere à libero arbitrio eorum, qui vocantur; ſed ex ſolius vocantis libertate, ſignificauit Paulus Epheſ. 1. dicens, *nos ſorte vocatos eſſe*, vt ponderauimus diſp. 28. ſect. 7. à num. 5.

5. In eandem veritatem conſpirant teſtimonia Patrum, & Auguſtinus quidē lib. de ſpiritu & litera cap. 34. ait: *Quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat; neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat; profectò ipſum velle credere, Deus operatur in homine; & in omnibus miſericordia eius præuenit nos. Conſentire autem vocationi, vel diſſentire propria voluntatis eſt.* vbi apertè ſupponit vocari non eſſe propriæ voluntatis.

6. Idem Doctor lib. 1. ad Simplicianum q. 2. inquit: *Vt velimus ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum conſequendo.* Ergo vocatio eſt ſolius Dei; alioqui non eſſet magis propria Dei, quàm ipſum ſequi: quod tamen ita noſtrum eſt, vt magis ſit Dei. Vnde in eadem quæſt. 2. propè med. ait: *Quia non præcedit voluntas bona vocationem; ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus; nobis verò tribui non poteſt, quod vocamur.*

7. Et lib. de prædeſtin. & gratia cap. 9. ſic loquitur: *Ita inter ſe, atque homines Deus, tempora, officiáque diſtribuens ordinauit, vt vocatione ipſius bonorum principia ſumeremus: vocati autem atque illuminati, vias mandatorum eius boni ingenij intelligentia noſceremus; & eas libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.*

8. Hieronymus Iſaiæ 49. colum. 2. ait: *Dei enim vocare eſt, & noſtrum credere. Nec ſtatim, ſi nos non credimus, impoſſibilis Deus eſt; ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio dereliquit, vt iuſtè voluntas præmium conſequatur.* Cùm autem aliàs Hieronymus, præſertim in epiſtol. ad Creſiphontem & tribus dialogis contra Pelagianos expreſsè doceat indigentiam diuini auxilij, adiuuantis ad omnia opera, conſtat, apud illum credere ita eſſe noſtrum, vt etiam ſit Dei, ac proinde vocare ita eſſe Dei, vt non ſit noſtrum. Eandem ſententiam repetit Hieronymus Galat. 4. ad illa verba: *Perſuaſio veſtra non eſt ex eo, qui vocauit vos*, dicens: *Dei eſt vocare, hominum credere, vel non credere.* Dixerat autem huius rationem paulo antea. *Quia in arbitrio poſitum eſt obedire, vel non obedire.*

Hoc idem Chryſoſtomus 1. Corinth. 1. homil. 2. ad illa verba: *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis.* obſeruat, dicens: *Vocati eſtis, inquit Paulus, non ipſi ſponte veſtra veniſtis.* & in homil. 4. de laudibus Pauli colum. 2. ait: *Tu vero, hæc audiens, noli vocationem illam neceſſitatem putare; non enim cogit Deus homines vocando, ſed poſt vocationem quoque permittit, eos propriarum eſſe Dominos voluntatum.* Vtrumque igitur ſtatum & munus gratiæ notauit Chryſoſtomus, & vocandi independenter à noſtra libertate, & poſt vocationem ita ſuuandi, vt permittat libertatis vſum. 9.

Damaſcenus 2. de fide cap. 30. propè initium ait: *Sine Dei cooperatione & auxilio impoſſibile eſt, nos bonum velle, aut agere: at in nobis eſt, ſequi Deum nos vocantem ad virtutem, aut deſerere virtutem.* Vides, Dei cooperationem deſtinari ad volitionem liberam & actionem, ſuppoſita tamen priori vocatione, quam ſequatur voluntas noſtra. 10.

Theophylactus Matth. 22. ad illa verba: *Multi ſunt vocati; pauci verò electi*, ait: *Dei eſt vocare, electos autem fieri, vel non noſtrum.* Electos autem dicit perinde, ac ſi diceret bonos, & qui digni ſunt, vt eligantur; quod explicuimus ſupra diſputatione 28. ſectione 6. num. 11. & ſequentibus. 11.

OEcumenius 1. Corinth. 1. ad illa verba: *Per quem vocati eſtis*, ait: *Neque enim à vobis ipſis veniſtis; ſed gratia vocati eſtis.* 12.

Bernardus in ſermon. de conuerſ. ad Clericos cap. 2. de interiori voce Dei, vocantis ad pœnitentiam, ſic loquitur: *Neque ſane laborandum eſt, vt ad vocis huius præueniamus auditum. Labor eſt potius, aures obturare ne audias. Nimirum, vox ipſa ſe offert, ipſa ſe ingerit.* Ergo non à noſtro libero conatu dependet; ſed à ſola Dei libertate. & poſt pauca Bernardus ſubdit: *Hoc ſemper initium loquendi Domino, & hoc verbum ad omnes, qui conuertuntur, præceſſiſſe videtur; & non modò reuocans eos, ſed reducens, & ſtatuens contra faciem ſuam.* (& prope finem capitis,) *vt anima eadem ſit inſpiciens, & inſpecta: contra ſuam faciem à violentis quibuſdam apparitoribus immiſſarum vtique cogitationum coacta, propriis interim iudicanda, aſſiſtere tribunali.* Perpende primò initium, & præuenientem vocationem. Secundò violentiam cogitationum tanquam apparitorum, quas quamuis coneris, non poſſis à te repellere. Non igitur hæc vocatio noſtro libero conatu indiget, vt ſit; ſed tantùm vt fructuoſa ſit. 13.

Confirmatur denique ex Tridentino ſeſſ. 6. c. 5. & can. 4. vbi decernit in poteſtate liberi arbitrij eſſe aſſentiri, & recipere vocationem, ſeu gratiam excitantem, vel illam abiiciendo diſſentire; nunquam verò dicit, eſſe in poteſtate hominis vt vocetur, vel vt excitetur gratia; ſed potiùs ſemper ſupponit, vocationem & gratiam excitare ante 14.

exercitium

Digitized by Google

exercitium libertatis circa iuſtificationem, & meritum.

15. *Reprehenditur nullus, quia non vocatur.* Secundum argumentum. In ſacris Litteris nullus vnquam reprehenditur, quia non vocatur; reprehenduntur autem, qui vocationi reſiſtunt; vt Prouerb. 1. *Vocaui, & renuiſtis.* Hieremiæ 17. *Vocaui vos, & non reſpondiſtis mihi.* Pſalm. 80. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi.* Similes increpationes legimus Iſaiæ cap. 65. verſ. 12. & cap. 66. verſ. 4. & Hieremiæ 7. verſ. 14. & Pſalm. 94. & Hebr. 4. ab initio, & alibi ſæpe. Ex quibus colligo, vocationem non eſſe in noſtra poteſtate; ſed reſpondere vocationi, poſitum eſſe in noſtra poteſtate.

16. Confirmatur primò, quoniam phraſis ſacræ Scripturæ nomine *vocationis* non ſolùm externam prædicationem, ſed ſimul ac præcipuè internam inſpirationem comprehendit.

Confirmatur ſecundò, quoniam in vtroque Teſtamento, præſertim in nouo, quoties actiuum principium vocationis exprimitur, ponitur Deus, nunquam verò noſtrum arbitrium. Sed quando de fructu vocationis agitur, ſæpe humanum arbitriũ admonetur, aut laudatur, quaſi principium illius ſimul cum Deo. Sicut Epheſ. 4. *Vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.* 1. Petri 1. *Certam veſtram vocationem faciatis.* Alia exempla plurima reperies in ſacris Litteris.

17. *4. Ratio.* Argumentum tertium, quoniam diuina vocatio, & illa, quam ſemper includit, exhortatio, inuitatio, & excitatio, eſt præcipuum medium, quo Deus à noſtro libero arbitrio, ſuauiter & efficaciter obtinet, vt velimus, & liberè conſentiamus fidei, & legi diuinæ. Ergo vocatio non eſt liber conſenſus, ſed aliquis actus prior omni conſenſu libero. Probatur conſequentia, quia quodcunque ſit illud genus cauſæ, & quicunque ſit ille modus concurrendi, quo vocatio eſt cauſa noſtri conſenſus liberi (de quo infrà diſp. 36. ſect. 5.) illud tamen certum eſſe debet, quòd in eo genere erit vocatio prior reali prioritate naturæ; in quo cauſat conſenſum liberum. Quare ipſa vocatio non poterit eſſe libera. Antecedens probari potuiſſet quamplurimis teſtimoniis ſanctorum Patrum, præſertim Auguſtini, quando agit de vocatione ſecundùm propoſitum, congrua, opportuna, & quæ ſine pœnitentia eſt. Hæc tamen prætermittimus, quoniam ſæpe aliàs occurrent nobis proferenda tomo ſequenti, & multa retulimus ſuprà diſp. 6. ſect. 4.

18. Nunc ſufficiat vnum aut alterum teſtimonium Auguſtini, qui in lib. de prædeſt. Sanct. capite 19. circa medium ait: *Neque quia credimus, ſed vt credamus, vocamur; atque illa vocatione, quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur, & peragitur, vt credamus.* (& in fine eiuſdem capitis:) *Deus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa ſecundùm propoſitum ſuum, vt non inaniter audiant Euangelium; ſed eo audito conuertantur.* & epiſt. 107. col. 2. docet: *Deum vocatione alta, atque ſecreta ſic hominis agere ſenſum, vt legi atque doctrinæ accommodet aſſenſum.*

SECTIO V.

Eadem differentia quidditatiua operantis gratiæ, atque cooperantis, probatur conglobatis plurimis Scripturæ teſtimoniis.

1. EOrum verba ſigillatim referre, & notare libros & capita, faſtidioſum erit, cùm eorum ſæpe fecerimus mentionem. Cæterùm ponderare vim rationis, quæ ex illis teſtimoniis deducitur prædicta differentia, eſt proprium diſp. præſentis. Vis ergo rationis conſiſtit in obſeruando duplici verborum genere, quæ valdè frequenter copulantur ſub eadem clauſula; & tamen proprietatem habent valdè diuerſam. Alia namque verba ſignificant actionem à ſolo Deo prouenire, prorſus independenter à noſtro libero concurſu. Alia verò ſignificant actionem prouenire à noſtra libera voluntate, ſuppoſita diuina gratia. *Duplex verborum genus.*

In primo genere verborum ſunt trahere, reuelare, aperire oſtium, vel ſenſum, quæ omnia fiunt à ſolo Deo, independenter à noſtra libertate; ſed eiſdem verbis ſubiunguntur alia, vt venire, currere, credere, cognoſcere, quæ à noſtra libertate dependent. Horum teſtimonia expendimus ſuprà diſp. 19. ſect. 2. 2.

Secundò ſic etiam peculiariter poteſtas faciendi aliquid, & ferendi fructus, atque influxus virtutis ſolius Dei eſt, independens à noſtro libero concurſu: at verò fructum ferre, & facere aliquid vtile ad ſalutem per influxum virtutis, eſt etiam noſtræ liberè cooperationis, quæ ſcripſimus ſuprà diſp. 18. ſect. 1.

Tertiò nullo modo pendet à noſtra libertate gratia, quæ non eſt ex nobis, nec ex operibus, de qua fusè in eadem diſp. 18. ſect. 2. Item miſericordia præueniens, anticipans, & præoccupans, & quæ prior datur, & nullo modo retribuitur, & quæ eſt executio electionis hominum, antequam homines Deum eligant, & operatur opera noſtra, & agit nos ad illa, de quibus diximus in eadem diſp. 18. ſect. 4. Quibus verbis plerunque ſubiungitur non in vacuum recipere gratiam, ſed cooperari cum Deo, ſubſequi gratiam, & eligere; ac decernere, ſeruire Deo, & exhibere Deo dona, & merita. quæ omnia dependent à noſtra libera cooperatione. 3.

Quartò à noſtra libertate non pendet gratia, qua Deus illuſtrat, illuminatur, ſcribit legem in cordibus noſtris, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, & nouum, immutat, inclinat, tangit, aperit, vel dirigit corda. Quibus verbis ſubiunguntur, reſpondere, audire, videre, conſentire, obedire, & implere legem, reſipiſcere, pœnitere de peccatis, conuerti ad Deum, vel alia idem ſignificantia, de quibus abundè diximus diſp. 18. ſect. 5. 4.

Quintò ab hominis libertate non pendet creare, generare ex diuino ſemine, reſuſcitare, viuificare, liberare; ſunt quippe ſolius Dei actiones, quantum ad ſui initia. Quibus ſubiungitur, bene viuere, hoc eſt, vitales, & liberas actiones bonas exercere, atque vti accepta poteſtate, filios Dei fieri. de illis verbis diximus in eadem diſput. 18. ſect. 6. 5.

Sextò. Independens eſt à libertate hominum, Deum illis apparere, ſed inueniendum offerre, quærere oues, in illos fortem cadere, ſiue Spiritum, aut metum recidiſſe, aut accepiſſe homines. Quibus ſubiunguntur credere, & laudare, ſeu glorificare Deum. de his in eadem diſputat. 18. ſect. 7. 6.

Septimò. Illud, quo homines diſcernit ab hominibus, & quod à ſolo Deo petendum eſt, & ſperandum, eſt munus ſolius Dei, independens à noſtra libertate, in eadem diſputatione 18. ſect. 8. & 9. Quibus verbis ſubiungitur plerunque exhortatio, vt nos emendemus, vt reddamus vas in 7.

honorem, vtque tranſeamus à grege impiorum ad Sanctorum conſortium.

8. Eadem differentia gratiæ operantis, & cooperantis probatur ab exemplari totius gratiæ, quoniam Chriſti Domini humanitate neceſſarium fuit, præcedere gratiam quæ prorſus independenter ab eius libera voluntate donaretur; deinde verò gratiam, ſubſequi, cui libera voluntas eiuſdem humanitatis cooperaretur. de cuius argumenti robore diximus in eadem diſp. 18. ſect. 10.

9. Viſibile tandem exemplar hominibus præbuit Spiritus ſanctus in ipſo naſcentis Eccleſiæ principio, quando non pendebat à libera electione Apoſtolorum, & multo minus à libera electione

Act. 2. infidelium, qui tunc aderant in Hieruſalem: *Vt factus repentè de cœlo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, repleret totam domum, vbi erant ſedentes, & apparerent illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum, omneſque replerentur Spiritu ſancto.* Cæterùm ab Apoſtolorum libera electione pendebat vt vel tacerent, vel loquerentur varijs linguis, *prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Inſuper ex infidelium libertate pendebat, vt facta hac voce, conueniret multitudo, & audiret, & crederet.

SECTIO VI.

Idem probatur ex Patribus, qui communiter tradunt, initia boni operis eſſe ſolius Dei, & gratiæ operantis; ſed poſtea liberè volentibus cooperari.

1. AVguſtinus de gratia & libero arbitrio c. 17. aliquantulum à principio dicit: *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incepit; quia ipſe, vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Vides, apud Auguſtinum Dei cooperationem, in eo poſitam, quòd adiuuet liberam volitionem; operationem verò Dei, hoc eſt, gratiam operantem eſſe priorem libera volitione & deſtinatam, ad excitandam liberam volitionem?

2. Quod idem colligitur apertè ex Auguſtino lib. 1. retractat. cap. 26. prope finem, vbi ait: *Eſt miſericordia Dei, ipſam præueniens voluntatem; quæ ſi non eſſet, non præpararetur voluntas à Domino, vt ad eandem miſericordiam pertinet ipſa vocatio, quæ etiam fidem præuenit.* Quòd ſi huiuſmodi miſericordia præuenit voluntatem, eo ipſo præuenit quemcunque liberum conſenſum, qui eſſentialiter eſt voluntatis actus.

3. Hieronymus lib. 3. aduerſus Pelagianos prope med. ait: *Vbi autem miſericordia & gratia eſt, liberum ex parte ceſſat arbitrium, quod in eo tantum eſt, vt velimus, atque cupiamus & placitis tribuamus aſſenſum.* Ex parte igitur ceſſat arbitrium, quantum ad gratiam præuenientem, quam nobis tribui, vel non tribui, non eſt in noſtra poteſtate: at verò vt illi tribuamus aſſenſum per liberam volitionem, in noſtra poteſtate eſt.

4. Proſper in epiſt. ad Demetriadem propius ad medium, quàm ad finem ait: *Operante Spiritu Dei innouatur arbitrium, non aufertur; & hoc agit gratia, vt voluntas per opem miſerantis medici, curata reualeſcat, & gaudeat ſe, non interrogantem, edoctam, & non quærentem, eſſe quæſitam.* Hic iam apertè notauit operantem gratiam, quæ omninò præuenit noſtram voluntatem, vt poſtea gaudeat de ſanitate & doctrina, à ſe inuenta, priuſquam quæreret; ſed liberam noſtræ voluntatis cooperationem, quam reſpicit eadem gratia, in quantum cooperans eſt, ſubiunxit poſt pauca dicens: *Cooperatores noſ eſſe oportet, gratiæ Dei; vt illam excitantem, innouantem, locupletantem, & quotidie prouehentem, vigilanter, & ſobriè ſubſequamur.*

Fulgentius de Incarn. & gratia Ieſu Chriſti 5.
cap. 17 poſt med. ait: *Non dicat, meum eſſe velle, credere, Dei autem gratia eſt adiuuare; ſed dicat, gratiæ Dei eſt, adiuuare, vt ſit meum, velle credere. Tunc enim verè rectè ait: Eius hoc velle* (ſupple eſſe) *cum eum gratia præueniens cœperit adiuuare.* ergo præueniens gratia non eſt noſtra, ac proinde nec libera nobis; ſed conſenſus poſt illam ſequutus eſt liber, cùm noſter ſit, ac proinde illius habeamus dominium. Conſonat Petrus Diaconus libro de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 6. 7. & 8.

Clariſſimum teſtimonium Bernardus præbuit 6.
tractatu de gratia, & libero arbitrio, columna penultima, dicens: *Ipſa gratia liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum; ſanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; ſeruat, ne ſentiat defectum; ſic tamen iſta cum libero cooperatur arbitrio, vt tamen illud in primo præueniat, in cæteris comitetur; ad hoc præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur.* (& priùs dixerat:) *Deus tria hæc, hoc eſt, cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis: primum profectò ſine nobis, ſecundum nobiſcum, tertium per nos.* Ecce cogitatio à Deo immiſſa eſt ſemen, & initium præueniens liberum arbitrium, & illud excitans ad iuſtificationem; & rurſus eadem cogitatio fit à Deo in nobis ſine nobis; ſed libera voluntas fit à Deo, cooperante nobiſcum.

Confirmatur, quia Bernardus eadem columna penultima ait, prædictam cogitationem non eſſe meritoriam, quod non alia ratione potuit euenire, niſi defectu libertatis; cùm alioqui ſit ſupernaturalis, ac proinde ſufficientis dignitatis, vt ſaltem de congruo mereretur.

Hugo Victorinus lib. 9. in cap. 9. Dionyſij de 7.
cœleſti hierarchia (qui habetur tomo 1. Hugonis ad finem) poſt med. lib. ſic loquitur: *Sicut in noſtra poteſtate non eſt, vt diuinæ illuminationis donum nobis offeratur; ita non niſi in noſtra poteſtate, vt oblatum ſuſcipiatur. Nam aliquando cum nolumus offeratur; ſed non ſuſcipitur niſi cum volumus, & cùm volumus quidem à Deo volumus, quia donum Dei eſt voluntas bona, cùm autem volumus, à nobis volumus,* &c. Quod fuſiùs confirmat, & colligit ex illis verbis Dionyſij: *Illa quidem non reuelamur per propriam poteſtatem prouidentium,* &c.

Baſilius in regulis breuioribus interrogat. 16. 8.
ſic quæſtionem proponit: *Quid eſt, quod animus nonnunquam etiam nullo à ſe adhibito ſtudio, ſua ſponte ferè, tanquam ſi ei dolor aliquis incidiſſet, compungitur, interdum autem adeò languidus eſt, vt cum maximè conetur, compungi non poſſit?* & reſpondet: *Enimuerò talis compunctio eſt donum Dei, vel ad ſtimulandum mentis noſtræ deſiderium, vt, videlicet, animus guſtata dulcedine huiuſmodi doloris, eum perpetuò ſtudeat retinere.* Nota primò, *Donum ad ſtimulandum,* &c. Eſt ergo gratia excitans. Secundò idem donum, quàm extra noſtram liberam poteſtatem ſit, oſtenditur ſatis illo exemplo: *Tanquam ſi dolor aliquis incidiſſet,* videlicet, corpori, & plura alia, quæ prætermitto, ſcribit ibidem Baſilius, vt oſtendat, non eſſe in noſtra poteſtate abſque diuino auxilio. Tertiò cooperationem eſſe liberam, & poſſe à nobis adhiberi, vel negligi, oſtendunt poſtrema verba: *Vt guſtata dulcedine, eum perpetuò ſtudeat retinere.*

Clemens

Digitized by Google

9. Clemens Alexandrinus lib.1.Pædag.cap.3.initio ſub amatorij poculi metaphora declarat, quã efficax, & quàm independens à noſtra libera voluntate propinetur, & inſtinctus prouocet charitatis initium, & incitamentum; dicens: *Intus eſt in homine id amatorium, quod Dei inſpiratio, ſeu inſufflatio dicitur.*

10. Et lib.5.Strom.pag.2 ait: *Nec vniuerſum poſitum eſt in noſtra voluntate, quæ ſit, quod eſt euenturum; gratia enim ſeruamur, ſed non abſque bonis operibus: ſed oportet cùm natura apti ſimus ad bonum, ad id aliquod adhibere ſtudium. Oportet quoque mentem habere ſanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia à boni veneratione, ad quod quidem maximè diuina opus habemus gratia, rectaque doctrina, & munda animi affectione, & Patris ad ipſum attractione.* In quo teſtimonio diſtinguere debes omnia, quæ propria ſunt gratiæ operantis: cuiuſmodi eſt *mentis ſanitas, attractio, doctrina.* Ad hæc namque refertur, quod dicitur, non eſſe poſitum in noſtra voluntate: deinde omnia, quæ denotant liberam cooperationem, cuiuſmodi ſunt bona opera, & ſtudium. Quod clariùs, notauerat verbis proximè præcedentibus, dicens: *Non omnes aſſequuntur boni perfectionem, nam neque fieri poteſt, vt ſine libero animi noſtri arbitrio, & ſtudio conſequantur.*

11. Clarius autem lib.7.Stroma.non procul à medio ait: *Deus præbet æternam ſalutem ijs, qui opem illi ferunt, & tamen cooperantur ad cognitionem, & bonas actiones. Cùm autem ſingula eorum, quæ facimus, in noſtra ſint poteſtate ea, quæ præcepta impetrans, perficitur promiſſio.*

12. Ennodius Ticinenſis, ſcribens de libero arbitrio, cuius verba refert Turrianus libro 4. pro epiſt.Pontific.c.1.prope finem ait: *Auctore gratia præſtante, ipſe æquitatis hominibus callis aperitur; dux enim eſt bonorum, & præceſſor eſt gratia, quando cœleſti multiplici ad requiem incitamur hortatu, quando nobis dicitur: Venite filij, audite me. Sed niſi talibus monitis voluntas noſtra, quæ libera eſt, & labor præſtet obſequium, &c.* (& poſt pauca:) *Debemus gratiæ quòd vocamur; debemus gratiæ, quòd occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur. Noſtra tamen electionis eſt, quod beneficio demonſtrata ſectamur.*

13. Liber de Eccleſiaſticis dogmatibus inter opera Auguſtini cap.21. ſic habet: *Manet ad quærendam ſalutem arbitrij libertas; ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur: & initium ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus; vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi; noſtræ poteſtatis eſt.*

14. Philo Carpathiorum Epiſcopus lib.in Cantica ad illa verba: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata,* tomo 1. Bibliothecæ ait: *Trahamur oportet, præueniamur à gratia, eâque ſemper adiuuemur. Id ipſum fieremus vtique; ſed collaboremus omnino neceſſe eſt, ne in illud incidamus, quod de negligentibus & peruicacibus dicitur: Ex te perditio tua Iſrael. Duo igitur ad ſalutem ſunt nobis maximè neceſſaria, quorũ vnum ſupra nos, alterum nobi. ineſt ex munificentia conditoris; diuina gratia ſcilicet nos præueniens, & liberum de voluntate iudicium. Gratia alliciendo incipit, admiſſa conſequitur, bene vtentia, ac tota perficit.*

15. Andreas Epiſcopus Cæſareæ in Apocalypſim ſerm.7. ſuo c.19. ad illa verba: *Quouſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum, ait: Spiritus ſignaculi, quod homini contra tentationes datur, eatenus vim ſuam oſtendit, quatenus ipſi collaboramus. Qui igitur antè ea hoc deſtituuntur, ideo deſtituuntur, quia vnà cum ipſo manum operi adhibere non volunt.* Signaculum, ſeu ſigillum Dei eſſe gratiam, plurimi Patres colligunt non ſolùm ex prædictis verbis Apocalypſ. ſed etiam ex 2.Corinth.1. *Qui vnxit nos Deus, qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* & Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem Redemptionis.* quod probamus ex profeſſo in lib. de quidditate gratiæ. diſputatione 1. ſectione 5. Quo ſuppoſito pondera ſignaculum contra tentationes dari non pendere ea eo, quò nos ipſi laboremos, & manum operi admoueamus. Cæterùm idem ſignaculum vim ſuam oſtendere nequit, proferendo fructus bonorum operum; niſi quatenus ipſi collaboramus, & vnà cum ipſo manum operi adhibere volumus.

Simili ducto à magnete eandem veritatem attigit Theophylactus Ioan. 6. ad illa verba: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum,* dicens: *Sicut magnes non ad omnia, ad quæ propiùs applicatur, ſed ſolùm ferrum attrahit; ita & Deus ad omnes quidem appropiat; eos autem qui magis idonei, & familiaritatem erga ipſum præ ſe ferunt, trahit.* Itaque Deum appropiare nobis præcedit noſtram diſpoſitionem liberam. Sed trahi, & venire ad Chriſtum, fit dependenter à noſtra libertate. 16.

Arnobius in Pſalm. 17. circa med. poſtquam retulit verba Chriſti Domini: *Omnis qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* ſubdit: *Hæc porta, quam pulſatis, non eſt hominis libertati conceſſa, ſed eſt in Domini auxilio conſtituta.* & Pſal. 146. poſt med. commentarij oſtendit, gratiam Dei eſſe, quæ antecedit hominum voluntates; & eam eſſe independentem à libera voluntate hominis; imò plerumque contra illam, & ſubdit: *Non vtique rogantibus nobis omnibus nobis medicus ſuperuenit, oſtium aperuit, & quaſi præco clamans, dixit: Venite ad me omnes.* 17.

Peculiariter autem gratiæ cooperantis proprium munus eſſe cum libero arbitrio concurrere, & cooperari ad liberas actiones, docet Proſper 2.de vocat. Gentium cap.12 dicens: *Vt, quod non poteſt, niſi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Chryſoſt.2.ad Timoth.1.homil. 2.col.2.ait: *Qui enim nos, cùm perditi, inimicique eſſemus, ſaluos per gratiam fecit; multo magis, cùm operantes viderit, cooperator accedit.* 18.

Beda lib.variarum quæſt q.13.fine tomo 8.columna 207.ait: *Ita Deus nobis bona ſua promittit, vt tamen labore noſtro adquirantur; quòd ſi voluerimus ad laborem in omnibus, quæ benè agemus, nobis cooperabitur.* Ecce cooperatio Dei parata expectat eam conditionem, ſi voluerimus, & agemus bene, vt nobis cooperantibus cooperetur etiam Deus. 19.

SECTIO VII.

Poſtrema eiuſdem veritatis confirmatio, ex communi ſuffragio Scholaſticorum.

ANtiquiores Scholaſtici quamuis approbent illam acceptionem gratiæ operantis, & cooperantis, quæ refertur ad habitum gratiæ, & omnium virtutum infuſarum, de qua dicemus diſp.35. nihilominus ſimul agnoſcunt eam acceptionem gratiæ, actualis, operantis, & cooperantis, quam ſect.1.explicuimus, & præcedentibus ſectionibus probauimus. Sed quoniam nec eiſdem vtuntur loquendi formulis, nec totum ſimul quod ad rem præſentem pertinet, dicuntur: ſed 1.

ex

ea variis eorum ſententiis inter ſe collatis non ſine difficultate colligimus eorum mentem: non ſatisfaciemus rei dignitati, ſi nuda Scholaſticorum loca citemus, ſed opus erit oſtendere, qua ratione hanc ſingulis ſententiam tribuamus, præſertim cùm non defuerit hoc tempore, qui contrarium perſuadere tentauerit, vt videbimus ſect. 9. Primò S. Thomas ratione confirmat 1. 2. quæſt. 111. a. 2. corp. cuius verba ſunt. *Operatio alicuius effectus non attribuitur mobili, ſed mouenti: in illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non mouens; ſolus autem Deus mouens, operatio Deo attribuitur, & ſecundùm hoc dicitur gratia operans: in illo autem effectu, in quo mens noſtra mouet, & mouetur, operatio non ſolùm attribuitur Deo, ſed etiam animæ, & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans.* Et tamen ex ſequenti contextu eiuſdem articuli, quàm ex prædictis verbis colligitur huiuſmodi operationem, qua parte eſt gratia operans non eſſe liberam. Nam quælibet operatio libera non ſoli Deo, ſed etiam nobis imputatur, & tribuitur, quamuis Deo principaliter tribuatur, ſi bona ſit. Fateor in contrarium S. Thomæ aliquam occaſionem dari colligendi diuerſam quidditatem gratiæ operantis, & cooperantis, ſed illi ſatisfaciemus diſp. ſeq. ſect. 3.

2. Magiſter 2. diſt. 26. §. *Cæterùm.* & §. *Illa autem,* concedit, eſſe quaſdã actuales gratias præuenientes; inter quas prima eſt cogitatio, ſeu cognitio honeſtatis, & vtilitatis diuinarum iuſtificationum. Secunda eſt, concupiſcentia, qua optamus, deſiderare iuſtificationes, iuxta illud Pſalm. 118. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas.* Confirmatque verbis D. Auguſt. in expoſit. illius Pſalmi, & lib. de prædeſt. Sanct. cap. 2. Porrò in diſt. 27. §. *Si igitur.* Magiſter probat nullum actum liberum eſſe gratiam operantem, quia non fit à ſolo Deo. Quare ſupponit prædictas cogitationes, & motus voluntatis, quæ ſunt gratia præueniens, ſeu operans, non eſſe liberos.

3. Sed multò clariùs in eadem diſt. 27. §. *Idem nempe,* ait: *Illa gratia præueniens, quæ & virtus eſt, & non vſus liberi arbitrij eſt, ſed ex ea potiùs eſt bonus vſus liberi arbitrij, quæ nobis eſt à Deo, non à nobis. Vſus verò bonus arbitrij, & ex Deo eſt, & ex nobis, ideo bonum meritum eſt: ibi, non ſolus Deus operatur, ſic & Deus & homo.* & confirmat ex 1. Corinth. 15: *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Secundùm expoſitionem S. Auguſt. in lib. de gratia, & lib. arbitrio cap. 5. & 6. (de quo diximus ſatis ſect. 1.) Magiſter ibi apertè docet, gratiam cooperantem eſſe, quæ ad liberum conſenſum concurrit.

4. Adhuc clariùs alij Scholaſtici tradunt, gratiam excitantem & præuenientem, ſeu operantem eſſe cogitationem bonam, à Deo immiſſam ſine noſtræ voluntatis conſenſu; cæterùm conſentire, & acquieſcere eſſe liberi arbitrij, ad idque concurrere gratiam ſubſequentem, ſiue cooperantem, ita Alexand. 3. parte quæſtione 69. membro 3. articulo 3. & 4.

5. Eadem propè ſententia eſt Alberti Magni 2. p. q. 18 ad finem, & q. 101. memb. 1.

6. Sanctus Bonauentura in 2. diſt. 26. quæſtione vltima corp. poſt medium ait: *Gratia operans liberum arbitrium præuenit, & mouet, quia Deus illam infundendo voluntatem hominis ſanat, & præparat. Gratia verò cooperans ſiue ſubſequens liberum arbitrium, dicitur mouere; quia voluntas tali dono gratiæ informata, mouet ſeipſam.* Quòd autem hoc genus mouendi ſe ipſum, ſit cum poteſtate & dominio indifferenti ad vtramque partem contradictionis, explicuerat in diſt. 25. ad quam remittit ibi lectorem. His ſimilia, & conſequentia ſcribit in 2. diſt. 27. dub. 1. circa lit. & diſt. 28. art. 2. quæſt. 1. corp. & ad 1.

7. Ægidius 2. diſt. 26. quæſt. 2. art. 3. corpore circa med. & in proximo dubio laterali fuſiùs explicat, impetus voluntatis, à Deo immiſſos tranſeuntes, eſſe volitiones imperfectas priores motu liberi arbitrij, & eſſe gratiam operantem, & excitantem, Idemque diſt. 28. q. 1. art. 3. §. *Viſa conuenientia.*

8. Durandus 2. diſt. 26. quæſt. 3. non ſolùm ſententiam, ſed etiam verba eadem ſcribit, quæ in principio retulimus ex D. Thoma.

9. Ricardus 2. diſt. 28. art. 1. quæſt. 2. *in, ſed contra,* & in fine corporis, clariùs docet præuenientem gratiam eſſe bonas cogitationes, affectiones, & operationes, à Deo ſeminatas in noſtro libero arbitrio, & noſtri arbitrij operationem ſubſequi. Quapropter ſupponit illas non eſſe liberas. Rurſus cooperantem eſſe gratiam, propter cum libero arbitrio concurrit ad opera meritoria, docet in diſt. 16. art. 2. q. 5. & 6.

10. Dionyſ. Carthuſ. in 2. diſt. 26. quæſt. 4. & 5. eandem doctrinam ſequitur, quam nuper ex S. Bonauent. in eadem diſt. retulimus: & apud Carthuſianum dicta quæſt. 5. idem tenet Vdalricus in ſumma lib. 2.

11. Ciſtercienſis Dionyſ. in 2. diſtinct. 27. quæſt. vnica art. 2. concl. 3. ait: *Deus præuenit voluntatem ad actum bonum, ſe ſolo mouendo intellectum, & etiam ſe ſolo mouendo voluntatem tali motione, ſine quali voluntas non coefficeret illum actum bonum.* & concl. 4. ait: *Deus præuenit voluntatem ſe ſolo mouendo ipſam, vt gratiam recipiat, quam infundit.* Quod recipere intelligit per actum liberum voluntatis ſe diſponendo, vt ex ſequenti contextu conſtat.

12. Gregorius Ariminenſis idem ſenſit, quod ex Capreolo continuò referemus.

13. Capreolus & Deza, quamuis nullibi ex profeſſo diſputent de quidditate, & diſcrimine gratiæ operantis, & cooperantis; nihilominus de ſpeciali motione Dei, quæ requiritur ad inchoanda ſupernaturalia opera, & de cooperatione Dei cum noſtro libero arbitrio, frequenter mentionem faciunt diſt. 24. & ſequentibus, præſertim verò diſtinct. 28. & 29. in quibus duo puncta peculiariter notanda ſunt.

14. Primum eſt, prædictam motionem ſpecialem Dei fieri à Deo in noſtra voluntate ſine noſtræ voluntatis concurſu, & deſtinari ad hoc, vt fiat nos liberè velle, & cooperari. Quo ſuppoſito Deus ſimul cum noſtra libera voluntate cooperatur. Hæc fusè cum Gregorio Ariminenſi docet Capreolus in 2. diſt. 28. quæſt. vnica art. 3. prope med §. *ad 12. dicit Gregorius.* Idem Deza in eadem diſtinctione, & quæſt. 4. art. 4. ad 12. Gregorij contra ſecundam concluſionem, cui conſonant ſequentia.

15. Secundum punctum eſt, huiuſmodi motionem pertinere ad illuſtrationes, ſeu cognitiones Intellectus, & ad motus voluntatis ad bonum. Hæc docet Capreolus in 2. diſt. 28. quæſt. vnica art. 1. concl. 5. dicens, eſſe auxilium Dei mouentis, ſeu inſpirantis bonum propoſitum, & in eadem quæſtione, art. 3. prope initium docet eſſe illuſtrationem, qua Deus mouet ad cogitandum, & cognoſcendum quod pertinet ad ſalutem. & diſtinct. 29. art. 1. concluſ. 4. prope initium docet, hominem indigere auxilio Dei ſicut primo mouente, quatenus inſpirat primum actum, ſine quo non poteſt

incipere

Digitized by Google

incipere humana deliberatio, & qui præcedit omnem deliberationem, ac proinde etiam libertatem, & toto ſequenti contextu eiuſdem concluſionis quartæ oſtendit ad primam gratiam, quæ præbet iuſtificationis initium pertinere, voluntatem hominis mouere, vt velit bonum ſupernaturale, quod ex adductis teſtimonijs S. Thomæ confirmat in diſt. 29 art. 5. col. penult.

16. Quantum ad initium deliberandi, & primam motionem voluntatis ad bonum ſupernaturale, idem prorſus docet Deza in 2. diſt. 28. q. vnica a. 3. nota. 6. & in art. 4. ad argumenta Gregorij contra ſecundam concluſionem.

17. Conradi eadem eſt ſententia, ſiquidem exiſtimat præuenientem, ſeu operantem gratiam, prout eſt gratia actualis, & non habitualis, eſſe motionem Dei ſpecialem, qua Deus ſolus cauſat in noſtra voluntate inclinationem, & inductionem; per quam facit vt voluntas liberè cooperetur Deo, & partialiter concurrat, & ſimul cum Deo efficienter producat volitionem liberam. Cæterùm voluntas noſtra non cooperatur, nec concurrit cum Deo, vt faciat ſe velle prima volitione. ita Conradus 1. 2. quæſt. 109. art. 6. in ſectione 5. commentarij, §. vltimo. & art. 7. ad 1. & quæſt. 111. art. 2. §. *hic conſequenter*, & §. *ſed circa iſta*.

18. Sed quantum ad ſecundum punctum, videlicet, huiuſmodi motiones præuenientes pertinere ad primos actus intellectus, & voluntatis, qui præbent initium deliberandi circa res ſupernaturales, quamuis hoc non aſſerat expreſsè Cuntadus; tamen efficaciter colligitur ex illo in eadem quæſt. 109. art. 6. circa medium, & art. 2. concl. 5. fine, vbi ſemper de initio deliberationis circa noſtram iuſtificationem, ſumendo ex aliqua volitione, ad quam Deus moueat ſine noſtra libertate, philoſophatur, inhærendo generali doctrinæ de initio deliberandi, naturaliter ſumendo ex prima volitione boni in communi; de quo fuſiùs infrà diſputatione 42.

19. Caietanum etiam eſſe pro noſtra ſententia, ſi bene perpendantur eius verba 1. 2. quæſt. 113. art. 2. conſtabit diſp. ſequenti ſect. 1. initio, & ſectione 3. n. 4. & 10.

20. Marſilius eandem veritatem agnouit in ſecunda quæſtione 18. art. 1. concluſ. 4. & 5. nam apud illum, antequam liberum arbitrium cooperetur, gratia præueniens, & operans facit, nos valle, & ea continet inſpirationes interiores, & admonitiones ſpeciales, ſuggerentes bonum, terrores quoque, quibus Deus trahit, & allicit ſpeciali concurſu ſupra influentiam rationali naturæ debitam.

21. VValden. de Sacramentis cap. 50. num. 5. ait. *Prima vocantis gratia ex voluntate Dei donatur ante motum liberi arbitrij*. & addit, in poteſtate liberi arbitrij eſſe, excitationi applaudere, & cooperari. Inſuper gratiam operantem, & præuenientem nullam aliam, videtur, agnoſcere, niſi actualem vocationem, & excitationem ad orationem, & alia pia opera, quibus obtineamus gratiam.

22. Pleniùs, clariùſque noſtram concluſionem poſitam in ſect. 1. concl. 1. & 2. Scholaſtici, agnoſcentes, hãc eſſe, aut vnicam, aut primariam acceptionem gratiæ operantis, ſeu præuenientis, nec non gratiæ cooperantis, ſeu adiuuantis. ſecundùm vſum Scripturæ ſacræ, Auguſtini, & aliorum Patrum; & illius præcipuè habendam eſſe rationem ad exponendas controuerſias de gratiæ efficacitate. Ita Ruardus art. 7. pag. 15. & 16. & poſtea verſùs med. art. ante §. *tractantur circa*. Driedo de captiuitate & redemptione tract. 6. c. 2. part. 2. non longè poſt medium, & in fine totius libri de concordia gratiæ, & liberi arbitrij parte 2. capite 2. particula 2. fol. 7. §. *deinde quemadmodum*. Enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis ad Parochos ab Archiepiſcopo Colonienſi editum ſub tit. de ſacramento Pœnitentiæ, cap. *& vel hoc exemplo*, & multis ſequentibus à pag. 88 præſertim cap. *Gratia ergo præueniens*. Suarez lib. 3. de auxilijs cap. 4. num. 3. & cap. 5. Vaſquez 1. part. diſp. 88. & 52. diſput. 185. cap. 6. 7. & 8 Molina in concord. ad quæſt. 14. diſt. 43. Bellarminus lib. 6. de gratia cap. 15. ſeur. 6. Leſſius idem ſupponit toto cap. 10. & 11. ſed clariùs docet cap. 12. à principio. Vega lib. & in Trident. cap. 8. (licèt diſſentiat in eo quod dicemus diſp. 33.) Delphinus lib. 4. de libero arbitrio propius ad medium, quam ad finem, ſub tit. *Quo pacto Deus aliqua in nobis operetur ſine nobis*. pag. 166. breuiter Soto 1. de natura & gratia capite 16. inter medium & finem. communiter expoſitores S. Thomæ 1. 2. quæſt. 151. art. 2.

Philoſophus etiam concinit in lib. 2. magnorum moralium cap. 8. ſed præcipuè lib. 7. Ethicorum ad Eudemum propè finem, videlicet, cap. 18. vbi, vt in rebus quæ citra rationem fiunt, excitetur concupiſcentia, qua deſideremus, quod, quando, & quomodo oporret ad felicitatem naturalem, docet, eſſe neceſſarios quoſdam impetus, eóſque non eſſe deliberatos, ſed ab exteriori motore prouenire, quem, tandem concludit, non eſſe alium, niſi Deum. Ergo ſupernaturales impetus, ad felicitatem ſupernaturalem deſtinati, erunt ſimiliter indeliberati, non ab intrinſeca motione, qua liberum arbitrium ſeipſum moueat, ſed à ſolo Deo, vt ſupernaturali authore prouenientes. cuius rationis vim explicabimus magis infrà diſp. 24. præſertim ſectione 3. & ſequentibus. 23.

SECTIO VIII.

Auguſtini teſtimonia inter ſeipſa, & cum noſtris concluſionibus conciliantur.

EX dictis colligitur concordia inter quaſdam ſententias Auguſtini, quæ videntur inter ſe pugnare, ſicut etiam ſententia quorumdam aliorum Patrum, præſertim Proſperi, & Fulgentij. Nam aliquando aſſerunt, in nobis à ſolo Deo fieri, vt velimus; aliquando aſſerunt, hoc ipſum fieri à Deo nobiſcum, & vtriuſque locutionis exempla lector animaduertere potuit in ſectionibus præcedentibus. Nunc ſatis ſit Auguſtinus, qui lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. ait: *Ipſe vt velimus, ſine nobis operatur*. & tamen lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ante medium dicit: *Vt velimus, ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo*. 1.

Huic difficultati ſatisfiet duplici explicatione. 2.

Prima diſtinguit duplicem voluntatem; aliam imperfectam, quæ eſt ſubitum deſiderium inefficax, & indeliberatum: quam Auguſtinus in eodem cap. 17. de gratia, & libero arbitrio, appellat paruam voluntatem, ſeu charitatem. Huius volitionem Deus ſine nobis operatur. At non ſine nobis operatur alteram volitionem deliberatam, & efficacem; quam ſolam communior vſus Sanctorum appellat voluntatem, aut conſenſum: nam prior illa volitio indeliberata communiter comprehenditur nomine cogitationis ſuprà ſect. 4. Atque eadem planè mens fuit Caiet. 1. 2. quæſt. 111. art. 2. *Voluntas duplex.*

prope

Digitized by Google

prope med.ita diſtinguens: *Facere vt velimus, contingit dupliciter, ſcilicet, vt velimus, mouendo nos ipſos; & vt velimus, moti tantùm ab ipſo Deo. Secundo modo ſpectat ad gratiam operantem; primo modo ad gratiam cooperantem.* Quæ diſtinctio quantum ad rem ſignificatam eodem euadit, quo præcedens intendebat.

3. Secunda explicatio notat aliud eſſe operari, vt velimus, aliud verò operari ipſum velle. Nam operari, vt velimus, eſt operari aliquid præuium, ac deſtinatum, vt nos inclinet ad volendum. Quomodo qui rogat, vel perſuadet, vel inuitat, vel metum incutit, aut promiſſis allicere conatur; rectè dicetur, operari, vt velimus; ſed non dicetur, operari noſtrum velle; quia non concurrit ad noſtrum actum volendi. Rectè igitur dici poteſt Deus, in nobis ſine nobis operari, vt velimus liberè. Sed nunquam (quod meminerim) dicitur operari in nobis, ſine nobis ipſum velle: quamuis enim ſæpe dicatur, operari noſtrum velle, ſemper tamē aut exprimitur, aut ſubintelligitur nobiſcum. Sic ergo Auguſt. loco citato ait: *Vt velimus, ſuum eſſe vocando*, quia Dei ſolius eſt vocatio, deſtinata ad eum finem, vt velimus. Eadem ferè diſtinctio, atque doctrina eſt, quæ ex Gregorio in 2. diſtinctione 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. deſumpta recipitur à Capreolo in eadem diſtinctione, dum reſpondet ad argumenta contra 2. concluſionem circa 12. argumentum Gregorij. Similitérque Deza, & Conradus 1. 2. q. 111. art. 2. ſectione 4. loquuntur: de quorum doctrina infra diſp. 35. dicemus plura.

4. Denique ſi fortè aliquis Patrum dixerit, Deum ſine nobis operari noſtrum velle; explicandus erit ſecundùm primam explicationem.

5. Secundò difficilia ſunt alia verba in eodem libro 1. ad Simplicianum quæſt. 1. quæ ſic habent: *Quòd autem voluerimus, ſolus Deus præſtat.* Vbi Auguſtinus videtur aſſerere, præteritam voluntatem factam eſſe à ſolo Deo. Quapropter illa, quando præſens fuit, à ſolo Deo facta fuit, ac proinde omnes voluntates fiunt à ſolo Deo. Huius explicatio conſiſtit in vſu vario illius dictionis *quod*. nam in præſenti non eſt aduerbium ſynonymum dictioni *vt*; ſed eſt relatiuum ſubſtantiuè acceptum. Senſus igitur hic eſt: Solus Deus præſtat illud bonum, quod nos voluerimus per noſtram liberam conuerſionem ad Deum. Solus enim Deus præſtat infuſionem gratiæ habitualis, remiſſionem peccati, auxilium neceſſarium ad perſeuerandum, opportunitates, & occaſiones bene agendi, & æternam vitam. Vnde Auguſtinus ſtatim expoſuit, *ſemper beatè viuere* eſſe id quod nos volumus, & ſolus Deus præſtat. Quod clariùs expreſſit liber de Eccleſiaſticis dogmatibus, dicens: *Vt adipiſcamur, quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris.* Et Hieronymus dial. 3. contra Pelagianos non longè ante medium ait: *Iam in Domini poteſtate eſt, vt id quod cupimus, quod laboramus, ac nitimur, illius ope, & auxilio implere poſſimus.*

6. Colligo ex his ſolutionem ad duas obiectiones, quibus Bellarminus lib. 1. de gratia, & libero arbitrio capite 14. §. *hac explicatio*, & §. *hanc eſſe*, contendit, gratiæ operantis proprium, & immediatum effectum eſſe, vt liberè velimus. Prima obiectio eſt, quoniam Apoſtolus ſine vlla limitatione voluntatis indeliberatæ dixit: *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere.* Et Auguſtinus ſuprà citatus, ait: *Ipſe vt velimus ſine nobis operatur.* Sed huius ſolutio conſtat ex numero 2. & 3.

Duplicis obiectionis ſolutio.

Altera obiectio eſt, quoniam Auguſt. de gratia & libero arbitrio capite 5. ſic loquitur: Vt Apoſtolus Paulus *de cælo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola; quia merita eius erant magna, ſed mala.* 7.

Reſpondetur primò, hîc verbum *conuerteretur* ſignificare ſolam Dei actionem, qua Paulus mouebatur efficaciter ad conuerſionem. Alioqui conuerſionem nōn fuiſſe ſine libero conſenſu Pauli, ac proinde non fuiſſe ex ſola gratia, fides docet.

Reſpondetur ſecundò, Auguſtinus in conuerſione Pauli ad gratiam dicit fuiſſe ſolam, quia nullum ſupponebat meritum; non quia nullam haberet arbitrij cooperationem, vt contextus indicat. Sed prædictæ explicationes confirmabuntur ampliùs tomo ſequenti.

SECTIO IX.

Satisfit argumentis, quæ probare contendunt gratiam excitantem, ſeu præuenientem eſſe liberum quendam actum, ac minimè neceſſarium.

Qvidam ex recentioribus author fatetur illuminationem, & inſpirationem pertinentem ad actus intellectus, quæ antecedit omnem actum voluntatis, conuenire homini neceſſariò, & eſſe actum prorſus neceſſarium, & indeliberatum. Inſuper auxilium, inquit, excitans, quatenus denotat infuſionem cuiuſcunque principij ſupernaturalis neceſſariò requiſiti ad primum actum ſupernaturalem, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, eſt aliquid neceſſarium, id eſt, non liberum comparatione illius hominis, qui recipit tale principium. 1.

Recentioris ſententia.

Nihilominus ait: Auxilium excitans ex genere ſuo, & quatenus excitans eſt, & præueniens hominem, non neceſſitat ipſum hominem, nec eſt actus neceſſarius, ſed liber. Quod idem in alia concluſione magis explicat, dicens: Auxilium excitans, quatenus denotat actum voluntatis, per ſe loquendo, eſt actus liber eidem voluntati; addítque ita contingere de potentia ordinaria, quamuis Deus de potentia abſoluta neceſſitare poſſit. 2.

Illius fundamenta, reſecatis pluribus atque diffuſis notationibus, quibus interſeruntur in vnum collecta, atque ad breuiorem methodum redacta, hæc ſunt. 3.

Primum argumentum eſt, quia excitatio communicatur homini conformiter ad naturam hominis, ſed in ordine naturali primus actus intentionis, qui tribuitur authori naturæ, eſt liber quoad exercitium.

Primum argumentum.

Reſpond. Primus actus intentionis, qui tribuitur authori naturæ, aliquando eſt liber, quoad exercitium; & tunc præſertim, quando eſt intentio efficax, & abſoluta. Nihilominus ſimplex aliqua complacentia boni, per primam indeliberatam cogitationem propoſiti, ferè ſemper eſt actus neceſſarius, & non liber. Quod in tentationibus quotidie experiuntur, quicunque vigilant, vt tentationibus reſiſtāt: & multo melius ſpirituales viri, quos Deus frequenter viſitat conſolationibus, ſuauitatibus, & gaudiis, quæ nec 4.

attrahere

attrahere, nec abiicere potuerunt à principio. Denique peccatores, quando conuertuntur, non habent in ſua libertate, vt ea denuo delectent animum, quæ priùs terrebant, & contriſtabant vehementer. De quo recolenda ſunt peculiariter, quæ ex Auguſtino libro ſecundo contra duas epiſtolas Pelagianorum capite 9. & in libro de ſpiritu & litera capite 35. retulimus ſuprà ſectione ſecunda, numero 10. Denique quantum illa doctrina de primo actu intentionis libero pugnet cum receptiſſima ſententia Philoſophi, ſancti Thomæ, & omnium ferè Scholaſticorum cuiuſque ſcholæ, conſtabit diſputatione 42. ſect. 3. & ſequentibus.

5. Secundum argumentum, quoniam voluntas in prima volitione excitante ſequitur bonum propoſitum per intellectum ſub indifferentia, ad tenendum, vel non tenendum in illud. At verò contradictionem implicat, voluntatem neceſſariò, & ſine libertate moueri, data huiuſmodi indifferentia ex parte cognitionis; quod remittit à ſe probatum alibi.

Reſpondetur primò. Sola indifferentia intellectionis, proponentes rationes amplectendi, & reſpuendi obiectum idem, ſeu, quod in idem recidit, ſola indifferentia obiecti, prout per intellectum proponitur, non ſufficit libertati; imò quandoque ſine libertate reperitur. Nam experientia conſtat, dormientes, pueros, & amentes cogitare rationes vtriuſque partis; & tamen ſine libertate velle.

6. Reſpondetur ſecundò. Quamuis cogitatio rationum vtriuſque partis nunquam ſine libertate reperiri contingeret; adhuc certum eſſet, ſolam eiuſmodi cognitionem, & illius indifferentiam (quam appellant) non ſufficere, vt voluntatis vera, & abſoluta libertas defendatur: ſi negatur voluntati poteſtas indifferens, vt ſe in hanc vel illam partem flectat ex ſuppoſitione cuiuſque antecedentis motionis, quæ à libertatis vſu non dependent, ſed de hoc ex profeſſo diximus tomo de ſcientia diſput. 53.

7. Tertium argumentum ex Tridentino ſeſſione ſexta, can. 4. vbi definitur, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, cooperari, aſſentiendo excitanti, atque vocanti, & non merè paſſiuè ſe habere in tali excitatione. Non enim ſatisfit huic diffinitioni, ſi dicamus, quòd datur priùs præmotio & excitatio voluntatis, & liberi arbitrij, quæ ſit omnino neceſſaria, & poſtea ſuperuenit alius actus, quo poſſumus reſiſtere huic præmotioni, ſed potiùs in eodem actu, per quem præmouetur & excitatur homo à Deo, inuenitur dicta libertas, in aſſentiendo, vel diſſentiendo. Hæc ipſa ſunt prædicta authoris verba.

8. Reſpondetur ex eodem Tridentini decreto colligere debuiſſet oppoſitum. Nam etiam in rebus humanis, quibus ad diuinas manuducimur, in poteſtate dormientis non eſt, vt excitetur à ſomno: inſuper in poteſtate hominis auerſi, & aliis rebus intenti, non eſt vt ab alio vocetur; ſed in poteſtate atque libertate poſita ſunt ſolius hominis, vigilantis, excitantis, alium quærentis, & vocantis. At verò excitanti atque vocanti diſſentire, ſi velit, aut conſentire; hoc poſitum eſt in libera poteſtate eius, qui excitatur, & vocatur, vt etiam Tridentinum in eodem canone 4. notat.

9. Quartum argumentum ſumit ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 111. art. 2. vbi docet, eamdem eſſe gratiam operantem, & cooperantem ſecundùm eſſentiam, & ſolùm differre per ordinem ad diuerſos effectus. Vnde idemmet actus, cauſatus in voluntate à Deo, dicitur gratia operans, & excitans, quatenus prouenit à Deo, & dicitur gratia cooperans, quatenus voluntate conſentiente elicitur ab illa.

Reſpondeo & dico primò. Gratiam operantem & cooperantem inter ſe diſtingui eſſentia, id eſt, ratione formali, conſtat ex tota præſenti diſputatione, & magis conſtabit diſp. 36.

Dico ſecundò: realitas illuſtrationis, & ſuauitatis, quæ independenter à noſtra libertate immittitur à Deo, eſt gratia operans, ſeu præueniens, ſecundùm ſe conſiderata; & tamen eadem ipſa, in quantum dependenter à noſtra libertate concurrit ad eliciendum liberum conſenſum, eſt gratia cooperans, vt videbimus diſputatione 36. ſect. 4. & 5.

Dico tertiò, quid peculiariter de hac re ſanctus Thomas ſenſerit 1. 2. quæſt. 111. art. 2. explicabimus ſatis tota diſp. 32. præſertim ſect. 3.

Quintum argumentum, quoniam ſi eadem gratia, excitans voluntatem, eſt actus liber illius; verificatur quod Auguſt. ſæpe ait: Deum in nobis inchoare operationem, excitando: & tamen eandem operationem perficere, cooperando. Confirmat, quoniam Auguſt. ſolet aſſerere, voluntatem à Deo præparari: quam phraſim hic author refert ad actualitatem tranſeuntem, per quam Deus determinet ad conſenſum. 10.

Reſpondetur. Auguſtinus in plurimis locis tota præſenti diſp. 31. recitatis, & in aliis plurimis in hoc & ſequenti tomo de prædeſt. recitandis, ſatis manifeſtè ſuam mentem explicuit, vt Deus præparet voluntatem, præueniat, & inchoet operationem, præbendo cognitionem, & delectationem boni, quam habere, vel non habere, non eſt in noſtra poteſtate; poſtea verò perficiat cooperando, non ad eandem paruam, & inchoatam voluntatem, quam priùs dederat, ſed ad liberum conſenſum, & electionem voluntatis.

Sextum argumentum ex Tridentino ſeſſione 6. cap. 6. dicente: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum.* Ecce, (inquit author citatus) quomodo Concilium loquatur de illomet actu, per quem excitatur homo, & per quem ipſe non moueat ſe, ſed moueatur à Deo; cum quo tamen ſtat, quòd medio eodem actu liberè moueatur in Deum. 11.

Reſpondetur nullam eſſe conſequentiam; quia ex prædictis verbis colligitur, eundem actum eſſe, quo formaliter excitatur homo, & per quem homo liberè ſe mouet in Deum. Imò potiùs ipſa verborum conſtructio denotat, excitationem præſupponi, vt homo liberè moueatur in Deum per liberum voluntatis conſenſum. Præterea ex eiſdem verbis nulla ratione colligitur, hominem non mouere ſeipſum ad eum fidei actum, quo liberè mouetur in Deum: imò contradictionem implicat, liberè moueri, & tamen non moueri à ſeipſo, ſed à ſolo Deo. Nam libertatis exercitium in eo formaliter conſiſtit, quòd homo ſeipſum moueat, & determinet, ſuppoſita diuina gratia præueniente & cooperante.

Septimum argumentum, quia communis ſchola Theologorum habet; quòd prima illa excitatio, per quam homo diſponitur ad gratiam, & eſt ſimul cum gratia, & tribuitur ipſi Deo excitanti, 12.

licèt non ſit meritoria gratiæ, eſt tamen meritoria gloriæ. Si verò talis excitatio eſſet actus neceſſarius, non eſſet meritorius: imò verò niſi actus ille eſſet liber, non diſponeretur propriè homo per ipſum ad recipiendam gratiam.

Diſpoſitio ad gratiam gloria meritoria.

Reſpondetur antecedẽs non eſſe verum: quamuis enim vera ſit ſententia Theologorum, aſſerentium poſtremam, & ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam eſſe meritoriam gloriæ; cæterùm nemo Theologorum, quem viderim, ante prædictum authorem, aſſeruit, eiuſmodi diſpoſitionem immediatam, & ſufficientem eſſe primam excitationem ad fidem, vel ad contritionem: quin potiùs omnes expreſsè aſſerunt, de lege ordinaria præcedere excitationes neceſſarias, id eſt, non liberas, proptereàque nullius meriti eſſe.

13. Inſuper nemo Theologorum aſſeruit, immediatam, & ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam ita eſſe ſoli Deo tribuendam, vt non tribuatur etiam libero arbitrio, cooperanti ad ſuum conſenſum; quemadmodum ſoli Deo tribuitur gratia operans, perueniens, & excitans. Quin potiùs omnes aſſerunt, quamcunque liberam actionem, virtute diuinæ gratiæ conceptam, tribuendam eſſe libero arbitrio, quaſi ſecundariò cooperanti: ſed ita, vt eius laus, & gloria tota ſit in Deo, & tandem tota recurrat in Deum, vt fuſiùs probabimus tomo ſequenti.

14. Ex his conſtat quàm falſo ſundamento nitatur argumentum octauum, quia excitatio, inquit, eſſe debet diſpoſitio, & non poteſt eſſe diſpoſitio, niſi ſit libera.

Reſpondetur. Excitans, ſeu præueniens gratia non diſponit in ratione meriti, aut impetrationis, vel in genere diſpoſitionis imputabilis; ſed diſponit in genere propenſionis ad actum deliberatum, ſicut ſanctus Thomas Hebr. 13. lectione 3. longè poſt medium, exponens illud: *Aptet vos in omni bono*, ait: *Voluntas humana cùm ſit quadam inclinatio rationis, eſt principium actuum humanorum, ſicut grauitas eſt principium motus grauium deorſum. Vnde ſe habet ad actus rationis, ſicut inclinatio naturalis ad actus naturales. Res autem naturalis dicitur apta ad illud, ad quod habet inclinationem. Deus etiam, quando immittit homini bonam voluntatem, aptat eum, id eſt, facit ipſum aptum.*

15. Confirmatur. nam ſubiti & prorſus indeliberati motus iræ diſponunt ad liberam electionem vindictæ, & reliquæ aliæ ſuggeſtiones dæmonis, vel carnis, quamuis nulla libertate gaudeant, diſponunt ad liberum conſenſum in illas. Ad eum ergo modum ſubiti, & non deliberati motus in bonum ſupernaturale rectè dicuntur præparare, aut diſponere voluntatem ad conſenſum liberè præſtandum. Hæc igitur fuit mens Auguſtini, & aliorum Patrum, quando de gratia præueniente & excitante interpretantur illud Prouerbiorum 8. *Præparatur voluntas à Domino.*

16. Nonum argumentum, quia primus actus excitantis gratiæ, quo voluntas à Deo mouetur, eſt intentio finis: hæc autem eſt principium totius libertatis, non tanquam virtualiter continens libertatem, ſed tanquam formaliter continens.

Reſpondetur. Minorem propoſitionem probare non potuit, neque probare tentauit prædictus author. Alioqui ex Ariſtot. D. Thom. & cæteris Theologis conſtat, primam intentionem finis non aliter eſſe principium libertatis, niſi quemadmodum fixum & immobile debet, præſupponi ad quemcunque motum, vt videbimus diſputatione 42. ſectione a. 3. 6. & 7. Vnde quamuis prima intentio finis nullo modo ſit libera, poteſt ſuum munus commode & plenè ſubire, exhibendo in ſeipſa fixum cardinem, in quo liberæ volitiones voluantur.

Decimò noſtram ſententiam impugnat, quaſi gratia excitans à noſtris authoribus appelletur naturalis, vt opponitur ſupernaturali. Cùm tamen, ſi hoc nomine vſus eſt noſtrorum aliquis, acceperit ſine dubio naturale, vt opponitur libero; ſed nemo noſtrorum, quem ſciam, ita loquitur. 17.

Noſtri defenduntur authores.

Præterea miſcet alias confirmationes ex ſuis generalibus principiis de præmotione diuina, & de libertate quæ ſingula ſingulis in locis impugnamus diſputatione 35. & magna ex parte in tomis præcedentibus, & in ſequenti de prædeſtinatione. 18.

Tandem generaliter ſupponit, de lege ordinaria totam iuſtificationem ab exordio primæ gratiæ excitantis vſque ad finem infuſionis gratiæ iuſtificantis perfici in inſtanti. Quod, quàm ſit alienum non ſolùm à ratione theologica & doctrina Patrum, ſed etiam ab experientia, non eſt huius loci explicare; ſicut nec alia plurima quæ incidenter interſerit refutare. 19.

DISPVTATIO XXXII.

Quo ſenſu gratia operans peculiariter ad interiorem actum, & primam volitionem finis; ſed gratia cooperans ad exteriorem actum, & volitionem mediorum accommodetur.

SECTIO I.

Proponitur Scholaſticorum doctrina & illius fundamenta.

SANCTVS Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. in priori parte corporis ſtatuit duas concluſiones. 1.

S. Thomæ ſententia tribus concluſionibus.

Prima concluſio. Gratia operans dicitur, ſecundùm quod Deus mouet humanam mentem ad interiorem actum voluntatis, præſertim ad primum, cùm voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat. Probat S. Thomas, quoniam in hoc actu voluntas ſe habet, vt mota: ſolus autem Deus ſe habet vt mouens; & ideo operatio ſoli Deo tribuenda eſt, ac proinde gratia operans eſt, quæ eiuſmodi volitionem cauſat.

Secunda concluſio. Gratia cooperans dicitur reſpectu actus exterioris, qui imperatur à voluntate Probat S. Thom. quoniam in hoc actu voluntas ſe habet, vt mouens: & operatio voluntati tribuitur, Deo adiuuante, & cooperante, & interiùs confirmando voluntatem, vt ad actum perueniat, & exteriùs facultatem operandi præbendo. 2.

Tertiam concluſionem ſubiungit in ſolutione ad tertium, quæ eſt veluti explicatio duarum præcedentium; videlicet, gratia operans adiuuat hominem, vt velit bonum, & finem; ſed cooperans 3.

gratia

Digitized by Google

gratia adiuuat, vt velimus præſuppoſito fine. Vnde apertè ſignat S. Thom. gratiam operantem pertinere ad volitionem mediorum.

4. Duas priores concluſiones eiſdem ferè verbis, quibus S. Thomas, tradit etiam Durand. in 2. diſtinct. 26. quæſt. 3. Antoninus 4. p. tit. 9. cap. 3. §. 1. & 2. ſequuntur Caiet. & Conradus 1. 2. quæſtione 111. articulo 2. Soto lib. 1. de natura & gratia, capite 16. inter medium & finem. Driedo libro 2. de gratia, & lib. arb. tract. 1. cap. 2. & 3. Ruardus articulo ſeptimo, §. *& quia articulum*, pagina 299. Bellarminus libro 1. de gratia & libero arbitrio cap. 14.

5. Eadem planè ſententia fuit antiquorum, quam approbando refert Magiſter 2. diſtinctione 27. cap. 3. fine, præſertim verbis illis: *Infunditur pluuia diuinæ benedictionis, id eſt, inſpiratur gratia, (quod ſolus Deus facit, non homo cum eo) qua rigatur voluntas hominis, vt germinet & fructificet, id eſt, ſanatur, & præparatur, vt bonum velit, & ſecundum hoc dicitur operans, & iuuatur, vt bonum faciat, & ſecundum hoc dicitur cooperans.* Sic & Alexander 3. part. quæſtione 69. memb. 3. articulo 3. ad 4. ait: *Secundum eſſentiam omnino eadem eſt gratia operans, & cooperans; ſed differunt ſecundum effectus, quia alius eſt effectus gratiæ cùm facit nos velle bonum, alius cùm facit nos exequi bonum, & quantum ad primum effectum dicitur gratia operans; quantum ad ſecundum gratia cooperans, ſicut eadem eſt voluntas coniuncta actui exteriori, & non coniuncta actui exteriori, ſed tantùm differt ſecundum effectum ſolum.* De hac ſententia vel de alia, quæ huic ſimillima eſt, vt propè videatur, eadem redibit ſermo infrà diſp. 38. ſect. 1. num. 12.

6. *Diſſentiunt inter ſe.* Ij etiam Doctores inter ſe diſſentiunt primò, quoniam illorum aliqui exiſtimant, interdum eſſe volitionem ſine deliberatione, ac conſilio rationis, ac proinde ſine libertate elicitam, virtute gratiæ operantis. Ita Driedo, & magis ſignificat D. Thom. Alij verò exiſtimant, ſemper eſſe debere volitionem liberam, ac meritoriam illam, quæ elicitur virtute gratiæ operantis; dummodo ſit prima volitio finis, ita Caiet. Sotus, & Bellarm. citati. Secundò diſſentiunt, quoniam aliqui requirunt, vt volitio propria gratiæ operantis ſit volitio finis, ſicut D. Thom. & aliqui ex diſcipulis. Alij nulla mentione facta finis, hoc ſolum requirunt, vt ſit prima volitio.

7. *Eorum fundamenta.* Fundamentum, propter quod primam volitionem liberam citati Doctores dicunt fieri in nobis ſine nobis; ac proinde ad gratiam operantem pertinere, non eſt, quia non concurrat ad illam effectiuè volũtas, quin potiùs effectiuè produci à voluntate, fatentur expreſsè illorum aliqui, vt referemos diſp. ſequenti; ſed quoniam volitio, inquiunt, fit ſine nobis, hoc eſt, fit in nobis ſine nobis, exhortantibus, & perſuadentibus nos ipſos. Tunc enim homo dicitur, ſe mouere, ad volendum, vel operandum, quando ex vna volitione in aliam, vel in opus ſe liberè mouet; & quando liberè, & data opera, rationes quærit, & ponderat, vt ſuam voluntatem ad aliquem interiorem affectum, vel exterius opus impellat. Quod quia deficere putant in prima volitione libera, ad quam ſolus Deus nos hortatur interiùs, ideo dicitur fieri in nobis ſine nobis, ſubindéque ad operantem gratiam pertinere.

8. Fundamentum verò, vt volitionem finis, dixerunt ad operantem gratiam pertinere, ex præcedenti ratione deducitur, nimirum, quoniam volitio finis eſt prima volitio, mouens ad omnes volitiones mediorum. E contra verò ad ſequentes volitiones mediorum mouet ſe ipſam voluntas, ſuppoſita volitione finis, quapropter volitiones mediorum pertinere, dicuntur, ad gratiam cooperantem. Confirmant teſtimoniis Auguſtini, quæ retulimus diſp. præced. ſect. 8. quia videntur aſſerere, ſolius gratiæ operãtis eſſe facere, vt velimus.

Fundamentum denique, vt aſſeruerint, gratiam operantem dici, ſecũdùm quod Deus mouet humanam mẽtem ad interiorẽ actum; ſed cooperantem dici reſpectu actus exterioris, qui imperatur à voluntate; huius, inquam, aſſertionis fundamẽtum ſumi potuit ex Auguſt. qui ſæpe gratiæ operantis vim docet eſſe deſtinatam, vt velimus, peculiariter autem lib. de grat. & lib. arb. c. 17. ait: *Ipſe, vt velimus, operatur, incipiens, qui volẽtibus cooperatur perficiens.* & poſt pauca: *Vt velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum operatur: & tamen ſine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Vbi ad cooperantem gratiam referre videtur, eam ſolummodo volitionem, quæ in exteriorem actum prodit, faciendo quod vult. Quapropter aliæ volitiones, quæ non prodeunt in exteriorem actum, exequendo, non ad cooperantem, ſed ad operantem gratiam pertinebunt. Hanc ſententiam ex prædictis verbis Auguſt. colligit Magiſt. in 2. diſt. 27. cap. 1. 9.

Nihilominus alia eſt mens illorum verborum Auguſt. namque ibi (ſicut ſæpe aliis in locis ſparſim poſitis in tota diſp. præced.) diſtinguit duplicem volitionem, alteram qua ita volumus, vt nos ipſi operemur, & faciamus; nimirum, quia liberè conſentimus, & mouemus nos ad illam; atque huiuſmodi volitionem Deus nobiſcum operatur: nam volitionem alteram, qua ita volumus, vt nos ipſi nihil faciamus, nec operemur, humano modo, quia non conſentimus liberè: hanc ſolus Deus in nobis operatur ſine nobis. 10. *Auguſtini mens declaratur.*

Non aliam fuiſſe mentem Auguſt. probatur efficaciter primò, quoniam Aug. ſicut & cæteri Patres quemlibet liberum conſenſum voluntatis refert ad gratiam non ſolùm præuenientẽ, ſed etiam cooperantem, vt vidimus diſputatione præced. & magis conſtabit tota diſput. 36. & diſput. 37. ſectione 1. 11.

Confirmatur ſecundò, quoniam in eodem ipſo cap. 17. de libero arbitrio ante prædicta verba ſatis ſignificauerat Auguſtinus ad gratiam operantem pertinere ſolum initium iuſtificationis, quod ſemper, aut ferè ſemper ſumitur à voluntate quadam imperfecta, ſeu velleitate, & concupiſcentia boni, quæ ſine noſtra libertate immittitur à Deo. Cæterùm quando voluntas vlteriùs progreditur, ad iuſtificationem pergens, iam Deum cooperari. Ad quod peculiariter notanda ſunt illa verba: *Quis iſtam, etſi paruam, dare cœperat voluntatem; niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incepit.*

SECTIO II.

Operantis, & cooperantis gratiæ acceptio in præcedenti ſectione recitata, ſecundùm eum ſenſum, quem primo ſonitu reddit, refutatur.

Dico primò. Propria & exacta ſignificatio gratiæ operantis, ſecundùm mentem Augu- 1. *Exacta gra-*

tia operantis ſignificatio. ſtini, & aliorum Patrum, non extenditur ad vllas volitiones liberas, etiamſi fuerit prima inter volitiones; ſed ſolummodo comprehendit motus prorſus indeliberatos illuſtrationum, & inſpirationum tam intellectus, quàm voluntatis. Hæc concluſ. ſatis probata eſt tota præced. diſp. 31.

2. Nunc peculiariter probatur, impugnando præcedentem ſententiam; primò, quia quæcunque libera volitio, etiam ſi prima ſit, & verſetur circa finem, dummodo procedat à gratia, eſt actus meritorius ſaltem de congruo, vt conſtat ex dictis ſuprà diſp. 19. ſect. 4. Sed nullus actus meritorius fit in nobis, ſine nobis; ergo prædicta volitio libera non fit in nobis ſine nobis, ac proinde non eſt gratiæ operantis, ſed cooperantis. Minor probatur ex can. 9. Arauſic. 2. qui eſt ſententia 22. in lib. ſentent. Auguſtini tom. 3. cuius verba ſunt: *Quotieſcunque bonum operamur, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* At quoties operamur actum meritorium, operamur bonum; ergo quoties operamur actum meritorium Deus operatur in nobis atque nobiſcum, ac proinde cooperatur.

3. Confirmatur, quoniam, vt ſuprà diſp. 18. ſect. 2. à principio vidimus ſecundùm phraſim Scripturæ frequenter ab Apoſtolo vſurpatam, & ab Auguſtino, aliiſque Patribus ponderatam. *Non ex operibus* aliquid nobis tribui, idem eſt, atque non ex meritis aliquid nobis tribui; ergo quæcunque fuerint merita noſtra, erunt etiam opera noſtra. At verò opera noſtra, quamuis Deus operatus ſit nobis, non tamen ſine nobis; ſi enim ſine nobis fierent, non eſſent opera noſtra. Quapropter ad illa non ſolus Deus operatur, ſed nobis cooperatur.

4. Secundò probatur, quoniam quando infidelis ad fidem conuertitur, prima volitio de congruo meritoria eſt credulitatis affectus; vt notat Arauſicanum II. canon. 5. & fuſiùs explicuimus diſputatione 19. ſectione 2. 4. & 5. Hunc autem affectum, quando eſt liber & meritorius, Auguſtinus, & alij Patres appellant actum fidei inchoatæ, vt oſtendimus in eadem diſp. 19. ſect. 5. & à tota ferè diſp. 25. Rurſus actum fidei à Deo, non præciſè vt operante, ſed cooperante nobiſcum, notat Auguſtinus non rarò, veluti tract. 72. in Ioan. poſt med. dicens: *Ipſum credere in Chriſto, opus eſt Chriſti; hoc operatur in nobis, non vtique ſine nobis.* (& poſt pauca:) *Qui operante in ſe Chriſto, cooperatur ſalutem æternam ad iuſtificationem ſuam.*

5. Probatur tertiò, quoniam contingit ſæpe, Deum inſpirare nobis ſine noſtra libertate illuſtrationes, ſuauitatem, affectus & complacentias circa media, veluti circa religionis ingreſſum, abſtinentiam, paupertatem, aut orationem: & tamen illæ volitiones ſunt gratiæ operantis; ergo gratia operans non eſt reſtringenda ad ſolum finem, ſed etiam ad media pertinere poteſt; vnde gratia cooperans non complectetur quamcunque volitionem mediorum, ſed eam tantùm, quæ fuerit libera.

6. Dico ſecundò. Actus exterior quando accipitur pro ſolo actu corporeo, qui elicitur à potentia corporea, & actus interior appellatur quilibet actus potentiæ ſpiritualis, ſcilicet intellectus & voluntatis. Secundùm hanc acceptionem loquendo, gratia operans non complectitur omnes actus interiores, ſed ſolummodo indeliberatos; & gratia cooperans non complectitur ſolos actus exteriores, neque ſolas volitiones, prodeuntes in exteriorem actum, ſed omnem volitionem liberam.

Probatur ex dictis tota præced. diſp. & nunc peculiariter confirmatur primò, quoniam Auguſtinus libro 2. de bono perſeuerantiæ cap. 13. diſtinguit volitionem ab opere, & vtrique concedit Dei cooperationem his verbis: *Nos volumus, ſed Deus operatur in nobis; & velle. Nos operamur, ſed Deus operatur in nobis operari.* Aliqui præterea confirmant, quoniam ad exteriorem actum non requiritur peculiaris gratia, vltra illam, quę requiritur ad volitionem efficacem. Sed de hoc dicemus diſp. 38. ſect. 2. & ſequentibus.

Dico tertiò. Actus exterior apud Scholaſticos eſt quilibet actus, per alium imperatus, etiamſi fuerit actus ſpiritualis & liber. Quo ſenſu plurimæ volitiones, & intellectiones ſunt actus exteriores. At verò actus interior eſt ſola volitio, quæ à nulla alia imperatur, de quo vide S. Thom. & eius expoſitores 1. 2. quæſtione 17. & quæſtione 20. In hoc igitur ſenſu conſtat ſine diſcrimine interiores, & exteriores actus pertinere ad ſolam gratiam operantem, quando ſunt indeliberati, & ad cooperantem gratiam pertinere, quando liberè eliciuntur; ſiue fuerit actus imperans, & interior, ſiue fuerit actus imperatus & exterior. Cæterùm hæc omnia magis explicabuntur ſectione ſequenti. 7. *Actus exterior dicitur, qui ab alio imperatur.*

SECTIO III.

Eiuſdem acceptionis legitimus ſenſus aperitur, ac defenditur.

Sententia S. Thomæ, & aliorum Scholaſticorum, quam in ſect. 1. retulimus, tunc optimè explicata manebit, quando plenè ſatisfactum fuerit ſequentibus difficultatibus. 1.

Prima difficultas eſt, quoniam illa doctrina pugnare videtur, non ſolùm cum Auguſtino, & cæteris Patribus, quos retulimus diſputatione præcedenti quatuor prioribus ſectionibus, & inſuper ſect. 6. ſed etiam cum ipſo D. Thoma cæteriſque Scholaſticis, quos retulimus ſect. 7. eiuſdem diſputationis. 2.

Nihilominus non re ipſa diſſidere, ſed ſolo modo loquendi, imò amplius explicare eandem quidditatem gratiæ operantis, & cooperantis, conſtabit ex ſequentium difficultatum ſolutione, præſertim cùm ij Scholaſtici diſertis, & perſpicuis verbis admittant, gratiam operantem eſſe illuſtrationes, inſpirationes, perſuaſiones, & exhortationes, quæ immittuntur à Deo ſine noſtra libertate. Quapropter primam volitionem interiorem, ea ratione dicunt peculiariter pertinere ad gratiam operantem; quoniam in illa priùs, & ratione illius in cæteras omnes exercetur vis gratiæ operantis, vt magis explicabimus infrà, præſertim diffic. 5.

Secunda difficultas eſt, quia omnis volitio libera eſt actus interior voluntatis, ſed ad omnem volitionem liberam voluntas mouet ſeipſam. Ergo ad omnem actum interiorem ſi liber eſt, voluntas ſe habet vt mouens ſeipſam, & non præciſè, quaſi mota ab alio mouente: ac proinde non omnis actus interior voluntatis eſt gratia operans; ſed ille ſolus, qui non fuerit liber. Maior conſtat ex prima ſecundæ quæſtione 20. vbi quicunque actus ratione ſui habens imputabilitatem laudis, aut vituperationis, eſt actus interior: 3.

at

as verò quæcunque volitio libera ratione ſui prædictam imputabilitatem ſortitur. ergo quæcunque volitio libere eſt actua interior. Minos verò fusè probate fuit in tomo de ſcientie Dei diſputatione 39. & multia ſequentibus, peculiariter diſp. 50. & tomo de voluntate Dei à diſput. 47. vſque ad 51. in quibus oſtendimus liberratem volisionis in eo conſiſtere, quòd voluntas ſeipſam moueat, & determinet ed volendum, priùs samen à Deo mota, & excitate ed bonum ſaltem in communi.

4. Naſcitur inde tertia difficultas, quia propter eaudem retionem, non quæcunque prima volitio finis erit gratia operans, ſed illa tantùm, quæ non fuerit libera, quoniam ſit neceſſarie.

Confirmetur primò, quoniam primus actus interior, & prime volitio finis, qua voluntas incipit bonum velle, poteſt eſſe libera. Nam amos finis, & boni in communi, quamuis ſit actus neceſſarius quoad ſpecificationem; nihilominus quoad exercitium non eſt neceſſarius. Quocirca ſimpliciter, & abſolutè liber eſt, vt cum ſancto Thoma in prima ſecundæ quæſtione 9. articulo 4. & 6. & in quæſt. 10. art. 2. docent communiter eius expoſitores

Confirmatur ſecundò. Nem ſanctus Thomas, aliique Doctores citati in ſect. 1. non limitant ſuam doctrinam ed primam volitionem, quæ ſit indeliberata, & prorſus neceſſaria: quin potiùs ſignificant, ſe loqui etiam de libera volitione finis, dummodo ſit prima, & interior, quod clariùs expreſſit Caiet. citandus num. 10.

5. *Secunda, & tertia difficultas ſoluitur.* Vtrique difficultati reſpondeo, abſolutè veras eſſe concluſiones, quas inferunt; ſed non eſſe contra mentem ſancti Thomæ, & aliorum Scholaſticorum, quos retulimus in ſectione 1. Quoniam S. Thom. nnoquam dixit, primum actum interiorem voluntatis, quo incipit bonum velle, eſſe gretiam operantem; ſed tantùm dixit: ſecundùm quod Deus mouet humanam mentem ad interiorem actum voluntaris, præſertim ad primum, dicitur gratia operans. Aliud ergo eſt, primam volitionem interiorem eſſe gratiam operantem, eliud autem eſt, dici gratiam operantem, in quantum Deus mouet ad illam. Quæ motio propterea meritò ſortitur nomen gratiæ operantis, quia nullo modo pendet à libertate noſtra, quòd Deus per illuſtrationes, & inſpirationes nos moueat ad primam interiorem volitionem, quamuis à noſtra libertate pendeat, quòd illa volitio prodeat libera, continens liberum voluntatis conſenſum, vel ſolummodo producatur à Deo aliqua volitio neceſſaria, repugnante noſtro liberò conſenſu; quemadmodum contingere ſolet in motibus primò primis, quos circa malum, vel dæmon ſuggerit, vel concupiſcentie excitat, ſed deliberata voluntas reſpuit.

6. Petis, quare Deus eſt gratia operans, in quantum mouet ad primam interiorem volitionem finis, etiamſi libera ſit; potius, quàm, in quantum mouet ad ſequentes volitiones mediorum, quæ dicuntur exteriores.

Reſpondeo. Ratio colligitur ex dictis. Nam ad ſequentes volitiones mediorum, quæ exteriores ſunt, Deus non moues, niſi dependenter à noſtra libertete; quoniem Deus ad prædictas volitiones exteriores, non mouet, niſi mediante alia volitione libera, per quam nos ipſos liberè mouemus ad ſequentes volitiones. Contrà verò, vt Deus nos moueat ad primam volitionem liberam, non pendet ab aliqua noſtra volitione libera, vt nuper dicebamus.

7. Quarte difficultas. Deus poteſt, & ſolet, poſtquem mouetur ad primam volitionem finis independenter è noſtra libertate, monere etiam ed ſequentes alias volitiones mediorum independenter à noſtre libertate: ergo dicetur etiam gratia operens, in quantum Deus mouet ad ſequentes volitiones mediorum. Hæc difficultas sequirit explicationem harum vocum *prima, & ſequentes.* Nam in præſenti à Scholaſticis non referuntur ed durationem, ſed ad dependentiam, & concatenationem.

8. Vnde quamuis multæ volitionee liberæ immediatè antè præceſſerint, ſi tamen ad hanc volitionem mediorum, vel finis Deus independenter ab illis mouet voluntatem, hæc volitio verè erit prima, & interior in eo ſenſu, quo in præſenti accipiuntur hæ voces: inſuper, in quantum eadem volitio verſatur circa bonum in communi, erit etiam volitio finis, quamuis ſimul etiam verſetur circe media, vt explicabimus magis in ſequenti difficultate.

Confirmatur, quoniam hac ipſe ratione opus non eſt noue gratia præueniente, quandiu durat concatenata ſeries ſupernaturalium actuum, quæ cœpit è prima gratia operante, quoniam ſupernaturales volitiones liberæ, quandiu durant, poſſunt mouere ad alias volitiones ſupernaturales ec liberas, vt fuſiùs dicemus diſputatione 41. ſectione ſeconde.

9. Quinta difficultas vrgere videtur adhuc, quia Deus, in quantum mouet ad volitionem liberam, etiamſi fuerit interior, & prime circe finem, cooperatur cum libero arbitrio, ſe mouente, atque determinante ad prædictam volitionem liberam. ergo in quantum Deus mouet ad prædictam volitionem, non debet dici gratia operans, potius, quàm cooperans.

Reſpondetur, & ſimul aperitur, magis ratio diſcriminis inter primam volitionem interiorem, & ſequentes. Nam aliud eſt, mouere, vt volitio producatur, & exiſtat in rerum natura: aliud verò, mouere, vt eadem volitio liberè exiſtat. Prima igitur volitio circa finem habet hoc peculiare, vt ſolus Deus mouere potuerit ad illam, vt exiſtat, cæterùm vt liberè exiſtat, Deus non præſtat, niſi dependenter à noſtre libertate.

Pro cuius explicatione notandum eſt, id contingere poſſe duplici modo. Alter eſt, quo motus primò primi, ſiue circa bonum verſentur, ſiue circa malum, erumpere ſolent independentes à noſtra libertate; nihilominus ſæpe, iidem motus, qui priùs erant indeliberati, & independentes à libertete, poſtea ſuperueniente plene aduertentia rationis euadunt in volitiones liberas, nihilo mutata eorum intrinſece entitate; aut certè quidditate: ſed ſolummodo addite extrinſece aduertentia rationis, virtute cuius poteras voluntas, ſi vellet, cohibere illos motus, & ab illis diſſentire. Sicque Caietanus dicta quæſtione 111. articulo 2. *Primum velle*, inquit, *ideo eſſe liberum, quia voluntas poteſt ab illo diſſentire.* In hoc caſu eadem volitio, quæ priùs neceſſaria fuit, proptereáque ſolus Deus mouere potuit ed illam, vt exiſteret: poſtea, vt liberè exiſtat, non præſtas Deus, niſi dependenter à noſtra libertate. 10. *Notandum.*

11. Alter modus eſt ratò contingens, vt prima volitio boni & finis ſupernaturalis à primo inſtanti ſuæ inceptionis concipietur liberè.

Nihilominus in eadem ipſa volitione diſtinguere debemus formalitates duas; alteram quæ ſit neceſſaria, & reſpectu cuius diuina motio ſit gratia operans, & præueniens: alteram verò, quæ ſit libera, reſpectu cuius formalitatis diuina motio ſit gratia cooperans, & adiuuans, ſeu concomitans. Suppono enim ſæpe contingere, vt Deus neceſſitet voluntatem noſtram ad aliquam communem rationem amoris alicuius boni, in genere & vagè, permittendo liberam electionem remanendi in ſolo amore ſimplicis complacentiæ vel progrediendi ad efficacis voluntatia amorem, dandóque voluntati optionem liberam vt amet tale, vel tale bonum in ſpecie, vel ſi malit, amet ſolummodo genus alicuius boni abſtractum ab ſpeciebus: quod oſtendemus magis infrà diſp.42.ſect.6.& 7.

12. *Eadem volitio ſimul interior, & exterior dupliciter.* Hinc collige duos alios modos, quibus contingere poteſt, eandem volitionem ſimul eſſe interiorem, & exteriorem.

Primus modus eſt, quo volitio in primo inſtanti ſine deliberatione concepta euadit abſolutè neceſſaria: quapropter non imperatur à ratione in eo inſtanti. Vnde manet verè interior, & nullo modo exterior. Atque eadem volitio in ſequenti tempore cum deliberatione continuatur; ideóque ſubeſt rationis imperio; atque hac ratione exterior eſt comparatione ſui ipſius, prout in primo inſtanti exiſtens, rationem impulit, vt imperaret eiuſdem liberam continuationem.

13. Secundus modus eſt, quando volitio prima euaſit abſolutè libera ab ipſo primo inceptionis inſtanti; ſed erat neceſſaria, quantum ad aliquam rationem communem & vagam, vt nuper dicebamus, & tunc eadem volitio ſecundùm communem rationem, & vagam, eſt interior; quia non ſubeſt imperio rationis, ſed potiùs ipſa mouet rationem, vt imperet determinatam ſpeciem volitionis liberæ circa talem ſpeciem obiecti. Sic vniuerſaliter retinetur quod ſanctus Thomas 1.2. quæſtione 17. toto art. 5. præſertim ad tertium docet, imperari à ratione omnes actus liberos, præter primum, qui eſt ex inſtinctu naturæ, & conſonant alia loca S. Thomæ, in quibus etiam primum actum, dicit, eſſe liberum quoad exercitium, & quæ conſequenter ad hoc principium tradit in quæſtione 111. articulo 2. in cuius explicatione verſatur præſens diſputatio.

14. Obiicies. Ex dictis ſequeretur, nullum actum liberum eſſe interiorem; quia quicunque actus liber imperatur à ratione. Conſequens autem eſſe falſum, conſtat, quia omnis actus ratione ſui habens imputabilitatem laudis, & vituperij, eſt actus interior; at verò omnis actus liber habet ratione ſui Imputabilitatem laudis, aut vituperij; ergo omnis actus liber eſt interior.

Solutio 1. Reſpondetur primò eundem actum liberum eſſe interiorem, & exteriorem ſimul reſpectu diuerſorum. Nam reſpectu actus mouentis ad illum, & imperantis, eſt actus exterior; quod non impedit, quominus ipſe etiam moueat, & imperet alios actus, & comparatione illorum ſit interior.

15. Reſpondetur ſecundò, duas eſſe rationes exterioritatis nonnihil diuerſas; alteram, quæ in eo conſiſtit, quòd actus ratione ſui præcisè non habeat imputabilitatem, nec moralem rationem bonitatis, & malitiæ. Quo modo exterioris actus nomen reſtrinxit ſanctus Thomas 1. 2. tota quæſtione 20. vt ibi poſtulabat ſubiecta materia. Atque vt ſic, nullus actus liber voluntaris eſt exterior ratione ſui, ſed fortè extrinſecè ratione alterius volitionis verſantis circa ipſum. Altera ratio exterioritatis conſiſtit in eo ſolùm, quòd actus imperetur, & moueatur ab alio: & de hac tractamus in præſenti.

Ex dictis colligo, non incongruè concedi poſſe vlterius, aliquam rationem gratiæ operantis reperiri in quacunque volitione ſupernaturali, quantumcunque libera ſit, & circa media verſetur, ſupponitque priores alias volitiones, à quibus imperetur. Nam in quacunque volitione ſupernaturali quidditatiuè includitur communis aliqua ratio amoris erga bonum, & finem ſupernaturalem, quæ ratio amoris, vt ſic conſiderata eſt volitio finis ſupernaturalis, & imperat volitionem mediorum, quæ in eadem volitione eliguntur; ac proinde illa ratio communis præcisè conſiderata, eſt interior & prima comparatione rationis particularis. Subindéque in quantum Deus mouet ad illam rationem communem, dicetur gratia operans. 16. *In qualibet ſupernaturali volitione aliqua operantis gratia reperitur.*

Et confirmatur à ſimili. nam inter naturales volitiones, non ſolùm prima volitio finis reducitur in primum motorem exteriorem, videlicet, Deum, tanquam in cauſam determinatiuam; ſed etiam in eandem cauſam reducitur vniuerſalis quædam ratio amandi bonum, quæ quidditatiuè includitur in quacunque volitione particulari, etiam mala; quamuis ad illam, vt particularis volitio talis boni eſt, non Deus, ſed voluntas ſeipſam determinet, vt magis conſtabit diſp. 42.ſect.3.6.& 7. Eandem operantis gratiæ quidditatem confirmant quæ dicemus diſp.45. ſect.1. probatione 2. 17.

Vnde tandem colligo, rationem gratiæ cooperantis reſpicere magis propriè rationes particulares talium volitionum, quæ liberè verſantur circa tale, vel tale bonum ſupernaturale in ſpecie, præſuppoſito illo fine, qui præſtitutus eſt per rationem communem amandi bonum ſupernaturale. Sic ergo videtur intelligendum quod S. Thomas docet dicta quæſtione 111.art.2. ad 3. atque ita meliùs conſonat cum corpore articuli in priori parte illius. 18.

In his omnibus ſupponimus, aliquando contingere, vt iuſtificatio incipiat à volitione libera ſupernaturali, quam Deus inſpirauerit, nulla præmiſſa volitione ſupernaturali indeliberata, & neceſſaria, quæ habuerit rationem gratiæ operantis: id quod non exiguam difficultatem habet, at non examinandam in præſenti, ſed diſp. 44. 19.

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrùm noſter intellectus, & voluntas phyſica efficientia concurrant ad producendas eas intellectiones, & volitiones, quæ propriè ſunt gratiæ operantis.

NEGATIVAM ſententiam expreſsè docent omnes illi Doctores, qui vniuerſaliter exiſtimant primam volitionem indeliberatam, à qua deliberatio incipit, produci à ſolo Deo ſine vllo concurſu phyſico voluntatis. ita Bernardus de Gannaco impugnatione quæſt. 11. quodli 1. *Negatiua ſententia.*

Digitized by Google

quodlibet. 13. Henrici, cuius verba refert, & probat Capreol. in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica art. 3. poſt medium in ſolutione ſeptimi & vltimi argumenti contra primam concluſionem, atque idem Capreolus in 2. diſtinct. 24. articul. 3. longè poſt medium, reſpondens ad 8. argumentum contra 5. concluſionem ait: *Voluntas ad volitionem finis ſe habet merè paſſiuè, & non actiuè: vel ſi ſe habet aliquo modo actiuè ad illam, hoc eſt, in quantum motio Dei, vel aliquid à Deo influxum, quidquid illud ſit, ponit eam in actu primo ſufficienter, ad eliciendum actiuè volitionem reſpectu finis.* Sed in 2. ſentent. diſt. 25. quæſt. vnica art. 3. inter med. & finem ad 1. argumentum Henrici contra ſecundam concluſionem expreſsè, & reſolutè docet, primam motionem voluntatis, ad volendum bonum in vniuerſali, eſſe actiuè à ſolo Deo, & quantum ad illam purè paſſiuè ſe habere voluntatem noſtram.

2. Eadem eſt ſententia, quam ducet Vega lib. 6. in Tridentinum cap. 8. quàmque expreſſe applicat ad eas illuſtrationes, & inſpirationes, quæ propriè pertinent ad gratiam operantem.

3. Marſilius in 2. quæſt. 16. art. 3. concl. 2. 3. & 5. docet, primam volitionem complacentiæ, quæ non eſt libera, ſed neceſſariò ſequitur, propoſito obiecto, non cauſari effectiuè, à voluntate; ſed à ſola cognitione, proponente obiectum. Eadem ſententia fuit Roſeri apud Almain. in 3. Moralium cap. 24.

4. Videtur eiuſdem ſententiæ fuiſſe Ciſtercienſis Dionyſius in 2. diſt. 27. quæſt. vnica art. 2. concl. 3. dicens: *Deus præuenit voluntatem ad actum bonum, ſe ſolo mouendo intellectum, & etiam ſe ſolo mouendo voluntatem.* Peculiariter autem, quantum ad ſupernaturales motus intellectus & voluntatis, videtur idem exiſtimaſſe Ricardus 2. diſtinct. 26. art. 2. quæſt. 5. dicens, excitationem, & inclinationem à ſolo Spiritu ſancto produci per gratiam: *at verò liberum arbitrium eſſe paſſiuum tantùm.* Henrici in hac re, ſeu contradictionem, ſeu difficilem concordiam, attingemus infrà num. 15.

5. Pro eadem ſententia citari poſſunt Doctores, qui vniuerſaliter docent, voluntatem non eſſe principium productiuum, & efficiens ſuæ volitionis, ſiue indeliberatæ, ſiue deliberatæ: ſed tantùm eſſe potentiam paſſiuam, & receptiuam. Ita Ægidius 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica artic. 3. ad argumenta dubij 2. & in articul. 6. in 1. & 2. dubio laterali. Argentina eadem diſt. 25. quæſt. vnic. art. 1. Atque idem ſenſiſſe videtur Gotfredus quodlib. 8. quæſt. 2. & quodlib. 9. quæſt. 19. & quodlib. 13 quæſt. 3. prout refertur ab Scoto 2. diſt. 25. quæſt. 1. propè initium.

6. *Fundam. 1.* Primum fundamentum, quo ducuntur omnes ferè Doctores citati, eſt. Si actus indeliberatus, & primò primus procederet à voluntate, vt à cauſa efficiente, eſſet in poteſtate voluntatis, eum elicere, vel cohibere, quapropter liber prodiret. Conſequens autem eſſe falſum, conſtat, quoniam motus primò primi, ſiue naturales ſiue ſupernaturales fuerint, non ſunt liberi, neque pendent ab arbitrio voluntatis, vt vidimus diſp. 31. Quòd ſi contingat, aliquos eiuſmodi motus eſſe liberos, attamen certum eſt, vt plurimum eſſe merè neceſſarios, ſaltem in primo ſuæ inceptionis inſtanti.

Confirmatur, quia gratia operans fit in nobis ſine nobis: ergo ex parte noſtra nullus confertur effectiuus concurſus ad illam.

7. Secundum fundamentum peculiare Capreoli in citata diſtinct. 25. art. 3. ad primum argumentum Henrici eſt, quià motio prima voluntatis, ad volendum bonum in vniuerſali, habet rationem actus primi magis, quàm rationem actus ſecundi; videlicet, quatenus voluntatem vltimò conſtituit potentem operari vitaliter, & mouere ſe ipſam.

8. Tertium fundamentum; quoniam, vt Anſelmus docuit in libro de caſu diaboli cap. 12. & ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 9. artic. 4. cum Ariſtot. lib. 7. Moralium ad Eudemum in primum motum voluntatis, neceſſarium eſt, voluntatem prodire ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis. Ratio illorum eſt, quia, quicumque ſe mouet, ad volendum aliquid, nititur alia priori volitione, vnde ſe moueat ad ſequentem volitionem; præſertim verò volitione finis opus eſt ad volitionem mediorum. Primam verò volitionem finis non præceſſit alia volitio, vnde voluntas potuerit ſe mouere ad illam; ergo voluntas non ſe mouet ad primam volitionem finis, ſed à ſolo Deo mouentur ad illam.

9. Quartò denique confirmant, quia nullum eſt miraculum, à ſolo Deo produci eum actum, qui propter ſuam peculiarem quidditatem non poteſt produci ab vlla cauſa creata; vnde poſtulat produci à ſolo Deo; ſicut animæ rationales ſingulis momentis à ſolo Deo ſine vllo miraculo producuntur.

10. *Gratia operans efficienter fit ab intellectu, & voluntate.* Nihilominus ſit concluſio certa. Intellectiones, & volitiones, quæ propriæ ſunt gratiæ operantis phyſica efficientia eliciuntur ab intellectu, & voluntate, ſicut & reliquæ intellectiones & volitiones, quantumcumque primò primæ, à quibus incipit deliberatio, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis per gratiam operantem. Ita Caietanus 1. 2. quæſt. 9. artic. 4. propè finem, & q. 111. artic. 2. Conradus 1. 2. quæſt. 9. articul. 4. §. *nota circa*, vſque ad finem articuli, & quæſt. 111. art. 2. §. *ſed circa iſta*. quamuis hic non nihil habeat ambiguitatis, quod parum intereſt examinare; aſſerit enim ſolum Deum eſſe, *qui facit inclinationem & inductionem ad velle*, quod tamen magna ex parte explicatum eſt in diſp. præcedenti.

11. Similiter Ferrarienſis 1. contra Gentes cap. 23. §. *ſecundum eos*, docet primam volitionem finis cauſari effectiuè à voluntate, & 3. contra Gentes cap. 89. §. *ad euidentiam*, ait, Deum eſſe efficiens *vt quod*. Sed voluntatem eſſe formam *qua*, ſicut ipſe putat contingere in motu grauium, & leuium: de quo parum curo, dummodo veram efficientiam voluntatis ad primam finis volitionem admittat.

12. Eandem voluntatis efficientiam vitalem eſſe omnino requiſitam ad quamcunque volitionem, quantumcumque primam, indeliberatam, & boni in communi, docent Ioannes Bacho 2. diſt. 23. propè finem illius. Adam in primo diſtinct. 1. quæſt. 6. art. 1. in §. *item Hugo*. & in fine eiuſdem articuli, & quæſt. 10. concluſ. 2. per totam, præſertim §. vltimo, & concl. 7. (vbi ſpecialiter agit de volitione ſupernaturali, quantumcunque ſimpliciter neceſſaria.) Ioannes Maior in 2. diſt. 24. quæſt. 2. dubio 1. ad fin. Almain lib. 3. Moral. cap. 24.

13. Peculiariter circa illuſtrationes, & motus indeliberatos operantis gratiæ voluntatis efficientiam phyſicam tradunt Ruardus Taper articul. 7. de libero arbitrio pagin. 15. Molina in concordia ad quæſt. 14. diſput. 43. Bellarmin. lib. 6. de

Digitized by Google

gratia & libero arbitrio cap. vltimo ſenient. 6. & lib. 3. cap. 14. circa med. Suarez lib. 3. de auxiliis cap 5. num. 5. Vaſquez 1. 2. diſputat. 9. cap. 5. & diſp. 38. cap. 1. & diſp. 185. & 1. part. diſp. 88. Delphinus lib. 4. de libero arbitrio propius ad medium, quàm ad finem, pag. 166. ſub titulo: *Quo pacto Deus aliqua in nobis operetur ſine nobis.*

14. Idem aut dicunt, aut ſupponunt Dominicus Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 16. Inter med. & finem, & Petrus de Soto de inſtitutione Sacerdotum ſub titulo de Sacramento pœnitent. lect. 9. initio.

15. Henricus quodlib. 12. quæſt. 26. versùs finem ſentire videtur, etiam primam volitionem finis, non à ſolo Deo, ſed etiam à voluntate efficienter produci, quod etiam confirmare videtur quodlibeto 9. quæſt. 5. poſt med. Sed in eo videtur contradictionem inuoluere, quòd ſe remittit ad quodlibetum 6. quæſt. 10. quæ eſt de bona fortuna, vbi tamen docet primos voluntatis motus ad bonum non eſſe à voluntate, ſed à Deo; vtriuſque loci concordia difficilis erit, & nobis minimè neceſſaria.

16. Fauet Magiſter in 2. diſtinct. 27. quatenus ſupponit, omnem actum non fieri à ſolo Deo. Colligitur ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 3. artic. 2. & alibi, ſemper aſſerente, omnes intellectiones, & volitiones eſſe operationes intelligentis, & volentis. & 2. 2. quæſt. 23. artic. 1. probat, charitatis affectum non ſolùm à Spiritu ſancto, ſed etiam à voluntate produci, quia ſi à voluntate non produceretur, *eſſet contra rationem voluntarij, cuius oportet principium in ipſo eſſe, ſicut ſupra dictum eſt, vnde ſequeretur quòd diligere non eſſet voluntarium, quod implicat contradictionem, cùm amor de ſui ratione importet, quòd ſit actus voluntarius.* quam rationem magis ponderabimus ſtatim.

17. Probatur primò, quia ſiue implicet contradictionem, ſiue non implicet, à ſolo Deo produci in noſtro intellectu aliquam intellectionem, qua verè intelligamus; & in voluntate volitionem, qua velimus verè, & propriè (de quo nihil opus eſt diſputare modò, quamuis ego exiſtimem implicare) certum eſt, talem modum producendi intellectiones, & volitiones noſtras ſine noſtro phyſico concurſu, non eſſe conformem naturæ, & quidditati actuum vitalium perfectiſſimorum, præſertim, qualis eſt intellectio, & volitio: quarum quidditati conformius eſt, vitaliter produci à potentia vitali; ac proinde ſecundùm communem prouidentiam, ac de potentia ordinaria non producentur intellectiones, & volitiones ſine vitali efficientia intellectus & voluntatis.

Actus vitales à ſolo Deo produci implicat.

18. Quòd autem ſine vllo effectiuo concurſo voluntatis à ſolo Deo produci volitionem, vt minimum, ſit contra connaturalem modum producendi, probatur ex ratione ſpontanei; quia quælibet volitio, etiamſi fuerit primò prima, & circa finem, & bonum in communi, vel fuerit propria gratiæ operantis; adhuc quidditatiuè eſt ſpontanea, eſt enim ratio ſpontanei de quidditate cuiuſque volitionis, ſiue liberæ, ſiue neceſſariæ, vt conſtat ex Ariſtotele 3. Ethic. cap. 2. initio, & lib. 1. Magnorum Moralium cap. 18. Damaſceno, & Nemeſio locis ſtatim citandis. S. Thoma, & cæteris Doctoribus vbique. Rurſus: *voluntarium eſſe, cuius principium eſt in ipſo agente, ſciente ſingula, in quibus eſt actio*, definit Ariſtoteles lib. 3. Ethic. cap. 1. propè finem, atque eodem ſenſu retento, verbis non nihil mutatis, Nemeſius lib. 5. Philoſophiæ cap. 3. vel ſecundùm aliam diuiſionem ſub titulo de animæ facultatibus cap. 32. initio. Damaſcenus 2. de fide cap. 24. ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 6. articul. 1. & communiter Doctores.

Qualibet volitio ſpontanea eſt.

Probatur ſecundò peculiariter impugnando præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ, quoniam plurimæ intellectiones, & volitiones phyſico concurſu producuntur ab anima, & Angelo, quamuis non producantur liberè; ergo ex negatione libertatis non bene colligitur negatio concurſus effectiui à voluntate prouenientis. Antecedentis primarium exemplum ſit viſio beata, & amor ab illa procedens, qui actua nullo modo ſunt liberi Beatis, nec poſſunt ab illis ceſſare; & tamen ad illos producendos, phyſicè concurrunt intellectus, & voluntas illorum. Alioqui non eſſent operationes Beatorum; ac proinde beatitudo non conſiſteret in operatione, cuius oppoſitum demonſtratur in materia & beatitudine. 19.

Neceſſary actus à nobis producuntur.

Secundum exemplum præbent inordinati motus primò primi, ſiue ſint contra charitatem, contra caſtitatem, contra fidem, ſiue contra aliam quamcumque virtutem. quos à ſolo Deo produci ſine phyſico concurſu cauſarum ſecundarum, determinantium ad illos, implicat contradictionem; quia Deus eſſet author mali, vt oſtendimus præcedent. tomo de voluntate Dei diſp. 41. ſect. 1. Nec producuntur à dæmone, quia non influit immediate in actus voluntatis, & intellectus, vt omnes Theologi docent in materia de Angelis. 20.

Probatur tertiò, quoniam gratia præueniens eſt illuſtratio, qua perfectiùs penetramus veritates ſupernaturales, & inſpiratio, qua vehementiùs afficimur ad illas ſuprà diſputat. 30. At verò modus cognoſcendi, penetrandi, atque affectuoſè deſiderandi, vitaliter producendo intellectionem, & deſiderium, eſt perfectior, quàm ſolummodo recipiendo paſſiuè; quia per actionem ſimul, & paſſionem perfectiùs potentia vnitur cum obiecto, & poſſidet illud, quàm per ſolam paſſionem, abſque actiuitate vlla. Poſtremò eandem concluſionem confirmant, quæ dicemus, ſoluentes contrariæ ſententiæ fundamenta. 21.

Ad primum reſpond. negando antecedens Voluntas enim, quoniam eſt potentia longè altior quæcunque potentia corporea, ſortitur duplicem modum effectiuè producendi ſuos actus; alterum ſinè deliberatione, vt inde poſſit intellectum, & ſeipſam mouere ad deliberandum: alterum verò deliberatè, ac proinde liberè, & cum poteſtate cohibendi illum. Ad confirmationem conſtat ſolutio ex diſp. 29. ſect. 1. 22.

Ad ſecundum reſpond. Quamuis motio prima voluntatis, ad volendum bonum in vniuerſali habeat quandam rationem actus primi, in quantum requiritur, vt voluntas poſſit ſe ipſam liberè mouere ad particulares volitiones mediorum. Nihilominus abſolutè, & ſimpliciter ipſa eſt actus ſecundus, & operatio voluntatis, proptereàque neceſſarium eſt à voluntate per phyſicum concurſum produci. 23.

Ad tertium reſpond. Primam volitionem prodire ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis, non excludit, quominus voluntas ad eandem volitionem effectiuè concurrat. Solummodo namque excludit ne voluntas ſeipſam moueat & determinet ad talem volitionem, quod requirit dominium operationis indifferens ad vtramque partem. 24.

partem. Itaque inſtinctus & motio exterioris mouentis in eo conſiſtit, quòd prorſus independenter à libera determinatione, qua voluntas ſeipſam determinet, neceſſitatur, ac determinatur voluntas, vt per modum cauſæ naturalis effectiuè producat talem volitionem. Vnde S. Thom. 1.2. q.9. articul. 4. poſtquam in corp. docuit, neceſſarium eſſe, inſtinctum exterioris mouentis, continuò in ſolutione 1. argument. docet, prædictum motum *voluntatis habere principium proximum intrinſecum, & ſolùm primum principium eſſe extra.* & in ſolutione ſecundi argumenti addit, voluntatem conferre vim ad huiuſmodi motum, ne alioqui foret violentus.

25. Quòd autem Anſelmus, S.Thom. aliíque Doctores aſſerunt, voluntatem non mouere ſe ad huiuſmodi volitionem, intelligunt de motione, quæ excitet, determinet, faciátque, vt voluntas velit; quod non contingit, niſi reſpectu volitionis liberæ, vt præced. diſp. ſect. 3. diximus.

26. Ad quartum. Quamuis illa doctrina, vt ſonat, vera ſit; cæterùm eius explicatio ſupponit falſum. Si enim pro libito abſque vrgenti ratione compellente remittimus ad Deum totalem efficientiam eorum effectuum, quos vniuerſi regimen primarium requirit, quaſi abſolutè neceſſarios, & ſine quibus mundus aptè gubernari non poteſt: aperimus viam negandi vniuerſam Philoſophiam de ſecundis cauſis efficientibus, & dicendi, neque viſionem ab oculis, cogitationem à phantaſia, motum progreſſiuum ab animali; neque calorem ab igne produci, tanquam à cauſa efficienti. Vileſcit præterea, ſi non eſt ſingularis, animæ rationalis productio, quæ in exemplum adducitur. Ac denique Dei opus priuatur egregia laude Creatoris, qui non auarè, ac diminutè, ſed liberaliter & plenè rebus omnibus, non ſolùm eſſe communicauit, ſed etiam potentias actiuas, prout vniuſcuiuſque natura poſtulabat. Omnia igitur remedia, omnéſque ſolutiones tentare debet Philoſophus & Theologus, prius quàm ad ſupremum remedium recurrat in Deum reiiciendi totalem efficientiam rei naturaliter, & frequentiſſimè producendæ; præſertim accidentalis, & requiſitæ, vt naturales potentiæ operentur. Sed hoc fuſiùs probatum eſt ſuprà diſp. 5. ſect. 8.

DISPVTATIO XXXIV.

Vtrùm habituali gratiæ conueniat diuiſio in operantem, & cooperantem.

1. *Gratia operãs ad actus primariò refertur.*

Dico primò. Gratiæ operantis, & cooperantis partitio, propriè, & exactè vſurpata ex mente Auguſtini, & aliorum Patrum, primariò refertur ad ſolas operationes intellectus, & voluntatis, quas expoſuimus diſputat. 30. & 31. Ac proinde habitus gratiæ non eſt adæquatum, nec primarium diuiſum iſtius partitionis; ita ſupponit Ægid. in 2. diſtinct. 5. quæſt. 2. artic. 1. Argentina in eadem diſtinct. 5. quæſt. vnica art. 3. fine. Driedo de captiuitate, & redempt. tract. 6. cap. 2. part. 2. non longè poſt med. & de concordia gratiæ, & liberi arbitrij parte 2. cap. 2. particula 2. fol. 7. §. *Deinde quemadmodum*, & Ruardus articul. 7. de liber. arbitr. pagin. 15. & verſùs medium articuli §. *ex propoſitionibus.* & §. *ex quibus manifeſta.* & Suarez lib. 3. de auxiliis toto cap. 4. & 5. & quamuis breuiter, idem tamen ſupponit Roffenſis artic. 36. contra Lutherum longe poſt med. § *nihil aduerſus.* Enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis ad Parochos ab Archiepiſcopo Colonienſi editum titul. de ſacrament. Pœnitent. cap. *& vel hoc exemplo*, & c. *gratia ergo præueniens*, & multis aliis à folio 88.

2. Clariùs id notant Petrus de Soto de inſtitutio. Sacerdotum tract. de ſacrament Pœnitent. lect. 9. Vega lib. 8. in Trident. cap. 13. Molina in concordia ad articulum 13. diſp. 8. & 9. Bellarmin. lib. 1. de gratia & liber. arbitr. cap. 14. Vaſquez 1. 2. diſp. 185. cap. 2. & 1. part. diſp. 88. cap. 2. Delphinus lib. 4. de libero arbitr. propius ad med. quàm ad finem, ſub titulo, *Quo pacto Deus aliqua in nobis operetur ſine nobis.* pag. 166.

3. Hæc aſſertio conſtat ex teſtimoniis allatis tota diſp. 81. eorum vis nunc explicatur magis duplici indicio manifeſto. Apud Auguſtinum, cæteróſque Patres illius ſectatores, illa præſertim gratia ſit in nobis ſine nobis, liberum arbitrium præueniendo, & excitando; quæ præbet iuſtificationis initium; atque præcedit omnia prorſus merita, diſpoſitiones, & cooperationes noſtras. Quæ duæ proprietates non poſſunt conuenire habituali gratiæ, & multo minus ſi ea ſit gratia remiſſionis peccatorum. Nam adultis nullus habitus ſupernaturalis infunditur, niſi præcedente aliquo merito de congruo, & diſpoſitione per actum ſupernaturalem. Quapropter initium iuſtificationis ab actu ſumitur ſemper, & non ab habitu.

4. Confirmatur. nam gratia operans ab operatione nomen accepit, quæ operatio pertinet ad genus cauſæ efficientis; quod non reperitur in habitibus, niſi in quantum cooperantes ſunt. Nam ratio operantis non tribuitur illis, niſi in genere cauſæ formalis, vt S.Thom. notat 1.2. quæſt. 111. articul. 2. ad primum argumentum. At verò congruentiùs appellatur operans gratia ea, quæ formaliter conſiſtit in actuali operatione intellectus & voluntatis, per quam excitatur liberum arbitrium ad cooperandum Deo priùs operanti, & poſtea cooperaturo.

Confirmatur ſecundò, quia ſi fortè habitus in genere cauſæ efficientis exercent aliquam rationem operantis gratiæ, id præſtant quatenus ex illis immediatè reſultant illuſtrationes, & ſuauitates actuales, quibus proprium eſt nomen gratiæ operantis, vt dicemus diſputat. 41. ſect. 10. num. 13.

5. *Habitibus accommodatur gratiæ operantis nomen.*

Dico ſecundò. Nihilominus prædictam partitionem gratiæ operantis, & cooperantis ſapienter, & vtiliter Doctores Scholaſtici accommodarũt habitibus gratiæ, præſertim verò illi, quo primariò, & abſolutè iuſtificamur. Ex propria quidditate vtriuſque gratiæ operantis & cooperantis acceptum eſt fundamentum. Nam habitus ſupernaturalis dici poteſt gratia operans, quatenus à ſolo Deo producitur ſine noſtro phyſico concurſu, & qua ratione ſe ipſo formaliter ornat, & perficit animam, nobis nullo modo ad hoc concurrentibus. *Ac proinde etiam quatenus animam ſanat, ſanctificat, & gratiam Deo facit*, vt loquitur D.Thomas, & alij Scholaſtici infrà citandi.

6. Idem habitus dici poteſt gratia cooperans, ſiue adiuuans, in quantum ſimul cum noſtro intellectu, aut voluntate concurrit ad eliciendam operationem ſupernaturalem liberam, & meritoriam; ſiue concurrat immediatè, vt habitus fidei, charitatis,

Digitized by Google

charitaris, & aliarum virutũ concurrunt ad proprios actus: ſiue mediatè, vt primarius habitus iuſtificaos, & grarum faciens, qui non ſolùm propter ſeipſum tribuitur, ſed etiam propter actus eliciendos, mediantibus aliis habitibus; vt ſinuitur ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 111. art. 2. & q. 109. articul. 9. & quæſt. 110. attic. 2. in quo eriam ratio cooperantis gratiæ non ſolùm poſita eſt iu phyſica ratione principij, ſed etiam in ratione moralis principij tribuentis dignitatem, & meritum perſonæ, & operibos.

7. Hac ratione accommodatam, atque ad ſpeciale quoddam gratiæ genus reſtrictam partitionem gratiæ operantis, & cooperantis, rradunt communiter Scholaſtici. D. Thom. 1. 2. quæſt. 111. attic. 2. Albert. 2. part. quæſt. 98. memb. 2. & q. 100. fine. Alexand. 3. part. quæſt. 69. membr. 3. attic. 3. corp. & ad 2. D. Bonauentura 2. diſtinct. 26. artic. vnico quæſt. 6. & diſtinct. 27. artic. 1. quæſt. 1. (licèt Alexand. & Bonaoentura obſcurè loquantur) Antoninus 4 part. titul. 9. cap. 3. §. 5. Ægidius 2. diſtinct. 26. quæſt. 5. artic. 3. corp. & ad 1. Caietan. Conradus, & cæteri expoſitores S. Thomæ 1. 2. quæſt. 111. artic. 2. Durandus 2. diſtinct. 26. q. 3. Ricardus 2. diſtinct. 26. qoæſt. vltima. Gabriel diſtinct. 26. quæſt. vnica attic. 1. notab. 2. Vdalticus in Summa lib. 2. quem aliόſque Doctores ſeqnitur Carthuſian. 2. diſtinct. 26. quæſt. 5. Marſilius in 2. quæſt. 17. aticul. 5. notab. 2. Driedo de captiuit. & redempt. tract. 6. cap. 2. part. 2. non longè poſt med. Soto lib. de natura & gratia cap. 16. versùs finem.

8. Imò huius accommodatæ partitionis anthorem fuiſſe Magiſtrum, conſtabit attentè legenti lib. 2. 26. diſtinctionem cap. 4. vbi ex Auguſtino probat, fidem cum dilectione eſſe gratiam præuenientem. & diſtinct. 27. probat actum non eſſe gratiam præuenientem. Vnde loquitur apertè de habitu. Recolendum tamen eſt, non ſolùm recentiores Scholaſticos in principio huius diſputationis citatos, ſed etiam antiquos, ſimul agnouiſſe operantem gratiam, quæ eſt actualis motio, & operatio intellectus & voluntatis ſuprà diſp. 31. ſect. 7.

9. Dico tertiò. Ex duobus illis membris partitionis, gratia cooperans habitibus conuenit magis propriè, quàm gratia operans. Nam de potentia ordinaria ſimpliciter neceſſarij ſunt habitus infuſi, vt cum libero arbitrio cooperentur, ad eliciendos actus meritorios ſiue de congruo, ſiue de condigno (excipio actus, qui præcedunt infuſionem ſui habitus: de quibus nihil attinet ad præſens) vt magis conſtabit diſp. 36. ſect. 3. At verò de lege ordinaria non dantur habitus ad primarium finem, atque proprium munus gratiæ operantis, quod eſt mouere, excitare, allicere, & inuitare liberum arbitrium, vt velit; præſertim quando ab impietate ad pietatem conuertendum eſt; hoc enim non habitus, ſed actuales illuſtrationes & ſuauitates præſtant ſuprà diſp. 30. & 31.

Habitibus propriùs cooperans, quàm operans gratia conuenit.

10. Id ex parte docuit S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 6. corpore, dicens: vt voluntas ſe ad gratiam præparet, non prærequiri aliquid donum habituale; ſed requiri auxilium gratuitum Dei interiùs animam mouentis, ſiue inſpirantis bonum propoſitum.

11. Dico quartò. Probabile eſt, atque piè creditur, quòd Deus aliquando ſoleat per alicuius habitus infuſionem immediatè, & primò excitare atque mouere mentem ad illos motus indeliberatos, qui ſunt proprij gratiæ excitantis; ita vt nullus actus ſupernaturalis, neque deliberatus, neque indeliberatus præcedat infuſionem illius habitus. Ita videtur ſentire S. Bonauent. 2. diſtinct. 28. art. 2. quæſt. 1. corp. propè initium, vbi diſiunctiuè ponit excitationem, quæ requiritur, *ſiue illud gratis datum ſit habitus, ſicut timor ſeruilis, vel pietas aliquorum viſceribus inſerta ab infantia; ſiue ſit aliquis actus, ſicut aliqua vocatio, vel locutio.* Idem recipit Carthuſianus in 2. diſt. 28. quæſt. 2. initio.

Aliquando per habitus ad indeliberatos motus excitamur.

Quod etiam ſupponere videtur S. Thomas in eadem diſtinct. 28. quæſt. 1. artic. 4. ad 1. & 2. illis præſertim verbis: *Neque tamen oportet, quòd illud auxilium ſemper ſit per aliquem habitum infuſum.* quæ ſignificant, S. Thomam permittere, aliquando per habitum infuſum excitari hominem, vt ſe præparet ad gratiam; de hoc enim agebatur ibi. 12.

Vt de habitoali excitatione ad bonum ita ſenſerit Doctor vterque, ſuſpicor ductum eſſe propria experientia. Quoniam vt ab infantia, & ante quodcunque proprium meritum ita frequenter, vel potiùs ſemper, ac ſine intermiſſione pulſarentur illis motibus pietatis, ſuauius per habitum infuſum, & intenſum, quàm ſine illo fieri poterat. 13.

Nos igitur deinceps dicentes gratiam operantem, ſemper intelligemus actualem, non verò habitualem: niſi aliud notauerimus expreſsè. At verò nomine gratiæ cooperantis comprehendemus etiam habitus gratiæ. Hoc magis conſonum eſt modo loquendi Patrum, & Scholaſtic. vt infrà diſput. 36. ſect. 3. 14.

DISPVTATIO XXXV.

Utrùm phyſica prædeterminatio ſit operans, & cooperans humanæ operationis initium.

SECTIO I.

Affirmatiua ſententia refutatur.

QVONIAM phyſica prædeterminatio ſic à ſuis aſſertoribus ampliatur, vt ad omnem operationem requiratur, non modò ſupernaturalem, ſed etiam naturalem, honeſtam vel turpem, neceſſariam, vel liberam: & quoniam præmotio Dei ad quaſlibet operationes naturales prærequiſita, correſpondet apta proportione præuenientibus illuſtrationibus, & inſpirationibus gratiæ, (vt videbimus diſput. 42.) operæ pretium erit examinare, num phyſica prædeterminatio prærequiratur ad omnem operationem humanam; ſicut excitans, præueniens, & operans præmotio: quemadmodum etiam ad materiales actiones peccatorum prærequiri, dicebat ea ſententia, quam refutauimus præcedenti tomo de voluntate Dei, diſput. 36. ſect. 4. & ſequent. & vtrùm ſimul etiam ſit cooperans, concomitans, adiuuans, vel ſubſequens. 1.

Ex authoribus illius ſententiæ vnicum reperio, qui expreſsè negans, eſſe præuenientem, & excitantem, affirmauerit eſſe cooperantem, ſeu adiuuantem. Alij duo Doctores diſertis verbis affirmant realitatem phyſicæ prædeterminationis eſſe præuenientem, excitantem, & operantem, prout facit, vt velimus: eandem quoque realitatem. 2.

Digitized by Google

tatem, nulla eotitate realiter auctam, eſſe coopetantem, & adiuuantem, quatenus per illam Deus nobiſcum operatur.

3. Vtrumque munus ſupponere videntur priores aſſertores phyſicæ prædeterminationis, quippe quam probare tentant eiſdem argumentis philoſophicis, aut theologicis, quibus probatur neceſſitas diuinæ præmotionis; atque ſimul aſſerunt, per illam determinari voluntatem ad liberum coonſenſum.

4. Hanc ſententiam, ptius quàm refutemus, diligẽtet debemus diſtinguere alias quæſtiooes duas, quæ ſimnl cum præſenti, & cum cæteris, ad phyſicam prædeterminationem pertinentibus, inuoluuntur ab eius authoribus; quaſi ſupponentibus, ttes illas eſſe vnicam quæſtionem, aut certè vnicam eſſe omnium deciſionem.

5. *Quæſtio prima.* Prima quæſtio eſt, vtrùm aliqua realitas intentionalis, & fluens per modum tranſeuntis, ſimpliciter neceſſaria ſit, vt voluntas vltimò, & completè conſtituatur in actu ptimo ad producendam volitionem? Hæc quæſtio nihil attinet ad præſentem; quia ſiue requiratur prædicta realitas intentionalis & fluens, ſiue non requiratur (vt oſtendimus præcedenti tomo de voluntate Dei, diſp. 46. & ſequentibus) quod ad præſentem quæſtionem attinet, eſt, illam non eſſe oparantem, neque cooperantem motionem, ſed potiùs vtrique repugnare; ſi antecedenti neceſſitate determinat voluntatem; itavt ex ſuppoſitione illius impoſſibila ſit, omittere talem volitionem, & ſiue illa prædeterminatione volitionem elicere ſit etiam impoſſibile. Itaque ſi prædicta realitas intẽtionalis, & fluens antecedentem neceſſitatẽ non imponetet, non pugnaret cũ quidditate motionis operantis, & coooerantis: ſolummodo vt ſuperflua redundatet, & ab aliis ptincipiis Philoſophiæ atque Theologiæ, validam ſubiret impugnationem.

6. Secunda quæſtio aſt, vtrùm Deus non ſolùm moraliter moueat pet illuſtrationes, exhortationes & ſuauitates; ſed etiato cauſalitate phyſica realiter influat ad conſenſum ſimul cum libero arbitrio producendum. Quia contraria ſententia ſic in omnibus procedit, quaſi negari non poſſit prædeterminatio, phyſicam, & antecedentem neceſſitatem imponens; quin etiam ſimul negetur quilibet realis influxus, quo Deus cauſalitate phyſica ad liberum conſenſum producendum concurrat.

7. *Nobiſcum Deus phyſica cauſalitate liberos actus producit.* Sed longè aliter ſe res habet, & nuſtri Doctores expreſse tradidatunt. nam Deus reali concurſu, & cauſalitate phyſica, vt veta & perfectiſſima cauſa efficiens, concurrit, ad producendum conſenſum ſimul cum libero arbitrio; idque non ſolùm immediatè per influxum, qui per nullam creatam realitatem inter mediam deriuatur; ſed etiam mediatè deriuando phyſicum influxum per habitus, aliáſque realitates creatas, de quibus tota diſp. ſequenti dicemus. Cæterùm hæc Deus tanta ſuauitate præſtat, vt integrum ſit voluntati impedire, & reſpuere prædictum influxum, quamuis phyſicum, liberè omittendo conſenſum, vel conſentieodo admittere concurſum Dei, & ipſi cooperari. Reſtat ergo quæſtionem, quam in præſenti tractamus, ab his duabus ſeparandam eſſe.

8. *Prædeterminatio non eſt operans aut cooperãs gratia.* Vnica concluſio ſit. Phyſica prædeterminatio non eſt operans excitans, ſeu præueniens initium operationis humanæ; multóque minus eſt concurſus cooperans, adiuuans, vel ſubſequens.

Probatur primò. quia talis realitas intentionalis, & fluens non requiritur ad operationes, ſiue naturales, ſiue ſupernaturales; quin potius ſi daretur, libertatem abſolutè ligaret vinculis neceſſitatis antecedentis: quod probare argumentis, pro vtraque parte collatis, non eſt diſput. præſentis. Quod ſatis probatum fuit tomo de ſcientia Dei à diſp. 38. vſque ad 78. & tomo de volunt. Dei à diſp. 27. vſque ad 51.

Probatur ſecundò, quoniam Auguſt. cæterique Patres citati, atque citãdi toto præſenti tomo vltra cugitationem, ſeu vocationem præuenientem, & excitantem, atque concurſum cooperãtem, ſeu adiuuantem, nihil aliud requirũt ad liberam operationem. Nullibi apud eos reperitur mentio alicuius realitatis, quæ intermedia interſit poſt vocatam motionem, præuenientem, & excitantem, & ante conſenſum liberum, præter concurſum, qui ſimul cum libera voluntate cooperatur. 9.

Confirmatur primò, quoniam vt Deus nos faciat velle inchoata volũtate, quæ deliberationem præcedit, ſufficiunt illuſtrationes intellectus, & ſuauitates, ſeu inſpirationes voluntatis; in quibus conſiſtit ratio vocationis. Inſuper, vt Deus nos faciat velle libera & abſoluta volitioue, ſufficiunt non ſolùm prædictæ illuſtrationes, & ſuauitates inuitãtes, ſed etiam phyſicus, & realis influxus ad producendum conſenſum, cooperando ſimul cum libero arbitrio, quem influxum Deus paratum offert, integram relinquendo libertatem, vt voluntas cooperetur, vel nõ cooperetur, vt voluetit. 10.

Confirmatur ſecundò. quia nomine impulſus motionis, & inſtinctus antiqui Patres & Scholaſtici intelligunt prædictas illuſtrationes, & ſuauitates: vt ex eorum contextu conſtare poteſt, variis locis inter ſe collatis: & aliunde ſuppoſito prædicto impulſu, ſeu gratia præueniente, ſolos habitus requirunt, aut Deum, qui ſuo concurſu illorum defectum ſuppleat; ſupponentes tamen concurſum alium immediatum, quem ſiue præſente, ſiue abſente habitu, immediatè ad conſenſum deriuari, neceſſarium eſt; ſicut ad quemlibet effectum ſecundarum cauſarum requiritur immediatus influxus primæ cauſæ vltra illum, qui per ſecundas cauſas deriuatur mediatè. 11.

Tertiò probatur, quoniam illa prædeterminatio non modò non poteſt eſſe cooperans, & concomitans, ſed etiam excludit quemcumque concurſum concomitantem, & cooperantẽ. Hic enim quidditatiuè poſtulat, ſimul & cõcomitanter cum libero arbitrio cooperari. Hæc autem ſimultas, ſeu concomitantia in eo primariò conſiſtit quòd vtriuſque concurſus mutuò adinuicem pendeat, itavt neuter ſine altero exiſtere queat; proindéque neuter ſit ita ſimpliciter, & abſolutè prior, vt non expectet alium ſibi cooperari, & ea ſit ratione poſterior; quamuis alia ratione longè perfectiori diuinus concurſus, ſit prior, vt pleniùs explicabimus tomo ſequenti. 12.

Porrò Dei cooperationem à liberi arbitrij cooperatione pendere Deo ita ſuum temperante concurſum, vt niſi libero arbitrio ſimul cooperante, non velit ad conſenſum concurrere, ſatis conſtat ex Patribus, quos tota diſp. 31. retulimus, & magis confirmabitur in ſect. 3. Hanc autem mutuam dependentiam inter cooperationem Dei, & liberi arbitrij phyſica prædeterminatio prorſus excludit, quia nun ſolùm ipſa, neque vt ſit, neque vt in conſenſum influat, ab hominis libertate dependet; ſed etiam voluntatem ita neceſſariò, & antecedenter rapit, vt nullum relinquat actuale li- 13.

bertatis

bertatis exercitium,à quo pẽdere poſſit alius concurſus,vt verè cooperans ſit, atque dicatur.

14. *Beatis ad amorem beatificum non datur gratia cooperans.* Confirmatur. nam in Beatis ad amorem beatificum eliciendum, non datur gratia cooperans, quia virtute viſionis beatifica à Deo neceſſariò rapiuntur ad amandum ita, vt in ſenſu compoſitu cum viſione beatifica, non ſit in eorum poteſtate, non amare; at verò prædeterminatio phyſica ſimiliter neceſſariò & antecedenter voluntatem ad conſenſum rapit ita,vt in ſenſu compoſito cum prædicta prædeterminatione non ſit in poteſtate voluntatis, non conſentire. Diſparitatis rationes,quas inter hæc duo aliqui conantur oſtendere, præſenti argumento non ſatisfacere oſtendimus tomo de ſcientia Dei diſputat. 34. & diſputat. 51. multiſque aliis.

SECTIO II.

Gratiam phyſicè operantem identificari realiter cum gratia excitante.

1. *Prima ſententia.* ILla ſententia, quam refutauimus ſect. præcedenti, pergit vlteriùs, contendens, gratiam phyſicè operantem diſtingui realiter à gratia excitante. Cuius duo ſunt argumenta præcipua.

Fundamentum primũ. Primum, quia gratia excitans ſæpe ſine noſtro conſenſu, & cooperatione exiſtit: at verò gratia phyſicè operans nunquam exiſtit ſine noſtro conſenſu; ergo gratia excitans realiter exiſtit ſæpè, non exiſtente gratia phyſicè operante, ac proinde realiter ab illa diſtinguitur. Antecedentis membrum primum probatione non indiget. Secundum membrum probat, quoniam per gratiam phyſicè operantem Deus certò, & infallibiliter ſibi ſubiicit humanam voluntatem, ac ex nolentibus facit volentes, ex repugnantibus conſentientes.

2. Secundum argumentum, quia ſæpè non exiſtit gratia excitans, quando Deus operatur conſenſum liberum, ac proinde gratia excitans non poteſt eſſe phyſicè operans, quapropter requiritur alia gratia phyſicè operans, quæ tunc exiſtat, qua Deus phyſicè operetur conſenſum.

3. *Operans cum cooperante gratia realiter identificatur.* Nihilominus ſit concluſio. Gratia phyſicè operans identificetur realiter cum gratia excitante. Probatur, quia neceſſariò concedendum eſt, Concilium Tridentinum aut nimium diminutam, & truncam de iuſtificationis initio doctrinam tradidiſſe (quod abſit exiſtimare) aut gratiam operantem reputaſſe eandem cum gratia excitante, ſeu præueniente, & cum vocatione ipſa. Nam tota ſeſſione 6. præſertim cap. 5. & 6. & canon. 3. & 4. ex profeſſo tractans de gratia, requiſita, tum ad iuſtificationis initium, tum etiam ad liberum voluntatis conſenſum, nunquam vſurpat operantis gratiæ nomen; cùm tamen expreſsè aſſerat, liberum arbitrium moueri, & excitari à Deo, vt ad iuſtificationis gratiam obtinendam ſe diſponat: præſertim cùm expreſsè etiam meminerit noſtræ cooperationis, quæ diuinam non ſolùm cooperationem, ſed etiam operationem prærequirit. Quapropter ſine dubio Tridentinum totam operantem gratiam iuſtificationis exordio neceſſariam, complexus eſt nominibus gratiæ præuenientis, ſeu excitantis, quam ipſum Tridentinum interpretatur eſſe vocationem.

4. Confirmatur primò. nam apud Auguſtinum celeberrima eſt partitio vocationis in eam quæ eſt ſecundùm propoſitum, quæ ſola certò, & infallibiliter ſortitur iuſtificationis effectum; & aliam vocationem, quæ non eſt ſecundùm propoſitum: idcóque ſuo effectu fruſtrari permittitur. Quapropter eadem erit partitio gratiæ operantis, & conſequenter ſicut excitans gratia exiſtit ſine effectu noſtræ cooperationis multoties: ſic etiam operans gratia.

Confirmatur ſecundò. nam præuenientem gratiam eandem eſſe cum excitante gratia, conſtat ex Tridentino ſeſſione 6. cap. 5. & 6. & canon. 3. & 4. Rurſus præuenientem, & operantem eſſe eandem gratiam, conſtat, quoniam Auguſtinus, & Proſper vtroque nomine indifferenter vtitur pro eadem gratia multis in locis ſuprà diſputat. 30. & 31. recitatis. Nunc ſatis ſint illa verba lib. de natura, & gratia. cap. 32. initio: *Operamur & nos; ſed illo operante, cooperamur, quia miſericordia eius præuenit nos. Præuenit vt ſanemur.* Multáque alia ſubiungens de operatione gratiæ præuenientis, poſtea in ſequent. cap. 33. colligit, Deum eſſe qui operatur in nobis & velle & operari, Philippenſ. 2. De hac identitate gratiæ operantis, excitantis, & præuenientis plura diximus diſputatione 29. ſect. 2. à num. 10. 5.

Ad primum argumentum initio poſitum, reſpondetur, falſam eſſe poſtremam propoſitionem illius, quantum ad infallibilitatem. Quin potiùs apud Concilia, & Patres, & Scholaſticos omnes (præter vnum aut alterum ex recentioribus) gratia operans multoties de facto non obtinet effectum cooperationis noſtræ, ſicut gratia excitans: & quando conſequitur effectum noſtræ cooperationis, non imponit antecedentem neceſſitatem ad illam, ſed relinquit illæſam libertatem. 6. *Gratia operans multoties non obtinet effectum.*

Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens. Quin potiùs Deus nunquam operatur noſtrum conſenſum, niſi tunc actualiter exiſtente aliqua gratia excitante, quæ eadem eſt tunc gratia operans. Nihilominus ſæpè contingit, vt ante illam gratiam excitantem & operantem, quæ coëxiſtit conſenſui, præceſſerint, & extinctæ fuerint aliæ plures gratiæ excitantes, & operantes, prout fuſiùs explicabitur infrà diſp. 40. ſect. 4. & diſput. 41. ſect. 2. 7.

SECTIO III.

Gratiam cooperantem, prout cooperans eſt, non eſſe præuenientem.

VNus ex authoribus illius doctrinæ, quam duabus præcedentibus ſectionibus refutauimus, addit gratiam cooperantem, in quantum cooperans eſt, & in quantum ab excitante diſtinguitur, eſſe gratiam præuenientem, ita vt ordine rationis, & cauſalitatis præcedat arbitrij creati cooperationem cum illa. Atque in idem recidit alterius authoris ſententia, apud quem auxilium adiuuans, & cooperans antecedit actum ſecundum elicitum à voluntate: vterque autem expreſsè agit non ſolùm de gratia cooperante, prout in actu primo parata offertur libero arbitrio; ſed etiam de ipſo actuali concurſu cooperantis, & adiuuantis gratiæ ad conſenſum, quem aſſerunt, ita eſſe abſolutè præuenientem & priorem noſtro concurſu, vt nullo modo dependeat ab illo, neque ab exercitio libertatis noſtræ; ac proinde nullo modo ſit poſterior. 1. *Sententia affirmans.*

Nihilomi

2. Nihilominus ſit concluſio. Gratia cooperans, in quantum cooperans eſt, non eſt præueniens, ſed concomitans, & conſequenter actualis cooperatio Dei non antecedit actualem cooperationem voluntatis creatæ, ſed comitatur illam cum mutua prioritate.

Gratia cooperans in quantum talis concomitans eſt.

Rationis prioritas in quo conſiſtat.

Probatur primò, quoniam vbi non interuenit prioritas temporis, ſed ſola prioritas rationis, maximè verò inter formalitates, ſola ratione diſtinctas, prioritas formaliſſimè conſiſtit in eo, quòd vna formalitas pendeat ab alia, ita vt formalitas, quæ pendet, ſit eo ipſo poſterior; illa verò formalitas à qua dependet, ſit prior. Vnde fit, vt ſimpliciter & abſolutè ſit prior ea formalitas, quæ non dependet ab alia, licèt alia dependeat ab illa. Cæterùm ea formalitas non ſit abſolutè prior, ſed tantùm in aliquo genere, quæ mutuò pendet ab alia, licèt alia pendeat ab illa. Quam ob cauſam huiuſmodi formalitates veriùs dicuntur coëxiſtere ſimul etiam ſecundùm rationem, vt fuſiùs probatum eſt tomo præcedenti de voluntate Dei diſputatione 22.23.& 24. Cùm igitur formalitas actualis cooperationis diuinæ ad liberum conſenſum noſtrum, exiſtere nequeat, niſi voluntas noſtra ſe ipſam liberè applicet, ſuppoſita vocatione, & excitante gratia, conſequens eſt, eo modo eſſe poſteriorem, licèt alio priori modo ſit prior, ideóque non eſſe ſimpliciter, & abſolutè præuenientem, ſed ſimultaneam, & concomitantem.

Secundò, quia diſertis verbis Dei cooperationem dependere à noſtra cooperatione, & in hoc ſenſu eſſe ſubſequentem, tradunt non pauci Patres citandi tomo ſequenti. Atque in re idem eſt, quod Auguſtinus & alij Patres frequenter affirmant, Deum non cooperari ſine nobis, quod ſignificat, velle vt ſua cooperatio non exiſtat, niſi exiſtente noſtra libera cooperatione, cuius aliqua exempla reperies ſequenti diſput. ſect. 2. Alia vidimus ſupra diſput. 29. ſect. 1.

3. Tertiò aliqui ex grauiſſimis Patribus aſſerunt, Dei voluntatem & operationem non antecedere noſtras voluntates, ne libertas lædatur. Quod non ita pronunciant, quaſi negauerint gratiam præuenientem, vt ſatis oſtendimus ſupra diſput. 27. & 28. vnde conſequens eſt, vt ſolummodo voluerint, Dei præparationem ad concurrendum, & illius actualem concurſum, pro vt cooperans eſt, non ita ſimpliciter & abſolutè antecedere, vt nullo modo ſit etiam poſterior concurſu liberi arbitrij, quaſi pendens ab illo, in ſuo genere cauſæ. Hos autem Patres retulimus tomo de ſcientia Dei, diſput. 33. ſect. 5.

4. Quartò, quoniam Scriptura & Patres plurimi aſſerunt, Deum expectare noſtræ libertatis conſenſum & cooperationem, cúmque iidem ipſi tradiderint, præuenientis gratiæ neceſſitatem, manifeſtum eſt, agere de cooperante gratia, per quam Deus expectat liberam arbitrij cooperationem. Hæc Scripturæ, & Patrum teſtimonia ponderabimus tomo ſequenti, probantes poſſibilitatem ſalutis obtinendæ conceſſam cunctis hominibus.

5. Quintò probatur. Quoties enim gratia Dei non ſortitur effectum obtinendi noſtram cooperationem; id contingit propter noſtram culpam: hæc autem culpa nulla foret, niſi talis effectus penderet à libera cooperatione noſtra, cuius argumenti, quantum ſit robur, conſtabit in loco nuper citato.

Sextò, quoniam ad impediendam iuſtificationem noſtram & effectum diuinæ gratiæ, nos ſumus priores & primaria cauſa, præbens initium impedimenti: vt conſtabit loco nuper citato. Hoc autem foret impoſſibile, niſi actualis concurſus diuinæ gratiæ ad noſtrum conſenſum penderet à libera arbitrij cooperatione. Nam ſi nos impedimus negando liberam cooperationem, Deus etiam non cooperatur; ſi verò non impedimus, ſed cooperamur, Deus cooperatur. Inſuper ſi Deus ita nos prior determinet ad cooperandum, vt nullo modo pendeat à libera noſtra cooperatione, impoſſibile nobis erit, quando voluerimus, eſſe primariam cauſam, atque priùs, & præueniendo Deum, initium præbere, vt noſtra iuſtificatio impediatur. Confirmatur, quoniam non ſolùm circa diuerſus actus liberos, ſed etiam circa vnum & eundem conſenſum, verum eſt dogma Tridentini, deſumptum ex Auguſtino, aliiſque antiquioribus Patribus. Deus neminem deſerit, niſi priùs deſeratur ab illo, quod ponderabimus in eodem loco. 6.

Septimò, quoniam conditionalis eſt voluntas, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, etiam eos, qui de facto damnantur. Conditio autem eſt, ſi liberè diuinæ gratiæ cooperari voluerint; quam conditionem oppoſitam eſſe diuinæ voluntati multis locis ſacræ Scripturæ deſumptam notarunt pleriqoe Patres relati præcedenti tomo de volunt. Dei, diſput. 19. & 20. 7.

Octauò. Quia per Deum non abeſt, per Deum non ſtat, quominus liberum arbitrium cooperetur Deo, quin potiùs, quantum in ſe eſt; & quantum ex ſua parte requiritur, liberaliter, & abundanter præſtat: vt ferè omnes Patres diligenter obſeruant locis referendis tomo ſequenti. Quo ſuppoſito, cùm nihilominus plerumque Deus de facto non cooperetur ad liberum conſenſum voluntatis: conſequens eſt, totam impedimenti rationem nullo modo ſe tenere ex parte Dei, ſed ſolummodo ex parte liberi arbitrij. Vnde conſtat effectum diuinæ gratiæ, quem Deus, quantum ex ſe eſt, optat, atque procurat, & quantum ex ſe eſt, nullo modo impedit, pendere ex eo quod liberum arbitrium non impediat: impedit autem, quando non cooperatur, non impedit quando cooperatur. 8.

Nonò. Huc pertinent cauſales propoſitiones, quæ apud Patres leguntur frequentes. Ideo hic homo non iuſtificatur, aut non conuertitur, quia non vult, aut quia non cooperatur; ideo pertinaciter hæret in peccato, quia vult: & ſimiles aliæ quas ponderabimus tomo ſequenti. ex quibus eadem argumentatio ſumi poteſt, quàm proximè præcedenti probatione notabimus. 9.

Probatur decimò, quia Deus non eſt cauſa peccati, neque præmouet ad illud, ſed liberum arbitrium eſt cauſa, initium, & conſummationem peccati præbens, atque ſe ipſam determinans, Deúmque quodam quaſi compulſionis genere trahens, vt præbeat generalem concurſum ad actum peccati. Quod teſtimoniis ſacræ Scripturæ, Conciliorum ſanctorum Patrum, & Scholaſticorum, plurimiſque rationibus monſtrabimus tomo præcedenti de voluntate Dei, à diſput. 27. vſque ad 51. Quòd ſi Deus independenter à libera cooperatione arbitrij, illámque in nullo genere cauſæ expectando, determinaret voluntatem nunc ad bonum conſenſum, nunc verò ad conſenſum intrinſecè malum 10.

(quamuis non intendendo rationem formalem malitiæ, vt ſe ipſam ſolet præcaſtigare contraria ſententia) iam Deus eſſet cauſa determinans ad peccandum. Cuius illationis robur & efficacia conſtat ex prædictis diſputationibus.

11. Vndecimò probatur, quoniam oppoſita ſententia manifeſtè nomen, officium, & quidditatem gratiæ cooperantis extinguit, atque transformat in gratiam præuenientem, ita vt non ſolùm realiter, ſed etiam formaliter, & reduplicatiuè gratia cooperans, in quantum cooperans, ſit præueniens: habeátque prioritatem, præcedentiam, & independentiam à noſtra libera cooperatione non minorem, quàm gratia præueniens. Siquidem totalem independentiam habet, quod nullo modo pendet ab alio, quæ totalis independentia ſatis eſt præuenienti gratiæ, & ab hac ſententia conceditur in gratia cooperante.

12. Probatur vltimò. Quia Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. ante medium ait: *Ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur.* Suppono virtutem, quam Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra influit, eſſe diuinam gratiam, quapropter huius gratiæ tria erunt munera. Primum præcedere bona iuſtificatorum opera; ſecundum eadem opera comitari; tertium eadem opera ſubſequi. Ex quibus muneribus primum & poſtremum ſolummodo admittit opinio, quam in præſenti oppugnamus, prorſus extinguens ſecundum munus comitandi bona iuſtorum opera. Nam ſi aliqua ratione comitaretur, maximè qua ratione cooperatur, & tamen ſub hac ratione non comitatur, ſed præcedit, & præuenit.

Confirmatur primò. Confirmatur primò. nam quamuis aliquando ea etiam comitari dicantur, quæ vel præcedunt, vel ſequuntur: cæterùm quando comitandi verbum interponitur medium inter præcedere, & ſubſequi, non poteſt non afferre concomitantiam, quæ vt ſic & formaliter diſtinguatur à præcedentia, niſi dicamus otioſa & impropria eſſe verba Tridentini.

Secundò. Confirmatur ſecundò. Nam eadem vis argumentationis clarior eſt in verbis Fulgentij epiſt. 6. ad Theodorum cap. 9. *Ad has* (ſcilicet Scripturas ſacras) *ſi humilis, & mitis acceſſeris, ibi profectò inuenies, & præuenientem gratiam, qua poteſt eliſus ſurgere; & comitantem, qua viam recti poſſit itineris currere; & ſubſequentem, qua valeat ad regni cæleſtis beatitudinem peruenire.* Vbi apertè conſtat, comitantem gratiam eſſe diſtinctam à præueniente, necnon à ſubſequente, atque ſimul cum voluntate concurrere, vt viam poſſit recti itineris currere, operando bonas & meritorias actiones.

Tertiò. Confirmatur tertiò. ex Bernardo tractatu de gratia, & libero arbitrio col. penult. vbi poſtquam retulit omnes effectus priores, & poſteriores gratiæ, ſubiungit: *Sic tamen iſta cum libero cooperatur arbitrio, vt tamen illud in primo præueniat, in cæteris comitetur.* Ecce comitatur, & cooperatur cum arbitrio, quælibet gratia, quæ ſequitur poſt præuenientem. Eodem modo de gratia comitante alij Patres loquuntur.

Quartò. Confirmatur quartò, quia idem prorſus ſignificat illa phraſis Arauſicani, Auguſtini, & aliorum Patrum, *operari nobiſcum.* Vnde manauit apud Scholaſticos plurimos nomen gratiæ comitantis, ſeu concomitantis.

SECTIO IV.

Gregorio Ariminenſi falsò adſcribi, operantem, ſeu præuenientem gratiam eſſe phyſicam prædeterminationem.

De aliis authoribus, quibus coactè & falsò adſcribitur phyſica prædeterminatio, diximus tomo præcedenti, præſertim diſputat. 39. Nunc verò de ſolo Gregorio, quippe cui ſub peculiari ratione ac munere gratiæ præuenientis phyſica prædeterminatio tribuitur etiam ab illius impugnatoribus. Nec miror. nam in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. exterior verborum cortex ſimilis eſſe videtur, quamuis mens longè diuerſa. 1.

Nota igitur impulſum, applicationem, & motionem Dei tripliciter intelligi poſſe. 2. *Præmotio, impulſus, & applicatio tripliciter intelligitur.*

Primò, vt idem ſit quod prædeterminatio, quæ independenter à libertate ponatur, & qua poſita in ſenſu compoſito impoſſibile ſit non conſentire, & qua ſublata, impoſſibile ſit in ſenſu compoſito conſentire; idque ſiue ſit aliqua entitas realiter diſtincta, non ſolùm à tota vocatione, & ſingulis eius partibus, ſed etiam à volitione libera, & appelletur fluens qualitas; ſiue ſit aliqua actio ſolius Dei, ſiue realitas intentionalis, & in eſſe intentionali, ſiue applicatio voluntatis ad volendum, ſiue quocunque alio nomine appelletur: ſiue non ſit entitas creata, & realiter inhærens; ſed increata Dei voluntas, vel applicatio ad voluntatem prædicta neceſſitate mouendam.

Primum hunc præmotionis modum eſſe alienum à mente Gregorij conſtat primò, quoniam eodem in loco Gregorius ait: *In qua motione voluntas non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens, in cuius poteſtate eſt, ſequi motionem primi agentis.* Iuuatur ſecundò, quoniam libro 1. ſentent. diſtinct. 10. quæſt. vnica, art. 2. exiſtimat de ratione libertatis, pro vt communiter à Patribus, & Scholaſticis accipitur, eſſe, vt poſitis omnibus requiſitis ad operandum poſſit operari, & non operari. quod fuſiùs retulimus in tomo de ſcientia Dei diſput. 49. ſect. 8. Hæc autem duo phyſicæ prædeterminationi repugnant, quoniam aſſeritur eſſe poſtrema realitas ad operandum requiſita, & tamen non ita retinere libertatem, vt ea poſita voluntas poſſit operari, & non operari, & in ſua poteſtate habeat, primi agentis motionem ſequi, vel non ſequi. 3. *Primus modus à mente Gregorij alienus.*

Secundo modo intelligi poteſt præmotio, impulſus & applicatio; ita vt illuſtrationes intellectus, & ſuauitates, cæterique affectus voluntatis cauſari à Deo ſine noſtra libertate, vim habeant inclinandi, & alliciendi, vt liberè velimus. Quapropter Deus, in quantum præbet tales illuſtrationes, & affectus, rectè dicitur facere, & cauſare, vt nos liberè velimus; & tamen noſtra voluntas hoc modo cauſandi non facit, neque cauſat, vt ipſa liberè velit, & ideo non cooperatur voluntas, *vt faciat ſe ipſam velle, & cauſare volitionem.* ſic loquitur Gregorius loco citato, ſicque ſentiendum eſſe ex mente Auguſtini, & Patrum, oſtendimus diſput. 31. 4.

Tertiò poteſt intelligi præmotio, impulſus, & applicatio, in quantum actio Dei, ſiue actualis concurſus, quo concurrit ad noſtram volitionem liberè producendam, eſt perfectiſſimo genere cauſalitatis prior, & cauſa, vt noſtra voluntas 5.

ſimul

ſimul cum illo liberè cócurrat: quamnia ſit etiam in alio genere cauſæ quodammodo poſterior. Qui modus concurrendi eſt proprius comparatione actuum bonorum. Nam ad actus malos noſtra voluntas eſt, quæ ſe applicat, & impellit peculiari aliqua ratione. Hoc autem docuiſſe videtur Gregorius loco citato, & verum eſſe, ſi rectè intelligatur, conſtat ex variis diſp. tomi præced. de voluntate Dei, & ſequentis de prædeſtinat.

6. Cæterùm quod ibidem ſignificat, hoc pertinere ad rationem gratiæ operantis, falſum eſt: nam potiùs eſt gratia cooperans, diſput. ſequent. ſect. 3. & 4.

7. Gregorij verba loco nuper citato, refert, & quaſi doctrinæ S. Thomæ conſentanea probat Capreolus in 1. diſt. 28. quæſt. vnica, art. 3. prope med. §. *ad duodecimum dicit Gregorius*. Quapropter de Capreolo dictum eſſe volo, quod de Gregorio hactenus dictum eſt. Illud inſuper addo, indifferentiam libertatis, vt ſe ipſam determinet, vel non determinet; eámque ſolutam ab omni antecedente neceſſitate manifeſtè traditam eſſe à Capreolo variis in locis, vt vidimus in tomo de ſcientia Dei, diſput. 49. ſect. 6. & tomo de voluntate Dei diſput. 39. ſect. 3.

DISPVTATIO XXXVI.

De multiplici membro cooperantis gratiæ, illiuſque diſtinctione reali ab operante gratia, & à conſenſu libero voluntatis.

SECTIO I.

Summa eorum omnium, quæ in tota diſputatione fuſius diſcutienda ſunt.

1. Quo faciliùs clariúſque comprehendatur integer globus cooperantis gratiæ, operæpretium erit, ob oculos ponere omnia membra, ſimul in vnum collecta: ne poſtea memoriam ſua varietate cófundant, quando membratim explicentur, atque probentur.

2. *Quidquid nobis cum liberum producit conſenſum cooperans gratia.* Dico igitur primò: Gratia cooperans eſt omnis illa gratia, quæ ſimul cum noſtra voluntate concurrit, & cooperatur ad liberum conſenſum: vt probatum eſt diſput. eadem 31. & 35. Quapropter gratia cooperans complectitur non ſolùm, quidquid concurrit tanquam principium, & tanquam auxilium in actu primo potens; ſed etiam ipſummet concurſum in actu ſecundo, qui eſt realiter idem cum concurſu noſtræ voluntatis ad eandem volitionem producendam: idque ſiue concurſus diſtinguatur realiter ab ipſa qualitate volitionis, quæ eſt terminus productus, ſiue non diſtinguatur realiter ab illa, de quo nulla eſt hîc peculiaris difficultas præter eam, quæ generalis eſt diſtinctioni cuiuſque actionis à ſuo termino producto.

3. *Gratia cooperantis membra.* Dico ſecundò. Hinc ſequitur ad quinque præcipua capita reduci, quæ comprehenduntur ſub gratia cooperante. Primum eſt Deus, pro vt eſt paratus, ad concurrendum cum noſtra voluntate, vt liberè conſentiat vocationi. Secundum eſt habitus. Tertium eſt vocatio, ſeu gratia operans; non in quantum eſt operans, ſeu præueniens; ſed in quantum eſt potens concurrere, & concurrit ad conſenſum liberum. Quartum eſt quilibet actus ſupernaturalis, & liber, inducens ad alium. Quintum eſt ipſemet concurſus actualis, ſiue à ſolo Deo immediatè, ſiue à Deo, mediante habitu, ſiue mediante vocatione deriuatus.

4. *Habitus non eſt ſimpliciter neceſſarius.* Ex his capitibus quædam ſemper & in omni caſu neceſſaria ſunt ad conſenſum: alia non niſi deficientibus aliis. Quemadmodum habitus non eſt ſimpliciter neceſſarius, niſi ex ſuppoſitione, quòd Deus deneget concurſum totalem & adæquatum, ſicut è contra concurſus Dei totalis, & adæquatus non eſt ſimpliciter neceſſarius, niſi ex ſuppoſitione, quod habitus deſit. Ita conciliantur ferè omnes ſententiæ Doctorum, quæ videbantur inter ſe pugnare.

Quomodo cooperans gratia ab operante & libero conſenſu differat. Dico tertiò. Integer totius gratiæ cooperantis globus, quamuis reali diſtinctione adæquata non diſtinguatur ab operante gratia; diſtinguitur tamen reali diſt. inadæquata, vt includens ab incluſo, ſimiliterque à libero conſenſu voluntatis. Probatur ex dictis. nam gratia cooperans complectitur quædam membra, quæ realiter diſtinguuntur à gratia operante, ſimúlque complectitur eandem ipſam realitatem gratiæ operantis, ſub alia formalitate: ſimiliter etiam gratia cooperans complectitur quædam membra realiter diſtincta à conſenſu libero voluntatis, & complectitur actualem concurſum Dei, & gratiæ, ad producendum conſenſum, quæ actio identificatur realiter cum termino producto, aut certè non diſtinguitur ab illo, niſi vt modus à re, de quo parum intereſt ad rem theologicam, quam præ manibus habemus.

SECTIO II.

Qua ratione Deus ipſe ſit gratia cooperans.

1. *Qua ratione paratus ſit nobis cum concurrat.* Ad primarium cooperantis gratiæ membrum explicandum, atque probandum, accedens, ſuppono id, quod ſatis probatum eſt lib. de quidditate gratiæ, diſput. 3. ſect. 2. & diſput. 5. ſect. 2. à n. 5. videlicet, Deum ipſum, qua ratione paratus eſt, vt nobiſcum concurrat ſupernaturali concurſu, ad eliciendos pietatis actus, eſſe gratiam auxiliatricem. Cùm autem omnis auxiliatrix gratia, vel ſit operans, vel cooperans, manifeſtè ſequitur, Deum ipſum eſſe gratiam operantem, aut cooperantem, aut vtramque ſub diuerſis rationibus.

2. *Deus gratia excitans.* Hæc igitur præparatio poteſt conſiderari præcisè, pro vt reſpicit concurſum phyſicum noſtri intellectus; & voluntatis, abſque libertatis exercitio, ad illas operationes indeliberatas, in quibus conſiſtit gratia operans, ſeu excitans in actu ſecundo; atque vt ſic conſiderata Dei præparatione, Deus eſt gratia excitans, ſeu operans, vt principium actiuum, & in actu primo, vt attigi diſput. 29. ſect. 1. num. 18.

3. *Gratia cooperans in actu primo.* Quo ſuppoſito dico primò. Qua ratione dicta præparatio Dei ad concurrendum nobiſcum reſpicit noſtros actus ſupernaturales liberos, Deus eſt gratia cooperans vt principium & in actu primo.

4. Hæc appellatio gratiæ operantis, & cooperantis, relata ad Deum, eiúſque præparationem, valde conſonat modo loquendi Auguſtini, aliorum Patrum, & Conciliorum, quos retulimus ſuprà diſputat. 29. & 31. Sæpè namque dicunt, Deum in nobis, ſine nobis quædam bona ope-

rari, & alia cooperari nobiſcum : inſuper ab hominibus exigunt, vt cooperentur Deo. Pauca quædam in præſenti proferre teſtimonia ſatis erit. Chryſoſt. 2. ad Tim. n.1. homil. 2. col. 2. ait: *Deus, cum operantes ... erit, cooperator accedit.*

5. Rom. 8. Auguſtinus ſer. 13. de verbis Apoſtoli inter med. & fin. ratiocinatur : *Scimus, inquit Apoſtolus, qui diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. ... non eſſes operator, ille non eſſet cooperator.* ... quam explicuit, liberum arbitrium ſine D. adiutorio nihil poſſe bene operari; ſed ſolummodo ad mala eſſe liberum, ſubdit : *Prorſus hoc credite, ſic vos agere bona voluntate, quia valtis ... que agitis, non enim adiutor eſt ille, ſi nihil agitis, non enim cooperator eſt ille, ſi nihil operamini.* Ergo ſecundùm intellectum Auguſtini, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quia omnia ſunt inſtrumenta, per quæ Deus, vt cauſa principalis cooperatur cum libero arbitrio, quod eſt cauſa ſecundaria.

6. Idem lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. ait : *Cooperando Deus in nobis perficit; quod operando incepit, quia ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Quæ verba & alia his ſimilia recipiuntur à Scholaſticis communiter, & præſertim à D. Thoma infrà citando.

7. Auguſtinus item tractatu 72. in Ioannem, illa verba capitis 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet,* intelligit de operibus pietatis, quæ maiora ſunt omnium operum, quæ Chriſtus facit, & hæc facit, qui credit in Chriſtum, ſed non ſolus, nec principaliter homo, ſed Deus per hominem. Quod probat Auguſtinus ex ſequenti contextu : *Quia ego ad Patrem vado, & quæcunque petieritis in nomine meo, hæc faciam.* Vnde ſic ratiocinatur Auguſt. *Qui dixerat, faciet, poſt ait, faciam : tanquam diceret; Non vobis impoſſibile hoc videatur, non enim poterit eſſe maior me, qui credit in me, ſed ego facturus ſum, & tunc maiora quàm nunc. Maiora per eum, qui credit in me, quàm præter eum per me, ego tamen ipſe præter eum, ego ipſe per eum : ſed quando præter eum, non faciet ipſe, quando autem per eum, quamuis non per ſe metipſum, faciet & ipſe. Porrò autem maiora facere per eum quàm præter eum, non eſt defectio, ſed dignatio.* & poſt pauca : *& ipſum credere in Chriſto, opus eſt Chriſti, hoc operatur in nobis, non vtique ſine nobis. Audi ergo iam & intellige. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet. Quæ opera; niſi vt ex impio iuſtus fiat? & maiora horum faciet, quorum obſecro? Nunquid nam omnium operum Chriſti maiora facit, qui cum timore & tremore ſuam ipſius ſalutem operatur? quod vtique in illo, ſed non ſine illo Chriſtus operatur.* & infrà. *Qui operante in ſe Chriſto cooperatur ſalutem æternam ac iuſtificationem ſuam.*

8. Proſper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 12. ait : *Vt quod non poteſt; niſi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.*

9. Bernardus tractatu de gratia & libero arbitrio col. penult. ait : *Hinc coadiutores Dei, & cooperatores Spiritus ſancti promeritores regni nos eſſe, præſumimus : quòd per conſenſum vtique voluntarium diuinæ voluntati coniungimur.* & paulo poſt, docet : *Deum in nobis ſine nobis operari bonam cogitare; ſed bonum velle operari nobiſcum.*

10. Beda lib. variarum quæſt. q. 13. fine tom. 8. col. 407. ait : *Ita Deus nobis bona ſua promittit, vt tamen labore noſtro adquirantur. Quòd ſi voluerimus, ad laborem in omnibus, quæ bene agemus, nobis cooperabitur.* Deus igitur eſt cooperator, & in quantum talis paratus expectat eam conditionem, ſi voluerimus, & agemus bene, vt nobis cooperantibus cooperetur etiam Deus.

Imò etiam comparatione naturalium actionum, & earum præſertim, quæ per liberum arbitrium fidelium deſtinantur ad ſupernaturalem finem, homines eſſe Dei cooperatores, teſtatur Ignatius epiſt. 6. ad Philadelphien. ante med. vbi parentes appellat *Cooperarios Dei ad filiorum generationem*, & ea ratione diligendos præcipit. 11.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 111. art. 2. docet, gratiam operantem dici, quando operatio ſoli Deo tribuitur; cæterùm quando operatio non tribuitur ſoli Deo, ſed etiam animæ, ait, dici gratiam cooperantem. Vnde manifeſtè ſupponit D. Thomas Deum eſſe, qui primariò ac præſertim appellatur gratia operans, & cooperans; propter prædictos duos modos cauſandi operationes ſupernaturales. Sic etiam Deum eſſe gratiam cooperantem, conceſſit Durandus 2. diſt. 26. quæſt. 3. fine. 12.

Dico ſecundò. Hæc præparatio Dei, ad concurrendum, accepta vt principium effectiuum noſtrorum actuum ſupernaturalium, eſt duplex. Alia eſt, quæ totaliter, & immediatè ſupplet defectum noſtræ potentiæ, vt poſſit elicere actum ſupernaturalem; vitaliter concurrente potentia ſimul cum Deo, qui eſt cauſa principalis. Huiuſmodi præparatio requiritur, deficiente habitu ſupernaturali, ſupplente defectum potentiæ : ac proinde requiritur ad eos omnes actus, quibus adulti diſponuntur ad infuſionem ſui habitus. Cuiuſmodi eſt primus actus fidei in adulto infideli, & primus actus ſpei, attritionis, & contritionis in eo, qui carebat talibus habitibus. 13. *Præparatio duplex.*

Alia Dei præparatio eſt ſolummodo, ad præſtandum illum concurſum, qui requiritur, vt per habitum ſupernaturalem quaſi per inſtrumentum nobiſcum Deus operetur actum ſupernaturalem liberum, qui concurſus non eſt generalis, eo modo quo datur concurſus cauſis naturalibus, quia naturales cauſæ non ſunt propriè, & ſtrictè inſtrumenta Dei; nec Deus per illas concurrit tanquam cauſa particularis, ſed præcisè vt cauſa vniuerſalis : vt oſtendimus præced. tomo de voluntate Dei diſput. 48. At verò habitus ſupernaturalis eſt verè, propriè & ſtrictè inſtrumentum Dei, per illum namque concurrit Deus, non præcisè vt cauſa vniuerſalis, ſed etiam vt cauſa particularis, cui proinde peculiari ratione tribuitur effectus. 14. *Supernaturalis habitus inſtrumentum Dei.*

Dico tertiò. His addere poteris tertiam præparationem, ex vtraque conflatam, qua Deus paratus eſt non ſolùm per habitum concurrere, ſed etiam immediatè ſeipſo. Tertia hæc præparatio concurrendi ad tres fines requiritur. 15. *Tertia præparatio.*

Primus eſt, vt homo, præditus habitu, poſſit elicere actũ intenſiorem, & perfectiorem habitu.

Finis ſecundus eſt, vt poſſit diutius in eodem actu perſeuerare, ſuperando extraordinarias difficultates, atque vt poſſit plures diuerſarum virtutum actus iterare, quoties poſtulauerit lex diuina, & neceſſitas perſeuerandi in gratia. Quamuis enim habitus, iuſto infuſi, ſufficiant ad ſingulos actus diuiſiuè eliciendos inter ordinarias difficultates : cæterùm non ſufficiunt, ad omnes collectiuè eliciendos longo tempore, & cum extraordinariis difficultatibus. Propterea enim Concilia & Patres vltra gratiam iuſtificantem requirunt magnum illud perſeuerantiæ donum, 16.

num, & auxilium, ſine quo nullus in natura lapſa perſeuerare poteſt. Veruntamen has difficultates, aut ſemper, aut ferè ſemper Deus ſuperat, immediatè ſe ipſo producendo in nobis illuſtrationes & ſuauitates, quibus mediis iuuat ad liberam perſeuerantiam, vt dicemus diſp. 41. ſect. 4.

17. Tertius finis eſt, vt homo faciliùs & delectabiliùs eliciat eundem actum, eiuſdémque perfectionis, & intenſionis, quem potuiſſet minori facilitate, & delectatione elicere ſolo habitu, ſine hoc ſpeciali concurſu Dei.

18. *Chriſtus gratia cooperans.* Dico quartò. Non ſolùm Deus præcisè vt Deus, ſed Ieſus Chriſtus Deus homo eſt gratia cooperans, quatenus nobiſcum certat, ſecundùm illud S. Dionyſij lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. inter med. & finem, vbi de homine tecens baptizato, & ſacra vnctione perfuſo ſic loquitur: *Sub Chriſto Athleta collocatur; quandoquidem vt Deus auctor eſt propoſitionis præmiorum, vt autem ſapiens, eius leges tulit; fecit verò vt pulcher digna præmia iis, qui vicerint, quódque eſt diuinius, quoniam vt bonus in ipſis athletis fuit, cum eis præclarè pro illorum libertate, & victoria aduerſus mortis atque interitus imperium certat, & dimicat.* Præteritum illud tempus, quo Ieſus Chriſtus Dominus fuit in carne mortali & paſſibili, cum dæmone, atque eius membris decertans; ſignificatur prædictis verbis Dionyſij: *In ipſis athletis fuit.* Videlicet quaſi vnus athleta, atque hæc eſt cauſa, ob quam idem modò cum ſuis omnibus athletis certat, & dimicat.

19. S. Auguſtinus de ſpiritu & litera cap. 29. in medio ſic loquitur de mandatis Dei: *Quæ, vt poſſit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Ieſu Chriſti, id eſt, per ſpiritum incorporatus; factúſque membrum eius, poteſt quiſque illo incrementum intrinſecus dante, operari iuſtitiam.*

20. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. ante medium ait: *Ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur.*

21. *Efficax ratio.* Ex Tridentino & Auguſtino nuper citatis colligitur efficax ratio noſtræ concluſionis. nam Chriſtus Ieſus non eſt ſolummodo Deus, ſed Deus & homo: inſuper caput Eccleſiæ, ac præſertim fidelium; non eſt præcisè, qua ratione Deus eſt, ſed potiùs qua ratione Deus & homo eſt, vt communiter Scholaſtici ſupponunt in 2. *Chriſtus qua ratione Eccleſiæ caput.* diſt. 13. & cum S. Thoma 3. p. quæſt. 8. *Rurſus nec vitis eſt, niſi qua ratione Deus homo eſt. Vnius quippè naturæ ſunt vitis, & palmites; propter quod cùm eſſet Deus, cuius naturæ non ſumus, factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana natura, cuius & nos homines palmites eſſe poſſemus.* vt Auguſt. loquitur tract. 80. in Ioannem, atque vniuerſalis Eccleſia recipit in officio Martyrum tempore paſchali. Quibus ſuppoſitis neceſſariò infertur, Chriſtum Ieſum non ea præcisè ratione, qua Deus, ſed ea ratione, qua Deus homo eſt, hoc eſt, ratione vnionis hypoſtaticæ per humanitatem influere, ac deriuare virtutem, id eſt, gratiam auxiliatricem in ſua membra, ſuóſque palmites: atque triplicem gratiam, videlicet antecedentem, comitantem & ſubſequentem. Quapropter non ſolùm Deus præcisè, vt Deus, ſed etiam Deus homo eſt gratia non ſolùm operans, & præueniens in actu primo; ſed etiam cooperans in actu primo; & ſubſequens in actu primo.

22. *Humanitas Chriſti diuinitatis inſtrumentum.* Explicatur magis, & confirmatur, quoniam ſecundùm probabiliorem ſententiam Theologorum, meliúſque conſentientem Scripturæ, & ſanctis Patribus humanitas Chriſti Domini reali, & phyſica efficientia, quaſi diuinitatis inſtrumentum, ab illa eleuatum, concurrebat olim in vita mortali, & concurrit modò ad opera mirabilia, & gratiam communicandam. De quo legendi ſunt recentiores S. Thomæ expoſitores in 3. p. quæſt. 13. Nunc ſatis ſit Damaſcenus, qui lib. 3. de fide cap. 15. inter medium & finem Chriſti Domini miracula, & paſſionis tolerantiam diuina ſimul, & humana operatione aſſerit eſſe facta, & rationem reddit. *Nam caro diuinitatis organum erat.* & inferiùs ita colligit. *Vnde per contactum & ſermonem, & id genus ſimilia, diuina ſigna operabatur.* ex quo teſtimonio Damaſceni S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 1. ad 1. colligit; *Humanitatem Chriſti Domini cauſare gratiam non propria virtute, ſed virtute diuinitatis adiuncta, ex qua actiones Chriſti ſunt ſalutares.*

SECTIO III.

Omnes ſupernaturales habitus complectitur membrum alterum cooperantis gratiæ.

1. *Supernaturalis habitus gratia cooperans.* Dico primò, Supernaturalis habitus eſt gratia cooperans, ſeu adiuuans, quatenus ſimul cum noſtro intellectu & voluntate concurrit ad liberè eliciendam noſtram operationem, ſupernaturalem, & meritoriam. Ita docuit S. Thomas, & communis conſenſus Scholaſticorum, quos retuli diſput. 34.

2. Illud in præſenti notandum reſtat, habitibus ſupernaturalibus abſolutè ac ſine difficultate conuenire rationem gratiæ cooperantis magis propriè, quam rationem gratiæ operantis, quæ habitibus difficiliùs, minúſque propriè quadrat, vt vidimus diſp. eadem 34. Quapropter ij etiam Doctores huius ætatis, qui rationem gratiæ operantis propriè conuenire habitibus negant, nihilominus abſolutè concedunt, illis conuenire rationem gratiæ cooperantis & adiuuantis.

3. Ratione probatur, quoniam habitus, in quantum concurrit ad liberè eliciendam operationem ſupernaturalem, eſt auxiliatrix gratia, & vt ſic non eſt gratia operans: ergo eſt gratia cooperans. Maior probatur, quia adiutorium eſt omne illud, ſine quo non fit aliquid, vt ex Auguſtino de correptione & gratia cap. 12. vidimus lib. de quidditate gratiæ diſput. 5. ſect. 1. memb. 5. ſed habitus ſupernaturales ſunt eiuſmodi, quoniam ſine illis non fiunt actus ſupernaturales, niſi Deo ſupplente eorum abſentiam: ergo habitus ſupernaturales ſunt adiutorium, ſiue, quod idem eſt, auxiliatrix gratia.

4. Confirmatur primò, quoniam gratiam Dei, qua iuſtificamur, dari nobis in adiutorium, quo poſſimus vitare peccata, & implere diuina præcepta, definitur in Synodo Mileuitana cap. 3. & 5. quorum verba, tanquam fidei regulam recitat Cæleſtinus Primus epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 10. Porrò gratiam, qua iuſtificamur, eſſe habituale donum de fide eſt.

5. Confirmatur ſecundò, quoniam accepta per Baptiſmum gratia, poſſe baptizatos, Deo auxiliante, adimplere, quæ ad ſalutem pertinent: definit Arauſicanum ſecundum can. 25. in medio; ſed accepta per Baptiſmum gratia, plures habitus complectitur: ergo illi habitus ſunt gratia, qua, Deo auxiliante poſſumus adimplere, quæ ad ſalutem pertinent. Gratia autem, qua hæc poſſumus

Digitized by Google

adimplere, eſt gratia auxiliatrix. Minor verò illius ſyllogiſmi probatur, quia gratia operans, formaliter in quantum operans, eſt prorſus independens à noſtra libera voluntate, quantum ad ſuum proprium effectum; vt vidimus tota diſp. 31. ergo habitus in quantum concurrit ad liberè eliciendam operationem ſupernaturalem, non eſt gratia operans.

6. Confirmatur tertiò, quoniam ad actus ſupernaturales liberos requiritur gratia cooperans elicitiua illorum, & non requiritur alia præter habitum, quando adeſt habitus: ergo habitus ipſe eſt gratia cooperans. Cum habitu autem comprehendo concurſum Dei, qui debetur habitui iuxta ſuam quidditatem, de quo in aſſertione ſequenti.

7. *Alia non eſt ſimpliciter neceſſaria.* Dico ſecundò. Quilibet habitus ſupernaturalis eſt gratia cooperans, quod ex ſe eſt ſufficiens ad ſuos actus ſupernaturales eliciendos, dato illo concurſu Dei, qui debetur omnibus habitibus ſupernaturalibus tanquam inſtrumentis Dei: ac proinde non eſt ſimpliciter neceſſaria alia vlterior gratia adiuuans, ſeu cooperans.

8. Probatur, quia quæcunque potentia integra & completa poteſt ſimpliciter, & abſolutè elicere ſuum actum ſine alio vlteriori auxilio, præter illud, quod eſt debitum illi potentiæ ex ſua quidditate, vt conſtat, inductione diſcurrendo per omnes potentias naturales tam vitales, quàm non vitales, ſiue corporeas, ſiue ſpirituales. At verò habitus ſupernaturalis conſtituit noſtrum intellectum & voluntatem in ratione potentiæ integræ & completæ in ordine ad actum ſupernaturalem. Ergo nullo vlteriori auxilio indiget præter illud, quod debetur omnibus habitibus ſupernaturalibus, tanquam inſtrumentis Dei.

9. *Limitatur.* Duas tamen adhibeo limitationes, ex verbis eius aſſertionis ſecundæ profectas.

Prima ſumitur inde quòd egerit ſolummodo de auxilio, quod requiritur in ratione potentiæ operatiuæ: ad cuius complementum non requiritur alia ſuperaddita realitas, complens in actu primo. Quare non excluditur neceſſitas vocationis per illuminationem, & ſuauitatem, non ſolùm præcisè in quantum operans eſt, ſed etiam in quantum eſt cooperans, modo explicando in ſect. 4. & 5. Nam hæc cooperatio non complectitur potentiam in ratione potentiæ operatiuæ, ſed potius, ſupponens illam eſſe jam completam per habitum, aut per concurſum Dei præparatum, vt ſuppleat defectum habitus, excitat, allicit, & inuitat, vt potentia ſuis completis viribus vtatur.

10. Secunda limitatio eſt, præcedentem aſſertionem egiſſe de gratia cooperante ſimpliciter neceſſaria ad aliquos actus ſupernaturales talis ſpeciei, etiam ſi fuerint remiſſi, & exiguo tempore perſeuerantes, & rarò frequentati, & abſque difficultatibus. Nam ratione intenſionis, diuturnitatis, frequentiæ, & aliarum difficultatum, ſuperantium vires habitus, requiri auxilium Dei immediatè cooperantis, iam diximus ſect. præcedenti dicto 3.

SECTIO IV.

Eadem realitas gratiæ operantis eſt etiam gratiæ cooperans, ſola diſtinctione muneris & officij.

1. *Operantis & cooperantis gratia identitas.* ITa ſentiunt communiter Scholaſtici, Magiſter 2. diſt. 26. §. *hic conſiderandum*, & diſt. 27. § *ſi igitur*. D. Thom. 1. 2. q. 111. art. 2. fine, & art. 3. corpore, & ad 2. Alber. 2. p. q. 101. memb. 1. Alexand. 3. p. q. 69. mem. 5. art. 1. & art. 3. ad 4. & 5. D. Bonauent. 2. diſt. 27. dub. 1. circa literam, & art. 1. q. 1. ad 1. Durandus 2. diſt. 26. q. 3. vbi Ægid. q. 2. art. 3. corp. & ad 1. Gabriel q. vnica art. 1. notab. 2. Carthuſ. 2. diſt. 26. q. 5. cum Alberto ibi. Caietanus, Conradus, & alij Thomiſtæ 1. 2. quæſt. 111. art. 2. & 3.

Hi Doctores præcipuè loquuntur de habituali gratia operante & cooperante, quam eſſe eamdem realitatem habitus, ſola diuerſa formalitate officij diſtinctam, conſtat ex præcedenti ſect. 3. & ex his, quæ diximus diſput. 34. 2.

Nihilominus cæteri Doctores antiqui, ſicut ſimul cum habituali gratia operante admittunt actualem gratiam operantem, vt vidimus diſput. 31. ſect. 7. & diſp. 32. ſect. 1. & 2. ſic etiam de hac intelligere videntur eſſe eandem rem, quæ ſola diuerſa formalitate officij operans ſit, & cooperans. Quod peculiariter conſtat ex D. Thoma 1. 2. q. 111. art. 2. in cuius corpore perſpicuè diſtinxit actualem motionem operantem, & cooperantem ab habituali gratia operante & cooperante. Nihilominus ad 4. abſolutè ac ſine diſtinctione reſpondet: *Gratia operans & cooperans eſt eadem gratia, ſed diſtinguitur ſecundùm diuerſos effectus.* 3.

Quapropter contra mentem authoris eſt commentarius, quem ad illum articulum Conradus ſcribit, obſeruat enim, realem identitatem gratiæ operantis, & cooperantis intelligi ſolummodo de gratia habituali: cæterùm realiter diſtingui gratiam operantem & cooperantem, acceptas pro actuali motione, & cooperatione Dei. Ita Conradus dicta q. 111. art. 2. § *nota autem*, & ad 4. & art. 3. §. *nota circa*, & ad 2. Adhuc tamen in re ipſa concedit Conradus idem, quod S. Thomas intendit: nam in dicto art. 2. §. *ſed circa iſta*, fatetur, prædictam motionem inclinare, & facere, vt velimus. 4.

Clariùs tamen, quam modò tractamus realem identitatem actualis gratiæ operantis, & cooperantis, & magis ex profeſſo, quaſi primario intentam à Patribus, tradunt recentiores. Inter quos nimium exceſſit Ruardus art. 7. pag. 14. dicens, habitus infuſos non eſſe rationem agendi; ſed dari, vt homo faciliùs, & ſuauiùs operetur: at verò primariam rationem agendi eſſe Dei motionem, id eſt, cogitationem, à Deo immiſſam, & bonum propoſitum inſpiratum. 5.

Alij Doctores, minimè negata vi, & actiuitate habituum, atque illorum neceſſitate, aſſerunt, eandem illuſtrationem, & inſpirationem, quæ eſt gratia præueniens, & excitans, eſſe etiam gratiam cooperantem modo infrà explicando. Ita Molina in concordia ad q. 14. art. 13. diſp. 37. & ſequentibus. Valentia tomo 2. diſp. 8. q. 3. punct. 5. Vaſquez 1. p. diſp. 88. cap. 9. & 12. & diſp. 185 cap. 9. col. vltima. Maſcareg. diſput. 1. p. 2. num. 4. & p. 4. num. 9. & ſequentibus, & alij recentiores, quorum ſententiam ex parte probat, ex parte reprobat Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 4 num. 11. & ſequentibus, atque inter hos ipſos Doctores magna eſt varietas in modo explicandi eandem ſententiam, vt obiter notabimus in hac & ſequenti ſect. 6.

Ad hanc identitatem explicandam, & temperandam ſuppono, ex tribus præcedentibus ſectionibus, totum gratiæ cooperantis globum includere plurimas entitates realiter diſtinctas à ſe inuicem, & ab entitate gratiæ operantis, ſiue excitantis. Quapropter in præſenti nihil aliud inquirendum reſtat, niſi vtrum realis entitas vocationis, ſeu operantis, præuenientis, & excitantis 7.

gratiæ,

gratiæ, ſit pars quædam gratiæ cooperantis, & quomodo.

8. Sit ergo prima concluſio. Realis entitas vocationis, ſeu gratiæ præuenientis, eſt pars quædam gratiæ cooperantis, quatenus modo quodam ſibi peculiari concurrit cum noſtra voluntate ad liberum conſenſum eliciendum.

Vocatio cooperantis gratiæ pars.

Probatur primò, nam Deus ratione eiuſdem operationis, in nobis productæ, eſt operans in nobis, & eſt cooperans nobiſcum, ſed operans in nobis eſt ratione gratiæ operantis, ſeu excitantis in nobis productæ; ergo ratione eiuſdem realitatis eſt cooperans nobiſcum, quamuis ſub diuerſa ratione. Maior probatur, quoniam niſi Deus eſſet cooperans nobiſcum ratione eiuſdem operationis, quam operatur in nobis, nos ſanando; ſequeretur, non eſſe propriam; neque abſolutè veram hanc propoſitionẽ: Homo cooperatur Deo in ſe operanti, vocanti, atq; ſananti: quam aliáſve omnino ſimiles apud Patres plerumque legimus.

9. Sic Auguſtinus in Pſal. 77. ad illa verba: *Et non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius*, ait: *Hoc eſt ergo credere in Deum, credendo adhærere, ad bene cooperandum bona operanti in ſe Deo.* & poſt pauca de illa generatione, *quæ non direxit cor ſuum*, ait: *Non ex fide adhæſit Deo, vt ſanata à Deo, bene cooperaretur cooperanti in ſe Deo.* Vbi priùs dicimur cooperari operanti Deo, & poſtea cooperanti Deo per ſanitatem: ſanitas autem eſt gratia operans, vt vidimus diſp. 30. ſect. 3. Idem Auguſtinus de natura & gratia cap. 32. de iuſtificatione, loquens ait: *Vbi cooperamur & nos, ſed illo operante cooperamur, quia miſericordia eius præuenit nos*, & tract. 72. in Ioannem ait: *Operanti in ſe Chriſto cooperatur homo ſalutem æternam, & iuſtificationem ſuam.*

10. Probatur ſecundò. nam clariùs identitatem realem operantis, & cooperantis gratiæ indicauit Gregorius 16. Moral. cap. 10. dicens: *Quia diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit, Paulus ait: Gratia Dei ſum id quod ſum, & quia eandem gratiam liberum arbitrium ſubſequitur, adiungit: & gratia eius in me vacua non fuit.* Vbi perpende appellari eandem gratiam, quæ præuenit, & quam liberum arbitrium ſubſequitur, vt vacua non ſit, ſed cooperando fructum ferat.

11. Et Bernardus tract. de gratia & libero arbitrio, prope initium ait: *Gratia operanti ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum conſentit.* Inſuper de gratia quaſi realiter vna, præſtante plura munera Bernardus lib. de gratia, & lib. arb. col. penultima ſic loquitur: *Ipſa gratia liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum, ſanat cùm immutat affectum, roborat vt perducat ad actum; ſeruat ne ſentiat defectum. Sic tamen iſta cum libero cooperatur arbitrio, vt tamen illud in primo præueniat, in cæteris comitetur.* Aliáque ſubiungit verba, quibus quaſi eiuſdem gratiæ munera explicat.

12. Tertiò probatur phraſi vſitata inter Patres, ſecundùm quam, *ſequi Deum vocantem*, idẽ eſt, quòd gratiæ diuinæ cooperari. Sic apud Damaſ. 2. de fide c. 30. & alios ſuprà citatos tota diſp. 31. reperies.

13. Quartò probatur, quia gratia, cui nos cooperamur, eſt gratia, quæ cooperatur nobiſcum, nam cooperatio gratiæ correlatiuum eſt alterius cooperationis, ſcilicet, noſtræ. At verò diuinam vocationem eſſe cui homo cooperatur conſentiendo liberè, & inſpirationem recipiendo, cùm illam poſſit abiicere, docet Tridentinum ſeſſ. 6. can. 4. & c. 5. ait: *Per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* Vbi ſatis ſignificat eſſe realiter eandem gratiam excitantem, & adiuuantem, in quantum eidem, quæ nos excitauit, liberè aſſentimur.

Huius argumenti vim debilitare conantur aliqui huius ætatis authores obiectione præcipuè 14. duplici. Prima, quoniam illud pronomen *eidem* confuſa, ſeu diſiunctiua ſuppoſitione referendum eſt ad vtramque gratiam, perinde ac ſi Concilium dixiſſet, duplicem eſſe gratiam, alteram excitantem, alteram adiuuantem, per quam ad iuſtificationem diſponimur eidem gratiæ excitanti liberè aſſentiendo, eidémque gratiæ adiuuanti liberè cooperando.

Obiectio 1.

Reſpondetur hanc expoſitionem verbis non prorſus repugnare, ſi ſolas Grammaticæ conſtructionis leges attendamus. Cæterùm ſimplicior, planior, & facilior verborum conſtructio erit, ſi Tridentinum putauerit, gratiam realiter vnam eſſe operantem, & cooperantem. Huiuſmodi autem expoſitiones debemus ſequi, quandiu ratio non compellit ad duriores ac difficiliores ineundas. In præſenti autem rationes multæ ſuadent, intelligendam eſſe realem identitatem, videlicet, omnes illæ, quibus præſentem concluſionem primam probare pergimus.

Soluitur 1.

Reſpondetur ſecundò. Quamuis Grammatica 15. conſtructio intelligenda eſſet eo modo, quem in obiectione retulimus, adhuc colligeretur, realiter eandem eſſe gratiam excitantem & cooperantem. Nam quicunque aſſentitur gratiæ excitanti, eo ipſo cooperatur gratiæ excitanti ad aſſenſum: quòd ſi homo cooperatur gratiæ excitanti, conſequens eſt, vt gratia excitans cooperetur homini.

Inde colligitur ſolutio ad obiectionem ſecun- 16. dam, quæ in eo præcipuè nititur, quod exiſtimat in prædictis verbis Concilij Tridentini ſoli excitanti gratiæ correſpondere verbum *aſſentiendo*, ſimiliterque ſoli adiuuanti gratiæ correſpondere verbum *cooperando*. Hoc autem non ſolum conſtructionis leges moleſtæ fuerunt, ſed etiam theologica ratio manifeſtè refutat. Tum quia ſine adiuuante gratia impoſſibile eſt conſentire; tũ etiam quoniam quicunque conſentit gratiæ excitanti, eo ipſo cooperatur illi. Sed conſenſus quidã virtualis, ad quem recurrit huius ſolutionis author, impugnatus fuit tom. de ſcient. Dei diſp. 52. ſect. 8.

Obiectio 2.

Quinta probatio ſumitur ex teſtimonio Sy- 17. nodi Moguntinæ Prouincialis, in quo eadem vis eſt, quæ in nuper explicato teſtimonio Tridentini, in cap. 7. §. 2. dicentis: *Qui, videlicet, gratia ante omne meritum, dum adhuc inimici, & peccatores ſunt, excitati, & adiuti, eidem gratiæ ſic excitanti, & adiuuanti conſentientes, & cooperantes, ad iuſtificationem diſponuntur.*

Confirmatur. nam Enchiridion Chriſtianæ In- 18. ſtit. magnæ authoritatis liber propter multam, & apprimè catholicam eruditionem cap. *ſeptimo retinendum*, in fine agnoſcit in gratia præueniente duplicem gradum, quo ad noſtram iuſtificationem aſcendit, quorum ſecundus eſt cooperari cum libero arbitrio, his verbis: *Gratia præueniens plurimos habet gradus, & vt ſummatim dicamus, duplex eſt, vna, qua Deus præuenit peccatorem, vt reſurgat; altera qua peccator, præuenienti Deo aſſentiens, iam reſurgit. Vtramque voluntatem noſtram præuenit Deus, ſed priorem ſubminiſtrando, ſolus operatur, in altera voluntas noſtra, Deum præuenientem ſubſequens, ei per velle, ſeu aſſenſum, remiſſionem peccatorum accipiendo cooperatur.*

19. Probatur ſextò. nam gratia, quæ aliquando dicitur eſſe vacua, videlicet, quando noſtra culpa priuatur fructu cooperationis, eadem, quando liberè cooperamur cum illa, dicitur non eſſe vacua, ſed laborare nobiſcum. Ergo gratia realiter eadem eſt cooperans, & potuiſ non eſſe cooperans, ſed tantùm excitans, & præueniens. Antecedens probatur 2. Corinth. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* & 1. Corinth. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit; ſed abundantius illis omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum.*

20. Explicatur magis, & confirmatur vis iſtius argumenti; quia quamuis vacua relinquatur à nobis etiam illa gratia cooperans, ſeu adiuuans, quæ eſt principium in actu primo præparatum ad concurrendum nobiſcum: nihilominus ad præſentis argumenti vim ſatis eſt, etiam gratiam excitantem, ſeu operantem, aut præuenientem ab Scriptura, & Patribus appellari vacuam, ſi non cooperemur illi, & non in vacuum recipi, quando cooperamur. Nam de gratia operante & præueniente Patres intelligunt illa verba: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Et ad eandem gratiam referunt, quod ſequitur, *& gratia eius in me, vacua non fuit.* Præſertim Gregorius paulo ſuperiùs citatus, alios recole diſput. 31. ſect. 1. à num. 7.

21. Septimò probatur & magis explicatur eadem concluſio. quia vocatio, quatenus antecedit vſum noſtræ libertatis, & quatenus ſe ipſa formaliter conſtituit hominem vocatum & excitatum, vt ſic, eſt gratia operans, præueniens, & excitans, & nihilominus, quatenus eadem vocatio nobiſcum operatur conſenſum liberum, eſt gratia cooperans.

22. Probatur octauò, quia vocatio, ſeu gratia præueniens eſt præcipuum medium, quo Deus facit, vt liberè velimus, quod oſtendimus diſput. 31. ſect. 4. à num. 17. ergo eadem vocatio, ſeu gratia concurrit aliquo modo ad noſtrum liberum conſenſum, quando à nobis præſtatur.

Confirmatur, quoniam ad volitiones naturales eliciendas per potentias, & per habitus naturales cooperatur, & concurrit aliquo modo vocatio, ſeu excitatio naturalis, ab obiectis, vel à perſuadentibus, vel ab humoribus proueniens: ergo ſeruata debita proportione, eadem vis cooperandi conueniet vocationi ſupernaturali.

23. Nonò, quoniam clara & firma cognitio boni & mali ſuo peculiari modo influit, & cooperatur ad liberum amorem boni, & odium mali; ſed gratia præueniens continet boni cognitionem clariorem & firmiorem modo explicato in diſp. 30. ſect. 2. ergo gratia præueniens peculiari modo influit, & cooperatur ad liberum amorem boni ſupernaturalis. Similiter ſimplex complacentia ſolet mouere & influere, ad eliciendam liberè volitionem abſolutam, & efficacem, vt experimento conſtat in motibus ſubitis & indeliberatis, incitantibus ad vindictam libidinem, aliudve vitium, quibus facilè voluntas præbet aſſenſum liberum, niſi per diuinam gratiam fortiter reſiſtat. At verò gratia excitans & præueniens vt plurimum eſt ſubitus & indeliberatus motus complacentiæ ſimplicis ſuprà diſput. 30. ſect. 2. quapropter habebit proportionatam virtutem, ad influendum, & cooperandum, vt voluntas liberè præſtet ſupernaturalem aſſenſum efficacem.

24. Probatur decimò, quoniam principia, clarè, & certò cognita mouent, & cooperantur ad aſſenſum concluſionis: ſæpè autem gratia præueniens eſt illuſtrior, & certior cognitio principiorum; ergo habebit ſuam vim cooperandi cum intellectu ad aſſenſum concluſionis, & mouendi voluntatem, vt liberè imperet huic aſſenſum. Seruata debita proportione, idem argumentum fieri poteſt in actibus voluntatis; quia intentio, id eſt, amor finis vim habet, vt ex ea neceſſariò reſultet electio mediorum: at verò gratia præueniens aliquando eſt amor finis, & conſenſus aliquando electio mediorum, ſuprà diſput. 32. præſertim ſect. 3.

Vndecimò. nam actus imperans vim habet mouendi, ad actum imperatum liberè eliciendum: at verò ſæpè gratia præueniens eſt actus imperans, vt conſtat ex dictis in eadem diſput. 32. præſertim ſect. 3. 25.

Confirmatur. nam ſicut actus fidei, vel alterius virtutis ſupernaturalis poteſt cooperari, mouendo voluntatem ad actus aliarum virtutum infrà ſectione 5. initio: ita etiam illi actus intellectus & voluntatis, in quibus conſiſtit gratia operans, poterunt cooperari. Nam quoad vim mouendi & cooperandi nulla eſt ratio diſcriminis.

Secunda concluſio. Realis entitas vocationis, ſeu gratiæ præuenientis, non eſt præcipua pars, præſtans præcipuum concurſum phyſicum ſimul cum noſtra voluntate, ad producendum conſenſum liberum, & ſupernaturalem, eo quòd entitas vocationis, ſeu gratiæ præuenientis non complet noſtram voluntatem in ratione potentiæ eliciti uæ ſupernaturalis operationis, neque ſupplet vices habitus; ſed opus eſt hoc præſtari à Deo, vt cauſa immediata, & totali; vt explicatum eſt ſect. 2. & præſertim aſſert. 2. & 3. 26.

Vocatio non eſt præcipua pars præſtans concurſum.

Antequam probetur concluſio, erit neceſſariò explicanda, diſtinguendo æquiuocationem, quæ plerumque incidit in has voces, *potentia; poteſtas & poſſe.* nimirum que nocebit non ſolùm præſenti concluſioni, eiuſque probationibus, ſed etiam multis diſputationibus de poſſibilitate ſalutis data reprobis in tomo ſequenti.

Notandum igitur eſt, potentiam ſumi dupliciter (quod ad præſens attinet.) Primo modo dicitur potentia illa, quæ eſt plena in omni genere, hoc eſt, cui nihil deficiat ex quibuſcunque rebus, quæ requiruntur ad actum, quocunque modo requirantur, ſiue ex parte elicientis potentiæ; ſiue ex parte obiecti, ſiue ex parte medij, ſiue ex parte excitantis, ſiue ex parte vniuerſalis cauſæ, ſiue in quocunque alio genere. Quomodo homini dormienti, aut tenebris circumfuſo, aut velata facie, opertiſque oculis, vel denegato vniuerſali Dei concurſu, non eſt potentia videndi: quamuis omnibus prorſus corporis membris, & ſenſibus, atque oculis præſertim ſanus & integer ſit homo. Quia licèt habeat potentiam, quantum ex ſe eſt, viſionis elicitiuam; deſunt requiſita ex parte obiecti, vel ex parte medij, vel ex parte cauſæ vniuerſalis. Si autem homini omnium tibi defuerit nihil: tunc demum habebis videndi potentiam plenam in omni genere. Cuius indicium à poſteriori eſt, quòd actus videndi, eſt ſimpliciter & abſolutè poſſibilis. 27.

Duplex potentia acceptio.

Alia eſt potentia plena tantùm in genere elicientis, pro vt hoc genus diſtinguitur ab obiecto, & ſpecie, & quacunque cauſa, excitante potentiam; & ab actuali concurſu cauſæ vniuerſalis. Hoc modo quandiu prorſus ſanos habemos oculos, 28.

oculos, etiam ſi tenebris circumfuſi fuerimus, aut velata facie, oculiſve coopertis; & quamuis denegaretur nobis concurſus primæ cauſæ ad actum videndi neceſſarius, imò quamuis conſtitueremur in vacuo, vbi nullum eſſet obiectum viſibile; adhuc diceremur, habere potentiam viſiuam plenam ſolummodo in genere elicientis viſionem, prò vt hoc genus diſtinguitur ab ea parte poteſtatis videndi, quam confert lux, & ſpecies viſibilis, mediumque diaphanum, & obiectum colore affectum, atque concurſus cauſarum vniuerſalium, præſertim Dei. Huius indicium à poſteriori eſt, quòd actus videndi non eſt ſimpliciter & abſolute poſſibilis, ſed poſſibilis ſolummodo ſecundùm quid, attendendo præcisè vim elicitiuam potentiæ viſiuæ.

29. Hæc eadem applicanda ſunt potentiæ intellectiuæ, atque voluntati in ordine ad obiecta ſupernaturalia; ſed hoc ſolo diſcrimine temperanda ſunt, quod intellectus in ratione intellectiui ſupernaturalis, ſiue in ratione potentiæ elicitiuæ ſupernaturalis intellectionis, non eſt completus à natura, ſed completur per habitus ſupernaturales, vel per concurſum Dei ſupplentis vicem habituum, ſimiliter voluntas in ratione volitiuæ potentiæ ſupernaturalis non eſt completa à natura, ſed completur per habitus ſupernaturales, aut per concurſum Dei ſupplentem eorum abſentiam: at verò naturales potentiæ in ordine ad naturales actus completæ ſunt à natura, & non expectant ab habitibus complementum in ratione potentiæ elicitiuæ illorum.

30. Nihilominus potentia intellectiua ſupernaturalis diſtingui poteſt, vt vna ſit plena in omni genere, id eſt, habens omnia quæ requiruntur ad ſupernaturalem intellectionem, & ſupernaturalem volitionem; ſiue requiratur ex parte obiecti, ſiue ex parte propoſitionis obiecti, ſiue ex parte primæ cauſæ, ſiue ex parte excitantis, ſiue ex parte motiui principij, veluti ex parte principiorum ad inferendas concluſiones, aut ex parte intentionis ad electionem mediorum. Huius autem indicium à poſteriori eſt, quòd ſupernaturalis intellectio, & ſupernaturalis volitio eſt ſimpliciter & abſolutè poſſibilis abſque vllo impedimento. Alia verò potentia (ſeu intellectiua, ſeu volitiua ſupernaturaliter) ſit potentia plena ſolummodo in genere elicientis intellectionem, & volitionem. Quomodo intellectus & voluntas infantis baptizati eſt potentia plena, quia eius intellectus, pro vt inſtructus habitu fidei, eſt intellectiuus rei ſupernaturalis, & elicitiuus intellectionis ſupernaturalis: ſimilitérque voluntas eiuſdem, pro vt inſtructa habitu ſpei, & charitatis, eſt volitiua rerum ſupernaturalium. Cui tamen abſolutè non eſt poſſibilis vlla intellectio ſupernaturalis, neque ſupernaturalis volitio: eo quòd deſit illi diſpoſitio imaginatiuæ requiſita ad vſum rationis, deeſt etiam doctrina myſteriorum fidei, auxilium Dei excitans, & alia quæ ab his pendent. Idem ſeruata proportione, intellige de phantaſia, & appetitu ſenſitiuo eiuſdem infantis in ordine ad ſuas operationes ſupernaturales.

31. Hoc igitur ſenſu potentiam elicitiuam intelligo in concluſione ſecunda, vt ſit plena præcisè in genere elicientis actum, abſtrahendo ab hoc quòd ſit plena in omni genere earum omnium rerum, quæ requiruntur ad actum.

32. *Concluſionis probatio prima.* Hac explicatione ſuppoſita, concluſio probatur primò, quia quoties ad actiones naturales excitamur ab obiectis externis, ſupponitur vis integra in potentia ad illas actiones, & per excitantem vocationem nulla tribuitur vis conſtitutiua potentiæ ineſſe potentiæ; ergo ſeruabitur idem eadem proportione in ſupernaturalibus. Antecedens explicatur. nam quando poſt ſomnum deſuo excitatur intellectus, vt intelligat, non illi additur noua potentia intellectiua, neque neceſſarium eſt nouas ſemper ſpecies produci, ſed ſatis eſt per externos ſenſus moneri phantaſiam. Ad cuius operationis præſentiam intellectus prouocatur, ad intelligendum, id quod ſufficit etiam excitare voluntatem, vt velle incipiat, quamuis ipſa iam ſit completa in ratione potentiæ volitiuæ.

Probatur ſecundò, quia licèt actus augeat aliquando vim operatiuam potentiæ, cauſando habitum, & mouendo ad alios actus: attamen actus nunquam ſe ipſo formaliter conſtituit potentiam in ratione potentis operari, ſed ſupponit ipſam iam conſtitutam. Porrò gratia operans, ſeu excitans eſt actus, vt vidimus tota diſp. 30. Ergo non conſtituit potentiam in ratione potentis operari: ſed aliunde hoc debet habere. 33. *Actus non conſtituit potentiam potentem.*

Confirmatur primò, quia multo minus poterit actus vnius ſpeciei conſtituere voluntatem ineſſe potentis, elicere actum alterius ſpeciei. Sæpe autem actus, eliciendus per liberum conſenſum, ſpecie differt ab omnibus actibus, in quibus conſiſtit gratia operans, ſeu excitans.

Confirmatur ſecundò, quia minus id præſtare poterit, ſi actus gratiæ præuenientis ſit longè imperfectior, cuiuſmodi eſt ſimplex complacentia boni ſupernaturalis, terror pœnarum, & ſpes præmiorum: qui actus longè inferiores ſunt actu contritionis, aut charitatis, ad quos excitant, & quibus cooperantur in homine fideli. Rurſus quando infidelis excitatur ad fidem, gratia præueniens ſolet eſſe iudicium practicum de credibilitate myſteriorum, & pia quædam affectio, qui actus, aut alij ſimiles ſunt longè imperfectiores, quàm vt ſint elicitiuum principium actus fidei. 34.

Probatur tertiò, quoniam gratia præueniens nonnunquam ex parte voluntatis non eſt actus realiter diſtinctus à libero conſenſu: ac proinde non poteſt reali, & phyſico concurſu influare, ad producendum eundem conſenſum, vt ex parte diximus diſput. 32. num. 10. & ſequen. vſque ad finem ſectionis, & fuſiùs dicemus diſput. 44. ſect. 1. & 2. Reſtat igitur, vt in prædicto caſu ſit aliqua gratia operans præueniens, & excitans phyſico, & reali influxu aliquid influere poſſit, ad liberum conſenſum eliciendum, ea ſit ſola illuſtratio intellectus. At verò actus intellectus licet vim habeat phyſicè mouendi ad volitionem liberam, cui obiectum proponit (modo explicando in ſect. 5. versùs finem) illud tamen certum eſt, propoſitione obiecti non conſtitui potentiam voluntatis in ratione potentis operari, & potentis velle, ſed conſtitutam ſupponi, vt moueatur à cognitione, proponente bonum: perinde vt vis appetitiua ſtomachi ſupponitur, vt moueatur à lingua & æſtimatiua, percipiente ſaporem. 35.

Probatur quartò, quia quòd aliqui ex recentioribus, poſtremo loco citatis, aſſerunt gratiam excitantem eſſe inſtrumentum Dei, proptereáque poſſe cooperari ad effectus perfectiores, non ſatisfacit. Quia nec gratia excitans eſt inſtrumentum ex ſua ratione quidditatina deſtinatum, 36. *Recentiores refutantur.*

ac

ac determinatum ad prædictas operationes, ſicut virtus ſeminis eſt deſtinata ad generationem. Hoc enim eſt impoſſibile, propter innumerabilem multitudinem, & maximam diuerſitatem operationum, ad quas mouere non poteſt eadem gratia excitans. Etenim tanta multitudo, & diuerſitas, nunquam vnitur in cauſa, niſi eminentiori, quamuis ſit inſtrumentalis.

Confirmatur, nam ſinguli habitus determinati ſunt vt phyſicam potentiam præbeant ad actus vnius tantùm ſpeciei; quia non pollent tanta perfectionis eminentia, vt vnus habitus præbere poſſit phyſicam potentiam, ad omnes actus cuioſcunque ſpeciei.

37. Rurſus nec gratia excitans eſt inſtrumentum à Deo eleuatum, vt phyſicè producat operationes ſupernaturales liberas, ſicut materia & forma ſacramentorum eleuatur, vt producat gratiam.

Materia ſacramentorum phyſicè producit gratiam.

Probatur primò, quia eodem modo eleuationis eleuare poſſet Deus voluntatem ipſam ad producendum conſenſum, & tamen nullus affirmat de facto eſſe eleuatam hoc genere eleuationis: ergo neque de gratia excitante id aſſerendum eſt.

Probatur ſecundò. nam rei ſupernaturalis eleuatio, ad producendum effectum altiorem, quàm qui ſuæ quidditatiuæ virtuti debebatur, hucuſque inaudita eſt apud Theologos, & videtur minus conſona ſuauiori, & ſapientiori prouidentiæ rerum ſupernaturalium.

38. Probatur tertiò, quia nihil ſupra ordinem, rerum eſſentiis debitum, eſt aſſerendum, niſi authoritate, aut ratione cogente: eorum autem rationes non cogunt. Nam quæ pro eorum opinione initio propoſitæ ſunt ad probandam concluſionem primam, ſolummodo probant aliquem concurſum, & cooperationem conuenire gratiæ excitanti, quem ego libenter concedam ſect. ſequenti: ſed non probant prædictam totalem cooperationem veluti principij, complentis potentiam in ratione potentiæ. Aliæ autem rationes, quibus contendunt, impoſſibile eſſe, vt Deus immediatè concurrens, vel eius immediatus concurſus ſit gratia cooperans, facilè ſoluuntur ex dictis, & dicendis in tota diſput. præſenti.

39. Probatur quartò, quia ij Doctores concedunt, actus gratiæ operantis produci à Deo immediatè, vt à cauſa particulari: & concedunt præterea, habitus à ſolo Deo infundi; ergo nihil eſt, quod reformident immediatum & particularem concurſum Dei ad primum conſenſum ſupernaturalem, quando deficit habitus.

40. Probatur quintò, quia quandiu agens aliquod caret potentia requiſita ad aliquem actum, & habet impedimenta illius, ſuperior modos agendi eſt, Deum immediatè cum potentia vitali concurrere, vt propria operatione ſeipſam diſponens mereatur de congruo infuſionem habitus.

SECTIO V.

Explicatur magis cooperandi modus, quem exercent non ſolùm præueniens gratia, ſeu vocatio, ſed etiam plerique actus liberi & meritorij.

1. ANte omnia ſupponendum eſt, quarto loco inter partes gratiæ cooperantis numerandos eſſe omnes illos actus liberos & ſupernaturales, qui quacumque ratione mouent, aut imperant actus aliarum virtutum. Quoniam tales actus imperantes, licèt ſint effectus alterius gratiæ cooperantis; ipſi etiam ſub alia ratione ſunt gratia cooperans reſpectu aliorum actuum.

Probatur primò. Nam Iacobi 2. *Fides cooperabatur operibus illius.* videlicet Abrahami. Vnde Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 10. docet, iuſtos creſcere, & magis iuſtificari, *cooperante fide, bonis operibus.* 2.

Probatur ſecundò, quia niſi actus imperans valeret plurimum, ad mouendos & eliciendos actus imperatos, non diceret Paulus 1. Corinth. 13. *Charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

Hoc ſuppoſito inueſtigandum reſtat, quo genere actiuitatis, & cauſalitatis vnus actus ad alium poſſit cooperari, ſiue actus cooperans ſit neceſſarius, & indeliberatus, qualis eſt vocatio, vel præueniens gratia, ſiue ſit actus liberè meritorius, mouens, & imperans alium, ſiue ſit actus eiuſdem, ſiue diuerſæ potentiæ. 3.

Qua in re, citra controuerſiam Doctores admittunt, ineſſe moralem cauſalitatem. Cæterùm in eo diſſident, quòd aliqui exiſtimant huiuſmodi cauſalitatem moralem eſſe ita meram & puram, vt nullam prorſus admixtam ferat cauſalitatem phyſicam, per quam prædicti actus reali efficientia cooperentur, ad alios actus liberè eliciendos. Huius ſententiæ videtur eſſe Franciſcus Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 4. à n. 10. & cap. 5. n. 10. Cæterùm, attentiùs conſideratus, magis fauere videtur oppoſitæ ſententiæ. Nam eius argumenta ſolummodo probant, gratiæ excitanti repugnare illam actiuitatem completiuam potentiæ, quam nos etiam impugnauimus ſect. præced. concl. 2. de alia verò minus perfecta cauſalitate parum curat, & ex parte illam admittit cap. 4. num. 12. 4.

Cauſalitas moralis. 1. Sententia.

Ad huius explicationem ſit prima concluſio. Excitanti, ſeu præuenienti gratiæ conuenit aliqua moralis actiuitas, per quam moraliter cooperatur ad conſenſum liberum, inclinando ad illum (idem intelligo de quocumque actu libero meritorio, quatenus imperat, & mouet ad alium.) 5.

Gratia excitans moraliter concurrit.

Probatur primò, quoniam conſilium, perſuaſio, preces, minæ, promiſſa, ſunt cauſa moralis reſpectu noſtri conſenſus; at verò gratia excitans, ſeu præueniens ſuadet exhortationibus, monet exemplis, terret periculis, incitat miraculis; inſpirat conſilium, vt Proſper loquitur lib. 2. de vocatione Gent. cap. 9. aliàs cap. 26 Quod idem plurimi alij Patres docent locis adductis diſput. 30. ſect. 2. & ſequentibus.

Confirmatur, nam inde colligunt Patres communiter, diuinam vocationem, ſeu præuenientem gratiam non afferre vim, aut neceſſitatem voluntati noſtræ; quoniam ſuadendo, exhortando, & alliciendo, ad conſenſum trahit. Ita procedunt Nazianzenus, orat. 37. de Spiritu ſancto longè poſt medium. Method. Martyr lib. de libero arbitrio. Cyrillus Alexand. lib 8. contra Iulianum verſus finem, & in Ioannem lib. 4. cap. 6. & 7. Irenæ. lib. 4. cap. 72. ante med. Chryſoſt. homil. 46. in Ioan. inter med. & finem, & 1. Corinth. 6. homil. 18. col. 2. Theodoretus in Ezechielem cap. 36. ad illud: *Dabo vobis cor nouum.* & Rom. 8. ad illud: *Quos autem prædeſtinauit.* Theophylact. in Ioan. cap. 6. & alij Patres, quorum omnium verba dabimus opportuno tempore.

Probatur ſecundò. Nam homo, inducens alium hominem ad malum, vel dæmon tentans, eſt cauſa moralis committendi peccati. Hanc autem cauſalitatem potiori iure debet ſortiri Deus, qua 6.

ratione

ratione per gratiam præuenientem & excitantem inducit homines ad bonum; quamuis ſimul eum morali cauſalitate phyſicam & realem exerceat Deus, quàm Dæmon, aut homo, perſuadens malum, exercere non poteſt, quia nihil poteſt influere in alienum intellectum, aut voluntatem phyſica, & reali cauſalitate; vt notauimus diſput. 30. ſect. 4. fine.

7. *Finis actio metaphorica.* Tertiò probatur, quia motio finis propria, qua voluntatem mouet ad amorem ſui, & mediorum, non eſt phyſica & realis actio; ſed metaphorica & moralis; at verò gratia præueniens, & excitans eſt applicatio cauſæ finalis ad finalizandum, vel certè vltima ratio conſtituens finem in actu primo, vt finaliaet. Ergo gratia præueniens, ſeu excitans ſub hac ratione præciſè participat idem genus cauſalitatis moralis, & metaphoricæ, quæ propria eſt finis.

8. *Gratia excitans phyſicè producit conſenſum.* Secunda concluſio. Gratia excitans, ſeu præueniens phyſicam & realem actiuitatem quandam exercet; quando ad liberum conſenſum inclinat, & ad illius productionem concurrit in genere cauſæ efficientis, ſuppoſita potentia elicitiua conſenſus, quæ aliunde completa ſit modo explicato in ſect. præcedenti, præſertim concluſione ſecunda. Quantum ad hanc concluſionem rectè ſentiunt Molina, & Maſcareg. citati ſect. præcedenti ſub initium. Idem intelligo de quolibet actu libero, & meritorio, quando imperat, & mouet ad alium.

9. Antequam probem explico, in præſenti referre parum, & alioqui eſſe ambiguitate plenam, proptereáque à nobis prætermittendam quæſtionem, vtrùm actiuitas phyſica, & realis quam tribuimus gratiæ præuenienti, & excitanti, pertineat propriè ad genus efficientis cauſæ, in rigore ſumptum; vel reducatur ad illud, tanquam rationem illius generis, aliquo modo participans, propter connexionem, concatenationem, aut reſultantiam vnius actus cum alio, & ab alio, ſiue quia gratia præueniens & excitans eſt ratio efficiendi, qua voluntas conſtituitur in genere efficientis conſenſum, ſiue quocunque alio modo exiſtimes concurrere.

10. Illud igitur vnum eſt, quod præſenti concluſione intendimus, quódque plurimum intereſt ad controuerſias præſentis temporis, & firma ratione poterit comprobari: videlicet excitantis, ſeu præuenientis gratiæ actiuitatem, & cauſalitatem, qua concurrit ad liberum conſenſum, eſſe realem, & phyſicam: nec ſolam habere cauſalitatem metaphoricam, & ſecundùm rationem tantùm, quam explicuimus in concluſione prima. Rurſus cùm prædicta cauſalitas realis & phyſica non ſit in genere cauſæ materialis, aut formalis, ſaltem quantum ad primariam cauſalitatem materiæ, & formæ; ſed potiùs ſit cauſalitas, per quam vna entitas realiter influit, ad producendam aliam entitatem realiter ab ipſa diſtinctam. Conſequens eſt, huiuſmodi cauſam ea ſaltem ratione conuenire cum cauſa efficiente, quòd realiter influat, & non exhibeat ſe ipſam ad componendum aliquod totum. Quibus differentiis excluditur cauſa finalis, quia non realiter influit, excluditúrque materialis, & formalis cauſa, quarum primaria cauſalitas conſiſtit in exhibendo ſe ipſas. Sub hac vniuerſalitate atque præciſione lector accipiat, quæcumque fuerint à me dicta de phyſico & reali concurſu excitantis gratiæ ad liberum conſenſum ſiue vnius actus liberi, & meritorij ad alium, etiam ſi fortè aliquando vtar nomine cauſæ efficientis.

Ita explicata concluſio probatur primò, quoniam intentio finis reali & phyſica cauſalitate cum voluntate concurrit, ad electionem mediorum producendam, ſed gratia excitans ſeu præueniens plerumque ſe habet tanquam intentio finis (vt vidimus diſput. 32. ſect. 1. num. 3. & ſequentibus, & magis explicuimus ibidem ſect. 3.) Ergo gratia excitans, ſeu præueniens, plerumque hoc eodem cauſalitatis genere phyſicè atque realiter concurrit ad producendum conſenſum. Maiorem ex profeſſo diſputare, aut probare non eſt huius loci: nihilominus oportebit ſolidius aliquod illius fundamentum, præſertim ex authoritate petitum, aperire, ne videamur Theologicas concluſiones de gratia fundere gratis, & pro libito. 11. *Intentio phyſicè & realiter cauſat electionem mediorum.*

Primarium igitur argumentum ſit. Quoniam voluntas ſine dubio in genere cauſæ efficientis phyſicè atque realiter concurrit, ad producendam electionem mediorum: ſed ad hanc producendam, vltima ratio voluntatem conſtituens, vt ſe poſſit de potentia ad actum reducere, eſt actualis intentio finis; ergo huiuſmodi intentio ſuum habet influxum phyſicum & realem, qui ſaltem reductiuè pertineat ad genus cauſæ efficientis, eo quòd proueniat ab vltima ratione conſtitutiua iſtius cauſæ efficientis. Vnde ad huius doctrinæ confirmationem pertinent verba S. Thomæ plurimis in locis reperita: *Voluntas, in quantum actu vult finem, ſiue per hoc quod vult finem, reducit ſe de potentia ad actum, ſeu mouet ſe ipſam, vt velit ea, quæ ſunt ad finem.* Ita loquitur S. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 3. ad 1. & art. 4. corp. & de malo quæſt. 3. art. 3. in 5. argumento, & eius ſolutione, & quæſt. 6. etiam de malo, art. vnicô in medio corporis, & in ſolutione ad 17. & ad 20. & 1. parte quæſt. 82. art. 1. & de veritate quæſt. 22. art. 5. 12.

Eandem S. Thom. doctrinam tradunt communiter eius diſcipuli, Paludanus 3. ſententiarum diſtinct. 18. art. 1. opinione 3. Capreolus in 2. diſt. 25. quæſt. vnica, art. 3. ad vltimum argumentum contra primam concluſionem, & ad 1. Henrici contra 2. concluſionem, & ad 1. Henrici contra 3. concluſ. & in eodem lib. 2. diſtinct. 24. quæſt. vnica, art. 3. longè poſt medium reſpondens ad 8. argumentum contra 5. concluſionem, & diſt. 28. quæſt. vnica art. 3. notabili 6 prope medium. Deza in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica, art. 4. ad argumenta omnia contra ſecundam concluſionem. Peculiariter notanda eſt ſolutio ad 1. & ad 8. & ad 20. & diſtinct. 18. quæſt. vnica art. 3. notabili 6. circa medium. Caietanus 1. 2. quæſt. 9. artic. 3. & 4. fine. 13.

Clariùs volitionem finis cum voluntate effectiuè concurrere ad producendas volitiones eorum, quæ ſunt ad finem, docet Ferrarien. 1. contra Gent. cap. 44. col. 2. 3. & 4. & his ſimilia docuerat in eodem lib. 5. cap. 23. col. 5. §. *ad ſecundum dubium*, & Gregorius 1. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 1. probat: 1. in confirmationibus illius, & aliqui recentiores 1. 2. quæſt. 8. vel 9. vbi Vaſquez diſput. 33. cap. 4. col. 2. Atque in re idem vult Conradus 1. 2. quæſt. 9. art. 3. corp. dicens, quantum ad exercitium actus, rationem agendi, qua voluntas agit, & mouet ſe ad volenda ea, quæ ſunt ad finem, eſſe volitionem finis. Eandem doctrinam confirmat in art. 4. eiuſdem quæſtionis 9. & quæſt. 51. art. 2. con. 2. & ad 2. & quæſt. 85. art. 3. ad 3. & alibi. 14.

Eorum

15. Eorumdem Theologorum mens explicatur magis, & confirmatur, quia tam D. Thomas, quam cæteri eò prædictam doctrinam dirigunt, vt firmum & conſtans retineatur philoſophicum dogma: *Nihil mouetur à ſe ipſo; ſed omne quod mouetur, ab alio mouetur.* ac proinde præcipuè intendunt, aſſignare cauſam efficientem volitionis mediorum realiter diſtinctam à ſubiecto patiente, atque recipiente volitionem eandem. Quapropter neceſſarium eſt, volitionem finis, ratione cuius ſolius prædicta efficiens cauſa realiter diſtinguitur à ſubiecto recipiente, eſſe veluti partem, & complementum efficientis cauſæ.

16. Principalis concluſio probatur ſecundò, quoniam plurimi actus voluntatis reali, & neceſſaria inter ſe mutuò concatenatione, connexione, & reſultantia copulantur. Quemadmodum ex amore boni præſentis neceſſariò ſequitur lætitia, & timor amittendi illud, ſi poteſt amitti; ex amore abſentis boni quandoque triſtitia & deſperatio; quandoque verò ſpes obtinendi illud, & ira contra illius impedimenta: ſic etiam ex affectu charitatis conſequitur actus ſpei, timoris, humilitatis, patientiæ, aliarúmque virtutum. Atque inter cæteras virtutes reperiuntur mutuæ connexiones & imperia, vt vicaria ope ſibi mutuo miniſtrent, oblata neceſſitate, aut vtilitate. Atque in his omnibus actum imperantem, & mouentem habere actiuitatem phyſicam & realem, à paritate rationis probatur exemplo actiuitatis, quam intentio finis exercet ad producendam electionem mediorum: de qua in præcedenti probatione dictum eſt.

17. Huiuſmodi autem concatenatio, connexio, aut reſultantia plerumque reperitur inter gratiam excitantem, ſeu præuenientem, atque conſenſum liberum. Nam, vt vidimus diſputat. 30. ſect. 2. gratia præueniens eſt ſuauitas, & lætitia de bono ſupernaturali: hanc autem liberè retinere, eſt impoſſibile, niſi liberè præſtando ea, quæ requiruntur, ad illud ſupernaturale bonum obtinendum. Quandoque etiam gratia præueniens eſt terror, atque timor æterni ſupplicij; qui niſi reſpuatur ac deponatur animo, concatenationem habet cum libera voluntate fugiendi æterni ſupplicij cauſas. Idem intellige de cæteris affectibus excitantis gratiæ in prædicta diſput. 30. ſect. 2. numeratis.

18. Tertiò probatur, etenim quando aliqui actus intellectus per liberum imperium voluntatis ſunt inferendi ex principiis fidei, aut ſupernaturalis prudentiæ, tanquam concluſiones illorum; tunc principiorum cognitio phyſica & reali cauſalitate concurrit, ad producendum aſſenſum concluſionis: at verò excitans, ſeu præueniens gratia, quæ ſe tenet ex parte intellectus, plerumque eſt veluti principium, ad huiuſmodi concluſiones liberè inferendas.

Principiorum cognitio phyſicè & realiter cauſat concluſionem.

Confirmatur, quoniam huiuſmodi realis, & phyſicus influxus principiorum ad concluſiones, communiter à Dialecticis Philoſophis, atque Theologis conceditur, accepto fundamento ex Ariſtotele 1. Poſteriorum textu 1. dicente, omnem doctrinam, & diſciplinam fieri ex præexiſtente cognitione.

19. S. Thomas prima parte quæſt. 14. art. 7. corp. ait, *eſſe diſcurſum ſecundùm cauſalitatem, quando per principia peruenimus in cognitionem concluſionum.* & 1. contra Gentes cap. 57. non procul ab initio, ait: *Concluſiones in principiis ſunt in potentia.* & poſt pauca: *Principia ſunt quodammodo cauſa efficiens concluſionis: vnde demonſtratio dicitur ſyllogiſmus faciens ſcire.* Similia ſcribit 1. poſter. lect. 3. & de malo quæſt. 6. art. vnico in corpore, dum comparat principia cum intentione finis, & electionem mediorum cum concluſionibus, vt homo ab vno actu mouere ſe poſſit ad alium. Clarius eandem efficientiam teſtatur Gregorius 1. diſtinct. 1. quæſt. 1. artic. 2. concl. 1. probat. 1. In eius confirmationibus. Gabriel in prologo ſententiarum quæſt. 8. dub. 2. Ferrarien. 1. contra Gentes capite 57. præſertim in medio, eandémque ſententiam ſequuntur multi Doctores neoterici.

Probatur quartò, quoniam illuſtratio intellectus, quæ eſt gratia præueniens, eſt ratio, quæ vltimò conſtituit voluntatem, potentiam efficere volitionem, qua diligat illud ſupernaturale bonum, quod per illuſtrationem proponitur, ac proinde realem & phyſicum influxum habebit ad producendam eiuſmodi volitionem. Hic diſcurſus eadem ferè ratione corroborandus eſt, qua ſuperior probatio prima; ſicut enim Doctores aſſerunt, volitionem finis eſſe rationem volendi media, ne ſola voluntas ſe ipſam moueat, & agat in ſe ipſam: Ita propter eandem rationem, vt voluntas poſſit efficienter producere volitionem finis, dicunt rationem agendi, vltimò conſtitutiuam, eſſe cognitionem finis. ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 51. artic. 2. corpore, & ad 1. & ad 2. & alibi ſæpè. Conradus 1. 2. quæſt. 9. art. 1. & art. 3. & 4. eiuſdem quæſt. 9. Caietanus 1. parte quæſt. 80. art. 2. 20.

Clarius cognitionem obiecti ſimul cum voluntate effectiuè concurrere ad producendam volitionem, docet Gregorius in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica, artic. vnico, concluſ. 2. Ocham quodlibeto 1. quæſt. 16. Gabriel in 2. diſtinct. 25. artic. 3. dub. 3. Adam in 1. ſentent. diſtinct. 1. quæſt. 4. dub. 3. & quæſt. 6. artic. 1. & 2. dubio 17. & quæſt. 7. Maior 2. diſtinct. 25. quæſt. 3. concl. vnica, & ad 3. & quæſt. 4. conc. 4. Marſilius in 2. quæſt. 16. art. 3. Almain in 3. lib. Moral. cap. 24. prope initium. Hieronymus de Hangeſto lib. 2. Moralium, cap. 3. documento 4. Dionyſius Ciſtercien. 2. diſtinct. 25. quæſt. 3. artic. 2. concluſ. 4. Paludanus 4. diſtinct. 49. Omitto authoritates Ariſtotelis, Auguſtini, Bernardi, Richardi, Victorini, S. Thomæ, aliáque argumenta, quæ copioſè tractantur à recentioribus, ſiue in lib. 9. Metaphyſicæ, cap. 2. ſiue 1. 2. quæſt. 9. apud quos videri poterunt Doctores, qui oppoſitum ſentiunt, notando tamen eos eſſe perpaucos & parum à noſtra ſententia diſtare. Nam Scotus 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica, poſt med. §. *Dico igitur hic primò*, fatetur intellectionem requiri vt *cauſam ſine qua non.* & Henricus quodlib. 9. quæſt. 5. & quodlib. 12. quæſt. 26. aſſerit, intellectionem, eſſe conditionem afferentem cauſam. 21.

Denique realem & phyſicam actiuitatem vnius actus ad producendum alium, ſiue producatur ab eadem potentia, ſiue à diuerſa, nihil obſtare libertati; ſed nihilominus voluntatem ſui iuris eſſe, vt cohibeat alterum, vel vtrumque actum, ſi opus fuerit, quando ſunt neceſſariò connexi tomo de ſcientia Dei, à diſputat. 38. vſque ad 59. probatum eſt. 22.

***

SEC

Digitized by Google

SECTIO VI.

Vtrùm cooperantis gratiæ quidditas requirat concurrere in actu ſecundo, an verò ſatis ſit, principium eſſe, paratum in actu primo.

1. PEculiariter difficultas eſt, vtrùm illæ omnes operationes, de quibus ſect. præcedenti loquuti ſumus, ſiue neceſſariæ fuerint, ſiue liberæ; dicantur gratia cooperans, ratione actualis concurſus in actu ſecundo: an verò ſufficiat, eſſe potentes in actu primo, ad talem concurſum præbendum, etiamſi priuentur effectu.

2. Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 2. ad finem, & cap. 14. & Molina concord. art. 13. diſp 40. propius ad finem, quàm ad med. § *ad ſecundam verò*, exiſtimant non eſſe cooperantem eam, quæ caret effectu. Idem videtur ſentire Vaſquez 1. 2. diſp. 185. cap. 9. §. penult. & clariùs Maſcareg. diſp. 1. part. 3. num. 3.

3. *Sufficit quod principium ſit paratum.* Nihilominus ſit concluſio. Ad rationem gratiæ cooperantis ſatis eſt, in actu primo eſſe principium, potens cooperari; etiamſi priuetur effectu actuali cooperationis propter hominis culpam; vt rectè docuit Alexand. 3. p. quæſt. 69. memb. 5. artic. 3. ad primum.

Probatur primò, quia generaliter nomine *auxilij*, ſeu *gratiæ auxiliatricis* intelligitur tam illa, quæ actualiter concurrit; quàm illa, quæ potuit concurrere, licèt de facto non concurrat. Sic enim auxilium ſufficiens appellatur abſolutè & ſimpliciter auxilium, ſiue gratia auxiliatrix.

4. Secundò probatur, quoniam ſine actuali concurſu, ex ſola poteſtate illum præſtandi, habet ſufficientem diſtinctionem gratia cooperans ab operante; ita vt realitas illuſtrationis, & inſpirationis ſeu vocationis diuinæ, qua ratione eſt principium, potens cooperari cum libero concurſu voluntatis, ſit gratia cooperans, & diſtinguatur à ſe ipſa, prout independenter à libero concurſu voluntatis conſtituit hominem vocatum, excitatum, & præuentum; ſub qua ratione eſt gratia operans.

5. Tertia, & vrgentior probatio ſumitur ex Tridentino ſeſſione 6. cap. 5. & canone 4. vbi decernit, excitanti, atque adiuuanti gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponi peccatores. Libertatem autem huiuſmodi aſſenſus in eo, decernit, conſiſtere, quòd inſpirationem recipere, & abiicere, conſentire, aut diſſentire poſſit. Quod autem abiici poteſt, non eſt actualis concurſus, prout actualiter exiſtens; ſed prout paratus eſt in actu primo in virtute & potentia cauſæ efficientis; ſimiliterque conſentire, atque diſſentire non poſſumus actuali concurſui, prout actualiter exiſtenti, ſed prout paratus eſt in actu primo. in virtute, & potentia cauſæ efficientis. Ergo ad rationem gratiæ cooperantis ſatis erit in actu primo eſſe principium, potens cooperari.

Confirmatur primò. nam de poteſtate conſentiendi, & cooperandi, vel abiiciendi gratiam excitantem, & adiuuantem, ſeu cooperantem, oblatam à Deo, quantum ex ſe eſt, eodem modo, quo Tridentinum, loquuntur Patres communiter locis citatis ex parte tota diſpot. 34. & in tomo de ſcientia Dei, à diſp. 39. vſque ad 43.

6. Confirmatur ſecundò. nam Colonienſe Enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis titul. de ſacramento Pœnitentiæ. cap. *dicitur autem.* ſupponit atque confirmat eandem poteſtatem in actu primo, collatam per gratiam cooperantem. Hæc enim poteſtas idem eſt, quod libertas bene operandi; præſertim notanda ſunt illa verba: *Dicitur autem hæc gratia ſubſequens, ſeu cooperans comitari voluntatem noſtram; quòd voluntas noſtra ſanata per gratiam iuſtificantem iam nacta ſit aliquam libertatem repugnandi infirmitati ſuæ*, &c. *Colonienſe Enchiridion.*

7. Probatur quartò, quia niſi vera eſſet noſtra concluſio; ſequeretur, inadæquatam, & diminutam eſſe diuiſionem auxiliatricis gratiæ in operantem, & cooperantem. Dantur enim multæ auxiliatrices gratiæ, quæ neque eſſent operantes, neque cooperantes. Nam concurſus Dei, prout in actu primo ſufficienter præparatus, & oblatus cunctis hominibus, quantumcumque obſtinatis, & ſupernaturales habitus eorum hominum, qui eos otioſos & vacuos detinent, ſunt auxiliatrix gratia, vt conſtat ex partitione Auguſtini lib. de corrept. & gratia cap. 12. propè initium dicentis: *Aliud eſt adiutorium, ſine quo aliquid non fit: aliud eſt adiutorium, quo aliquid fit.* Exemplis explicans dixit alimenta eſſe adiutorium, ſine quo aliquid non fit; beatitudinem verò eſſe adiutorium, quo fit beatus Angelus, aut homo. Ideo principium potens concurrere vocatur auxilium, ſiue adiutorium à Magiſtro lib. 2. diſtinctione 24. § *hic conſiderandum.* & diſtinctione 26. & 27. ac cæteros Scholaſticos in eiſdem diſtinctionibus. Alberto 2. parte quæſtione 90. memb. 1. & quæſtione 91. initio. Alexandr. 3. part. quæſtione 69. & 70. S. Thoma, & aliis, ita frequenter, vt ſuperfluum ſit plures in particulari referre. Sed tamen neque prædictus Dei concurſus in actu primo, neque prædicti habitus eſſent gratia cooperans, ſi non eſſet vera noſtra concluſio. Rurſus neque eſſent gratia operans ſub ea ratione, de qua loquimur, nimirum, quatenus immediatè reſpiciunt concurſum, ad liberè præſtandum conſenſum: vnde ſub hac ratione forent gratia, & tamen non eſſent gratia operans, nec cooperans.

8. *Obiectio 1.* Probatur quintò, quia nulla nos ratio compellit, aliter limitare gratiam cooperantem; vt conſtabit diſcurrendo per ſingula, quæ pro contraria opinione adducuntur. Quarum prima deſumitur ab ipſo nomine gratiæ cooperantis, quod actualem cooperationem ſignificat, non ſterilem poteſtatem, atque virtutem, actuali operatione carentem.

9. Nihilominus reſpondetur, Imò eiuſmodi voces frequenter non ſignificant actum; ſed vim intrinſecè deſtinatam, vt in actum prodeat; niſi noſtro vitio impediatur. Sic enim Iacob. 3. *Quæ deſurſum eſt ſapientia bonis conſentiens eſt.* & 1. Corinth. 13. *Charitas patiens eſt*; item *credentes* appellantur omnes, qui præditi ſunt habitu fidei, & notitia myſteriorum: etiamſi longo tempore non eliciant actum credendi. Denique Hebr. 10. *Omnis ſacerdos præſtò eſt, quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias.* Conſtat autem aliquos ſacerdotes actu non miniſtrare, nec offerre, ſiue defectu ſanitatis, ſiue ob alia impedimenta: & tamen de illis etiam verificatur vniuerſalis propoſitio propter poteſtatem, ad miniſtrandum, & offerendum ex ſe deſtinatam. *Hebr. 10.*

10. Secundum argumentum eſt. Gratia cooperans nunquam fruſtratur effectu, neque deſtituitur noſtra

noſtra cooperatione libera; ſed vocatio ſæpè fruſtratur effectu noſtræ cooperationis liberæ: ergo vocatio non eſt gratia cooperans.

Reſpondetur primò, negando maiorem, eius namque falſitatem nuper probauimus.

Reſpondetur ſecundò, etiamſi gratiæ cooperantis nomen reſtringere voluiſſes ad eam, quæ in actu ſecundo cooperatur; adhuc hæc eſſet eadem realitas, cum ea vocatione, quæ tunc ſortitur effectum, modo explicatò in ſectione præcedenti.

11. Tertium argumentum, quoniam vocatio, in quantum excitat, & mouet ad conſenſum liberum, vt ſic eſt gratia operans: ergò vt ſic non eſt cooperans.

Probatur antecedens, quoniam alioqui gratia operans non eſſet appellanda *operans* actiua voce; ſed operata.

Reſpondetur, appellari operantem, non efficientem, ſed formalis cauſæ operatione; vt cum D. Thoma ostendimus diſp. 29. ſect. 1. num. 17.

12. Obiiciunt quartò, quia nunquam inſinuatur à Patribus acceptio hæc gratiæ cooperantis pro vocatione, ſeu gratia præueniente.

Reſpondetur oppoſitam conſtare ex hac & præcedenti ſectione 4. & 5.

SECTIO VII.

Quilibet actualis concurſus ex parte Dei proueniens eſt etiam gratia cooperans.

1. *Dei concurſus gratia cooperans.* Dico primò: Dei actualis concurſus, ad noſtrum liberum conſenſum vocationi præbendum, eſt verè & propriè gratia cooperans, ſeu adiuuans, ſecundùm modum loquendi Auguſtini, & aliorum Patrum. Ita exiſtimat Vaſquez 1. 2. diſp. 185. cap. 9. fine. Bellarm. lib. 6. de gratia & liber. arbitr. cap. 15. ſent. 8. versùs finem, & quaſi probabile admittit Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 4. fine. Solet hæc aſſertio probari, impugnando alios modos gratiæ cooperantis, ſeu adiuuantis, vt hic ſolus relinquatur. Sed eiuſmodi argumentis iam ſatisfeci ſectionibus præcedentibus. Exiſtimo enim plurima eſſe membra gratiæ cooperantis quæ ſe inuicem non excludunt à munere cooperandi, & adiuuandi, ſed potiùs ſe inuicem exigunt, atque fouent, vt in ſect. 1. explicuimus.

2. *Probatur primò.* Solidiùs probatur primò; quia gratia auxiliatrix non ſolùm eſt illa, quæ eſt principium, potens concurrere ad noſtros actus; ſed etiam ipſemet concurſus actualis eſt gratia auxiliatrix: imò, vt propriùs loquamur, hæc eſt vltima pars, complens & perficiens gratiam auxiliatricem. Ergo ſimiliter gratia cooperans, ſeu adiuuans non erit ſolummodo principium potens cooperari, ſeu adiuuare, quale eſt Deus, vt patatus; & inſuper habitus & gratia excitans: vt vidimus in præcedent. ſectionibus; ſed etiam ipſe actualis concurſus horum principiorum, quæ cum libero arbitrio cooperantur, erit gratia cooperans.

3. *Dei actualis concurſus an auxiliatrix gratia.* Antecedens illud, videlicet, actualem concurſum eſſe gratiam auxiliatricem, aliqui Doctores negant; exiſtimant enim de ratione auxilij eſſe, vt ſit principium, afficiens potentiam, & conſtituens illam in actu primo, potentem prius natura, quàm operetur. Ij Doctores quamuis in hac re ſola voce diſſentiant: inde tamen viam aperiunt, ad alias de rebus ipſis opiniones confirmandas. Propterea magnum iudicii momentum in acceptione præſenti atque illius authoritate grauiſſima. Nam concurſum actualem appellant auxilium D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 1. & 2. & q. 110. art. 2. & alibi ſæpè. Caiet. & alij expoſitores dicta quæſt. 109. art. 1. & 2. Durandus 2. diſtinct. 26. quæſt. 3. num. 4. & diſtinct. 29. quæſt. 5. Ægidius 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 2. & poſt articulum 4. literali dubio. Richardus 2. diſtinct. 28. artic. 1. quæſt. 1. & 2. Gabriel in 2. diſtinct. 28. quæſt. vnica artic. 3. dub. 2. poſt med. Gregor. Arim. 2. diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 3. Ruardus toto art. 7. de liber. arbitr. præſertim à pagin. 16. & pagin. 23. propoſit. 3. & ſequentibus. Driedo de captiuit. & redempt. generis humani tractat. 5. cap. 1. fine, & cap. 2. ſub init. & alibi ſæpè. Vega lib. 6. in Trident. cap. 6. & ſequent. præſertim 9. cap. Sotus 1. de natura & gratia cap. 16. Bellarminus tomo 3. lib. 1. de gratia cap. 2. parte 3. Suarez opuſc. de auxiliis lib. 3. cap. 3. num. 2. Vaſquez 1. 2. diſp. 183. ſæpè, atque alij Scholaſtici communiter, quorum teſtimonia retulimus diſp. 21. ſect. 2. & ſequentibus.

Probatur primò ex illis omnibus Conciliis & Patribus qui affirmant, ad ſingula quæque opera pietatis, & ad tentationes ſuperandas, opus eſſe quotidiano auxilio gratiæ: quorum ſcripta omnia ſi legantur attentè, conſtabit nomine *auxilij*, & gratiæ intelligere non ſolùm principium in actu primo præparatum ad concurrendum; ſed etiam actualem concurſum re ipſa exhibitum. Hic enim eſt, qui propriè datur per ſingulas actiones, & in ſingula momenta, cùm Dei præparatio ad concurrendum ab æterno fuerit, & ſemper eadem maneat, nec aliter detur in ſingulis momentis, & per ſingulas actiones, niſi quatenus datur actualis concurſus, qui ſingulis momentis, ſingulíſque actionibus peculiaris naſcitur atque moritur cùm eiſdem. 4.

Prædictam ergo neceſſitatem gratiæ ad ſingula opera pietatis & in ſingula momenta docent Arauſicanum Concilium authoritate Leonis I. præſertim can. 9. 11. 20. 21. 23. & 24. Carthaginenſe Concilium (cui Auguſtinus interfuit) in epiſtol. ad Innocentium, & Innocentius in epiſt. reſcripta ad idem Concilium, quæ apud Auguſtinum ſunt epiſtol. 90. & 91. & inter epiſtolas Innocent. eſt epiſt. 25. & ſequentes duæ epiſtolæ Mileuitani Concilij ad eundem Innocentium, & Innocentij ad illum Concilium Mileuitanum epiſtol. 26. Cæleſtinus I. epiſtol. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 8. & 9. referens in eandem ſententiam verba Sozimi Papæ. Hieronymus epiſt. ad Cteſiphontem colum. 4. & tribus libris dialogorum aduerſus Pelag. Auguſt. Proſper, Fulgent. Bernardus, & alij Patres frequenter citati ſuprà diſp. 9. & 10. & ſparſim multis ſequentibus, præſertim diſp. 41. 5.

Probatur ſecundò, quia iuxta definitiones, quas ex Auguſtino retulimus ſect. 6. num. 7. concurſus actualis Dei eſt adiutorium, non tantum *ſine quo aliquid non fit*, ſed etiam *quo aliquid fit*. 6.

Tertiò probatur exemplo, quia tam vulgari ſermone, quàm metaphyſico rigore appellabitur auxilium ille actualis concurſus, quo vnus homo alium iuuat, vt pondus ſuſtineat, vel portet, vel ſurſum tollat; quamuis vnus homo nihil reale in alium hominem influat, quod eidem homini poſſit eſſe principium operationis. Quartò probatur, quoniam actualis concurſus eſt veluti vltima pars, complens & perficiens auxiliũ, quod in actu primo erat veluti imperfectum, & potentiale, 7.

riale, expectans proprium actum, quo perficiatur. Perinde vt arbor ſine fructu imperfecta eſt; & actuali fructu ornatur atque perficitur.

7. Secunda probatio principalis aſſertionis eſt, quia nos Deo cooperamur per noſtrum actualem concurſum ad liberam operationem ſupernaturalem. Ergo Deus ſimiliter per ſuum actualem concurſum cooperatur nobiſcum ad eamdem operationem.

Probatur conſequentia, quia cooperantes, & coadiutores referuntur ad inuicem relatione quadam veluti æquiparantiæ, cuius quidditas in eo conſiſtit, quòd vtraque operatio ſimul ad eundem effectum concurrat.

8. *Simile deſenditur.* Confirmatur, quoniã ſi puero imponatur portandum onus viribus impar, & gigas cooperari velit, & adiuuare: eadem actio, vehendi pondus, procedet à puero & à gigante. Et illa eadẽ, vt procedit à gigante, erit auxilium adiuuans & cooperans: ſiquidem gigas nullam qualitatẽ, nullũmve principium actiuũ infundere poteſt puero. Idem ergo dicendum erit quando Deus nobiſcum cooperatur prius natura quàm habitũ infundat. Sed quoniam hoc ſimile ſolet à quibuſdã authoribus reprehendi; aduerte, illius ſimilitudinem quãtum ad præſens attinet, in eo ſolùm conſiſtere, quòd actualis concurſus Dei nobiſcum ſit auxilium adiuuans, & cooperans, ſicut actualis concurſus gigantis eſt auxilium adiuuans, & cooperans, quamuis de cætero multa & lata ſint diſcrimina; & in eo præſertim quòd diuinus concurſus ſit longè ſuperioris ordinis, quã noſter & eleuans noſtrum: at verò gigantis & pueri concurſus ſunt non ſolùm intra idem genus, ſed etiam intra eandem ſpeciem. Videantur quæ diximus in præcedenti tomo de voluntate Dei, diſp. 45. præſertim ſect. 9.

9. *Obiectio 1.* Eiuſdem aſſertionis probationes ſunt eorum quæ ſequuntur obiectionum ſolutiones.

Prima deſumitur ex vi & proprietate participij vel nominis habentis huiuſmodi terminationem, ſolet enim denominare principium operationis, non ipſam operationem. Vnde ſicut calefactio non appellatur virtus calefaciens: ita actualis concurſus & cooperatio ſeu adiuuatio non eſt appellanda cooperans vel adiuuans gratia.

Soluitur. Reſpondetur huiuſmodi participia vel nomina quædam impoſita eſſe ad ſignificandum aliquam veluti vim & actiuitatem, quam vna actio exercet reſpectu alterius actionis, vel reſpectu termini producti, aut ſubiecti, aut obiecti; ac proinde tribuuntur actionibus. Sic Dei concurſum actualem ad effectus ſupernaturales, appellamus actionem ſeu concurſum eleuantem comparatione concurſus, quem præſtat eleuata creatura. Cauſæ particularis concurſum actualem appellamus actionem determinantem comparatione concurſus cauſæ vniuerſalis, qui eſt indifferens ex ſe. Actio cauſæ vniuocæ dicitur eſſe aſſimilatiua & aſſimilans. Eiuſmodi etiam appellationes ſunt actio immanens, vel tranſiens, ſuperans reſiſtentiam, cognitio penetrans, proponens obiectum, volitio imperans, & eiuſmodi ſexcenta.

Maiori ergo iure Dei actualis concurſus appellabitur cooperans & adiuuans, cùm iſtæ voces denotent quandam veluti vim, & actiuitatem vnius actionis erga aliam, vt oſtendimus exemplo illius, qui pondus cum alio portat.

10. *Obiectio 2.* Secunda obiectio eſt, quia noſter actualis concurſus, non appellatur cooperãs; ergo neque concurſus Dei. Probatur conſequentia, quia cooperantia debet eſſe veluti relatiua æquiparãtiæ. Antecedens probatur, quia nos ipſi, & noſtrum arbitrium dicitur cooperari Deo, vt Paulus ait: *Abundantius illis omnibus laboraui; non ego, ſed gratia Dei mecũ*, & modus cõmunis loquẽdi Patrũ ita habet.

Soluitur. Reſpondetur, non eſt inſolitum apud Patres & Scholaſticos dicere, noſtrum laborẽ & conatum diuinæ gratiæ cooperari. quæ verba noſtrã actionem & actualem concurſum ſonant. Præterea in qualibet operatione libera noſtrum concurſum eſſe determinantem reſpectu diuini cõcurſus, ſaltem determinatione libera; ac proinde cõcurrere determinando, multi Doctores Theologi dicunt. Quapropter maiori iure licebit dicere, Dei concurſum eſſe cooperantem & adiuuantem; eo quòd multo præſtantiores vires exercet circa noſtrum concurſum, corroborando, & quaſi viuificando illum. Nihilominus fatemur proprium, & valde vſitatum modum loquendi eſſe, dicere, Deum cooperari nobiſcum, & cooperari Deo.

Tertia obiectio, quia gratia cooperans debet eſſe prior, & cauſa noſtræ cooperationis, & conſenſus, ſed actualis concurſus Dei non eſt prior, neque cauſa noſtri conſenſus; ergo non eſt gratia cooperans. Maior probatur. nam gratia Dei, tam adiuuans, quàm præueniens, eſt cauſa noſtri conſenſus, & præintelligitur in actu primo parata, vt ſi voluerimus, illa vtamur. 11.

Reſpõdetur primò. Non omnis gratia, eſt prior quaſi cauſa; ſed eſt prior vel quaſi cauſa, vel quaſi actualis cauſatio: rurſus non omnis gratia intelligitur ita eſſe præparata, quaſi exiſtat ante noſtrum conſenſum; hoc enim ſolummodo verificatur de gratia quæ parata eſt tanquam principium in actu primo. Cæterùm ea gratia, quæ eſt actualis concurſus ad noſtrum conſenſum, in eo ſenſu eſt nobis parata, quatenus Deus paratus eſt, nobis illum præſtare, ſi velimus cooperari. *Reſponſio 1.*

Reſpondetur ſecundò, actualem Dei concurſum eſſe priorem noſtro, prioritate non reali, ſed ſecundùm rationem, cum fundamento, in quidditate vtriuſque concurſus, noſtri & diuini: vt oſtendemus tomo ſequenti. *Secunda.*

Quarta obiectio, quia duo inuicem cooperantia ſunt correlatiua, vnde exigunt realem diſtinctionem: ſed actualis concurſus Dei non diſtinguitur realiter à noſtro actuali concurſu; eſt enim realiter vna actio, vt colligitur ex principiis probabilioribus, quibus Philoſophi venantur realem vnitatem actionis, vt vidimus tomo de voluntate Dei diſp. 45. ſect. 10. Ergo Dei concurſus non eſt cooperans noſtro concurſui. 12.

Reſpondetur idem argumentum fieri poſſe, vt probaret Dei actualem concurſum non eſſe cooperationem, quia cooperatio correlatiuum eſt alterius cooperationis; quòd ſi Dei actualis concurſus non eſt cooperatio, conſequens eſt, Deum non cooperari: atque eadem ratione probabitur, neque homines ipſos cooperari Deo. Quæ omnia manifeſtiſſimis teſtimoniis ſacræ Scripturæ & Patrum repugnant. Quapropter ſicut ſine reali diſtinctione vnius cooperationis ab altera retinetur realis relatio tranſcendentalis, quæ ſignificatur hoc nomine *cooperatio*: ita etiam quæ ſignificatur hoc nomine *cooperãs*. eſt enim prorſus eadem, quando hæc vox tribuitur actuali cõcurſui. Porrò tranſcendentales relationes, quamuis ſint reales, non indigere reali extremorum diſtinctione, multis exemplis conſtat in philoſophia & Theologia, tunc præſertim, quando primarij termini earumdem *Solutio.*

Tranſcẽdentalis relatio realis nõ eget reali extremorum diſtinctione.

dem relationum realiter diſtinguuntur, ſicut hîc primarij termini cooperationis actualis diuinæ, & humanæ ſunt Deus & homo cooperans, qui realiter diſtinguuntur; quamuis eædem cooperationes ſe mutuò reſpiciant. Sic in materia prima capacitas recipiendi formam ſubſtantialem corruptibilem, ſupponit capacitatem recipiendi formas accidentales, quæ ſunt diſpoſitiones, & ſo motuò reſpiciunt iſtæ capacitates duæ, quamuis non diſtinguantur realiter.

13. Ex dictis colligo, & dico ſecundò. Non ſolùm actualis concurſus, quem Deus ſolus immediatè ſine habitu præſtat; ſed etiam ille concurſus actualis, quem deriuat mediante habitu, vel mediantè gratia excitante, comprehenditur ſub nomine, & ratione gratiæ cooperantis.

Probatur, quia etiam iſti concurſus, deriuati per inſtrumenta creata, complent, adiuuant, & roborant noſtrum concurſum: vt ſuprà explicatū eſt.

Confirmatur, quoniam quamuis inſtrumenta illa creata operentur; eorū tamen influxus præcipuè reſpicit Deum, vt principalē cauſam, quæ per talia inſtrumenta cooperatur cum libero arbitrio.

14. Inde tandem à paritate rationis infertur ſub nomine & ratione gratiæ cooperantis comprehendi quemlibet actualem concurſum, quem Deus deriuat per actus liberos & meritorios aliarum virtutum, quando per illos allicit & mouet ad aliarum virtutum actus, imperando illos (vt vidimus ſect. 5. à principio,) & conſequenter comprehendi ſimiliter eum concurſum, quem deriuat Deus per habitos earumdem virtutum imperantium, mediis eorum actibus.

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrùm diſcrimen gratiæ cooperantis, ſeu adiuuantis à gratia ſubſequente, conſiſtat in eo, quòd ad interiorem conſenſum illa, hæc verò ad cætera conſequentia dona requiratur.

SECTIO I.

Vtrùm gratia adiuuans, ſeu cooperans requiratur ad quemlibet modum conſentiendi vocationi, & inſpirationi Dei.

1. AD liberè conſentiendum, requiri cooperantem ſeu adiuuantem gratiam, ſuppono ex dictis in proxime præced. diſput. 36. & diſp. 31. Quo ſuppoſito, reſtat inueſtigandum vtrùm ad conſenſum inefficacem ſimplicis complacentiæ, & ad conſenſum interpretatiuum, per omiſſionem reſiſtentiæ, requiratur.

2. *Requiritur ad inefficaces actus.* Prima concluſio. Adiuuans, ſeu cooperans gratia requiritur, non ſolùm, vt eliciatur actus abſolutus, & efficax, quo plenè quis conſentiat vocationi; ſed etiam, vt eliciatur liberè actus inefficax ſimplicis complacentiæ; ſi tamē ſit qualis oportet. Probatur, quia per talem actum voluntas incipit affici ad pulſantem, auſcultare vocantem, & exhortantem audire grato animo; vnde viam aperit, vt vocatio ſortiatur effectum: imò iam incipit moueri ad Deum, & venire; quamuis tardo lentóque gradu. Quapropter hîc etiam verificatur illa ſententia Auguſtini in lib. de gratia Chriſti c. 14. *Hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum ſi non venit: non autem poteſt eſſe, niſi adiutum, ſi venit.* Nam quicumque liberè ſe conſtituit propinquiorem, vt perueniat ad aliquem terminum, eo ipſo venit ad illum terminum; at verò quicunque liberè præſtat ſupernaturalem conſenſum, etiam inefficacem, & ſimplicis complacentiæ, propinquiorem ſe conſtituit, vt, ineunte progreſſu gratiæ, conſentiat pleno, abſoluto, & efficaci conſenſu.

Confirmatur primò. Nam huiuſmodi actus complacentiæ inefficacis, quamuis inchoati, imperfecti, & carētes debita appretiatione, quandoque ſunt entitatiuè ſupernaturales, vt oſtendimus 2.2. tractantes de præcepto diligendi Deum, diſp. 4. de charitate q. 6. ergo ad illos actus requiritur gratia adiuuans, quando liberè eliciuntur. 3.

Confirmatur ſecundò, quoniam ideo actus inefficaces & ſimplicis complacentiæ, quādo liberè fiunt, ſicut oportet, etiam antequam explicitè cognoſcantur fidei myſteria, merentur de cōgruo vlteriora auxilia gratiæ, vt oſtēdimus ſuprà diſp. 19. ſect. 4. & 5. & tota diſp. 25. præſertim ſect. 6. At verò quilibet actus meritorius requirit, non ſolum præuenientem, ſed etiam cooperantē Dei gratiam: cùm omne meritum debeat eſſe aliquo modo propriū liberi arbitrij, & nihilominus debeat à Deo per gratiā tanquam à principali cauſa procedere. 4.

Confirmatur tertiò, quoniam tribus, vt plurimum gradibus arbitrium liberum moueri ſolet, vt à malo tranſeat in bonum. Primò namque voluntas ducitur libera complacentia pulchritudinis, quam per illuſtrationem diuinam intuetur in bono. Secundò eadem complacentia libera corroboratur eò vſque, vt apud voluntatem vires habeat non minores, quàm conſuetudo, & affectus prauus; ideóque voluntatem conſtituat quaſi in æquilibrio dubitantē de vtriuſque partis electione. Tertiò, tandem volūtas efficaci actu eligit bonum relicto malo. His gradibus proceſſiſſe Auguſtini conuerſionem conſtat ex lib. 8. confeſſ. c. 11. præſertim poſt mediū, ab illis verbis: *Aperiebatur ab ea parte, qua intenderem faciem, & qua tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ, ſerena, & non diſſolutè hilaris, honeſte blandiens, vt venirem, neque dubitarem*, & quæ ſequuntur in eodem, & in cap. 12. atque in cap. 1. libri noni, in quibus deſcribitur Auguſtini voluntas prius dubitatione fluctuans, deinde verò firmæ electionis portum tenens. 5.

Confirmatur quartò, quoniam tentationibus prædicto modo affici, cenſetur eſſe conſenſus, & peccatum mortale moroſæ delectationis. Ergo in bonis erit etiam ille quidam conſenſus imperfectus, & veluti delectatio moroſa, quæ ſit bonus actus liber, ac proinde indigeat auxilio adiuuāte. 6.

Quid de pura omiſſione diſſenſus. Reſtat dicere de pura omiſſione diſſenſus, ſiue de conſenſu interpretatiuo, circa quem Doctores communiter videntur ſupponere, ſolas vires boni arbitrij abſque gratia ſufficere, vt reſiſtat, vel non reſiſtat; diſſentiat, vel non diſſentiat Deo vocanti. Clarius tamen, quàm cæteri Doctores, punctum attigit Bellarminus in lib. 6. de gratia & libero arbitrio cap. 15. quod eſt vltimum, ſententia 7. vbi de illo homine, qui neque reiicit, neque recipit vocantem, nec efficitur ad illum, ſed merè negatiuè ſe habet, docet perinde ſe habere, ac ſi reiiceret, ac proinde ad hoc non indigere diuina gratia. Probat, quia qui pauperem clamantem audit, & non mouetur ad miſericordiam; neque aliquid ei donat, repellere illum dici poteſt; quamuis 7.

quamuis neque verbo, neque manu illum abigat; & qui longo tempore audit ſuadentem, & non perſuadetur, dicitur ſuadenti reſiſtere. Confirmat, quoniam Auguſtinus paulo ſuperiùs citatus ait: *Arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit*. At verò ille, qui non recipit vocantem, nec afficitur ad illum, non venit ad vocantem, quamuis non recedat ampliùs: ergo poteſt eſſe ſolum arbitrium ad hæc, ac proinde gratia non indigebit ad illa.

8. Hæc ſententia ſui temperamentum & interpretationem in prædictis probationibus virtualiter continet. Ad quam explicandam clariùs, ſit

Concluſio 1. ſecunda concluſio. Quamuis negatio reſiſtentiæ atque diſſenſus per ſe & propter præciſam quidditatem ſuam, nullam prorſus requirat gratiam adiuuantem, ſeu cooperantem; ſed poſſit ex nudis viribus liberi arbitrij contingere: nihilominus aliquando eadem negatio reſiſtẽtiæ atque diſſenſus eſt interpretatiuus conſenſus in vocationem, atque tunc opus erit cooperante, ſeu adiuuante gratia, vt non reiiciatur vocatio per actum aliquem poſitiuè contrarium, quamuis adhuc non præbeatur illi conſenſus, neque afficiatur animus ad illam; ſed merè negatiuè ſe habeat, quantum ad reales actus liberos.

9. Pro vtriuſque membri probatione, diſtinguere oportet, plures quaſi partes atque circumſtantias, ſub quibus prædicta omiſſio cõſiderari poteſt. &

Primò, quando præceptum conſentiendi vrget, ſine dubio peccatum eſt omiſſio conſenſus: ad peccatum autem non requiritur diuina gratia.

Secundò diuturnitas omiſſionis huius conſenſus irreuerentiam quandam continet, & interpretatiuum diſſenſum, propter obligationem conſentiendi, & aliquando tandem poſt moram non valde diuturnam reſpondendi vocanti perſonæ eximiæ authoritatis, poteſtatis & charitatis.

Tertiò cæterùm nullus dubitabit, quin aliqua breui temporis mora non reſpondere vocanti, neque aſſentiri ſuadenti, perſæpe nulla ſit culpa: imò potiùs habeat honeſtatem, vtilitatem, ác difficultatem non exiguam. Quapropter indigebit gratia cooperante, ſeu adiuuante.

10. Probatur antecedens, quia non ſemper vrget obligatio conſentiendi vocationi continuò cùm

Non datur obligatio cõſentiendi cõtinuò primùm pulſat; ſed quãdoque differri poteſt conſenſus aliquo tempore abſque peccato: & tũc honeſtum eſt vitare peccatum diſſentiendi, & abiiciendi gratiam, & præcauere ab impedimẽto vlterioris gratiæ, quod inde prouenire poteſt. Quapropter eò ipſo erit ad ſalutem vtile, tunc nõ diſſentire vocationi. Inſuper hoc ipſum habere, poteſt peculiarem difficultatem ratione tentationis, impellentis ad reſiſtendum vocationi. Cæterùm hæc peculiaris difficultas non eſt ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco; idcóque quantum eſt ex quidditatiua ratione non reſiſtendi vocationi ſecundùm ſe conſiderata, nõ requiritur gratia adiuuans.

11. Quartò addo inſuper id, quo præcedens do-

Confirmatur. ctrina confirmatur, etiam eo tempore, quo pura omiſſio conſenſus eſt peccatum mortale, contingere poſſe, vt indigeat diuina gratia, non qua parte eſt omiſſio conſenſus, ſed qua parte eſt omiſſio diſſenſus. Quia ſi vehemẽs aliqua tentatio impellat ad grauius peccatum diſſentiendi formali & poſitiuo diſſenſu; & ratio continendi & frænandi ſuam propenſionem ad diſſentiendum fuit obſeruatio grauioris præcepti, quod ſeueriùs prohibet ne poſitiuè diſſentiamus: iam illa omiſſio, quãtum ad hanc partem, eſt interpretatiuus conſenſus in obſeruationem illius grauioris præcepti; & cõſequenter proximus accedit ad cõſenſum; eſtque inchoatus motus veniẽdi ad Deũ, rurſus eadẽ omiſſio eſt honeſta & difficilis; ergo indigebit gratia.

Confirmatur primò, nam grauis tentationis reſiſtentia vitando aliquod peccatum, ad quod incitat, indiget diuina gratia: vt cõmuniter Doctores docent in materia de gratia; at omiſſio diſſenſus in præſenti caſu eſt reſiſtentia tentationis grauis. 12.

Confirmatur ſecundò, nam pura omiſſio actus prohibiti tunc eſt meritoria, quando liberè omittimus, & omittẽdi ratio fuit obſeruatio præcepti, qua ſublata, cæteræ circumſtantiæ nos impellebant ad actum prohibitum: vt oſtendimus t. 2. q. 72. art. 6. dub. 3. in appendice. Erit autem hoc meritum ſolùmodo naturale, nec merebitur aliquid ſupernaturale, etiamſi omittendi motiua ſupernaturalia fuerint, quia tota omiſſionis illius honeſtas, & ratio meriti perfectiori modo reperiri potuiſſet in actu entitatiuè naturali; quapropter ſupernaturalia motiua, improportionatè aınara, vellet homo non diſſentire vocationi: cùm tamẽ ille actus non ſit proportionatus ad ſupernaturale meritum, vt cõſtat ex tota diſp 23. præſertim ſect. 3. Nihilominus hæc naturalis honeſtas, & naturale meritum puræ omiſſionis ſufficit, vt adiuncta ſpeciali aliqua difficultate, indigeat diuina gratia cooperante; ſicut indigent actus virtutum moralium, quando peculiari difficultate impediuntur. 13.

Pura omiſſio meritoria quando.

Meritum naturale.

Confirmatur tertiò nam duæ omiſſiones ſunt, quaſi realiter diſtinctæ, omiſſio conſenſus in gratiam, quæ eſt peccatum mortale, & omiſſio diſſenſus, quæ eſt honeſta & meritoria: nec eſt impoſſibile, ſimul concurrere in eodem tempore duos actus, ſeu formales, ſeu interpretatiuos, quorum alter ſit peccatum mortale, alter verò ſit meritorius de congruo, etiam ſupernaturali merito. Velut quando furatur aliquis, gerens actuale propoſitum, poſtea confitendi, reſtituendi, & agẽdi pœnitentiam: quod propoſitũ, quamuis valde imperfectum, nihilominus ſi fiat, ſicut oportet propter motiua ſupernaturalia, erit de cõgruo meritoriũ. 14.

Ex his conſtat ſolutio ad argumenta, quæ concluſionem ſecundam præceſſerunt, qua ratione contra illam pugnare videntur. 15.

SECTIO II.

De acceptionibus gratiæ cooperantis, & ſubſequentis, ſecundùm quas interdum pro eadem, interdum verò pro diuerſa gratia vſurpantur.

OMitto aliam impropriam non minus, quàm latam acceptionem gratiæ ſubſequẽtis, quæ complectitur omnia prorſus dona ſupernaturalia. Hæc enim omnia dicuntur gratia ſubſequẽs comparatione naturalium donorum. Sed è contrario naturalia dona præuenientis gratiæ nomen aliquando præcipiunt, quamuis valdè rarò: veluti apud Gregorium in Moralibus, quem refert D. Bonauentura 2. diſtinct. 27. dubio 1. circa litteram, & apud Hugonem Victorinum in id Iſaiæ 1. *Vulnus & liuor*, quem refert Alexand. 3. part. quæſt. 69. membr. 3. articul. 3. 1.

Venio ad proprias & dogmaticas acceptiones, ſit prima concluſio: Perſæpè apud Theologos gratia ſubſequens, neque re, neque ratione formali diſtinguitur à gratia cooperante, ſiue adiuuante; niſi ſola nominis ratione. Nam gratia 2.

Subſequens gratia à cooperãte quãdoque ſola nominis ratione differt.

ſubſequens dicitor ab ordine poſt præcedentem; at verò gratia cooperans, ſeu adiuuans denominator ad humanas vires, atque conatum, quibus cooperatur.

3. Probatur primò ex Auguſtinn lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 9. ad finem, dicente: *Hominis propoſitum bonum adiuuat quidem ſubſequens gratia, ſed neque ipſum eſſet, niſi præcederet gratia.* Vbi apertè adiuuantem gratiam, quæ ad propoſitum, ſiue conſenſum liberum cooperatur, Auguſtinus appellat ſubſequentem.

4. Confirmatur duplici oratione Eccleſiæ, altera eſt: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere.* Altera: *Viam illorum præcedente gratia tua dirigas, & ſubſequenti comitari digneris.* Vnde conſtat, gratiam ſubſequentem & comitantem eſſe eandem. Quo etiam modo loquitur D. Bernardus tract. de gratia, & libero arbitrio col. penultima, vbi poſtquam retulit omnes effectus priores, & poſteriores gratiæ, ſubiungit: *Sic tamen iſta cum libero cooperatur arbitrio, vt tamen illud in primo præueniat, in cæteris comitetur.* Ecce comitatur, & cooperatur cum arbitrio, quælibet gratia quæ ſequitur poſt præuenientem.

5. Denique Philo tomo primo Bibliothecæ lib. 10 Cantica ad illa verba: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata,* ait: *Gratia alliciendo, incipit, admiſſa conſequitur bene retenta, ac fuſa perficit.* Vbi ſubſequens gratia appellatur, quæ admiſſa, conſequitur immediatè, poſtquam præueniens gratia alliciendo incipit; hæc autem non eſt alia gratia, niſi quæ ad liberè conſentiendum, & admittendam gratiam cooperatur.

6. Probatur ſecundò, quoniam D. Thomas 1. 2. quæſt. 111. artic. 3. corpore ſic loquitur: *Gratia, ſecundùm quòd cauſat primum effectum, vocatur præueniens reſpectu ſecundi effectus; & prout cauſat ſecundum effectum, vocatur ſubſequens reſpectu primi effectus.* Vnde ſtatim S. Thomas infert, eandem gratiam appellari poſſe ſubſequentem reſpectu prioris gratiæ; & præuenientem reſpectu poſterioris. Idemque prorſus Ægidius 2. diſtinct. 26. quæſt. 2. artic. 4. docet.

7. Confirmatur, quia ſicut operantis, & cooperantis gratiæ diuiſionem accommodauerat gratiæ habituali D. Thom. quæſt. 111. art. 2. ita etiam in art. 3. ad 2. eidem accommndat præuenientis, & ſubſequentis gratiæ diuiſionem ſecundùm diuerſos effectus priores & poſteriores. Quod obſcurios D. Thomas, & clarius eius aliqui diſcipuli docent, & Conradus fuſins explicat in vtroque artic. 2. & 3. Itaque S. Thomas, & eius diſcipuli de gratia ſubſequente non ſecus loquuntur, quàm de gratia cooperante, quæ immediatè poſt præuenientem gratiam cooperatur cum voluntate; & ab hoc poſterioritatis ordine denominatur ſubſequens.

8. Probatur tertiò. nam Doctores Scholaſtici indifferenter vtũtur nominibus gratiæ ſubſequentis, cooperantis & adiuuantis, & vnum explicant per aliud. ſic loquitur Magiſter 2. diſt. 26. §. 1. & 2. Albertus 2. p q 101. memb. 1. Alexan. 3. part. q. 69. memb. 3 art. 3. Bonauentura 2. diſtinct. 27. dub. 1. circa litteram, & lib. 2. diſt. 26. q. vltima corpore poſt med. Carthuſ. 2. diſt. 26. quæſt. 4. & 5. Richardus 2. diſt. 26. q. vltima. Gabriel eadem diſt. 26. quæſt. vnica, art. 1. notabili 2. Marſilius in 2. q. 17. articul. 1. præſertim notabili 2. vbi etiam iidem Doctores referunt plures alias acceptiooes præuenientis, & ſubſequentis gratiæ.

His adde Colonienſe Chriſtianæ inſtitutionis Enchiridion, quod planè demonſtrat, ſe pro eadem gratia ſine diſcrimine vſurpare cooperantem, ſiue ſubſequentem gratiam, vt conſtat in titulo de ſacrament. Pœnitentiæ fol. 91. cap. *ſeptimò retinendum,* prope medium, & fol. 94. cap. *hanc autem,* in principio, & fol 97. cap. *dicitur autem,* & fol. 98 cap. *habes vt ſperamus.* Cæterùm vtrumque nomen cooperantis, vel ſubſequentis gratiæ nunc ad liberum conſenſum voluntatis, nunc ad operis executionem, nunc ad iuſtificationem, nunc verò ad alios effectus referre videtur; & quaodoque videtur eam ab adiuuante diſtinguere. 9.

Prædictam acceptionem gratiæ ſubſequentis pro gratia cooperante, ſeu adiuuante docti recentiores, tanquam vnicam docere videntur, velnti Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 5. num. 2. & Bellarm. lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 2. ſub finem. 10.

Nihilominus ſit ſecunda cõcluſio. Subſequens gratia ſtrictè ſumpta, apud Patres & Scholaſticos lectores legitur non raro, quaſi membrum, condiſtioctum, atque poſterius cooperante, ſiue concomitante, vel adiuuante gratia. Pro cuius explicatione nota, tria hæc nomina, *cooperans, concomitans,* ſeu *adiuuans gratia*, latiori acceptione ſumpta, æqualem prorſus ambitum habere, quem habet ſimiliter gratia ſubſequens, latè ſumpta. Nam omnes iſtæ quatuor voces apud Theologos reperiuntur, relatæ ad quaſlibet gratias, vna tantùm excepta præueniente prima, quæ nullo modo pendet à libero conſenſu voluntatis. 11. *Aliquando diſtincta.*

Cæterùm quando gratia ſubſequens accipitur ſtrictiùs, quaſi condiſtincta à gratia cooperante, vel concomitante, ſiue adiuuante, ſtrictè ſumpta; tunc gratia cooperans, concomitans, ſiue adiuuans locum ſortitur ſecundum, poſt gratiam præuenientem; refertur namque ad interiorem conſenſum liberum: ſed gratiæ ſubſequenti tertius relinquitur locus, vt ei tribnantur omnes gratiæ, quæ poſt liberum conſenſum voluntatis donantur à Deo; ſiue noſtro arbitrio liberè concurrente ad illatum infuſionem, ſicut ad donum perſeuerantiæ, ſiue non concurrente, vt non concurrit ad infuſionem habitualis gratiæ iuſtificantis, neque luminis gloriæ, & viſionis beatæ. 12.

In hac ſtrictiori acceptione, gratia dicitur ſubſequens, non ſolùm comparatione præcedentis gratiæ; ſed etiam comparatione præcedentis conſenſus liberi, atque propter hanc rationem non ſolùm Deum, ſed etiam hominẽ ſubſequitur hæc gratia. Quòd Deum, & eius priorem aliã gratiam ſubſequatur, & ab ea ſubſequentis nomen accipiat, conſtat ex dictis huc vſque, & infra dicendis. 13. *Gratia ſubſequens comparatione præcedentis gratiæ & cõſenſus liberi.*

Quòd autem ſubſequatur liberum voluntatis conſenſum, & ipſum hominem, probatur. nam Leo IX. epiſtola ad Petrum Antiochenum Epiſcopum columna vltima ait: *Gratiam Dei & præuenire & ſubſequi hominem, credo, & profiteor; ita tamen vt liberum arbitrium rationali creatura non denegem.* Vbi decernitur, gratiam Dei ſubſequi non ſolum poſt aliam gratiam præuenientem, ſed etiam poſt hominem. Idque propterea, quoniam libero arbitrio poſt præuenientem, & ante ſubſequentem gratiã operatur homo ad ſalutem; ſed cooperando cum adiuuante gratia. Idem poſterioritatis ordo cõparatione hominis denotatur illa Eccleſiaſtica oratione: *Tua nos, quæſumus Domine, gratia ſẽper præueniat & ſequatur.* 14.

Idem

Digitized by Google

15. Idem colligitur ex Auguſtino in lib. 83. quæſtionum quæſt. 68. colum. 3. dicente; *Parum eſt enim, velle, niſi Deus miſereatur; ſed Deus non miſeretur, qui ad pacem vocat, niſi voluntas præceſſerit ad pacem.* Hæc verba, *niſi voluntas præceſſerit*, Auguſtinus primo retractationum cap. 26. verſùs finem, ita interpretatur: *Hoc dictum eſt poſt pœnitentiam. Nam eſt miſericordia Dei, etiã ipſam præuenient voluntatem.*

16. *Subſequentis gratiæ acceptiones quinque.* Ex his colligo, & ſit concluſio tertia præcedentem explicans. *Gratia ſubſequens*, ſumpta ſtrictè, vt à cooperante diſtinguitur, quinque habet præcipuas acceptiones. Prima pro habituali gratia iuſtificante. Secunda pro incremento, & profectu in gratia. Tertia pro gloria. Celebriores tamen ſunt duæ aliæ acceptiones gratiæ ſubſequentis, videlicet, quarta pro perſeuerantia in gratia, & quinta pro auxilio ſupernaturali, peculiariter requiſito ad operis executionem.

17. Primam acceptionem ſubſequentis pro habituali gratia iuſtificante reperies apud aliquos Scholaſticos, veluti apud Ægidium 2. diſt. 28. q. 1. art. 5. poſt med. & Alexandrum 3. p. quæſt. 69. n. 3. art. 3. corpore.

18. Secundam acceptionem pro incremento & profectu iuſtitiæ Auguſtinus tradit lib. de natura & gratia cap. 32. dicens: *Præuenit vt ſanemur; ſubſequitur vt ſanati vegetemur* eius loci, quæ ſequuntur, verba, referemus ſtatim. Eandem acceptionem vſurpat Gloſſa, cuius verba referemus infrà numero 25.

19. Tertiam acceptionem ſubſequentis gratiæ pro beatitudinis præmio Auguſtinus tradit lib. de natura & gratia cap. 32. nuper citato, dicens: *Præuenit, vt vocemur; ſubſequitur, vt glorificemur, præuenit, vt piè viuamus; ſubſequitur, vt cum illo ſemper viuamus.*

20. Fulgentius epiſt. 6. ad Theodorum cap. 9. ait: *Ad has* (ſcilicet Scripturas ſacras) *ſi humilis, & mitis acceſſeris; ibi profectò inuenies, & præuenientem gratiam, qua poteſt eliſus ſurgere; & comitãtẽ, qua viam recti poſſit itineris currere; & ſubſequentem, qua valeat, ad regni cœleſtis beatitudinem peruenire.* Idem colligitur ex Pſalm. 22. proximè citando.

21. Quartam acceptionem ſubſequentis gratiæ pro perſeuerantiæ dono colligere poſſumus ex Pſalmo 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.* quod vel ad perſeuerantiam, vel ad gloriam pertinet.

22. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. ait: *Præuenit impium, vt fiat iuſtus; ſubſequitur iuſtum, ne fiat impius. Præuenit eliſum, vt ſurgat; ſubſequitur eleuatum, ne cadat.* & cap. 14. ait: *Deus prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe, præſciuit, miſericordia præuenientis auxilio redituros: & in ſe miſericordia ſubſequentis auxilio remanſuros.* Idem Fulgent. lib. 2. de remiſſione peccatorum ad Euthymium cap. 2. fine ait: *Quibus Deus pœnitentiam hic donat, vt etiam perſeuerantiam donet, ſic diuina præueniente miſericordia conuertuntur, vt eadem miſericordia ſubſequente, ad crimina nullatenus reuertantur.*

23. Gregorius lib. 10. moral. cap. 29. aliàs 38. ait: *Vitam nobis & miſericordiam tribuit, quia ea, qua nos miſericordia ad bene viuendum, præuenit etiam ſubſequente, cuſtodit; niſi enim miſericordiam ſubroget, ſeruare non valet vita, quam præbet.*

24. Anſelmus de concordia gratiæ & liberi arbitrij cap. 3. colum. 4. *Sicut rectitudinem nullus accipit, niſi gratia præueniente; ita nullus eam ſeruat, niſi eadem gratia ſubſequente; nempe quamuis illa ſeruetur per liberum arbitrium: non tamen eſt tantum imputandum libero arbitrio, quantum gratiæ, cum hæc rectitudo ſeruatur; quoniam illam liberum arbitrium, non niſi per gratiam habet, & ſeruat.* Fateor tamen, non ſatis conſtare, quæ fuerit horum verborum mens, fortè namque *gratiam ſeruare* apud Anſelmum hoc loco ſignificat, liberè conſentire, atque admittere quamlibet præuenientem inſpirationem Dei. Hoc enim videtur innuere ſuperior inferiórque contextus, & phraſis, qua vtitur Anſelmus etiam in libro de libero arbitrio, ad quem remittit hoc loco nuper citato.

Denique Gloſſa ad illa verba Exodi 33. *Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo*, ſic loquitur: *Eſt gratia, quæ præcedit, vt Deum cognoſcant, & diligant; & eſt gratia quæ ſequitur, vt ſe mundos, & immaculatos cuſtodiant, & proficiant.* 25.

Quintam verò acceptionem pro ſupernaturali auxilio, ad exteriorem actum peculiariter requiſito, relinquimus in ſequentem diſputationem, probandam & explicandam. 26.

Hanc varietatem acceptionum tum in gratia ſubſequente, tum etiam in gratia cooperante agnouit S. Thom. & magna ex parte explicuit in 2. diſtinct. 26. quæſt. 1. art. 5. corpore, & ad argumenta; & S. Bonauentura in eadem diſt. 26. dub. 1. circa litteram. Alexand 3. part. quæſt. 59. memb. 3. art. 3. corp. aliique antiquiores Scholaſtici. 27.

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrùm peculiaris gratia ſubſequens requiratur ad externi operis executionem.

SECTIO I.

Status controuerſiæ, errores hæreticorum & opiniones Catholicorum.

CONTINGIT frequenter executiuam potentiam debilitatam eſſe ſuis naturalibus viribus, aut impeditam, & ligatam; tunc verò requiri gratiam, ſiue ſupernaturale auxilium, vt promptè ac expeditè exequatur opus, quod efficax, & abſoluta voluntas imperat, dubitat nullus. Exemplum ſit Valerius Cæſarauguſtanus Epiſcopus, cui ad prædicandum Euangelium populo, & ad Ieſu Chriſti fidem coram tyranno liberè conſtantérque propugnandam, interior voluntas non deerat, efficax, abſoluta, conſtans, laboris, & tormentorum nihil reformidans: deerat tamen executiua potentia, propter linguæ impedimentum, ideóque ſine alia ſpeciali gratia, ſupernaturaliter ſupplente linguæ defectum, quod optabat, exequi non poterat. Idem intellige in cæteris omnibus potentiis animi & corporis, quæ voluntatis imperio ad executionem moueri poſſunt. 1.

Deinde quamuis adſit executiua potentia retinens ſuas vires integras & expeditas; contingit frequenter, deeſſe materiam, circa quam exerceri poſſit executio; aut loci, temporis, aliarúmve circunſtantiarum opportunitatem; quorum defectus vt ſuppleatur, opus eſt ſupernaturali aliqua Dei prouidentia & gratia, quamuis nobis plerumque ſit occulta. 2.

Præterea ſuppono voluntatem plenam & 3.

Digitized by Google

efficacem operis, etiamſi præuiſas difficultates ſuperauerit abſentes, nona gratia indigere; ne præſentibus eiſdem difficultatibus, quas præuiderat, turbetur, fluctuet, obruatur. Cùm experientia conſtet, longè difficilius eſſe, præſentes difficultates efficaci voluntate poſtponere, quàm abſentes, quamuis exacta præcognitione præuiſas.

4\. His ſuppoſitis ſtatus controuerſiæ verſatur in homine cui adeſt tota gratia, requiſita, vt inter præſentes & expertas negotiis difficultates retineat plenam, efficacem, conſtantémque voluntatem operis; quique integra, prompta & expedita potentis executiua pollet, quantum ad naturales vires illius, nec deficit materia circa quam, nec opportunitas temporis, loci aliarúmque circunſtantiarum, quæ requiruntur ad opus. De hoc homine quærimus in præſenti, vtrùm prætérea indigeat vlteriori alia gratia ſubſequente ad operis executionem.

5\. *Affirmatiua pars.* Affirmatiuam partem, erroribus permixtam, aliqui huius temporis hæretici ſcripſerunt. Veluti Kemnitius, qui gratiam, ſiue ſubſequentem, ſiue cooperantem, ſiue adiuuantem, exiſtimauit ſolummodo pertinere ad exteriores actus executionis, non verò ad ipſam interiorem volitionem. Hanc enim, abſoluta Dei gratia præueniente, fieri ſine cooperatione liberi arbitrij, probat Kemnitius (apud Iodocum Toletanum in 1. part. apologiæ pro Trident. circa medium, vbi agit de libero arbitrio fol. 184. & ſeq.) his verbis: *Auguſtinus adiuuantem gratiam tunc primum ponit, quando ſine veteris hominis cooperatione gratia præueniens operata eſt velle. Tunc enim adiuuat, ne fruſtra velimus. Sic inquit in Enchirid. Auguſtinus. Hominis voluntatem adiuuat præparatam, & præparat adiuuandam.* & alibi: *Hominis propoſitum bonum adiuuat quidem ſubſequens gratia, ſed neque ipſum eſſet, niſi præcederet gratia ſtudium quoque hominis, quod dicitur bonum, quamuis cùm eſſe cœperat, adiuuetur à gratia: non tamen incipit ſine gratia; ſed à Deo inſpiratur.*

6\. Idem Kemnitius ab inconuenienti ſic probat: *Qui adiuuantur, ipſe cum adiuuante aliquid agit, & cooperatur: voluntas, nondum renata, adiuuatur à gratia. ergo ex ſe aliquid confert; & viribus ſuis naturalibus quas habet ex ſua prima natiuitate, aliquid cooperatur ad conuerſionem.* Quod argumentum eo ſenſu proponit Kemnitius, vt ex falſitate conſequentis colligat, antecedens etiam eſſe falſum; ac proinde voluntatem, nondum iuſtificatam, nihil poſſe cooperari, vt ſe ad iuſtificationem diſponat. Lutherus, Caluinus, & Melancthon idem ſentiunt, licèt non ita expreſsè meminerint gratiæ operantis. Nam proteruè negant ſemper liberi arbitrij cooperationem liberam ad interiores affectus: quamuis ad exteriores concedant.

7\. *Improbatur.* In cuius erroris impugnatione nihil eſt, quod immoremur in præſenti, duos namque articulos complectitur, alibi à nobis ex profeſſo refutandos. Primò namque voluntatem liberè concurrere, & cooperari ad conſenſum liberum, quo ſe ad iuſtificationem diſponat, probauimus tomo de ſcientia Dei diſput. 39. & plurimis ſequentibus. Nunc ſufficiat Tridentini decretum, ſeſſione 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendum iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere, anathema ſit.*

8\. Secundò gratiam cooperantem & adiuuantem eſſe ſimpliciter neceſſariam, vt voluntas poſſit præſtare liberum conſenſum Deo vocanti, & excitanti, vt ſe ad iuſtificationem diſponat, conſtat ex Patribus citatis tota diſp. 31. & 36. ſectione 2. & magis conſtat ex tomo de ſcientia Dei, diſp. 39. & plurimis ſequentibus.

9\. His duobus articulis reſecatis, in reliqua ſententia Kemnitij nihil reſtat falſitatis. Solummodo enim reſtat illud, quod proprium eſt præſentis diſputationis, videlicet peculiarem gratiam ſubſequentem requiri ad externi operis executionem. Qui articulus præciſus à duabus præcedentibus verus eſt, atque tantæ authoritatis, ab Auguſtino, aliiſque Patribus acceptæ, vt ſub eius prætextu, atque vmbra Kemnitios auſus fuerit duos hæreticos articulos quos retulimus nuper, obtrudere.

10\. Teſtimonia verò, quæ profert ex Auguſtino, ſolutione non indigent; cùm manifeſtè conſtet, ex illis ſolummodo pro boni præuenientem gratiam eſſe ſimpliciter neceſſariam, & voluntas poſſit conſentire Deo vocanti, quo ſe ad iuſtificationem diſponat. Sed inde nulla nec tenuiſſima vis illationis eſt, vt inferat Kemnitius, ad eundem conſenſum liberum non requiri prætérea gratiam adiuuantem, ſeu cooperantem, aut ſubſequentem. Quin potiùs, ſi voluiſſet aduertere, potuiſſet huiuſmodi neceſſitatem ex ipſis verbis Auguſtini, quæ citat, colligere; præſertim illis: *Hominis propoſitum bonum adiuuat quidem ſubſequens gratia.* quod quidem, vt ſit, adiuuat ſubſequens gratia. Similitérque ex illis verbis: *Studium hominis bonum, cùm eſſe cœperat adiuuatur à gratia.* Incipit autem per gratiam præuenientem independenter à noſtræ libertatis concurſu: & adiuuatur, vt idem bonum ſtudium euadat in conſenſum liberum; quam explicationē ex quamplurimis aliis eiuſdē Auguſtini teſtimoniis conſtat, eſſe illius mentem.

11\. In oratione autem Kemnitij latentem deprehendere fallaciam facile eſt, diſtinguendo minorem, & conſequens. Voluntas enim, nondum renata per gratiam iuſtificantem, aliquid confert, & viribus ſuis naturalibus, quas habet ex prima ſua natiuitate, aliquid cooperatur ad conuerſionem, præſuppoſita gratia excitante, & cooperante gratia adiuuante, ſiue ſubſequenti. Cæterùm altera vel vtraque gratia deficiente, nudis naturalibus viribus nihil confert, nihil ad conuerſionem cooperatur.

12\. *Scholaſticorum mens.* Prætermiſſo igitur hæreticorum errore, plurimi ex Catholicis Scholaſticis, præſertim antiquioribus, ita loquebantur, vt gratiam ſiue ſubſequentem, ſiue cooperantem referrent ad ſolam executionem operis: ſed ad liberum conſenſum voluntatis, quo voluntas euadit bona, relinquerent gratiæ præuenienti. (hæc verba licèt ſimilia ſint quibuſdam verbis erroris nuper refutati; cæterùm mens longiſſimè diſtat, cùm planè concedant omnes, voluntatem noſtram liberè ſimul cum gratia cooperari ad ſuum conſenſum.) Ita expreſsè loquitur Magiſter in 2. diſtinctione 26. ſub initium, & cap. 2. ſub finem, cuius aliqua verba referemus ſect. ſequenti probat. 9. S. Bonauent. in 2. diſtinct. 27. dub. 1. circa literam. Marſilius 2. quæſt. 17. art. 1. notab. 2. Ricard. Carthuſ. & alij citati diſput. præced. ſect. 2. concluſ. 1. probat. 3 num. 8.

13\. Eodem modo loquitur Colonienſe Chriſtianæ inſtitutionis enchiridion titulo de ſacram. Pœniten. cap. *Septimò retinendum*, fol. 91. & cap. *Hanc*

autem

autem, fol. 94. Quamuis poſtea in fol. 94. cap. *dicitur autem*. & fol. 98. cap. *habes vt ſperamus*, alias etiam acceptiones cooperantis, & ſubſequentis gratiæ agnoſcat. Ab hoc modo loquendi parum diſſident S. Thomas, S. Antoninus, Durandus, Caiet. Conradus, Driedo, & Ruardus, citati diſp. 32. ſect. 1. num. 4. Habet autem hic modus loquendi fundamentum in Auguſtino, vt retulimus diſp. 3x. ſect. 1. num. 9.

14. Venio tandem ad controuerſiam non de modo loquendi, ſed de re ipſa, eámque magni momenti, quæ inter Catholicos verſatur. Nam ex recentioribus ſapientiſſimi aliqui exiſtimant, externi operis executionem nulla peculiari gratia indigere vltra illam, quæ requiritur ad volitionem plenam, & efficacem concipiendam, dirigendam, protegendam, & conſeruandam: idque nominatim decernunt *de operibus pœnitentiæ tam corporeis, quàm ſpiritualibus; quæ ſequuntur actum conuerſionis, & ad gratiam præparant*. Hanc opinionem primus tradidit Ruardus art. 7. inter principium & medium, §. *ex propoſitionibus*, propoſitione 4. & 5. eámque videtur amplecti Bellarminus, lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, capite 14. §. *ſed non videtur*, & lib. 6. capite 15. ſedentem 11.

15. Hæc ſententia quo ſenſu, quàve parte vera ſit, conſtabit ſect. 3. concluſ. 3. Sed quoniam eius fundamenta deſumpta ex teſtimoniis S. Auguſtini, in ſpeciem pugnare videntur contra veram ſententiam confirmandam in ſectione 2. & 3. propterea diluenda erunt in ſectione 4.

SECTIO II.

Peculiaris gratia ſubſequens requiritur ad operis executionem.

Ad operis executionem peculiaris gratia neceſſaria.

1. PRimaria concluſio, directè reſpondens diſputationis titulo, hæc eſt. Ad executionem operis eſt ſimpliciter neceſſaria peculiaris gratia, per ſe deſtinata, vt executionem adiuuet; & hæc peculiari nomine appellatur gratia ſubſequens (quamuis ſæpe comprehendatur ſub generalibus nominibus gratiæ cooperantis, & adiuuantis, aut comitantis) peculiaris, inquam, gratia vltra eam, quæ requiritur ad volitionem plenam, & efficacem concipiendam, dirigendam, protegendam, & conſeruandam, etiam inter præſentes, & expertas difficultates operis; idque quamuis homo polleat naturali potentia executiua integra & expedita, nec deſit materia circa quam, nec opportunitas temporis, aut loci, aliarúmve circumſtantiarum.

2. Probatur primò, quoniam perficere bonum, tanquam diuerſus effectus gratiæ, nouo diuini operis influxu præſtandus, traditur à Paulo Philip. 2. quod clariùs notarunt Fulgent. & Greg. Atque Fulgen. quidem epiſt. 4. ad Probam c. 3. ante medium ait: *Nec quiſquam hominum, ſiue ad cogitandum, ſiue ad operandum quodcunque bonum, poteſt eſſe idoneus; niſi fuerit gratuito munere diuinæ opitulationis adiutus. Deus eſt enim qui operatur in ſuis, & velle & perficere*. & paulo inferiùs: *Ab ipſo eſt initium bonæ voluntatis, ab ipſo facultas boni operis, ab ipſo perſeuerantia bonæ conuerſationis.*

3. Gregorius homil. 9. in Ezechielem ſub initium: *Ecce*, ait, *diuina vox iacenti Prophetæ iuſſit, vt ſurgeret; ſed ſurgere omnino non poſſet, niſi hunc omnipotentis Dei Spiritus intraſſet. Quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem poſſumus; ſed hæc implere non poſſumus, ſi ipſe non adiuuet, qui iubet. Sic Paulus Philip. 2. Cùm diſcipulos admoneret, dicens: Cum metu & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini: illico, quis in his hæc bona operaretur, adiunxit, dicens: Deus eſt qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate ſua.* (& poſt pauca: *Ipſe aſpirando, nos præuenit, vt velimus, qui adiuuando, ſubſequitur, ne inaniter velimus; ſed poſſimus implere, quod volumus.*

4. Probatur ſecundò, quoniam voluntatem aliquando reperiri ſine poteſtate operis exequendi, notat Paulus ad Rom. 7. dicens: *Non enim quod volo bonum, ago; ſed quod odi malum, illud facio.* & poſt pauca: *Nam velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio*. vbi apertè hoc docent communiter expoſitores ad Rom. 7. videndus præſertim ibi Chryſoſt. ſerm. 13. & S. Thom. lect. 3.

5. Hanc operis impoſſibilitatem cum voluntate operis reperiri, notauit Proſper lib. contra Collatorem cap. 8. poſt med. hæc verba ad Rom. 7. concilians cum verbis, quæ in probatione prima ponderauimus ex Philip. 2. ſic ergo Proſper ſcribit: *Dixit quidem B. Apoſtolus: Velle enim adiacet mihi; perficere autem bonum non inuenio. Sed idem dixit: Non quòd idonei ſimus, cogitare aliquid ex nobis ipſis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et idem dixit: Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate. Non ergo Apoſtolus ſibi contrarius eſt; ſed cùm donatum nobis fuerit bonum velle, non ſtatim inuenimus & facere; niſi quærentibus, petentibus, atque pulſantibus, vt qui dedit deſiderium, præſtet effectum. Vox namque iſta dicentis; Velle enim adiacet mihi; perficere autem bonum non inuenio; vocati eſt, ſub gratia conſtituti: qui delectatur quidem legi Dei ſecundùm interiorem hominem, ſed videt aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, & deprimentem ſe in lege peccati & quamuis acceperit ſcientiam rectè volendi, virtutem tamen in ſe non inuenit eorum, quæ optat operandi; donec pro bona voluntate, quam ſumpſit, mereatur inuenire qui faciat.*

6. Ex eodem teſtimonio ad Rom. 7. vltra bonam voluntatem ſupernaturalem ex gratia profectam, abſolutam, & quod ex ſe eſt efficacem, adhuc ad operis executionem eſſe neceſſariam peculiarem gratiam, probat fusè & egregiè Gregorius lib. 29. moral. cap. 15. colum. vltima, aliàs cap. 25. oſtendens Deum inſerere bona deſideria iuſtis, & tamen permittere, vt ab eorum effectu conſequendo deficiant, vt ſuam fragilitatem agnoſcentes, tutiores ſint à periculo ſuperbiæ. & poſt multa ſic loquitur: *Videamus, Paulus, infuſa videlicet terra, quanta diſciplinæ glacie premebatur, dum ait: Velle mihi adiacet; perficere autem bonum, non inuenio. Qui enim velle ſe habere, aſſerit, iam per infuſionem gratiæ quæ in ſe latebant ſemina, oſtendit. Sed dum perficere bonum non inuenit, profectò indicat quanta illum diſpenſationis ſuperna glacies premat. An iſta glacies eorum corda non preſſerat, quibus dicebat: Vt non quæcunque vultis, illa faciatis? ac ſi apertè diceret: Occulta cordis veſtri ſemina iam prodire in frugem, quærunt, ſed ſuperni moderaminis gelu premuntur, vt tanto poſt fœcundius exeant, quanto diuini iudicij prementia pondera patientiùs putant.* Perpeodæ illa verba, *per infuſionem gratiæ, quæ in ſe latebant ſemina oſtendit, & illa, occulta cordis veſtri ſemina iam prodire in frugem, quærunt*. Ergo verè loquitur de voluntate ſupernaturali, & abſoluta; & quod ex ſe eſt efficaci; ſed adhuc expectante vlteriorem gratiam, vt ſortiatur effectum.

7. Et in eodem lib. 29. moral. ad fin totius lib. ait:

Alius

Alius celſitudinem bene viuendi appetere & vult, & valet; alius, neque vult, neque valet; alius vult, & non valet; alius valet, & non vult. Vnde argumentur. Iſte appetitus quo placeat, & ſapiat bona vita, eſt actus exterior comparatione eius voluntatis, quo volumus illum habere; & tamen poteſtas habendi talem appetitum deficit quandoque habenti voluntatem, & quandoque adeſt non habenti voluntatem: ergo prædicta poteſtas diſtinguitur à voluntate efficaci. Probatur conſequentia, quia vbi eſt mutua ſeparatio talis, vt vtrumque extremũ reperiri poſſit ſine altero, eſt realis diſtinctio.

8. Eandem impoſſibilitatem boni operis propter pugnam carnis cum ſpiritu obſtare plerumque bonæ voluntati, apertiùs docuit Paulus Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem; hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis.*

9. Hæc ſimul cum teſtimonio ad Rom. 7. quòd nuper ponderauimus, exponit ad rem præſentem Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 52. 53. & 54. præſertim notanda ſunt illa verba in cap. 53. ante medium: *Ecce tamen etiam baptizatis caro contraria eſt, & quomodo contraria, vt non quod volunt faciant? ecce adeſt voluntas in homine, vbi eſt poſſibilitas illa naturæ? Fateamur gratiam neceſſariam, clamemus: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius; & reſpondetur nobis: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quando enim iſtis rectiſſimè dicitur, quare ſine adiutorio gratiæ Dei, dicitis, hominem poſſe eſſe ſine peccato; non tunc de illa gratia quæſtio eſt, qua eſt homo conditus; ſed de iſta, qua fit ſaluus per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Similem ponderationem eiuſdem loci ad Galat. 5. tradit Auguſtinus in Pſalm. 143. column. 2.

10. Sanctus Bernardus in ſerm. de conuerſione ad Clericos cap. 7. 8. 9. & 10. acutè & eleganter deſcribit reſiſtentiam carnis, ne mandetur executioni, quod boni cordis propoſito cernit eſſe ab Spiritu conſtitutum; quam voluntas ſuperare non poteſt, donec humiliata, recurrens ad Dei miſericordiam, ſanitatem & vires impetret: & quamuis teſtimonium epiſtolæ Galat. 5. non proferat, eius mentem perſpicuè & fideliter exponit. Peculiariter notanda ſunt illa verba in cap. 7. ante medium: *Aeſtimat homo facilè, quod iubetur implendum, tanquam ignarus exercitij ſpiritualis. Quis enim prohibeat, inquit, quominus imperem membris meis? Indicit eius gulæ ieiunia; crapula interdicit, obturari præcipit aures, &c.* & poſt pauca: *Cæterùm dum ſuas quibuſque membris in hunc modum leges promulgat, & decreta proponit, interrumpunt ſubitò vocem iubentis, & vno impetu clamant, &c.*

11. Probatur tertiò, quoniam ſatis non eſt, hominis voluntatem leuari, & aſſumi à Spiritu Dei, vt bonum velit; ſed inſuper ad operis executionem opus eſt, manu Domini confortari. Sic Gregorius exponit illa verba Ezech. 3. *Spiritus quoque leuauit me, & aſſumpſit me: & abij amarus in indignatione ſpiritus mei. Manus enim Domini erat mecum confortans me.* vnde in fine homiliæ 10. *Nam quando homo ex ſua virtute ſufficiat terrena deſpicere, cæleſtia amare, pacem cum Deo quærere, ſecum rixam ſubire, in cogitatione ſemetipſum reprehendere, & gemitibus punire? Nullus hæc agere, niſi quem diuina gratia roborauerit, valet. Vnde & ſubditur: Manus enim Domini erat mecum, confortans me. Ad bona quippe aſſurgere perfectè non poſſumus; niſi nos Spiritus & præueniendo eleuet, & ſubſequendo confortet.*

12. Sanctus Auguſtinus, vel alius quilibet author apprimè Auguſtinianus, & pius, in libro Soliloquiorum animæ ad Deum, qui habetur tomo 9. cap 24. ait: *Velle quod bonum eſt, non poſſum; niſi tu velis, neque quod volo poſſum; niſi tua potentia me confortet: & quod poſſum, aliquando nolo; niſi tua voluntas fiat ſicut in cælo, & in terra; & quod volo, & poſſum ignoro, niſi tua ſapientia me illuſtret.* Intellige ignorare hominem quomodo agendum ſit, quod agere vult, & poteſt; & in cap. 25. ait: *Dicebam, hoc faciam; illud perficiam, neque hoc, neque illud faciebam; aderat voluntas, non erat facultas: aderat facultas, non voluntas; quoniam de meis viribus confidebam.* (& infrà:) *Non eſt hominis velle, quod poſſit, aut poſſe, quod velit, vel ſcire, quod velit, & poſſit; ſed potiùs a te greſſus hominis diriguntur.*

13. Idem confirmare poſſumus ex Iudith cap. 13. Nam iam conceperat decretum, & abſolutam voluntatem iugulandi Holofernem, quando nouum à Deo implorabat auxilium; *ſtetit enim ante lectum,* (nimirum Holofernis) *orans cum lachrymis, & labiorum motu in ſilentio, dicens: Confirma me Deus Iſraël, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, vt ſicut promiſiſti, Hieruſalem ciuitatem tuam erigas, hoc, quod credens, per te poſſe fieri, cogitaui, perficiam.* Iam cogitauerat virile pectus fœminæ opus heroicum; iam illud apud ſe decreuerat, diuino auxilio fretum; & tamen adhuc petit, vt Deus confirmet reſpiciens ad opera manuum eius, vt perficiat opus quod cogitauerat.

14. Huius rationem reddit S. Thom. 3. contra Gentes cap 92. à medio, oſtendens vltra auxilium præ requiſitum ad bonam electionem hominis bene fortunati: quatenus diſponitur per cæleſtia corpora, vel illuſtratur per Angelorum cuſtodiam, vel etiam inclinatur per operationem diuinam, ad aliquid agendum: requiri aliud diuerſum auxilium ad executionem, in quantum homo conſequitur ex alia ſuperiori cauſa robur & efficaciam ad implendum, quod elegit, *& quantum ad primum auxilium,* (inquit S. Thom.) *dicitur Deus hominem dirigere: quantum vero ad ſecundum auxilium, dicitur hominem confortare.* Eandem doctrinam S. Thom. ſequitur Capreolus in 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2. concl. 6. & 12.

15. Quartò probatur Ezechielis 36. quem locum Fulgentius ponderans lib. 1. ad Monimum cap. 9. in principio, quaſi de duplici gratia loquitur de illa, quæ præſtat, vt velimus, & quæ præſtat, vt facere poſſimus, dicens: *Vnde cognoſcimus, Dei eſſe, & vt bonum facere velimus, & bonum facere valeamus.* Hoc autem collegit ex illa duplici parte capitis 36. Ezechielis: *Dabo vobis cor nouum: & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.*

16. Probationem quintam præbet Geneſis capit. 19. vbi Loth poſtquam prædicentibus Angelis ciuitatis incendium credidit, & ſuis generis prædicauit: *Cùm eſſet manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis.* Nec dubium, quòd cùm crediderit, voluerit efficaciter incendium euadere; ſed non peruenit ad operis executionem, *quo vſque diſſimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus illis.* Manus ad executionem pertinet. Inſuper parcere hoc loco eſt miſereri, vt ex originali conſtat. Vnde ibidem notat Ambroſius. *Tenè non eſt profectus, vt euaderet; niſi vrgentibus Angelis, & tenentibus manus eius, egredi coactus eſſet. Non ergo profectus, ſed eductus eſt.*

Sextò

17. Sextò probatur 2. Theſſalon. 1. vbi Paulus in ſua deprecatione, executionem operis diſtinguens à voluntate bona, ſignificat etiam impetrato auxilio; vt bonitatis impleator voluntas, reſtare adhuc, quærendum, atque petendum auxilium, vt opus in virtute perficiatur, illis præſertim verbis: *Oramus ſemper pro vobis, vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter; & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.*

18. Fauent alia teſtimonia Scripturæ, quæ Deo, illiúſque gratiæ tribuunt labores & opera externa: vnde ſignificant illis eſſe ſuam ſpecialem indigentiam gratiæ. Quale eſt iſtud Sapientiæ 9. *Mitte illam* (ſcilicet ſapientiam, quæ eadem eſt gratia) *de ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret.* Et Actuum 14. Paulus, & Barnabas *retulerunt quanta feciſſet Deus cum illis*; videlicet opera bona ad Gentium conuerſionem. & 1. Corinth. 15. *Abundantiùs*, inquit, *illis omnibus laboraui, non ego autem; ſed gratia Dei mecum.*

19. Probatur ſeptimò iis teſtimoniis Patrum, quibus expreſſo nomine gratiæ ſubſequentis eam requirunt ad operis executionem, poſt gratiam aliam præuenientem, quæ requiritur ad voluntatis conſenſum, & propoſitum.

Auguſtinus in Enchir. cap. 32. ait: *Nolentem præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit.* id eſt, ne volitio fruſtretur executionis fructu, atque in hoc ſenſu accipitur à Magiſtro, & communiter Scholaſticis in 2. diſt. 26. cap. 1. vbi cum primo capite confertur.

20. Clariùs loquitur Fulgentius, qui lib. 1. ad Monimum cap. 7. ait: *Vt præueniente miſericordia, bonum velle incipiat, & ſubſequente miſericordia, bonum, quod vult, facere valeat.* & cap. 11. ait: *Præuenit, homini donans voluntatem; ſubſequitur bene volentem, operando in illo operis facultatem.*

21. Anſelmus in Elucidario, quod eſt ſumma totius Theologiæ, prope med. ait: *Homo liberum arbitrium nunc habet captiuum, quia bonum non vult; niſi gratia Dei præueniatur, neque poteſt, niſi eum ſubſequatur vtique eadem gratia Dei.* Ad eandem probationem valent quæ ex Gregorio homil. 9. in Ezechielem retulimus ſuprà probatione prima fine.

22. Idem colligitur ex Leone IX. epiſt. 4. ad Petrum Epiſcopum, colum. 4. dicente: *Gratiam præuenire, & ſubſequi hominem, credo, & profiteor: ita tamen vt liberum arbitrium rationalis creaturæ non denegem.* In eo autem quod ait, ſubſequi hominem, & non dicit ſubſequi aliam priorem gratiam, denotat ordinem ad præcedentem conſenſum liberum hominis, per quem homo attrahit vlteriorem gratiam ad ea opera quæ liberè vult.

23. Octauò probatur ex Patribus, qui prætermiſſo ſubſequentis gratiæ nomine, tradiderunt peculiarem gratiæ neceſſitatem ad operis executionem. Mileuitanum Concilium canone 4. anathematizat eum, *qui dixerit non præſtari per gratiam, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, & valeamus.* Vbi poſtremum, quod eſt *facere valeamus*, ponitur quaſi donum diuerſum à priori, quod eſt *facere diligamus*. Idem prorſus habetur in Concilio Africano circa tempora Bonifacij cap. 79.

24. Hieronymus lib. 3. aduerſus Pelagianos prope med. ait: *Vbi gratia & miſericordia eſt, liberum ex parte ceſſat arbitrium; quod in eo tantùm eſt vt velimus, atque cupiamus, & placitis tribuamus aſſenſum. Iam in Domini poteſtate eſt, vt id quod cupimus, quod laboramus, ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Vide tria membra diſtincta, primum gratiæ ſine libero arbitrio; ſecundum liberi arbitrij tribuentis aſſenſum placitis Dei; tertium Dei præbentis poteſtatem exequendi opus.

25. Conſonat aduerſus Pelagianos in lib. 2. col. 3. & 4. refutans Pelagium, dicentem, ideo hominem nullum eſſe ſine peccato, quia quamuis velint multi, eſſe ſine peccato; ſed non plenè volunt: & contendit Hieronymus, etiamſi plenè quantum ea ſe eſt velint, non poſſe. Et epiſt. ad Cteſiphontem colum. antepenult. ait: *Noui me multa velle, quæ facienda ſunt; & tamen implere non poſſe; Spiritus enim fortitudo ducit ad vitam, ſed carnis fragilitas ducit ad mortem.*

26. Auguſtinus de ſpiritu & litera poſt 31. initio ait: *Cum duo quædam ſint velle, & poſſe; neque qui vult, continuò poteſt, neque qui poteſt, continuò vult: quia ſicut volumus aliquando quod non poſſumus, ſic etiam poſſumus aliquando quod nolumus.* Quam ſententiam fusè toto illo capite confirmat; agit autem præcipuè de poteſtate, quæ pertinet ad eliciendos ſupernaturalium virtutum actus, reſiſtendumque tentationibus. Et lib. 1. retractationum capite 23. ad finem: *Omnino veriſſimum eſſe confirmat, quod dixerat in expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſt. ad Rom. c. 61. Neque velle poſſumus, niſi vocemur; & cùm poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter; niſi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat, quò vocat.*

27. Nyſſenus lib. de orat. Dominica, ad illa verba: *Fiat voluntas tua.* pag. 2. *Quod ſi in melius*, ait, *inclinatio fiat; Deo opus eſt, qui ſtudium & deſiderium ad opus perducat.*

28. Damaſcenus verè idem vult, quando lib. 2. de fide cap. 29. poſt medium ait: *Electionem agendarum in noſtra eſſe poteſtate: finem autem bonorum in Dei cooperatione, iuſtè cooperante iis, qui recta conſcientia bonum eligunt.* Vbi nomine *finis* intelligit opus bonum, quod electione agendum decreuimus. quaſi diceret, etiam poſtquam electione libera decreueris bonum opus; non poteris illud executioni mandare, niſi Deo cooperante per nouum auxilium. Cæterùm hoc Deus non denegat iis, qui recta conſcientia bonum eligunt.

29. Eodem planè ſenſu Marcus Eremita in lib. de Paradiſo in proœmio, interrogatione vltima ait: *Operis perfectio Dei eſt, voluntas autem hominis.* de quo fuſiùs egimus ſuprà diſp. 28. ſect. 3. in Marco.

30. Gregorius 25. moral. cap. 11. ait: *Ex infirmitate plerumque ſolet accidere, amare bonum, ſed implere non poſſe; ex ſtudio verò peccare, eſt bonum neque facere, neque amare.*

31. Bernardus tract. de gratia & libero arbitrio, colum. penult. ait: *Deus immittendo bonam cogitationem, nos præuenit; immutando malam voluntatem, ſibi per conſenſum iungit: miniſtrando & conſenſui facultatem, foris per apertum opus internum noſtrum internus opifex innoteſcit.* & infrà inter alios effectus gratiæ hos duos numerat quaſi diſtinctos, & peculiaris virtutis: *Gratia ſanat, ſtatim immutat affectum, roborat & perducat ad actum*, & priùs dixerat: *Deus tria hæc, hoc eſt, cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis; primum profectò ſine nobis; ſecundum nobiſcum; tertium per nos.* Vides peculiarem modum gratiæ quæ miniſtrat conſenſui facultatem, roborátque ad operis executionem, & per nos operatur.

32. Probatur nonò communi ſententia Scholaſticorum cum Magiſtro in 2. diſtinctione 26. cap. 1. vbi poſtquam retulit illa verba Auguſtini lib. de gratia

Digitized by Google

gratia & lib.eod.cap.17. *Ipſe,vt adimus,operatur incipiens,qui volentibus cooperatur perficiens,&c.* continuò ſubiungit: *Ecce his verbis ſatis aperitur, quæ ſit operans gratia, & quæ cooperans. Operans enim gratia eſt,quæ præuenit voluntatem bonam: ea enim liberatur, & præparatur hominis voluntas, vt ſit bona,bonumque efficaciter velit. Cooperans vero gratia voluntatem iam bonam ſequitur, adiuuando.*

33\. Pondera poſtrema verba, ex quibus conſtat, ſubſequentem gratiam, quæ generali vocabulo dicitur etiam cooperans,pertinere ad operis executionem,poſtquam voluntas,iam bona facta per gratiam operantem, ſeu præuenientem, bonum vult. Quod clariùs explicuit S. Bonauent.2. diſt. 27.dub.1. circa literam. S.Thom.2. diſt.26.qu.1. art.5. in fine corporis. Alexand. 3.part.quæſt.69. memb.3.art.3.corpore Ricardus,Carthuſianus & alij citati præcedenti ſect.2. concluſ. 1. probat. 3. præſertim Marſilius 2. quæſt.17. artic.1. notab.2. & omnes Doctores qui ſuprà diſput. 32. ſect. 1. exiſtimant cooperantem gratiam eſſe propriam exterioris actus.

34\. Confirmatur primò verbis ſancti Thomæ 1.2. quæſt.111.art.2.corp.dicentis: *Deus nos adiuuat, & interiùs confirmando voluntatem, vt ad actum perueniat, & exteriùs facultatem operandi præbendo.* Eadem verba tranſcribit Durandus 2. diſtinct. 26. quæſt. 3. & S. Anton. 4. parte titulo 9. capite 3. §.1.& 2.

35\. Secundò confirmatur à ſimili quod Ægidius 2. diſt.28. qu.1. art.4.in dubio laterali proponit his verbis: *Puero neſcienti ſcribere non ſufficit, quòd detur calamus, & atramentum, ad ſcribendum; ſed oportet quod ſcriptor capiat manum pueri, & deducat eam ad hoc,quod bene ſcribat. Sic non ſufficit, quòd Deus inſpiret nobis bonas cogitationes, & quòd liberum arbitrium ſecundùm illas cogitationes velit, habere gratiam; ſed oportet, quòd Deus moueat ipſum liberum arbitrium noſtrum ſuper naturam ſuam, vt poſſit conſequi gratiam.* Tertiò à paritate rationis naturalium operum confirmat Ægidius, quoniam non ſatis eſt propoſitum illa faciendi; niſi Deus ad ipſa naturalia opera concurrat immediatè concurſu alio diuerſo ab eo, quo productum eſt naturale propoſitum operandi.

36\. Probationem ex rationibus, maiori explicatione illuſtratam, dabit ſectio ſequens.

SECTIO III.

Per ſingula externorum operum genera explicatur magis, & rationibus confirmatur prædicta neceſſitas ſpecialis gratiæ.

1\. *Ad externos actus voluntatis & intellectus requiritur peculiaris gratia.*

PRima concluſio. Ad externos actus Intellectus & voluntatis, hoc eſt,ad actus imperatos, requiritur peculiaris gratia vltra eam, quæ datur ad interiorem volitionem, plenè & efficaciter imperantem. Hanc concluſionem probant teſtimonia ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum, adducta in præcedenti ſectione. Nunc peculiari ratione probatur primò, in illis actibus, quorum expreſſam mentionem fecit oppoſita ſententia ſectione præcedenti, videlicet, in operibus pœnitentiæ, quæ ſequuntur ad actum conuerſionis, & quibus ad gratiā præparamur. Nam,quamuis abſoluta & efficaci voluntate ſupernaturali decreueris, à peccato recedere, & ad gratiam te diſponere, adhuc actus contritionis, vel amoris Dei,vel etiam actus attritionis elici non poſſunt; niſi peculiari vniuſcuiuſque habitu ſupernaturali, vel concurſu Dei ſupplente actiuitatem illius habitus,vt vidimus diſp.36.ſect.4.à n.26.Hæc autem gratia,quamuis ſit cooperans & adiuuans, vt comparatur ad conſenſum liberum; eſt tamen gratia ſubſequens, in quantum cooperatur ad executionem actus imperati. Idem argumentum fieri poteſt in reliquis omnibus actibus intellectus,& voluntatis, niſi merè naturales futuri ſint.

Hæc doctrina confirmatur primò Gregorij teſtimonio homil.10.in Ezech.quod retulimus ſect. præced.probat.3. ſub init. 2.

Confirmatur ſecundò. Bernardi teſtimonio in ſerm.de conuerſione ad Clericos,quod retulimus ſect.præced.probat.2. ad finem.

Confirmatur tertiò.nam ad praxim ſpiritualiũ virorum, qui ſolicitè in ſtudium perfectionis incumbunt, apprimè neceſſariam eſſe hanc doctrinam exiſtimauit Laurẽtius Iuſtinian. lib.de diſciplina & perfect.c.23.circa med.dicens: *Hoc nãque quamplurimi,diſcretionis oculum obtuſum ex nimio deſiderio tenentes,conſiderare negligunt. Puſilli enim cùm ſint ſpiritu, magna corporaliter perficere, & ſupra vires operari moliuntur.Onera pœnitentiæ, & carnis macerationem vltra propriam virtutem baiulare feſtinãtes:ſub faſce periclitari coguntur. Hi nempè Sanctorum geſta, & præcedentium Patrum vitam ſolummodo attendentes exteriùs,nec percipere valentes, quoniã maximè ſuperna gratia fulgebant, & abundabant interiùs,tota eos affectu ſatagunt imitari; ſed, deficiente illis cooperante gratia more auium abſque alarum remigio Cœli alta petentium,ad ima terrarum ruere compelluntur. Cæleſtis namque gratia omnibus ſe communicat; non tamen æqualiter. Cunctos ſaluare vult Deus, non autem ſanctificare.* Intelligit Deum non velle cunctos ſanctificare ſanctitate æqualiter inſigni,vt conſtat ex ſequenti Iuſtiniani contextu. 3.

Ex hoc ipſo teſtimonio ſumitur ſecunda probatio concluſionis, quia ſinguli actus virtutum, etiam quando imperantur ab alijs, peculiarem ſibi difficultatem retinent; quæ quoniam inſignior,& manifeſtior eſt in quibuſdã actibus in illis,exempli gratia, vrgebimus argumentum ſic. Quamuis plena, efficaci, & conſtanti volitione decernas habere bonam exiſtimationẽ de tuis perſecutoribus, & feruentem erga illos beneuolentiam,cum intima triſtitia de eorum aduerſitatibus,& lætitia intima de eorum incremento & poteſtate ſupra te ipſum; adhuc experieris,actus iſtos imperatos tibi eſſe difficillimos. Idem experieris circa tui deſpicientiam intimam & odium circa mundi, & proprij honoris neglectum, circa conſtantiam,& firmam fiduciam retinendam inter imminentia pericula extrema; circa deuotionem & attentionem in oratione, & circa innumeros alios actus imperatos à volitione plena, & efficaci. 4.

Hanc difficultatẽ,quæ in actu imperato reſtat, etiam ſuppoſita voluntate imperante, ſubtiliter notauit Aug. lib.8. confeſſ.c.8.9.& 10.præſertim illis verbis c.9. *Vnde hoc monſtrum? imperat animus corpori,& paretur ſtatim: imperat animus ſibi,& reſiſtitur.* & poſt pauca: *Imperat animus,vt velit,quod nõ imperaret,niſi vellet,& non fit,quod imperat: ſed non ex toto vult,non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat,in quantũ vult,& in tantũ non fit,quod imperat, in quantum non vult.* & poſt pauca: *Non vtique plena voluntas imperat,ideo non eſt,quod imperat: nã ſi plena eſſet,nõ imperaret,vt eſſet.quia iam eſſet.* Ergo quando non eſt ipſa voluntas,quæ imperatur; ſed tantùm eſt alia volitio facilior,imperans, & mouens 5.

ad

Digitized by Google

ad difficiliorem volitionem, tandiu contingere poterit, quod Auguſtino contigit, vt imperet & non fiat. Vide quæ dicemus ſect. ſeq. ad ſeatum teſtimonium Auguſtini.

6. Confirmatur, quoniam hæc imperfectio imperij in eo conſiſtit, quòd ratio ea diuerſis partibus mouetur ad imperandum, vel non imperandum; vnde fluctuat inter duo. Hæc autem fluctuatio non eſt in poteſtate volūtaria, vt ceſſet. Quod clariùs probat S. Auguſt. in prædicto c. 10. & notat S. Thom. 1. 2. q. 17. a. 5. ad 1. Ergo opus eſt auxilio alio, vt vel fluctuatio reducatur ad tranquillitatem, vel non obſtante fluctuatione, vincat voluntas, & eliciat volitionem, quam imperat.

7. Tertiò probatur verbis S. Thomæ ad aliud propoſitum ſcriptis de veritate q. 24. art. 15. corp. fin. *Quia quandocūque ad aliquid faciendū requiritur aliquis modus operationis, ignotus operanti, operans indiget gubernante, & dirigente.* Sic autem in operatione qualibet ſupernaturali, veluti in contritione, aut attritione, aut dilectione Dei & proximi, vel actu credendi, aut ſperandi, requiritur aliquis determinatus modus; qui homini non poteſt eſſe notus, cùm donum gratiæ cognitionem huiuſmodi excedat, atque hac ratione Deum oramus, dicentes: *Dirige me in veritate tua, & doce me.* Eandem ſententiam ſequitur Raynerius verbo *gratia*, c. 5. fine.

8. Explicari poteſt à ſimili. Nam fœminis plerumque nihil deficit voluntatis ad quærendam oris pulchritudinem, & capitis ornatum: nihilominus faciem maculatam via ſatis tergere, fuco pingere, & caput ornare, non poſſunt ſine ſpeculo, aut dirigente alio. Porrò noſtri animi facies, eiuſque vera pulchritudo & ornatus coram Deo multo erit occultior cognitioni noſtræ naturali, quàm exterior facies ſuis corporeis oculis.

9. Denique circa interiores corporis morbos ſæpiſſimè fallimur, niſi Dei, & cuſtodis Angeli prouidentia dirigantur medicamenta: quanto faciliùs error continget circa ſpirituales animi morbos, etiamſi adſit bonum deſiderium remedij, niſi diuina gratia dirigat?

10. Venio iam ad opera corporea, quæ non ſolùm ea ratione externæ ſunt, quia imperantur à voluntate, ſed etiam quia ſenſibus percipiuntur: & ſuppono quædam procedere à potentiis, quæ non deſpoticè, ſed politicè obediunt voluntati, veluti imaginatiua, & appetitu ſenſitiuo, & à quadam parte potentiæ loco motiuæ, quæ illis ſubeſt, & non immediatè voluntati.

11. *Ad corporea opera ſubſequens gratia.* De his ſit ſecunda concluſio. Prædicta opera externa clariorem oſtendunt indigentiam nouæ & vlterioris gratiæ vltra eam, quæ requiritur vt voluntas ea facere conſtituat decreto, quantum ex ſe eſt, abſoluto & efficaci. Huius concluſionis fundamenta ſunt non ſolùm generales probationes, adductæ in ſect. præcedenti, atque præcipuè 2. qua parte ponderat illud Galatas 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, &c. Sed etiam concluſionis primæ, quas nuper attulimus, rationes fortiorem aliquam vim habent, vt præſentem perſuadeant; eo quòd huiuſmodi opera maiorem difficultatem habeant, minúſque ſubiectam voluntatis imperio, vt cùm voluerit protinus ſuperetur.

Quapropter indiget omnipotentia Dei, cui Pſal. 143. cecinit: *Protector meus, & in ipſo ſperaui; qui ſubdit populum meum ſub me.* Vbi quod fuſiùs in exordio eiuſdem Pſalmi præfatus fuerat Auguſtinus, compendio colligens Proſper, ita exponit: *Voce autem corporis intelligi poteſt, ſpiritualis quiſque bellator, qui populum rebellem cupiditatum, & morum, carnalium deſideriorum, legi mentis ſuæ per opem gratiæ ſubditum confitetur.*

Tertia concluſ. Circa actus corporeos deſpoticè ſubiectos voluntati, manifeſtum eſt, aliquam exiguam & leuem illorum partem non indigere peculiari gratia vltra voluntatem plenam, abſolutam, & efficacem. Huiuſmodi eſt, dare leuem aliquam eleemoſynam, genuflectere ante ſacrā imaginem, pectus percutere, & alij actus, qui ſuppoſita fide, & bono affectu voluntatis ad ea opera, nullam ſpecialem difficultatem habent ex ſuo genere, neque ex aliis circunſtantiis temporis, loci, & perſonarum. Quantum ad hanc concluſionem vera eſt ſententia, quam retulimus ſect. 1. fine. 12.

Nihilominus ſit quarta concluſio. Abſolutè neceſſaria eſt gratia peculiaris, ad exequenda quæcunque opera corporea, etiam per potentias & membra, deſpoticè ſubiecta voluntati, quamuis ex genere fuerint leuia, & facilia; ſi tamen prodire debent integra, plena, omníque circunſtantia exteriori perfecta. 13. *Ad quæcunque opera corporea abſolutè gratia peculiaris neceſſaria.*

Explico, & probo primò, quoniam plurimi actus corporei, etiamſi fiant officio linguæ, manuum, vel pedum, indigent circunſtantiis vultus & cordis, quæ non deſpoticè, ſed tantùm politicè obediunt; ideóque peculiarem difficultatem habent. Quid enim facilius, quàm tacere, ſi hoc decreueris efficaci voluntate ſeruandi patientiam inter contumelias? & nihilominus difficillimum eſt, oculos, vultum, & totam corporis tranquillitatem viſibilem exhibere talem, quæ ſignificet animum eſſe tranquillum, conſtantem ſimul atque beneuolum: ſine qua circunſtantia ſilentium aliquando degenerabit in taciturnitatem, quæ non patientiam & conſtantiam animi, ſed potiùs impatientiam, & contemptum proximi, vel puſillanimitatem oſtendat. 14.

Ruſus quid facilius, quàm non moueri loco, ſi hoc decreueris ex efficaci voluntate fortitudinis ſeruandæ: ſed interim vultu & corporis habitu non oſtendere formidinem ingruentis belli, & irruentis inimici, difficillimum; niſi ſenſitiuus appetitus ſit prorſus liber à mortis formidine. Sic ſuam peculiarem difficultatem habet eleemoſyna, exteriori vultu, & verbis ſignificans lætitiam ſpontaneam, & honorem Chriſti Domini in paupere, mundanis oculis contemptibili. Sic exterior reuerentia, debita ipſi Deo in oratione, & omnes actus externi tales, qui aptè correſpondeant ſupernaturalibus actibus, ſuam peculiarem difficultatem habent. 15.

Probatur ſecundò. quia etiam opera ea genere difficillima ſpeciale auxilium ſupernaturale neceſſariò requirunt, ad componendos illos omnes totius corporis motus, qui rationi deſpoticè non obediunt; præſertim verò frontis, oculorum, & vultus. Quod auxilium requiritur, etiam ſuppoſito firmo, conſtanti, & efficaci voluntatis decreto, virtute gratiæ concepto. 16.

Exemplum ſit ſupremum opus externum ſubeundi martyrium: ad quod ſuppono, iam Martyri virtute diuinæ gratiæ collatam fuiſſe promptam, conſtantem, & efficacem voluntatem, tolerandi quæcunque tormenta vſque ad mortem, pro fidei confeſſione. Suppono etiam impletā eſſe Chriſti Domini promiſſionem. Eidémque datum iam eſſe in illa hora, quid loquatur; ita vt non ſit ipſe, loquitur; ſed Spiritus Patris noſtri, qui loquitur in eo. Cæterùm in his præſcindo gratiam, 17.

quæ prædictam voluntatem efficacem confert: ſimul cum illa copulando gratiam, quæ conceptus mentis, & ſenſibilia verba linguæ miniſtrat. Quo ſuppoſito, addo, ad prædictos motus corporis requiri vlteriorem gratiam, quæ deeſſe poteſt, & fortaſsè aliquando deeſt Martyri, habenti priores duas gratias. Vnde colligo eſſe diſtinctam gratiam; vel ſi mauis, diſtinctam extenſionem, affluentiam, & perfectionem priorum gratiarum.

18. Probatur primò, quia ſi eiuſmodi gratia deſit cum imaginatiua, non deſpoticè obediat voluntati, niſi illa peculiari gratia ſubiiciatur rationi, poterit vehementi mortis apprehenſione abſorberi, vt Martyr extra ſe poſitus quaſi in raptu, trahatur ad mortem, quod dignitatem authoritatémque Chriſtianæ confeſſionis minus decet, ne infidelibus vlla relinquatur occaſio ſuſpicandi, Martyris animum vſque ad deſperationem, vel amentiam eſſe deiectum.

19. Secundò, quia cùm appetitus ſenſitiuus non obediat deſpoticè voluntati, idémque vim habeat, vt corpus quibuſdam motibus concutiat, etiam contradicente, & renitente abſoluto voluntatis imperio: opus eſt, peculiari Dei gratia confortari, & rationi ſubiici omnino; vt etiam cor, & caro exultet in martyrium. Vnde fiet, vt tutiſſimus ſit ab omnibus illis inordinatis corporis paſſionibus, quæ ab appetitu ſenſitiuo timore vehementi concuſſo, excitatæ, ſolent quãdoque conſtantibus animis pudorem afferre, & præſentibus contemptibile exhibere ſpectaculum. Hæc igitur gratia corporis mẽbra confortabit ad incedẽdum, ſtandum, ſedendum, vel decumbẽdum in tormentis quieto & tranquillo corpore, frontem & oculos exhilarabit grauiter & modeſtè; vultũ ad varias perſonas vario modo componet; erit nẽpe ad martyrij ſocios gratulabundus, alacer & ſuauis fidelibus, ſpectatoribus ad conſolationem illorum, exhortationémque cõparatus; ad obſtinatos fidei hoſtes arduus, erectus, & conſtans; ſed Chriſtiana modeſtia, & charitate conditus: ipſa vocis modulatio talis erit, vt non intercluſi ſpiritus præ timore, ſed inuincibilis conſtantiæ indicium ſit.

20. Huius primarium exemplũ in capite Martyrum Chriſto Ieſu conſiderãdum lectori relinquo. Solummodo aſſero regiã verè, atque planè diuinam dignitatẽ, maieſtatémque ſumma modeſtia, atque charitate conditam, toto paſſionis tempore refulſiſſe, etiam in ipſa cruce, ita vt frons, oculi, vultus, verba, vocis modulatio, inceſſus, decubitus in cruce, atque in ea corporis compoſitio, cæteráque id genus exteriora indicia, in ſolo Chriſti Domini corpore oſtenſa, probarent abundè, non in ligno puniri reum, ſed regnare à ligno Deum. Quòd ſi per impoſſibile diuinitas ſubtraheret ſpecialem gratiam, qua imaginatiua, & appetitus ſenſitiuus, omniáque membra Chriſti Domini deſpoticè ſubiiciebantur rationi, neque per immediatum concurſum ſuppleret huiuſmodi gratiæ defectum; quamuis conſeruaret totam illam gratiam, quæ ad intellectum, & voluntatem Chriſti Domini pertinet, ſequeretur, vt quamuis reipſa paſſionem ſubiret, attamen non poſſet humanitas ea, quæ retulimus, exteriora ſigna præbere, pro dignitate diuinitatis, imò nec pro ſumma perfectione virtutum omnium, quibus humana Chriſti Domini voluntas ſummo gradu erat ornata.

21. Probatur tertiò, quia in intellectu opus eſt peculiari prudentia ſupernaturali, qua Deus doceat, quid, quando, quomodo, & qua menſura faciendum ſit: id quod vltra ſupernaturalem volitionem efficacem, & poſt illam neceſſarium eſt, vt tradunt teſtimonia, quæ ex Soliloquiis apud Auguſtinum retulimus ſect. præced. probat. 3. Peculiariter ponderãdum eſt ex c. 24 *Quod volo, & poſſum, ignoro; niſi tua ſapientia me illuſtret* & ex c. 15. *Non eſt hominis, velle, quod poſſit, aut poſſe, quòd velit; vel ſcire, quod velit, & poſſit; ſed potiùs à te greſſus hominis diriguntur.*

Bernardus ſermone primo Pentecoſt. poſt medium, explicans id Ioan. 14. *Ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis;* ait: *Multi monentur, vt benefaciant; ſed minimè ſciunt, quid agendum ſit; niſi adſit denuo gratia Spiritus ſancti, vt quam inſpirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis ſit gratia Dei.* 22.

Confirmatur. nam quamuis efficacem voluntatem retineas, macerandi corpus, vt meliùs ſeruiat ſpiritui; excedet quandóque, quandoque verò deficiet opus exterius macerandi; ita vt impediat potius, quã ſeruiat ſpiritui. Cuius rei vtilitas cùm pendeat ab ea menſura gratiæ, quam Deus tibi conferre decreuit; non poteris perfectè obſeruare vtilem tibi modum caſtigandi corpus ſine exceſſu & ſine defectu; niſi diuina te gratia dirigat ad finem quem ipſa præſcripſit. 23.

Idem, potiori iure, circa doctrinam, conciones, gubernationes, pugnas, aliáque ſimilia exteriora opera veriſſimum eſt. Quoniam ignoramus, quid, quando, & quomodo dicendum ſit, vel tacendum; aggrediendum, vel fugiendum, in ordine ad finem ſpiritualem; niſi dirigat ille, qui ſolus nouit, qualem, quantam gratiam, quando, quibus mediis, quibus perſonis daturus ſit, vel negaturus; à quo pendet proſper noſtri laboris euentus: de quo vide probat. 5. 24.

Quartò probatur, quia in membris ipſis corporeis muniendis, opus eſt peculiari auxilio gratuito, vt operis executio euadat conformis regulis prudentiæ, quas hic & nunc actualiter intelligimus, & efficaci voluntate decernimus exequi. Quod explicatur à ſimili. nam quamuis Muſicæ regulas optimè teneas intellectu, atque memoria, ſimúlque quantum eſt ex parte voluntatis, efficaciter decernas vocis modos eiſdem regulis exactè conformare; adhuc tamen non poteris, quouſque potentia æſtimatiua didicerit, & numerorum interualla exactè dimetiri, & ſingulos acutæ atque grauis modulationis gradus diſtantiáſque diſtinguere: deinde guttur exercitatione adquiſierit promptitudinem, intendendi, remittendi, atque flectendi vocem, aptè ad eoſdem numeros atque modos, ab æſtimatiua præſcriptos. Ergo multo minus poteris verba, pronunciationem, oculos, vultum, inceſſum, & reliquas omnes corporis actiones componere ad regulas ſupernaturalis prudentiæ, quas exequi decreueras; niſi Deo docente, atque præbente auxilium, etiam ad ipſas exteriores actiones. Vnde prouenit, vt aliquando, qui pauciores regulas ſciunt bene concionandi, aut priuatis colloquiis agendi, admonendo, conſolando, rogando, reprehendendo; hæc charitatis opera præſtent cum magna tum ſua, tum etiam proximorum vtilitate: cùm tamen è contrario contingat non tarò, eos, qui plures regulas norunt, hæc præſtari maiori damno, quàm emolumento, idque propterea, quoniam opus exterius non euadit conforme regulis, quas ſeruare decreuerunt. Idem maiori iure verum eſt circa gubernationem. 25.

Confir

26. Confirmatur, quoniam circa gratias gratis datas facilius erit, animaduertere peculiaris gratiæ neceſſitatem ad ipſum opus exterius concionandi, interpretandi, promptè & expeditè loquendi. Nam hoc experientia teſtatur, aliquos viros ſpirituales, ſiue ex affectu charitatis, ſiue obedientiæ, vel obligatione proprij muneris Prælatorum, ſeruere prompta, abſoluta, &, quod ex ſe eſt, efficaci volitione, rectè dicendi, concionandi, & interpretandi, ad extirpandas hæreſes & vitia; nihilominus eis deeſſe facilitatem operis exequendi. Nimirum: *Alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum. Nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Doctores, nunquid omnes interpretantur? Æmulamini autem chariſmata meliora.* Ex quibus, & toto cap. 12. & 13. primæ Corinth. apertè conſtat actus harum gratiarum deeſſe multoties hominibus charitate præditis. Petrus etiam epiſt. 1. capite 4. notauit peculiarem Dei gratiam ad hæc opera gratiæ gratis datæ concedi, cùm ait: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus.* Iſaiæ 50. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo.* Denique realem diſtinctionem & ſeparabilitatem gratiæ gratis datæ à gratia iuſtificante & charitate, fusè probauimus lib. de quidditate gratiæ diſputatione 4. ſectione prima, 3. & 4. 1.Corinth.12.

27. Probatur quintò, quoniam executio boni operis pertinet ad bonam fortunam; hæc autem requirit concurſum plurimarum cauſarum per accidens, quas ſolus Deus poteſt conſilio, & certa ſcientia diſponere, & ordinare, vt concurrant ad bonum rei euentum. Neque ſolum requirit bona fortuna plurimas cauſas irrationales, concurrentes naturaliter, ſed per accidens; verùm etiam requirit plurimas cauſas rationales, & liberas; neque tantùm requirit bonam fortunam huius hominis, qui concepit propoſitum bene operandi, ſed etiam bonam, aut malam fortunam aliorum plurimorum hominum, qui poſſunt, aut cauſando concurrere principaliter, aut iuuare, aut certè non impedire, cùm poſſent, aut per ſe, vel per accidens miniſtrare materiam, & occaſiones offerre. Ad quæ omnia requiri ſpeciale Dei auxilium vltra illud, quod Deus contulit, ad bene eligendum, docet ſanctus Thomas tertia contra Gentes capite 92. poſt medium, cuius ſententiam compendio retulimus ſectione præcedenti probatione tertia, fine.

SECTIO IV.

Explicantur Auguſtini teſtimonia, quæ ad operis executionem peculiaris gratiæ neceſſitatem negare videntur.

1. PRimum teſtimonium ex libro de gratia & libero arbitrio cap. 16. in medio, vbi: *Certum eſt*, inquit, *nos mandata ſeruare, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit, vt volendo faciamus.*

2. Reſpondetur, hunc eſſe ſenſum, quantum ſufficit in genere volitionis efficacis, quæ maximum momentum habet? non quantum ſufficit in quocunque genere. Sicut quando à Deo petimus illuſtrationem intellectus, debemus etiam petere, vt tantum cognoſcamus, quantum ſufficit vt cognoſcendo faciamus: ſed non ſequitur inde, in voluntate, non requiri peculiarem gratiam; imò vulgari ſermone ita loquuntur plerique; ex meis fundis habeo frumenti, quantum ſufficit, vt meam familiam ſuſtentem; ſed non proptereà exiſtimant, ſuam familiam non indigere vitali facultate, ſanitate, atque auiditate edendi, vt ſuſtentetur: neque inde infertur, non indigere hordeo, vino, oleo, veſtibus, aliiſque ſexcentis rebus externis; ſed tantùm ſignificat ex tali ſpecie alimenti, videlicet tritici, nihil amplius opus eſſe.

3. Secundum teſtimonium ex eodem capite 16. de gratia & libero arbitrio. *Certum eſt, nos facere, cùm facimus; ſed ille facit, vt faciamus, præbens vires efficaciſſimas voluntati.*

Reſpondetur, ſicut his verbis non excluditur, ſed ſupponitur auxilium, peculiariter illuſtrans intellectum; ita non excluditur, ſed ſupponitur auxilium, peculiariter adiuuans alias potentias, ad operis executionem. Cæterùm quia voluntas eſt, cuius defectu ſolent hæc omnia impedire, ideò præſertim voluntatis mentionem hic fecit Auguſtinus, alibi autem mentionem facit earum virium, quas executio requirit, vt vidimus ſect. 2. & 3.

4. Tertium teſtimonium in eodem libro de gratia & libero arbitrio capite quinto, ad finem, vbi Auguſtinus ait: *Per gratiam fit, vt ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit, augeatur: & tam magna fiet, vt poſſit implere diuina mandata, quæ voluerit; cùm valdè, perfectéque voluerit, ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt: Si volueris, conſeruabis mandata: vt homo qui voluerit, & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret, vt tantam habeat voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* Eccleſ.15.

5. Huic adiunge quartum teſtimonium eiuſdem prorſus ſententiæ, atque eiuſdem lib. de gratia & libero arbitrio, capite decimo ſeptimo initio, cuius verba ſunt: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt; iam quidem habet voluntatem bonam; ſed adhuc paruam, & inualidam; poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam.*

6. Reſpondeo. Duobus in teſtimoniis nuper adductis Auguſtinus agit, non de quolibet externo cuiuſque virtutis opere, & ſub quacunque perfectione implendo; ſed tantùm de operibus, quæ Dei mandatis imperantur; atque ad huiuſmodi opera ita exequenda, vt ſatisfiat diuino mandato, nunquam deficit nobis auxilium neceſſarium; niſi propter defectum liberæ voluntatis: quoniam huiuſmodi auxilia nunquam denegantur, niſi propter liberam hominis culpam, vt conſtabit tomo ſequenti.

7. Quapropter tunc voluntas eſt tam magna, & tam robuſta, vt poſſit implere mandata; quando nulla ſua culpa impedit, quominus Deus illi præſtet illud vlterius auxilium, quod operis executio neceſſariò requirit: tunc enim infallibiliter accipiet eiuſmodi auxiliũ. Quòd ſi tam magnæ atque robuſtę volũtati Deus denegaret vlterius illud auxilium; proptereáque non poſſet ad executionem imperati operis peruenire; iam tunc voluntas ſatisfeciſſet diuinis mandatis: ſiquidem per ipſam

non ſterit, quominus illud opus ad executionem perueniret.

8. Itaquè Auguſtinus tantummodo aſſerit hærere in voiuntate totam culpam, non implendi mandata, & per Deum, & eiusauxilia non ſtare. Sed non intendit retractare, quam ſæpe alias docuit, neceſſitatem peculiaris auxilij ad operis executionem.

9. Obiicies ex hae ſolntione ſequi falſum eſſe, quod tota præcedenti ſectione ſuppoſuimus, aliquando reperiri integram, promptam, abſolutam, & quantum ex ſe eſt, efficacem voluntatem, abſque operis executione.

Reſpondetur primò, non ſequitur eſſe falſum; ſed explicandum magis, ac limitandum. Illud namque poteſt contingere, primò in omnibus operibus pietatis, ad quæ diuina mandata non obligant. Secundò in quocunque tempore, in quo non vrget obligatio, exequendi opus præceptum. Tertiò in circumſtantiis perfectæ executionis, ad quas non obligat præceptum.

10. Quartò peculiariter circa illa opera, quæ ſub veniali tantùm peccato imperantur, ſupponendum eſt, voluntatem in hac vita nunquam eſſe totaliter perfectam, & diuturno tempore conſtantem, & illins culpa deeſſe etiam executionem (vt Auguſtinus docere intendit locis citatis.) Nihilominus cum ea perfectione voluntatis, quæ in hac vita poſſibilis eſt, abſque ſingulariſſimo priuilegio, quamuis quod ex ſe eſt, efficaci & abſoluto decreto conſtituas, nullum veniale peccatum admittere, hæc tamen voluntas nunquam perueniet ad operis executionem.

11. Reſpondetur ſecundò, & radicitus aperitur tam ipſius rei veritas, quàm Auguſtini mens in illis aliiſque explicibus. In volitione operis exequendi duplex poteſt conſiderari perfectio. Prima intrinſeca & præciſa à quacunque extrinſeca perfectione. Secunda perfectio extrinſecus adueniens. Quo ſuppoſito, dico primò quantum ad intrinſecam perfectionem, præciſam à reliquis perfectionibus, extrinſecus aduenientibus quibuſcunque operibus, etiam illis, quorum executio ſub mortali præcipitur, contingere poteſt vt integra, prompta, quantum ex ſe eſt, efficax, abſoluta, perfectáque volitio repetiatur abſque operis executione; vt probatum eſt ſectione ſecunda, & tertia. Neque contradicunt teſtimonia ſancti Auguſtini, adducta & adducenda, quoniam loquuntur de perfectione extrinſecus adueniente, per collectionem plurium aliarum volitionum, quas imperat operis præcepti volitio. Hæc enim imperat orationem feruentem, humilem, & perſeuerantem, quæ impetret auxilium ad executionem: imperat etiam opera miſericordiæ, & alia pietatis opera, quibus impetrantur auxilia, requiſita ad explenda diuina præcepta. Sicquè veriſſimum eſt, quod Auguſtinus aſſerit, in aliqua harum volitionum interuenire imperfectionem, quando deficit gratia, quæ neceſſaria eſt ad operis executionem. *Nam cùm donatum fuerit nobis velle, non ſtatim inuenimus & facere, niſi quærentibus, petentibus, atque pulſantibus, qui dedit deſiderium præſtet effectum*; vt ſapienter aduotauit Proſper contra Collatorem capite 8. cuius plura verba retulimus ſectione 2. num. 5.

12. Adde præterea, Auguſtinum complecti etiam eam perfectionem volitionis, virtute cuius in beatitudine deſpoticè, & ad nutum imperat inferioribus viribus, niſi perfectiſſimè ſubiectis; quæ perfectio voiuntatis ſi in hac vita daretur, nunquam daretur volitio abſoluta & efficax ſine operis executione.

13. Hæc eadem eſt legitima expoſitio ad teſtimonium quintum, quod ſumi poteſt ex libro de ſpiritu & litera capite 35. vbi Auguſtinus, agens de perfecta inſtitia, qua ſine vllo peccato viuitur, quæ nulli vnquam hominum contigit, neque continget, ait: *Ecce quemadmodum ſine exemplo eſt in hominibus perfecta iuſtitia; & tamen impoſſibilis non eſt: fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei.*

14. Eodem modo intelligendum eſt teſtimonium ſextum, quod ſumitur ex libro octauo confeſſ. capite 8. 9. & 10. cuius præcipua verba retulimus in ſectione præcedenti, concluſione prima, probat. 2. vbi peculiariter notanda ſunt illa verba: *Si plena eſſet voluntas, non imperaret, vt eſſet, quia iam eſſet.* Vbi manifeſtum eſt, agere de plenitudine voluntatis, quæ complectitur non ſolùm volitionem imperantem; ſed etiam omnes volitiones imperatas: qua plenitudine data, certum eſt, totum quod voluntas ſibi ipſi imperat, executioni mandari à ſeipſa.

15. Septimum ſit teſtimonium, quod Ruardus accipit ex verbis D. Thomæ in prima ſecundæ quæſtione 111. articulo ſecundo, corpore. Cæterùm nobis potiùs fauet, illis præſertim verbis: *Interiùs voluntatem confirmando, vt ad actum perueniat, & interiùs facultatem operandi præbendo.*

16. Octauo loco referamus oppoſitæ ſententiæ duo argumenta: alterum, quoniam poſita voluntate efficaci, neceſſariò conſequuntur externa opera ſine noua difficultate: ergo non eſt opus noua & peculiari gratia.

Reſpondetur. Antecedentis falſitas ex præcedenti ſectione ſecunda, & tertia conſtat abundè.

17. Alterum argumentum eſt, quia ex principiis cognitis poſſumus propriis viribus inferre concluſiones: ergo ex amore finis, diuina inſpiratione concepto, abſque noua inſpiratione poterimus progredi ad inquiſitionem & electionem mediorum.

Reſpondetur, hoc argumentum validum eſſe ad noſtram ſententiam confirmandam hac ratione: cognitis principiis per ſolas vires naturæ, adhuc noua difficultas reſtat, vt concluſiones inferre poſſimus; eáque difficultas ſine doctrina Magiſtrorum, & aſſiduo ſtudio eſt prorſus inſuperabilis eiſdem viribus naturæ: ergo, proportione ſeruata, poſtquam finis amor fuerit per diuinam inſpirationem gratiámque conceptus, reſtabit adhuc noua difficultas, vt progrediamur ad inquiſitionem, electionémque mediorum, vbi quando, & quomodo ſupernaturalis prudentia dictat, eſſe faciendam, eáque difficultas ſine vlteriori magiſterio einſdem Spiritus ſancti, cum aſſiduo ſtudio & oratione ſupernaturali, erit prorſus inſuperabilis eiſdem viribus gratiæ, quibus ſupernaturalis amor finis iam fuerat conceptus.

18. Gratiæ operantis, cooperantis & ſubſequentis diſcrimina inueſtigantes, eò nos deuolnit diſputationis ratio, vt de ſubſequente atque cooperante, quæ difficiliora erant tractantes, ferè obliniſceremur operantem, ſeu præuenientem gratiam. Ad hanc modò redimus vel ſolam, vel præcipuè diſcutiendam.

DISPV

DISPVTATIO XXXIX.

Vtrùm gratia præueniens neceſſariò atque primariò includat interiorem motionem atque doctrinam, ita vt ſine illa nihil valeat exterior quæcunque gratia.

SECTIO I.

Negatiuæ partis fundamenta nullius eſſe roboris.

1. *Sententia negans.* SANCTVS Thomas, aliíque Scholaſtici videntur, aliquando dicere exteriorem gratiam excitantem eſſe, vt præbeat iuſtificationis initium; nec requiri interiorem gratiam excitantem: nam S. Thom. de veritate q. 24. art. 15. corp. in 1. probatione concluſ. ſub diſiunct. requirit exteriorem admonitionem, aut interiorem inſtinctum: itaque non videtur, determinatè exigere, tanquam ſimpliciter neceſſarium interiorem inſtinctum, quamuis in ſecunda probatione videatur, magis interiorem gubernationem & directionem petere. Sic etiam diſiunctim interius, vel exterius auxilium prærequirit S. Thom. in 4 diſt. 17. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 2. quem refert & ſequitur Raynerius in verbo *liberatio à peccato* cap. 21.

2. Guilielmus Pariſienſis, parte 1. verſùs finem tract. de meritis col. penult. planè ſupponit, excitationes exteriores ſufficere; nec addi interiores, niſi interdum. Illius verba retulimus ſuprà diſput. 21. ſect. 2.

3. Ægidius in 2. diſt. 28. q. 1. art. 4. in dubio laterali prope initium diſiunctim prærequirit, Deum *immittere nobis bonas cogitationes, ſiue per Scripturam ſacram, ſiue per prædicatores & rectores, ſiue per ſeipſum loquendo nobis interiùs.* Sic etiam Capreolus in 2. diſtinct. 29. col. penult. indifferenter admittit interiorem, vel exteriorem excitationem, vt homo valeat ſe ad iuſtificationem diſponere.

4. In eadem ſententia videntur eſſe aliqui huius temporis Theologi, apud quos ſufficit externa excitatio per Euangelij prædicationem, vel lectionem cum auxilio Dei, concurrente ad eliciendum actum conuerſionis. Atque in huius fauorē explicare conantur verba Tridentini de neceſſitate gratiæ præuenientis, quam explicationem attingit, & impugnat Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arbitrio c. 15. § *quarta gratia*, & §. *nec puto.*

5. *Fundamentum.* Quo fundamento nitteretur hæc opinio, apud nullum authorem explicatum reperio. Vnum tamen occurrit argumentum, quod maximè potuiſſet authores decipere, vt eam amplecterentur. Nimirum, quoniam S. Aug. aliquando non determinatè interiorem gratiam excitantem, ſed diſiunctiuè interiorem, vel exteriorem videtur requirere, ſupponēdo alteram illarum ſufficere. Sic Aug. lib. 1. ad Simplicianum quæſtione 2. prope initium, vbi Cornelium indiguiſſe gratia & vocatione Dei ad eas orationes & eleemoſynas, quibus dignum ſe præbuit cui mitteretur Angelus, oſtendit his verbis: *Sed nullo modo iſta operaretur; niſi antea credidiſſet. Nullo modo autem credidiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis, aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur.*

Idem Aug. de ſpiritu & litera c. 34. ait: *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus; ſiue extrinſecus per euangelicas exhortationes; ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem.* & lib. 83. quæſtionū q. 68. longè poſt med. *Nec velle,* ait, *quiſquā poteſt, niſi admonitus & vocatus, ſiue intrinſecus, vbi nullus hominum videt, ſiue extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia.* 6.

Cæterùm Auguſt. docuiſſe interioris doctrinæ & vocationis neceſſitatem, tam in his, quam in aliis libris, conſtabit in ſect. ſeq. Nunc prædicta teſtimonia exponamus: ne fortè aliquem minus in Auguſtiniana doctrina verſatum, decipiant. 7.

Reſpondetur primò. S. Aug. poteſt intelligi de ſola propoſitione obiecti, & notitia myſteriorum, quæ neceſſariò requiritur ad fidem, cæteróſque actus ſupernaturales. Hanc autem doctrinam, ſeu propoſitionem myſteriorum, non eſt neceſſarium interiùs fieri: ſatis eſt, ſi fiat exteriùs; dummodo interiùs excitetur intellectus illuminatione, & voluntas ſuauitate, vt eliciat actū ſupernaturalem. *Solutio 1.*

Reſpondetur ſecundò. Poteſt etiam magis ad propriam illius mentem Aug. intelligi de tota & integra operante, ſeu præueniente gratia. Pro cuius explicatione ſuppono, quoties ſacra Scriptura & Patres, quaſi de remediis, per diuinā prouidentiam deſtinatis ad noſtram ſalutem agunt de exterioribus auxiliis, veluti lege, Euāgelij prædicatione, doctrina, & exhortatione, correctione, miraculis, beneficiis, flagellis, promiſſis, cæteríſque ſimilibus, agere de illis, nō quaſi de mortuis inanimatis corporibus; ſed quaſi de animatis per gratiam, interiùs ſimul cum exteriori ſubſidio dandam. Veluti quando equum, aut leonē dicimus eſſe donatos, animalia intelligimus integra corpore, & anima conſtantia, non verò exanime, & inutile cadauer. Hæc interior gratia niſi cōprehenderetur in ſacris literis, atque libris ſanct. Patrum, nullo iure aut ratione defendi poſſent ab iniuſtitia reprehēſiones, exprobrationéſque frequentes, quas in ſacra Scriptura, Conciliis, & Patribus reperimus: quibus hominū vitio & contumaciæ tribuitur, quod doctrinæ, miraculis, exemplis, pollicitationibus, comminationibus, flagellis recuſauerint redire ad ſanam mentem. Atque inde colligitur, Deum abundè, quantum in ſe fuit, præſtitiſſe remedia, ad ſalutem hominis neceſſaria. Hoc autem nulla ratione foret conſequens; niſi in prædictis exterioribus auxiliis ſubintelligeretur, illa præberi non mortua, ſed viua & animata per interiorem gratiam præuenientem & operantem. Sed de hoc plura dicemus fortaſsè tom. ſeq. 8.

Hoc ſuppoſito, ſenſus Aug. eſt, quandoque ſine vlla exteriori viſione, aut exhortatione ſola interiori doctrina & inſpiratione Dn̄ī vocare, & agere vt velimus; quandoque autē viſorū ſuaſionibus extrinſecus per Euangelicas exhortationes, & per interiorē gratiā excitantē, quæ de lege ordinaria comitatur eiuſmodi exteriora incitamēta virtutis. 9.

Eandem interpretationem adhibere tenemur D. Thom. aliíſque antiquioribus Scholaſticis nuper citatis, ne Pelagiano errori fauere videantur; ſecundùm ea quæ dicemus ſect. 3. præſertim à n. 7. Hanc autem fuiſſe illorum mentem, colligimus, quoniam S. Thom. expreſsè docuit neceſſitatem interioris gratiæ atque doctrinæ in ſect. ſeq. n. 18. fin. & n. 29. ſect. 3. n. 3. Cæteri autem Scholaſt. rectè cum Magiſtro in 1. diſt. 7. ſecuti fuerint Auguſtinum de neceſſitate interioris gratiæ differentem in ſect. ſeq. n. 4. 10.

SECTIO II.

Sine interiori gratia præuenienti nihil prodeſſe exteriorem quamcunque vocationem, atque doctrinam, certiſſimum eſt.

1. *Sine interiori gratia exteriorem nihil prodeſt.* CONcluſio vnica diſputationis titulo directè ſatisfacit. Illa gratia præueniens, quæ à Conciliis & Patribus dicitur, eſſe ad iuſtificationem ſimpliciter neceſſaria, primariò includere debet interiorem Dei motionem, atque doctrinam; ſine qua, vt iuſtificationis initium præbeat, exterior, quæcunque vocatio, doctrina, ſeu gratia valebit prorſus nihil. Hanc concluſionem, exiſtimo eſſe, fidei proximam, ita vt oppoſitum poſſit, error non immeritò cenſeri.

2. Probatur primò ex Paulo 1. Corinth. 3. *Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid; neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Vnde Ambroſ. Hebr. 6. ad illa verba: *Terra enim ſæpe venientem ſupra ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam,* ait: *Et hoc notandum, quòd omnis abundantia in frugibus terræ, in fructibus arborum, non aliter, niſi per Dei benedictionem, cultoribus ad voluntatem reſpondere poterit. Neque enim agricolarum eſt, terram excitare ad fructus, ſed imperium Dei; ſicut alibi B. Paulus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.*

3. Eandem Pauli ſententiam ad præſentem concluſionem confirmandam frequenter Auguſtinus ponderat. In primis tractatu 80. in Ioannem in medio, ad illa verba: *Omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis,* ait: *Etiam palmites ſuos operarios fecit. Nam etſi non dant incrementum; impendunt tamen aliquod adiumentum. Ego plantaui, Apollo rigauit.* & ſubdit: *Iā verò quod ſequitur, ſed Deus incrementum dedit, excedit hoc humanam humilitatem, excedit Angelicam ſublimitatem, neque omnino pertinet, niſi ad agricolam Trinitatem.*

4. Idem lib. de gratia Ieſu Chriſti cap. 13. ait: *Hæc gratia, ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, vt altius, & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere, non ſolum per eos qui plantant & rigant extrinſecus; ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultius: ita vt non oſtendat tantummodo veritatem, verùm etiam impēdat charitatem.*

5. Rurſus in 5. de Trinit. c. 8. circa medium (recipitur à Magiſtro, & communiter ab Scholaſticis 1. diſt. 7.) ait: *Itaque Apoſtolus Paulus, diſcernens interiùs Deum creantem, atque formantem ab operibus creaturæ, quæ admouentur extrinſecus, & de agricultura ſimilitudinem aſſumens,* ait: *Ego plantaui, Apollo rigauit; ſed Deus incrementum dedit. Sicut ergo in ipſa vita noſtram mentem, iuſtificando, formare non poteſt, niſi Deus; prædicare autem Euangelium extrinſecus, & homines poſſunt, non ſolum boni per veritatem, ſed etiam mali per occaſionem. Ita creationem rerum viſibilium Deus interiùs operatur: exteriores autem operationes ſiue bonorum, ſiue malorum, vel Angelorum, vel hominum, &c.* — *1. Corinth. 3.*

6. Proſper lib. de ingratis cap. 14 ſic cecinit:

——— percurrat Apoſtolus orbem,
Prædicet, horteur, plantet, riget, increpet, inſtet:
Quaque viam verbo reſeratam inuenerit, intret:
Vt tamen his ſtudiis auditor promoueatur,
Non doctor, neque diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit.

Idem Proſper epiſt. quæ apud Ambroſium eſt 84. ad Demetriadem Virginem ait: *Quidquid illud eſt, quo corporeorum ſenſuum exteriora pulſantur, in agro cordis, cui impenditur iſta cultura, nec radicem poteſt figere, nec germen emittere; niſi ille ſummus & verus agricola potentiam ſui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum, ea, quæ ſunt plantata, perduxerit. Siue enim contemplatio creaturarum, ſiue ſacrorum ſeries voluminum, ſiue ſcientia diſcretionum ſincero, & aſſiduo teſtimonio prædicet veritatem; neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed, qui incrementum dat, Deus.*

Fulgentius de fide ad Petrum cap. 32. ait: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, poſſe quidem hominem, quem neque ignorātia literarum, neque aliqua prohibet imbecillitas, vel aduerſitas, verba ſancta legis, ſiue Euangelij, ſiue legere, ſiue ex ore cuiuſquam prædicatoris audire: ſed diuinis mandatis obedire, neminem poſſe, niſi quem diuina gratia præuenerit, vt quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta diuinitùs voluntate atque virtute, mandata Dei facere & velit, & poſſit. Neque enim qui plantat, eſt aliquid neque qui rigat eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus.* 7.

Anſelmus in lib. de concord. prædeſt. & gratiæ cum lib. arb. c. 3. inter princ. & med. idem teſtimonium 1. Corinth. 3. adducit ad confirmandū, quod dixerat, nihil prodeſſe verba, & prædicationes ſine interiori ſenſu intellectus, & rectitudine voluntatis, quam, dicit eſſe incrementum, à Deo dandū, ſine quo neque qui plantat eſt aliquid, &c. 8.

Secunda probatio eſt veluti confirmatio præced. Hæc enim eſt peculiaris ratio, quæ Doctores Eccleſiæ, concionatoréſque compellit, vt per profundam humilitatem ſuas ſubmittant alas cōparatione diuinæ vocis, interiùs vocantis, & exhortantis hominem, ſecūdùm illud Ezech. 1. verſ. fin. *Cùmque ſtarent, demittebātur pennæ eorum. Nam cùm fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas.* Quod Greg. ibi hom. 8. prope med. ita interpretatur: *Fortaſſè Doctores ſunt, ſed cum cœperint tacita mente cogitare, quæ ſit ineffabilis Dei ſapientia, quæ mentes hominum ſine ſtrepitu verborum docet: & quomodo hæc eadem ſapientia ſi auditorum mentes non doceat, vox docentium vacuè laborat; ſua eis doctrina protinus vileſcit: quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* 9.

Tertiò probatur ex cap. 53. Iſaiæ in principio, quod Iuſtinus in dialogo cum Tryphone de veritate Chriſtianæ religionis ante medium ſic ad rem præſentem inducit: *Iſaias quaſi ex perſona Apoſtolorum, ad Chriſtum loquentium, non auditioni eorum credere homines; ſed ipſius qui miſerit eos, virtuti, ita inquit: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Annunciamus coram eo tanquam puellus, ſicut radix in terra ſitienti.* 10.

Sic etiam Lactantius lib. 4. inſtitutionum c. 16. ait: *Annunciamus coram ipſo, ſicut pueri, & ſicut radix de terra ſitienti.* Vtriuſque teſtimonij ratio eſt, quia nimirum, neque à pueris intelligentia, nec pinguedinis humor à terra ſitienti; ſed à Deo expectandus eſt: atque ſimili ratione fructus fidei & iuſtificationis non ab vllo concionatore, etiam Apoſtolo, ſed à Deo ſupernaturali authore donandus eſt. 11.

Probatur quartò ex Pſal. 87. *Nūquid mortuis facias mirabilia, aut medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi?* Quod ita ponderat Auguſt. ibi: *Quantumlibet per fidelē miniſterium opitulentur ſaluti, viuentes curare poſſunt, non mortuos excitare: de quibus dictum eſt,* 12.

Nunquid

Digitized by Google

Nunquid mortuis facies mirabilia. Nimis enim occulta Dei gratia eſt, qua hominum mentes quodammodo reuiuiſcunt, vt poſſint à quibuſlibet eius miniſtris præcepta ſanitatis audire. Quam gratiam commendat in Euangelio Dominus, dicens: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.

13. Quem locũ Ioan. 6. poſtquam ad rem præſentem dignis momentis expendit, ſuam doctrinam vſque ad ipſos Apoſtolos ampliat, vt nullum prorſus Euangelij miniſtrum excipiat; vnde ſubiungit: *Quantumlibet ergo ex ipſa excellentes verbi prædicatores, & veritatis, etiam per miracula ſua fortes, tanquam magni medici agant cum hominibus: ſi mortui ſunt, & tua gratia non reuixerint, nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici exſuſcitabunt, & hi, quos exſuſcitabunt, confitebuntur tibi?* Ad idem dogma confirmandum pertinet tota epiſtola 130. Auguſtini ad Circenſes.

14. Proſper lib. de ingratis in cap. 15. de miniſtris Euangelij ſic loquitur:

Qui quamuis multa admoneant mandata vocantis,
Pulſant, non intrant animas. Deus ergo ſepultos
Suſcitat.

& poſt pauca:

Hunc itaque affectum, quo ſumunt mortua vitam,
Quo tenebræ ſunt lumen, quo immunda niteſcunt,
Quo ſtulti ſapere incipiant, ægrique valeſcunt.
Nemo alij dat, nemo ſibi.

15. Confirmatur. nam huic Pſalmo conſonat Iſai. cap. 26. dicens: *Morientes non viuant, gigantes non reſurgant.* Vbi Symmachus more ſuo manifeſtiùs legit: *Mortui non viuificabunt: gigantes non ſuſcitabunt.* & Septuaginta: *Mortui vitam non videbunt, neque medici ſuſcitabunt.* Et ſenſus eſt, non ſolùm corporis, ſed præſertim animi ſalutem, maximè verò reſurrectionem à morte ad vitam, à nulla medicorum arte, niſi à ſolo Deo ſperari poſſe, vt Hieronymus explicat ibi.

16. Cyrillus Alexandrinus ibidem ait: *Extra te eiuſmodi ſunt* (ſcilicet mortua) *qui vita, qui viuifica gratia exortes ſunt. Rurſus extra te qui animi morbis eos, qui his detinentur, liberare valebant, qui & ſpirituales medici meritò queant intelligi, neminem eorum qui ægrotarunt, potuerunt ſuſcitare. ſpirituales autem medicos eſſe dicimus ſanctos Prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas,* &c.

17. Probatur quintò, ſimul ex cap. 5. Lucæ, & Pſalmo 67. fine. Vnde Bernardus ſermone de conuerſione ad clericos, toto cap. primo eleganter ſimul & grauiter noſtram concluſionem confirmat, illis præcipuè verbis: *Conuerſio animarum opus diuinæ vocis eſt, non humanæ. Simon Ioannis piſcator hominum, in hoc ipſum vocatus, & conſtitutus à Domino, incaſſum tamen & ipſe laborans, tota nocte nihil capiet; donecque in verba Domini recte iactans, concludere poſſit multitudinem copioſam.* (& poſt pauca:) *etſi loquimur iuſtitiam, & gloriam Dei quærimus; effectum tamen ab eo ſolo ſperare, ab eo poſtulare neceſſe eſt; vt voci ſuæ vocem virtutis accommodet. Ad hanc ergo interiorem vocem aures cordis erigi, admonemus, vt loquentem Deum intus audire, quam foris hominem ſtudeatis.*

18. Sextò probatur ex prima Ioan. 2. propè finem: *Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis; & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos; ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium, & ſicut docuit vos, manete in eo.* Quo loco S. Auguſtinus tract. 3. fine ait: *Nolite putare, quenquam hominem aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ, ſi non ſit intus qui doceat, inanis eſt ſtrepitus noſter.* & confirmat verbis Chriſti Domini Matth. 23. *Nolite vobis dicere Magiſtrum in terra. Vnus eſt magiſter veſter Chriſtus,* & ſubdit: *Vbi illius inſpiratio, & illius vnctio non eſt, forinſecus inaniter perſtrepunt verba: ſic ſunt iſta verba, quomodo eſt agricola ad arborem,* inducitque illud 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid,* &c. Eandem ſententiam docet cum Gloſſa D. Thom. in comment. illius capitis.

Septimò probatur ex Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit,* quod non ſolùm ſignificat, Deum eſſe authorem legis, & doctrinæ, cui primariò præſtatur obedientia; ſed etiam ſignificat, Deum eſſe authorem ipſius etiam obedientiæ, non verò Euangelicos miniſtros. Vnde Theophylactus ibi ait: *Ne gloriemini, vel ſapite ſublime, quod quidam vos audiant: non enim veſtrum eſt opus, ſed meum & gratia.* 19.

Probatur octauò, varijs teſtimonijs ſanctorum Patrum. Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. *Valde,* inquit, *remota eſt à ſenſibus hæc ſchola, in qua Pater auditur, & docet, vt veniatur ad Filium, ibi eſt & Filius, quia ipſe eſt verbum eius, per quod ſic docet, neque agit hoc cum carnis aure, ſed cordis.* 20.

Et in epiſtol. 107. ante medium ait: *Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem ſuam, atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, neque vocatione illa alta atque ſecreta ſic eius ageret ſenſum, vt eidem legi, atque doctrinæ accommodaret aſſenſum, procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare ſufficeret; neque opus eſſet orare, vt Deus ad fidem ſuam infidelium corda conuerteret.* 21.

Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 8. initio ait: *Nos, ſequentes eundem Apoſtolum, omnem bonarum cogitationum originem, earúmque confeſſionem, & voluntatem ex Deo, & per Deum, & in Deo dicimus, qui prauas hominum voluntates per infuſionem & operationem intrinſecus ſancti Spiritus abſoluit, & corrigit.* 22.

Fulgentius libro de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti, in vltimis verbis: *Fruſtra,* inquit, *ſermo diuinus exterioribus auribus ſonat, niſi Deus ſpirituali munere auditum hominis interioris aperiat.* 23.

Clemens Romanus epiſtol. 1. ad Iacobum fratrem Domini prope finem ait: *Occulta Dei virtute cognoſcere animas, quem debeant, diligere, priuſquam doceantur.* 24.

Chryſoſtomus 2. Corinth. 1. homil. 3. prope morale ſic exponit Paulum alloquentem Corinthios: *Hoc ipſum quod vos ſtatis immobiles, quod fixi, non in nobis eſt, ſed Dei munus eſt, qui nos, inquit Paulus, confirmat Deus. Non igitur nos ſumus, qui ſtabilimus vos, quandoquidem & ipſi opus habemus à quo confirmemur.* 25.

Marcus Eremita lib. de paradiſo ſub titulo 1. cap. 76. ait: *Quoties homo homini verbis profuerit, aut operibus, Dei vtrumque gratiam eſſe agnoſcat. Cæterum hoc non intelligens, ab intelligente poteſtate ſuperabitur,* videlicet, à dæmone. Quod clariùs explicat c. 80. dicens: *Homo dat conſilium homini, quemadmodum nouit: Deus autem operatur in audiente ſecundum quod credidit.* Et in eodem libro ſub titulo 2. cap. 56. ait: *Doctrina proximi occultatur gratia.* loquebatur autem de auxiliatrice gratia. 26.

Gregorius 11. Moralium cap. 5. Caini exemplo comprobat, dicens: *Cum audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur; in-* 27.

caſſum exteriùs à prædicatore monetur. (& poſt pauca:) *Hinc enim eſt, quòd Cain diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit; quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat.* Vnde conſtat non ſolùm hominis, aut Angeli, ſed etiam ipſius Dei exteriora verba nihil prodeſſe ſine gratia, vt in ſeq. ſect. num. 4. Quod idem in ſeq. cap. 6. confirmat ex verbis Iob. cap. 12. *Si continueris aquas, omnia ſiccabuntur: ſi emiſeris eas, ſubuertent terram.*

28. Ennodius Ticinenſis ad Conſtantium, referente Turriano lib. 4. pro epiſtolis Pontificum cap. 2. prope finem ait: *Ergo debemus gratiæ, quòd vocamur: debemus gratiæ quòd occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur.* Iſidorus lib. 3. ſententiarum cap. 10. initio: *Doctrina,* inquit, *ſine adiuuante gratia, quamuis infundatur auribus, ad cor nunquam deſcendit; foris quippe perſtrepit, ſed interius nihil proficit. Tunc autem Dei ſermo, infuſus auribus, ad cordis intima peruenit, quando Dei gratia mentem interiùs, vt intelligat, tangit. Sicut enim quoſdam flamma charitatis ſuæ Deus illuminat, vt vitaliter ſapiant; ita quoſdam frigidos, torpentéſque deſerit vt ſine ſenſu perſiſtant.* Quod intellige, propria illorum culpa, contra primariam Dei voluntatem & deſiderium, vt ex eodem Iſidoro aliiſque Patribus oſtendemus tomo ſequenti, ſi Dominus conceſſerit.

29. Gloſſa in id Roman. 10. *Fides ex auditu,* ait: *licèt Deus intus doceat, præco tamen exteriùs annunciat.* Auguſtinus in lib de Magiſtro, ait: *Solus Deus cathedram habet in cœlis, qui veritatem docet interiùs.* Ex quo teſtimonio S. Thomas de veritate quæſt. 11. articul. 1. per totum, præſertim ad 7. & 8. colligit, Deum ſolùm interiùs docere; quamuis D. Thomas tota illa quæſt. non explicet, vtrùm de naturali doctrina ſolummodo, vel etiam de ſupernaturali loquatur.

30. Fauet Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 3. initio, tractans, quomodo Deus hominem condiderit, motus ab amore hominis, & eo fine vt homo redamaret Deum, ait: *Et intus eſt, in homine id amatorium, quod Dei inſpiratio, ſeu inſufflatio dicitur.* Itaque intus eſt poculum ad ſapientiſſimam amoris inſaniam impellens, vt magis explicuimus diſputat. 28. ſectione 4. num. 13. & ſequent.

31. Fauet etiam nonnihil Cyrillus Hieroſolymitanus in præfatione ad catecheſ. propè finem, dicens: *Nos quidem hæc tanquam homines adhortamur, & docemus.* (& poſt pauca:) *Meum eſt dicere, tuum verò agere, Dei autem perficere.*

32. Eandem veritatem, ſiue ex ſacris ſcriptoribus furtò ſublatam, ſiue maiorum traditione a Noë vſque receptam, tradit Plato in Phædro, ſiue dialogo de pulchro, propè finem, vbi ex profeſſo probat, ineſficax eſſe docendi genus per verba, ſiue per ſcripta librorum; ſolúmque validum, clarum atque perfectum, potenſque docendi genus eſſe, cum ſcientia ſcribitur in diſcentis anima de iuſtis & pulchris bonis. Hoc autem docendi genus eſſe Dei proprium donum, indicat, cùm dialogum claudit hac oratione: *O chare Pan, & vos alij, qui hic habitatis Dij, date mihi vt pulcher intrinſecus fiam.* Et in Menone, ſiue de virtute dialogo ad finem probat, nullos eſſe virtutis Doctores, ac proinde virtutem doceri non poſſe, ſed diuina ſorte accedere hominibus. Hæc omnia firmiora reddentur ex dicendis in tota ſectione ſequenti.

Plato.

SECTIO III.

Non ſolùm creatæ cuiuſquam perſonæ, ſed etiam ipſius Chriſti Domini, ſiue per humanitatem, ſiue per diuinitatem doctrina, exteriùs tradita, ſine interiori doctrina non ſufficit.

QVamuis Euangelij miniſtri fuerint Apoſtolorum ſupremi, eorum exteriorem doctri- 1.
nam ſine interiori vocatione & gratia Dei prodeſſe nihil, conſtat ex dictis tota ſect. præcedenti, præſertim ex Bernard. Iuſtino, Lactantio, Auguſtino, Cyrillo, Theophylacto, Chryſoſtomo, quorum teſtimonia retulimus ſect. præced. num. 10. 11. 13. 16. 17. 19. & 25. Rurſus eandem prorſus rationem eſſe de Angelorum doctrina conſtabit ſequenti diſp. ſect. 5.

Sed multo magis exaggeratur, quia Chriſtus 2.
Dominus in quantum homo, & ſecundùm eam naturam, ſecundùm quam non poteſt dicere: *Ego & pater vnum ſumus,* quamuis exteriùs prædicet, & miracula exteriùs faciat; nullus tamen ad eum venire poterit, niſi, in quantum idem Chriſtus Dominus eſt vnum cum Patre, & Spiritu ſancto, interiùs trahat, doceat & ſuggerat. Quod vltra alia colligitur ex illo Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* & iterum: *Erunt omnes docibiles Dei.* & Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Quaſi diceret, non alia ratione poteritis efficaciter edoceri, & diſcere; niſi quoniam ea ipſa, quæ ſenſibilibus verbis ego profero, Spiritus ſanctus, à Patre, & à me ipſo procedens, & miſſus docebit, & ſuggeret.

Chriſti doctrina exteriùs tradita non ſufficit.

Vnde D. Thomas Ioan 14. lect. 6. ſub finem ait: 3.
Ille vos docebit omnia, quia quæcunque homo doceat extra, niſi Spiritus ſanctus interiùs det intelligentiam, fruſtra laborat; quia niſi ſpiritus adſit cordi audientis, otioſus erit ſermo Doctoris. Iob. 31. Inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam, in tantum quòd etiam ipſe Filius, organo humanitatis loquens, non valet, niſi ipſemet interiùs operetur per Spiritum ſanctum.

Eadem verba Ioannis 14. Gregorius homil. 30. 4.
in Euangelia ponderat, dicens: *Niſi autem idem ſpiritus cordi adſit audientis; otioſus eſt ſermo Doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit; quia niſi intus ſit, qui doceat, Doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat. Sed & ipſe conditor non ad eruditionem hominis loquitur, ſi eidem homini per vnctionem ſpiritus non loquatur. Certè Cain priuſquam parricidium opere perpetraret, audiuit, Peccaſti, quieſce. Sed quia, culpis ſuis exigentibus, voce eſt admonitus, non vnctione ſpiritus, audire verba Dei potuit, ſed ſeruare contempſit.* In prædicta expoſitione Gregorij latet hæc argumentatio. Ipſius diuinitatis verba ſenſibiliter probata nihil proſunt, ſi deficiat interior exhortatio, & doctrina (vt conſtat exemplo Caini.) Ergo à fortiori neque humanitatis Chriſti Domini verba prodeſſunt, niſi Spiritus ſanctus doceat, & ſuggerat quæcunque Chriſtus Dominus dixerat per humanitatem. Clariùs autem idem Gregorius Caini exemplum induxit ſect. præced. num. 27.

Quòd autem hæc ſchola debeat eſſe occulta, & 5.
interior, ex eiſdem verbis Chriſti Domini Ioan. 14. colligit Gregorius in eadem homilia 30. hac ratione: *Requirendum verò nobis eſt, cur de eodem ſpiritu*

Digitized by Google

ſpiritu dicitur ſuggeret vobis omnia, cùm ſuggerere ſoleat eſſe minoris. Sed quia ſuggerere aliquando dicimus, ſubminiſtrare; inuiſibilis ſpiritus ſuggerere dicitur, non quòd nobis ſcientiam ab imo inferat, ſed ab occulto. Quæ verba non ſolùm in catena, ſed etiam in ſua propoſitione Ioan. 14. lect. 6. fine D. Thom. inſeruit.

6. Valde conſonat, quod ad eadem verba Ioan. 14. Cyrillus loquitur lib. 10. in Ioan. cap. 6. propè initium: *Vt ab homine igitur dictum eſt, quia hæc locutus ſum vobis, apud vos manent. Iam enim hinc ad cælos ſecundùm carnem abiturus erat. Verùm exquiſitam reuelationem myſterij per Spiritum ſanctum, à Patre miſſum, futuram nobis affirmat.* Itaque non per ſola verba, & miracula humanitatis datur illa exquiſita reuelatio. Ad eiuſdem veritatis confirmationem faciunt quæ circa prædicta verba Ioan. 14. & circa alia ſimilia Ioan. 15. & 16. ponderat Didymus lib. 2. de Spiritu ſancto colum. 4. & 6. & multis ſequentibus apud Hieronymum tomo 9. propè finem, aliàs tomo 5.

7. *Diuinitatis lex & doctrina non ſufficit ſi ſolùm exteriùs ſonet.*

Quinimò ipſius etiam diuinitatis lex & doctrina non ſufficit, quandiu ſolummodo ſenſibus exteriùs ſonat, & illius author mentem interiùs non docet & illuminat. Probatur, quia lex Moyſi quamuis per Angelos miniſtrata fuerit, illius tamen primarius conditor Deus erat. Nihilominus ſine gratia Ieſu Chriſti non poterat ſuos viuificare, ſed occidere. 2. Corinth. 3. *Littera occidit: ſpiritus autem viuificat.* cuius primarius ſenſus hic eſt: ſine gratia lex occidit, occaſione grauioris culpæ, propter boni cognitionem, & vehementiorem impetum concupiſcentiæ, Rom. 7. quamuis hæc occaſio non per ſe data per legem, ſed per accidens ab hominibus fuerit accepta. E contrario ſpiritus viuificat, nimirum charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: propter quam nos delectat illud ipſum bonum, quod per legem oſtenditur atque præſcribitur.

8. Hoc argumentum validiſſimis neruis vrget Auguſtinus lib. de ſpiritu & littera cap. 3. 4. 5. & 6. & cap. 29. eiuſdem libri de ſpiritu & littera. Similia in eandem ſententiam ſcribit Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti cap. 7. lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7. & lib. de gratia & libero arbitrio cap. 11. & 12. & epiſtola 200. ad ad Aſelicum. Theodoretus in epiſtolam ad Rom. tom. 3. in cap. 6. & 7. Conſonat Nazianzenus orat. 42. ſiue 2. in Paſcha poſt med. Colligitur apertè Galat. 2. *Si per legem iuſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* & cap. 31. *Quoniam ex lege nemo iuſtificatur; manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit.* Item: ſi data eſſet *lex, quæ poſſet iuſtificare; verè ex lege eſſet iuſtitia.* De qua re paſſim obuios habebis Patres, quoties vtriuſque legis diſcrimen tractant.

9. Confirmatur primò. Nam Pelagius ipſe, illiúſque ſectarij diſertis, atque perſpicuis verbis, vt piè viuamus iuſtificationémque conſequamur, fatebantur, eſſe neceſſariam gratiam non ſolùm legis, ſed etiam doctrinæ illuminationis, perſuaſionis, & exhortationis, quibus Deus operetur in nobis velle & perficere; ſed quoniam huiuſmodi gratiam, interpretabantur, eſſe non ſolùm liberum arbitrium, quod gratia creationis accepimus, ſed etiam legem, doctrinam, illuminationémque per exteriora verba, vel ſcripta, non verò per interiorem mentis illuminationem, & inſpirationem ſupernaturalem, ac præuenientem (hanc enim, quamuis faterentur prodeſſe plurimum ad facilitatem augendam; ſed neceſſariam eſſe negabant) ideo refutantur ab Auguſtino, & cæteris Patribus, vt videre eſt apud Auguſtinum in lib. 1. de gratia Ieſu Chriſti cap. 7. 9. 10. 24. 31. & 41. conſonátque in epiſtola ad Vitalem, quæ eſt 107.

Confirmatur ſecundò, nam legis ſcientiam ſine interiori gratia per Ieſum Chriſtum, ad ſalutem valere nihil, docet Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij cap. 7. 8. 9. 10. & in cap. 14. initio, dicens: *Hinc iam obijciuntur Pelagio alia Cœleſtij capitalia, & ſine dubitatione damnanda, quæ niſi anathematizaſſet, cum his ſine dubio damnaretur. In 3. capitulo ſcripſiſſe Cœleſtium gratiam Dei, & adiutorium, non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege ac doctrina.* & longè inferiùs inter principium & med. ait: *Cùm enim rectè anathematizauerit eos, qui dicunt gratiam Dei, & adiutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, ac doctrina; profectò Dei gratia, vel adiutorium ad ſingulos actus datur, excepto libero arbitrio, vel lege, atque doctrina, ac per hoc per ſingulos actus à Deo regimur.* 10.

Contra eandem partem Pelagiani erroris directè atque primaria intentione pugnat c. 16. Arauſicani: *Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tanquam non acceperit: aut ideo ſe putet accepiſſe, quia littera extrinſecus, vel, vt legeretur, apparuit, vel vt audiretur, ſonuit. Nam ſicut Apoſtolus dicit, ſi per legem iuſtitia; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicunque habet. Quiſquis autẽ inde ſe habere negat, aut verè non habet, aut id, quod habet, auferetur ab eo.* Ponderentur illa verba, præſertim: *Quia littera extrinſecus, vel, vt legeretur, apparuit, vel, vt audiretur, ſonuit.* Vnde conſtat, quoties idem Arauſicanum ad iuſtificationis initium prærequirit illuſtrationem, inſpirationem, ſuauitatem, & operationem Spiritus ſancti, requirere interiorem gratiam, ſine qua inſufficientem reputat exteriorem. 11.

Vnde ſumitur genuinus intellectus ad canonem ſeptimum eiuſdem Concilij, vbi decernitur, hæretico falli ſpiritu eum, qui confirmat, *nos per naturæ vigorem euangelizanti prædicationi conſentire poſſe abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & credendo veritati.* Eadem ratione colligitur idem ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 3. dicente: *Si quis dixerit ſine præuenienti Spiritus ſancti inſpiratione atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* 12.

Confirmat Proſper in lib. de ingratis toto cap. 14. & 15. & præſertim notanda ſunt illa carmina in cap. 14. 13.

Non hoc conſilio tantum hortatúque benigno
Suadens, atque docens; quaſi formam legis haberet
Gratia; ſed mutans intus mentem, atque reformans,
Váſque nouum ex fracto fingens virtute creandi.

Ergo neque ipſa gratia, neque Deus author illius externis prædicationibus, legibus, & monitis ſatis eſt, niſi interiùs operetur.

Idem in lib. contra Collatorem cap. 28. reprehendit Caſſianum, eo quòd diceret, ineſſe animæ ſemina virtutum; ſed excitanda eſſe per externam prædicationem, ſignificans, non eſſe neceſſariam aliam interiorem excitationem, *vt mens quæ virtutum eſt opulenta ſeminibus, vtatur facultate quam poſſidet: vt earum virtutum apprehendat culmina, quarum ſibi ſcit ineſſe principia.* 14.

Ratione

15\. Ratione confirmatur tota doctrina præſentis, ac præcedentis ſectionis, quia iuſtificationis initium impoſſibile eſt ſine gratia excitante, ſeu operante: ſed huius gratiæ partes ſunt, illuſtratio, & ſuauitas, aliique affectus, quibus intellectus & voluntas mouentur in Deum; vt demonſtrauimus diſput. 30. ergo ſine huiuſmodi gratia, interiùs mouente voluntatem, & intellectum, impoſſibile eſt iuſtificationis exordium.

Confirmatur primò, quoniam inſpiratio, & illuſtratio non exteriorem tantùm, ſed præcipuè interiorem Spiritus ſancti operationem ſignificant, vt nuper ex Concilio Arauſicano monſtrauimus.

16\. Confirmatur ſecundò, quoniam externa doctrina, & illius ſuaſores & magiſtri, ſecundùm ſe ac præciſè conſiderata, non ſunt gratia propriè ac theologicè dicta, iuxta modum loquendi Conciliorum & Patrum aduersùs Pelagianos, vt vidimus nuper num. 9. Vnde Auguſtinus lib. 1. de gratia contra Pelagium cap. 8. ſub initium ait: *Vſque adeò aliud eſt lex, aliud gratia, vt lex non ſolùm nihil poſſit, verùm etiam plurimum obſit, niſi adiuuet gratia.* Eundem modum loquendi & ſentiendi ſequitur Proſper lib. ſent. ex Auguſtino ſent. 315. 321. & contra Collatorem cap. 7.

Ratio à priori. Ratio à priori eſt, quoniam gratia, propriè, ac theologicè dicta, debet eſſe ſuperioris ordinis quàm natura, & prorſus indebita naturæ: propereáque debet eſſe ſupernaturalis & interior inhærens animæ. Contra verò quælibet exterior doctrina, & illius ſuaſores & magiſtri non inhærent animæ, nec ſunt entitatiuè ſupernaturales, quia voces & ſcripta, & quælibet alia ſigna ſenſibilia ſunt entitatis naturalis; atque inſuper nihil immediatè poſſunt in animam influere, ſed tantùm in ſenſus corporis. Quam veritatem fuſiùs confirmauimus lib. de quidditate gratiæ diſput. 3. & diſp. 4. ſect. 4. ergo quandiu defuerit interior mentis illuſtratio, & inſpiratio; nondum erit collata, quæ propriè atque dogmaticè appellatur gratia: ſubindéque deſiderabitur adhuc, quæ ſimpliciter, & propriè atque dogmaticè appellatur gratia operans, ſeu præueniens, ſine qua impoſſibile eſt iuſtificationis initium.

17\. Hinc colligo plures alias rationes valere ad eandem veritatem confirmandam, nimirum quæ infrà diſp. 41. excitantis gratiæ neceſſitatem: & quæ diſp. 40. probant, excitantem gratiam eſſe debere ſupernaturalem, vt ſemen ſit proportionatum arbori, & initium medio finique reſpondeat. Nam tota externa prædicatio, & auditio illius, ſiue lectio, & cætera alia externa ſunt entitatiuè naturalia; licèt agant de obiecto ſupernaturali, ideóque minus proportionata ſunt, quàm ſi actus intellectus, & voluntatis naturalis verſaretur circa obiecta ſupernaturalia.

18\. Ex his omnibus poterit maturus rerum æſtimator deducere, quanto veritatis fundamento in principio ſect. 2. dixerimus concluſionem noſtram eſſe fidei proximam, ita vt oppoſitum, poſſit, error non immeritò cenſeri.

19\. His omnibus non obſtantibus Chriſti humanitas per obedientialem potentiam, tanquam diuinitatis inſtrumentum, ſupernaturaliter eleuatum, concurrit ad interiorem illuſtrationem, doctrinam, exhortationem, & inſpirationem producendam; & ea ratione ſubit munus quodammodo gratiæ operantis, præuenientis, & excitantis; ſicut ſupra diſputat. 36. ſectione 2. num. 18. vſque ad finem diximus, ſubire rationem gratiæ cooperantis.

SECTIO IV.

Exteriorem gratiam de lege ordinaria requiri, vt præbeatur interior: ſicut rationalis anima, niſi in corpore, non infunditur.

Prima concluſio. Prædictæ illuſtrationes intellectus, & voluntatis motus, ad pietatis opera cum ſuauitate impellentes ſunt quaſi eſſentia, vel anima gratiæ præuenientis: alia tamen concurrunt exteriora dona quaſi eiuſdem gratiæ corpus, aut membra ad illius integritatem pertinentia. 1. *Præuenientis gratia anima, & corpus.*

Probatur explicando magis ſingulas partes huius corporeæ ſeu exterioris gratiæ.

Primò, namque in ſenſibus internis excitantur talia phantaſmata, ſenſibileſque apprehenſiones; atque in appetitu ſenſitiuo tales affectus ſenſibiles, quæ opportuna ſint, & proportionata ad illuſtrationes, & inſpirationes animi fouendas.

Huc pertinet modus pœnitudinis in corpore ſimul & anima per Dei operationem poſitus; & compulſio in anima diſcurrens & corpore; quam Magnus Antoninus tradit tomo 3. Bibliothecæ epiſtol. 1. ad fratres de diuina vocatione propè init. vbi modum, quo iuſtificandus *primus vocat ſpiritus*, deſcribit his verbis: *Præſtat eis lenitate, in omnibus innans eos ſpiritus, vt indulcentur eis opera pœnitentiæ.* Hoc autem auxilium & ſuauitatem non ſolùm ad animam, ſed etiam ad corpus, notauit, continuò ſubiungens: *Ponit eis terminos per modum quendam pœnitudinis in corpore & anima eorum, vſque quo doceat eos, etiam conuerſionis modum ad conditorem proprium Deum; nec non & præbeat eis compulſionem, in anima diſcurrentem, & corpore, vt vtraque ſanctificari queant.* 2.

Secundò diuinæ legis præcepta dantur atque conſilia præmiis, terroribúſque munita. Hanc autem inter auxilia connumerari poſſe conſtat ex Auguſtino libro de geſtis Pelagij cap. 1. vbi refert, & approbat iudicium Paleſtinæ Synodi admittentis quaſi catholicam expoſitionem, qua vnum ex articulis ſibi obiectum Pelagius explicabat, dicens: *Adiuuari per legis ſcientiam ad non peccandum, ſicut ſcriptum eſt: Legem in adiutorium dedit illis.* quod in capite 35. quod eſt vltimum non longe à principio his verbis repetit: *Approbauerunt enim ſecundùm quæ ille ad ea quæ obiecta ſunt, reſpondebat, adiuuari hominem per legis ſcientiam ad non peccandum, ſicut ſcriptum eſt: Legem in adiutorium dedit illis. Non tamen ex hoc eadem legis ſcientia illam Dei gratiam eſſe approbarunt, de qua ſcriptum eſt: Quis me liberabit de corpore mortis huius. Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Similiter etiam *auxilium per legem datam* dicit Baſilius citandus in num. 4. Illud autem in hoc genere eſt maximum auxilium, quòd talis doctrina legis, & exhortatio talis extrinſecus offeratur, quæ menti congruat aptè & opportunè hæc gratia exterior eſt; cæterùm ſummi momenti ad ſalutem, vt oſtendemus alibi. Hanc præſertim gratiam, exteriùs excitantem, Auguſtinus, S. Thomas, & alij Scholaſtici intelligunt, quando dicunt ad iuſtificationem concurrere, vt vidimus tota ſect. 1. 3.

Iis tertiò accedunt aliquando viſiones, de quibus ſimul cum præceptis atque conſiliis Euangelicis 4.

licis Auguſtinus libro de ſpiritu & littera cap. 34. ait: *Verumetiam viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus: ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes, vbi mandata legis aliquid agunt.*

5. Quartò præcedentibus proxima ſunt miracula, ad eundem finem deſtinata. Hæc ſimul cum duabus præcedentibus membris exterioris gratiæ complectitur Proſper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 9. aliàs 26. dicens: *Gratia Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, córque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis* His ſimilia ſunt quæ alij Patres ſcribunt locis adductis tota diſput. 30. præſertim ſect. 2. num. 21. & ſequentibus. Supradictas exteriores gratias ex præueniente Spiritus ſancti operatione prouenire, tradit Baſilius lib. de Spiritu ſanct. cap. 16. poſt medium, dicens: *Cæterùm diſpoſitiones circa hominem, quæ factæ ſunt à Magno Deo, & ſeruatore noſtro Ieſu Christo, iuxta bonitatem Dei, & Patris, quis negabit per ſpiritus gratiam eſſe perfectas? Siue velis priſca ſpectare, veluti Patriarcharum benedictiones, auxilium per legem datam, figuras, prophetias, fortiter in bellis geſta, miracula per ſanctos edita.*

6. Quintò ſingulari protectione Deus exteriùs peccandi occaſiones auertit, bene operandi impedimenta remouet, non ſolùm quæ impedire, ſed etiam quæ retardare poſſunt: opportunitates offert, vniuſcuiuſque ingenio accommodatos concionatores, Prælatos, Magiſtros, ſocios, exempla, euentus proſperos, vel aduerſos, & præſertim vniuerſalem totius vitæ ſtatum, veluti religionis, aut ſacerdotij diſponit. Hæc enim ad diuinam vocationem, ac proinde ad operantem, ſeu præuenientem gratiam pertinere, oſtendit præter alios Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 68. ſed fuſiùs & elegantiùs lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. propè init. & colum. 6. & 7.

7. Peculiariter, quod attinet ad gratiam præſeruandi à peccatis, Auguſtinus libro quinquaginta homiliarum, homilia 23. col. 3. ſic docuit: *Hoc tibi dicit Deus tuus; Regebam te mihi, ſeruabam te mihi, vt adulterium non committeres; ſuaſor defuit, & vt ſuaſor deeſſet ego feci; locus & tempus defuit, & vt hæc deeſſent, ego feci; affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus; vt non conſentires ego terrui. Agnoſce ergo gratiam eius, cui debes, & quod non admiſiſti. Mihi debet iſte, quod factum eſt, & dimiſſum vidiſti; mihi debes & tu, quod non admiſiſti. Nullum eſt enim peccatum, quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector, à quo factus eſt homo.*

8. Quam doctrinam vniuerſaliori ratione Anſelmus explicat in lib. de concordia prædeſtinationis & gratiæ cum libero arbitrio cap. 3. colum. 4. dicens: *Adiuuat etiam gratia liberum arbitrium, quando, vt deſerat rectitudinem acceptam, impugnatur, mitigando, aut penitus remouendo vim tentationis impugnantis, aut augendo affectum eiuſdem rectitudinis.*

9. Quod magis ſcholaſticè docuit S. Thomas 3. contra Gentes cap. 162. fine, dicens: *Hoc auxilium eſt non ſolum infuſio gratiæ, ſed etiam exterior cuſtodia, per quam occaſiones peccandi homini ex diuina prouidentia tolluntur; & prouocantia ad peccandum comprimuntur. Adiuuat etiam Deus hominem contra peccatum per naturale lumen rationis, & alia naturalia bona, quæ homini confert.* & quamuis hæc primò aſpectu videantur non minus pertinere ad gratiam adiuuantem, quàm *ad præuenientem:* cæterùm, quia hæc directè, & immediatè non ſubduntur arbitrio, ſed tantùm impetrari poſſunt, ſicut impetratur gratia præueniens; ideo magis proportionatè pertinent ad gratiam præuenientem.

Sextò Sacramenta, & ſacrificia in quantum ſunt exteriora ſigna, & inſtrumenta gratiæ, numeranda eſſe inter primaria membra exterioris gratiæ, probatione non indiget. 10.

Septimò. Aliud eiuſdem exterioris gratiæ membrum conſtituunt omnes orationes, quæ pro te non à te ipſo, ſed à quibuſcumque alijs deprecatoribus funduntur in particulari, ſiue in generali; priuatim, ſiue publico Eccleſiæ nomine, in via, ſiue in patria, ab hominibus, vel Angelis. Eorum namque nullus pro nobis oraret, niſi Spiritus ſanctus noſtræ ſalutis cupidus per illos poſtularet pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hoc auxilij genus S. Thom. Philipp. 1. lect. 2. propè init. colligit ex verbis Pauli. *Scio quia hoc mihi proueniet ad ſalutem per veſtras orationes*, &c. vbi S Thom. *Auxilium*, inquit, *eſt triplex, ſcilicet, ex parte aliorum mutua oratio*, &c. 11.

Octauò pertinere etiam poteſt ad corpus præuenientis gratiæ, humani corporis bona diſpoſitio ad virtutem apta; ſiue per cœlorum influentiam, ſiue per alias cauſas corporeas, vel ſpirituales deriuata: ſemper tamen à diuina prouidentia deſtinata, vt gratiam iuuet, & bonam electionem; à qua diſpoſitione homo dicitur bene natus, ſecundùm modum loquendi frequentem apud Ariſtotelem. Hoc totum notabile per euidentem illationem ſumitur ex S. Thoma 3. contra Gentes cap. 92. 12.

De alijs rebus naturalibus, & externis, quomodo illas Deus ad gratiam præmittat, & qua ratione ad iuſtificationem proſint, tanquam occaſiones, & opportunitates, plura diximus ſuprà diſput. 16. præſertim ſect. 2. & 3. quibus præſens ſectio confirmatur. Nunc ſatis ſit exemplum quod Auguſtinus refert lib. 9. confeſſ. cap. 8. de contumelia cuiuſdam ancillæ, qua tanquam ferro putredinem prauæ cuiuſdam conſuetudinis matris adhuc adoleſcentulæ diuina gratia reſecauit, dicens: *At tu Domine rector cœlitum, & terrenorum ad vſus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum ſæculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ inſania ſanaſti alteram; ne quiſquam cùm hoc aduertit, potentiæ ſuæ tribuat, ſi verbo eius alius corrigatur, quem vult corrigi.* 13.

Omnia denique exteriora bona, ſeu mala (pœnæ, non culpæ) eſſe membra integrantia prædictum corpus gratiæ præuenientis, notauit Anſelmus libro de concordia prædeſtinationis & gratiæ cum libero arbitrio c. 3. col. 4. dicens: *Omnia denique cùm ſubiaceant diſpoſitioni Dei; quidquid contingit homini, quod adiuuat liberum arbitrium ad accipiendum, aut ad ſeruandum hanc, de qua loquor, rectitudinem, ſuæ gratiæ imputandum eſt.* 14.

Idque peculiariter verum eſſe, quando Deus ſpeciali prouidentia rerum euentus ita diſponit, vt liberum arbitrium ad bene operandum adducat, Euſebius lib. 6. de præparatione Euangelica capite 5. poſt medium ita diſſerit: *Prouidentia Dei, vniuerſa ineffabilibus gubernans rationibus, multa etiam eorum, quæ natura fiunt, commutat, auxiliúmque affert, vt ea, quorum nos ſumus cauſa, & eligamus, & operemur.* Obſerua circumlocutionem, qua ſolet Euſebius ibi appellare actiones liberas, ea, quorum nos ſumus cauſa. 15.

16. Rectè igitur Colonienſe Enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis ad parochos, titulo de Sacramento pœnitentiæ fol. 91. cap. *prior gratia*, diſtinguit duplicem gratiam præuenientem, vt altera generalior ſit, *altera ſpecialior, tot habens ſpecies, quot ſunt ſpeciales boni motus, ad reſipiſcendum; veluti ſunt auditio verbi Dei, immiſſio aduerſitatis (quæ ferocientis hominis animum deijcit, & ad Deum reſpicere facit,) remotio occaſionis peccandi, ablatio, ſiu debilitatio tentationis, & id genus alia.*

17. De circumſtantiis externis, quæ iuuant vt arbitrium prouocetur ad cooperandum, & conſequendum prædeſtinationis effectum, maximè de matura morte dicemus tomo ſequenti. Huius etiam exterioris gratiæ, requiſitæ, vt interiorem iuuet, affulſit Platoni aliqua lux dum Socratem introducit in fine dialogi de Pulchro, qui appellatur Phædrus, ita orantem: *O chare Pan, & vos alij, qui hic habitatis Dij, date mihi vt pulcher intrinſecus fiam, & vt ea, quæ extrinſecus habeo, internis ſint amica.* Petit ergo, vt exteriora Deus ea ratione temperet, qua interiorem pulchritudinem foueant & protegant.

18. *De lege ordinaria exterior gratia requiritur.* Secunda concluſio. De lege ordinaria ſimpliciter neceſſaria eſt aliqua exterior gratia; ita vt ſine illa non præbeatur interior vocatio & illuſtratio.

Probatur Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodo audient ſine prædicante?* Vbi omnes expoſitores agnoſcunt exteriorem doctrinam de lege ordinaria eſſe ſimpliciter neceſſariam: de quo videndus eſt præſertim Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. colum. 6. & lib. annotationum in Iob cap. 6.

19. Confirmatur, quia licèt ſcientia legis non ſit abſolutè neceſſaria, nihilominus breuis, & compendioſa explicatio myſteriorum fidei eſt ſimpliciter neceſſaria. *Præoccupatur obiectio ex Auguſtino.* Vtrumque membrum probatur, & pariter præoccupatur obiectio, quæ ſumi poteſt ex Auguſtino lib. de geſtis Pelagij cap. 1. à medio, vbi ſic loquitur: *Profectò admonemur adiutoriorũ genera eſſe duo, alia quippe ſunt ſine quibus illud, ad quod adiuuant, effici non poteſt, ſicut ſine naui nauigat nemo; nemo ſine voce loquitur; nemo ſine pedibus graditur; nemo ſine luce intuetur; & multa huiuſmodi: vnde eſt etiam illud, quod nemo ſine Dei gratia rectè viuit. Alia verò ſunt adiutoria, quibus ſic adiuuamur, vt etiamſi deſint, poſſit alio modo fieri, propter quod ea requirimus: ſicut illa ſunt, quæ commemoraui: tribula ad fruges terendas, pædagogus ad puerum ducendum, medicamentum humanitate confectum, ad recipiendam ſalutem, & cætera talia. Quærendum eſt igitur, ex quo duorum iſtorum generum ſit legis ſcientia, id eſt, quomodo adiuuet ad non peccandum; ſi eo modo, vt ſine illa hæc non poſſit impleri, non ſolum Pelagius verum reſpondit in iudicio, ſed etiam verum ſcripſit in libro; ſi verò eo modo, vt adiuuet quidem ſi adfuerit, poſſit tamen illud ad quod iuuat, alio modo fieri; etiamſi iſta defuerit: verum quidem reſpondit in iudicio, quod meritò Epiſcopis placuit, adiuuari hominem ad non peccandum legis ſcientia, ſed non verum ſcripſit in libro, non eſſe hominem ſine peccato, niſi qui ſcientiam legis habuerit.* Ex his planè conſtat primum confirmationis membrum, videlicet, legis peritiam abundantiorem, clarioremque non eſſe ad iuſtificationem ſimpliciter neceſſariam. Aliam verò compendioſam inſtructionem myſteriorum fidei ſimpliciter neceſſariam eſſe fatetur Auguſtinus in eodem libro cap. 2. initio, præſertim notando ſunt illa verba: *Ad hoc ſi fortè Pelagius reſponderet, hanc ipſam ſe dixiſſe ſcientiam legis, ſine qua non poteſt homo liber eſſe à peccatis, quæ per doctrinam fidei Neophytis, atque in Chriſto paruulis traditur, qua etiam baptizandi catechizantur, vt ſymbolum nouerint*, &c. Quam explicationem ſi daretur à Pelagio, duplici ratione refutandam, putauit Auguſtinus ibidem. Prima, quia hæc doctrina non ſolet intelligi ſub nomine *ſcientia legis*. Secunda, quia paruuli per baptiſmum ſine illa iuſtificantur. Quapropter tacitè concedit Auguſtinus adultis, vt credant, & iuſtificentur, prædictam inſtructionem eſſe ſimpliciter neceſſariam.

Sed obiicies, quamuis ad explicitum, ad determinatum aſſenſum fidei ſimpliciter neceſſaria ſit prædicta myſteriorum inſtructio, illa tamen neceſſaria non eſt ad primam illam inchoationem fidei, quæ contingere poteſt barbaris hominibus, penitus deſtructis quacunque doctrina ſupernaturali, imò & Deum eſſe neſcientibus. 20.

Soluitur, & probatur ſecunda concluſio. Huius ſolutio ſit ſecunda probatio concluſionis. Illud etiam primum, ac minimum granum ſynapis, hoc eſt, fidei ſemen & initium, quod per primam præuenientem gratiam prædictis barbarorum mentibus infunditur, de potentia ordinaria prærequirit exteriorem aliquam inſtructionem rudiorem, de qua Pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* & Paulus Actuum 17. poſt medium, quam veritatem abundè probauimus, & explicuimus ſuprà diſputatione 25. ſectione 3. & 4.

Probatur tertiò, nam externa protectio Dei, quæ non patiatur vos tentari ſupra id quod poteſtis, eſt ſimpliciter neceſſaria, ſine qua tentationibus infallibiliter ſuccumberetis ſolo interioris gratiæ præſidio muniti, niſi incomparabiliter excederet eam menſuram, quæ ordinaria lege præbetur. Adde etiam protectionem, ne dæmon vel vitam eripiat, vel à mentis ſtatu deiiciat ante iuſtificationem. Quartò probatur. nam ſacramenta, ſacrificia, & orationes Eccleſiæ de lege ordinaria ſunt requiſita vt hominibus conferatur gratia. 21.

Tertia concluſio. Prædicta neceſſitas exterioris gratiæ non proficiſcitur ex eo quòd aliquid verè, & realiter influat, concauſet, & cooperetur; propriè loquendo ad interiorem gratiam (ſacrificia excipio & ſacramenta.) Hæc concluſio ſatis apertè colligitur ex tota ſect. 2. & 3. vbi Patres conſtanter docent Deum eſſe ſolum, qui operatur interiùs animæ vitam, & plantæ incrementum: medicos autem agricolas, & Doctores ſolummodo extrinſecum aliquid præbere. Id etiam probatum eſt ſuprà diſp. 21. ſect. 6. fine. Hæc concluſio præcipuè dirigitur, ad explodendam recentem opinionem, quæ exiſtimant interiorem gratiam pendere ab exteriori doctrina & conatu miniſtrorum Eccleſiæ, tanquam à cauſa ſine qua non, quæ verè concauſat & cooperatur ad conuerſionem peccatoris, eo modo, quo cibus & reſpiratio cooperantur ad vitam animalis. 22. *Vnde oriatur exterioris gratiæ neceſſitas.* *Recens opinio.*

Probat autem primò ex 2. Corinth. 6. vbi concionator ait: *Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* & 1. Corinth. 3. *Dei adiutores ſumus.* & Pſal. 67. *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Quibus in locis virtus adiuuandi ad iuſtificationem impiorum, Dei verbo, atque eius miniſtris conceditur. 23. *Fundamentum eius primum.*

Reſponde

Digitized by Google

Soluitur. Reſpondetur primò ex aliis teſtimoniis ſacræ Scripturæ conſtare, quòd genus adiutorij tribuendum ſit concionatoribus, ea autem loca retulimus ſect. 2. & 3.

Reſpondetur ſecundò: Poſſumus etiam intelligere, propriè & realiter adiuuare per ſacrificia & ſacramenta, quæ phyſicè producunt gratiam.

Reſpondetur tertiò, vt ad ſequentem obiectionem.

24. *Fundamentum ſecundum.* Probat ſecundò, quoniam verbum Dei à Patribus appellatur cibus, aëris temperamentum, medicamentum ignis, aliiſque ſimilibus appellationibus; quæ licèt metaphoricè, ſignificant tamen vim conſauſandi, & cooperandi aliquid in anima.

Soluitur. Reſpondetur. Quando ſacra Scriptura, vel Patres loquuntur de verbo Dei, & de prædicatione euangelica, non agunt de corpore præciſè ſumpto, id eſt, ſola & nuda exteriori doctrina, ſed de hac prout informata, & viuificata eſt per interiorem animam illius, quæ eſt gratia euangelica. De hoc toto integro propriiſſimè affirmari poteſt, cauſare, & cooperari; ſicut in ſectione prima versùs finem explicuimus Auguſtinum, S. Thomam, alióſque Theologos.

25. Petis ergo, qua ratione neceſſaria eſt exterior gratia.

Reſpondeo propter legem Dei merè extrinſecam, profectam ex ſuaui modo prouidendi, conformi rerum naturis, idque multiplici ratione, quam explicuimus fusè ſuprà diſputat. 16. ſect. 2. & 3.

DISPVTATIO XL.

Vtrùm quoad intrinſecam entitatem ſupernaturalis debeat eſſe gratia operans, ſeu præueniens.

SECTIO I.

Explicatur diſputationis titulus, & grauiorum Scholaſticorum mens quàm ſit ambigua.

1. HVIC diſputationi valde ſimilis, atque affinitate coniuncta eſt alia, de actibus moraliter bonis, & quantum ad intrinſecam entitatem merè naturalibus; vtrùm ſufficiant ad iuſtificationis initium. Nihilominus præſens quæſtio ita diſtincta eſt ab illa, vt licèt ei ſatisfeceris, adhuc reſtet difficultas, in præſentis quæſtionis veritate eruenda, vt magis explicatum eſt ſuprà diſput. 25. ſect. 1. num. 14. Atque ex eadem diſput. ſuppono multa, quæ ad rei præſentis clariorem notitiam plurimum conferunt.

2. In diſputationis titulo *entitatem* dixi, non *ſubſtantiam*, vt diſputationem præſentem ſubducam, & abſtraham ab illa quæſtione, quibuſlibet operationibus ſupernaturalibus communi: vtrùm ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam, vel quoad modum; de qua nihil opus eſt in præſenti diſputare, quoniam ſiue tota operationis ſubſtantia, ſiue tantùm aliquis illius modus ſupernaturalis ſit; illud tamen apud Theologos certum eſt, aliquam intrinſecam entitatem operationis noſtræ ſupernaturalem eſſe, debere, ſaltem in actibus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ: vt notatum eſt ſuprà diſput. 23. præcipuè num. 5. id quod præſenti inſtituto ſufficit, & expeditum manet à difficultatibus alterius quæſtionis, quam omittimus.

Hoc ſuppoſito quæritur in præſenti, vtrùm ſimiliter debeant eſſe ſupernaturales quoad intrinſecam entitatem illæ intellectiones, & volitiones ſubitæ, & indeliberatæ, in quibus conſiſtit gratia operans, ſeu præueniens ſuprà diſp. 30. & 31. 3.

Multi ex grauiſſimis Scholaſticis exiſtimare videntur, ad iuſtificationis initium ſatis eſſe operantem, ſeu præuenientem gratiam, quæ ſit entitatiuè naturalis: nec requiri gratiam entitatiuè ſupernaturalem. Ita ſaltem aliquando ſenſiſſe videtur Albertus 2. parte quæſt. 18. prope finem, & in 2. diſput. 28. art. 1. ad 4. cuius verba retulimus ſuprà diſput. 21. ſect. 2. num. 2. & clarius adhuc Alexander 3. parte quæſt. 69. mem. 3. art. 3. prope finem, & memb. 5. art. 3. ad 6. & 2. parte quæſt. 129. memb. 8. §. 1. vt fuſiùs eadem diſput. 21. ſect. 2. num. 2. à numero 25. Guiller. Pariſienſis 1. parte versùs fin. tract. de meritis col. 4. vt in eadem ſect. 2. num. 30. retulimus. Altiſiodorenſis lib. 2. tract. 1. cap. 1. quæſt. 4. vt in eadem ſect. 2. fine retulimus. 4. *Prima ſententia.*

Eiuſdem ſententiæ fuiſſe videtur S. Thomas de veritate quæſt. 24. art. 15. corp. illis præſertim verbis: *Si autem omnibus datur, non videtur aliud eſſe, quam aliquod naturale donum. Nam in nullo inueniuntur omnes homines conuenire, niſi in aliquo naturali*, & quæ ſequuntur; atque iterum illis verbis: *Si autem per gratiam gratis datam intelligant diuinam prouidentiam, qua miſericorditer homo ad bonum dirigitur; ſic verum eſt, quòd homo ſine gratia non poteſt ſe præparare ad gratiam gratum facientem.* 5.

Clariùs idem Angelicus Doctor in 2. diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 4. docet, non requiri diſpoſitionem excedentem vires naturæ; ſed hanc ſententiam fusè tractauimus diſp. 21. ſect. 2. vbi oſtendimus, eandem fuiſſe ſententiam ſancti Bonauenturæ, idque ſcitè obſeruauit Carthuſ. in 2. diſtinct. 28. quæſt. 2. initio, vtriuſque Doctoris Angelici & Seraphici doctrinam ſimul complexus. 6.

Doctores, quibus hæc ſententia frequentiùs adſcribitur, ſunt Marſilius, Maior, & Gregorius Arimin. quorum verba id clariùs ſonant, iis proximus eſt Gerſon; quorum teſtimonia ſigillatim expendimus ſuprà diſput. 21. ſect. 4 à num. 16. 7.

Inſuper negari non poteſt, quin eidem ſententiæ fauere videantur quamplurimi Scholaſtici, & ipſe etiam S. Thom. 1. 2. quæſt. 89. S. Bonauentura, Albert. Alexand. Guiller. Pariſienſ. & Altiſiodorenſis nuper citati. S. Antoninus, Raynerius, Ægidius, Palud. Capreol. Deza, Caietan. Conradus ſenior citati diſput. 21. ſect. 4 quoniam ij Doctores quibuſdam in locis non aliam gratiam videntur exigere ad iuſtificationis initium, niſi quæ ſit ſpecialis motio Dei ad bonum: ſignificant autem ſufficere; quamuis ad naturale bonum iuxta dictamen rationis naturalis moueat. 8.

Qua ratione his addere poſſumus cæteros omnes Doctores, qui humanis actionibus factis per vires naturæ clariùs concedunt vim diſponendi, aut impetrandi, aut obtinendi gratiam. Nimirum Scotus, Durandus, Richardus, Hen- 9.

by Google

ricus, Bachn, Ocham, Gabriel. Dionyſ. Carthuſ. & Ciſterc. Argentina, Nicolaus de Orbellis, & Michael à Bononia, quorum ſententias retulimus eadem diſput. 21. ſect. 4. Inſuper Hadrian. Albertus, Pighius, Caſtro, Ioannes de Medina, & Michael de Medina, Vega, Victoria, Cano, Soto, Viguerius, Delphinus, Corduba citati in eadem diſput. 21. ſect. 5.

10. Nunc verò ex eadem ſententia colligi, minimè neceſſariam eſſe gratiam operantem, ſeu præuenientem, quæ quoad intrinſecam entitatem ſit ſupernaturalis, ſic oſtendo. Gratia operans, ſeu præueniens requiritur maximè, vt ſit primum principium excitans, & mouens totam illam ſeriem actuum concatenatorum, qui requiruntur ad iuſtificationem: ſed dato merito, & impetratione de congruo, quæ ſunt entitatiuè naturalia, iam datum eſt ſufficiens principium, mouens ad totam ſeriem aliorum actuum, quia per merita de congruo, & impetrationem obtinemus vlteriora auxilia, & nos ipſos applicamus ad illorum vſum. Ergo iam eſt data gratia operans, ſeu præueniens. Rurſus gratia, quæ excitauit ac præuenit ad opera moraliter bona, potuit eſſe eiuſdem ordinis cum illis actibus; ac proinde entitatiuè naturalis tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad omnem modum, ſibi intrinſecum (quamuis per ſupernaturalem aliquam prouidentiam diſpenſetur.) Nam actus, qui ſunt gratia præueniens, vt plurimùm ſunt imperfectiores, quàm actus, ad quos excitant; nunquam tamen, aut ferè nunquam ſunt perfectiores: aut certè non eſt ſimpliciter neceſſarium, perfectiores eſſe, ſi congruam rerum concatenationem attendamus.

11. Argumenta, quæ contendunt, ſufficere operantem gratiam, quæ ſit entitatiuè naturalis, dummodo per ſupernaturalem prouidentiam detur, quaſi non debita naturæ, abundè diſp. 23. ſect. 6. ſoluta ſunt, immò etiam in tota illa, & præſenti diſput. dantur fundamenta, vnde prompta ſe offert eorum ſolutio.

Fundamentum. Illud autem omnium difficillimum argumentum eſt, quia ſufficiens auxilium ad credendum, conceditur quibuſcumque adultis, quantumcumque barbaris, remotiſque à quacunque humana & Angelica doctrina de rebus ſupernaturalibus; immò & Deum eſſe, inuincibiliter ignorantibus. Talibus autem nulla videtur incidere cogitatio entitatiuè ſupernaturalis. Sed huic difficultati ſatisfaciemus hac tota diſput. 40.

12. *Secunda ſententia.* Sed è contrario iidem Doctores, quos nuper retulimus, in eiſdem, vel in aliis locis exiſtimare videntur, ad iuſtificationis exordium neceſſariam eſſe talem gratiam operantem, & præuenientem, quæ ſecundùm intrinſecam ſibi entitatem ſit ſupernaturalis. Ita ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 109. artic. 6. corpore, ſatis ſignificat, eſſe debere auxilium ſupernaturale quoad intrinſecam entitatem; illis verbis: *Oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam mouentis, ſiue inſpirantis bonum propoſitum.* Nam gratuitum propriè non dicitur, niſi quod entitatiuè ſupernaturale eſt, & inſpiratio, quamuis fortè aliquando etiam naturalem cogitationem, impulsúmque ſignificet; cæterùm propria atque magis vſitata Theologorum acceptione ſupernaturale quiddam ſonat.

13. Colligitur ex eo quod ait, ſecundùm ordinem agentium, ſiue mouentium, eſſe ordinem finium. Vnde infert, motoris vniuerſalis eſſe mouere, & agere ad finem vniuerſalem: ergo ſupponit etiam, motoris ſupernaturalis, vt ſupernaturalis, eſſe mouere ad finem ſupernaturalem; ac proinde per motionem entitatiuè ſupernaturalem.

Hæc eadem mens eſt D. Bonauenturæ in 2. diſtinct. 28. art. 2. quæſt. 1. corpore, dùm probat neceſſariam eſſe talem gratiam præuenientem, & excitantem, quæ ſit ſuperior tota natura, & gratis data, proportionatáque ſupernaturali gratiæ ad quam diſponit. Clariùs adhuc loquitur Ægidius eadem diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 5. §. *viſa conuenientia*, & in eiuſdem quæſtione prima art. 4. in dubio laterali. & diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 1. circa finem, & quæſt. 1. art. 5. §. *ad quod dici poteſt.* 14.

Richardus eadem diſtinct. 28. art. 1. quæſt. 2. corpore, & ad argumenta ad diſpoſitionem propinquam, & remotam. Vnde incipiat iuſtificatio, *requirit ſupernaturalem cognitionem, & deſiderium, & ſpecialem motionem Spiritus ſancti.* Quod idem ſumitur apertè ex præcedenti quæſt. 1. eiuſdem articuli. 15.

Argentina 2. diſtinct. 28. quæſt. vnica, art. 2. prope initium ait: *Forma ſupernaturalis, puta, gratia non inducitur in animam adulti hominis ſine ſupernaturali agente, ſupernaturaliter mouente animam.* Agit autem de motionibus, quibus homo inducitur, vt iuſtificationi liberè conſentiat. Carthuſ. in 2. diſtinct. 28. quæſt. 2. initio ſequitur eandem ſententiam, quam nuper ex S. Thoma 1. 2. & S. Bonauent. 2. diſtinct. 28. retulimus num. 12. 13. & 14. 16.

Rectè etiam circa eundem articulum ſentire videtur Capreolus 2. diſtinct. 28. quæſt. vnica, art. 1. concl. 5. non ſolùm quia ſequitur S. Thomam 1. 2. quæſt. 109. art. 6. referens eius verba; ſed etiam quia motionem Dei gratuitam, dicit, requiri: & in fine totius diſtinctionis 28. dicit, non ſufficere bonum morale, quod nihil habet de gratuito, neque tendit in aliquid ſupernaturale. Inſuper in ſequenti diſtinct. 29. art. 1. conc. 4. in med. ait, non ſufficere influentiam generalem; ſed requiri auxilium gratiæ ad bonum, quod excedit naturæ humanæ facultatem: idque probat ex S. Thoma de veritate quæſt. 24. art. 14. Clariùs eandem doctrinam tradit Deza in eadem diſt. 28. art. 3. notab. 2. 17.

Conradus 1. 2. quæſt. 109. toto art. 6. præſertim vbi ponderat illa verba S. Thomæ *per auxilium gratuitum*, clariùs adhuc quàm S. Thomas, ſignificat hoc auxilium eſſe ſupernaturale, quoad intrinſecam entitatem: præſertim verò, quia quæſtione 111. art. 2. & 3. frequenter hanc ſpecialem motionem Dei appellat gratiam operantem, & præuenientem. Caietanus etiam in eadem quæſt. 109. art. 6. versùs finem videtur idem ſentire, dum requirit ſpecialem motionem Dei, vt authoris ſupernaturalis gratiæ. 18.

Idem ſupponere videntur communiter recentiores, quoties huiuſmodi gratiam præuenientem appellant ſupernaturalem, & eiuſdem ordinis cum actibus fidei, ſpei, & charitatis; ſeu proportionatam ad illos; & quoties vtuntur aliis loquendi formulis, ſtatim explicandis in ſect. 2. num. 3. Peculiariter Soarez, quamuis in lib. de auxiliis cap. 4. num. 12. retulerit quaſi probabilem multorum opinionem, qui exiſtimant motus gratiæ excitantis non eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm in modo, 19.

quo

quo ex ſpeciali prouidentia, & ordinatione tribuuntur, vt excitent ad actus ſupernaturales: cæterùm in 1. parte libro 2. de cauſa prædeſtinationis cap. 16. & ſequentibus, præſertim capite 19. ex profeſſo probat, præuenientem gratiam debere eſſe ſupernaturalem quoad realitatem ſibi intrinſecam.

SECTIO II.

Quoad intrinſecam ſibi entitatem ſupernaturalis debet eſſe gratia operans, ſeu præueniens.

1. *Concluſio affirmatiua.* HÆc ſupernaturalitas, quoad entitatem intrinſecam & realem, ſimpliciter neceſſaria eſt ad rationem gratiæ operantis, præuenientis, ſeu excitantis; ita vt quælibet operatio, cuius tota entitas ſit merè naturalis, quamuis virtute ſupernaturalis auxilij, & dirigente ſupernaturali prouidentia producatur; & quamuis circa obiectum ſupernaturale verſetur, nihil prorſus valear ſubeundo muneri gratiæ operantis, præuenientis, ſeu excitantis; quoniam ad nullam actionem excitare poterit, quæ ſit vtilis ad iuſtificationis initium, vel progreſſum.

2. *Eius certitudo.* Hæc deciſio eſt ita certa, vt de illa dubitare non audeam, nullúſque, vt ſperamus, audebit, qui bene perpenderit, quàm efficaciter oſtendatur, fuiſſe hanc mentem Auguſtini, Conciliorum, & Patrum, quoties gratiæ operantis, ſeu præuenientis neceſſitatem contrà Pelagianos, aut contra eorum reliquias propugnabant. Vnde veriſimilius eſt, idem ſenſiſſe antiquos Scholaſticos communiter, præſertim locis notatis in ſect. præced num. 12. & ſequentibus.

3. Pro cuius explicatione ſuppono primò eſſe aliquas loquendi formulas, quas ſummorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum non minus conſtans, quàm frequens vſus impoſuit, vt ſemper ſignificent ſupernaturalitatem intrinſecam actui. Tales ſunt quæ ſequuntur formulæ.

Loquendi formulæ. *Fit per gratiam Chriſti, fit per Chriſti redemptionem, fit per infuſionem, per inſpirationem, per illuminationem, ſiue illuſtrationem, per operationem Dei, vel Spiritus ſancti, per gratiam præuenientem, per miſericordiam præuenientem per vocationem, aut exhortationem Dei, eſt donum Dei, ſeu donum Spiritus ſancti mouentis, non eſt noſtrum, totum eſt Dei; non redditur nobis, ſed donatur, non obtinetur per liberum arbitrium, aut per humanos conatus, aut per naturales vires, abſque gratia ad illam actionem eliciendam infirmum, & inualidum, & non liberum eſt arbitrium ſine gratia, voluntas præparatur à Domino, dante ſuauitatem, Deus præſtat vt velimus, non eſt volentis, nec currentis, nullus ſe ipſum ab alio diſcernit per bona opera: ideo de illis non eſt gloriandum, Deus bonam actionem operatur in nobis, agit nos ad illam*, & quædam aliæ loquendi formulæ his ſimiles, vt videre licet in omnibus Patribus & Conciliis, quæ citauimus ſuprà tota diſput. 17. præſertim Mileuitano Concilio can. 4. & 5. & Africano can. 80. & Arauſicano ſecundo à can. 3. vſque ad finem, & Tridentino tota ſeſſ. 6. præſertim cap. 5. & 6. & can. 2. 3. & 4. & Decretalibus epiſtolis Cæleſtini, Innocentij, & Leonis, quas retulimus in prædicta diſp. 17. ſect. 2.

4. *Earum vis, & ſignificatio.* Suppono ſecundò talem ineſſe vim & ſignificationem prædictis formulis, qualem in principio præcedentis numeri notauimus. Quod inde probatur efficaciter, quoniam illæ ſufficientes ſunt, vt nullus Theologorum iam negare audeat, actus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ eſſe ſupernaturales quoad intrinſecam entitatem (ſiue modus ſit, ſiue ſubſtantia, id quod ſupernaturale eſt) neque aliæ formulæ loquendi clariores de hac re leguntur apud Concilia & Patres: vt conſtabit legenti totum Concilium Arauſicanum ſecundum, & Mileuitanum, præſertim capite 4. & 5. & Tridentinum tota ſeſſ. 6. præſertim capite 5. & 6. & canone 2. 3. & 4.

Confirmatur, quoniam iam apud Theologos certum eſt, in ſe formaliter, & entitatiuè ſupernaturalem eſſe debere attritionem, quæ cum ſacramento Pœnitentiæ ſufficit ad iuſtificationem; idque eo maximè fundamento, quoniam Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. circa medium aſſerit, *eam eſſe donum Dei, & impulſum Spiritus ſancti, mouentis animam.* & quoniam indigere gratia, atque per naturales vires non poſſe fieri, ſicut oportet, conſtat ex doctrina Conciliorum, & Patrum, dicentium, neminem poſſe ad gratiam ſe præparare, niſi motum à præueniente gratia, vt vidimus ſuprà diſput. 17. 18. & 19. Ergo eiuſmodi phraſes ſignificant aliquam realitatem, quæ ab intrinſeco ſit ſupernaturalis, vt fuſiùs ponderauimus ad aliud propoſitum ſuprà diſputatione 23. 5.

Ex his tertiò infero, à fortiori eſſe ſupernaturales quoad entitatem intrinſecam illos actus, qui ſunt ipſamet inſpiratio, illuſtratio, infuſio, impulſus, motio Spiritus ſancti, gratia præueniens, & operans, ac de quibus prædicantur cæteræ omnes appellationes nuper enumeratæ. Probatur conſequentia, quoniam actus, procedentes ab vno principio naturali, ſcilicet, libero arbitrio, ex eo ſolùm, quòd neceſſariò poſtulent illud aliud principium, quod appellatur infuſio, inſpiratio, vel gratia, habere debent ſupernaturalitatem ſibi intrinſecam, vt Theologi colligunt; ergo illud principium quod vnum ſufficit vt probet prædictam ſupernaturalitatem intrinſecam, erit intrinſecè ſupernaturale. 6.

Confirmatur, quia ſi illud principium eſſet quoad intrinſecam entitatem naturale, ex illo ſolo non ſumeretur ſufficiens argumentum, ad colligendam intrinſecam ſupernaturalitatem in actu.

His ſuppoſitis, de qualibet ſubita & indeliberata operatione intellectus & voluntatis, qua excitamur ad iuſtificationem, & ſic argumentor. 7. *Concluſio probatur.* Illa operatio à Conciliis & Patribus appellatur infuſio, inſpiratio, illuminatio, motio, impulſus Spiritus ſancti, donum Dei mouentis, gratia præueniens, data per Chriſtum, & ſimilibus aliis nominibus: aut certè Concilia & Patres dicunt, prædictam operationem non poſſe fieri, niſi per inſpirationem, infuſionem, illuſtrationem, motionem, impulſum, & donum Spiritus ſancti. At ex vtroque modo loquendi colligitur ſupernaturalitas quoad intrinſecam entitatem, vt ex 2. & 3. fundamento conſtat. Ergo prædicta operatio excitans, & præueniens, eſt ſupernaturalis quoad intrinſecam entitatem.

Huius argumenti antecedens apertè ſumitur ex dictis tota diſputatione 29. 30. & 31. ſed præſertim ex Tridentino ſeſſione 6. cap. 5. & 6. vbi vocationem appellat gratiam præuenientem & excitantem, à qua ſumitur iuſtificationis initium, & canone 4. appellat præuenientem Spi- 8.

ritus ſancti inſpirationem. Arauſicanum Concilium ſecundum canone 4. & 6. decernit, *voluntatem, vt purgari velimus, fieri in nobis per ſancti Spiritus infuſionem, operationem, inſpirationem, & gratiæ donum.* & canone 7. docet prædictam voluntatem exiſtere non poſſe, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti. & canone 13. eandem voluntatem fieri per gratiam Baptiſmi. & canone 15. per gratiam Dei. Eodem modo loquitur Cæleſtinus Papa in epiſtola 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 12. aliique Summi Pontifices atque plurimi Patres, quorum teſtimonia ſparſim retulimus præcedentibus diſputationibus, præſertim diſputat. 17. & ſequentibus, maximè diſput. 28.

9. Hæc primaria ratio multis confirmatur, primò, quoniam illæ operationes, in quibus conſiſtit gratia operans, ſunt per ſe infuſæ, vt conſtat ex prædictis modis loquendi; ergo ex ſua intrinſeca ratione ſpecifica ſunt ſupernaturales. In hoc enim diſtinguuntur operationes per ſe infuſæ ab illis, quæ infunduntur per accidens.

10. Confirmatur ſecundò, quoniam ad hoc non ſufficit eſſe productas à Deo ſupernaturali modo producendi: imò neque ſufficit eſſe tales operationes, ad quas propter ſuam excellentiam, vel difficultatem nunquam perueniant naturales vires: cuiuſmodi ſunt pleræque ſcientiæ naturales, naturali demonſtratione concludentes, quas Deus infundere poteſt, & infundit aliquibus hominibus: ſed ſunt infuſæ per accidens, propterea-que non dicuntur abſolutè ſupernaturales, & eiuſmodi ſunt etiam quidam actus heroici virtutum moralium infra ordinem naturæ.

11. Confirmatur tertiò, quoniam ſi Deus institueret ſtatum hominum in puris naturalibus, præberet auxilia ad eiuſmodi operationes, quæ modò non poſſunt fieri per vires naturæ: & tamen nullus concedet eas operationes in eo caſu eſſe per ſe infuſas, neque eſſe ſupernaturales, neque eſſe gratiam, neque eſſe infuſionem, inſpirationem, & donum Spiritus ſancti, neque ſuperare vires naturæ: alioqui diceret iam eum ſtatum non eſſe puræ naturæ, ſed habere gratiam. Ergo prædictæ formulæ, relatæ ad gratiam operantem, & præuenientem, plus aliquid ſupernaturalitatis probant vltra extrinſecam productionem à Deo ſupra vires naturæ.

12. Confirmat quartò, quoniam Angelus ſine vllo auxilio ſupernaturali elicere poteſt operationes intellectus & voluntatis longè perfectiores extrinſeca ratione ſpecifica quibuſcunque noſtris operationibus per accidens infuſis: nihilominus Theologorum nemo concedet, Angelum habere per illas operationes proportionatum principium excitans & præueniens, ad gratiam: ergo hæc gratia requirit operationes, quæ ex ſua intrinſeca ſpecie, & entitate ſint ſupernaturales & infuſæ.

13. Confirmatur quintò, quoniam primum mouens in aliquo genere non debet eſſe inferioris ordinis, quàm ea, quæ mouet, ſed quæcunque operatio quoad totam intrinſecam entitatem naturalis, quamuis per ſupernaturale auxilium eliciatur, erit ab intrinſeco inferioris ordinis, quàm iuſtificatio ſupernaturalis & diſpoſitiones illæ: ergo erit improportionata, vt ſit primum mouens ad reliquas omnes operationes ſupernaturales, requiſitas ad iuſtificationem: at verò prima gratia præueniens & excitans eſt primum mouens ad cæteros actus ſupernaturales.

Confirmatur ſextò, quoniam hac ratione Concilia & Patres negant, humanas & naturales operationes eſſe initium iuſtificationis, quoniam ſunt improportionatæ, & inferioris ordinis.

Confirmatur ſeptimò, quoniam in huiuſmodi operationibus gratiæ operantis maximè elucet potentiſſima vis gratiæ, & valde exigua debiliſque potentia naturalium virium: ergo prædictæ operationes debent eſſe ab intrinſeco gratuitæ & ſupernaturales, potiori iure quàm reliquæ. 14.

Octauò confirmatur verbis Auguſt. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas, de qua Ioannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo* 1. *Ioan.* 4. *eſt. Neque initium eius ex nobis, & perfectio eius ex Deo: ſed ſi charitas ex Deo, tota nobis ex Deo eſt.* Vbi ex toto præcedenti atque ſequenti contextu apertè conſtat agere Auguſtinum de illa cupiditate boni, quæ eſt gratia præueniens, & excitans. Quapropter ſicut charitas ex Deo eſt, tanquam ex ſupernaturali cauſa efficiente, ſibi per ſe debita, propter ſuam intrinſecam quidditatem ſupernaturalem: ita etiam illa gratia præueniens, eodem perfectionis genere, debet poſtulare, eſſe ex Deo, tanquam ex ſupernaturali cauſa efficiente, ac ſubinde ſupernaturalis eſſe debet quantum ad intrinſecam realitatem. 15.

Obiiciunt docti recentiores. Donum perſeuerantiæ vſque ad finem vitæ, licèt breui tempore duret, eſt gratia per Ieſum Chriſtum, & de illa loquuntur Patres, ſicut de aliis rebus, quæ ſine gratia fieri nequeunt: & tamen perſeuerantia, breui tempore durans, non ſemper indiget gratia, quæ ſit entitatiuè ſupernaturalis; ergo cogitationem & inſpirationem entitatiuè ſupernaturalem eſſe debere ſemper, non benè colligitur ex eo, quòd ſit gratia per Ieſum Chriſtum, & ex aliis nominibus, poſitis num. 6. & ſequentibus. 16.

Reſpondetur primò. Perſeuerantia breui tempore durans abſque grauibus, aut frequentibus tentationibus, eſt donum & gratia per Ieſum Chriſtum, non quidem gratia intrinſecè inhærens iuſto, ſed gratia protectionis extrinſecæ. Quemadmodum Auguſtinus lib. Quinquaginta homiliarum homil. 23. col. 3. docuit Dei gratiam eſſe, quòd defuerit ſuaſor, aut locus, aut tempus ad committendum peccatum: vt probatum eſt in præced. diſput. ſectione 4. num. 6. & ſequentibus. 17.

Patres itaque non eodem modo loquuntur de huiuſmodi gratia, quæ conſiſtit in protectione prorſus extrinſeca. Hæc enim non infunditur, nec inſpiratur, nec eſt illuſtratio, motio impulſus, cogitatio, aut actio. Quapropter quod ſequenti diſputatione ſect. 4. probamus, iuſtis, vt perſeuerent in gratia, neceſſarias eſſe illuſtrationes, & inſpirationes ſupernaturales, intelligendum eſt de perſeuerantia diuturni temporis, aut occurrentibus difficilioribus tentationibus, quibus conſonat doctrina de perſeuerantiæ munere, quam S. Thom. Caiet. & Ferrarienſis tradunt alibi à nobis relati. 18.

Reſpondetur ſecundò. Perſeuerantia, breui tempore durans abſque difficultate, eſt donum & gratia quaſi modus accidentalis, & circumſtantia, ſeu conditio gratiæ, quam ſupponit

veluti

veluti ſubſtantiam, & fundamentalem gratiam. Hæc enim gratia eſt collectio habituum ſupernaturalium, qui conſtituunt hominem fidelem iuſtum, & amicum Dei. Quorum omnium infuſio continuata, ſeu conſeruatio eſt entitatiuè ſupernaturalis gratia: cui accedit conditio, & circumſtantia protectionis, remouentis occaſiones peccandi, & maturè rapientis per mortem, ne malitia mutet intellectum eius. At verò donum & gratia, quod non eſt quaſi ſubſtantia & fundamentum, ſed quaſi modus accidentalis, & circumſtantia gratiæ, non ſemper eſt entitatiuè ſupernaturalis, & inhærens animæ; ſed quandoque eſt entitatiuè naturalis, vel extrinſecè denominans: quemadmodum de opportunitatibus, requiſitis ad finem prædeſtinationis obtinendum, videbimus tomo ſequenti. Nunc ſufficiat, in hoc genere gratiæ numerare exteriorem prædicationem, correctionem, flagella, exempla & alia huiuſmodi, præſertim verò Dei voluntatem dandi vocationem, illuſtrationem & ſuauitatem ſub illis circumſtantiis, ſub quibus præſcit adhibendum eſſe conſenſum.

SECTIO III.

Non eſſe gratiam præuenientem cogitationem, quantumcumque opportunam ad opus moraliter bonum, niſi fuerit ſupernaturalis quoad intrinſecam realitatem.

1. *Quorundam opinio.* SVprà diſputatione 23. ſectione 1. retulimus opinionem quorundam recentiorum, exiſtimantium, eſſe propriè atque dogmaticè gratiam præuenientem; ac ſubinde ſufficere ad initium iuſtificationis, quandam cogitationem congruam, quæ ſecundùm ſuam entitatem intrinſecam naturalis eſt, atque ad actum eodem modo naturalem, & moraliter bonum inclinat: cæterùm datur propter merita Ieſu Chriſti Domini noſtri. Ad cuius ſententiæ refutationem ſufficere poſſent rationes adductæ in eadem diſputatione 23. ſectione 2. 3. & 4. Eædem namque ex obliquo militant contra huiuſmodi gratiam præuenientem: præterea ſufficere poſſent rationes, quibus ſectione præcedenti, generaliter probauimus, nullam eſſe gratiam præuenientem, niſi quantum ad intrinſecam entitatem ſupernaturalis fuerit. Cæterùm tanti momenti eſt veritas, quam defendimus, támque nouus eſt modus ab illa deficiendi, quem nuper retulimus, vt operæpretium ſit; contra illum ſigillatim diſputare.

2. *Refellitur primò.* Sit ergo ratio prima, quia beneficium illud congruæ cogitationis eſt debitum naturæ intellectuali, & non tranſcendit ordinem & prouidentiam naturalem; ergo non eſt gratia propriè atque dogmaticè, qualem Concilia requirunt ad iuſtificationem.

Confirmatur primò. Explicatur, & confirmatur primò recolendo ex peculiari libro de quidditate gratiæ diſputatione 2. ſectione 3. cuicumque naturæ deberi connaturalitatis debito illum concurſum Dei, qui neceſſarius eſt, vt actiones ſibi connaturales operetur, & propriam ſibi perfectionem conſequatur, quemadmodum igni debetur concurſus vt calefaciat, comburat, & ſurſum aſcendat. Hoc autem genus debiti gratiæ repugnare oſtendimus in eodem libro tota diſputatione 2.

Cogitatio congrua debetur naturæ. Nunc verò cogitationem congruam, ad operandum bonum, deberi naturæ intellectuali, demonſtratur, quoniam libera poteſtas eligendi bonum, naturali rationi conſonum, aut eligendi malum, eſt debita naturæ intellectuali non minus, quàm igni debita eſt vis calefaciendi, & aſcendendi ſurſum. Ergo eidem naturæ intellectuali non minus debetur concurſus neceſſarius ad hanc liberam poteſtatem: hic autem concurſus includit cogitationem illam congruam & opportunam.

Confirmatur ſecundò, quia naturæ debitum eſt, quidquid Deus illi negare non poteſt ſecundùm prudentem gubernationem: contra quam planè foret creaturam intellectualem producere, ita deſtitutam quacunque cogitatione congrua, vt neceſſarium, aut infallibile foret, eam creaturam peccare in quolibet actu libero; ac proinde ſemper operari actionem contrariæ ſuæ naturæ, & nullam vnquam operari actionem ſuæ naturæ conſentaneam, vt oſtendimus præcedenti tomo de voluntate Dei diſp. 40. ſect. 3. & ſequentibus. 3.

Confirmatur tertiò, quia ſi fortè id poſſibile fuiſſet, per accidens permitti in aliquibus indiuiduis, vel propter culpas contractas, vel propter cauſas naturales impedientes: cæterùm cuicumque indiuiduo naturæ humanæ, reſpectu cuiuſque actionis honeſtæ, & quocumque tempore, denegare cogitationem ita neceſſariam, vt ſine illa nunquam eliciendus ſit actus honeſtus, hoc diuinæ ſapientiæ atque bonitati repugnat. Quòd ſi vel vni tantùm indiuiduo naturæ humanæ debita eſt eiuſmodi cogitatio, id ſatis erit, vt quidditatiuè non ſit gratia: ac proinde comparatione cæterorum omnium indiuiduorum non erit gratia. 4.

Confirmatur quartò, quoniam ad authorem naturæ pertinet, immittere primam cogitationem, & primum impulſum voluntatis, prorſus indeliberata, vt inde poſſit deliberatio inchoari, ſicut ex Ariſtot. S. Thom. & communi Doctorum ſententia oſtendemus infrà diſput. 42. ſect. 3. & ſequentibus. Cùm autem naturæ author non poſſit ad malum inclinare; conſequens eſt vt cogitatio, & impulſus, immiſſi ab authore naturæ, quod ex ſe eſt, ad bonum potius, quàm ad malum inclinent. Iam igitur author naturæ, in quantum talis, tenetur, præbere cogitationem & impulſum, inclinantem ad bonum. 5. *Deus debet immittere primam cogitationem.*

Reſpondet oppoſita ſententia. Non tenetur author naturæ, ita præbere hanc cogitationem & impulſum, vt ſint opportuna, ad perſuadendum efficaciter bonum. Sed hæc ſolutio redarguitur, quia tenebitur ſaltem non adhibere ſtudium, vt data opera quærat importunitatem, opportunitati contrariam ſemper & in omnibus actionibus: ita vt nulla prorſus bonarum actionum, ad quas Deus per ſe inclinat, ſortiatur effectum, ſed ſolummodo efficaciter fiant turpes actiones. Hoc enim ſtudium, data opera, circa omnes actiones, & omni tempore adhibitum, pugnat cum primaria voluntate, qua naturæ author, in quantum talis, præoptat, vt creatura rationalis bonum potius, quàm malum eligat, vt ſimilior, & honorabilior ſit authori, & ipſa ſuam naturalem felicitatem conſequatur. 6. *Contraria ſententia reſponſio redarguitur.*

Confirmatur quintò, quia quamuis nulla congrua cogitatio boni deberetur naturæ humanæ; ex eo ſolùm quòd illi deberetur boni cogitatio incongrua, vt nuper demonſtratum eſt, ſufficienter probaretur, tam cogitationem congruam, quàm incongruam non eſſe propriè & dogmaticè 7.

gratiam præuenientem. Quoniam gratia præueniens eſt veluti genus indifferens, vt ſit congrua, vel incongrua: & ad quemcumque actum datur gratia præueniens congrua, & quæ præſcitur pro futura, poteſt dari gratia præueniens, incongrua, & quæ præſcitur effectu caritura. Quamobrem cùm omnis incongrua cogitatio, excitans ad naturalem actum moraliter bonum, indigna ſit nomine gratiæ præuenientis, conſequens eſt, vt quælibet etiam cogitatio congrua, ad eundem actum requiſita, indigna ſit nomine gratiæ præuenientis.

8. Confirmatur ſextò, quoniam eiuſdem omnino generis ſunt gratia præueniens, quæ præſcitur fructificatura, & gratia præueniens, quæ præſcitur in vacuum eſſe recipienda. Quocirca ſi quælibet congrua cogitatio virtutis eſt gratia præueniens propriè atque dogmaticè, conſequens erit etiam incongruam cogitationem virtutis eſſe gratiam præuenientem propriè atque dogmaticè. Vnde præterea ſequeretur, quamlibet cogitationem virtutis, quantumcumque naturalem, eſſe illuſtrationem & inſpirationem Spiritus ſancti. Gratia namque præueniens continet illuſtrationem & inſpirationem Spiritus ſancti, ſicut probatum fuit ſuprà diſput. 30. Atque tandem inde fieret, naturæ debitam eſſe illuſtrationem, & inſpirationem Spiritus ſancti, quoniam humanæ naturæ debetur aliqua cogitatio virtutis, & aliquis impulſus ad illam (ſiue congruus, ſiue incongruus,) vt confirmatione 4. probatum eſt.

Gratia congrua, & incongrua eiuſdem generis.

9. Confirmatur ſeptimò, quoniam naturæ rationali deberi aliquam cogitationem congruam, vt aliquando bene operetur, quamuis ſit clarius, & certius, agendo de natura humana ſecundùm ſe præciſo peccato originali, quod ſufficit vt cogitatio congrua quidditatiuè pugnet cum quidditate gratiæ, quæ nullo modo poteſt eſſe debita naturæ: nihilominus id etiam certum eſſe debet, agendo de natura humana, infecta per originale peccatum, antequam actualia peccata committat. Quoniam propter peccatum originale, ſicut non amiſimus intellectum, & voluntatem, & quod in illis eſt liberum; ita non amiſimus naturale ius ad auxilium tanquam ad connaturaliter debitum intellectui & voluntati, vt poſſit liberè bonum rationis, vel malum eligere. Nam hoc debitum connaturalitatis intellectui & voluntati correſpondet, ideóque non amittitur niſi amiſſo intellectu & voluntate, præſertim cùm ne ipſi etiam pueri limbi, qui ſunt in ſtatu damnationis propter originale peccatum, priuentur huiuſmodi concurſu, quin potiùs abundantiſſimè illo donentur, vt ſemper bene moraliter operentur.

10. Confirmatur octauò, ſupponendo plurima eſſe beneficia, quæ merè liberaliter conferuntur à Deo pleriſque indiuiduis naturæ humanæ, quæ tamen non ſunt gratia, quia ex genere debita ſunt naturæ humanæ in aliquo indiuiduo vagè, hoc vel illo. Huiuſmodi eſt beneficium, quo Deus præſeruauit à periculis generationem, atque educationem, vt puer naſcatur, & adoleſcat ſanus, integer, robuſtus, ingenio promptus, & acer, bonæ indolis, & à natura ad bonum propenſus, cùm potuiſſet naſci cæcus, aut mancus, aut mente captus, aut quolibet alio defectu impeditus à naturali felicitate. Quod beneficium nulli homini in particulari eſt ita debitum, vt contra ordinem naturalis prouidentiæ foret, illud denegare; quin potiùs poterat Deus diſponere talem naturalium cauſarum concurſum, quo impediretur huius hominis naturalis felicitas, & naſceretur amens, aut mancus, aut cæcus. Cæterùm hoc idem beneficium eſt ita debitum naturæ humanæ, in aliquibus indiuiduis vagè his, vel illis hominibus, vt planè foret indignum diuina ſapientia & bonitate, talem procurare ordinem, & concurſum cauſarum naturalium, vt omnes homines nullo excepto, carerent ſemper rationis vſu, corpore monſtruoſi, membríſque omnibus capti ab ortu ſuo, vſque ad interitum, quo etiam brutorum, nedum hominum felicitate atque lætitia priuarentur.

Vnde fit vt hoc beneficium, merè liberaliter collatum, quòd hic homo potius quàm alij, præſeruaretur ab amentia, & cæteris morbis, non poſſit appellari gratia propriè, atque dogmaticè: quam appellationem Pelagius inducere, atque Concilia excludere conabantur. Hoc ſuppoſito, cogitatio congrua, vt hìc, & nunc fiat opus moraliter bonum, quamuis non ſit debita huic, vel illi homini, (de quo non diſputo:) nihilominus debita eſt naturæ humanæ in hoc, vel in illo indiuiduo. Idque ſufficit, vt non poſſit eſſe gratia, vt confirmatione tertia dicebamus. 11.

Confirmatur octauò, reddendo præcedentis confirmationis rationem à priori, quoniam vniuerſalis gubernator debet ſuæ ſapientiæ atque bonitati ſuæ ex ſuppoſitione, quod rerum multitudinem producit, & gubernandam ſuſcipit: talem illi concurſum, & contemperationem cauſarum præbere, vt ex genere ſuo boni, & conuenientes effectus ad conditoris laudem ſequantur, ſaltem interdum, & non debet affectare talem rerum intemperiem, vt nullus bonus, & Deo dignus effectus; ſed omnes mali, & indigni prodeant: hoc enim non eſſet ordinare, ſed ordinem ſubuertere, non gubernare, ſed perturbare, non prouidere, ſed inuidere, non diligere, ſed odiſſe opus, quod fecit. 12.

Secunda ratio eſt, quoniam bona cogitatio, ad opus moraliter bonum excitans, poteſt produci per ſolas cauſas naturales, abſque ſpeciali aliqua prouidentia Dei: ergo merè naturalis eſt; ac proinde nec ſupernaturalis eſt, nec gratia præueniens. Antecedens probatur. nam produci poteſt, ex vi intellectus, prouocati per ſenſus, quando illis occurrunt exteriora obiecta, proportionata ad talem cogitationem; præſertim accedente diſpoſitione corporis, quæ conſentanea ſit eiuſmodi cogitationi. 13.

Probatur ſecundò.

Confirmatur primò, quia ſaltem viri bonis literis, ac præcipuè morali philoſophia imbuti à pueritia in bonis moribus educati à parentibus, deinde audientes Philoſophum aliquem, declamantem contra vitia, vel in laudem virtutis, naturaliter poſſunt habere aliquam cogitationem bonam, qua excitentur vt aliquem actum ex omni circumſtantia honeſtum, liberè eliciant, nulla graui difficultate, aut tentatione impediente. Exempli cauſa poterunt apud ſe decernere, filio præbere cibum, eo quòd naturalis ratio ita præcipiat, vel ex ſuperfluo ſubuenire egenti extraneo, vel depoſitum reſtituere. 14.

Confirmatur ſecundò; quoniam ſine dubio Angeli poſſunt eiuſmodi cogitationes excitare, non quidem immediatè intellectum, ſed imaginatiuam, & ſenſitiuum appetitum, mouendo ac dirigendo, ita vt neceſſariò in mente reſultet eiuſmodi cogitatio. 15.

Confirmatur tertiò, quoniam pertinet ad debitam rebus prouidentiam, vt creator cum his 16.

cauſis

Digitized by Google

cauſis naturalibus ad hos bonos effectus concurrat generaliter, & vtplurimum. Nec enim deceret diuinam bonitatem, cauſis ſemper ſubtrahere concurſum, ad bonas cogitationes producendas, cùm illum non ſubtrahat, ne producant cogitationes malas. Nec minus indecens eſſet, ſpeciali prouidentia præcauere, vt ſemper interueniat aliqua cauſa naturalis, quæ impediat cogitationem bonam excitari.

17. Confirmatur quartò. nam in tanta multitudine cauſarum naturalium, in tam multiplici temperamento diſpoſitionum animi & corporis, in tanta varietate occaſionum, in tanta multitudine hominum, tantáque temporum varietate, ſi Deus ſinat cauſas naturales, ſuum rectum ordinem ſeruare, non præcauendo per ſpecialem prouidentiam, ne producant bonos effectus; impoſſibile eſt, non erumpere multas cogitationes bonas, ita opportunas, vt de facto ſortiantur effectum, eliciendi actum moraliter bonum ex omni circumſtantia.

18. *Probatur tertiò.* Tertia ratio ſupponit eas loquendi formulas, quibus Concilia & Patres gratiam præuenientem atque illius neceſſitatem ſignificant, quas retulimus ſect. 2. num 3. ac de illis quærit, vtrùm prædictam congruam cogitationem entitatiuè naturalem ita comprehendant, vt data eiuſmodi cogitatione, cenſeatur eſſe iam datum, quod per illas phraſes ſignificatur eſſe gratia præueniens. Nam ſi affirmaueris, ſequitur inde, congruam cogitationem merè naturalem quoad intrinſecam realitatem eſſe gratiam præuenientem, quæ ſufficiat ad credendum, ſperandum, diligendum, & pœnitendum, ſicut oportet, vt peccatori iuſtificationis gratia conferatur. Sequitur præterea eiuſdem generis cogitationem ſufficere ad totum augmentum gratiæ, & meritorum. Sequela probatur, quia conceſſiſti iam eſſe datum, quod per illas phraſes ſignificatur eſſe gratia præueniens, & in nullo Concilio, nullóve antiquorum Patrum reperitur aliud genus gratiæ præuenientis, quod ſit altioris ordinis, quàm illud, quod per dictas phraſes ſignificatur.

19. Si verò fatearis, cogitationem congruam non implere ſignificationem illarum phraſium, ſed ab illis poſtulari altiorem aliam perfectionem. Conſequens eſt, cogitationem prædictam non eſſe propriè atque dogmaticè gratiam præuenientem, nec auxilium ſupernaturale, quia in nullo Concilio, nullóve Patrum antiquorum reperitur aliud genus gratiæ præuenientis, vel ſupernaturalis auxilij, quod ſit inferioris ordinis, quàm illud quod per dictas phraſes ſignificatur. Vnde ita conficio ſyllogiſmum: Nulla gratia præueniens eſt, niſi quæ ſufficit, verificare prædictas phraſes Conciliorum & Patrum. Sed has non ſufficit verificare cogitatio, quæ naturalis eſt quoad intrinſecam entitatem. ergo cogitatio, quæ naturalis eſt quoad intrinſecam entitatem, non eſt gratia præueniens.

20. Confirmatur primò, quia indignum erit concedere, cogitationem, de alendis filiis propter conſonantiam cum recta ratione naturali, abſque vllo motiuo ſupernaturali, & abſque vlla realitate ſupernaturali eſſe illuſtrationem, illuminationem, inſpirationem, infuſionem, operationem Spiritus ſancti, vocationem, tractionem, & illam interiorem ſcholam, in qua Pater *auditur & docet, vt veniatur ad Filium, quam valde remotam eſſe à ſenſibus carnis,* docet Auguſt. de prædeſt. Sanct. cap. 8.

21. *Probatur quartò.* Quarta ratio, quoniam Maſſilienſes concedebant, cogitationem bonam requiri, ad benè operandum, & addebant, hanc gratiam requiri ad initium iuſtificationis: & tamen à Conciliis & Patribus damnantur, quaſi hoſtes gratiæ ſub inſidioſa vocis æquiuocatione. Ergo cogitatio bona, niſi fuerit ſupernaturalis, non eſt vere atque dogmaticè gratia præueniens. Maiorem probo. nam Maſſilienſes apertè fatebantur, vltra intellectum & voluntatem, & inſitam omnibus ſyndereſim, requiri reuelationem extrinſecam Dei, prædicationem, doctrinam, legem, exempla, miracula Chriſti Domini. Quæ omnia non alia ratione poterant eſſe neceſſaria, niſi quatenus exteriùs propoſita ſenſibus, prouocant in mente bonam cogitationem, quam poſſit voluntas amplecti per liberam electionem. Quapropter concedebant, requiri bonam cogitationem excitatam ab iis cauſis. Deinde hanc eſſe gratiam non ſolùm Maſſilienſes, ſed etiã Pelagius ipſe dicebat.

Reſpondebit fortaſſis oppoſita ſententia, illam cogitationem bonam non eſſe gratiam, niſi 22. qua ratione congrua eſt; hanc verò congruitatem *Refutatur ſolutio.* eſſe à diuina voluntate, ita præordinante, ac proinde eſſe gratiam, hoc non agnouiſſe Maſſilienſes, imò potiùs negaſſe. Et quidem ita res habet, ideóque prædicta ſententia damnari non poteſt erroris Maſſilienſis. Sed perpendat nihilominus, quantum ad illos accedat, recedendo ab Auguſtini, aliorúmque Patrum, & Conciliorum mente, qui nullam aliam realitatem prærequirit ad initium iuſtificationis, niſi quam requirebant Maſſilienſes: & ſolummodo addit, conſultò ex diuina præordinatione, per ſeriem & concurſum cauſarum naturalium procuratam fuiſſe à Deo illam realitatem; ſolam ergo extrinſecam præordinationem Dei, Maſſilienſes negabant; quam hæc ſententia concedit: ſed quoad totam realitatem auxiliorum, ab eiſdem Maſſilienſibus non diſcrepat.

Confirmatur primò, quoniam Concilia & Pa- 23. tres contra Maſſilienſes non ſolùm requirunt extrinſecam gubernationem, & protectionem Dei, ordinantis cauſas; ſed præcipue inſiſtunt, in poſtulandis altioribus viribus & auxiliis, quibus fieri poſſit, quod per ſolas vires naturæ fieri nequit; hoc autem non eſt poſtulare extrinſecam præordinationem, atque diſpoſitionem cauſarum naturalium, & cogitationis naturalis.

Confirmatur ſecundò, quia Maſſilienſes non 24. latuit ſcientia conditionalium, quin potiùs expreſsè tradebant, Deum certò præſcire, quinam homines, tali prædicatione audita, credituri eſſent, vel non credituri (quamuis hac ſcientia abuſi fuerint Maſſilienſes, ſuprà diſp. 15.) Quapropter facilè adduci potuiſſent, vt faterentur, Deum præſcire, hanc prædicationem huic homini futuram eſſe congruam, vt de facto illi obediret: ac ſubinde potuiſſe, per voluntatem apud ſe ab æterno decernere, hanc prædicationem congruam huic homini adhibere, hoc fine, vt credat, ideóque Maſſilienſes facilè concederent totam hanc gratiam congruæ cogitationis, adhuc retinentes præcipuos ſui erroris nodos.

Quinta ratio, quoniam quæcunque gratia 25. præueniens ſufficit ad iuſtificationis initium; ſed nulla cogitatio naturalis modo ſupradicto, ſufficit ad iuſtificationis initium. Ergo nulla talis cogitatio eſt gratia præueniens. Maior conſtat ex omnibus diſputationibus præcedentibus. Minor verò probatur, quia cogitatio merè naturalis quoad intrinſecam entitatem non ſufficit, niſi ad

elicciendos actus moraliter bonos, & quoad ſuam intrinſecam entitatem naturales: quos nullum præbere iuſtificationis initium, ſed inutiles eſſe ad obtinendam vlteriorem gratiam, probatum eſt diſput. 23. ſect. 2. 3. & 4.

26. Aliæ plures adduci poſſent impugnationes, tum contra huius ſententiæ corpus; tum etiam contra ea, quæ incidenter aſſerit. Sed nimiæ prolixitatis vitandæ ratio prohibet, vlteriùs progredi, cùm ſuperiores rationes abunde ſufficiant.

27. Ex tota præſenti, ac præcedenti ſect. colligitur, operationes, proprias gratiæ operantis, ſeu præuenientis, debere tales eſſe, quæ verſentur non ſolùm circa obiectum ſupernaturale, propter ſupernaturale motiuum, ſeu rationem formalem; ſed etiam modo tendendi proportionato & ſupernaturali. Alioqui non erunt ſupernaturales quoad entitatem, ſibi intrinſecam & realem: ſed ſola extrinſeca denominatione obiecti, vel prouidentiæ, per quam cauſantur.

SECTIO IV.

Præteritæ operantis gratiæ memoria nihil valet, niſi ſupernaturalis fuerit. Subinfertur etiam ſupernaturalitas gratiæ cooperantis & ſubſequentis.

1. PRæſens & ſequens ſectio continent corollaria, quæ ex præcedentium ſectionum doctrina colliguntur, ad eiuſdem maiorem explicationem.

Præterita gratiæ recordatio nō ſufficit niſi ſupernaturalis ſit.

Primò namque colligitur, vt excitemur gratia præueniente ad iuſtificationem, non ſufficere ſolam recordationem gratiæ præuenientis, quæ tempore præceſſit, & iam non eſt, ſi ea recordatio entitatiuè naturalis eſt.

2. Probatur primò. nam præueniens gratia ſupernaturalis, quæ iam non eſt, ſed fuit antea, non poteſt operari aliquid mouendo voluntatem noſtram; niſi vel tanquam obiectum cognitum per recordationem præſentem: vel tanquam principium efficiens, quod reliquit aliquam ſui virtutem effectiuam in anima, videlicet, ſui memoriam. Vtraque autem ratione nihil valere ad iuſtificationis initium, conſtat ex ſupradictis. Nam obiectum ſupernaturale cognitum per actum entitatiuè naturalem, nihil valet ad iuſtificationis initium. Huiuſmodi autem eſt præcedens gratia præueniens, præciſè conſiderata, in quantum eſt obiectum cognitum per recordationem præſentem. Rurſus principium efficiens, quamuis ſupernaturale ſit, nihil influit vtile ad iuſtificationis initium; quamuis non producat effectum entitatiuè ſupernaturalem, ſed tantummodo naturalem. Talis autem eſt gratia præueniens, quæ in præſenti non exiſtit; ſed ſolùm reliquit impreſſam ſui memoriam entitatiuè naturalem.

3. Confirmatur primò, quoniam ſi præueniens gratia, iam præterita operaretur, excitarétque voluntatem, mediante recordatione præſenti, & actualiter exiſtente; ſequeretur hanc recordationem eſſe veluti ſemen, & primum initium, immediatè operans, & diſponens, vt liberum arbitrium, ad iuſtificationem obtinendam ſe præpararet. Porrò ſemen & initium immediate operans & diſponens ad prædictos actus ſupernaturales liberi arbitrij, debet eſſe ſupernaturale quoad intrinſecam entitatem; ſine qua ſupernaturalitate ineptum eſt ad hoc munus: vt tota præcedenti ſect. probatum eſt. Ergo ad idem munus inepta erit naturalis recordatio præteritæ gratiæ ſupernaturalis.

Confirmatur ſecundò, quia recordatio præcedentis gratiæ præuenientis, ſi in ſe ipſa formaliter eſt entitatiuè naturalis, improportionato modo intuetur, & reducit in memoriam præcedentem gratiam ſupernaturalem: quapropter, vt moueat, excitétque voluntatem ad ſupernaturales actus, non minus improportionata eſt prædicta recordatio, quàm foret quilibet alius actus, qui verſaretur circa obiectum ſupernaturale modo tendendi naturali, & improportionato. 4.

Confirmatur tertiò, quia non ſatis euadere à ſcopulis Maſſilienſis erroris, qui admittit, ad iuſtificationis initium ſufficere recordationem præcedentis vocationis ſupernaturalis, quando ipſa recordatio eſt naturalis; oſtendimus ſuprà diſputatione 20. ſectione 3. num. 9. & ſequentibus. 5.

Probatur ſecundò, quoniam ſi ſola naturalis recordatio præcedentis gratiæ præuenientis ſufficeret, ad exercendum munus gratiæ operantis, & præuenientis, ſequeretur ad eiuſmodi recordationem vtilem, & fructuoſam non requiri operationem, & inſpirationem Spiritus ſancti. 6.

Conſequens autem eſſe falſum, probatur, quia tanquam proprium munus Spiritus ſancti ponitur non ſolùm interiùs docere illa, quæ Chriſtus Dominus verbis exteriùs dixerat, ſed etiam ſuggerere, in memoriam reuocando. Ioan. 14. *Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens: paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Vbi Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 6. explicat *in memoriam reducet.* Atque eundem locum exponens Auguſtinus tract. 77. in Ioan. ait: *Quod addit, commemorabit vobis, intelligere debemus etiam, quod iubemur, non obliuiſci, ſaluberrimos monitus ad gratiam pertinere, quam nobis commemorat Spiritus ſanctus* Auguſtinus enim pro *ſuggeret* legit, *commemorabit*; ſicut legit etiam Theodoretus Ioan. 14. S. Thom. ibi lect. 6. ad finem, & omnes ferè expoſitores ſuggerere intelligunt, reuocando in memoriam, & admonendo, ſeu ſubmonendo.

Ex his ſecundò colligo, frequenter euenire, vt præteritæ illuſtrationis, inſpirationis, & vocationis recordatio, entitatiuè ſupernaturalis, relinquatur immediatè poſt prædictam vocationem & inſpirationem, ac diuturno tempore conſeruetur, vel reuocetur in memoriam, poſtquam ſomno, aut contrariis occupationibus obliterata fuit. Quod etiam quotidiana confirmat experientia, præſertim quando quis inſigni aliqua vocatione, aut Spiritus ſancti conſolatione viſitatus diuturno tempore illius recordatione accenditur, ad ſubeundos alacriter labores pro Ieſu Chriſto. Sic enim non ſolùm, quæ à Deo immittitur, cogitatio *confitebitur ei*; ſed etiam *reliquiæ cogitationis diem feſtum agent Deo*, Pſalm. 75. Vbi Auguſtinus cogitationis reliquias intelligit recordationem cuiuſque boni affectus, priùs per gratiam accepti. 7.

De hac igitur recordatione ſupernaturali quoad intrinſecam entitatem, & in eodem tempore coëxiſtente cum libero conſenſu ſupernaturali, verificari poteſt, quod aliqui non vulgares huius temporis Doctores ſcripſerunt, interdum ſolam præteritæ gratiæ operantis recordationem tempore concurrere cum conſenſu. 8.

Tertiò

9\. *Tota gratia cooperans & omnes eius partes ſupernaturales.* Tertiò ſequitur, rotam gratiam cooperantem, & omnes eius pattes eſſe ſupernaturales, quoad intrinſecam entitatem. Nam, vt vidimus diſput. 36. gratia cooperans in actu primo, vel eſt Dei præpatatio ad concurrendum, & hæc ſupernaturalis eſt eo modo, quo diuinum decretum, de obiecto, & effecto ſupernatutali producendo poreſt eſſe ſupetnaturale; vel gratia cooperans in actu primo eſt habitus ſupernaturalis, aut entitas gratiæ excitantis, quam iam probauimus eſſe ſupetnaturalem, aut entitas alterius actus ſupernaturalis, & meritorij. Quapropter nullum eſt membruoı gratiæ cooperantis in actu primo quod naturaleoı entitarem patiatur.

10\. Rutſus in actu ſecundo gratia eooperans, ſeu eooperatio ipſa Dei, manifeſtè eſt intrinſecè ſupernaturalis: ſiquidem ab hac cooperatiooe prouenit ſupetnatunalitas cuiuſcumque actus, qui ſit iotrinſecè ſupernaturalis. Dei verò cooperationem intelligo oon ſolùm eam, quam Deus immediatè per ſuum imperium præſtat, ſed etiam eam, quam deriuat per hahirus ſupetnarutales, per gratiam excitantem, per actos ſupernaturales, & metitorios, aot per quodcuoque aliud ſupernaturale inſtromentum.

11\. *Gratia ſubſequens ſupernaturalis.* Quartò infertor gratiam ſubſequenrem eſſe ſuperoaturalem quoad intrinſecam entitatem, qua parre concorrit ad imperatos actus ſupernatutales intellectus, voluntatis imaginatiuæ, aut apperitus ſenſitiui, modo explicaro diſpur. 38. ſect. 3. à principio. Deinde ſupernaturalis eſt quoad intriuſecam entitatem ea pats gratiæ ſubſequentis, quæ facit imaginatiuam, apperitum ſenſitioum, cæteráſque potentias corporis, alioqui oon ſubiectas deſpoticè voluntari; obedite promptè ad exequendum opus virtutis, iuxta eà, quæ diximus in eadem diſput. 38. ſect. 3. concl. 2. Quamuis enim hoc poſſit Deus præſtare per aliquod donum entitatiuè naturale; cæterùm congruentius eſt, regulatiter, & de lege ordinaria fieri per donum aliquod entitatiuè ſupernaturale, ſiue tranſeunter, ſiue permaneuter, per modum habitus infuſum, de quo aliàs.

12\. *Quadam ſubſequentis gratia pars naturalis.* Reſtat nihilominus alia pars gratiæ ſubſequentis, ſolummodo reſpiciens actus exteriorum membrorum, qoi ſemper, aut ferè ſemper ſunt naturales quoad intrinſecam entitatem, & ſolummodo ſupernatutales ex modo, quo producuntor à ſupetnaturali auxilio gratiæ, & imperio actuum ſupernatoralium. Hæc pats gratiæ ſubſequeotis eſt oaturalis quoad iotrinſecam entitatem, & ſolus modus producendi eſt intrinſecè ſupernaturalis. Noo ſolùm hic producendi modus, ſed eriam actus, per illum productus, rectè appellabiror graria, propter rationes, ob quas libro de quidditate gratiæ diſputatione 1. ſect. 2. probauimus, naturalia beneficia tunc præcipuè, quando ex ſupernaturali Dei prouidentia procedunt, gratiam appellari. Idem dicendum eſt de quibuſcumque actibus intellectus, voluntatis imaginatiuæ, & apperitus ſenſitiui, quando contingit eas eſſe naturales quoad totam intrinſecam entitatem, & tamen indigere ſupernaturali imperio, & auxilio.

SECTIO V.

Bonos Angelos non poſſe, gratiam operantem, ſeu præuenientem, & illius illuſtrationes, & inſpirationes phyſicè cauſare in hominibus.

1\. VEga lib. 6. in Tridentinum cap. 8. exiſtimat, vocationes, illuſtrationes, & inſpirationes produci à Deo totaliter vel per ſe ipſum immediatè, vel per Angelos.

2\. *Angeli gratiam excitantem producere non poſſunt.* Nihilominus ex toto præcedentium ſectionum diſcurſu colligitur, bonos Aogelos non eſſe ſufficientis virtutis, vt eorum miniſterio, ſine ſupetnatutali, ac immediato concurſu Dei, hominibus afferant cogitationes & voliriones indeliberatas, quæ ſunt propriæ gratiæ excitantis.

3\. *Quid circa homines Angeli agere poſſint.* Probatur primò, quoniam Angeli circa homines, ſuæ curæ commiſſos, oihil aliud poſſunt, niſi mouendo in capite ſpecies ſenſibiles, & in corde, ac roto corpore humores, excitare tales cognitiones in phantaſia, & tales affectus in appetitu ſenſitiuo, qui magis opportuni ſint, vt, illis præſentibus, Deus intellectum & voluntatem ſupernaturaliter moueat, vt intelligat, & appetat indeliberatè obiecta ſupernaturalia. Solus namqoe Deus poteſt in animam illabi, cauſando lumen, ſeu clariores cognitiones io intellectu, & pios motus in voluntate. Angelus verò non poteſt hoc modo illabi in animam; imò etiam in corporibus nihil aliud poteſt immediatè cauſare, niſi motum localem. Vnde etiam mediatè nihil aliud cauſare poteſt, niſi quod ex locali corporum motu reſultare potuerit, applicando actiua paſſiuis, vt cum communi Theologorum doctrina docuimus 1. parte quæſt. 51. art. 2. ſect. 1. & 5. & quæſt. 52. art. 3. fine, & quæſt. 55. art. 2. ſect 4. Videndus eſt de hac re S. Thom. 1. parte tota quæſt. 106. præſertim art. 1. & 2. & tota quæſt. 111.

4\. Probatur ſecundò, quamuis enim naturales ſpecies intelligibiles, habitus itidem naturales, atque natorales intellectiones, aut volitiones Angelus potuiſſet oobis imprimere, adhuc ſupernaturales illuſtrationes, & inſpirationes, non poſſet; eo quòd ſunt altioris ordinis ſupra totam facultatem cuiuſque ſubſtantiæ creatæ, quantumcumque perfectæ.

5\. Tertiò, quia neque Chriſtus Dominus, in quantum homo, poterat interiorem gratiam auxiliatricem, vel iuſtificantem infundere, neque ad illius productionem phyſicè concurrere; niſi quatenus diuinitas humanitatem quaſi inſtrumentum eleuabat, vt ſuprà diſput. 39. tota ſect. 3. Ergo neque Angeli per naturales vires id præſtare poterunt. Porrò ad hoc munus ſupernaturaliter eleuari de lege ordinaria, non expedit, ſicut ad alia munera ſupernaturalia hominibus præſtanda, non concurrunt Angeli, tanquam inſtrumenta ſupernaturaliter eleuata.

6\. Probatur quartò omnibus teſtimoniis ſacræ Scripturæ, & Patrum, adductis diſputatione 39. ſect. 2. & 3. præſertim illo 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid; neque qui rigat*, &c. Quem locum ad confirmandum, neque Angelum Doctorem ſufficere, abſque interiori doctrina Dei, Auguſtinus ponderat libro de peccatorum meritis & remiſſione ſub init. illis præſertim verbis: *Nullus hominum illuminatur, niſi illo lumine veritatis,*

quod

quod Deus eſt, ne quiſquam putaret ab eo ſe illuminari, à quo aliquid audit, vt diſcat, non dico, ſi quenquam magnum hominem; ſed nec ſi Angelum, ei contingat, habere doctorem. Adhibetur enim ſermo veritatis extrinſecus vocis miniſterio corporalis; verumtamen neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incremenenm dat Deus. Audit quippè homo dicentem, vel hominem, vel Angelum, ſed vt ſentiat, & cognoſcat, verum eſſe, quod dicitur, illo lumine intus mens eius aſpergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.

7\. Atque inde colligitur, quomodo intelligenda ſint aliqua Scripturæ ſacræ & Patrum teſtimonia, quæ oppoſitum ſignificare videntur. Primò enim Angelos eſſe Dei miniſtros, vt nobis gratiam imprimant, argumentabitur aliquis, quoniam Angeli imprimunt ſigillum Dei viui, quo prædeſtinati ſecernuntur à reprobis Apocalypſ. 7. *Vide Angelum Dei, aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei viui; & clamauit voce magna,* &c. *quouſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Vbi ſigillum gratiæ ſignificatur: vt probauimus lib. de quidditate gratiæ diſput. 1. ſect. 5.

Obiectio ſoluitur.

Reſpondetur primò Doctores, qui ſignificationem illam intelligunt illuminationem, & gratiam Chriſti, iidem etiam intelligunt, illum Angelum eſſe magni conſilij Angelum, à Patre miſſum, vt Primaſius, Haymo, Ausbertus, Anſelm. Richardus, & Beda ibi. Quapropter ſecundùm hanc expoſitionem Angelorum Dominus Ieſus Chriſtus, ſolus eſt qui ſignum Dei viui apud ſe habens, ſolus ſignat. Sed illi miniſtrantes Angeli exteriùs materiam præparant, & offerunt.

Reſpondetur ſecundò Angeli omnes ſignant eo modo, quo etiam Euangelici miniſtri, exteriùs docendo, exhortando, remouendo impedimenta, & præbendo lumen, & ſuauitatem naturalem in imaginatiua, & appetitu ſenſitiuo, aliáſque opportunitates, modo ſuperiùs explicato.

8\. Secundò argumentari poteris, quoniam Patres aliquando ita loquuntur, quaſi auxilia, ad ſalutem ſufficientia, deriuentur à Deo per Angelos in homines.

Secunda obiectio.

Confirmatur. nam, vt Patres loquuntur, Angeli nos illuminant, docent, hortantur, confortant, excitant, accendunt, gratiam ad nos reportant, ſunt miniſtri, per quos Deus omnia, quæ ad noſtram ſalutem pertinent, operatur: quas locutiones & alias ſimiles videbimus apud Patres infrà citandos.

Soluitur Quomodo Angeli nos illuminare dicantur.

Reſpondetur, nihilominus ea omnia ita eſſe intelligenda, vt per Angelos detur corpus auxilij, hoc eſt, moueantur cogitationes in æſtimatiua, & appetitu ſenſitiuo, & in corpore diſpoſitiones: inſuper exteriùs proponantur viſiones, verba, prodigia, terrores, opportunitates & cætera, quæ poſſunt exteriùs ad bonum allicere. Porrò hæc ipſa intelligantur eſſe animata, proptereáque ſub hoc exteriori auxilio ſubintelligatur interior doctrina, exhortatio, & vocatio, quam ſolus Deus intellectui, & voluntati communicat. Sic enim plerumque ſub nomine exterioris auxilij intelligitur etiam interior gratia, vt vidimus diſp. præcedenti ſect. 1. num. 8. & tota ſect. 4. Adde, illas omnes locutiones referendas eſſe ad moralem, non ad phyſicam efficientiam. Hunc enim ſenſum materia ſubiecta poſtulat, & adiunctæ aliæ propoſitiones indicant, vt in aliquibus teſtimoniis infrà referendis conſtabit.

Quorum omnium commentarius eſſe poſſunt verba Athanaſij, qui, quamuis in lib. de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti prope finem, ſub titulo de Angelis, dicat: *A ſublimioribus erudiuntur inferiores ordines, atque ita deinceps cæteri pro ſuo gradu: poſtremi autem ſunt Angeli, qui & hominibus pædagogi ſunt cenſendi;* nihilominus alio in loco declarat omnem phyſicam & realem actionem eſſe illis impoſſibilem circa eiuſmodi miniſteria. Hoc enim ſignant illæ propoſitiones: *Non poſſident vim & cauſam agendi, operari nequeunt.* Quam regulam confirmat exceptio, quæ ſubiicitur ad ſolam cauſalitatem moralem pertinens, videlicet, *Ad negotia obeunda mittuntur. Patris per Filium donationes elargitas renunciant.* Hic nempe modus eſt, quo deferunt, vel reportant Dei dona, vel gratiam. Audiamus Athanaſium contra Arianos ſerm. 4. col. 10. dicentem: *Non enim operante Patre, operatur aliquis Angelorum, aut quiſquam alius ex rebus creatis: nec mirum, quum nihil iſtorum agendi vim, cauſámque poſſideat: ſed ipſi potiùs ſint, qui conduntur, maximè quia ſegregati ſunt, diſſidéntque ab eo, qui ſolus natura eſt, & exiſtit; tum quia ipſi ex genere operum ſunt, ac proinde operari nequeant, quæ Deus operatur. Nam quamquam omnia operari videntur; non tamen donante Deo, ſimul cum eo condonare; aut conſpecto Angelo, quiſpiam dixerit ſe Deum conſpexiſſe. Angeli enim, quemadmodum ſcriptum eſt, adminiſtratorij ſunt ſpiritus, qui ad negotia obeunda emittuntur, & Patris donationes per Filium elargitas, renunciant illis, qui accipiunt.* 9.

Sic intelligendus eſt Dionyſius de cæleſti Hierarch. cap. 9. à medio. vbi vt oſtendat, Gentiles olim ſua culpa, non auxiliorum defectu, caruiſſe vera Dei religione, ait: *Errorem, quo aliæ nationes in eos, qui Dij non ſunt, deflexerint, rectis Angelorum præfecturis non eſſe tribuendum, ſed illis ipſis, qui procliuitate ſua de recta ad Deum ferente via deflexerint.* Cuius explicatio colligitur ex verbis, paulo pòſt ſubiectis. *Hoc etiam Pontificia tua ſapientia commemorabo, & Pharaoni ab Angelo, qui Ægypti præpoſitus erat, & Babyloniorum Principi à ſuo omnibus prouidentiis, atque dominantis prouidentiam, poteſtatémque perniſa miſſam eſſe,* &c. & infrà ſubiungit: *Præſertim cùm aliis Gentibus non alieni Dij præfuerint, ſed vnum principium omnium, & ad illud Angeli, qui vnicuique nationi præfecti erant, ſequaces deducerent,* videlicet eos, qui ſibi commiſſi erant, vt eorum ductum ſequerentur. 10.

Eodem modo explicandum eſt, quod Dionyſius de diuinis nominibus cap. 4. prope initium tradit. *Angelos ſicut lumina clara interpretatiua eius quod eſt in abditis, præpoſitos eſſe.* Vbi ſanctus Thomas ſic loquitur: *Ad hoc ergo, quòd ea, quæ nobis per Angelos enunciantur, intellectu capere poſſimus, ipſi claritate ſui luminis intellectum noſtrum adiuuant, ad capiendum occulta Dei.* & paulo pòſt Dionyſ. de animabus rationalibus, illuminandis per Angelos, ſic loquitur: *Per ipſas* (ſcilicet intelligentias Angelicas) *ſicut bonos duces, ſurſum agi, & inde emanantium illuminationum in participatione fieri ſecundùm eorum proportionem, & deiformi bono ſecundùm virtutem participare.* Vbi ſanctus Thomas lect. 1. prope finem ait: *Deiforme bonum intelligit bonum gratiæ, & meritò. nam hoc ſolum nos facit filios, & ſimiles, & participes, & hoc eſt, quod per cuſtodiam Angelorum intenditur.* 11.

Ex eadem ſolutione conſtat, quid auxilij nomine intelligant Didymus & Damaſcenus: ex 12.

quibus

Digitized by Google

quibus Didymus, ſancto Hieronymo interprete in libro de Spiritu ſancto col. 4. fine. (& habetur inter opera ſancti Hieronymi tom. 5. aliàs tom. 9.) ait: *Angeli hominibus, non homines Angelis auxilium tribuunt, miniſtrantes eis ſalutem.* Loquitur autem de participatione Trinitatis per gratiam acquirenda. Damaſcenus verò lib. 2. de fide cap. 3. poſt medium ait: *& ſe inuicem illuminans propter excellentiam ordinis & naturæ, dilucidùmque eſt, eos qui præcellunt inferioribus illuminationis, & ſcientiæ tradere conſortium.* & poſt pauca: *& ea, quæ ſunt apud nos, diſpenſant, & auxiliantur nobis.*

13. Nec caret fundamento Scripturæ ſacræ Angelos hominibus auxiliari. Nam Danielis 10. Angelus, ait, *Michael vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum.* & iterum in fine cap. *Nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps veſter.* Cùm autem Angelus nullo egeret adiutorio propter ſuam perſonam; manifeſtum eſt, adiutorium illud Michaelis dirigi ad omnes fideles iuuandos. quo vno fundamento Eccleſia in officio ſancti Michaelis precatur, dicens: *Michael Archangele veni in adiutorium populo Dei.*

14. Eadem eſſe debet interpretatio Auguſtini, vel cuiuſque alterius Doctoris pij, & Auguſtiniani, in lib. vnico Soliloquiorum animæ ad Deum cap. 27. vbi ait, Angelos eſſe miſſos, vt homines *cuſtodiant in omnibus viis ſuis: confortent quoque, & moneant.* (& poſt pauca:) *Vt referant ad nos diuina gratia deſideratam benedictionem.* (& iterum:) *Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes.* & quod Pantoleo Diaconus in encomio Michaelis Archangeli, ad finem ait: *Vt ſanctitatem faciamus, nos inducit, & dat ſalutarem gratiam Princeps Dei militiæ; & ad petitionem ſemper vtilem deducit, & ad viam pœnitentiæ.* Apud Surium die 29. Septemb. ex Metaphraſte die 8. Nouembris.

15. Simili accipiendum eſt mente, quod Bernardus ſcribit ſerm. 31. in Cantica in medio, & recipitur à ſancto Bonauentura in vita Chriſti cap. 37. vbi agit de Chananæa: *Ipſe eſt* (videlicet Angelus) *qui in omni loco ſedulus quidam pediſſequus animæ non ceſſat ſolicitare eam, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere, dicens,* &c. (& poſt pauca:) *Diſcurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona, excitat iſtam, placat illum.* & ſerm. 12. in Pſalm. *Qui habitat.* explicans verſum 12. *In manibus portabunt te.* poſtquam multis explicat Angelorum protectionem & auxilia, ſermonem claudit hac ſententia: *Vultis ſcire, quas intelligam duas manus? duplicem vtique demonſtrationem; dum videlicet hinc quidem tribulationis breuitas, inde æternitas retributionis oſtenditur; aut magis pingitur, vel imprimitur cordi, vt intimo affectu ſentiat.* (& ſubdit:) *Quis iſtas tam bonas non credat per bonos fieri, cùm certum ſit quod è contrariò malæ vtique fiant immiſſiones per Angelos malos?*

16. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum pagina penultima: *Is,* inquit, *qui eſt cognitione præditus, cùm à Deo poteſtatem iuuandi acceperit, alios quidem iuuat effingens affectatione, alios verò adhortans aſſimilatione, alios verò præceptione docens & erudiens. Certè ipſe quoque pari ratione adiutus eſt à Domino. Sic ergo cognoſcitur vtilitas, quæ à Deo peruenit ad homines, ſimul adhortantibus Angelis. etenim diuina virtus præbet bona per Angelos, ſiue videantur, ſiue non videantur.* Nihilominus Angelorum exhortationem, & auxilium non aliud intelligere, niſi extrinſecum, quod etiam homines præbere poſſunt, conſtat ex verbis, quæ continuò ſubdit, præcipuè de Apoſtolis tractans: *Talis etiam fuit modus in aduentu Domini, quando & per hominem cogitationes, & ratiocinationes virtus aliquid inſpirat, & in mentes vim immiſit, & ſenſum perfectiorem, promptitudinis & animi alacritatis vehementiam præbens & ad quæſtiones & ad implenda opera.*

Quòd *intellectus humanus tanquam inferior, fortificatur per actionem intellectus Angelici*, docet S. Thomas 1. parte quæſt. 111. art. 1. in fine corporis, ſicut etiam quæſt. 106. art. 1. in medio corporis dixerat, vnum Angelum alteri notificare poſſe, *fortificando virtutem intellectiuam eius.* & de veritate quæſt. 11. art. 3. ſimiliter docet lumen intellectus Angelici confortare poſſe lumen intellectus humani, quamuis non poſſit infundere lumen: intelligendum eſſe de exteriori confortatione, ſiue per ſenſibiles voces, & viſibiles apparitiones, ſiue temperando humores, & mouendo ſpecies imaginatiuæ tali proportione, quæ apta ſit, vt lumen intellectus non debilitetur; & obſcuretur caligine imaginatiuæ, & appetitus ſenſitiui. 17.

Atque hoc ſufficere vt Angelus dicatur confortare. Probatur primò. nam Daniel 10. prope finem, Angelus loquendo confortat, non ſolùm corporis, ſed etiam animi vires reparando, vt conſtat ex illis verbis: *Quomodo poterit ſeruus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remanſit virium, ſed & halitus meus intercluditur. Rurſum ergo tetigit me quaſi viſio hominis, & confortauit me, & dixit: Noli timere vir deſideriorum; pax tibi: confortare, & eſto robuſtus. Cúmque loqueretur mecum, conualui, & dixi: Loquere Domine mi, quia confortaſti me.* 18. *Quomodo Angeli nos confortent.*

Probatur ſecundò. nam & Chriſto Domino in horto oranti ſolummodo exterius miniſterium præſtitit Angelus, per corpoream viſionem, & ſenſibilia verba, nihil attingendo circa humores corporis, & ſpecies imaginatiuæ, vel circa interiores potentias corporeas; & tamen dicitur apparuiſſe *Angelus confortans eum*, Lucæ 22. ergo à fortiori, quælibet exhortatio per Angelos non ſolùm externis verbis & viſionibus, ſed etiam imaginatiuæ cogitationibus, & cordis alterationibus cauſata, dicetur confortatio luminis intellectualis. Vide quæ S. Thomas & eius expoſitores 3. parte quæſt. 12. art. 4. ad 1. de Angelo confortante notant. 19.

Denique hanc fuiſſe mentem D. Thomæ conſtat non ſolùm ex commentario Caietani in 1. parte ad quæſt. 106. art. 1. §. *Ad hoc dicitur*, & ſequenti, ſed etiam ex D. Thoma in ſequenti art. 2. eiuſdem quæſt. 106. in corpore, & quæſt. 111. art. 2. 3. & 4. in eadem 1. parte, atque de veritate quæſt. 11. art. 3. citato, vbi oſtendit, ad homines docendos ac permouendos nihil aliud Angelos poſſe immediatè efficere, quàm immutare potentias ſenſitiuas per obiecta, & humores modo ſuperiùs explicato. Denique in 1. 2. quæſt. 112. art. 1. poſtquam decreuerat ſolum Deum vt cauſam principalem per humanitatem Chriſti Domini, & eius ſacramenta, vt per inſtrumenta, eſſe cauſam efficientem gratiæ, ne Angelis efficientiam gratiæ concedere compellatur, ita reſpondet ad 3. argumentum. *Angelus purgat, illuminat, & perficit Angelum, vel hominem per modum* 20.

inſtru-

inſtructionis cuiuſdam: non autem iuſtificando per gratiam.

41. Hæc autem inſtructio intelligenda eſt per ſenſus nihil immediatè in mentem influendo. Idque confirmat teſtimonio Dionyſij, quod ſumitur ex cap. 7. de diuinis nominibus; ſed clariùs traditur in cap. 7. de cæleſti Hierarchia poſt med. *Hoc enim Theologi planè tradunt, inferiores cæleſtium naturarum ordines, à ſuperioribus ritè diuinas ſcientias diſcere.* Sed inferiùs explicat, huius doctrinæ accipiendæ cauſam eſſe non Angelos ſuperiores, ſed diuinam ſcientiam, quæ ſe ipſam communicat. Hoc namque intendit illis verbis; *& purgationem eſſe, & illuſtrationem & perfectionem, diuinæ ſcientiæ communionem, dum & quaſi purgat, atque expiat ignorationem.* nimirum diuina ſcientia, ſeipſam communicando, excipiat ignorantiam.

42. Prædictis explicationibus, pluſquam cæteri Patres citati, Laurentius Iuſtinianus indiget multis in locis, in quibus ſi ſonitum verborum attenderes tantùm, non habita ratione ſubiectæ materiæ; diceres, apud illum Angelos eſſe inſtrumenta phyſicè cauſantia gratiam, præſertim præuenientem & operantem, deinde verò cæteras omnes gratias. Sed ſubiecta materia, & ſupradictæ rationes cogunt ſub illis verbis, more concionatorio dictis, ſolam intelligere cauſalitatem moralem gratiæ tam operantis, quàm cooperantis, actualis, vel habitualis. Nam in libro de diſciplina & perfectione monaſticæ conuerſationis cap. 5. in medio ait: *O mira Dei dignatio! operatur ſalutem noſtram per ſe ipſum. operatur etiam per Angelos ſuos, dicente Apoſtolo; Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus,* &c. & poſt pauca. *Si ignorant*, homines videlicet, *docent eos: ſi cadunt, erigunt: ſi puſillanimes efficiuntur, ſanctis exhortationibus ipſos roborant, & accendunt.*

Hebr. 1.

43. Eadem, aliaque plura his ſimilia repetit in lib. de caſto connubio verbi & animæ cap. 8. inter medium & finem. Vbi præcipuè notanda ſunt, vt exponantur illa verba: *Illuminant quoque intellectum noſtrum excitando, diſponendo, & lumen in nos diuinum transformando.* (& poſt pauca:) *Nobiſque deferunt gratiam ac ſpiritualia dona.* Sed hoc deferre eodem modo intelligendum eſt, ſicut priùs dixerat; *Noſtras perferunt ad cælum orationes.* videlicet eas offerendo, vt ſuo ſuffragio tanquam morales cauſæ nobis impetrent gratiam. (hanc phraſim ſumpſiſſe videtur ex Soliloquiis Auguſtini ex Bernard. ſerm. 31. in Cantica, quæ num. 14. & 15. retulimus) & in eodem lib. cap. 16. longè poſt med. ait: *Quæcunque laude digna diuinis præſentant obtutibus, inde verò reportant gratiam, & ſi quid deuotionis, ſi quid virtutis, ſi quid cognitionis, ſi quid meriti; vniuerſa ſiquidem, quæ ad ſalutem pertinent, per ipſorum efficit miniſterium Angelorum.* Quod fusè probat multis ſacrarum literarum exemplis. Alias ſententias prædictis ſimiles ſcribit in tractatu de vita ſolitaria cap. 16. prope finem, & tractatu de ſpirituali animæ reſurrectione longè poſt medium, & in libro de obedientia cap. 7. prope finem.

* * *

DISPVTATIO XLI.

Vtrùm ad ſingulas actiones meritorias operans, ſeu præueniens gratia requiratur.

SECTIO I.

Diſputationis ſtatus, explicatis acceptionibus fidei & gratiæ præuenientis, quæ ad præſentem diſputationem pertinent.

INFIDELI adulto, vt conuertatur ad fidem, ſimpliciter neceſſariam eſſe gratiam operantem, ſeu præuenientem, eſt de fide, ac proinde longè certius, quàm eiuſdem gratiæ neceſſitas ad ſingulas quaſque meritorias actiones, quam in præſenti tractamus. Maioris autem certitudinis rationes ſunt pluries in præcedentibus diſputationibus explicatæ, præſertim diſput. 17. 18. 19. & 20. Earum autem applicatio ad certitudinis exceſſum oſtendendum ſic compendiò proponitur. 1.

Infideli vt conuertatur gratiam eſſe neceſſariam de fide eſt.

Primò. nam in adulto infideli totius iuſtificationis primum & minimum initium deſideratur. Quapropter in eodem cætera omnia deſiderantur, atque primariò gratia operans, ſeu præueniens, quæ præbeat iuſtificationis initium. 2.

Confirmatur. nam infideli adulto deficit omne principium meriti, impetrationis, diſpoſitionis, & operationis, per quod poſſit ſe ipſum mouere, & excitare; aut diuinam miſericordiam, & gratiam obtinere. Ideo in illo magis, quàm in quocunque fideli, vim ſuam retinent omnia argumenta, quæ probant neceſſarium eſſe primum principium totius meriti & impetrationis, & motus ſupernaturalis à Deo tribui per gratiam operantem.

Probatur ſecundò, quoniam primum iuſtificationis exordium à fide ſumendum eſt, ſuprà tota diſput. 19. præſertim ſect. 3. & 4. ergo adulto, fide carenti præ cæteris omnibus neceſſaria eſt gratia, deſtinata ad iuſtificationis exordium. 3.

Probatur tertiò, quia ſæpiùs & manifeſtiùs ſacra Scriptura Concilia & Patres loquuntur de neceſſitate gratiæ præuenientis & excitantis ad fidem.

Secundò ſuppono, infidelem hoc loco debere intelligi illum, qui non ſolùm negat, vel ignorat omnia prorſus myſteria fidei, ſed etiam nullo prorſus tenetur ſupernaturali deſiderio, etiam inchoato, & inefficaci, quærendi, & inueniendi ea myſteria Dei, quæ ad ſalutem, ſeu ad piè viuendum, requiruntur, quæcunque illa fuerint. Quapropter è contrario nomine *fidelis* hoc loco intelligere debemus non ſolùm hominem, qui certò credit myſteria ſupernaturalia, ſicut oportet; ſed etiam illum, qui dubitando atque deſiderando, ad veritatem peruenire, liberè conſenſit cuicumque complacentiæ ſupernaturali, quamuis ſimplici, & inefficaci, & quamuis ipſum etiam Deum prorſus ignoret. Vtramque acceptionem præſenti inſtituto congruere, inde conſtat, quoniam quicumque prædictum fidei initium, quamuis dubium, implicitum, inefficax, 4.

& imper

& imperfectiſſimum habuerit, poteſt virtute illius de congruo impetrare, mereri, ac ſe diſponere ad vlteriora auxilia gratiæ; vt oſtendimus ſuprà diſp. 19. ſect. 5. ad finem, & fuſiùs diſput. 25. præſertim ſect. 3. & ſequentibus.

Adulto fideli gratia totaliter præueniens non eſt opus de nouo præberi.

His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Gratiam quæ in ſummo rigore, atque totaliter præueniens ſit, non eſt ſimpliciter neceſſarium, de nouo præberi adulto fideli, quocumque imperfectionis gradu fidelis ſit, iuxta fundamentum proximè præcedens.

Probatur, quoniam gratia, vt ſummo rigore, atque totaliter præueniens dicatur, debet præcedere ante omnem prorſus diſpoſitionem, impetrationem & meritum de congruo; at verò ſupradictus fidelis virtute inchoatæ fidei, quantumcumque imperfectiſſimæ, & multo meliùs, virtute fidei perfectæ, poteſt de congruo mereri, impetrare, ac ſe ad vlteriora auxilia gratiæ diſponere. Quapropter quælibet illuſtratio, atque inſpiratio, quæ tribuatur à Deo poſt præteritum actum fidei, potuit habere initium ab illo actu fidei, tanquam à merito, & impetratione; ac proinde non eſt neceſſaria illuſtratio, & inſpiratio, quæ præcedat omne meritum, impetrationem, & diſpoſitionem.

6. Secundùm huiuſmodi acceptionem præuenientis gratiæ loquitur Auguſtinus tom. 3. in Enchirid. cap. 32. fine, dicens: *Oramus pro inimicis noſtris, vt miſericordia Dei præueniat eos, ſicut præuenit & nos: oramus autem pro nobis, vt miſericordia eius ſubſequatur nos.* Quos autem inimicos intelligat, oſtendont, quæ paulo ſuperiùs præmiſerat verba: *Admonemur orare pro inimicis noſtris, vtique nolentibus piè viuere.* Quocirca primariò intelligit infideles, qui omni prorſus pietatis initio carent, quibus propterea nullo modo ſubſequens, eorum impetrationem & meritum de congruo, ſed totaliter præueniens auxilium, neceſſarium eſt. Et quoniam illi pro ſe ipſis vtiliter orare non poſſunt, maximè neceſſariæ ſunt fidelium orationes pro illis.

7. *Multis fidelibus gratia totaliter præueniens neceſſaria. Hæc neceſſitas per accidens contingit.*

Secunda concluſio. Multis fidelibus adultis, poſtquam ſemel fidei actum conceperint (ſiue perfectum, ſiue inchoatum) adhuc ſimpliciter neceſſaria erit gratia, quæ in ſummo rigore, atque totaliter præueniens ſit; per accidens autem continget huiuſmodi neceſſitas, quoniam illi per ſequentia peccata extinxerunt omne meritum de congruo, omnémque diſpoſitionem, & impetrationem, quæ à præcedenti actu fidei prouenire poterat, vt obtineret ſequentis temporis illuſtrationes, & inſpirationes. Imò quod ex ſe eſt, ſufficientiſſimum demeritum habuerunt, vt excæcarentur, & indurarentur, & omni prorſus Dei auxilio deſtituerentur. Oportet igitur Dei miſericordiam merè gratuitam denuo inchoari, nullo reſpectu habito ad iſtius hominis meritum, impetrationem, aut diſpoſitionem, iam penitus extinctas.

8. *Præuenientis gratia minus rigoroſa acceptio.*

Ex his colligitur, quod toto præſentis diſputationis progreſſu, præ oculis habendum eſt, videlicet, quotieſcumque gratiam operantem, præuenientem, aut excitantem deinceps nominauerimus, non eſſe intelligendam gratiam ſummo rigore, atque totaliter præuenientem. Vtemur namque alia minus rigida acceptione præuenientis gratiæ, qua comprehenditur quælibet illuſtratio, & inſpiratio, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, hoc eſt, ſine actuali concurſu libertatis noſtræ; quæ proptereàque præueniens eſt, comparatione cuiuſque deliberationis, quæ potuiſſet, in præſenti tempore ad illam actionem concurrere. Secundùm quam acceptionem prorſus abſtrahit ab hoc, quod in præterito tempore præceſſerit deliberatio, & ſupernaturalis aliqua operatio, per quam de congruo merueris, impetraueris, & te diſpoſueris ad præſentem illuſtrationem & inſpirationem. Quapropter hæc gratia præueniens comparatione præcedentis gratiæ, non erit præueniens, ſed ſubſequens: vt attigimus ſuprà diſput. 31. ſect. 1. num. 3. & 4.

Hanc autem acceptionem non à nobis pro libito inuentam, ſed ſacrarum authoritate litterarum, atque vſu catholicæ Eccleſiæ inductam eſſe, demonſtratur, quoniam ſi præueniens gratia, & miſericordia ſemper in ſummo rigore acciperetur, ſe ipſas falſificarent, atque impoſſibile redderent idem ipſum, quod poſtulant plurimæ propoſitiones ſacræ Scripturæ, atque orationes fidelium. Eiuſmodi eſt illud Sapientiæ 6. *Præoccupet, qui ſe concupiſcunt, vt ſe illis prior oſtendat.* Nam ſi illi iam concupiſcunt, non ita præoccupantur, vt ſapientiæ oſtenſio ſit priòr quocumque merito, impetratione, aut diſpoſitione, quæ conſequuntur ſapientiæ concupiſcentiam. 9.

Deinde quando iuſti orant Pſalm. 78. dicentes: *Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ.* & Pſal. 58. *Deus ſuſceptor meus es. Deus miſericordia eius præueniet me.* atque orat Eccleſia: *Actiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando præueni.* & rurſus: *Tua nos, quæſumus Domine, gratia ſemper præueniat, & ſequatur.* illis poſſumus opponere, eiſdem ipſis orationibus impoſſibilem reddere impetrationis effectum. Nam quæcumque ſit illa miſericordia, gratia, ſiue auxilium, quod obtinere iuſti deſiderant; ſi per has orationes impetratur, iam non eſt ſummo rigore, atque totaliter præueniens. Si autem per illas impetrari gratiam ſummo rigore præuenientem implicat contradictionem, conſequens eſt illas orationes à Deo inſpirari, & ab Eccleſia dirigi, ad impetrandam eam gratiam, quæ minus rigida acceptione, præueniens eſt; & quæ patitur, præceſſiſſe meritum de congruo, impetrationem, & diſpoſitionem. Denique hanc acceptionem vſitatam eſſe apud Concilia & Patres, conſtabit ſect. 3. & ſequentibus. Nunc ſatis ſit memoria repetere quod Ambroſius in Pſal. 36. ad illa verba: *Os iuſti meditabitur ſapientiam,* hortatur: *Ne expectes, vt te excitet Chriſtus, ſed potiùs illum excita. Si tu illum excitaueris, & ipſe te excitabit.* & cætera quæ retulimus diſp. 28. ſect. 1. num. 16. 10.

Ex his omnibus colligitur, præſentis diſputationis ſtatum verſari non circa neceſſitatem gratiæ operantis, & præuenientis, vt ſic: ſed circa generalem amplitudinem eiuſdem neceſſitatis, quæ vniuerſaliter, atque ſine exceptione complectatur quaſcumque actiones ſupernaturales, & quocumque ſupernaturali merito præditas, cuiuſcumque hominis fidelis, ſiue iuſtus, ſiue peccator fuerit, ad quas omnes, & ſingulas actiones inquirimus, vtrùm neceſſaria ſit noua, & peculiaris vnicuique gratia præueniens minus rigide accepta, vt nuper explicatum eſt. 11.

Diſputationis ſtatus.

Digitized by Google

SECTIO II.

Quamdiu prioris gratiæ præuenientis durat ſupernaturalis virtus, noua præueniens non eſt ſimpliciter neceſſaria.

1. *Gratia motio durans ſufficit ad reliquos actus.*

PRima concluſio. Quamdiu actualiter durat motio alicuius gratiæ præuenientis, illa ſufficit, ad excitandos reliquos actus, ſuo imperio, & motioni ſubordinatos, ſiue immediatè, ſiue mediate ſubordinentur. Hæc ſententia colligitur ex Capreolo in 2. diſtinct. 28. artic. 3. ad argumenta contra primam concluſionem propè finem, & eamdem planè docet Deza 2. diſtinctione 28. quæſtione vnica articul. 3. notabili 6. vt referemus in ſectione 8. Clariùs tamen eam tradunt Ruardus articul. 7. inter principium & medium, poſt §. *ex propoſitionibus*, propoſitione 4. & 5. & §. *Ex quibus*. Bellarmin. lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 14. §. *Sed non videtur*. & lib. 6. cap. 15. ſentent. 11. Qui Doctores licèt in his locis videantur affirmare, poſt primam gratiam excitantem, ſeu præuenientem, nullam aliam præuenientem, & excitantem gratiam requiri, vt peccator gratiam recuperet, neque vt iuſtus exerceat opera meritoria. Nihilominus huiuſmodi gratiam excitantem neceſſariam eſſe, vt voluntas ex otio reducatur ad actum; vel ex inutili ad vtilem actionem, etiam poſt acceptos habitus fidei, ſpei, charitatis, & cæterarum virtutum, expreſsè docet Ruardus paulo infra locum citatum, ante §. *tractantur*, & ferè idem Bellarminus dicto libro 6. c. 14. dum ſoluit 3. & 4. obiectionem contra 4. ſententiam. Vnde conſtat, prædictos Doctores nihil aliud intendere, quàm quod præſenti aſſertione continetur.

2. Noſtram denique concluſionem à fortiori docent alij plerique Doctores huius temporis, qui in ſectione 3. num. 2. & 8. aſſerunt, peccatori, vt conuertatur, non eſſe neceſſariam nouam gratiam excitantem, præſertim ſi retineat habitum fidei, & qui ſectione 10. dicunt, iuſtis, vt eliciant opera meritoria, non eſſe neceſſariam nouam gratiam operantem, & præuenientem. Doctorem autem, qui contra præſentem concluſionem ſentiat, inuenio neminem, præter eos, qui phyſicam Dei prædeterminationem ad quaſlibet actiones requirunt.

3. Probatur concluſio primò, quia quamdiu viuit primum ſemen arboris, ſiue illius virtus; illa ſufficit, ad producendam, conſeruandámque arborem, & nouos in ea ſuis temporibus fructus ferendos. Porrò prima vocatio, ſeu gratia excitans, vel præueniens eſt Dei ſemen. 1. Petri 1. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui*. 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet*. & cap. 5. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei ſeruat eum*. Quapropter quamdiu prædicta vocatio prima, ſeu gratia excitans, & præueniens durat vel in ſe ipſa formaliter, vel in ſua virtute, quam reliquit in ſupernaturalibus operationibus, tamdiu, ad nouos actus ſupernaturales producendos, neceſſaria non erit alia noua gratia præueniens & excitans: ſed poſtquam, ceſſando prorſus ab omni actu ſupernaturali, extincta eſt tota vis actualis ſeminis diuini, opus erit nouo alio ſemine, ſeu gratia excitante; vt oſtendemus ſectione 6. 7. 8. & 9. imò etiam tota diſput. ſequenti.

Probatur ſecundò, explicando duplicem modum, quo actualiter durat motio gratiæ præuenientis. 4.

Dupliciter gratia præueniens durare dicitur.

Primus modus eſt clarior, quando actualiter durant illuſtrationes & inſpirationes, in nobis ſine nobis factæ; & illæ mouent immediatè ad quoſdam actus virtutum, atque illis mediantibus mouent ad alios, veluti quando mouent ad actum feruentis charitatis, qui actus mouet ad actum religionis, & hæc mouet ad actum pœnitentiæ, vel miſericordiæ. Sic enim actus plurimarum virtutum concatenari poſſunt cum vnica gratia præueniente, ita vt alia præueniente non indigeant. Sicut motus primæ rotæ horologij, ab extrinſeco agente factus, ſatis eſt, vt reliquæ rotæ moueantur; neque indigent ſingulæ alia peculiari motione extrinſeci agentis, videlicet quòd non contineatur in horologio.

Secundus modus eſt, poſtquam illuſtratio & inſpiratio, in nobis ſine nobis facta, iam ceſſauit; ſed tamen actualiter durat aliqua operatio ſupernaturalis, quæ excitata fuit ab illuſtratione, & inſpiratione actualiter exiſtente. Hæc enim ſufficit, vt mouere poſſit, immediatè, vel mediatè ad plurimos actus ſupernaturales, ſibi ſubordinatos, & concatenatos. Vnde quamdiu non interrumpitur hæc ſeries actuum ſupernaturalium, non eſt ſimpliciter neceſſaria alia gratia excitans, ſeu præueniens. Veluti etiamſi ceſſauerit illuſtratio, & inſpiratio, quæ excitauit ad feruentem actum charitatis; ſi tamen hic durat actualiter, vel durat actualiter actus alterius virtutis ſupernaturalis, ab eodem actu charitatis excitatus; hoc ſufficit, vt moueat ad alios actus ſibi ſubordinatos, veluti ad orationem, vel ad actum miſericordiæ: neque opus eſt alia noua gratia præueniente, & excitante. 5.

Confirmatur primò. Nam ſupernaturales operationes meritorias vim habere gratiæ operantis, conſtat ex Galat. 5. *Fides, quæ per dilectionem operatur*. Vnde Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij cap. 14. poſt medium: *Quid enim*, ait, *putauimus, quòd fides non operetur? imò ipſa veraciter operatur, quæ per dilectionem operatur*. Hoc autem ideo Auguſtinus dixit, vt probaret fidem eſſe cauſam bonorum operum, vt conſtat ex præcedenti, ſequentique contextu. 6.

Confirmatur ſecundò. nam in quacumque volitione ſupernaturali, quantumcumque libera ſit, reperitur aliqua communis ratio volendi ſupernaturale bonum, ſecundùm quam conuenit illi operantis gratiæ munus: vt vidimus diſputat. 3a. ſect. 3. num. 16. & ſequent.

Valet tertiò ad huius explicationem exemplum naturalium operationum, quæ non indigent extrinſeco agente excitante, quamdiu vigilamus; nam aliæ poſſunt ad alias excitare. Cæterùm poſtquam earum ſeries ſomno fuerit interrupta, indigemus noua cauſa extrinſeca excitante, infrà diſputatione ſequent. ſectione 3. ſic quamdiu non irrepſerit ſupernaturalis vitæ ſomnus, ceſſando ab omni operatione ſupernaturali; vna operatio ſupernaturalis vim habet, excitandi ad aliam ſibi ſubordinatam. 7.

Ad eandem veritatem explicandam ſimul, & 8.

commen

Ignis perpetua conſeruatio concluſioni probat.

commendandam, Spiritus ſanctus direxit antiquum illud præceptum alendi, & conſeruandi perpetuò ignem, de cœlo delapſum, quo vno in altari vti licebat ad ſacrificia. Hic enim quandiu legitima perpetuáque ſucceſſione deriuatus fuit in ligna, quæ manè per ſingulos diea ſubiiciebat ſacerdos; tandiu opus non erat, alium ignem, cœlitus datum excitari. At poſtquam, Babylonica vrgente captiuitate, ſacerdos nullus ignem nutrire potuit (vix namque licuit illum in puteo abſcondere) ſuccedente in locum ignis aqua craſſa, neceſſarium fuit, nouum ignem cœlitus excitari, vt Iudæi reduces in renouato, & purificato templo ſacrificare poſſent. Vbi propterea forte Nehemias iuſſit, ſacrificia aſpergi eadem aqua craſſa, quæ ex antiquo igne remanſerat; quoniam merita de congruo, non de condigno, ex præcedentibus actibus ſupernaturalibus relicta, iuuant, vt Deus iterum excitet, & inflammet animum per gratiam operantem, & præuenientem.

9. Sed quoniam totius hiſtoriæ veritas eſt fundamentum præſentia explicationis, & probationis, eius ſingulas partes breuiter ex ſacris litteris colligemus. Et primò quidem in Leuitico cap. 9. ad finem: *Egreſſus ignis à Domino deuorauit holocauſtum.* Quapropter ſequenti capite 10. Nadah, & Abiu igne de altari egreſſo conſumpti ſunt, quoniam alieno igne, atque prohibito vſi ſunt in ſacrificiis. Vnde Auguſtinus, relatus in Gloſſa Leuitic. 10. Ambroſius lib. 3. officiorum, cap. 14. circa med. & communiter Doctores colligunt, hoc vno igne, cœlitus dato, licuiſſe vti in ſacrificiis.

10. Secundò eundem ignem perpetuò ſeruandum fuiſſe ex diuino præcepto, conſtat Leuit. 6. *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubyciens ligna manè per ſingulos dies.* (& poſt pauca:) *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.*

11. Tertiò de facto hunc ignem ſeruatum fuiſſe vſque ad Babylonicam captiuitatem, colligitur ex prædictis locis, & Machabæorum libro 2. cap. 2. Idem ſupponere videtur Ambroſius citatus, & clariùs docet Lyra Leuitic. 9. fine. Abulenſ. Exodi 29. quæſtione 20. & docti recentiores, qui de rebus tabernaculi, aut templi ſcripſerunt.

12. Quartò inuentam fuiſſe aquam craſſam loco ſeruati prioris ignis, eámque poſtea in ignem fuiſſe conuerſam in ſacrificio, fusè deſcribitur 2. Machab. cap. 1. & 2. Vide Serarium ibi quæſtiuncula 13.

13. Quintò, noſtram allegoriam, ſeu ſimilitudinem ſanctus Gregorius ſi non expreſſit, ſaltem indicauit lib. 25. Moral. cap. 7. dicens: *Sacerdos ergo, in altari ignem nutriens, quotidie ligna ſubyciat, id eſt, fidelis quiſque ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde ſuo cam exempla præcedentium, quàm ſacræ Scripturæ teſtimonia congerere non deſiſtat.* Ergo actualis meditatio rerum ſupernaturalium, quamuis libero noſtro ſtudio adhibita ſit, plurimum valet vt charitatis flamma nutriatur, excitando affectus imitandi ſanctorum exempla, & explendi ſacræ Scripturæ præcepta, atque conſilia, quos affectus ad virtutes varias pertinere conſtat.

14. Clariùs adhuc, libero noſtro ſtudio, atque diligentia nutriri, atque conſeruari poſſe, vt ſemper duret ſupernaturalis impulſus, & affectus, (quantum humana fragilitas patitur ſuppoſita diuina gratia.) Inſuper ſi libera noſtra negligentia intermittatur, opus eſſe noua gratia operante & excitante, quam habere, non ſit in noſtra poteſtate, tradit Baſilius in regulis breuioribus interrogatione 16. dicens: *Quid eſt, quòd nonnunquam animus, etiam nullo à ſe adhibito ſtudio, ſua ſponte ferè, tanquam ſi ei dolor aliquis incidiſſet, compungitur; interdum autem adeo languidus eſt, vt cùm maximè conetur, compungi non poſſit?* Et reſpondet: *Enimverò talis compunctio Dei donum eſt, ad ſtimulandum mentis noſtræ deſiderium, vt, videlicet, animus, guſtata dulcedine huius doloris, eum perpetuò ſtudeat retinere: vel ad id manifeſtè monſtrandum poſſe animum, adhibito diligentiore ſtudio, aſſiduè in compunctione eſſe, ad eripiendam excuſationem negligentiæ ijs, qui illam amiſerant. Illud autem conari, & non poſſe, ſimul & negligentiam noſtram, qua alio tempore vſi ſumus, coarguit; & indicio eſt, animum eſſe in dominatu aliorum vitiorum.*

15. *In quibus actibus prædicta vis ſit.*

Secunda concluſio ad præcedentis maiorem explicationem. Prædicta vis ſufficiens, vt ad ſupernaturales actus aliarum virtutum excitet, atque moueat, non eſt cuicumque actui ſupernaturali comparatione alterius cuiuſque virtutis; ſed illis tantùm actibus, qui ex ſua natura ſpecifica, & ex ſingulari aliqua intenſione, ſiue feruore habent vim ſuperandi eas difficultates, ad quas ſuperandas deſtinatur illuſtratio, & ſuauitas, voluntatem præueniens. Quapropter vis ſupradicta primariò, & maximè conuenit feruenti actui charitatis, atque fortè etiam cuicunque virtuti, quæ ex ſua ſpecifica ratione perfectior ſit aliis quibuſdam, atque propterea vim, & authoritatem obtineat imperandi alios imperfectiores: ſicut religionis actus imperat actus aliarum virtutum moralium, vt humilitatis; vel abſtinentiæ.

16. *Prædictus feruor tepeſcit, niſi illuſtrationibus foueatur.*

Ex his colligitur tertia concluſio. Prædictus feruor, in actu imperante requiſitus, ſenſim intepeſcit, & tandem extinguitur tam in ipſo actu imperante, quàm in actibus imperatis; niſi Dei illuſtrationibus, & inſpirationibus foueatur; ſicut impetus impreſſus, niſi à proiiciente ſæpiùs renouetur, facilè deficit: è contrario tamen quanto longior redditur diuturnitas alicuius operationis, tanto eſt difficilior eius conſeruatio, etiamſi cæteræ omnes difficultates ceſſent propter diuturnitatem. Proinde opus eſt, per interualla nouas gratias præuenientes tribui à Deo, ne penitus ceſſet ille concatenatus motus actuum ſubordinatorum.

Huic doctrinæ optimè conſonat S. Thomas de veritate quæſt. 24. art 9. corpore, vbi docet, nullum in vita præſenti eſſe ita confirmatum in gratia, vt peccare omnino nequeat. Et probat primò & principaliter, *quia rationem eſſe ſemper in actu rectæ contemplationis in ſtatu vitæ præſentis, ita quod omnium operum ratio ſit Deus, eſt impoſſibile.* & poſt pauca ſubdit: *Sed totum quod deficit ad confirmationem, completur per cuſtodiam diuinæ prouidentiæ in illis, qui confirmati dicuntur, vt, ſcilicet, quandocunque occaſio peccati ſe ingerit, eorum mens diuinitus excitetur ad reſiſtendum.* Quibus aptè conſonant quæ docet 2. 2. quæſt. 24. 17.

articul. 11. vbi primariam rationem, ob quam in hac vita ſemper poſſit amitti charitas, dicit eſſe, quia non ſemper actu fertur in Deum, ſicut in Patria.

18. *Duo colliguntur.* Ex his colliguntur duo, alterum eſt tractandum ex profeſſo, in ſect. 4. videlicet, impoſſibilitas perſeuerandi in gratia ſine nouo in dies auxilio præuenientis gratiæ. Alterum eſt præſenti ſectioni proprium, videlicet impoſſibilitas continuandi vnum & eundem actum contemplationis tempore valde longo, niſi cōſolationis gratia præueniens, & ſpecialiſſima facultatem præbeat. Vnde etiam manat impoſſibilitas continuandi tempore valde longo quoſdam aliarum virtutum actus, qui ſine huiuſmodi contemplatione actuali conuerſari nequeunt: quæ indigentia nouæ gratiæ præuenientis viget, etiamſi nullæ difficultates emergant.

19. Clarior autem eſt eadem neceſſitas nouæ gratiæ præuenientis ad continuandum eundem virtutis actum, quando nouæ, atque graues emergunt difficultates. Eam ob cauſam quamuis duces, ac Senatores populi non ſolùm prædicatione ac monitis Aggæi, & Zachariæ Prophetarum, ſed etiam interiori gratia inſtigante, *cœperunt ædificare templum Dei in Hieruſalem*; nihilominus poſtea, Samaritanorum Ducibus nomine Babylonij Regis impedientibus templi inſtaurationem, deſiſterent ab incepto, niſi quia *oculus Dei eorum factus eſt ſuper ſenes Iudæorum: & non potuerunt inhibere eos*, 1. Eſdræ cap. 5. ſob initium. Vbi Lyra: *Oculus*, inquit, *id eſt, reſpectus diuinæ miſericordiæ, & adiutorij.* Tu adde peculiariter intelligi præueniens, ſecundùm ea, quæ de illius nominibus notauimus diſp. 29. ſect. 2. fine, atque de oculis Dei reſpicientis ſupra diſp. 31. ſect. 2.

20. Neque mirari debes, appellari gratiam præuenientem, ſeu excitantem eas conſolationes ſpirituales, & illuſtrationes, quæ ad continuandum eundem actum ſupernaturalem, iam priùs inchoatum, denuo tribuuntur. Nam eiuſmodi conſolationes & illuſtrationes ſæpè in ipſo progreſſu noſtri actus meritorij erumpunt in nobis ſine noſtra libertate. Et quamuis comparatione primæ productionis huius actus meritorij non ſint præuenientes, ſed potiùs ſubſequentes, nihilominus comparatione futuræ continuationis, & perſeuerantiæ eiuſdem actus, verè ſunt præuenientes, & excitantes, vt ſcitè obſeruauit Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 5. fine.

21. Quarta concluſio. Prædicta vis vnius actus meritorij, vt moueat, excitetque ad alium alterius ſpeciei, certior eſt in homine iuſto, habente omnium virtutum habitus: at homo peccator maiorem difficultatem patitur comparatione eorum actuum, quorum habitibus caret. Cæterùm exiſtimo, maxima aliqua, & extraordinaria intenſione, atque feruore actus fidei & ſpei ſufficienter excitari poſſe, ad actum pœnitentiæ per concatenationem cum aliqua gratia præueniente, modo explicato in aſſertione prima.

22. Poſtremò ne ſupradicta concluſio prima, vel negare, vel limitare videatur vniuerſalitatem neceſſitatis, qua communiter Concilia, & Patres operantem, & præuenientem gratiam ad omnes meritorias actiones prærequirunt in ſect. ſequentibus; aduertendum eſt, etiam in caſu concluſionis primæ verificari neceſſitatem præuenientis & operantis gratiæ: quoniam vel immediatè per ſe ipſam, vel mediatè per ſupernaturalem virtutem, relictam in aliis ſupernaturalibus actibus, excitat, operatur, & agit voluntatem ad alios: vt in 1. probatione dicebamus.

SECTIO III.

Peccatoribus fidelibus ad ſingulas diſpoſitiones iuſtificationis eſt ſimpliciter neceſſaria præueniens gratia.

Sectio præſens verſatur in homine, qui aliquando accepta diuina illuſtratione & inſpiratione, concepit actum ſupernaturalem fidei; poſtea verò, retento huius virtutis habitu, depoſuit omnem actum ſupernaturalem, ita vt in præſenti non ſolùm non duret actualiter illuſtratio, & inſpiratio aliqua; ſed neque duret aliquis alius actus ſupernaturalis, retinens quaſi impetum impreſſum à priori illa inſpiratione & illuſtratione. De huiuſmodi homine, ſi fuerit iuſtus, diſputabimus ſectionibus ſequentibus, vtrùm indigeat noua gratia operante, & præueniente ad quemlibet actum meritorium, ſeu ſupernaturalem & liberum. Nunc verò de homine peccatore inquirimus, vtrùm noua gratia operante, & præueniente indigeat ad ſingulos actus, quibus ad iuſtificationem diſponendus eſt. 1.

Prima ſententia ſit, quam tradit Vega lib. 6. in Tridentin. cap. 7. exiſtimans, gratiam excitantem, licèt communiter peccatoribus detur; nihilominus non eſſe ſimpliciter neceſſariam: quin potiùs ſine excitante gratia, ſolam adiuuantem ſatis eſſe, vt peccator perfectè ſe præparet ad iuſtificationem; etiamſi ex malitia hæreat in peccato. 2. *Sententia prima.*

Primum eius argumentum eſt, quia poſſumus ſubitò odiſſe, quos amabamus; & contrà diligere, quos odio proſequebamur, nulla noua ſuborta occaſione, ſed duntaxat ex libito noſtræ voluntatis; ergo peccatores, neque vocati, neque excitati nouis inſpirationibus, poſſunt ſubitò per Dei gratiam adiuuantem dolere de peccatis, cum emendationis propoſito. Conſequentiam probat, quia hoc, Deo nos adiuuante, facilius videtur, quàm illud. 3. *Fundamentum primũ.*

Hoc argumentum ſoluitur ſimul, & retorquetur, conſtituendo paritatem, ſeruata debita proportione, inter naturales, & ſupernaturales actus, hoc modo. Impoſſibile eſt, nouum amorem liberum in noſtra voluntate erumpere, niſi priùs natura ſupponatur ex parte intellectus cognitio proponens rationem boni, & ex parte voluntatis propenſio ad illam rationem boni per ſimplicem complacentiam; vel ſaltem detur actualis propenſio ad communem rationem boni, quæ nunquam deficit voluntati, quandiu intellectus operatur: vt oſtendemus diſp. ſequenti ſect. 3. 6. & 7. Quapropter concedenda eſt ſemper cognitio proportionata, & complacentia proportionata, quibus ſufficienter excitetis, vt ſubitò, & liberè mutare poſſis naturales affectus amoris & odij. 4. *Soluitur & retorquetur.*

Eadem ergo ratione impoſſibile erit, nouum amorem Dei, aut nouam deteſtationem peccati liberè erumpere in voluntate; niſi priùs natura ſupponatur ex parte intellectus ſupernaturalis, & proportionata cognitio boni ſupernaturalis, & ex parte voluntatis ſupernaturalis, & proportionata propenſio, ſaltem per ſimplicem complacentiam, ad bonum ſupernaturale, ſine in 5.

commu

communi,ſiue in particulari; & talis cognitio,& complacentia erit gratia excitans, ad actum ſupernaturalem liberè eliciendum.

6. Confirmatur, quoniam ſicut inter naturales operationes intellectus, & voluntatis, quandiu actu durant liberè, poteſt eſſe tranſitus liber ab vna in aliam: cæterùm neceſſarium fuit, earum omnium ſeriē cœpiſſe ab aliqua operatione, quæ nobis non fuerit libera, vt ſit operatio excitans ad omnes operationes liberas,immediatè,vel mediatè ab illa procedentes; ſic nos idem concedimus de operationibus ſupernaturalibus, quandiu actu durant, ſuprà ſect.2.aſſert.1.

7. *Fundamentum ſecundū ſoluitur.* Eiuſdem ſententiæ ſecundum argumentum eſt, quia niſi ſufficeret gratia adiuuans ſine excitante; ſequeretur, nunquam immediatè ſubeſſe poteſtati peccatoris ſuam conuerſionem. Sequelam probat, quia vocatio non eſt in noſtra poteſtate,ſuprà tota diſp.31.

Reſpondetur quamuis vocatio non ſit in noſtra poteſtate, cæterùm quia Deus eam ſemper nobis tribuit per temporum interualla & opportunitates; ideo in eis temporibus, & opportunitatibus peccator poteſt, ſi voluerit, conuerti: vt explicabimus tomo ſequenti.

8. *Secunda ſententia.* Secunda ſententia aſſerit, peccatores fideles non indigere noua gratia præueniente, ſeu excitante, ſed ſatis eſſe fidem licèt informem, vt per illam excitentur ad timorem Dei, & pœnitentiatum; quibus diſponantur ad iuſtificationem. Ita docet apertè Alexand 3.part. quæſt. 70. memb.3. ad 1. atque eiuſdem ſententiæ fortaſſe diceres fuiſſe Ruardum & Bellarminum, niſi alibi magis ſuam mentem explicuiſſent, vt vidimus ſectione præcedenti aſſert. 1. Sed quoniam eorum argumenta contendere videntur totum id,quod ſonat hæc ſecunda ſententia, recole eorum ſolutiones datas ſuprà diſp.38,ſect.4.

9. *Peccatoribus ad omnes actus neceſſaria præueniens gratia.* Sit igitur prima concluſio. Ad omnes, & ad ſingulos actus, quibus peccator diſponitur ad iuſtificationem, eſt ſimpliciter neceſſaria gratia præueniens, ſeu operans & excitans; ac proinde non ſolùm infidelibus, ſed etiam peccatoribus fidelibus neceſſaria eſt. Hanc, exiſtimo, eſſe debere prorſus certam, quoniam firmiſſimis teſtimoniis roboratur.

10. Probatur primò Hieremiæ 31. *Conuerte me Domine, & conuertar. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam; & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* Vbi Hieronymus lib.6. Commentariorum ſic loquitur: *Vide, quantum ſit auxilium Dei, & quàm fragilis humana conditio: vt hoc ipſum,quod agimus pœnitentiam,niſi nos Dominus antè conuerterit,nequaquam implere valeamus.*

11. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5, *Cùm reſpondemus,* inquit, *conuerte nos Domine, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri, confitemur.* Alia verba ex Tridentino ponderabimus infrà num. 31. & ſequent. Conſonat Gregorius 24.Moral.c.12.in id Iob 34. *Deficiet omnis caro ſimul.*

12. Probatur ſecundò,ex 2.ad Timoth.2. fine: *Ne quando det illis Deus pœnitentiam, ad cognoſcendam veritatem; & reſipiſcant à diaboli laqueis.* Quo teſtimonio Fulgentius de fide ad Petrum cap.31.confirmat hunc canonem: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, neminem hic poſſe pœnitentiam agere; niſi quem Deus illuminauerit, & gratuita ſua miſericordia conuerterit.* Porrò Fulgentium loqui præſertim de præueniente gratia, conſtat,quia poſt pauca ſubiungit: *Diuinis mandatis obedire, neminem poſſe;niſi quem Deus gratia ſua præuenerit.* Hæc autem maximè requiritur, vt ille,qui priùs obedire negligebat, poſtea obedire incipiat primo præcepto pœnitentiæ.

Auguſtinus lib.5.contra Iulianum cap. 3. circa medium idem teſtimonium Pauli explicat,oſtendendo pœnitentiam dari vocatione ſecundùm propoſitum,ſine qua nulli datur pœnitentia;conſtat autem vocationem eſſe gratiam præuenientem. Similiter gratiæ præuenientis neceſſitatem ad pœnitentiam ex eodem teſtimonio Pauli colligunt Proſper ad obiectiones Vincentianas obiectione 15. & Fulgent. de Incarnat. & gratia cap. 17. 13.

Confirmatur teſtimonio Leonis epiſtola 91. cap.4. fine,dicentis: *Cùm ipſam pœnitentiam* (aliàs *pœnitendi affectionem*) *ex Dei credamus inſpiratione conceptum, dicente Apoſtolo: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam,vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem.*

Hîc recolenda ſunt duo. Primum inſpirationem eſſe gratiam præuenientem ſuprà diſput. 29. & 30. Secundum eſt, *dandi* verbum in ſacra Scriptura ſignificare præuenientem gratiam: vt notauimus, diſputat. 34. ſect. 2. num. 5. & ſequentibus.

Probatur tertiò. Nam Petrus, quando Chriſtum Dominum negauit, fidei habitum non amiſit Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua;* & tamen nunquam per veram pœnitentiam conuerteretur; niſi *quia conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus, & fleuit amarè,* in eodem cap.22. Lucæ. Ex quo, gratia interiùs reſpiciente, atque excitante factum eſſe, vt Petrus recordaretur, & fleret: inſuper inde colligi vniuerſalem neceſſitatem præuenientis gratiæ, vt peccator quilibet pœniteat, docet Ambroſius lib.10. in Lucam cap. 96. aliàs cap. 13. ad finem, Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 45. & de correptione & gratia cap. 5. verſùs finem. Proſper 2. de vocat. Gentium cap.28. Leo ſermone 9. de paſſione propè finem,& ſermon. 3. de paſſione cap.5. Gregorius homil.8.in Ezechiel. propè initium, & in 7. Pſalmum pœnitentialem ad illum verſum: *Non auertas faciem tuam à me.* Iſidorus lib.2. ſententiarum cap. 12. §. 4. quorum verba retulimus, & argumenti vim fuſiùs ponderauimus ſuprà diſp. 31. ſect.2. 14.

Probatur quartò, quia Dei timor eſt ſemen à Spiritu ſancto ponendum in cordibus noſtris, vt pœnitentiam concipiamus;alioqui ſicut filij non concipiuntur ſine ſemine; ita neque pœnitentia ſine Dei timore.Iſai.26. *Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat; ſic facti ſumus. A facie tua, Domine,concepimus, & quaſi parturiuimus,& peperimus ſpiritum.* Nota illud *a facie tua, Domine,* id eſt, propter tuam vim, & efficacitatem tales facti ſumus, vt conciperemus. Quod clariùs Hieronymus vertit ſecundùm Septuaginta: *Propter timorem tuum, Domine, in vtero accepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ.* Ad quem locum alludens Chryſoſtomus homil. 41. ad populum Antiochenum poſt medium ait: *Qui corda compungit, qui compunctionis dat ſpiritum, corda noſtra compungat, & in profundo ſemina ponat,& ab ipſo timore concipiat, & pariat ſpiritum ſalutis.* Idem locus Iſai. 26. ad probandam neceſſitatem gratiæ præuenientia, adducitur à Fulgentio de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 20. propè initium. Sed profundiùs Chryſo- 15.

ſtomus de Spiritu ſancto in Pentecoſt. ſermon. 2. inter medium, & finem, iſtius teſtimonij vim explicuit, dicens: *Propter timorem tuum, Domine, vterum geſſimus, & parturiuimus, & peperimus verbum ſalutis. Nos qui ſumus carnes infirmitatis, peperimus ſpiritum ſalutis: quia concepimus hodie ab excelſo ſpiritum adoptionis filiorum. De hac ſalutari incorruptiſſima ſpiritus conceptione, volo tibi hodie ſpiritualem, & myſticum quemdam ſermonem inſtituere, vt manifeſtiùs ſcias, quis prius fueris, quis nunc factus ſis, & quid intrà te ipſum conceperis, & qualem fœtum in anima tua feras, & quomodo omni chriſtianæ menti quadret, vt dicatur: Benedicta tu in mulieribus vt ſponſa Dei: & benedictus fructus ventris tui, qui quidem Spiritus ſanctus eſt.*

16. Probatur quintò. Nàm quibuſque peccatoribus, etiam fidelibus, congruit, quod Pſal. 77. cecinit, & Patres ex eo colligunt, videlicet, neceſſarium fuiſſe, vt Deus abundet miſericordia, & iram auertat, *recordatus quia caro ſunt, ſpiritus vadens & non rediens.* In cuius paraphraſi hæc eſt vis apud Auguſtinum ibi: *Ideo eos vocando, & miſerando per ſuam gratiam ipſe reuocauit, quia per ſe ipſos redire non poterant.* & confirmat Auguſtinus ex cap. 2. Prouerb. vbi de via iniquitatis dicitur: *Omnes qui ambulant in ea, non reuertentur,* nimirum, niſi præueniête gratia reuocati. Eodê verſu Pſal. 77. ad idem probandum vtitur Proſper 1. de vocat Gent. c. 7. & Anſelm. dialogo de libero arbitrio cap. 10.

17. Probatur ſextò, quia de quibuſlibet peccatoribus etiam fidelibus verificatur illud Iſaiæ 65. & Rom. 10. *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me interrogabant.* atque ouem eſſe, quæ perierat, nec rediret vnquam ad caulas; niſi priùs paſtor quæreret Lucæ 15. & Matth. 12. quod argumentum fuſiùs ponderauimus ſuprà diſp. 53. ſect. 7. à principio.

18. Probatur ſeptimò, *quia confeſſio & magnificentia opus eius* eſt, Pſalm. 110. Ex quo verſu Auguſtinus & Proſper in commentariis colligunt, per gratiam præueniri, & excitari confeſſionem peccatorum, qua eorum impetratur remiſſio.

19. Probatur octauò Iſaiæ 30. *Aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: hæc eſt via, ambulate in ea.* Quem locum tractans Gregorius 3. part. Paſtoralis admonit. 29. notat, hoc generaliter dictum de vniuerſa Eccleſia, neceſſariò intelligêdum eſſe etiam de ſingulis hominibus, & poſt pauca ſic loquitur: *Vocem poſt tergum monentis audimus, ſi ad inuitantem nos Dominum ſaltem poſt peccata reuertimur. Debemus ergo pietatem vocantis erubeſcere.*

20. Probatur nonò, variis teſtimoniis ſanctorum Patrum, qui generaliter loquuntur de quacunque conuerſione ad meliorem frugem; ſiue ab infidelitate ad fidem, ſiue iam accepta fide, ab iniuſtitia tranſeas ad iuſtificationem; vel à ſæcularibus negotiis ad perfectionis ſtatum confugias; nec aliquod ex his pœnitentiæ genus accipiunt.

21. Magnus Antonius epiſt. 1. ad fratres paulo poſt initium tom. 3. Bibliothecæ de iis, qui per veram pœnitentiam vitiis, atque dæmoni certamen indicunt, ait: *Puto, quòd eos primus vocet ſpiritus, qui ingrediuntur ex toto corde certamen.* (& poſt pauca:) *Præſtat eis lenitate in omnibus, iuuans eos ſpiritus, vt indulceatur in illis opera pœnitentiæ. Ponit eis terminos per modum quemdam pœnitudinis in corpore & anima eorum, vſque quò doceat eos etiam conuerſionis modum ad conditorem proprium Deum, nec non & præbet eis violentia compulſionem, in anima diſcurrentem, & corpore, vt vtraque ſanctificari queant.*

S. Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 18. ait: *Quòd ad Deum nos conuertimus niſi ipſo excitante & adiuuante non poſſumus.* 22.

Paulinus epiſtol. 37. quæ eſt 1. ad Aprum col. 4. ait: *Opus Dei eſt, mutare hominem; quia ſolus poteſt, inſtaurare, quem fecit: quòd toto iam orbe terrarum, ſapientia Dei Chriſtus operatur, vbique ſe gentium, verbo, voluntate circumferens, & per electas animas ſemetipſum immittens, vt in omni gente primatum habeat.* Pondera primò opus Dei eſſe conuerſionem, & iuſtificationem hominis. Secundò Chriſtum Dominum ſe ipſum circumferre, & immittere, nec expectare, vt ab hominibus adducatur, aut vocetur. Tertiò, non haberet Chriſtus Dominus primatum; niſi prior inchoaret hominis regimen, ſed expectaret, vt homo ſui ipſius regimê à Chriſto ſibi præbendum præſcriberet. Hæc igitur omnia ſignificant præuenientem gratiam: ſicut etiam *flectendi* verbum, quod ſubditur infrà: *Quanto enim prudentiorem te cæteris, & doctiorem fuiſſe meminerunt, tanto euidentior ijs eſſe debet operatio potentiæ Dei; quia prudentem à ſententia ſua curſu, vel ſtatu non poteſt flectere, niſi ſumma ipſa ſapientia,* &c. His conſonant plura, quæ in eadem & in ſequenti epiſtola ſubiicit. 23.

Fulgentius lib. 1. de remiſſione peccatorum ad Euthymium cap. 15. ait: *Sicut cæcus quilibet, quandiu cæcus eſt, non poteſt lumen videre; ſic impius quilibet, aut impius remiſſionem non accipit peccatorum; niſi præuentus gratuito iuſtificationis munere, toto corde conuertatur ad Deum.* Similia de neceſſitate gratiæ præuenientis, vt quilibet impius conuertatur, docet in ſequenti libro 2. de remiſſione peccatorum cap. 2. & tota epiſtola 6. Fulgentij ad Theodoretum de conuerſione continet eiuſdem veritatis confirmationem. 24.

Gregorius lib. 17. Moralium cap. 9. ait: *Lumen Dei eſt gratia præueniens, quæ ſi in corde noſtro nequaquam gratuita conſurgeret, profectò mens noſtra in peccatorum ſuorum tenebris obſcura remaneret.* & hom. 8. in Ezechielem ſub initium ait: *Venit Maria Magdalena poſt multas maculas culpæ ad pedes Redemptoris noſtri cum lachrymis. Sed quis eam infundit intus, niſi qui benignè ſuſcepit foris; quis illam ad lachrymas vrgebat per compunctionis ſpiritum, niſi qui hanc exterius coram ſimul recumbentibus recipiebat ad veniam?* Pondera verbum *infundere,* nam infuſio eſt vnum ex nominibus gratiæ præuenientis ſuprà diſp. 29. ſect. 2. Similia multa ſcribit lib. 11. Moralium cap. 5. & 6. & alibi ſæpè. 25.

D. Lucas Abbas ſancti Cornelij in ſummarialis commentariis Aponij columna 4. tomo 1. Bibliothecæ explicans illud Canticorum: *Vox dilecti mei pulſantis,* ait: *Chriſtus per occultam compunctionem pulſat oſtium mentis, vt ſuſcitata à ſomno lethali, videat ſe periculis circumdatam, & deprecetur à ſe adiutorium.* 26.

Bernardus ſermon. 1. Pentecoſtes, & 2. propè finem, & in fine probat pœnitentiam indigere præueniente & excitante gratia Spiritus ſancti. Quod ab experientia confirmat in ſerm. 1. Pentecoſtes propè medium, dicens: *Initium reuertendi ad Deum pœnitentia eſt, quam ſine dubio ſpiritus operatur, non noſter, ſed Dei, idque & certa ratio docet, & confirmat authoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit, ei ab igne veniſſe calorem, quem habere non poterat ſine illo? Sic ergo qui prius in iniquitate eras frigidus, ſi poſtmodum feruore quodam pœnitentia accendatur, alium ſibi ſpiritum, qui ſuum arguit, & diiudicat, non dubitet aduenisſe. Habes* 27.

hoc

hoc & in Euangelio, vbi cùm loqueretur de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: ille, inquit, arguet mundum de peccato.

28. Obſerua primò plurima verba, quæ gratiam operantem, ſeu præuenientem, in nobis ſine noſtra deliberatione factam, denotant, videlicet, *initium, operatur aduenisſe alium Spiritum, qui ſuum arguit.* Secundò Bernardus exiſtimat, accepto feruore pœnitētiæ, non eſſe dubitandum; quin ſpiritus Dei operans, & præueniens venerit; ergo ſupponit ſine illo nunquam contingere talem feruorem. Alioquin dubitandum eſſet, an ex illa cauſa; vel ex alia pœnitentiæ feruor prouenerit.

Clariùs eidem veritati teſtimonium dedit Bernardus ſermone 1. de Annunciatione col. 1. fine, dicens: *Præuenienti ſiquidem miſericordia, vt veritas noſtræ conuerſionis occurrat neceſſe eſt: ac de cætero ſanctimoniam ſectemur, & pacem, ſine qua nemo videbit Deum. Vbi enim compungitur quis, iam tunc eum miſericordia præuenit; ſed nequaquam ingreditur, donec ei veritas confeſſionis occurrat.*

29. Laurentius Iuſtinianus lib. de Obedientia c. 15. initio ita ſcribit: *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Nouerat quippe, non ſui eſſe arbitrij rectam ac Deo placitam de proprijs facinoribus compunctionem habere, neque innocentiæ mentis ad libitum obtinere candorem. Hoc ſpeciale eſt munus, ad profectum & meritum prærogatum electis. Nam clamor vocis, motus labiorum, verbalis confeſſio, tunſio pectoris, corporis inclinatio, & plura huiuſmodi ſunt, quæ valet ex ſe coram Deo quiſque peragere: minimè tamen humilitatem cordis, piæ compunctionis gemitum, & gratum facientis charitatis poſſidere ſuſpirium. Hoc namque ſolius Dei eſt opus. Præuenit enim gratia ipſius prædeſtinatos ad vitam, conuertit auerſos.* Pluraque alia ſubiungit in eandem ſententiam; in his verò poſtrema verba præſertim conſideranda ſunt, *præuenit enim gratia*, &c.

30. Theodoretus ad Rom. 8. ad illa verba: *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus*, ait: *A gratia excitati compungimur.*

31. Decimò probatur ex Tridentino ſeſſ. 6. multis in locis. nam can. 3. ita decernit: *Si quis dixerit, ſine præuenienti Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Vbi notandum eſt primò, quatuor actus virtutum theologalium, & pœnitentiæ diſiunctiuè poni, vt non ſolùm ad eorum collectionem, vel ad primum eorum; ſed etiam ad ſingulos diuiſiuè referatur neceſſitas gratiæ præuenientis. Secundò hæc neceſſitas eodem modo refertur ad actum pœnitentiæ, vel ad actum ſpei, vel charitatis, quomodo refertur ad actum fidei. Ergo ſua peculiaris indigentia eſt vnicuique actui. Nam alioqui ſi ſpes, charitas, & pœnitentia non aliter indigerent gratia præueniente; niſi quatenus indigent fide, quæ ſupponit gratiam præuenientem; veriùs, clariúſque dixiſſet Tridentinum, neminem credere ſine præueniente inſpiratione, qua data, nulla opus eſt inſpiratione, vt poſſit ſperare, diligere, & pœnitere, ſicut oportet.

32. Confirmatur primò. nam eiuſdem ſeſſionis ſextæ cap. 5. agit de adultis, non diſtinguendo fideles ab infidelibus, vt conſtat ex titulo, atque contextu capitis, & de omnibus decernit, *iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe.* Sequenti contextu docet hanc gratiam requiri, vt peccatores ſe ad iuſtificationem diſponant. Quòd idem fuſiùs exponit toto cap. 6. oſtendendò, diſpoſitionem iuſtificationis neceſſariam non ſolùm eſſe fidem, ſed etiam ſpem, & pœnitentiam.

Secundò ad eiuſdem probationis confirmationem valde notanda ſunt verba Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. initio: *Qui verò, accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus renouari poterunt, cùm excitante Deo per Pœnitentiæ ſacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procurauerint.* Pondera illa verba, *excitante Deo.* Quæ fruſtrà inſerta eſſent decreto, ſi abſque præueniente; & excitante gratia contingeret lapſos procurare gratiæ recuperationem, præſertim cùm in his capitibus Concilium valde exactè atque præcisè numeret ea, quæ per ſe requiruntur, ſaltem de lege ordinaria. 33.

Probatur vndecimò ex Arauſicano II. can. 4. dicente: *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare, contendit; non autem, vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri, confitetur, reſiſtit Spiritui ſancto per Salomonem, dicenti: Præparatur voluntas à Domino; & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Sed voluntas, vt purgari velimus, eſt initium pœnitentiæ, qua peccatorum ſordes abluimus: ergo initium pœnitentiæ fit per Spiritus ſancti infuſionem, & operationem, non expectata voluntate noſtra: quæ circumlocutio propriè ſignat operantem & præuenientem gratiam, vt conſtat ex diſputatione 29. ſect. 2. & diſp. 31. 34.

Confirmatur primò, *quia nullus miſer de quantacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur.* Vt idem Arauſicanum decreuit can. 14. ſed fidelis peccator per pœnitentiam liberatur à maxima miſeria inimicitiæ Dei, & damnationis æternæ: ergo hæc liberatio non fit ſine miſericordia præueniente. 35.

Confirmatur ſecundò, quia peculiariter diligere Deum, ſicut oportet, eſſe impoſſibile ſine gratia præueniente definit Arauſicanum II. can. 25. & Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. At vera pœnitentia, ſi eſt contritio, eſt actus dilectionis Dei; vel dilectionem ſupponit: ſi autem eſt attritio cum ſacramento, diſponit vt infundatur dilectio Dei.

In his atque ſimilibus teſtimoniis ponderanda ſunt duo. Primum indefinitè loqui, non limitando ad hoc omnes fideles, vel infideles, iuſtos, aut peccatores. Quapropter neque à nobis limitanda ſunt. Secundum ad ea verba verificanda, non ſatis eſſe, ſi ad credendum requiratur gratia præueniens, vt notauit circa Tridentinum in num. 31. 36. *In his teſtimoniis duo ponderanda.*

Poſtremò eadem concluſio à fortiori probata manebit omnibus teſtimoniis, atque rationibus, quæ reſtant in ſequentibus ſectionibus, & diſp. 42. ad probandam neceſſitatem gratiæ præuenientis, vt iuſtus eliciat aliquem meritorium actum. 37.

Secunda concluſio. Indigentia gratiæ præuenientis certior eſt ad eos actus, quorum peccator non habuerit habitum, veluti ad actum ſpei, ſi eius habitum nondum accepit, vel per deſperationem amiſit; nec non ad contritionem, vel attritionem, vel dilectionem Dei. Cæterùm circa eos actus eliciendos, quorum habitus adhuc peccator retinet, certa etiam eſt neceſſitas præuenientis gratiæ; ſed paulo inferiori gradu certitudinis: veluti ad eliciendum actum ſpei, aut attritionis, ſiue timoris ſeruilis, aut amoris Dei 38. *Ad actus quorum habitum non habet peccator gratiæ indigentia certior.*

propter retributionem, quando peccator retinet habitus horum actuum proprios.

39. Probatur primò, quia teſtimonia ſuprà citata vniuerſaliter, & ſine diſcrimine loquuntur, non limitando ad hos peccatores, potiúſque illos, nec ad eos actus, quorum habitus non retinent.

40. Secundò, quoniam etiam iuſtis neceſſaria eſt gratia præueniens ad actus meritorios, & tamen eorum habitibus præditi ſunt, vt ſequentibus ſectionibus conſtabit. Vnde rectè Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tract. 5. cap. 2. part. 2. ait, ad reſurgendum à peccato non ſufficere vllum habituale donum virtutis infuſæ; ſed opus eſſe peculiari tactu & pulſu Dei, qui excitet fidem dormientem. Idem Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arb. cap. 15. ſent. 4. ad obiect. 3. & 4. vltra plurimos alios Scholaſticos antiquos & recentiores, qui plus aliquid affirmant infra ſectione 8.

SECTIO IV.

Iuſtis, vt perſeuerent in ſua iuſtitia ſimpliciter neceſſaria eſt operans, ſeu præueniens gratia.

1. *Iuſti excitantur frequenter.* IVſtos frequenter excitari, & præueniri per illuſtrationes & inſpirationes, pertinentes ad dona Spiritus ſancti ſapientiæ, intellectus, conſilij, pietatis, & timoris, per charitatis feruorem, & ſpirituales conſolationes, omnes Theologi concedunt; nullúſque negare poterit, niſi cum fidei periculo negauerit exempla ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum, quotidianámque experientiam ſpiritualium virorum.

2. Sed cùm plurima Deus auxilia conferre ſoleat, ad facilitatem augendam, quamuis ſimpliciter neceſſaria non ſint, præſertim iuſtis & amicis ſuis, qui liberaliorem erga ſe Deum experiuntur: adhuc reſtat inquirendum, vtrùm iuſtis hominibus ſimpliciter neceſſaria ſit operans, ſeu præueniens gratia.

3. Et quamuis eò tandem euaſura ſit diſputatio, vt concludat ſingulas quaſlibet actiones ſupernaturales, etiamſi nulla peculiari difficultate impeditæ fuerint, indigere præueniente, & operante gratia infrà ſect. 6. & ſequentibus. Cæterùm oportuit nominatim, atque in ſpeciali tractari de neceſſitate eiuſdem gratiæ præuenientis; tum ad perſeuerantiam, de qua in præſenti ſectione; tum etiam ad heroicos actus virtutum, de quibus dicemus in ſect. ſequenti.

4. Huius autem duplex eſt ratio. Prima, vt certitudinis gradus faciliùs diſcernatur: quoniam præuenientis gratiæ neceſſitas ad perſeuerandum, vel ad actus heroicos, multo certior eſt, quàm eiuſdem gratiæ præuenientis neceſſitas ad cæteros actus ſupernaturales. Secunda ratio, quoniam ad actiones alias, nulla peculiari difficultate impeditas, noua præueniens gratia non requiritur, quandiu actualiter durat motio, ſeu virtus alterius gratiæ præuenientis, ſuprà ſect. 2. concluſ. 1. Cæterùm etiam in hoc caſu perſeuerantia, & quilibet heroicus actus virtutum ſupernaturalium nouam requirit operantem, & præuenientem gratiam, modo explicato in ſect. 2. concl. 2. & 3. Quapropter ampliationem hanc ſubintelligendam volo in concluſionibus huius, & ſequentis ſectionis.

5. De neceſſitate auxilij ad perſeuerandum celeberrima eſt doctrina Patrum, & Scholaſticorum, quam in præſenti tradere opus non erit: ſatis namque fuerit, ex aliis authoribus eam ſupponere. Cæterùm in ſpeciali, atque nominatim, vtrùm peculiaris gratia præueniens, & operans ſimpliciter neceſſaria ſit ad perſeuerandum, vix apud aliquem ex profeſſo tractatũ reperio. Rectè nihilominus de hoc articulo decreuerunt Bellarminus libro vnico de gratia primi hominis cap. 4. col. vltima, & lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. vltimo §. *denique*, & Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 11. n. 12. & 13. & cap. 15. num. 16. Eſt autem huius veritatis cognitio non modicæ vtilitatis, ad meliùs intelligendum auxilium quod ad perſeuerandum requiritur.

6. *Iuſtis vt perſeuerent gratia neceſſaria.* Sit ergo concluſio vnica Iuſtis, vt perſeuerent, ſua iuſtitia ſimpliciter neceſſaria eſt operans, ſeu præueniens gratia. Concluſionem ita explico, quemadmodum Tridentinum ſeſſ. 6. can. 22. definit, *iuſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta iuſtitia perſeuerare non poſſe*; eodem ſenſu nos vlteriùs declarantes, quòd virtute implicita in hoc decreto continetur, aſſerimus, iuſtificatum ſine ſpeciali auxilio præueniente, ſeu excitante perſeuerare non poſſe. Minimè verò propterea negamus neceſſitatem auxilij adiuuantis, & cooperantis, quod ſingula ſupernaturalia opera requirunt, quorum plurima complectitur perſeuerantia. De huius auxilij neceſſitate dicemus ſect. 11.

7. *Perſeuerãtia difficultas.* Hanc concluſionem, exiſtimo, eſſe debere certam. Primò, quoniam efficaciter colligitur ex ſacris Literis. Nam ſi ad aliquod bonum neceſſaria eſt iuſto præueniens gratia; maximè ad perſeuerandum, quod ex genere eſt difficillimum omnium bonorum; quippe quòd cætera omnia bona, eorúmque difficultates complectitur ex genere. At verò iuſtis neceſſariam eſſe gratiam præuenientem, & operantem, probant plurima ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ à Patribus citantur, ad probandam neceſſitatem gratiæ præuenientis; ea namque de iuſtis agunt, non minus quàm de peccantibus, & primò iuſtorum voces ſunt illæ Pſal. 58. *Miſericordia eius præueniet me.* & Pſalm. 78. *Citò anticipent nos miſericordia tua.* Ex quibus neceſſitatem gratiæ præuenientis colligunt Arauſicanum II. Auguſtinus plurimis in locis, Proſper, Fulgent. Gregorius Magnus, Bernardus, & alij Patres locis notatis ſuprà diſp. 18. ſect. 4. initio.

8. Probatur ſecundò, quia iuſti oratio eſt illa Pſal. 118. *Inclina cor meum Deus, in teſtimonia tua.* Vbi Ambroſius ſerm. 5. non obſcurè tradit auxilij præuenientis neceſſitatem in verſu 4. fine, & verſu 5. præſertim ad finem, & verſu 6 poſt medium. Quamuis enim nomen præuenientis gratiæ non exprimat; vtitur tamen propriis circumlocutionibus illius. Adde poſtremum verſum eiuſdem Pſalmi, quem iuſtorum nomine pronunciari, indicat poſtrema pars, *Quia mandata tua non ſum oblitus.* & tamen orat, dicens: *Erraui ſicut ouis, quæ perijt; quære ſeruum tuum?* Qui actus non eſt in poteſtate eius, qui quæritur, & eſt inuentione prior; ſignificátque interiorem exhortationem, vt fusè Bernardus toto ferè ſermone 84. in Cantica, & Ambroſius in Commentario eiuſdem verſus, Chriſtum Dominum ſic alloquitur: *Pulſat ad ianuam, vt excites dormientem; vaſ iacentem leuare, dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis; mittis manum tuam per cauernam, vt ſurgat.*

9. Probatur tertiò. nam robur, radices, & fundamentum in charitate requiruntur ad perpetuitatem, conſtantiámque perſeuerantiæ propriam.

Hæc

Hæc autem operante, atque præueniente gratia indigere, non obſcurè colligitur ex Paulo Epheſ. 3. verſ. finem: *Flecto*, inquit, *genua mea ad Patrem*, &c. *vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati*. Quod diſp. 18. ſect. 9. probatum eſt ex oratione rectè colligi neceſſitatem gratiæ operantis & præuenientis. Eandem ſignificat verbum *dare*, vt ſæpe diximus. Sed clariùs eam ſignificauit Paulus, ſubiungens: *Ei autem, qui potens eſt, omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis*. Hæc nimirum eſt gratia operans, quam poſtulauit priùs.

10\. *Status innocentiæ, & naturæ lapſæ diſcrimen.* Probatur ex Auguſtino de correptione & gratia toto cap. 11. & 12. vbi inter ſtatum innocentiæ, & ſtatũ naturæ lapſæ hoc præcipuum diſcrimen conſtituit, quòd in ſtatu naturæ lapſæ indiget homo gratia, non ſolùm qua poſſit perſeuerare, ſi velit; ſed etiam gratia, qua Deus faciat, vt homo velit perſeuerare. Quam vnam eandémque ſententiam, variis formulis explicatam, ſæpiùs repetit in eiſdem capitibus, & rationem reddit propter infirmitatem, & fragilitatem naturæ lapſæ, & propter carnis pugnam cum ſpiritu. Vnde ſubiungit: *Subuentum eſt infirmitati humanæ naturæ, vt a diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur.*

11\. Porrò, vt videas, in prædictis ſententiis Auguſtini contineri neceſſitatem gratiæ operantis, ſeu præuenientis, rectè vocationem, ſeu exhortationem internam eſſe præcipuum medium, quo Deus facit, vt velimus obedire præceptis eius, vt notauimus breuiter diſp. 31. ſect. 4. num. 17. & 18. & conſtabit magis tomo ſequenti. Sed quod Auguſtinus hîc tangit de Angelis, & Adamo in ſtatu innocentiæ, tractabimus infrà diſp. 43. Nunc prædictæ rationis vis explicatur magis, quia natura humana poſt lapſum eſt animo inconſtantiſſima, & ad bonum languet, plena caligine, tædio, atque triſtitia; niſi momentis ſingulis diuina illuſtratio, & ſuauitas erigat, conſolatione ac ſuauitate perfundens. Hæc autem eſt ipſa gratia operans, ſeu præueniens ſuprà diſp. 30.

12\. Quintò probatur, quia propter hanc rationem quibuſlibet iuſtis, non ſolùm tepidis, aut exiguo tempore in virtute exercitatis, ſed etiam longo virtutis ſtudio innouatis, & feruentibus, ne concidant, ſed perſeuerent, neceſſariam eſſe præuenientem, & excitantem Dei viſitationem. Greg. lib. 10. moralium cap. 29. aliàs 38. in fine ait: *Et niſi nos ſuperna viſitatio, vel ad amorem, compungendo, viuificet, vel ad timorem, flagellando reſtauret; repentino lapſu mens funditus tota deſtruitur, quæ longo virtutis ſtudio innouata videbatur.* Vnde ſubditur: *& viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Viſitatio vnum eſt ex nominibus præuenientis & excitantis gratiæ, ſuprà diſp. 29. ſect. 2.

13\. Sextò. Eodem ſpectant illa verba Bernardi ſermone 2. in Pentecoſtem fine: *Quid ergo à te quærit, qui tanta ſolicitudine te quæſiuit, niſi te ſolicitum ambulare cum Deo tuo? hanc ſolicitudinem non facit niſi Spiritus ſanctus, qui ſcrutatur profunda pectorum noſtrorum, diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod poſſidet, habitaculum patitur reſiſtere: ſed ſtatim igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis exurit ſpiritus dulcis & ſuauis, qui noſtram voluntatem flectat, imò erigat, & dirigat magis ad ſuam, vt eam & veraciter intelligere, & feruenter diligere, & efficaciter implere poſſimus.* Vbi diligenter obſerua operantis, & præuenientis gratiæ propriam eſſe dulcedinem, & ſuauitatem ſpiritus, quæ noſtram voluntatem flectat, vt ſuprà diſp. 30. ſect. 2.

14\. Septimò probatur, quia non ſolùm prima gratia, ſed etiam perſeuerantia: *Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei*, Rom. 9. Hæc enim verba pertinent ad prædeſtinationem, quæ non ſortitur effectum ſine perſeuerantia. Cauſam verò propter quam non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, Auguſtinus probat, eſſe vocationem ſecundùm propoſitum, quæ ſine pœnitentia eſt, ac ſine mutationis, aut fruſtrationis defectu. Ergo huiuſmodi vocationem, ſeu gratiam præuenientem, exiſtimat Auguſtinus eſſe neceſſariam, vt prædeſtinati perſeuerent. Huius rationis vim percipiet, qui plurima leget ex variis operibus Auguſtini de gratia & prædeſtinatione, velutí de correptione & gratia, toto cap 9. & capite 12. circa med. & in Enchirid. cap. 32. & lib. 1. ad Simplicianum non longè ante medium, & 1. retractationum cap. 23. cui atteſtantur Proſper, Fulgentius, Bernardus & Anſelmus citati diſp. 18.

15\. *Maximum beneficium perſeuerãtia.* Probatur octauò, præcipuum, quippe maximúmque beneficium, quo Deus in via prædeſtinatos diſcernit à reprobis, eſt perſeuerãtia. Quapropter de illa præcipuo iure intelligendum eſt illud 1. Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit*. At verò ex eo quòd Deus ſit cauſa huius diſcriminis, communiter Patres cum Auguſtino colligunt præuenientis & operantis gratiæ neceſſitatem; vt oſtendimus ſuprà diſputatione 18. ſectione 5. in princ.

Nonò probatur D. Thomæ teſtimonio quod retulimus ſect. 2. concl. 3.

Poſtremò idem à fortiori colligitur ex omnibus teſtimoniis, & rationibus theologicis, quæ in ſequentibus ſectionibus, & tota diſp. 42.

SECTIO V.

Iuſtificatis gratia præueniens ſimpliciter neceſſaria eſt, ad eliciendos actus heroicos, vel extraordinaria à quacunque difficultate impeditos.

HVius ſectionis vnica eſt concluſio, eadémque in illius titulo præfixa. Videtur autem eſſe omnino certa, & à nullo Theologorum, quem ſciam eſſe negata; imò expreſsè conceditur etiam ab iis Doctoribus, qui iuſtificatis, negare videntur, neceſſariam eſſe præuenientem gratiam ad ſingulos actus meritorios. 1. *Omnino certa.*

Huius probatio & explicatio inductione conſtabit, diſcurrendo per genera præcipua eorum operum, quæ extraordinaria difficultate impediuntur. 2. *Exemplis probatur.*

Primum exemplum nobis præbent Apoſtoli, qui non ſequerentur Euangelicam perfectionem, niſi vocati fuiſſent, Matth. 4. Marci 6. & Lucæ 6. Rurſus niſi priùs accepiſſent virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in ipſos, non fuiſſet Deo teſtes in Hieruſalem, Actuum 1. & 2. Alioqui ſicut in Chriſto Domino moriente ſcandalum paſſi ſunt, ita vrgentibus perſecutionibus, deficerent à fide, vel eam ſaltem ore negarent.

Secundum exemplum, præcedenti proximum, eſt martyrium, & fidei coram tyranno confeſſio, quam indigere præueniente, & operante gratia Spiritus S. ex verbis Chriſti Domini Matth. 10. 3. *Fidei coram tyranno confeſſio.*

Nolite

Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, &c. colligunt Auguſtinus de prædeſt. & gratia cap. 11. & Proſper contra Collatorem capite 34. & 38. & epiſt. ad Demetriadem propè finem. Quibus conſonat Didymus, Hieronymo interpréte, in lib. 1. de Spiritu ſancto colum. 6. & col. penult. & Athanaſius in epiſt. ad Serapionem de diuinitate Spiritus ſancti col. 4. & Chryſoſt. tom. 1. homilia de Natiuitate ſeptem Machabæorum col. 2.

4. Peculiariter Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſ. 16. poſt medium ſic præuenientis gratiæ deſcribit exhortationem ad Cófeſſores, vel Martyres: *Sæpe propter Chriſtum afficitur contumelia, & ignominia quiſpiam; martyrium imminet, tormenta vndique & ignis, & gladius, & beſtiæ, & gurgites. Verùm interea Spiritus ſanctus alloquitur, Suſtine Dominum; parua ſunt iſta, quæ fiunt; breui tantùm tempore labora, & in ſempiternum eris cum Angelis. Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Deſcribit homini regnum cælorum, demonſtrat deliciarum paradiſum.* Huiuſmodi autem illuſtrationem, & inſpirationem eſſe ad martyrium ſimpliciter neceſſariam, notat poſt pauca ſubiiciens: *Si enim nemo dicere poteſt Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto; vitam pro illo, & ſanguinem quis profundet; niſi in Spiritu ſancto?*

5. Eiuſdem præuenientis gratiæ vim, & efficacitatem Ignatius expertus quando vinctus ducebatur ad beſtias, epiſt. 12. ad Rom. ad finem dicebat: *Aqua autem alia viua manet in me, intrinſecus mihi dicens: Veni ad Patrem. Non comedam eſcam corruptionis, neque voluptates mundi deſidero: panem Dei volo, panem cæleſtem.* Quæ omnia vocationem ad martyrium valde ſuauem & efficacem ſignificant.

6. Ad Confeſſores Chriſti, quos infidelium perſecutio vexat, dirigitur præſertim illa interior exhortatio & conſolatio, quam in ſe, ſuiſque Paulus expertus teſtatur 2. Corinth. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt per exhortationem, qua exhortamur & ipſi a Deo, quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.*

7. *Caſtitas perpetua.* Tertium exemplum ſit caſtitas perpetua, de qua Matth. 19. diſputans Dominus, ait: *Non omnes capiunt verbum iſtud; ſed quibus datum eſt.* Quæ phraſis eſt præuenientis gratiæ ſuprà diſputatione 19. ſectione 2. num. 5. & ſequentibus. *Religionis ingreſſus.* Caſtitati ſubiunge religionis ingreſſum; ſi eius electio fiat, ſicut oportet, ex animo fugiens ſeculares mores, & Chriſti Domini perfectionem imitationem deſiderans. Ad illam namque omnes viri, rerum ſpiritualium experti, atque illuſtrati diuinitus, peculiarem Dei vocationem prærequirunt; eámque per multa indicia, & experimenta, diligenter explorant.

8. Huc pertinent Magni Antonij verba, quæ retulimus ſuprà ſect. 3. probat. 9. initio, quæ licèt ad quamlibet conuerſionem referantur; præcipuè tamen diriguntur ad illam, per quam à ſeculari vita ad ſtatum perfectionis conuertimur.

9. Huic etiam præcipuè congruunt verba Cyrilli Alexand. catecheſ. 16. poſt med. *Cernis, quemadmodum iuſtos Spiritus ſanctus illuminat?* & poſt pauca: *Quod ſi fortè ſedenti tibi de caſtitate, aut virginitate ſubeat cogitatio, illius eſt ea doctrina. Nónne ſæpe puella iam ad ſponſi thalamum conſtituta, effugit, Spiritu ſancto de virginitate eam docente? Nónne ſæpe ſplendidus aliquis homo aulicus contempſit diuitias, probè inſtitutus a Spiritu S. Nónne iuuenis ſæpe videns pulchritudinem, compreſſit oculos, & ne amplius videret aut fugit, pollutionémque vitauit? Quæris vnde id contingat? Spiritus ſanctus certè ſic erudiuit animum adoleſcentis.*

Quartum ſit ſacerdotium, quòd non ſolùm propter caſtitatis obligationem, ſed etiam propter cætera illius munera ſpecialem Spiritus ſancti gratiam præuenientem, operantémque requirit. Quam vocationis nomine ſignificauit Paulus Hebr. 5. dicens: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* vbi S. Thomas: *Hoc eſt,* inquit, *contra naturam, quod aliquid perducat ſe ad ſtatum altiorem ſua natura: ſicut aer non facit ſeipſum ignem; ſed fit à ſuperiore.* 10. *Sacerdotium.*

Quintò. Ad contemplationem opus eſſe diuina vocatione non immeritò notant ſpirituales viri, ſicut *vocauit Moyſem Dominus de medio caliginis,* Exod. 24. atque vt ſponſam prouocauit in Canticis toto ferè cap. 2. 11. *Contemplatio.*

Sextò. Non ſolùm ad perfectionis ſtatum, ſed etiam ad quemlibet in virtute profectum opus eſſe Dei illuſtratione, atque inſpiratione vocantis, & excitantis, colligitur ex Canticorum cap. 5. quia nó ſolùm ad vniuerſam Eccleſiam, ſed etiam ad ſingulas iuſtorum animas dirigitur illa vocatio: *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, immaculata mea,* & infrà vehementiorem vim tangendi, & excitandi intimo ſenſu animi ſignificat: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen; & venter meus intremuit ad tactum eius.* 12.

Ventris, ſeu cordis tactus eſt gratia operans, ſeu præueniens apud Auguſtinum multis in locis, veluti lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 8. & lib. 4. contra Iulianum cap. 8. non procul à principio, & de gratia Chriſti capite 45. Hæc autem verba Greg. ita exponit in Ezechielem homil. 19. *Dilectus manum per foramen mittit, quando virtute ſua Dominus noſtrum animum per ſubtilem intellectum pulſat; & venter intactu illius contremiſcit; quia infirmitas noſtra per hoc, quod cæleſtis gaudij intellectu tangitur, ipſa ſua exultatione turbatur, & fit in mente pauor cum lætitia; quia etſi iam ſentit, quod de cæleſti gaudio diligit; adhuc metuit, ne pereat, quod vix tenuiter ſentit; quid ergo reſtat, niſi vt ad perfectionis vitæ curſum dirigant omnes, qui illa gaudia patriæ cæleſtis agnoſcunt.* 13.

Sed in Commentario eiuſdem cap. 5. Canticorum clariùs idem Gregorius expreſſit excitantis, & operantis gratiæ vocabula, dicens: *Sponſus propiùs accedens, per ſeipſum eam excitare non dubitat. Vbi dicitur: Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus tremuit ad tactum illius. Manus dilecti ad ſponſam mittit per foramen, vt ſurgas, quando per ſubtilem intellectum, quanta ſit operationis diuina virtus, ei inſpirando manifeſtet.* 14.

Iſidorus in eiuſdem lib. Commentario ita ſcribit: *Pulſat oſtium cordis, cùm nos Dominus ad profectum virtutum excitat. Aperi mihi, id eſt, cor pande mihi, ſoror mea, amica mea,* & poſt pauca: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, cùm nos Dominus occulta inuiſibiliter compunctione ad opus virtutum accendit.* 15.

Gregorius Nyſſenus 11. orat. in Cantica, quamuis paulo obſcuriùs, eandem tamen ſententiam tradit, præſertim ab illis verbis: *Veritas extra naturam noſtram ſtans, per cognitionem particularem (vt* 16.

Apoſtolus

Digitized by Google

Apoſtolus loquitur) conſiderationibus quibuſdam, & ænigmatis oſtium pulſat, &: Aperi, ait, ſuáque exhortationi modum ei ſubycit, quo aperiendum ſit oſtium, &c.

17. Clarius autem idem Nyſſenus orat. 5. in Cantica inter principium & med. in illis verbis Canticorum 2. *Surge & propera*, ſeu *veni*, duplicem vocationem excitantem agnoſcit; alteram, vt à peccato ſurgat; alteram vt in virtute progrediatur anima. Quod fuſiùs poſtea explicans, tandem inter medium & finem eiuſdem orationis addit: *Propterea rurſus ait ad excitatam, ſurge; & ad venientem, veni. Nec enim ille, qui hoc modo ſurgit, vnquam ſurgere deſinet, neque a currente ad Dominum ampliſſimum illud, diuo curſui deſtinatum, ſpatium conficietur. Semper nimirum excitari nos oportet; nec vnquam eſt quieſcendum, etiam ſi curſu propiùs ad ſcopum perueniamus. Quoties adeo tum verbum hoc ſurge, tum alterum illud veni, profert; toties facultatem aſcendendi ad potiora largitur.* Pondera præſertim illud, *ſemper excitari nos oportet.*

18. Prædictam neceſſitatem excitantis gratiæ, atque impoſſibilitatem retinendi illam pro libito, quoniam à ſolo Dei nutu, non à noſtra libertate dependet, Bernardus tradit ſermone 21. in Cantica columna 2. explicans illud Cantic. 1. *Trahe me poſt te.* Præſertim notanda ſunt illa verba: *Vides ne illum qui in ſpiritu ambulat, nequaquam permanere in vno ſtatu, nec eadem ſemper facilitate proficere, & quòd non ſit in homine via eius; ſed quemadmodum ei ſpiritus moderatur, pro vt vult, diſpenſat, nunc ſegniùs, nunc alacriùs, quæ retro ſunt, obliuiſci, & ad anteriora ſe extendere? Puto, quòd hoc ipſum, ſi attenditis, veſtra vobis experientia intus reſpondet, quod ego foris loquor. Ergo cùm te torpore, acedia, vel tædio affici ſentis, noli propterea diffidere, aut deſiſtere à ſtudio ſpirituali: ſed innitentis require manum, trahi te obſecrans ſponſæ exemplo, donec denuò ſuſcitante gratia factus promptior, alacriórque curras, & dicas: Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum. Sic autem quandiu adeſt gratia, delectare in ea, vt non te exiſtimes donum Dei iure hereditario poſſidere.* Multaque ſubdit in eandem ſententiam.

SECTIO VI.

Ad omnes & ſingulas operationes ſupernaturales præuenientem gratiam eſſe ſimpliciter neceſſariam, probatur ex ſacris Literis.

1. *Ad omnes ſupernaturales actiones præueniens gratia neceſſaria.*

AGimus de quibuſcunque ſupernaturalibus actionibus, etiam ſi neque ratione obiecti, & ex ſpecie ſua, neque ratione tentationis, alteriúſve circunſtantiæ ſingularem aliquam difficultatem, & extraordinariam contrahant. Ad illas ergo quaſcunque actiones, aſſero gratiam operantem, ſeu præuenientem eſſe ſimpliciter neceſſariam homini iam iuſtificato, ac proinde omnium virtutum ſupernaturalium habitibus inſtructo.

2. Probatur primò, quia fideles, & iuſtos eſſe Theſſalonicenſes, Paulus ſupponebat, quando illis præuenientem gratiam precabatur. 2. Timoth. 2. fine: *Dominus Ieſus Chriſtus, & Deus Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono.* Nota primò interiorem conſolationem, exhortationem, ſeu admonitionem eſſe gratiam præuenientem, iuxta diſp. 29. ſect. 2. ad finem. Nota ſecundò vniuerſalitatem ad omnia opera, *in omni opere, & ſermone bono.*

Secundò, quoniam, ad probandam neceſſitatem gratiæ operantis, paſſim Auguſtinus atque Patres illius aſſeclæ proferunt teſtimonium ex Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate ſua.* Quæ verba ad fideles, iam iuſtificatos, referri conſtat ex proximè præcedentibus verbis: *Sicut ſemper obediſtis, non in præſentia mei tantùm, ſed multo magis nunc in abſentia mea, cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt, qui operatur in vobis,* &c. 3.

Rurſus prædictam Pauli doctrinam generalem eſſe omnibus meritoriis actionibus, etiam ſi nulla extraordinaria difficultate ab hominibus iuſtis eliciantur, probatur. nam in propoſitionibus doctrinalibus, indefinita æquipollet vniuerſali; quapropter idem valet, ac ſi Apoſtolus dixiſſet: *Deus eſt qui operatur in vobis & omne velle, & omne perficere.* Sicut 1. Corinth. 12. dixit: *Diuiſiones operationum ſunt; idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* & Iſaias cap. 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis.* 4.

Doctrinali indefinita æquipollet vniuerſali.

Quæ teſtimonia, præſertim illud Philip. 2. quàm frequenter ab Auguſtino, aliíſque Patribus ponderata fuerint, ad probandam neceſſitatem operantis, & præuenientis vocationis, oſtendimus ſuprà diſp. 19. ſect. 2. num. 18. & dicemus plura tomo ſequenti. Nunc ſatis ſit illud Auguſtini libro 83. quæſt. q. 68. colum. 3. *Et quoniam neque velle quiſquam poteſt, niſi admonitus & vocatus, ſiue intrinſecus, vbi nullus hominum videt; ſiue extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia: efficitur, vt etiam ipſum velle Deus operetur in nobis.* 5.

Quam doctrinã ſupponit illa oratio Eccleſiæ: *Mentes noſtras & corpora poſſideat, quæſumus Domine, doni cæleſtis operatio, vt non noſter ſenſus in nobis, ſed eius iugiter præueniat effectus.* Et quidem quãuis non dixiſſet *iugiter*, nec loqueretur de iam refectis Euchariſtia, quos ſupponit gratia Dei iam viuos; ex ſola petitione omnium bonorum actuum, & gratiarum actione pro illis, rectè colligeretur ad ſingulos actus eſſe neceſſariam vberiorem gratiam præuenientem, ſi valet illa conſequentia, qua ſuprà diſp. 18. ſect. 9. neceſſitatem gratiæ præuenientis ad fidem, Concilia & Patres probant tum ex orationibus, tum etiam ex gratiarum actionibus, pro fide impetranda, vel impetrata. Eſt autem validiſſima conſequentia. 6.

Probatur tertiò, quia quibuſcunque meritoriis volitionibus & operibus ad brauium ſupernæ vocationis currit quilibet iuſtificatus: at verò nec volentis eſſe velle, nec currentis eſſe currere, ſed Dei miſerentis, per gratiam operantem, & præuenientem, Paulus tradit ad Rom. 9. cuius teſtimonij vim fuſiùs expendemus tomo ſequenti. 7.

Probant quartò Chriſti Domini verba Ioan. 14. *Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Quod ad exaggerandam interioris gratiæ neceſſitatem, attulimus ſuprà diſputatione 39. ſect. 3. Nunc verò, ad præſentem concluſionem confirmandam, ponderandum eſt primò, ſiue *ſuggeret* ſignificet ſolùm in memoriam reuocare, ſiue prætereà ſubmunere (vt multi vertunt ex Græco.) hoc tamen certum videri, non eſſe immediatè poſitam in voluntate noſtra huiuſmodi gratiam, videlicet quòd 8.

Spiritus

Digitized by Google

Spiritus ſanctus nos doceat, ſubmoneat, & ſuggerat, ac proinde eſſe gratiam operantem, ſeu præuenientem. Nam ea, quæ obliti ſumus, & alio ſuggerente recordamur, aut diſcimus, non a nobis diſcimus; nec nos ipſi nobis ſuggerimus.

Confirmatur. nam etiam ſuggeſtio diabolica eſt omnino extra noſtram poteſtatem & libertatem; & ideo non imputatur ad culpam. Vnde ipſa puritas, & ſanctitas Dominus noſter Ieſus Chriſtus *tentari per ſuggeſtionem potuit*, vt cum Greg. homil. 16. in Euang. Eccleſia profitetur.

9. Pondera ſecundò hæc dicta eſſe Apoſtolis iam iuſtificatis. Vnde colligitur etiam iuſtificatis neceſſariam eſſe doctrinam & ſuggeſtionem Spiritus ſancti.

Tertiò pondera diſtributiuam dictionẽ *omnia*. non ſolùm quæ locutus ſum apud vos manens, ſed etiam quæcunque poſtea dixero vobis. Atque ita videtur planè intelligere S. Thom. Ioan. 14. lect. 6. ſub finem, dicens: *Facit autem nos ſcire omnia, interius inſpirando, dirigendo, & ad ſpiritualia eleuando.* & infra: *Suggerit, in quantum nos impellit, prout eſt amor; vel ſuggeret nobis omnia, vel ad memoriam reducet.*

10. *Præcedentis rationis confirmatio.* Tota præcedens probatio confirmatur. nam prædicta Spiritus ſancti ſuggeſtione ſe indigere ſupponit Apoſtolus Philip. 1. ſecundùm lectionem Athanaſij in epiſt. ad Serapionem de Spiritus ſancti diuinitate col. 5. fin. *Scio enim quòd hoc eueniet mihi ad ſalutem, per veſtras orationes, & ſuggeſtionem Spiritus Ieſu Chriſti.* Nec alia eſt ſignificatio vocis, quæ ponitur in Vulgata, videlicet *ſubminiſtrationem*; hanc enim S. Thom. ibi lect. 2. exponit per ſupradicta verba Ioan. 14. *Suggeret vobis*, &c. Atque mens eadem eſt Chryſoſtomi in illud caput ſerm. 3. propè initium, vbi *ſubminiſtrationem Spiritus* exponit ita. *Nempe ſi ſubminiſtratus, ſi plus aliquanto adauctus mihi fuerit Spiritus.* & Theodoret. ibidem: *Diuino*, inquit, *Spiritu mihi gratiam ſuppeditante.*

11. Probatur quintò, quia Paulus iam iuſtificatus erat, quando abundantiùs cæteris Apoſtolis laborauit: rurſus quolibet bonu opere laborabat, & quolibet augebat eam abũdantiam laboris, quam Deo referebat acceptam. Ergo de quolibet opere bono quilibet iuſtus cum Paulo 1. Corinth. 15. ſentire debet, ac dicere: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* & rurſus: *Non autem ego.* Quibus in verbis præuenientis & operantis gratiæ neceſſitatem Patres agnoſcunt, præſertim Hieron. ibi, Auguſt. multis in locis, Baſil. Ennodius, Philo, Bernard. maximè verò Gregorius locis notatis ſupra diſp. 41. ſect. 1.

12. Satis ſit in præſenti repetere Gregorij verba 16. moral. cap. 10. *Superna*, inquit, *pietas priùs agit in nobis aliquid ſine nobis, vt ſubſequente quoque noſtro arbitrio, bonum, quod iam appetimus, agat nobiſcum. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit; Paulus ait: Gratia Dei ſum, id quod ſum. Et quia eandem gratiam liberum arbitrium ſubſequitur, adiungit: & gratia eius in me vacua non fuit, qui dum ſe de ſe nihil eſſe conſpiceret, ait: Non autem ego: & quia ſe eſſe aliquid cum gratia, inuenit, adiunxit: ſed gratia Dei mecum. Non enim diceret, mecum, ſi cum præueniente gratia ſubſequens liberum arbitrium non haberet.*

13. Probatur ſextò ex vi & ſignificatione verborum *dare, & accipere*, quæ in ſacris Literis ſignificant præuenientem, & operantem Dei gratiam. Conſtat autem, quæcũque bona opera cuiuſcunque iuſti eſſe dona per Deum data, & ab illo accepta. Vnde Chryſoſt. ad illa verba 1. Corinth. 8. *Gratias autem ago Deo, qui dedit eandem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi.* in homil. 18. init. ait: *Dei monſtrãs hoc opus eſſe, & gratiãs agit ei, qui dedit; atque adeò ſic adhortatur. nam ſi Deus illum excitauit, & miſit ad vos, ipſi petit per illum. Ne igitur putetis humanũ eſſe quod factum eſt.* Similiter OEcumen. ibid. ait: *Dei autẽ opus dicit, quod Titum ad hoc excitauerit.*

Auguſt. lib. 2. contra duas epiſt. Pelagia. c. 9. ſub fin. ait: *Hominis propoſitum bonum adiuuat quidẽ ſubſequẽs gratia Sed neque ipſum eſſet, niſi præcederet gratia.* Atque hanc ſententiam intelligendam eſſe de quocunque bono propoſito, non ſolùm peccatoris, ſed etiã hominis iuſti, oſtendunt, quæ ſequuntur verba: *Studium hominis bonum ab illo inſpiratur.* de quo dicit Apoſtolus 1. Corinth. 8: *Gratias autem Deo, qui dedit idem ſtudium pro nobis in corde Titi: ſi ſtudium quiſquam, vt pro alijs habeat, Deus dat; vt pro ſeipſo habeat, quis alius eſt daturus?* 14.

Confirmatur primò, & præcipuè, quoniam cuiuſcumque operis meritorij, quantumcũque facilis, gloriam ſi iuſtus aliquis arrogaret ſibi, cũ corriperet Paulus 1. Corinth. 4. dicens: *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Vnde gratiæ præuenientis, & operantis neceſſitatem colligit Auguſtinus multis in locis, Concilium Arauſicanum, Proſper, Fulgentius, Baſilius, & alij citati ſuprà diſput. 18. ſect. 8. num. 2. 15.

Confirmatur ſecundò, quia quamuis hi Patres plerumque hoc teſtimonio vtantur circa fidem, aut circa voluntatem credendi; nihilominus eorum ratio, imò etiam quandoque verba probant, idem intelligendum eſſe de quocũque opere meritorio. Si enim voluntas credendi à vocatione, & gratia præueniente, præcipuè habet, quòd ſit donũ à Deo acceptũ; cæteræ omnes piæ voluntates hoc ipſum non aliunde habebunt. Neque enim ſatis eſt, eſſe à gratia adiuuante; alioqui hoc ipſum eſſet ſatis in voluntate credendi, vt eſſet donum Dei. 16.

Septimò probatur Hierem. 24. *A tertio decimo anno Ioſiæ, vſque ad diem hanc factum eſt verbum Domini ad me.* Quod Hieron. ita ponderat: *Ex quo loqui ad populum cœpit, nunquam prædicare ceſſauit, ſed ſingulis diebus diluculo, & de nocte conſurgens loquebatur ad populum.* Vnde Hieron. colligit, neceſſarium eſſe vt diuina admonitio nobis quotidie renouetur, dicẽs: *Quomodo Propheta* (videlicet Hieremias) *ſe ſemper ingerit, & quotidie replicat mãdata Dei? niſi, vt hoc oſtẽdat, Dei nos ſemper indigere auxilio, & nunquam poſſe ſufficere, quod ſemel datum eſt, niſi quotidie Domini admonitione renouetur.* Nota primò, admonitionem Dei eſſe gratiam præuenientem, ſeu vocantem, vt conſtat ex diſp. 29. & ſeqq. prioribus diſputationibus. Secundò, illam vocem *quotidie*, ſupponi pro ſingulis opportunitatibus, in quibus opus ſit gratia, etiamſi pluries contingat vna die; ſicut *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, & illud, *clamat ad me quotidie.* 17.

Octauò probatur 2. Theſſalon. 1. *Oramus ſemper pro vobis, vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.* Perpende primò Theſſalon. fideles, & iuſtos eſſe ſupponi toto ſuperiori cõtextu epiſtolæ. Secundò perpende illud *ſemper*, ne vllam excipias actionem iuſtificationis, quæ in tẽpore aliquo fit. Tertiò huiuſmodi argumento, quod ab oratione ſumitur, ſcilicet Auguſt. alióſque Patres probaſſe neceſſitatem gratiæ, vt vidimus diſput. 18. ſect. 9. Quartò nota S. Thom. in lect. 1. ad fin. ita exponere, vt ſenſus ſit: *Faciat vos Deus in mundo conuerſari* 18.

dignè

Digitized by Google

dignè ſua vocationi, vel vt Deus dignetur vobis dare illud, ad quod vocauit vos.

19. Sed Pauli mentem meliùs attigiſſe videtur Chryſoſtomus ibidem homil. 3. tolum. 2. dicens: *Ad quod & ſemper*, inquit, *pro vobis oramus, vt Deus noſter iſta vocatione dignos vos habeat, & omne propoſitum bonitatis ſuæ, & opus fidei cum potentia compleat, vt dignos*, inquit, *vos habeat iſta vocatione. Nondum enim ea vocati erant; quapropter ſubiunxit: Et omne propoſitum bonitatis ſuæ compleat. Nam & qui ſordidis erat indutus, vocatus fuerat, ſed in vocatione non manſerat: ſed ob hoc ipſum magis dignus factus erat, qui vocationem hanc ad nuptias amitteret. Etenim, & quinque virgines vocatæ fuerant; Exurgite, inquit, ſponſus venit; & parabant etiam ſe, ſed non ſunt ingreſſæ. Declarans igitur, de qua vocatione dicat, ſubdit: & omne propoſitum bonitatis ſuæ, & opus fidei cum potentia compleat. Iſtam inquit vocationem inquirimus.*

20. Probatur nonò, quia quodlibet meritorium opus eſt fructus quem dat terra noſtra. Ergo niſi Dominus ſuauitatem & illuſtrandæ præuenientem dederit, nullum meritoriũ opus ferre poterit terra noſtra. Conſequentia próbatur. Pſal. 84. vbi nos legimus, *Dominus dabit benignitatem*, Auguſt. legit, *Dominus dabit ſuauitatẽ. & terra noſtra dabit fructum ſuum*. Atque inter alia ſic loquitur: *Ingemiſce ad Deum, & confitẽs illi peccata, mereberis ab illo delectationem, & ſuauitatem iuſtitiæ faciendæ, dabit tibi; vt incipiat te delectare iuſtitia, quem prima delectabat iniquitas.* & poſtquam fuſiùs explicuit huiuſmodi ſuauitatem ad ſingula bona opera, eius neceſſitatem affirmat, dicens: *Niſi Deus plueret, quid prodeſt quod ſeminatur? hoc eſt. Dominus dabit ſuauitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Ille enim viſitationibus ſuis in otio, in negotio, in lecto, in conuiuio, in collocutione, in deambulatione viſitat corda veſtra. Veniat imber Dei, & quod fructificet, quod idem ſeminatum eſt.*

21. Confirmatur, nam quibuſlibet hominibus generaliter, & abſque vlla limitatione huius, vel illius operis, vt bene operentur, neceſſariam eſſe prædictam ſuauitatem priùs a Deo dari, notat Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione capite 7. & 19. & de corrept. & gratia capite 2. Fulgentius & Proſper, quorum teſtimonia retulimus ſuprà diſp. 30. ſect. 5. fine.

22. Decimò idem confirmat ferè totum caput 6. Sapientiæ, præſertim illa verba: *Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt ſe illis prior oſtendat.* (& infrà,) *quoniam dignos ſe ipſa circuit, quærens, & in viis oſtendit ſe illis hilariter. & in omni prouidentia occurret illis.* & cap. 7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manum illius: & lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia: & ignorabam, quoniam horum omnium mater eſt.* Vide ſapientiam antecedentem, ſeu præuenientem vſque adeò, vt non ſolùm antequam deſideraret, quæreret, peteret; ſed etiam antequam ſciret, eam eſſe ducem, fontem, caput, & matrem; illa per ſuas manus operata fuerint omnia in omnibus, immunerabilẽ, videlicet, honeſtatem virtutum. Vnde quod dixerat, veniſſe omnia bona pariter cum ſapientia, ſic intelligendum erit, ſicut pediſſequæ venire dicuntur pariter cum regina, quamuis ſubſequantur præeuntem.

23. Eandem vim habent, quæ paulò pòſt ſubiicit: *Mihi autem dedit Deus, dicere ex ſententia, & præſumere digna horum, quæ mihi dantur: quoniam ipſe ſapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator. Præſumere*

ibi eſt præconcipere; hoc ſi datur à Deo tanquam à ſapientiæ duce; conſequens eſt præcedere Dei donum, & gratiam; vt hic iam ſapiens, & iuſtus dicat bonum digna. Quod ita confirmat: *In manu enim illius, & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia & diſciplina.* Nihil ergo excipit à prædicta operatione Dei, qui vt ſapientiæ dux dat præconcipere. Cui explicationi conſonat Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 4. cap. 16. Proſper de vocatione Gentium lib. 2. cap. 24 Bernardi epiſtola 87. ad Ogerium.

Vndecimò probatur lib. 1. Regum cap. 10. *Abiit cum Saul pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda.* 24.
Cæteri namque contempſerunt, & tamen fideles erant. Nec dubium, quin eorum aliqui iuſti forent, donec contemnerent. Nihilominus ad illud virtutis opus indigebant *tangente Deo cor hominis, per Spiritus ſancti illuminationem*, vt loquitur Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. atque eadem phraſi, ad ſignificandam præuenientem gratiam, vtitur Auguſtinus variis in locis ſuprà diſput. 28. ſect. 5. num. 13.

Duodecimò probatur 1. Eſdræ cap. 1. verſ. fin. 25.
Et ſurrexerunt Principes patrum de Iuda, & Beniamin & Sacerdotes, & Leuitæ: omnis, cuius ſuſcitauit Deus Spiritum, vt aſcenderent ad ædificandum templum Domini. Vnde planè colligitur, nullum aſcendiſſe ad ædificandum, cuius Deus non ſuſcitauerit Spiritum.

Decimotertiò probatur lib. 1. Machabæorum 26.
capite 4. *Et cogitauit de altari holocauſtorum, quid de eo faceret, & incidit illis conſilium bonum, vt deſtruerent illud.* vbi verbum *incidit* denotat comparatione inquiſitionis humanæ fuiſſe caſuale initium illius conſilii, quoniam à ſuperiori aliquo agente delapſa eſſet illius inſpiratio.

SECTIO VII.

Eadem veritas probatur authoritate Patrum & Conciliorum.

TRidentinum ſeſſ. 6. capite 16. in medio 1.
agens de influxu Chriſti capitis in membra, ſic loquitur: *Quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur; & ſine qua nullo pacto meritoria eſſe poſſent.* Vbi nota vniuerſalem diſtributionem, nón ſolùm, quia in propoſitionibus doctrinalibus indefinita æquipollet vniuerſali; ac proinde bona opera idem ſignificant, quod omnia bona opera: ſed præſertim propter duas voces diſtributiuas, quæ ſubiunguntur, videlicet, *ſemper*, & *ſine qua nullo pacto.*

Secundò probatur ex Concilio Arauſicano II, 2.
can. 9 *Quoties*, inquit, *bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* Nota primò diſtributionem vniuerſalem ad omnes actus: *Quoties bona agimus.* Secundò præuenientem & operantem gratiam in illis verbis: *Deus in nobis operatur*, cuius diſtinctio à cooperante gratia notatur ſequentibus verbis; nec enim fruſtrà additur, *atque nobiſcum.* Tertiò operari in nobis, vt nos operemur, proprium eſt præuenientis, & operantis gratiæ. & canone 14 ſic loquitur: *Nullus miſer de quacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur.* Nota non ſolùm diſtributionem perſonarum, ſed etiam miſeriarum. Ruſus, can. 20. ait: *Nulla facit homo bona, quæ non præſtet Deus, vt faciat homo.* Quæ verba deſumpſit ex Auguſtino

lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianor. cap. 8. fine. Oſtendimus autem ſuprà diſp. 31. ſect. 4. num. 17. vocationem, ſeu gratiam operantem eſſe, qua Deus præſtat vt velimus, & faciamus.

3. Idem Concilium can. 25. prope initium ait: *Nullus poſt peccatum diligere Deum, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poteſt, niſi gratia eum & miſericordia diuina præuenerit.* & poſt medium eiuſdem canonis ait: *Hoc ſalubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur: ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat, vt Baptiſmi gratiam fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adiutorio, ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus.* Perpende vniuerſalitatem illam *in omni opere bono.* Deinde nota illud membrum, *fidem & amorem ſui priùs inſpirat*, referri copulatiuè etiam ad ea, quæ Deo ſunt placita poſt Baptiſmum implenda.

4. Tertiò probatur ex verbis Zoſimi Papæ apud Cæleſtinum, infrà citandum, qui ſcribens ad totius orbis Epiſcopos ait: *Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bona ad authorem ſuum referenda ſunt, vnde naſcuntur) ad Fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam vniuerſa retulimus.* Vbi primò obſerua, hoc non de ſolo Dei inſtinctu, Summo Pontifici peculiari, ſed de inſtinctu generali ad omnia opera omnium Sanctorum eſſe dictum. Quod

Probatur primò, ex ipſa parentheſi, quæ hypotheſim ad theſim reuocando, probat quod dixerat: *Omnia enim bona ad authorem ſuum referenda ſunt.* Loquitur ergo de inſtinctu neceſſario ad omnia bona, quorum Deus author ſit.

Secundò probatur, quia ſub hac vniuerſalitate intelligitur à Cœleſtino Papa epiſtola 1. ad Epiſcópos Galliæ capite 8. dicente: *Quòd omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda ſunt: quia nemo ei placet, niſi ex eo, quod ipſe donauerit. In quam nos ſententiam dirigit Beatæ recordationis Papæ Zoſimi regularis authoritas, cum ſcribens ad totius orbis Epiſcopos, ait: Nos autem inſtinctu Dei, &c.*

5. Obſerua ſecundò, inſtinctum hîc eſſe gratiam præuenientem, & excitantem. Quod

Probatur primò, quia pro inſtigatione, & motione diuina, quæ mentem impellat, accipitur hæc vox non ſolùm à Chriſtianis, ſed etiam ab Ethnicis, vt videre eſt apud Ciceronem 1. de diuinat. & 1. Tuſculan.

Probatur ſecundò, quia Epiſcopi Aphri præuenientem gratiam eſſe interpretantur, referente hoc, atque approbante Cæleſtino I. in dicto capite 8. illis verbis: *Et tamen inſtinctu Dei factum eſſe fideliter vidiſtis, veraciterque dixiſtis, ideo vtique quia præparatur voluntas à Domino, &, vt boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum tangit ipſe corda fidelium.* Cui conſonat totum ſequens caput nonum.

6. Sed apud Petrum Diaconum de Incarnatione & gratia cap. 8. ad medium eidem teſtimonio adduntur hæc verba: *Vt nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ, ſingulis motibus, magis illius præuenire non dubitemus gratiam.* Quæ verba aliter referuntur à Cœleſtino, videlicet, *magis illius valere non dubitemus auxilium*, lib. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 32. eodem modo legit ſicut Petrus Diaconus nuper citatus.

7. In eadem epiſt. cap. 12. Cœleſtinus ſic loquitur: *Non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni & velle, incipiamus & facere.* Quæ & alia teſtimonia eiuſdem epiſtolæ refert Petrus Diaconus de Incarnatione & gratia cap. 6. 7. & 8. & Proſper lib. contra Collatorem cap. 10.

Eadem verba quæ retulimus ex Cœleſtino, habentur etiam apud Chryſoſtomum in homil. de Adam & Heua, column. vltima, tomo 1. eam autem eſſe homiliam Chryſoſtomi oſtendimus ſuprà diſp. 27. ſect. 4. versùs finem. Sed apud Chryſoſtomum non legimus *præueniri*, ſed prouenire. Idem tamen ſenſus eſt. Quod enim prouenit ex alio, præuenitur ab eo, à quo prouenit. 8.

Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ cap. 17. parum à principio, poſtquam dixerat perſeuerantiam, & caſtitatem eſſe dona, quæ Deus per gratiam operatur in nobis per æternam prædeſtinationem, agens nos, ad illa liberè complenda, ſubdit: *Quod autem dixi de caſtitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perſeuerantia, & ne pergam per ſingula, hoc de omni obedientia, qua obeditur Deo, veraciſſimè dici poteſt.* Quo nomine *obedientiæ* complectitur cuiuſque virtutis actum, ſiue quando eius præceptum obligat, ſiue quando Dei conſilium dirigit ad illum. Idem lib. de gratia & libero arbitrio, c. 17. ſub initium vniuerſaliter affirmat: *Sine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* & ex toto contextu illius capitis & præcedentium conſtat Auguſtinum agere de indigentia gratiæ præuenientis ad omnia opera. 9.

Proſper epiſt. de libero arbitrio ad Ruffinum prope finem de natura humana ſic loquitur: *Nec vllo modo ab æternæ mortis debito liberam, niſi eam ad imaginem Dei ſecunda creationis Chriſti gratia reformauerit: Liberumque eius arbitrium, agendo, ſpirando, auxiliando, & vſque ad finem præeundo ſeruauerit.* Vſque ad finem igitur ſimpliciter neceſſaria ſunt auxilia, & inſpirationes quæ liberum arbitrium præeundo ad bonum agant, & ſeruent. 10.

Ambroſ. ad Hebr. 6. ad illa verba: *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrẽ, & generans herbam opportunam*, ait: *Nihil ſic opportunum, ſicut fides in Filium Dei, & vita optima. Hæc verò talis terra accipit benedictionem à Deo, vt ferat triceſimum, ſexageſimum & centeſimum. Et hoc notandum quòd omnis abundantia in frugibus terræ, in fructibus arborum, non aliter, niſi per Dei benedictionem cultoribus ad voluntatem reſpondere poterit.* Nota diſtributiuam vniuerſalitatem *omnis abundantia*, quo nomine quælibet abundantiæ pars, ac ſubinde quælibet pia, & meritoria operatio comprehenditur. Deinde benedictio, aut ſolùm, aut præcipuè gratiam præuenientem & excitantem denotat. Sed etiam clariùs expreſſit, quãdo ſubiunxit imperium Dei eſſe, quod terram ad fructus excitat, dicens: *Neque enim agricolarũm eſt, terrã excitare ad fructus; ſed imperium Dei, ſicut alibi beatus Paulus ait: Ego plantaui, &c.* 11.

Idem probatur ex Baſilio in regulis breuioribus interrogatione 16. cuius verba retulimus ſuprà ſect. 2. concl. 1. fin. Nunc verò obſeruandum eſt, compunctionẽ apud Patres non ſolùm includere dolorẽ de cõmiſſo malo, & omiſſo bono; ſed etiam propoſitum faciendi bona. Ideóque compunctio refertur ad quodcũque opus piũ & meritorium. Quapropter ſicut ad compunctionem requiritur gratia operãs, & præueniẽs, ita etiam requiritur ad quodlibet pium, & meritorium opus. 12. *Compunctio boni propoſitum claudit.*

Præter ea probatur ex Iſidoro, qui bonum 13.
quodlibet

Digitized by Google

quodlibet opus appellare videtur *confeſſionem*, ea phraſi, qua ſancti in Eccleſia appellantur Confeſſores, & Chriſtus Dominus ait: *Qui me confeſſus ſiu fuerit*, &c. igitur ſub hac ſignificatione docet, ad confeſſionem opus eſſe præueniente Dei gratia. Sic lib. 2. ſent. c. 5. §. 2. ait: *Si confeſſionē boni operis non in nobis Deus operatur; cur per Prophetam dicitur: Confeſſio & magnificentia opus eius? ab illo enim nobis omnia bona, gratia præueniente, donantur. Nam nihil boni operis dedimus, per quod confeſſionem fidei accipere mereremur.*

14. Eadem ſententia ſumitur ex Gregorio lib. 18. moral. c. 22. & 23. prope finem, vbi vtitur eodem teſtimonio Pſal. 110. vt probet à Deo nobis dari & confiteri, & operari, idque ſine noſtris meritis præuenientibus; ſed Dei gratia præueniente.

15. Rurſus Iſidorus in eodem lib. 2. ſententiarum cap. 5. §. 5. *Profectus*, inquit, *hominis donum Dei eſt, neque à ſe poteſt quiſquam, ſed à Domino corrigi. Non enim quidquam boni habet proprium homo, cuius via non eſt eius, teſtante Propheta: Scio, Domine, quia non eſt hominis via eius, neque viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Vbi nota primò, quodlibet bonum extra noſtram poteſtatem eſſe, niſi propter gratiam præuenientem, quæ non eſt in poteſtate liberi arbitrij. Nota ſecundò ſub nomine *profectus*, & ſub nomine *viæ* comprehendi quodlibet opus ad ſalutem vtile, & meritorium.

16. Præclarè denique idem Iſidorus in lib. 2. ſententiarum capite 11. poſt medium ait: *Greſſus Dei ſunt in corde hominis interior vis, qua bona deſideria ſurgunt, vt calcentur mala. Quando ergo iſta in corde hominis ſunt, ſciendum eſt, tunc eſſe Deum per gratiam cordi humano præſentem. Vnde ſi tunc homo magis acuere ad compunctionem debet, quando ſentit & Deum interius operantem.*

17. Bernardus tract. de gratia & libero arbitr. col. antepenult. agens de libero arbitrio, ait: *Neque ab ipſo ſalutis merita, quod ſola ſaluat miſericordia. Cuius quippe conatus ad bonum & caſſi ſunt, ſi à gratia non adiuuentur; & nulli, ſi non excitentur.* Vide diſtributiuam *nulli*. Idem ſermone 17. in Cantica prope finem ait: *Inuocemus Spiritum veritatis, & reuocemus ab alto, quò nos duxerat; quatenus antecedat nos etiam ad nos* (videlicet ſecutandos,) *quoniam ſine ipſo poſſumus nihil.* & poſt pauca: *Ducit nos & reducit de claritate in claritatem, tanquam Domini Spiritus, quandoque rapiens ad ſe in lumine ſuo, quandoque contemperans, & illuminans tenebras noſtras*, &c. Videtur autem exhortatio illa dirigi ad iuſtos.

18. *Eccleſia.* Probatur denique, quia Eccleſia omnium fidelium nomine, non ſolùm qui peccatores, ſed etiam quicunque iuſti fuerint, Deum precatur, dicens: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat.* Obſerua dictiones vniuerſales, *cuncta*, & *ſemper*, & iterum *Tua nos quæſumus Domine, gratia ſemper præueniat, & ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet, eſſe intentos.*

SECTIO VIII.

Scholaſticorum communis ſententia confirmat eandem neceſſitatem præuenientis gratiæ ad ſingulas actiones meritorias.

1. SCholaſtici omnes Auguſtinum ſequentes, docent iuſtos mereri augmentum, & perfectionem gratiæ, voluntate non præuia, ſed pediſſequa gratiam autem præcedere, vt motiuum ad meritum. Sic Magiſter 2. diſtinctione 26. §. 3. refert & approbat hæc verba Auguſtini epiſtola 106. ad Bonifacium: *Non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani; ſed ipſa meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, & voluntate comitante, non ducente; pediſſequa non præuia.*

Vbi ſanctus Bonauentura quæſt. vltima illius diſtinct. 26. initio corporis ait: *Abſque dubio ſicut authoritates Sanctorum dicunt, neceſſe eſt, ponere, liberum arbitrium à gratia moueri, & excitari. Ab ipſa enim gratia operante præuenitur, & à cooperante ad opera meritoria eleuatur; itaque reſpectu operis meritorij gratia eſt ſicut principalis motrix, & voluntas ſicut pediſſequa.* Clarius neceſſitatem gratuitæ & ſupernaturalis vocationis, ſeu cogitationis, vt homo ſe ad gratiam præparet; docet Bonauent. 2. diſt. 28. art. 2. quæſt. 1. corp. 2.

Apud antiquiſſimos Scholaſticos in prouerbium abierunt illa carmina. 3.

Quidquid habes meriti, præuentrix gratia donat.
Nil Deus in nobis, præter ſua dona, coronat.

Horum author à Guillelm. Pariſienſ. appellatur Debertus Cenom. Epiſcopus, ab aliis Præpoſitiuus. Hos tanquàm vera recipit Guillel. Pariſien. in 1. p. verſùs fin. in tract. de meritis paulo poſt med. & poſtea colum. penultima confirmat omne opus bonum & meritorium eſſe à Deo excitante.

Eiſdem verſibus eandem veritatem confirmat Albertus 2. part. q. 100. memb. 4. dicens: *Profanum eſt, dicere, niſi quòd gratia ſemper præuenit voluntatem, & eripit eam, vt velit bonum.* 4.

Alexand. 3. p. q. 69. memb. 1. a. 2. corpore docet: *Nullos eſſe conatus liberi arbitrij ad bonum, niſi excitentur à gratia.* & quæſt. 70. memb. 3. docet, munus gratiæ eſſe; vt tanquam motor excitet meritorios motus in voluntate. 5.

Neque obſtat hos Scholaſticos exiſtimare, habitus eſſe gratias præuenientes: nobis enim ſatis eſt, ab illis agnoſci neceſſitatem præuenientis & operantis gratiæ ad ſingula opera meritoria, vt moueat & excitet. (quæ autem realitas præſtet hoc munus, iam ſuprà diſp. 30. & 32. & 34. tractauimus) præſertim cùm iidem Doctores, vel omnes, vel ferè omnes admittant etiam neceſſitatem actualis gratiæ præuenientis, quæ ſit cogitatio, vt vidimus ſuprà diſp. 31. ſect. 7 & diſp. 34. 6

Clarius colligitur etiam ex S. Thoma ſuprà quæſt. 109. art. 9. corpore, & ad argumenta, quoniam vltra habitum gratiæ requirit ſpecialem motionem ad actus illius; idque peculiari ratione, dum ſumus in via, potius quàm in patria, propter ignorantiam, concupiſcentiam, & fragilitatem naturæ lapſæ. *Motionis* autē nomē apud S. Thom. ſemper comprehendit præuenientem concurſum, imò aliquando illum ſolùm ſignificat; vt conſtabit legenti totam quæſt. 109. & ſequentes in 1. 2. 7.

Confirmatur, nam ad concurrendum, & cooperandum cum libero arbitrio; ſufficit habitus charitatis; hoc enim eſt proprium munus illius. Quapropter ſi ad aliquid requiritur motio, erit ad excitandum, & ad eam cooperationem, quæ cum excitatione per ſe coniungitur.

Propter eaſdem rationes idem colligitur ex Vincentio Beloacenſi in ſpeculo morali, videlicet tomo 3. lib. 1. tota diſt. 10. vbi tranſcribit omnes articulos S. Thomæ 1. 2. q. 109. reſecatis argumentis. Fauet etiam tomo 1. ſpeculi lib. 29 cap 117. refert namque multa ex Auguſtino pro neceſſitate gratiæ præuenientis. 8.

9. Ricardus in 2.diſt.28.art.1.q.1. in *ſed contra*,& in eius ſolutione admittit illa verba Bernardi in tractatu de libero arbitrio: *Cuius quippe conatus ad bonum & caſſi ſunt, ſi a gratia non adiuuentur; & nulli, ſi non excitentur.*

10. Gregorius in 2. diſtinct. 26. quæſt.1. art. 3. ad 12. ait: *Etiam iuuat Deus, ipſum actum immediatè cauſando, & ad ipſum immediate mouendo potentiam. Vnde homo habens gratiam etiam gratum facientem, & aliud quodcunque habituale Dei donum, adhuc, ad bene operandum, indiget alio ſpeciali auxilio.* Quod teſtimonio Auguſtini confirmat, & magis explicat, hoc auxilium eſſe non ſolum concauſare cum voluntate, ſed etiam illam mouere, & applicare voluntatem,& facere, vt velit,& cauſet, quod eſt proprium gratiæ operantis.

11. Eandem neceſſitatem præuenientis gratiæ ad ſingula quæque opera meritoria expreſsè docet Ægidius in 2 diſtinct.27.quæſt.2. poſt articulum tertium in dubio laterali §. *ſi ergo quæras*,& 2.diſt. 28.quæſt. 1. in dubio laterali poſt med. illis verbis: *Et poſtquam etiam ſuſcepimus gratiam, non poſſumus agere opera gratiæ ſine Deo, ad hoc nos agitante, & mouente*; & fauet valde in eadem diſt.28. quæſt.1.art.3.§. *viſa conuenientia.*

12. Carthuſianus in 1.diſt.41. q 1.col. vltima, ait: *Ad meritorie operandum non ſufficere habitualem gratiam & liberum arbitrium; ſed requiri actualem motionem Spiritus ſancti.* Idem repetit in 2. diſt. 27. col.penultima,§ *ſed contra iſtam Scoti*,

13. Ciſtercienſis Dionyſ.in 2.diſt.25.quæſt,2.art.1. concl. 5. ait: *Arbitrium iuſtum eget, ad bene volendum, præmotione diuina.*& poſt diſt.35. in ea quæſt. *quæ circa materiam de peccato actuali eſt tertia*, in art.2.concl.2.probat 3.ait: *Ad qualitercunque agere Deus eſt author, ad taliter agere prædeſtinat, præmouet,& actuat voluntatem* & iterum Ciſtercienſis in 2. diſt.17.q.vnica,art.1.concl.4.& 2.1.concl.1.& ſequentibus, & in art.2.corol.1.& 2.tradit neceſſitatem gratiæ præuenientis, & diuinæ motionis ad omnia bona opera.

14. Capreolus 2.ſent.diſt. 28.art.3. ad argum. contra primam concluſionem prope fin. ait: *Habens gratiam habitualem, indiget ſpeciali motione diuina ad bene moraliter cogitandum.* Exiſtimat etiam mentem Gregorij Arimin. quantum ad hoc, eandem eſſe, quæ S. Thomæ fuit ſupra num.7.

15. Non ſolùm concluſionem poſitam in ſect. 6. ſed etiam eius limitationem, & explicationem, quam præmiſimus in ſect. 2. Deza clarius quàm cæteri Doctores, tradidit in 2.diſtinct. 28. quæſt. vnica art.3.notab.6.ante med. Aſſerit enim, ſeruari proportionem inter naturalem, & ſupernaturalem Dei præmotionem, quæ requiritur ad noſtras operationes. Peculiariter notanda ſunt illa verba. *Sanctus Thomas inquit* 1.2. *quæſt.* 9.*art.* 3.*ad* 1. *Voluntas, in quantum actu vult finem, reducit ſe de potentia ad actum, reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, vt, ſcilicet, ea actu velit; & ſimili modo dicendum eſt, quod per hoc, quod aliquid vult, vel ad aliquid mouetur, ex ſpeciali & gratuita Dei motione reducit ſe de potentia ad actum, ad hoc quod alia velit, & ad alia moueatur, quæ ex illo primo dependent, vel deduci poſſunt ſine nouo ſpeciali auxilio de proximo mouente.*

16. Martinus Magiſtri in tractatu de fortitudine in ea parte, quæ tractat de perſeuerantia, quæſtione 3. *Vtrùm ad perſeuerandum indigeamus auxilio gratiæ.* dum reſpondet ad primam obiectionem, ait: *Per peccatum primi parentis ſic vulnerata eſt voluntas, vt ad præſentiam habitus non ſufficiat exire in actum ſuum bonum; ſed coexigitur altera cauſa, ſcilicet, ſpecialis Dei motio, ſine qua voluntas non poteſt actum bonum cauſare.* Et quamuis non explicet, vtrùm de actu naturali, vel ſupernaturali loquatur; nihilominus videtur ex contextu, loqui de quocunque, maximè verò de ſupernaturali, ad quem neceſſitatis ratio maior eſt, maiórque impotentia voluntatis humanæ.

Gabriel 2.diſt. 27.quæſt.vnica, art.2.poſt concluſionem 2. aſſerit operæ noſtra eſſe meritoria, pro vt ſunt à Spiritu ſancto, quaſi a primo mouente, & inhabitante, & à gratia cooperante. Quod poſtremum membrum indicio eſt, in priori membro intellexiſſe gratiam operantem, cuius proprium eſt mouendo, excitare. 17.

Neceſſitatem gratiæ operantis, ſcilicet, cogitationis, inſpirationis, & excitationis, à Deo immiſſæ, etiam ad eos actus, quorum habitus accepimus, quando iuſtificati ſumus exemplo neceſſitatis exterioris mouentis ad primum actum naturalem voluntatis, docet Ruardus valde expreſsè in a.7.pag.44.§. *& poteſt homo.* longè ab initio,& longè inferius pag.15. & clarius pag. 36 §. *ex quibus manifeſta*, in fine. Idem planè ſenſit, quamuis obſcurè & minus apertè, Driedo de captiuit.& redemptione tract.6.c.2.part 2. non longè poſt med. 18.

Idem ſupponere videtur Suarez lib.3. de auxiliis cap 4. n.6. & Medina 1.2.q. 109.art 10. à medio vſque ad finem. Sed expreſsè id docent Vaſquez 1.2. diſp.185, cap.8. fine. Maſcareg.diſp.3. part.3.num.5. 19.

Ne fortè aliquis reſpondeat prædictis teſtimoniis probari neceſſitatem vnius tantùm gratiæ præuenientis, quæ ad omnia opera meritoria excitat, quatenus excitat ad primum opus ſupernaturale. Hanc explicationem eſſe violentam probo; ſi enim hoc ſignificare voluiſſent ſacræ Literæ, Concilia, Patres, & Scholaſtici; debuiſſent potiùs oppoſita loqui, nempe formaliter, & affirmare ad ſolum primum actum requiri gratiam præuenientem, ſeu excitantem, & ad reliqua non requiri. Adde, quòd ſingula teſtimonia ponderantes, ſuprà notauimus non pauca, quæ clariùs exigunt nouam,& præſentem cōſolationem, viſitationem, exhortationem, ſuauitatem, gratiam operantem, & excitantem ad ſingula opera in particulari. 20.

SECTIO IX.

Eiuſdem veritatis rationes à priori; & corollaria.

VT eiſdem rationibus non ſolùm aſſertiones noſtras probemus; ſed etiam ſimul diluamus fundamenta contrariæ ſententiæ, quæ referemus infrà ſect. 10. hic erit noſtrarum rationum ſcopus. Quamuis per habitus ſupernaturales homo iuſtus habeat integram,& completam potentiam ad actus ſupernaturales; adhuc neceſſaria eſt exterior vis Dei, excitans & mouens, ad vtendum habitibus infuſis, inchoando nouam ſeriem actuum ſupernaturalium, poſtquam omnino intermiſſi fuerint modo explicato in ſect.2. 1.

Hoc igitur probo primò, quia natura lapſa, vt ſe erigat ad ſupernaturales actus, magnam patitur difficultatem; quantam non patitur circa actus naturales. Nam omnia ſenſibilia obiecta, omnes corporis indigentiæ, labores & anxietates, à ſupernaturalibus auocant. Terret etiam obiecti 2.

Digitized by Google

obiecti ſupernaturalis altitudo, quæ vix à nobis percipitur, niſi per vmbram & caliginem, donec Dei peculiaris illuſtratio adſit. Quapropter ad res ſpirituales animus nauſeat, & languet, niſi ſpiritualis aliqua conſolatio excitet appetitum.

3. Vnde ſequitur primò, etiamſi omnes potentiæ hominis iuſti, ſint completæ, & integræ, ad actus ſupernaturales eliciendos per habitus infuſos; adhuc indigere illuſtratione, & ſuauitate inuitante, qua ſuperetur bona pars difficultatis. Secundò, ſequitur, huius rationis vim pertinere ad omnes actus ſupernaturales, etiam ſi non impediantur extraordinaria difficultate. Nam ea ſola difficultas, quòd de obiecto ſupernaturali ſunt, & modo ſupernaturali, ſicut oportet, ſatis eſt, vt prædictæ rationi vires præbeat.

4. *Deus ad primum actum ſupplet concurſum habitus.* Probatur ſecundò, quia quando Deus concurrit ad primum actum fidei, vel ſpei, vel charitatis, prius natura, quàm infundatur habitus, Deus ſupplet totum concurſum effectiuum, quem præſtare debuiſſet habitus; ſuprà diſput. 8. ſectione 1. & ſect. 4. concluſ. 4. & nihilominus præter hunc influxum requiritur gratia operans, præueniens, & excitans. Ergo quamuis adſit habitus, requiretur iſta gratia.

Probo conſequentiam, quia habitus ipſe, quando adeſt, non eſt magis potens quàm Deus; prout effectiuo concurſu omnem habitus actiuitatem ſupplet.

Confirmatur, quia concurſus habitus, & concurſus gratiæ præuenientis ſunt diuerſæ rationis, & diuerſæ neceſſitatis; ac proinde, vno dato, non ceſſat neceſſitas alterius.

5. Probatur tertiò, quoniam à cogitatione ſumi debet cuiuſcunque operis exordium, ſiue in peccatore, ſiue in homine iuſto. At verò quamlibet piam, & vtilem cogitationem indigere præueniente, & operante Spiritus S. gratia conſtat 2. Corinth. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus, cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Vnde præuenientis gratiæ neceſſitatem colligunt Auguſt. multis in locis, Arauſicanum, Proſper, Fulgentius, Philo, quos ſuprà diſp. 18. ſect. 5. n. 6. citauimus.

6. Peculiariter autem Auguſt. lib. de bono perſeuerantiæ cap. 8. in medio, & cap. 13. fuſiùs confirmat adducto teſtimonio Ambroſij lib. de fuga ſeculi cap. 1. dicentis: *Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & cogitationes noſtræ, quæ in prouiſo offuſæ mentem, animúmque confundunt*, &c.

7. Probatur quartò experientia. nam qui diligenter incumbunt in ſtudium perfectionis, frequenter obſeruant, ſe nonnunquam torpere ad facillima pietatis opera; cùm tamen aliàs, Deo maiorem illuſtrationem, ſuauitatémque inſpirante, promptiſſimi ſint, tum ad faciliora, tum etiam ad difficiliora. De hac experiẽtia plura diximus ſuprà diſp. 18. ſect. 11. Illius teſtis eſt Bernardus ſerm. 21. in Cantica, cuius verba retulimus ſect. 5. fine, & ſermone 1. Pentecoſt. prope med. cuius verba retulimus ſect. 3. probat. 9. prope finem.

8. Probatur quintò, quia quocunque bono opere, ſiue difficiliori, ſiue faciliori ad perfectionem tendimus, gratiam, & merita cumulando, vt oſtendimus 2. 2. quæſt. 24. de charitatis augmento. Porrò præueniens, & operans gratia prærequiritur, vt tendere ad perfectionem poſſimus; ſicut oſtendimus ſuprà ſect. 5.

9. Probatur ſextò, quia aliquæ orationes nulla extraordinaria difficultate impediuntur; & tamen, vt oremus, ſicut oportet, indigemus præueniẽte gratia; vt probatum eſt ſuprà diſp. 24. ſect. 1.

Probatur ſeptimò, quia iuſti pro quocunque bono opere facili, vel difficili gratiæ, auxilium à Deo precantur, & pro quocunque bono opere Deo gratias agunt. Porrò ex oratione, & gratiarum actione rectè colligi neceſſitatem gratiæ præuenientis, oſtendimus ſuprà diſp. 18. ſect. 9. 10.

Probatur octauò ea analogia & proportione ad naturales operationes intellectus, & voluntatis, quod argumentum tractandum eſt tota diſp. ſeq. præſertim ſect. 4. & 5. 11.

Ex his rationibus, maximè verò ex poſtrema colliguntur nonnulla corollaria, quibus ampliatur, explicatúrque magis concluſio poſita in ſect. 6. & hucuſque probata. Primò colligitur, gratiam præuenientem non ſolùm per accidens propter difficultates quas patitur natura lapſa, ſed etiam per ſe propter naturam ipſam liberi arbitrij, & operationis ab illo eliciendæ, gratiam operantem, & præuenientem eſſe ſimpliciter neceſſariã ad ſingulas quaſque ſupernaturales actiones. Vnde ſecundò colligitur etiam in ſtatu innocentiæ, atque in Angelis, locum habuiſſe prædictam neceſſitatem, vt fuſiùs oſtendemus diſp. 43. 12. *Corollaria.*

Tertiò colligitur, quotiés ad tentationes ſuperandas, & ad vitanda peccata, neceſſariam eſſe gratiam Theologi decernunt, ſiue propter peculiarem aliquam difficultatem victoriæ, aut debilitationem ſubiecti, aut vehementiam tentationis, ſiue propter frequentiam & diuturnitatem temporis: toties intelligendam eſſe neceſſitatem, non ſolùm gratiæ adiuuãtis, ſed etiam excitantis, ſeu præuenientis. Quoniam nunquam, aut ferè nunquam cõtingit talis victoria per gratiam, niſi mediis ſupernaturalibus actibus fidei, ſpei, charitatis, aut aliarum virtutum: qui actus requirunt gratiam excitantem, vt ſuprà probatum eſt. Quòd ſi aliquando vincitur tentatio, & vitatur peccatum ſine vllo actu ſupernaturali voluntatis & intellectus, qui deſtinetur ad reſiſtendum: id nunquam continget, niſi leuibus ac facilibus tentationibus, quæ proinde ſine gratia ſuperari poſſint, vt ſuprà diſp. 23. n. 11. notauimus. 13.

Quartò colligo, prædictam neceſſitatem gratiæ præuenientis in homine iam iuſtificato habere duplicem gradum probabilitatis. nam longè probabilius eſt, neceſſariam eſſe, vt minimum neceſſitate morali; ita vt ſit moraliter impoſſibile, denuo ſe applicare ad operationes ſupernaturales ſine illo concurſu, tã phyſico, quàm morali, quem gratia præueniens præbet ſuprà diſp. 36. ſect. 4 & 5. ſed in alio inferiori gradu probabilitatis cenſeo, etiam phyſica neceſſitate requiri gratiam præuenientem homini iam iuſtificato: ita vt ſit phyſicè impoſſibile, denuo ſe applicare ad operationes ſupernaturales ſine prædicta gratia præueniente ſaltem quoad intellectum. 14. *Prædicta neceſſitatis duplex probabilitatis gradus.*

Colligo quintò, ad illa opera entitatiuè naturalia, quæ propter extraordinariam difficultatem, aut propter perſeuerantiam, vel multitudinem indigent gratia, neceſſariam eſſe gratiam excitantem, ſeu præuenientem entitatiuè ſupernaturalem; ſed non requiri per ſe & immediatè, ſed per accidens, & mediate; quatenus Deus, ſuppoſita eleuatione ad gratiam, decreuit, vt plurimum non dare hæc auxilia entitatiuè naturalia, niſi ſuppoſita ſupernaturali conuerſione ad Deum. Cæterùm attendendo præcisè ad actus entitatiuè 15. *Naturalium operum ſupernaturalis gratia neceſſitas per accidens.*

naturales, per ſe non requiritur ad illos; niſi excitatio entitatiuè naturalis, ſed tanto fortior communi excitatione, quanto difficiliores fuerint actus, vt colligitur ex dictis diſputat. 38. ſect. 5.

16. Sextò colligitur deciſio ad duas incidentes quæſtiones, quas nonnulli Theologi hoc tempore ſciſcitantur. Altera eſt, vtrùm cuicunque habenti intenſiorem gratiam habitualem, & conſequenter intenſiores habitus virtutum, Deus ſemper conferat fortiores inſpirationes, & gratias excitantes. Huic quæſtioni abſolutè dicendum eſt negatiuè. Conſtat enim non ſolùm incipientibus iter perfectionis, ſed etiam peccatoribus, toto conatu recedentibus à Deo, quandoque conferri fortiores, & frequentiores illuſtrationes, inſpirationes, ſuauitates, & conſolationes, ita vt ij tandem conuertantur, & citò aſcendant ad altiſſimum perfectionis ſtatum; alij verò qui virtutis viam priores arripuerant, vel redeant ad vitia, vel ignauiter, ac tepidè incedant.

Aliquando minus ſancto abundantior gratia præueniens datur.

17. Sed clariùs explicando, dicendum eſt primò, eſſe quandam menſuram auxiliorum excitantium, & adiuuantium, proportionatam intenſioribus, aut remiſſioribus habitibus gratiæ; & hæc proportio ita ſeruatur ſemper à Deo, vt ex ea nihil detrahatur, quantum eſt ex parte Dei.

18. Dico ſecundò. Nihilominus variatur hæc proportio, dando pro ſua libera voluntate mille ei, cui debebatur vnum, & alteri cui debebantur quatuor, non dando niſi tantùm quatuor, aut decem, aut viginti. Quod poteſt facere, ſicut potuit maiora excitantia dare Saülo, quàm multis diſcipulis, qui eodem tempore Saüli, & aliorum perſecutionem pro fide conſtanter tolerabant. Idémque argumentum ſumi poteſt ab exemplis aliorum peccatorum, qui ad altiſſimum perfectionis faſtigium vocati ſunt ab exordio naſcentis Eccleſiæ vſque ad noſtra tempora.

19. Dico tertiò. Eadem proportio variatur etiam ex parte noſtra, impediendo, auferendóque opportunitates gratiæ; ideóque habens valdè intenſos virtutum habitus, ſi rebus ſæcularibus diſtrahatur, aut paſſionibus, aut culpis venialibus, aut animi remiſſione retardetur; ſæpe pauciora auxilia excitantia recipiet, quàm tyrones, & remiſſioribus habitibus præditi, qui feruentes, ac violenti rapiunt abundantiora auxilia.

20. Ad vtramque varietatis cauſam, ſiue ex parte Dei, ſiue ex parte noſtra, referri poteſt, quod ſanctus Iſidorus libro 2. ſententiarum capite 5. poſt medium ait: *Poſſe fieri non eſt dubium, vt ij, quos quidem virtutum excellentia antecellunt, Dei repentina præuenti gratia, quoſdam compendio ſanctitatis præueniant: & dum ſint conuerſione poſtremi, ſubitò efficiuntur virtutis culmine primi.* Vnde conſtat gratiam præuenientem abundantiorem, efficacioremque dari aliquando minus ſanctis hominibus.

21. Altera quæſtio eſt, vtrùm actus euadere poſſit intenſior, quàm ſit intenſa inſpiratio, & illuſtratio; præſertim ſi habitus virtutis infuſæ ſit intenſior, quàm illuſtratio & inſpiratio.

Actus illuſtratione intenſior euadere poteſt.

Reſpondeo, de hac re nihil eſſe hucuſque certum; videtur tamen hoc phyſicè poſſibile eſſe, & poſtquam ſemel excitatum eſt arbitrium, etiam remiſſiori excitatione, poſſe, ſi velit, intenſiori habitu ſecundùm totam eius intenſionem vti; quia nulla ſufficiens ratio impedit vti tota eius poteſtate, quæ ſubeſt voluntatis imperio. Sed videtur infallibile fore, vt hoc nunquam contingat, vel certè non contingat regulariter, ſed rarò. Cui doctrinæ nonnihil fauent quæ nuper ex Iſidoro, & quæ ex Laurentio Iuſtiniano ſuprà diſputatione 38. ſectione 3. numero 3. retulimus, atque eodem modo intelligendus eſt ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 112. articulo quarto corpore, vbi exiſtimare videtur, maiorem intenſionem actus correſpondere intenſioni maiori gratiæ præuenientis.

SECTIO X.

Explicantur Doctores, qui oppoſitum ſenſiſſe videntur, & eorum argumenta diluuntur.

VLtra eos Doctores, quos retulimus ſectione 3. in 1. & 2. ſententia, alij Doctores videntur aſſerere, præuenientem, ſeu operantem gratiam non eſſe ſimpliciter neceſſariam homini, iam iuſtificato, ad eliciendum ſupernaturalem actum, cuius habitus adhuc viget, & nulla extraordinaria difficultas, neque ratione obiecti heroici, neque ratione tentationis vehementis, aut alterius circunſtantiæ illum impedit. Ita ſentire videntur Ruardus articulo ſeptimo, inter principium & medium §. *ex propoſitionibus*, propoſ. 4. & 5. & §. *ex quibus*. Bellarminus libro ſexto de gratia & libero arbitrio capite 15. ſententia 13. Molina in concordia ad quæſt. 14. diſputatione 8. poſt medium, & diſp. 39. fine. 1.

Opinio prima.

Huic opinioni proxima eſt altera Caietani 1. 2. quæſtione 111. articulo 2. fine, qui quamuis concedat *gratiam operantem frequenter reperiri poſt iuſtificationem impij*; videtur tamen hoc limitare *ad nouos actus excedentes proportionem acceptæ gratiæ*. 2.

Secunda.

Nihilominus ij Doctores expoſitionem admittunt, valde congruam ſuis mentibus, atque verbis; præſertim verò Ruardus, & Bellarminus. Nam Ruardus expreſſe affirmat, excitantem & præuenientem gratiam eſſe ſimpliciter neceſſariam cuicunque homini, etiam iuſtificato, ad quemlibet actum meritorium; pro vt retulimus ſuprà ſect. 8. num. 18. Bellarminus verò Ruardum ſequitur in ea ſententia, eiſdémque fundamentis nititur, viámque aperit eidem explicationi; quam etiam admittere poteſt Molina. 3.

Exponuntur.

Eorum igitur authorum mens tria præcipuè reſpexit, eaque veriſſima. Primum eſt, ſuppoſito habitu, & aliquo ſupernaturali actu præcedenti, non eſſe ſimpliciter neceſſariam gratiam, ſummo rigore, atque totaliter præuenientem; quod explicatum, atque probatum eſt ſect. 1. 4.

Secundò, non requiri nouam gratiam præuenientem, & operantem, quandiu prioris gratiæ præuenientis durat ſupernaturalis virtus, & actualis motio.

Tertiò, homini iam iuſtificato, & omnium infuſarum virtutum habitibus inſtructo, non aliam gratiam præuenientem, & excitantem eſſe ſimpliciter neceſſariam, præter eam, quam habitus ſinguli, vel Deus immediatè ad præſentiam illorum ſubminiſtrat, tanquam ex lege debitam habitibus ſingulis, ſuggerendo cogitationes, illuſtrationes, & exhortationes indeliberatas, ſuauiter impellentes ad frequentandum actus ſingulorum habituum;

habituum; vt magis explicabimus in ſolution. ad 4. & 5. argumentum.

5. *Eorum fundamentum primum.* Nihilominus operæ pretium erit, eorumdem authorum fundamenta diluere, qua parte pugnare videntur, contra generalem neceſſitatem gratiæ, ad ſingulas quaſlibet actiones meritorias.

Primum fundamentorum eſt, quoniam (vt ipſi loquuntur) *habetur id disertis verbis poſitum in canone poſtremo Concilij Arauſicani.*

Soluitur. Reſpondetur. In eo canone nulla reperiuntur verba, quæ hoc ſonare videantur, niſi illa: *ſecundum fidem catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Ex quo teſtimonio potiori ratione colligetur neceſſitas operantis gratiæ ad ſingulas quaſlibet actiones meritorias, quoniam illa verba, *Chriſto auxiliante, & cooperante,* denotant duos auxiliandi modus; alium operando, & præueniendo; alium verò cooperando, præſertim cùm aliis canonibus clariùs idem Concilium noſtræ ſententiæ faueat, ſuprà ſect. 7. probat 2.

6. Confirmant aliqui ex Concilio Mileuitano canone 3. vbi ait: *Quicumque dixerit gratiam Dei, qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, non etiam ad adiutorium, vt non committantur; anathema ſit.* Reſpondeo, hoc teſtimonio rectè probari, quòd nos libenter fatemur gratiæ iuſtificantis habitus eſſe gratiam adiuuantem, vt euitantes peccata, impleamus diuina præcepta, & meritoriè operemur; ſed non probatur, hoc præſtari abſque vlla exhortatione, illuſtratione, & inſpiratione, quam vel habitus ipſi, vel Deus ad illorũ præſentiam ſuggerat, vt voluntatẽ excitet ad operãdum, modo magis explicando in ſolutione ad 4 & 5.

7. *Fundamentum 2.* Secundum illius ſententiæ fundamentum eſt, quoniam gratiæ operantis, ſeu præuenientis munus eſt, cooperari ad aſſenſum liberum, & actum meritorium, ſupplendo concurſum, quem deberet præſtare habitus. Quapropter, habitu dato, ceſſat illius neceſſitas.

Soluitur. Reſpondeo. Diſput. 36. ſect. 4. concl. 2. & tota ſect. 5. oſtendimus duo. Primum eſt, concurſum, habitui proprium, nunquam præſtari à gratia præueniente; ſed à ſolo Deo. Secundum eſt, inſuper gratiæ præuenienti conuenire ſuum influxum peculiarem, quoad liberum, & ſupernaturalem aſſenſum cooperatur, & huius cooperationis neceſſitas non ceſſat dato habitu, vt oſtendimus in præcedentibus ſectionibus, & conſtabit magis diſp. ſequenti ſect. 4. & 5.

8. *Fundamentum 3.* Tertium fundamentum erat, quoniam liberum arbitrium præditum ſupernaturalibus habitibus omnium virtutum, & donorum, eſt potentia integra, completa, & proportionata, ad eliciendos ſuos actus ſupernaturales. Ergo non indiget gratia excitante ad illos.

Confirmatio 1. Confirmatur primò, quoniam habitibus vtimur, quando volumus, cùm ſint eorum cauſalitates diuerſæ, & ſingulæ per ſe requiſitæ, non verò per accidens ob defectum alterius.

Secundo. Confirmatur ſecundò, quoniam ad actus naturales liberum arbitrium non indiget aliquo alio concurſu excitante, præter generale auxilium: ſed liberum arbitrium, prout ſupernaturali habitu inſtructum, non eſt minus potens comparatiuè actus ſupernaturalis. Ergo non indiget alia motione excitante.

Reſpondetur. Potentia integra, completa, & proportionata, quamuis nullo alio principio indigeat, quod defectum potentiæ ſuppleat; nihilominus indiget principio excitante, cuius neceſſitas non ſuppletur per habitum, cùm ſint eorum cauſalitates diuerſæ, & ſingulæ per ſe requiſitæ, non verò per accidens ob defectum alterius. 9.

Ad confirmationem primam.

Habitibus vtimur cùm volumus. Reſpondetur primò. Habitibus vtimur, quando volumus volitione, proportionata ad habitum, & eius actum; ideóque quando volitione naturali volumus vti habitu adquiſito, vtimur illo, ſed non vtimur habitu infuſo; niſi volitione ſupernaturali & infuſa velimus eo vti, quia volitio naturalis eſt improportionata habitui, & actui eliciendo per illum. Ad hanc igitur volitionem requiritur gratia præueniens & excitans.

Reſpondetur ſecundò. Habitibus vtimur, quando volumus, ſi adſint cætera, quæ per ſe poſtulantur à tali habitu. Quapropter miles non poterit vti habitu ſequendi vexillum, & imperatori obediendi inter pericula belli; niſi adſit imperator vexillo præmonens ad pugnandum; nihilque proderit priuati alicuius hominis imperium, vt prædictus habitus concurrat. Sic ergo quicunque habitus infuſi eo ipſo, quòd deſtinantur ad producendos actus ſupernaturales, intrinſecè deſtinantur ad ſequendam motionem præuenientem Dei, vt ſupernaturalia authoris. Quapropter ea deficiente, nihil operari poſſunt, quamuis à naturali conatu prouocentur. 10.

Hinc reſpondetur ad ſecundam confirmationem, vt adquiſitis habitibus vtamur, non indiget liberum arbitrium alio concurſu excitante, præter generale auxilium; quia generale auxilium naturale ſecum affert excitationem, proportionatè applicantem per indeliberatas cogitationes, & impetus voluntatis indeliberatos. Quæ excitatio improportionata eſt habitui ſupernaturali, proptereáque requiritur alia ſuperior. 11.

Adde quartum argumentum. Quoniam quilibet habitus infuſus, quod ex ſe eſt, inclinat ſemper ad ſuos actus, ſicut habitus naturales, & vim habet gratiæ præuenientis, & excitantis. Ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria alia actualis gratia excitans. 12. *4. Fundamentum.*

Confirmatur. nam fidei habitus eſt ſufficiens principium, vt hominem excitet, applicétque ad eliciendum actum fidei, quando concionatorem audit, vel pium librum legit, de huiuſmodi myſteriis diſſerentem. Et hic actus fidei ſufficienti, & proportionato modo proponit obiecta ſupernaturalia, eorúmque rationes, & nuntia, vt excitentur actus ſpei, contritionis, charitatis, átque cæterarum virtutum actus in homine, qui eiuſmodi habitibus eſt præditus.

Reſpondetur. Sicut habitus adquiſitus (verbi gratia, vindictæ & odij) non aliter inclinat, excitátque ad ſuos actus deliberatos; niſi excitando priùs indeliberatas cogitationes, & indeliberatos impetus voluntatis ad odium, & vindictam: ita etiam habitus infuſus (verbi gratia, charitatis) non aliter inclinat, excitátque ad diligendum Deum, & proximum; niſi quatenus idem habitus charitatis, vel Deus ad præſentiam illius, vt ſuauem rerum ordinem ſeruet, excitat indeliberatas cogitationes ſupernaturales, & indeliberatos impetus ſupernaturales diligendi Deum, & proximum; & hæc eſt gratia excitans. Vnde conſtat 13.

ſulutio confirmationis, concedendo actum fidei ſufficienter excitare reliquarum vitiuium actus, quantum eſt ex patte intellectus; ſed præterea requiritur impulſus & inſpitatio voluntatis, imò illa, quæ ad actum fidei neceſſariò prærequiritur, non videtur ſufficere ad actum contritionis, vel charitatis. Cæterùm poteſt eſſe illuſtratio, & inſpirato prima tam perfecta, vt quamuis vnica ſit, excitare poſſit ad actum fidei, ſpei, charitatis, & contritionis,& aliarum etiam virtutum.

14. *Fundamentum 5.* Quintum argumentum. Sequeretur eum, qui præditus eſt habitu virtutis infuſæ, non eſſe promptiorem, faciliorémque vt eliciat actum illius virtutis, quàm alter homo catens eiuſmodi habitu. Sequela probatur, quia vterque indiget excitante gratia, qua data vterque poterit elicere.

Soluitur. Reſponderur negando ſequelam. Quinimò longè maior promptitudo & facilitas elicìendi actum ſupernaturalem, conceditur per habitum infuſum. Primò, quia ipſe habitus cauſat, vel Deus ad præſentiam illius immittit ſubitas,& indeliberatas cogitationes, & impetus,ſeruata analogia ad naturales habitus, vt in ſolutione præcedentis argumenti dicebamus. Atque propterea infuſum habitum retinenti, dantur frequentiores, vehementioréſque cogitationes, & impulſus, quàm ſi careret habitu, ea proportione ſeruata, quam in præcedent. ſect. propè finem, notauimus. Sicut propter adquiſitum habitum iræ, aut odij frequentiores erumpunt, vehementioréſque cogitationes, & impetus indeliberati, ad iracundiam prouocantes. Secundò eſt maior facilitas, quoniam vt minimum, tanta vis auxilij cooperantis offertur parata, quanta eſt intenſio habitus: & plerumque etiam offertur maior. Quapropter regulariter intenſius auxilium cooperans offertur paratum hominibus, qui præditi ſunt habitibus infuſis, quàm iis qui habitibus carent.

15. Sextò nonnulli ad eiuſdem ſententiæ confirmationem proferunt D.Thomam 1.2. quæſt. 109. artic. 1. 2. & 3. & quæſt. 113. artic. 7. cuius verba referre non intereſt; ſatis namque fuerit, monere, ex illis ad ſummum colligi, iiſdem in locis, commemorata infuſione habitus iuſtificátis, ſanctum Thomam non explicuiſſe neceſſitatem præuenientis gratiæ ad ſingulos actus: cæterum inde nihil contra prædictam neceſſitatem poterit inferri; cùm eam ſatis apertè tradiderit loco citato ſuprà ſect. 8. num. 7.

SECTIO XI.

Appendix de gratia cooperante, & adiuuante, & aliquid de ſubſequente.

1. *Cooperans gratia ad omnes actiones meritorias neceſſaria.* FAciliùs expediri poteſt ſimilis alia quæſtio de gratia cooperante, ſiue adiuuante, vtrùm illius neceſſitas ſit generalis ad omnes,& ſingulas quaſque actiones meritorias: in ea quippe manifeſta eſt aſſertio affirmatiua. Nam gratiæ cooperantis, ſeu adiuuantis neceſſitas generaliter complectitur quancunque operationem ſupernaturalem, & liberam; idque abſque vlla prorſus exceptione.

2. Ratio eſt, quoniam talis operatio procedere debet ab aliquo principio ſupernaturali, concurrente ſimul cum noſtro libero arbitrio: quod principium ſupernaturale, & ipſe concurſus eſt gratia cooperans; ſiue illud principium ſit habitus, ſiue Deus immediatè concurrens, ſiue operationes gratiæ excitantis, ſiue quodcunque aliud. Quapropter ad huius confirmationē ſuperfluum erit, plura, ex authoritate, aut ratione deſumpta, congerere; licèt eorum copia in promptu ſe offerat; de quibus multa diximus ſuprà tam in diſp. 31. quàm in diſp. 36.

Reſtat nihilominus difficultas, vtrùm præter adiuuantem, cooperantémque concurſum, qui deriuatur per habitum, & per entitatem ipſam gratiæ præuenientis,& adiuuantis, vlterius ſit neceſſarium aliud ſpeciale auxilium adiuuans, & cooperans ad ſingulos actus. 3.

Affirmant recentiores aliqui, videlicet illi, qui ſuprà diſp. 35. ſect. 1. tradunt, humanæ operationis initium accipiendum eſſe à phyſica prædeterminatione, quam eamdem eſſe, dicunt, præuenientem, & adiuuantem. 4. *Recètiorum ſententia.*

Ad cuius doctrinæ confirmationem proferunt plurima ex illis teſtimoniis ſacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, quæ adduci communiter ſolent à Doctoribus, ad probandum ſingulis quibuſque momentis, ad ſingula quæque pietatis opera non ſolùm peccatoribus, ſed etiam iuſtis eſſe ſimpliciter neceſſariam gratiam adiuuantem. Sed hanc veritatem, vt certam, atque indubitabilem ſupponimus, in præſenti, atque illa ſuppoſita inquirimus, vtrùm ſufficiat ea gratia adiuuans, quæ eſt habitus, & entitas gratiæ præuenientis, in quantum per hæc inſtrumenta Deus cooperatur ad liberum conſenſum; vel potiùs requiratur aliud vlterius auxilium adiuuans, & cooperans. 5.

Alij verò Doctores, qui libertatem cuiuſlibet actus humani, quantumcumque naturalis per phyſicam prædeterminationem violari iudicant, meliùs ad quæſtionem propoſitam reſpondent negatiuè. Ita Molina in concordia ad quæſtionem 14. diſp. 8. & alibi. Franciſcus Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 4. præſertim n. 6. & 17. Maſcareg. tractatu de auxiliis diſp. 1. part. 3. n. 4. 5. & 6. 6. *Vera ſententia præter concurſum habitus & gratia adiuuantis aliud auxilium non requiritur.*

Præcipuum fundamentum eſt, quia, vt homo, iam excitatus gratia præueniente, actum eliciat ſupernaturalem, non videtur requiri amplius, quàm vt habeat principium, actui proportionatum, videlicet, habitum infuſum, quo potentia elicitiua completur in ratione potentiæ; accedente demum actuali, & ſupernaturali Dei concurſu, non ſolùm vt cauſæ vniuerſalis, ſed etiam vt cauſæ particularis, & principalis, quæ per habitum, quaſi per inſtrumentum deriuat ſuum concurſum, vt explicuimus magis diſputat. 36. ſect. 3. & 4. 7.

Confirmatur primò, quia non eſt aſſerenda neceſſitas vlterioris auxilij, niſi authoritate, aut ratione ſuadente, quàm in præſenti, quam diſcutio, nullam inuenio ſufficientem.

Confirmatur ſecundò, quoniam ad eliciendos liberè actus merè naturales intellectus, & voluntatis, ſufficiunt iſtæ potentiæ, ſi excitatæ fuerint cogitatione atque volitione boni, ad quam moueat author naturæ, concurrente Dei generali concurſu. Quòd ſi habitibus inſtructi fuerint intellectus & voluntas, ſuperabundat ſufficientia facultatis, ità vt non ſolùm ſuppetat, quod ſimpliciter neceſſarium eſt, ad prædictos actus eliciendos; ſed etiam, quod iuuat, vt faciliùs, delectabiliúſque producantur intenſiores actus. Porrò ſupernaturales habitus comparatione ſuorum actuum præſtant intellectui, & voluntati, non ſolùm illud potentiæ ſupplementum, quod eis 8.

deficit

deficit in ordine ad ſupernaturales actus, ſed præterea etiam conferunt facilitatem, atque ſuauitatem, vt intenſiores actus producantur; quapropter non ſolùm ſufficit, ſed etiam ſuperabundat auxilium adiuuans, quod per habitus deriuat Deus, ſuppoſita gratia excitante.

9. Confirmatur tertiò, quia concurſus, quem Deus per entitatem præuenientis gratiæ, & per habitum quaſi per inſtrumenta deriuat in arbitrium liberum, vt cooperetur ad illius actus meritorios, ſufficit vt verificetur illud adiutorium gratiæ, quod ſingulis momentis ad ſingulos actus pietatis ſacra Scriptura, Concilia & Patres requirunt, vt in principio dicebamus.

10. Hanc ſententiam explicando magis,

Quando actus non eſt intenſior habitu. Dico primò, intelligendam eſſe, quando actus eliciendus non excedit ſui habitus intenſionem. Si enim excedat, comparatione illius exceſſus perinde ſe habet homo, quantumcumque iuſtus, ac ſi non haberet habitum: ſi quidem habitus ad illum exceſſum concurrere nequit, quapropter neceſſarium eſt, Deum ſupplere defectum illius habitus, ſicut notauimus diſp. 36. ſectione 2. num. 15.

11. Confirmatur, quia concurſus intenſioris habitus, requiſitus ad intenſiorem actum, ſuppleri non poteſt per concurſum præuenientis, & excitantis gratiæ; ſicut totius habitus concurſus non poteſt ſuppleri per concurſum eiuſdem gratiæ præuenientis, & excitantis: eo quòd iſte ſit alterius generis; vt oſtendimus diſputat. 36. ſection. 4. concluſ. 2.

12. Dico ſecundò. Eadem ſententia certior eſt,

Quando nulla difficultas impedit actũ. quando nulla extraordinaria difficultas impedit actum. Nihilominus exiſtimo, eandem eſſe veram, quamuis magnæ, & extraordinariæ difficultates occurrant; ſi tamen Deus contemperet illuſtrationes intellectus, atque ſuauitates, exhortationéſque voluntatis, vt illarum vis, & efficacitas maior ſit, quàm ſuperuenientis difficultatis impedimentum.

13. Huius ratio non eſt alia, niſi quoniam hoc eſt proprium præuenientis, & operantis gratiæ munus: reddere leue, quod ſine illa foret onus graue, atque ſuaue reddere, quod ſine illa foret iugum aſperum, atque durum: hoc autem eſſe munus præuenientis, & operantis dulcedinis, & ſuauitatis, qua præparatur voluntas à Domino, docent perſæpè Auguſtinus, Fulgentius, & Proſper locis adductis tota diſp. 30. & 31. & adducendis tomo ſequenti.

14. Dico tertiò. Quando neque intenſio actus eliciendi, neque illius magna difficultas excedunt intenſionem habitus, aut vires præuenientia illuſtrationis, & ſuauitatis, tunc concurſus adiuuans, & cooperatiuus, qui per entitatem gratiæ operantis, & præuenientis deriuatur, non ſolùm eſt vtilis, vt faciliùs producatur ſupernaturalis, & meritorius actus; ſed etiam eſt ſimpliciter neceſſarius, ad illum producendum.

15. Probatur, quia vbi eſt ſimpliciter neceſſaria præueniens, & excitans gratia, eſt etiam ſimpliciter neceſſarium, quidquid ex quidditatiua ratione eiuſdem gratiæ præuenientis petitur, quaſi neceſſarium, vt ſuas vires exerat. Sed ex ratione quidditatiua præuenientis, & excitantis gratiæ petitur, vt habeat ſibi per ſe, ac neceſſariò coniunctam eiuſmodi cooperationem, & adiuuantem concurſum, per quem ſuas vires exerit excitans & operans gratia, & ſine quo foret quaſi ſubnernata, ne mouere poſſet, vt facilè conſtat ex dictis diſp. 36. ſect. 5.

Ex eadem ſectione ſumuntur præſentis argumenti confirmationes. nam quicumque ſit ille concurſus, per quam intentio finis influit in electionem mediorum; ille non ſolùm eſt vtilis, ſed etiam ſimpliciter neceſſarius. Porrò idem ille conuenit inſpirationi ſupernaturali reſpectu volitionis liberæ. Eodem modo argumentor de concatenatione, & reſultantia, phyſicè influente, virtute cuius quidam actus voluntatis neceſſariò reſultant ex aliis, & quidam actus intellectus, ſimiliter ex aliis; & de influxu, quo intellectio, proponens obiectum, influit in liberam volitionem illius: de quibus dixi loco nuper citato. 16.

Poſtremò gratiæ ſubſequentis neceſſitatem eſſe generalem ad omnes, & ſingulos exteriores actus, exceptis paucis leuiſſimis, & imperfectè factis, conſtat ex diſp. 38. ſect. 2. & 3. 17.

Subſequentis gratia neceſſitas ad omnes exteriores actus.

DISPVTATIO XLII.

Vtrùm præmotio Dei, ad operationes naturales prærequiſita, rectè probet gratiæ præuenientis neceſſitatem ad quaſlibet ſupernaturales operationes.

SECTIO I.

Rationes deſumptæ à potentijs non liberis.

AGGREDIOR explicare præmotionem, ſeu prædeterminationem primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſæ, prærequiſitam, ad omnes operationes naturales intellectus, ſed præcipuè voluntatis. Quamuis enim huius rei plena deciſio, & confirmatio tradita iam ſit tomo de ſcientia Dei diſp. 39. & multis ſequentibus, & tomo de voluntate Dei à diſp. 27. vſque ad 50. vbi probauimus, ad bona particularia, & ad volitiones in particulari non prædeterminari voluntatem à Deo; ſed hanc eſſe vim libertatis, vt ſe ipſam determinet, ad quam elegerit partem contradictionis, vel contrarietatis: cæterùm in præſenti traditmus prædeterminationem ad bonum in communi, & vniuerſali, & ad primam volitionem, quæ vnica, & ſola eſt præmotio, ex doctrina Ariſt. S. Thomæ, Auguſtini, & omnium Theologorum efficaciter deducta. 1.

Prædeterminatio ad bonum in communi.

Præmitto generalem rationem, quæ à quacumque operatione cuiuſque potentiæ vitalis deſumitur, ad probandam neceſſitatem præuenientis gratiæ, ad ſingulas operationes ſupernaturales. Omnes namque potentiæ vitales, quamuis in ſuo genere ſint perfectæ, nihilominus ad ſuos naturales actus (id eſt, non ſupernaturales) indigent aliquo excitante ad ſuas operationes, ſiue illud ſit obiectum extrinſecum, mittens ſpecies ad ſenſus, & per illos excitans intellectum, & voluntatem; ſiue illud excitans ſit aliqua intrinſeca, & perpetua operatio. Ergo à fortiori ad actus ſupernaturales neceſſaria erit aliqua vis exitans; quamuis alioqui potentia ſit completa per habitus infuſos. 2.

Omnes potentiæ vitales indigent aliquo excitante.

Ad generalem hanc ratiocinationem variis potentiarum generibus in particulari applicandam, 3.

dam, & in eis vrgendam, totus præſentis diputationis progreſſus deſtinatur. Sed in præſenti ſectione dicemus ſolummodò de potentiis naturalibus (id eſt, libertate carentibus,) quoniam faciliùs expediuntur harum potentiarum rationes, vt ab eis gradum faciamus ad voluntatem, ſeu liberè, ſeu indeliberatè volentem; in cuius operationibus, ſicut operoſius erit negotium, ita efficacior erit ratio, ab illis deſumpta.

4. *Senſus.* Primò igitur probatur exemplo ſenſuum, ac præſertim viſus. Quod Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 26. ſic explicat: *Sicut enim oculus corporis, etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adiutus, non poteſt cernere. ſic homo, etiam perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur; rectè non poteſt viuere. Sanat ergo Deus, non ſolùm, vt deleat quod peccauimus; ſed vt præſtet etiam ne peccemus.* Vnde conſtat, præter habitus infuſos, alias illuſtrationes & auxilia requiri, ad rectè viuendum: quæ auxilia præſertim eſſe debere excitantia, conſtat ex aliis teſtimoniis Auguſt. citatis in diſp. præcedentis ſect. 6. & 7. & ex ipſo exemplo lucis, atque candoris, excitantis corporeos oculos.

5. *Potentia loco motiua.* Secundò probatur exẽplo loco motiuæ potentiæ animalium. Nam ſicut Ariſtot. docet 8. Phyſic. cap. 2. fine, textu 20. motus animalium poſt quietem, neceſſe eſt, præcedere alios motus, quibus anima excitetur ad agendum; & ſubdit, eiuſmodi motionibus etiam mentem & appetitum moueri: quod intelligendum eſt quando per ſomnum ceſſauit omnis motio & ſenſus in homine; vt explicabimus infrà. Hac ratione, ad probandam neceſſitatem gratiæ alicuius excitantis, vt poſſit homo ſe ad gratiam præparare, vtitur S. Thom. de veritate q. 24. artic. 15. corpore, & in 2. diſt. 28, q. 1. art. 4. corpore.

6. *Intellectus ad primam volitionem eget exteriori determinante.* Tertia probatio pertinet ad intellectum, qui ad primam intellectionem non poteſt determinari à voluntate, neque à ſe ipſo; ſed neceſſariò indiget exteriori aliquo, determinante ad eam intellectionem naturalem, quæ initium ſit cæterarum intellectionum, & volitionum. Ergo ſimiliter prima cogitatio intellectus, quæ poſſit eſſe initium cæterarum intellectionum, & volitionum ſupernaturalium, debet prouenire ab exteriori principio ſupernaturaliter determinante: nec poterit ad illam ſe ipſum excitare intellectus; neque illum excitare poterit imperium voluntatis.

7. Antecedens explicatur magis, & confirmatur ſic. Exteriùs illud principium, mouens, ac determinans intellectum ad primam intellectionem, non idem comparatione Angelorum, & hominum; quamuis namque in duobus conueniant humanus intellectus, & Angelicus, primò, quod neuter ad primam intellectionem moueri poſſit à ſe ipſo, neque à voluntate, quoniam ante primam intellectionem nulla eſt volitio, per quam voluntas moueat intellectum; nullàque præceſſit intellectio, virtute cuius intellectus ſe ipſum moueat ad aliam intellectionem. Secundò conueniunt, quoniam vterque intellectus, tam humanus, quàm angelicus à Deo moueri poſſunt ad primam intellectionem.

8. *Angeli ad primam intellectionem à Deo ſolo mouentur.* Nihilominus valdè differunt, quoniam intellectus angelicus ad primam intellectionem à nullo alio principio moueri poteſt, & excitari, niſi à Deo; quia inter agentia creata, nullum eſt poſſibile tantæ virtutis, vt in angelicum intellectum poſſit, reali, & phyſica efficientia influere: vt cum communi Theologorum ſententia monſtrauimus 1. part. quæſt. 55. toto articul. 2. & quæſt. 57. art. 4. ſect. 6.

Confirmatur. nam ea de cauſa intellectum Angelicum, oportuit, neceſſariò verſari in perpetua cognitione ſui, per quam excitarentur ad cætera obiecta cognoſcenda. Alioqui ſi Angelus aliquando (ſeu liberè, ſeu abſque libertate) omnem actum intellectus deponeret, nunquam poſſet deinceps, iterum ſe ad volendum, vel intelligendum applicare; niſi Deo iterum exteriùs mouente ad primam intellectionem, vt probauimus 1. part. quæſt. 58. art. 1. ſect. 1.

9. *Intellectus hominis ab obiectis extrinſecis, & à humoribus, & ſpiritibus animalibus.* Humanus intellectus è contrario, non ſolùm à Deo, ſed etiam à duobus aliis agentibus immediatè excitatur ad primam intellectionem. Primò enim excitatur ab exterioribus obiectis ſenſibilibus, per omnes ſenſus externos. Secundò, excitatur à humoribus, & ſpiritibus animalibus; in quantum per illos mouentur ſpecies ſenſibiles, phantaſiam prouocantes ad ſuas cogitationes, ad quarum præſentiam neceſſariò in intellectu excitatur aliqua intellectio. His adde excitari etiam humanum intellectum ab Angelis: ſed quia hoc præſtare nequeunt, niſi in quantum applicando actiua paſſiuis, proponunt exteriora obiecta ſenſibilia, vel mouent interiores ſpecies phantaſiæ, vt vidimus diſput. 40. ſect. 5. ideo Angelos prætermiſimus in numero eorum agentium, quæ immediatè excitant intellectum humanum.

10. *Deus primarium principium excitãs intellectum humanum.* Denique aduertendum eſt, ſemper Deum eſſe primariũ principium, excitãs intellectum humanum, etiam quandò, per agentia creata excitatur; has enim omnes cauſas Deus ſua prouidentia tali ordine diſpoſuit, atque omnia illarum impedimenta remouit, vt tali vel tali momento ad intellectionem talis obiecti, cum tanta claritate, certitudine, extenſione, penetratione, ac firmitate neceſſariò mouerent.

SECTIO II.

Vtrùm aliqua naturalis volitio debeat procedere à Deo in nobis operante ſine noſtra libertate.

NAturalem intelligo prout opponitur ſupernaturali; atque, propterea inquiro, vtrùm procedat à Deo, in nobis operante ſine noſtra libertate, quoniam hoc ipſum erit, eſſe præuenientem & operantem excitationem & præmotionem Dei ad cæteras volitiones: vt magis conſtabit inferiùs. 1.

Prima concluſio ſit. Omnibus hominibus neceſſariò ineſt, ab authore naturæ inditus amor beatitudinis, ſeu felicitatis in communi; ratione cuius omnes beati eſſe volumus quacunque volitione, etiam illa, per quam à beatitudine vera peccando recedimus. Hoc principium lumine naturæ, atque experientia notum, frequens eſt in ore Auguſtini, ad varias Theologiæ concluſiones comprobandas. Sic lib. 10. Confeſſionum cap. 20. *Nonne* (inquit) *ipſa eſt beata vita, quam omnes volunt, & omnino, qui nolit eam, nemo eſt, vbi nouerunt eam, qui ſic volunt eam?* & in fine capitis: *Nota eſt igitur omnibus, qui vna voce, ſi interrogari poſſent, vtrùm beati eſſe vellent, ſine vlla dubitatione, velle reſponderent.* 2. *Omnibus neceſſariò inditus beatitudinis amor.*

Et ſequenti cap. 21. *Si quæratur à duobus, vtrùm militare velint: fieri poſſet, vt alter eorum velle ſe,* 3.

alter

Digitized by Google

alter nolle reſpondeat. Si autem ab eis quæratur, vtrùm beati eſſe velint, vterque ſtatim, ſe ſine vlla dubitatione, dicat, optare, nec ob aliud velis ille militare; nec ob aliud aliud iſte nolit, niſi vt beati ſint? num fortè quoniam alius hinc, alius inde gaudet? ita ſe omnes beatos eſſe conſonant, quemadmodum conſonarent, ſi hoc interrogarentur ſe velle gaudere, atque ipſum gaudium vitam beatam vocant. Quod etſi alius hinc, alius illinc aſſequitur, vnum eſt tamen, quo peruenire omnes nituntur, vt gaudeant. & ſubdit: *Hanc neminem eſſe, quam ſe expertum non eſſe, nemo poteſt dicere.*

4. Idem in lib. de vita beata volum. 3. ait: *Ego rurſus exordiens, beatos eſſe nos volumus, inquam. Vix hoc effuderam, occurrerunt vna voce conſentientes.* Pleraque ſubiicit in eandem ſententiam, & lib. 2. de libero arbitrio cap. 14. initio: *Cenſes ne* (ait) *quemquam hominum omnibus modis velle, atque optare vitam beatam?* & reſpondit: *Quis dubitat, omnem hominem velle.* & poſtea fuſiùs oſtendit, etiam improbos, atque miſeros homines per volitiones prauas appetere aliquam vmbram beatitudinis. Quod clariùs expreſſit in lib. 2. de libero arbitrio cap. 9. ante medium, dicens: *Nam illi omnes, quos commemoraſti, diuerſa ſectantes, bonum appetunt, & malum fugiunt. Sed propterea diuerſa ſectantur, quod aliud alij videtur bonum; quiſquis ergo appetit, quod appetendum non erat, tametſi id non appeteret, niſi ei videretur bonum, errat tamen.*

5. Idem planè ſupponit in lib. 10. de Trinitate cap. 3. 4. & 5. & clariùs lib. 13. cap. 3. refutato Scenico, qui dixerat: *Vili vultis emere, & caro vendere*; & Ennio, qui dixerat: *Omnes mortales ſeſe laudari exoptant.* ſubdit: *At ſi dixiſſet, Omnes beati eſſe vultis, miſeri eſſe non vultis, dixiſſet aliquid, quod nullus in ſua non agnoſceret voluntate.* Porrò huiuſmodi amorem eſſe, qui latenter mouet ad cæteras omnes volitiones, quantumcunque prauas & recedentes à vera felicitate, continuò ſubiungit, dicens: *Quicquid enim aliud quiſquam latenter velit ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus ſatis nota eſt, non recedit. Mirum eſt autem, cùm capeſſenda atque retinenda beatitudinis voluntas vna ſit omnium; vnde tanta exiſtat de ipſa beatitudine rurſus varietas, atque diuerſitas voluntatum; non quod aliquis eam nolit, ſed quod non omnes eam norint.* Et in eodem lib. 13. cap. 8. appellat hanc *tam perfectam, tam examinatam, tam eliquatam, tam certam ſententiam, beatos eſſe omnes velle.* Multáque his ſimilia in præcedenti & ſequenti capite.

Mouet ad cæteras volitiones.

6. In Enchirid. cap. 105. *Qua* (videlicet voluntate) *beati eſſe ſic volumus, vt eſſe miſeri non ſolùm nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus.* & lib. de natura & gratia cap. 46. *Perquam abſurdum eſt, inquit, vt ideo dicamus, non pertinere ad voluntatem noſtram, quòd beati eſſe volumus; quia id omnino nolle, non poſſumus.*

7. In omnibus denique volitionibus etiam prauis ſemper beatitudinem optari, clariùs quàm locis nuper citatis, Auguſtinus docuit, enarrans illud Pſalm. 32. *Beata gens,* &c. Vbi ita concludit: *Ergo ne miſer ſit, malus eſt, & ideo miſerior eſt, quia malus eſt. Depellendæ ergo miſeriæ cauſa, & acquirendæ beatitudinis cauſa faciunt omnes homines, quidquid vel boni faciunt, vel mali. Semper ergo beati eſſe volunt; ſiue malè viuentes, ſiue benè viuentes beati eſſe volunt. Et non contingit omnibus, quod omnes eſſe volunt; omnes enim beati eſſe volunt; non autem erunt, niſi illi, qui iuſtè eſſe voluerint.*

Etiã in prauis volitionibus optamus beatitudinẽ.

8. Damaſcenus lib. 2 fidei cap. 22. ait: *Illatere non oportet, animæ natura inſitam eſſe vim appetitiuam eius, quod ſecundùm naturam eſt, & omnium, quæ naturæ ſubſtantialiter conferunt, expetitiua eſt ea, quæ voluntas dicitur. Nam ſubſtantia & eſſe, & viuere, & moueri ſecundùm mentem & ſenſum appetit, propriam cupiens, & naturalem & plenariam entitatem. Quapropter & hoc pacto definiunt naturalem voluntatem: voluntas appetitus eſt rationalis, & naturalis, ex ijs ſolùm pendens, quæ ſecundùm naturam ſunt. Quare voluntas eſt ipſe rationalis, & naturalis appetitus, & ſimplex virtus eorum, quæ naturam abſoluunt.* Conſidera, quàm varia, atque multiplici phraſi Damaſcenus ſignificat, illud bonum, quod vnum voluntatem reddit felicem atque beatam ſemper ac naturaliter appeti à voluntate.

Anſelmus de caſu diaboli cap. 12. propè finem: *Dico,* inquit, *nunc beatitudinem, non beatitudinem cum iuſtitia; ſed quam volunt omnes, etiam iniuſti. Omnes quippe volunt, benè ſibi eſſe.* & poſt pauca: *Commodum non ſolùm omnis rationalis natura, ſed & omne quod ſentire poteſt, vult & vitat incommodum. Nam nullus vult, niſi quod aliquo modo putat ſibi commodum. Hoc igitur modo, benè ſibi eſſe omnes volunt, & malè ſibi eſſe nolunt.* & cap. 13. ante medium ait: *Qui vult aliquid propter beatitudinem, non aliud vult quam beatitudinem.* Quibus oſtendit beatitudinis volitionem eſſe rationem communem quidditatiuè incluſam in qualibet volitione particulari. Deinde verò huius volitionis neceſſitatem explicans: *Quare* (inquit) *an poſſis deſerere hanc voluntatem, & mouere ſe de velle, ad non velle beatitudinem?* & reſpondet: *Si quidem hoc facis nolens, non ipſe facis; ſi verò volens, aliud vult, quàm beatitudinem. Sed non vult aliud. Quare manifeſtum puto; quia nullatenus poteſt per ſe non velle, ad quod ſolùm accepit velle.* & continuò clariùs explicat, dicens: *Non poteſt, nõ velle beatitudinẽ.* 9.

Ariſtot. lib. 3. Ethicorum cap. 2. & 3. ait: *Nemo conſultat an debeat eſſe felix, neque eligit felicitatem, ſed conſultat de medijs.* Supponit ergo Ariſtoteles certam ac neceſſariam eſſe omnibus hominibus voluntatem felicitatis. Quod idem colligitur ex Ariſt. in 2. Phyſicorum cap. 9. textu 89. vbi finem in operatione comparat cum principio in ſpeculatione; ſed intellectus primis principijs neceſſariò adhæret, maximè verò primo, & vniuerſaliſſimo principio, *Quodlibet eſt, vel non eſt.* Similiter ergo voluntas per amorem adhærebit neceſſariò ſupremo, & vltimo fini, videlicet, felicitati, ſeu beatitudini, ſaltem in generali. 10.

Intellectus primo principijs neceſſariò adhæret.

Plato in hac doctrina perpetuus eſt in varijs dialogis; ex illa verò malè intulit ſuum illum errorem, videlicet, neminem, niſi ex ignorantia, peccare. 11.

Præcedenti concluſioni, quæ ſequuntur, ita ſunt cognatæ, vt ſola ratione formali, atque conſideratione diuerſa diſtinguantur ab illa, cui tamen inſeparabiliter connectuntur. Sit igitur ſecunda concluſio. Veritatis atque ſapientiæ amor, nec non deceptionis odium neceſſariò, atque naturaliter ineſt, quibuſcunque hominibus. 12.

Veritatis amor, & deceptionis odiũ omnibus neceſſariò inſunt.

Sic Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 23. propè initium ait: *Quæro ab omnibus, vtrùm malint de veritate, quàm de falſitate gaudere: tam non dubitãt dicere de veritate ſe malle, quàm non dubitant dicere beatos eſſe ſe velle. Beata quippe vita eſt gaudium de veritate: hoc eſt enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea, ſalus faciei meæ Deus meus. Hanc vitam beatam omnes volunt. Hanc vitam, quæ ſola beata eſt, omnes volunt; gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus ſum, qui velint fallere; qui autem falli, neminem.* 13.

Et

14\. Et lib 1. de libero arbitr. cap. 9. propè med. ait: *Vt ergo conſtat, nos beatos eſſe velle, ita nos conſtat, velle eſſe ſapientes: quia nemo ſine ſapientia beatus eſt. Nemo enim beatus eſt, niſi ſummo bono, quod in ea veritate, quã ſapientiam vocamus, cernitur, & tenetur.* (& poſt pauca:) *Vnuſquiſque noſtrum ſi interrogetur, velit ne eſſe ſapiens; ſine vlla caligine dubitationis, ſe velle, reſpõdet.*

15\. *Amor boni in communi à Deo neceſſariò inditus.* Tertia concluſio. Amor boni in communi voluntati neceſſariò ineſt inditus ab authore naturæ, qui eſt primus & vniuerſalis motor voluntatis, ita ſenſit Magiſt. in 2. diſt. 31. c. 3. S. Thom. 1. 2. q. 9. artic. 6. fine, concluſionem ita probat; *Deus mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud. Sed tamen interdum Deus ſpecialiter aliquos mouet ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum; ſicut in his, quos mouet per gratiam, infra dicetur.* Quibus in verbis duæ rationes virtualiter continentur: altera quæ ſumitur ex proportione ſeruanda inter vniuerſalem motorem, & vniuerſale obiectum voluntatis: altera quæ ſumitur ex præciſa neceſſitate huius motionis, vt homo poſſit aliquid velle, quam neceſſitatem fuſiùs probabimus in ſect. 3.

16\. Eandem S. Thomæ doctrinam ſequuntur Ægidius, Ricardus, Henricus, & Carthuſianus, citandi pro ſequenti concluſ. 4. Inſuper Capreolus & Deza, Conradus, Caietan. & Ferrarienſis citandi in ſect. ſequenti, Antoninus, & Raynerius, & Heruæus citandi ſect. 4. Ioannes Bacho in 2. diſt. 23. quæſt. vnica. artic. 3. præterea Durand. Paludan. Adam, Marſil. Scotus, Soto, & alij citandi ſectione 5. & 6.

17\. *Amor finis neceſſarius, & à Deo impreſſus.* Quarta concluſio, ſola ratione formali à præcedenti differens (vt notaui ante concluſionem ſecundam.) Amor finis eſt ſimpliciter neceſſarius, atque impreſſus ab authore naturæ. Ita S. Thom. variis in locis infrà citandis, in ſect. 3. 4. & 6. Ægidius in 1. diſtinct. 1. quæſt. 1. artic. 3. in 1. dubio laterali, & in 3. dubio, vbi 2. & art. 4. §. *Sciendum.* & artic. 6. in 1. dub. laterali docet, voluntate neceſſariò amare finem, ſeu beatitudinem in communi; & ad hunc amorem non determinare ſe ipſam; ſed eſſe determinatam à Deo, & hunc amorem ſupponi, vt poſſit ſe determinare ad ea, quæ ſunt ad finem. Quod idem ex profeſſo probat Henricus quodlibeto 1. quæſt. 1. toto artic. 1. & quodlib. 10. q. 9 ad finem.

18\. Carthuſianus in primo diſtinct. 1. quæſt. 6. cum S. Thoma variis in locis docet, neceſſarium eſſe amorem vltimi finis, & boni, non habentis admixtam vllam rationem malitiæ veræ, neque apparentis. Idemque repetit in 2. diſt. 25. quæſt. 2. & 3. Eandem concluſionem tradit Richardus 2. diſt. 24. art. 1. quæſt. 4. ad 3. & diſt. 25. art. 1. quæſt. 2. corp. & alij Doctores citandi in ſectionibus ſequentibus.

19\. Henricus, quamuis pro contrariis ſententiis referatur quandoque à Doctoribus, cui varietati occaſionem dedit, dicens, volitionem finis non eſſe à Deo; ſed à voluntate, vt conſtat quodlibet. 13. quæſt. 26. versùs finem; cæterùm quantum ad hoc, videtur de re parum aut nihil diſſentire; cùm expeſsè concedat, voluntatem neceſſariò ferri in finem, ita vt non poſſit illum non amare, poſtquam intellexit illum; neque poſſit, velle ceſſare ab actu intellectus quo finem cognoſcit; ſed neceſſariò velit, intellectum perſiſtere in cognitione; & ipſa etiam neceſſariò amet finem cognitum. Vnde colligitur, apud Henricum, tam quoad exercitium, quam quoad ſpecificationem eſſe neceſſarium amorem finis, quandiu intellectus intelligere poteſt. Quod magis explicat aliis in locis, quæ referemus ſect. 6. num. 17.

Quinta concluſio. Sui ipſius amor neceſſariò ineſt cuilibet perſonæ, inditus ab authore naturæ. Ita Capreolus in 1. ſent. diſt. 1. quæſt. 3. in art. 3. ad 6. argum. Aureoli contra primam concluſionem. Deza Hiſpalenſis in 1. diſt. 1. q. 3. art. 4. ad 6. Aureoli contra 1. concluſ. Atque in re idem prorſus ſentiunt omnes Patres & Scholaſtici, tota præſenti ſect. citati. Etenim perſonam aliquam tunc amamus, quando illi volumus bonum, felicitatem, beatitudinem, atque finem: at verò quæcunque hominem hæc ſibi ipſi ſemper ac neceſſariò velle, docent Patres, & Scholaſtici citati. 20. *Cuilibet perſonæ ſui ipſius amor neceſſariò inditus à Deo.*

Harum omnium concluſionum explicationes & rationes à priori conſtabunt ex ſectionibus ſequentibus.

SECTIO III.

Ad primam volitionem author naturæ determinat voluntatem abſque illius libertate.

COmmunis Theologorum ſententia docet, neceſſarium eſſe, vt à Deo quaſi vniuerſali motore extrinſeco, per generalem influentiam moueatur noſtra voluntas ad primum actum, à quo incipit deliberatio, eaque motio ſit ad generalem complacentiam boni, non determinando, quantum eſt ex parte Dei, ad hoc vel illud bonum in particulari, atque hac ratione omnes intellectiones & volitiones reduci in primam, & à Deo immiſſam intellectionem, & volitionem; ſine qua impoſſibile foret, aliquam intellectionem aut volitionem elicere. 1. *Motio ad primum voluntatis actũ.*

Et quamuis iidem Doctores valde inter ſe diſſideant circa phyſicum concurſum intellectus & voluntatis, ad eaſdem primas intellectiones & volitiones; quidam enim affirmant, intellectum & voluntatem phyſicè cum Deo concurrere, ad prædictas primas operationes producendas; alij verò negant, vt vidimus diſp. 33. nihilominus omnes in eo conueniunt, quòd ad prædictas operationes primas independenter à noſtra libertate determinentur à Deo, quaſi à motore primo, & vniuerſaliſſimo. 2.

Ita exiſtimat S. Thomas variis in locis, quorum aliqua referemus in hac & ſequenti ſect. velut 1. 2. q. 9. art. 4. cuius corpus concludit his verbis: *Neceſſe eſt ponere, quod in primum motũ, voluntatis voluntas prodeat ex inſtinctu alicuius exterioris mouẽtis, vt Ariſt. cõcludit in quodam capitulo Ethicæ Eudimitæ.* 3.

Eam doctrinam ſequuntur Bernardus de Ganaco in impugnatione q. 11. quodlib. 13. Henrici apud Capreolum, qui eius verba refert, & approbat vt vera, & ſecundùm mentem S. Thomæ in 2. diſt. 25. q. vnica art. 3. dum reſpõdet ad poſtremum argumentum cõtra primam concluſ. atque idem repetit Capreolus in eadẽ diſt. 25. art. 3. ad 1. Henrici cõtra 1. concl. & iterũ ad 1. Henrici contra tertiam concl. idémque dixerat diſt. 24. artic. 3. poſt medium §. *ad 8. dicitur conformiter,* Deza in 2. diſt. 25. quæſt. vnica, artic. 3. notabili 3. Caietan. 1. 2. quæſt. 9. artic. 4. & in eadem quæſt 9 art. 6. fine, & quæſt. 10. artic. 2. §. *ad hæc dicitur.* & §. *circa doctrinam.* & 1. part. q. 81. art. 4. fine, & quæſt. 105. art. 4. 4.

Conradus

5. Conradus 1. 2. quæſt. 9. articul. 4. §. *reſpondet iuxta*, & §. *nota circa*. & artic. 6. ad 3. & quæſt. 10. artic. 1. corpore, & artic. 3. corp. & quæſt. 80. art. 1. ad 3. & quæſt. 109. art. 2. corp. & ad 1. & eadem quæſt. 109. art. 6. circa medium in comment. §. Ferrarienſis lib. 3. contra Gentes cap. 89. §. *Ad euidentiam*. Ioannes Bacho in 2. diſtinct. 23. quæſt. vnica, art. 3. Bellarm. 3. lib. de gratia & libero arbitrio quæſt. 14. poſt medium, & communiter recentiores 1. 2. quæſt. 9. art. 4.

6. Eadem videtur eſſe mens Adami in 1. ſententiarum diſtinct. 1. quæſt. 6. art. 1. fine, & quæſt. 10. concl. 7. dicentis: *Voluntas ante omne dictamen habitum, & ante omnem notitiam complexam merè naturaliter elicit actus ſuos, non ſolum reſpectu Dei, ſed etiam reſpectu cuiuſque obiecti ſimplici intelligentia apprehenſi; ſecundum illud Auguſtini: Non eſt in poteſtate noſtra, quibus viſis tangamur.* Similiter Almainus in 3. tract. Moral. cap. 24. prope initium probat, motus primò primos, qui nullo modo ſunt in poteſtate voluntatis, reperiri non ſolum in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in voluntate; quæ, rerum ſpiritualium bonitate cognita, naturaliter inſurgit in complacentiam illius.

7. Huc pertinet quod Euſebius de præparatione Euangelica lib. 6. cap. 9. poſt med. ait: *Non ambigimus ea, quæ in nobis non ſunt, cauſam eſſe interdum eorum, quæ in nobis ſunt. Facimus enim aliqua plerumque libenter, aut non facimus, quia non nulla, quæ voluntatis humanæ non ſunt, præceſſerunt: ſi verò quiſpiam abſolutam eſſe noſtram voluntatem, putat, vt, nulla re præcedente, voluntas noſtra hoc aut illud amplectatur, is mundi ſe particulam eſſe, contínerique ab vniuerſo, oblitus eſt.*

8. *Actiones liberæ quæ.* Nota primò, *ea quæ in nobis, aut, quæ voluntatis humanæ ſunt*, appellari actiones liberas; ſicut è contrario appellationes eædem negantur actionibus libertate carentibus. Secundò, opus eſſe præcedente aliqua re non libera, vt, quæ in nobis ſunt, liberè amplectamur. Tertiò hanc neceſſitatem prouenire ex eo, quòd ab vniuerſo continemur, tanquam creaturæ; neque ſumus creatores. Omnis enim creatura præmoueri debet à Deo, & ex aliquo immobili debet procedere ad motum. Quartò. Quod autem dicit Euſebius, hoc interdum euenire, & non dicit ſemper; propterea dicit, quoniam quamdiu actuſumus in liberis actibus, ab illis ad alios tranſire poſſumus.

9. *Fundamentum ex Ariſtotelis doctrina.* Noſtræ concluſionis fundamentum Doctores ſumunt ex doctrina Ariſtotelis de bona fortuna, cuius eundem locum variè, atque multipliciter nominare ſolent, vt minus verſatis videatur eſſe diuerſus. Citatur namque in cap. de bona fortuna, & in Moralibus, & lib. 7. moralium Eudemiorum. Vltra quem locum citabimus alios ex lib. 2. Magnorum Moralium, & ex lib. 2. Phyſicorum.

10. *Bona fortuna quid.* Pro quo ſuppponendum eſt breuiter quid ſit bona fortuna; quidque, bene fortunatum eſſe hominem. Quam definitionem inueſtigans Ariſtoteles lib. 7. qui eſt vltimus Ethic. ad Eudemum prope fin. poſt longam ratiocinationem, quæ hinc inde argumentatur, probans fortunam, neque eſſe intellectum, cùm ſtolidis contingat ſæpe bona fortuna; neque naturam, quia hæc ſemper eodem modo operatur, ſed fortuna variabilis variè ac multipliciter operetur; neque Deus, quia fauet, ac diligit malos frequenter.

11. Interim tamen certas eſſe, decernit, has propoſitiones. Prima, illos eſſe bene fortunatos, qui citra rationem, & conſilium, etiam ſi aliàs ſtolidi ſint, *impetu quodam animi feruntur, vt concupiſcant, quid, quando, & quo pacto oportuit*; proſperéque agant, & conſequantur. Quod magis explicat lib. 2. Magnorum Moral. cap. 8. poſt medium, dicens: *Vt ſi quis roget ita habentem, cur nam id tibi ita libet agere? Neſcio (inquit) ſed libet. Simile prope lymphaticis* (id eſt, furioſis) *ſiquidem lymphatici ſine ratione, ad aliquid agendum, impelluntur.*

Secundò. Quamuis in dicto lib. 2. Magnorum Moral. cap. 8. doceat bonam fortunam non eſſe Deum, ſed naturam, impellentem ſine ratione ad ea, quibus bene habemus: nihilominus in dicto lib. 7. Ethicorum ad Eudemum prope finem exiſtimat, Deum eſſe bonam fortunam, in quantum cauſat cogitationes, & impetus, vt ſine præcedenti conſilio & ratione concupiſcamus, quid, quando, & quomodo oportet. 12.

Hæc autem veritas non re, ſed ſola vocis acceptione diſſidet ab alia veritate, quam idem Ariſtot. tradit in 2. Phyſic. text. 52. vbi, *Fortuna, inquit, eſt cauſa per accidens in iis, quæ operantur, ob aliquem finem ex electione, rarò eueniens.* Hic enim reſpexit ad phyſicam differentiam explicandam inter cauſam per ſe, & cauſam per accidens, quæ vulgò appellatur fortuna, quando referuntur ad humanas actiones; at verò in duobus lib. Moral. nuper citatis, fortunæ bonæ nomen altiori acceptione reſeruauit, ad ſignificandam illam primam cauſam, quæ per ſe ex certa ſcientia, & electione cauſat eos bonos effectus, qui comparatione humanæ electionis contingunt per accidens, præter, aut ſupra humanam ſcientiam, & intentionem. 13.

Hoc ſuppoſito, primam cogitationem, primámque volitionem cauſari à Deo, vt à motore primo, & vniuerſaliſſimo, ac ſine illa motione inchoari, non poſſe totam ſeriem intellectionum & volitionum: Doctores ſuprà citati probant eodem modo, ſicut Philoſophus probat, primam cooperationem, & volitionem, quæ ad felicitatem inſtigat, eſſe à Deo, tanquam à bona fortuna. 14.

Notandum namque eſt, primam volitionem eſſe in duplici differentia: alia eſt ſimpliciter, & vniuerſaliſſimè prima; quæ neceſſariò prima eſt comparatione cuiuſque volitionis, & hæc pertinet ad rationem formalem primæ & vniuerſaliſſimæ cauſæ, prout diſtinguitur formaliter à fortuna. Alia verò non eſt prima, niſi ſolummodò comparatione alicuius negotij, in quantum determinat ad volendum aliquid, vnde incipit deliberatio illius particularis negotij, ex qua ſequitur fortunatus euentus. Et hæc pertinet ad formalem rationem bonæ fortunæ. In huiuſmodi volitione, quòd prima ſit comparatione alicuius negotij, non tam conſiſtit in eo, quòd longè diuerſum negotium inchoetur ab eo inſtanti durationis, in quo talis volitio incipit, quàm in eo, quòd huiuſmodi volitio, & eius cogitatio præter totam intentionem, atque inquiſitionem hominis, in eius incidat mentem. 15. *Prima volitionis differentia duplex.*

Deum igitur eſſe bonam fortunam, probat Ariſtot. lib. 7. Ethicorum ad Eudemum prope finem, videlicet cap. 17. & 18. quia bona fortuna eſt principium motus in anima; ſed ſolus Deus eſt principium motus in anima. Ergo ſolus Deus eſt bona fortuna. Maiorem probat, quia 16.

principium motus in anima eſt illud, à quo incipit cognitio, & conſultatio; inde enim reliquæ operationes proficiſcuntur; ſed cognitio & conſultatio non incipiunt ab alio præcedente conſilio, & cognitione, qua deliberemus, nos debere conſultare, & cognoſcere; ne detur proceſſus in infinitum: ergo incipiunt à fortuna. Probatur conſequentia, quia quæ homini contingunt non à conſilio, neque à natura, veniunt à fortuna.

17. Inde vlterius progreditur Ariſtot. in eodem lib. 7. Ethicorum ad Eudemum cap. 18. hac ratiocinatione. Quando ſine conſilio, deliberatione, & ratione concupiſcimus quid, quando, & quomodo oportet ad felicitatem conſequendam, hæc voluntas non prouenit à conſilio, ratione, & deliberatione. Ergo prouenit à bona fortuna. Sed quoties incipimus deliberare, illa prima cogitatio, & illa prima volitio non prouenit à conſilio, deliberatione, & ratione. Ergo prouenit à bona fortuna, tanquam ab exteriori principio. Quam concluſionem ſignificat Ariſtoteles illis verbis: *Neque igitur conſiderandi initium principium, neque conſultandi conſilium. Quid igitur aliud niſi fortuna? quocirca à fortuna omnia proficiſcuntur. & quoddam eſt principium, extra quod nullum aliud reperiatur.* Quibus verbis manifeſtè indicat, eſſe primam cauſam, videlicet, Deum. & ſubiungit, quærere vim, & facultatem fortunæ *idem eſſe, quod quærere principium motus in anima.*

18. Clariùs autem Deum ſolum eſſe principium talis motus in anima, probat duplici ratione. Prima, quoniam eſt vniuerſaliſſimum principium circa omnes actiones & res, illis verbis: *Patet autem, ſic eſſe, quemadmodum in vniuerſo Deus, & viciſſim cuncta in illo. Mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine.* Secundò probat eandem minorem, quia quod eſt principium motus in anima, eſt principium rationis, ſeu cognitionis *Rationis autem non ratio, ſed præſtantius quidpiam eſt principium. Quid autem ſcientia præſtantius eſt, niſi Deus?*

19. Obiter aduerte, Ariſtotelem lib. 2. Magnorum Moralium cap. 8. negaſſe Deum eſſe bonam fortunam; ſed non vacat explicare, & conciliare.

20. Hoc eſt Philoſophi fundamentum, cui totius innititur ſanctus Thomas citans caput de bona fortuna, & Ethicæ Eudemicæ; velut 1. 2. quæſt. 9. art. 4. vbi fuſè & ex profeſſo magis explicat eandem ratiocinationem, vt concludat, neceſſarium eſſe, primam volitionem procedere ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis; & alioquin eſſe impoſſibile inchoare deliberationem, atque conſilium. Similia ſcribit 3. contra Gent. cap. 88. fine, & 1. parte quæſt. 84. art. 4.

21. Eandem doctrinam Ariſtot. ad præſens propoſitum cum D. Thoma ſequuntur non ſolùm Capreolus, Deza, Caiet. Conradus, Ferrarienſis, & cæteri Thomiſtæ; ſed etiam reliqui Theologi in principio citati, peculiariter autem Henricus quodlibeto 6. quæſt. 10. vbi quantum ad hoc fuſè, atque optimè conciliat Catholicam Theologiam cum doctrina Philoſophorum, præſertim Ariſtotelis, dum diſputat de bona fortuna, & notat Henricus ea, quæ à Theologica veritate diſcrepantia, vel inter ſe inuicem pugnantia, miſcebantur à Philoſophis: de quibus Ariſt. ambiguè, atque obſcurè ſcripſiſſe videtur. Iſtius quæſtionis decimæ deciſionem confirmat tandem in quodlibeto 9. quæſt. 5. vbi ad illam remittit lectorem, quamuis prius ab illa diſſidere videatur.

22. Confirmari poteſt, atque ampliùs explicari prædicta ratio, quia cùm primùm à ſomno redimus ad vigiliam, intellectus, excitatus à ſenſibus, vel ſpeciebus, in memoria reſeruatis, ex præcedentibus curis aut obiectis lætis, aut triſtibus, vel in ſomniis, protinus intelligit aliquid. Tunc autem voluntas in primo inſtanti, antequam deliberet, non eſt libera; vnde neceſſariò rapitur, ac defertur pondere obiectorum, cognitionis habituum, & paſſionum, ſaltem vt complaceat in aliquo illorum obiectorum, vel habeat diſplicentiam illius, vel certè placeat illi obiecta cogitare, vel placeat in alteram aurem dormire.

23. Quòd autem hoc ſit neceſſarium, probatur, quia voluntas, antequam deliberet, non agit vt libera; ergo agit vt natura; ergo naturaliter fertur obiectorum pondere; ſed quodcunque obiectum cognitum habet ſufficientem rationem, vt moueat ſaltem ad ſui aliquam complacentiam ſecundùm aliquam rationem boni, vel diſplicentiam ſecundùm aliquam rationem mali, iam cognitas in eodem obiecto; vel certè ad complacentiam cognoſcendi illud obiectum; ac deſiderium transeundi ad aliud obiectum cognoſcendum, & relinquendi priorem cogitationem, & minus velle, minus delectabilem. Ergo quodcunque obiectum de facto excitabit, & mouebit ad aliquam ex his volitionibus: ſiquidem in prædicto caſu voluntatis libertas nihil impedit, quominus obiectum agat, tanquam naturalis cauſa, de facto excitando volitiones.

24. Vnde tandem colligitur deciſio illius quæſtionis, vtrùm in exordio cuiuſque deliberationis prima volitio debeat eſſe de bono in communi, aut beatitudine, ſeu felicitate, & fine; quod affirmare videntur pleriquè ex Doctoribus, in principio citatis. Cæterùm ita intelligendi ſunt, vt non præciſa & ſola ratio communis boni, ſeu beatitudinis, ſit obiectum cuiuſcunque primæ volitionis, cùm experientia conſtet, & ratio nuper allata confirmet, primam volitionem plerumque verſari circa ſpecialia obiecta, ad quorum cognitionem, & complacentiam naturaliter prouocant obiecta, quæ ſenſibus internis vel externis abſque noſtra libertate proponuntur, ſiue per cauſas corporeas, ſiue per Angelos. Rurſus Deus primam volitionem excitare poteſt circa quodcunque bonum particulare, quod voluerit. *An in exordio deliberationis volitio prima ſit de bono in communi.*

25. Mens igitur eorum Doctorum duas tantùm veritates reſpexiſſe videtur. Prima eſt, vt plurimùm deliberationis exordium ſumi ab amore ſaltem complacentiæ alicuius obiecti magis vniuerſalis, quòd ſe habeat tanquam finis, à quo voluntas ſe moueat, vt media conſultando, eligat: ſic D. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 4. exemplum ponit in ſanitate. Secunda veritas eſt in hoc fine, totam vim & efficacitatem, qua voluntatem ad ſe neceſſariò rapit, conſiſtere in ratione boni, & felicitatis, ſeu beatitudinis, quæ ſola ratio formalis propter ſe ipſam diligitur, & reliqua omnia diliguntur propter illam: & quæ ſola nunquam poteſt non diligi, quando diligitur aliquid.

SECTIO IV.

Prouenientis gratiæ neceſsitas ad ſingulas operationes ſupernaturales colligitur ex doctrina duarum ſectionum præcedentium.

1. PRima ratio. Inſtinctus Dei, quaſi vniuerſaliſſimæ cauſæ naturalis, mouens, ad amandum bonum

Digitized by Google

bonum in communi, eſt ſimpliciter neceſſarius, vt homo poſſit velle aliquod bonum in particolari. Ergo ſimiliter inſtinctus Dei, quaſi agentis ſopernaturalis, mouens ad bonum ſupernaturale in communi, erit ſimpliciter neceſſarius, vt homo poſſit velle aliquod ſupernaturale bonum in particulari. Conſequentiam probo ex D. Thoma, qui circa neceſſitatem diuinæ motionis per gratiam eodem modo philoſophatur 1.2.quæſt.109.art.2. in fine corporis, & ad primum, ſicut priùs in q.9. art.4. corpore philoſophatus fuerat circa neceſſitatem diuinæ motionis per naturalem vim, & concurſum. Vtrobique enim hoc probat ex neceſſitate alicuius primæ volitionis indeliberatæ, à qua poſſit inchoari deliberatio; ne ſi omnes volitiones deliberatæ ſint, abeatur in infinitum. Hanc autem volitionem indeliberatam, ait, eſſe à Deo: quia non cauſatur à voluntate, vt domina ſuorum actuum.

2. Sed operæpretium erit, ob oculos ponere vtrumque locum, quo faciliùs poſſit lector eorum omnimodam proportionem obſeruare in dicta q.9.art.4. præſertim notanda ſunt illa verba: *Ipſa* (nimirum voluntas) *mouet ſe ipſam, in quantum per hoc, quod vult finem, deducit ſe ipſam, ad volendum ea, quæ ſunt ad finem: hoc autem non poteſt facere, niſi conſilio mediante. Cùm enim aliquis vult ſanari, incipit cogitare, quomodo hoc conſequi poſſit,* &c. *Sed quia non ſemper ſanitatem actu voluit, neceſſe eſt, quòd inciperet velle ſanari, aliquo mouente. Et ſiquidem ipſa ſe moueret ad volendum* (videlicet ſanitatem) *oportuiſſet, quod mediante conſilio, hoc ageret ex aliqua voluntate præſuppoſita. hoc autem non eſt procedere in infinitum. Vnde neceſſe eſt ponere quòd in ipſum primum motum voluntatis voluntas prodeat ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis, vt Ariſtoteles concludit in quodam capite Ethicæ Eudemicæ.*

3. Eadem protſus proportione in 1.2.q.109.art.2. poſtquam in fine corporis dixerat: *In vtroque ſtatu* (videlicet *naturæ integræ & corruptæ*) *indiget homo auxilio diuino, vt ab ipſo moueatur, ad bene agendum.* Deinde vt oſtendat, voluntatis innatam libertatem non ſufficere, vt poſſit bonum velle, niſi præueniente Dei auxilio moueatur, & excitetur, ita ratiocinatur in ſolutione ad primum: *Homo eſt Dominus ſuorum actuum & volendi, & non volendi, propter deliberationem rationis, quæ poteſt flecti ad vnam partem, vel ad aliam: ſed quod deliberet, vel non deliberet, & ſi huiuſmodi etiam ſit Dominus, oportet quod hoc ſit per deliberationem præcedentem. Et cùm hoc non procedat in infinitum, oportet quòd finaliter deueniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moueatur ab aliquo exteriori principio, quod eſt ſupra mentem humanam ſcilicet à Deo, vt etiam Philoſophus probat in cap. de bona fortuna. Vnde mens hominis etiam ſani non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moueri à Deo, & multo magis liberum arbitrium hominis infirmi poſt peccatum, per quod impeditur à bono per corruptionem naturæ.*

4. Quòd autem huiuſmodi auxilium, & inſtinctus Dei, mouens ad primam volitionem, ſit gratia operans, & præueniens, conſtat ex S. Thoma 1.2.q. 111.art.2.& 3. præſertim notanda ſunt illa verba articuli ſecundi in corpore: *Eſt autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis, & quantum ad iſtum actum, voluntas ſe habet, vt mota; Deus autem vt mouens, & præſertim cùm voluntas incipit, bonum velle, quæ priùs malum volebat. & ideo ſecundùm quod Deus mouet humanam mentem ad hunc actum dicitur gratia operans.*

Vnde ſumitur confirmatio, & maior explicatio ratiocinationis, in principio huius ſectionis poſitæ. Niſi Deus, vt author naturalis, ſit primum mouens ratione indeliberata, ad inchoandam deliberationem, non poteſt voluntas habere volitionem deliberatam naturalem. Ergo ſimiliter niſi Deus, vt author ſupernaturalis, ſit primum mouens motione indeliberata ſupernaturali, ad inchoandam deliberationem ſupernaturalem, non poterit voluntas habere volitionem ſupernaturalem, etiam quando omnes eius potentiæ ſint completæ per habitus infuſos: quemadmodum potentiæ naturales ſunt completæ in ordine ad actus naturales, & tamen adhuc indigent motione, inchoante deliberationem. 5.

Hæc mens S. Thomæ certa fuit, & explorata antiquioribus Thomiſtis. Ex quibus Caietanus non ſolùm in locis, quos retulimus ſect.3. paulo poſt principium, docet primam volitionem boni eſſe neceſſariam; ſed etiam in nuper citata q.111. art.2. §. *ad hoc*, ex proportione gratiæ operantis cum naturali motione Dei ad primam volitionem naturalem, colligit argumentum, ad probandum, primam volitionem ſupernaturalem, quæ initium præbet deliberationi circa ſalutem æternam, eſſe gratiam operantem, ſeu præuenientem. *Et nomine primi actus* (inquit Caietanus ibidem) *non intelligitur ſolus ille, quem voluntas in principio ſuarum operationum omnium habet: ſed quicunque primus abſque conſilio, & præuio motiuo ad bonum.* 6.

Generalem doctrinam de prima volitione boni, quam diximus in ſect. præced. ad gratiam, & ſupernaturales actiones applicat Deza in 2. diſt. 28.art.3.toto notabili 6.ſed peculiariter notanda ſunt illa verba ante medium: *S. Thomas inquit* 1.2.q.9.art.3.ad 1. *Voluntas in quãtum actu vult finem, reducit ſe de potentia in actum reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, vt, ſcilicet, actu ea velit. & ſimili modo dicendum eſt, quòd per hoc quod aliquid vult, vel ad aliquid mouetur ex ſpeciali, & gratuita Dei motione, reducit ſe de potentia ad actum, ad hoc quod alia velit, & ad alia moueatur, quæ ex illo primo dependent, vel deduci paſſim ſine nouo ſpeciali auxilio de proximo mouente.* Confirmat ex S. Thoma 1.2.q.109.art.6.& 1.p.q.82.art.4.& de veritate q.24.art.15. quibus omnibus in locis D. Thomas ex neceſſitate diuinæ motionis naturalis ad principium deliberandi, & volendi, colligit neceſſitatem diuinæ motionis ſupernaturalis, vt peccator ſe poſſit ad gratiam præparare. Eamdem ſententiam confirmat Deza in eadem diſt 28.art.4. ad argumenta Gregorij contra quintam concluſionem. 7.

Hæc igitur eſt præmotio ex mente Doctoris Angelici, legitimis orta natalibus, atque vt talis ſemper habita ab antiquiori ſchola, quæ quo propiùs à ſuo fonte diſtabat, eo puriores doctrinæ latices in poſteros influebat. 8.

Altera ratio valde affinis eſt primæ. Sumitur autem ex centro, atque fundamento cuiuſque motus, quod eſſe debet aliquid fixum, & immobile, vt in illo mutabilium operationum cardo vertatur, atque omnium motuum ſæpius iteratæ circulationes voluantur. Sic S. Thomas 1.p.q.82. art.1. ex profeſſo diſputans, vtrum voluntas aliquid ex neceſſitate appetat, in corpore articuli poſt longam ratiocinationem ita concludit: *Neceſſitas naturalis non repugnat voluntati, quinimo neceſſe eſt, quòd ſicut intellectus neceſſariò inhæret primis principiis, ita voluntas neceſſariè inhæreat vltimo fini, qui eſt beatitudo: finis enim ſe habet in operatiuis, ſicut* 9.

Digitized by Google

principium in ſpeculatiuis.' Oportet enim, quòd illud, quod naturaliter alicui conuenit, & immobiliter, ſit fundamentum & principium omnium aliorum, quia natura eſt primum in vnoquoque, & omnis motus procedit ab aliquo immobili. Notanda eſt vtraque ratio.

10. Præterea ex toto illo articulo, & ſequenti conſtat, ſanctum Thomam agere de tali neceſſitate, ex vi cuius non eſt in noſtra poteſtate non agere. Præſertim notanda ſunt illa verba in art. 2. corp. fine: *Voluntas videntis Deum per eſſentiam de neceſſitate inhæret Deo; ſicut nunc ex neceſſitate volumus eſſe beati.* Nimirum, quoties aliquid operatur intellectus, quo poſſit voluntati proponere bonum aliquod. His omnibus ſimilia ſcribit in quæſt. 3. de malo art. 3. corp. & de veritate quæſt. 22. art. 5. in 1. argum. & in fine corporis, vbi etiam notat hanc voluntatem non eſſe coactam, & inſuper eſſe requiſitam, quaſi fundamentum firmum, ad volitiones liberas, quæ omnia confirmat in ſequenti art. 6. eiuſdem quæſtionis.

11. Eadem docet Antoninus 1. p. tit. 4. cap. 1. præſertim §. 1. fine, & §. 2. & 3. & Raynerius in verbo *liberum arbitrium*, cap. 2. & 14. & 15.

12. Sic Auguſtinus, qui locis, notatis in ſect. 2. concluſ. 1. docuerat, beatitudinis, & felicitatis amorem eſſe omnibus naturalem, neceſſarium, atque perpetuum, hunc veluti cardinem, quamuis in beatitudine fixè, & immobiliter inniſtentem, nihilominus liberè volui, atque detorqueri per liberas volitiones, notat in lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. dicens: *Motus, quo huc, atque illuc voluntas conuertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus cùm ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet cùm ad inferiora detorquet, quaſi quemdam cardinem voluntatis.*

13. Confirmatur, quia non ſolùm in motu locali, ſed etiam in motu generationis, corruptionis, augmentationis, alterationis, & cuiuſque alterius operationis, ſiue inanimatæ, ſiue vitalis, prærequiruntur cardines, in quibus voluantur. Propterea namque 1. Regum 2. *Domini*, ait, *ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Neque enim terra voluitur motu circulari circa aliquem axem, vt ſomniarunt aliqui, ſed ipſius terræ ſubſtantia maxima ex parte manente fixa quantum ad eſſe ſubſtantiale, & quantum ad immobile vbi; nihilominus circa illam voluitur circulus generationum, corruptionum, alterationum, motus localis, & omnium naturalium operationum. Idem colligitur ex verbis Prouerb. 8. *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.* & Iob 36. *Cardines quoque maris operiet.*

Terra immobilis.

14. Tertiam rationem aggredior, quam vt perſpicuè videas ex Ariſtotelis mente deſumi, ſuppono primò illum lib. 7. Ethicorum ad Eudemum iam ſæpe citato, agere de vera ac ſolida fortuna bona, quæ ad beatè viuendum conducit, vt conſtat ex fine eiuſdem libri, quem ad eandem felicitatem explicandam ita claudit: *Quæ igitur electio, poſſeſſióque natura bonorum, vel corporis, vel amicorum, vel reliquorum conſiderare, maximè Deum facit; præſtantiſſima eſt, atque hic terminus eſt pulcherrimus. Quæ verò vel ob defectum, vel ob exceſſum conſiderare, colere, que Deum permittit minimè, ea eſt peſſima.*

15. Suppono ſecundò, rationem, quæ non ſolùm in loco nuper citato, ſed etiam in lib. 2. Magnorum moralium cap. 8. Ariſtotelem compulit, vt fortunam faceret motricem, ad cauſandas prædictas concupiſcentias, quibus deſideramus quid, quando, & quomodo oportet, eam fuiſſe; quia videbat felices exitus, procedentes à quibuſdam deſideriis, quæ nulla ratione, aut conſilio excitabantur, ſed quandoque erant in ſtolidis & ſtultis hominibus, quandoque verò in ſapientibus, ſed non ex vi ſapientiæ, quia neſciunt rationem reddere ſui deſiderij, niſi hanc tantùm, quia ita libet.

Tertiò prædictæ concupiſcentiæ ab Ariſtotele 16.
ſæpè appellantur impetus, vt ipſa voce denotet, exterius eſſe principium mouens.

Quartò hos impetus tunc eſſe bonæ fortunæ, quando ſine ratione, & conſilio adducunt copiam rerum externarum, vt amicorum, diuitiarum & aliarum rerum, in ea menſura, & gradu, quia neque per defectum impediat felicitatem poſitam in Dei contemplatione, conſtat ex eodem Ariſtot. ſi legatur contextus vſque ad finem dicti lib. 7. Ethicorum, Eudemiorum, & notentur præſertim verba illius prope finè, & quæ retulimus in n. 14.

Quibus ſuppoſitis, ſic argumentor. Ad obti- 17.
nendam felicitatem naturalem in his rebus, quæ citra rationem deſiderantur, neceſſarium eſt naturale principium, exteriùs mouens; ergo à fortiori, ad obtinendam felicitatem ſupernaturalem in iis rebus, quæ ſupra rationem deſiderantur, neceſſarium erit principium ſupernaturale, exteriùs mouens.

Conſequentiam vt probem, obiicio contra il- 18.
lam ſic. Bonæ fortunæ impetus ad felicitatem naturalem non requiruntur, quando per diſcurſum, & artem homo poteſt ſcire quid, quando, & quomodo facere oporteat, vt res habeat felicem exitum; ſed plurimi fideles, præſertim iuſti per fidem, per Theologiam, & per dona Spiritus ſancti ſciunt quid, quando, & quomodo facere oporteat, vt ſupernaturalem felicitatem conſequantur; ergo ex hoc capite bonæ fortunæ ſupernaturalis non rectè colligitur neceſſitas ſupernaturalis impetus mouentis.

Obiectio.

Reſpondeo, & confirmo primò probationem 19.
quartam. Nulli citra reuelationem, conſtat, ſe hic, & nunc habere actum fidei, ſpei, contritionis, vel charitatis, vel aliarum virtutum ſupernaturalium, ſicut oportet, vt gratiam denuo accipiat, vel conſeruet, implendo præcepta ſupernaturalia: inſuper nulli conſtat, vtrùm vitauerit omnia peccata mortalia; vnde plerique hypocritæ ſibi perſuadent, ſe ſanctos eſſe, qui tamen ſunt Dei inimici propter grauia ſcelera (vt ſæpè ſancti Patres clamant.) ergo vt noſter actus attingat obiectum ſupernaturale illo modo, nobis ignoto, *ſicut oportet*, neceſſaria erit motio, & directio ſuperioris cuiuſdam agentis.

Nullus citra reuelationem ſcit habere actum ſupernaturalem.

Confirmatur ſecundò, quia ſi inter denſiſſimas 20.
tenebras ſola confuſa notitia ſcopi, exiſtentis versùs talem partem, aliquis ſagitta ſcopum attingeret, atque obtineret præmium, eſſet naturalis bona fortuna. Ergo ſupernaturalis bona fortuna erit, inter denſiſſimas tenebras huius vitæ attingere illum ſcopum talis modi operandi ſupernaturaliter, ac proinde indigebit motore extrinſeco bene fortunante.

Tertiò confirmatur, quia peritiſſimus ſcriben- 21.
di, aut pingendi, habénſque cæteras omnes potentias, & inſtrumenta; nihilominus quandiu non videt characteres, aut picturam, indiget alio artifice extrinſeco, dirigente manum. Alioqui nunquam integram picturam, aut ſcripturam ſcriber rectè. Idémque exemplum ſumi poteſt ex homine, qui propter perpetuam ſurditatem nunquam bene perciperet ſuarum vocum accentus;

hic

Digitized by Google

hic enim nunquam poſſet modulatè canere, etiamſi mille regulis Muſicæ oneraretur, niſi eius vox flecteretur à Deo, vel ab Angelo.

22. Confirmari quartò poteſt a minori ad maius. Nam in rebus minimè perplexis ſæpè nobis deficit & mens, & ratio; ita vt poſt amiſſam opportunitatem agendi, miremur quomodo non viderimus, quod erat ante oculos. Contrà verò in rebus obſcuriſſimis & implicatis continuò affulget ſæpe conſilium optimum, quo res tota facili negotio expeditur. Pari quoque ratione ſæpè in rebus minimè arduis animus flacceſcit, atque ſuccumbit: in rebus autem difficillimis ſæpe animus ſuppetit, omni difficultate ſuperior. Ex qua diſparitate colligimus, vim aliquam occultam naturalis prouidentiæ in quibuſdam effectibus naturalibus. Ergo à fortiori in ſupernaturalibus, quæ tanto ſuperiora ſunt, quoties ſuppetat ratio, & animus, colligere poſſumus vim aliquam occultam ſupernaturalis prouidentiæ, illuſtraſſe mentem, & animum corroboraſſe.

23. Præcipuas partes doctrinæ de bona fortuna, adductæ in hac & præcedenti ſect. tradit, atque explicat fusè S. Thom. in 3. contra Gentes cap. 92. peculiariter verò fortunam verſari circa illa, quæ ſine ratione ſufficienti eliguntur, & Deum eſſe illorum authorem, docet prope initium eius cap. dicens: *Quando igitur aliquis ex impreſſione cæleſtium corporum, & ſuperiorum cauſarum ſecundùm prædictum modum inclinatur ad aliquas electiones, ſibi vtiles, quarum tamen vtilitatem propria ratione non cognoſcit, & cum hoc, ex lumine intellectualium ſubſtantiarum illuminatur intellectus eius ad eadem intelligenda, & ex diuina operatione inclinante, inclinatur eius voluntas, ad aliquid eligendum ſibi vtile, cuius rationem ignorat: dicitur eſſe bene fortunatus.* Eandem doctrinam fusè ac dilucidè Raynerius explicat in Pantheologia verbo *fortuna*, cap 2. & 4. Capreolus in 1. diſtinct. 40. quæſt. vnica, art. 2. conc. 5. & 6. & ex parte etiam Deza in 1. diſtinct. 40. quæſt. vnica, art. 1. conc. 3. & art. 3. notabili 3.

24. Diſpoſuit autem diuina prouidentia, vt hæc naturalis Philoſophia cum ſacra & ſupernaturali doctrina, non ſolùm in rebus ſignificatis, ſed etiam in vocibus, & modo loquendi congrueret; quo illatum proportio, & cognatio notari faciliùs potuiſſet. Nam (vt Philoſophus 2. Magnorum moralium cap. 8. aſſerit) eſſe bene fortunatum, eſt & eſſe bene natum, quod, vt minimum, verificatur in his hominibus, quibus cæleſtia corpora impreſſerunt naturalem corporis temperiem, magis aptam, vt ſentiant indeliberatos inſtinctus, & impulſus ad virtutem, illiſque conſentiant; vt notauit S. Thomas 3. contra Gent. cap. 92. nuper citato. Porrò ſimili proportione in ordine ſupernaturali bene fortunati apud ſacros Authores appellantur bene nati, nimirum, ex Deo nati, eiúſque filij; quoniam eius ſupernaturali impulſu, & inſtinctu aguntur ad bonum. Rom. 8. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.*

Bene fortunati qui.

25. Hunc locum Lyra ſic exponit: *ſicut Deus per influxum generalem mouet creaturas ad perfectiones ſuas naturales: ſic per influxum ſpecialem mouet creaturam rationalem ad bonum ſupernaturale, & talis influxus à Doctoribus appellatur inſtinctus diuinus, & ita eſt prima præparatio ex parte Dei ad habitum gratiæ conſequendum.* (& poſt pauca:) *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, motionem dictam ſequendo, in hoc reguntur meliori principio, quàm ſit humana ratio; ſecundùm Ruiz de Prouidentia Dei.*

quod dicit Philoſophus in ſimili de bene fortunato in capite de bona fortuna. Poſtrema verba pondera, vt conſtet, etiam præcedētia eò dirigi, vt ſupernaturaliter bene fortunatus nullus ſit; niſi qua ratione bene natus, & Dei filius, eius inſtinctu agitur.

26. Quarta ratio ſumitur ex verbis Ariſt. in dicto lib. 7. Ethic. Eudemiorum cap. 18. *Patet* (inquit) *quod ſpecies felicitatis duæ ſunt, altera diuina, ideòque, qui felix eſt, numine adiutum aliquid feciſſe dicunt: is autem eſt, qui iuxta impetum diuinum aliquid facit: alter eſt, qui aliquid præter hunc impetum facit, irrationales ambo, ac illa frequens magis felicitas eſt, iſta frequens minus.* Porrò quam felicitatem potiori iure diuinam diceret Philoſophus, quàm ſupernaturalem, ſi agnoſceret? Ergo ea felicitas requirit, vt homo iuxta impetum diuinum ſupernaturalem aliquid faciat, illum ſequendo, & obediendo vocationi.

27. Confirmatur. nam ſupernaturalem impetum diuinum, ad omnes actus generaliter incitantem, legimus Ezechiel. 1. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, neque reuertebantur, cùm ambularent.* Vbi pondera motum gradiendi, & ambulandi eſſe rationi, & libertati ſubiectum in animali rationali, qualia erant illa quatuor; & tamen ille motus liber non alibi inueniebatur, niſi vbi erat impetus ſpiritus, qui ſanè impetus præueniebat liberum motum. Alioqui dicendum eſſet contrario modo, vbi gradiebantur, ibi erat impetus ſpiritus. Conſonant quæ de hoc loco ſcribit Gregorius homil. 5. In Ezechiel. initio.

28. Eundem impetum diuinum reſpexit Plato in Menone, ſiue dialogo de virtute, verſùs finem, quando fusè probat, nullos eſſe virtutis Doctores: proindéque *virtutem doceri non poſſe, neque natura contingere hominibus, ſed diuinâ ſorte virtutem accedere, quibus accedit.* Atque idem propè docuerat in Phædro, ſiue dialogo de pulchro, propè finem. Rurſus in alio dialogo de virtute, quòd doceri non poſſit, (qui adſcribitur Platoni, & habetur poſt Platonis opera,) inducitur Socrates, dicens: *Coniecto ſanè, diuinam quandam maximè rem eſſe, & fieri bonos: quemadmodum diuini vates ſunt, & qui oracula edunt; hi enim neque natura tales ſunt, neque arte; ſed ex Deorum inſpiratione ſunt, & tales ſunt.* Quod hac, inter alias, ratione confirmat idem Philoſophus, quia Homerus & alij Poëtæ, & Lacedæmonij, imò, & imperitæ mulieres, quando aliquem magnificè laudant, dicunt, eſſe diuinum virum.

Vir diuinus, pro magnis hominis.

SECTIO V.

Propoſita obiectione inſtaurantur rationes, ſuperiori ſectione propoſitæ.

SCopus eſt, oſtendere, præcedentes rationes eſſe ſubnixas, non probabilibus tantùm, ſed omnino certis fundamentis, quæ à tota Theologorum ſchola quaſi explorata admittuntur, nullo, vel paucis negantibus: neque iis etiam ita negantibus, vt explicationem non admittant. Quod, vt clariùs conſtet, diluere oportet obiectionem, quæ occurrit contra fundamenta poſita in ſect. 2. & 3. in hunc modum. 1.

Ex communi ſententia Theologorum, videtur, potiùs colligi, nullam prærequiri volitionem ita neceſſariam, vt non fuerit in poteſtate voluntatis, ab illa ſe continere: ſiquidem volitionem boni finis, & beatitudinis in communi, dicunt expreſsè, non eſſe neceſſariam quoad exercitium; 2.

Obiectio.

ſed tantùm quoad ſpecificationem. Huiuſmodi autem neceſſitas quoad ſpecificationem non impedit libertatem contradictionis, per quam voluntas poteſt, non velle, neque amare; ſed ſolùm impedit libertatem contrarietatis, ne poſſit odiſſe, & poſitiuo actu nolle.

3. *Qui putent beatitudinis amorem liberum quoad exercitium.*

Doctores qui exiſtimant, non quoad exercitium, ſed quoad ſpecificationem tantùm eſſe neceſſariam prædictam volitionem, ſunt inprimis S. Thomas in q. 6. de malo, articulo vnico corp. poſt medium, dicens: *Homo de neceſſitate appetit beatitudinem; dico autem de neceſſitate, quantum ad determinationem actus, quia non poteſt velle oppoſitum; non autem quantum ad exercitium actus, quia poteſt aliquis, non velle, tunc cogitare de beatitudine, quia etiam ipſi actus intellectus, & voluntatis particulares ſunt.* Similia ſcribit in q. 22. de veritate art. 6. Conſonat S. Thomas 1.2. q 10. art. 2. illis verbis: *Ex neceſſitate voluntas tendet in illud, ſi aliquid velit, non enim poterit velle oppoſitum.*

4. Hæc ſequitur Capreolus in 2. diſt. 25. q. vnica, art. 3. col. 2. & in 1. ſentent. diſt. 1. quæſt. 3. art. 1. concl. 1. & 3. ſimilitérque beatitudinem in communi, ſeu bonum in communi neceſſariò appeti à voluntate, neceſſitate quoad ſpecificationem, & non quoad exercitium, docet Caietanus non ſolùm 1.2. q. 10. art. 2. § *ad hæc dicitur*, & q. 9. art. 4. ſed etiam 1. parte quæſt. 41. art. 2. circa medium à §. *aduerte* 2. & quæſt. 82. toto art. 1. & alibi ſæpè. Conradus 1.2. q. 9. art. 4. §. *reſpondet iuxta*, & quæſt. 10. art. 2. corpore, & alibi ſæpè. Ferrarienſis 3. contra Gent. cap. 89. §. *ad euidentiam*, fusè eandem neceſſitatem quoad ſpecificationem explicat, & ſimilia docet in 1. contra Gentes cap. 23. dum reſpondet ad 2. dubium, & Soto in 4. ſentent. diſt. 49. quæſt. 2. art. 1. concl. 1. & 3.

5. Conſonat Almain in dictatis circa ſententias Roberti Holcot in q. 3. prope initium, & poſtea ſub titulo *circa articulum tertium*, verſiculo *quantum ad* 2. & longè inferiùs, tractans, vtrùm voluntas poſſit velle contra iudicium plenum & perfectum, in conc. 1. Quibus in locis docet, circa bonum in communi, aut beatitudinem, aut circa ſummum bonum, cognitum ſine vlla ratione mali, & inſuper circa miſeriam, aut malum in communi, non eſſe libertatem contrarietatis; ſed tantùm contradictionis, quia bonum, non poſſumus actu poſitiuo nolle, & malum, non poſſumus velle.

6. Imò eiuſdem ſententiæ eſt Scotus in quodlibeto 12. q. 26. & in 4. ſentent. diſt. 49. q. 10. §. *quantum ad ſecundum articulum*, & 10 1. ſent. diſt. 1. q. 4. vbi quamuis intendat ex profeſſo impugnare opinionem D. Thomæ, atque Henrici, probans, quamcunque volitionem etiam finis beatitudinis, aut boni in communi, quantumcumque ſupponatur illius actualis cognitio, non eſſe neceſſariam; nihilominus verſùs finem eiuſdem quæſt. 4. in §. *poteſt dici*, concedit tandem aliquam volitione vagè, hac, vel illa, diligere bonum, ſiue in communi, & præciſum, ſiue ſimul cum particularibus bonis amatum, vt referemus ſect. ſeq. num. 18.

7. Reſpondeo, & dico primò. Quamuis concederemus, poſtquam homo deliberare iam cœpit, liberè poſſe omnem voluntatis actum collectiuè ſuſpendere, ita vt nullam prorſus eliciat volitionem, non ſolùm efficacem, ſed neque ſimplicem complacentiam: adhuc firma conſtaret præcipua vis noſtrarum rationum. Quoniam omnes Doctores agnoſcunt, ad primam volitionem, ſaltem in primo ſuæ durationis inſtanti, neceſſariò determinandam eſſe voluntatem ab aliquo exteriori principio, ſiue illud ſit ſolus Deus, ſiue etiam obiecta ſenſibilia, vel diſpoſitiones corporis, vel Angelus. Hoc autem ſufficit, vt inde colligatur neceſſitas gratiæ præuenientis, ad inchoandam ſupernaturalem operationem, poſtquam ſemel fuerit intermiſſa tota ſeries ſupernaturalium operationum. Erit autem neceſſarium, ſaltem in primo durationis inſtanti à Deo ſine noſtra libertate inſpirari, & moueri primam volitionem ſupernaturalem.

Atque hac ratione Caietanus 1.2. q. 10. § *ad hæc dicitur*, conciliat loca D. Thomæ, quæ inter ſe pugnare videntur. Nam locis, in obiectione num. 3. citatis, docet voluntatem ab obiecto non moueri neceſſariò quoad exercitium, ſed tantùm neceſſariò quoad ſpecificationem; cùm tamen locis, ſuprà in ſect. 3. citatis, aſſerat, neceſſariò & naturaliter moueri ad primum actum. Concordiæ ratio apud Caietanum hæc eſt. Neceſſitas quoad exercitium in primo actu non prouenit præcisè ab obiecto, ſed prouenit præſertim à Deo authore naturæ, & ab obiecto ſimul cum tali diſpoſitione voluntatis, in qua nimirum voluntas nondum cœperit deliberare, vt per deliberationem habeat poteſtatem eliciendi, aut cohibendi quamlibet volitionem, qua, poteſtate accepta neceſſitas illius volitionis tranſit in libertatem: quamuis maneat idem obiectum, eo quòd non manet eadem diſpoſitio voluntatis. 8.

Dico ſecundò. Alia etiam fortiori ratione inſtaurantur quatuor argumenta præcedentis ſectionis, eo quòd ſemper, & in quocunque inſtanti, quandiu vigilamus, neceſſariò exiſtit aliqua volitio vagè, quæ verſetur circa aliquod bonum vagè, ſiue in vniuerſali, ſiue in particulari, in qua volitione vaga ſemper reperitur vna eadémque ratio communis complacentiæ in bono ſub ratione boni: vt fuſiùs demonſtrabimus in ſect. 6. & 7. Vnde rationibus, in ſect. præcedenti propoſitis reſtituitur integra vis colligendi, ſimiliter in ordine ſupernaturali neceſſarium eſſe, vt aliqua ſaltem complacentia ſupernaturalis boni, quidditatiuè incluſa in qualibet ſupernaturali volitione, à Deo fiat in nobis ſine nobis, hoc eſt, ſine noſtra libertate, & per illam Deus moueat ad omnes ſupernaturales volitiones, quæ liberè eliciuntur, quandiu durat concatenata ſeries ſupernaturalium actuum, modo explicato diſputat. præcedenti ſect. 2. 9. *Quando vigilamus semper neceſſariò exiſtit volitio aliqua.*

Ad obiectionem igitur reſpondeo. Duplex eſt gradus neceſſitatis quoad ſpecificationem: alter, qui ſolummodo excludit libertatem contrarietatis, manente libertate contradictionis: atque de hoc gradu loquuntur S. Thomas, & aliqui eius diſcipuli, quando aſſerunt, hominem poſſe, non velle, & non cogitare de beatitudine, ſeu bono in communi. Cæterùm in his locis agunt de beatitudine & bono, præcisè conſiderato, & amato, non verò pro vt in particularibus volitionibus particularium bonorum amatur. 10. *Neceſſitatis quoad ſpecificationem duplex gradus.*

Alter gradus neceſſitatis quoad ſpecificationem non ſolùm excludit libertatem contrarietatis, ſed etiam quadam ex parte libertatem contradictionis; quoniam aliquis actus vagè neceſſarius eſt quoad exercitium; ita vt non poſſit, non elici: quamuis quilibet actus, determinatè ſumptus, poſſit non elici, atque ex hac parte relinquatur libertas contradictionis. Huiuſmodi neceſſitas 11.

quoad

quoad ſpecificationem eſt, quam S. Thomas, aliique Doctores, citandi in ſect. ſequenti, tradunt, eſſe in volitione boni, ſeu beatitudinis, pro vt ratio communis boni includitur in quocumque particulari bono, amato; & complacentia eiuſdem bonitatis in communi eſt ratio quidditatiuè incluſa in qualibet volitione particulari.

SECTIO VI.

Neceſſitatem volendi bonum, ac beatitudinem in communi ſemper quoad exercitium impellere, ad aliquam volitionem vagè, probatur authoritate.

1. LOquor de voluntate, cui ſemper paratus aſſiſtat generalis Dei concurſus, & cuius phantaſia expedita ſit, nullóque impedimento ligata, quo minus ſuppeditet intellectui phantaſmata, quæ ſpeculetur.

2. Hanc veritatem firmiter conſtituere, non ſolùm proderit, vt fundamentum præbeat rationibus, quas inſtaurauimus ſect. præcedenti dicto 2. ſed etiam lucem afferret, ad perſpiciendum præmotionis modum, qui proprius eſt primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſæ (vt vidimus præcedenti tomo de voluntate Dei diſp. 45. vſque ad 51.) ſubindéque ad penetrandam bonitatem prorſus inculpabilem diuini concurſus ad quamlibet materialem actionem peccati in particulari; qui tamen nullo modo ad malitiam incitet, nec impellat, & multominus determinet (vt explicuimus in eodem tomo à diſput. 27. vſque ad 41.) deinde aperietur via faciliùs intelligendi, quomodo per motiua, concurſum, & circumſtantias quandoque Deus afferat vagam infallibilitatem alicuius operationis liberæ, ſiue in genere, ſiue in ſpecie, de qua diximus ſuprà tota diſput. 8.

3. *Prima ſententia.* Duæ ſunt in hac re ſententiæ. Prima affirmat, voluntatem poſſe ceſſare ab omni volitione collectiuè, ita vt nullam prorſus volitionem eliciat in aliquo tempore. Ita ſignificat Adamus primo diſt. 1. q. 10. paulo ante concluſ. 3. dum reſpondet ad 3. exiſtimat enim, voluntatem poſſe liberè ceſſare à volitione vnius obiecti, quamuis non tranſeat ad volitionem alterius obiecti. Clariùs eandem ſententiam docuit Hangeſtus lib. 1. Moralium cap. 6. docum. 3. & cap. 13. documento 4. eiuſdem ſententiæ videtur eſſe Gabriel Vaſquez 1. 2. diſput. 39. præſertim cap. 4 & 5.

4. Cæterùm hi Doctores fortaſſe non affirmant, niſi ſolam poteſtatem phyſicam, qua voluntas poſſit ſe ab omni prorſus volitione cohibere. Quòd ſi interrogarentur, verùm de facto contingat aliquando hæc vniuerſalis ſuſpenſio cuiuſque volitionis; reſponderent, euenire nunquam; quoniam aliunde naturalis propenſio voluntatis morali infallibilitate germinat aliquam volitionem, ſaltem ſimplicis complacentiæ, eámque valde tenuem, atque remiſſam: quod ſatis eſt ad eos fines, quos nuper retulimus.

5. *Voluntas nequit eſſe ſine aliqua volitione.* Sit igitur concluſio vnica. Voluntas nequit eſſe ſine aliqua volitione vagè; ſed neceſſitas volendi bonum finem, ac beatitudinem in communi pertinet ad aliquam volitionem vagè, in qua hæc obiecta diligantur, ſiue præciſa, ſiue copulata cum particularibus bonis, ſiue volitione efficaci, ſiue complacentia ſimplici, idque quandiu phantaſia non eſt impedita; vt in principio diximus.

6 Probatur primò ex Patribus. Proſper lib. 1. de vocatione Gent. cap. 7. ſub finem, tractans de morbis, contractis per originalem culpam, ait: *Ille animi motus, qui nunquam poteſt ſine aliquo eſſe amore, hoc eſt, ſine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, ſed mutauit affectum: id recipiens deſiderio quod debuit refutare iudicio.* Idem in lib. de ingratis cap. 27. fine ita cecinit:

—— Manet ergo voluntas,
Semper amans aliquid, quò ſe ferat, & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingreſſa viarum, &c.

7. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 18. ante medium ait: *Voluntas creaturæ rationalis ſine aliquo amore non poteſt eſſe: neque ſic poteſt diligere, vt amorem ſuum non velit ad aliquid religare.* Boëtius lib. 3. de conſolatione proſa 2. poſt medium ait: *Quibus omnibus ſolam beatitudinem deſiderare liquet. Nam quod quiſque præ cæteris petit, id ſummum eſſe iudicat bonum: ſed ſummum bonum beatitudinem eſſe, diffinimus; quare beatum indicat eſſe ſtatum, quem præ cæteris quiſque deſiderat. Habes igitur ante oculos propoſitam ferè formam felicitatis humanæ opes, honores, potentiam, gloriam, voluptates, quæ quidem ſola conſiderans Epicurus, conſequenter ſibi ſummum bonum voluptatem eſſe conſtituit, quod cætera omnia iucunditatem animo videantur afferre. Sed ad hominum ſtudia reuertor, quorum animus etſi caligante memoria, tamen ſummum bonum repetit: ſed velut ebrius domum quo tramite reuertatur, ignorat.*

8. Gregorius in principio 2. Pſal. Pœnitent. *Cum omnes*, inquit, *velint eſſe beati, diuerſi de beatitudine diuerſa ſentiunt, & deſideriorum ſuorum errorem ſectantes, ad beatitudinis portum per deuia venire proponunt.* Rurſus idem Gregorius 18. Moral. c. 18. initio: *Eſſe quidem*, ait, *ſine delectatione anima nunquam poteſt: nam aut infimis delectatur, aut ſummis.* & Bernardus tract. de gratia & libero arbitrio col. 2. *Poteſt*, inquit, *mutari voluntas, ſed non niſi in aliam voluntatem, vt nunquam amittat libertatem. Tam ergo non poteſt priuari illa, quam neque ſe ipſa. Si poterit homo aliquando aut nihil omnino velle, aut velle aliquid, & non voluntate, poterit carere libertate voluntatis.*

9. Idem colligitur non obſcurè ex omnibus teſtimoniis Auguſt. quæ retulimus ſect. 2. quibus non ſolùm aſſerit, quemlibet hominem non poſſe odio proſequi, atque deteſtari beatitudinem, ſeu felicitatem; ſed etiam conſtanter vbique repetit, omnes homines velle amare, & deſiderare illam: idque tradit quaſi certum, & indubitabile. Quapropter ſupponit, aut phyſica neceſſitate, aut ſaltem infallibilitate morali, cuiuſque hominis voluntatem ad huiuſmodi amorem impelli. Quod clariùs docuit Anſelmus, cuius verba retulimus in ſect. 2. quibus non ſolùm affirmat, neceſſarium eſſe amorem felicitatis, eiuſque odium impoſſibile, ſed id clariùs explicat, dicens: *Non poteſt, non velle beatitudinem.* Sic etiam Hugo Victorinus in libro eruditionis theologicæ ſummæ ſent. cap. 6. prope medium: *Deus*, inquit, *in primo homine poſuit duos appetitus. Appetitum iuſti ſecundum voluntatem;* videlicet, liberam; vt ſtatim explicat, *& appetitum commodi ſecundum neceſſitatem. Non enim poteſt homo non appetere commodum ſuum, & ideo iſtum cum neceſſitate poſuit Deus in homine, vt in eo remuneraretur homo. Vnde in inferno hæc erit maxima pœna impiorum, quòd ſemper appetent commodum, & nunquam aſſequi poterunt.* & lib. 1. de ſacramento parte 7. cap. 21. & 22. oſtendit, nihil appeti niſi propter rationem communem commodi.

10. Confirmatur, nam huiuſmodi neceſſariam volitionem vagari per innumeras volitiones liberas,

ſiue honeſtas, ſiue turpes, in quibus includitur, tanquam communis ratio, voluntatem mouens ad illas, docet Auguſt. lib. 10. confeſſionum cap. 21. & lib. 2. de libero arbitrio cap. 9. & lib. 13. de Trinitate cap. 3. & Pſalm. 32. quorum locorum verba retulimus ſect. 2. propè initium.

11. Secundò probatur ex Doct. Scholaſticis, & inprimis ex D. Thoma, qui aliquibus in locis clarius, quàm alibi, expreſſit, volitionem boni, & beatitudinis in communi, eſſe naturalem tali neceſſitatis genere, ex vi cuius non ſit in noſtra poteſtate, non velle. Ita loquitur 1. p. q. 82. art. 1. & 2. & in q. 3. de malo, art. 3. corpore, & de veritate q. 22. art. 5. in 1. argumento, & in fine corporis. Cuius doctrinam ſequuntur D. Antoninus, & Raynerius, prout retulimus in ſect. 4. ratione 2.

12. Porrò prædictam neceſſitatem eſſe vagam, propter beatitudinis amorem, incluſum in qualibet particulari volitione, expreſsè notauit S. Thomas 4. diſt. 49. q. 1. quæſtiunc. 3. ſub initium, dicens: *Quamuis autem ex naturali inclinatione voluntas habeat, vt in beatitudinem feratur ſecundum communem rationem; tamen quòd feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non eſt ex inclinatione naturæ, ſed per diſcretionem rationis, quæ adinuenit in hoc, vel in illo ſummum bonum hominis conſtare, & ideo quandocunque aliquis beatitudinem appetit actualiter, coniungitur ibi appetitus naturalis, & appetitus rationalis, & ex parte appetitus naturalis ſemper eſt ibi rectitudo; ſed ex parte appetitus rationalis quandoque eſt ibi rectitudo, quando ſcilicet appetitur ibi beatitudo, vbi verè eſt*, &c. Sic etiam 1. 2. q. 1. art. 6. corpore, docet: *Quidquid homo appetit, appetere ſub ratione boni*, & ad 3. docet: *Virtutem primæ intentionis, quæ eſt reſpectu vltimi finis, manere in quolibet appetitu cuiuſcunque rei, etiam ſi de vltimo fine actu non cogitetur.*

13. Confirmatur. nam S. Thomas in prædicta q. 5. art. 6. corpore poſt medium, notat proportionem, quæ ſeruari debet inter vltimum finem & primum principium, mouens voluntatem, ad volendum. nam *cauſa ſecunda mouentes non mouent, niſi ſecundùm quod mouentur à primo mouente. Vnde ſecunda appetibilia non mouent appetitum, niſi in ordine ad primum appetibile, quod eſt vltimus finis.* Itaque motio vltimi finis, videlicet, amor beatitudinis in communi, & motio primi agentis, ad illum impellens, neceſſariò reperiuntur in quacunque volitione, ſicut motio primæ cauſæ neceſſariò comitatur motionem cauſarum ſecundarum.

14. Hanc autem proportionem inter finem vltimum & primum principium fuſiùs explicat 1. 2. q. 109. art. 6. corp. circa medium, vt ex ea colligat, Deum quaſi ſupernaturale agens, eſſe debere primum mouens, cuius præueniente motione voluntas poſſit ad gratiam ſe præparare. Quapropter ibidem videtur conſequenter exigere, vt prima ſupernaturalis motio ſit ad vltimum finem ſupernaturalem, ſiue in generali & præcisè, ſiue pro vt coniunctus reperitur cum aliis particularibus bonis, quæ per gratiam diliguntur. Cui doctrinæ conſonat Caietanus 1. p. q. 105. art. 4. circa illa verba S. Thomæ ad finem corporis dicentis: *Inclinare in bonum vniuerſale eſt primi mouentis, cui proportionatur vltimus finis.*

15. Clariùs noſtram concluſionem ex mente ſancti Thomæ collegit Caietanus 1. 2. q. 9. art. 6. illis præſertim verbis: *Aduerte ſecundò, quod in reſponſione ad tertium habetur, quòd Deus non ſolùm potentiam voluntati dat, ſed actum volendi clauſum in omni actu volendi, ipſum, ſcilicet, volitionem boni. In omni enim volitione hac volitio clauditur, vt principium in concluſione. & propterea in litera dicitur, quod ex hac volitione voluntas per rationem determinat ſe ad hoc, vel illud bonum verè, vel apparenter, & ſine illa præſuppoſita volitione nihil omnino velle poteſt, ſicut nec ſine principiorum cognitione intellectus aliquid noſſe poteſt, & hæc volitio eſt illa, ad quam, dictum eſt, oportere voluntatem moueri ab alio, etiam quoad exercitium actus. Secundùm hanc enim fertur actu in finem, & ex hac vult quicquid vult.*

Eadem eſt ſententia, quæ obſcurior latet in Capreolo 2. ſentent. diſt. 25. q. vnica, art. 3. inter medium & finem, præſertim cum in ſuæ doctrinæ confirmationem producat teſtimonium S. Thom. quod nos paulò ſuperiùs retulimus ex 4. ſentent. diſt. 49. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. atque eodem ſpectant omnia ferè, quæ docet Capreolus in 1. diſtinct. 1. quæſt. 3. art. 1. concl. 1. 2. & 3. præſertim concl. 1. dum rationem ſecundam defendit ab impugnationibus Aureoli. 16.

Henricus quodlibeto 3. quæſt. 17. poſt medium magis explicat neceſſitatem amandi finem, ſiue Deum, non eſſe determinatam, ſed vagam circa varia bona vera, vel apparentia; quæ propterea amantur, quia in eis relucet aliquid diuinæ bonitatis: & ſemper neceſſarium eſt aliquod eiuſmodi bonum amari. Incipit autem hæc ſententia ab illis verbis: *Bonum igitur illud* (videlicet Deus) *apprehenſum, & cognitum determinatè* (ſcilicet, per claram viſionem) *non poteſt non appeti determinatè, & nunc ſicut indeterminatè cognoſcitur in creaturis, indeterminatè appetitur*, & quæ ſequuntur ibi. 17.

Quinimò etiam Scotus ea ipſa in quæſt. quam dirigit ad impugnandam ſententiam S. Thomæ, & Henrici de neceſſaria volitione boni, & beatitudinis, tandem concedit (quamuis ſub dubio) neceſſarium eſſe, vt voluntas habeat aliquam volitionem vagè, circa aliquod particulare, vel generale bonum vagè: ita vt ſemper neceſſariò ametur aliqua ratio boni per aliquam volitionem. Ita ſenſit Scotus in 1. diſt. prima q. 4. versùs finem §. *poteſt dici*. Ponderanda ſunt argumenta & ſolutiones illius quæſtionis, præſertim à verſiculo *ad authoritatem Auguſtini*, & in fine totius quæſt. 18.

In eadem ſententia ſunt Doctores, qui aſſerunt, non poſſe voluntatem ab omni volitione ceſſare, etiam ſi intellectus hoc dictet. Ita Robertus Holkot apud Hieronymum de Hangeſto lib. 1. Moralium cap. 13. documento 4. & Marſilius in 2. q. 16. art. 1. notab. 6. & art. 2. con. 5. vſque ad finem articuli, & art. 3. poſt concluſionem ſecundam, conſonátque in 2. q. 22. art. 2. parte 2. concl. 2. 19.

Eandem concluſionem, vt minimum, veram eſſe putant alij Doctores, qui vniuerſaliter, & abſque maiori explicatione affirmant, volitionem boni, ſeu beatitudinis in communi eſſe neceſſariam quoad exercitium, ita vt impoſſibile ſit ab eiuſmodi volitione ceſſare, quandiu poſſumus vti phantaſia & intellectu. Quam ſententiam fuiſſe quorumdam Theologorum teſtantur Palud. in 4. diſt. 49. q. 7. art. 2. num. 22. & Maior diſt. 49. q. 7. eámque Ioannes Bacho in 2. diſt. 26. art. vltimo propè initium confirmat, dicens, *amorem boni in communi eſſe neceſſarium neceſſitate immutabilitatis, ita vt non poſſit voluntas, non velle beatus eſſe.* 20.

Quam doctrinam magis explicant alij Doctores, dicentes, ſimplicem & inefficacem complacentiam beatitudinis, eſſe ſimpliciter neceſſariam, non ſolùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium: ita vt non poſſit voluntas ab hu- 21.

huiuſmodi

Digitized by Google

huiuſmodi complacentia ſe cohibere. Sic Durandus exiſtimat in 4. diſt. 49. q. 8. num. 18. & 19. quem ſequitur Paludanus in eadem diſt. 49. q. 7. art. 2. con. 1. ſi conferatur cum ſolutione primi & tertij argumenti. Eandem ſententiam docuit Deza in 1. diſt. 1. q. 3. art. 3. notab. 2. & 3. & in art. 4. ad 6. Aureoli contra 1. concluſ. & Bernardus de Gannaco in impugnatione q. 11. quodlibeti 13. Henrici apud Capreolum, qui eius verba refert, & approbat, vt vera, & ſecundùm mentem S. Thomæ in 2. diſt. 25. q. vnic. art. 3. dum reſpódet ad poſtremum argumentum contra primam concluſionem.

22. Eodem tendit Adamus in 1. diſt. 1. q. 6. art. 1. §. *item Hugo*, & art. 2. dub. 13. & q. 10. eiuſdem diſt. con. 2. vbi in ſolut. argumentorum ante concluſionem tertiam, ſuam ſententiam ita temperat, vt *voluntas non poſſit, non velle bonum, apprehenſum præcisè ſub ratione boni, nulla occurrente ratione mali.*

23. Denique illi ſolummodo Scholaſtici videri potuiſſent, aperto marte, cum concluſione noſtra pugnare, qui affirmare audent, poſſibile eſſe beatitudinis odium, & poſitiuam volitionem, qua quis velit non eſſe beatus, etiam ſi beatitudo ſibi contingeret ſine vllo labore, aut delectationis diſpendio, ac ſine vlla prorſus admixtione mali, etiam apparentis, atque leuiſſimi: vt Ochani, Maior, & Gabriel. Cæterùm illi etiam Doctores explicationem admittunt, quæ inſtituto noſtro ſufficiat, quia non affirmant expreſsè, diſplicentiam, ſeu odium beatitudinis, præciſæ ab omni ratione mali veri, vel apparentis, eſſe poſſibilem moraliter, ita vt aliquando de facto contingat; quapropter locuti ſunt forte de ſola poteſtate phyſica voluntatis, quæ licet falsò affirmetur, attamen nihil, aut parum obeſt inſtitutó noſtro.

SECTIO VII.

Rationibus probatur eadem veritas, quæ in ſectione præcedenti.

1. DVo ſunt fundamenta ſequentium probationum. Primum fundamentum eſt quamlibet deliberationem inchoari non poſſe, niſi præcedente aliqua volitione neceſſaria, id eſt, non libera, vt oſtendimus in ſectione 3.

2. *Semper ſumus in aliqua intellectione.* Secundum fundamentum eſt, non eſſe in poteſtate voluntatis, continere intellectum, vt ceſſet ab omni prorſus intellectione (collectiuè loquendo.) Nam quamdiu phantaſia expedita eſt, nullóque impedimento ligata, quo minus ſuppeditet, intellectui phantaſmata, quæ ſpeculari poſſit; tandiu intellectus naturaliter, & neceſſariò excitatur ad intelligendum, vel ab obiectis ſenſibilibus per externos ſenſus propoſitis, vel à phantaſia per memoriam præteritorum ſenſibilium. Quod etiam experientia confirmat: cogitationes namque diuinæ legi contrarias à nobis non poſſumus repellere; niſi mentem, & cogitationem mouendo, & applicando ad alia obiecta cogitanda, ſiue bona, ſiue indifferentia. Alioqui fruſtrà laborat, faſtigátque caput, qui directè ſolummodo conatur, à tali cognitione ceſſare.

3. Huius autem experientiæ hæc vnica ratio eſt, quoniam impoſſibile eſt, omnem prorſus intellectionem collectiuè ſuſpendere; atque inde prouenit, vt ab vna intellectione dimouere intellectum non poſſimus, niſi transferendo ad aliam intellectionem; ſicut propterea vnum corpus, non poſſumus ab vno loco remouere, niſi transferendo ad alium locum; quoniam neceſſarium eſt, quodlibet corpus eſſe in aliquo loco vagè.

Ex hoc fundamento ſumitur prima probatio concluſionis, quoniam poſita prima volitione naturali, & neceſſariò producta, aut voluntas poteſt liberè ſuſpendere illam volitionem, & quamlibet aliam volitionem, collectiuè; aut non poteſt. Si non poteſt, habeo intentum: ſequitur namque inde, neceſſariò voluntatem eſſe in aliqua volitione vagè. Si autem voluntas liberè poteſt ſuſpendere, non ſolùm primam illam volitionem, quæ in primo ſuæ durationis inſtanti erat neceſſaria; ſed etiam quamlibet aliam volitionem collectiuè, iam eo ipſo relabitur voluntas in neceſſitatem naturalem, habendi primam aliquam volitionem, quam neceſſariò habebit in eo ipſo inſtanti, quo liberè omiſerit quamlibet aliam volitionem, quam poſſet habere. 4. *Concluſionis probatio prima.*

5. Probatur autem hæc vltima ſequela, quia propterea prima illa volitio, neceſſariò, & naturaliter ſecuta fuit, quoniam ad amorem boni in communi & vagè, voluntas neceſſariò, & naturaliter mouetur à Deo, ſicut grauia, & leuia mouentur à generante, vt S. Thomas docet 1. p. q. 105. art. 4. & Caietanus clariùs 1. 2. q. 9. art. 4. prope finem. Ferrarienſis 3. contra Gentes cap. 89. §. *ad euidentiam*, & alij Doctores, quos retulimus ſect. 3. & 5. Quapropter (vt rectè Caietanus intulit) ſublatis impedimentis, neceſſariò rapitur voluntas ad aliquam volitionem, ſed in præſenti caſu iam voluntas liberè abſtulit omnia impedimenta, quando liberè ceſſauit ab omni volitione, quam ipſa poterat liberè continuare, aut inchoare in eo inſtanti. Ergo vis naturalis obiectorum cognitionis, & ponderis ipſius voluntatis excitet ſuas vires, vt eliciatur aliqua volitio naturalis. Suppoſui namque iam adeſſe cognitionem intellectus, qua proponitur obiectum, & aſſiſtere concurſum Dei præparatum in actu primo, ac cætera requiſita non deſiderari. *Grauia, & leuia mouentur à generante.*

6. Obiter tamen ex diſp. 33. recole voluntatem vera efficientia concurrere ad primam illam volitionem. Deus autem ſolummodo concurrit, vt cauſa vniuerſalis, quidquid ſit de cauſa efficiente motum grauium & leuium. Vnde, quantum ad hoc, ſimilior eſt voluntas cauſis naturalibus verè productiuis.

Atque hinc ſumitur confirmatio, quia Deus, quantum ad volitionem aliquam vagè alicuius boni, mouet voluntatem, ſicut mouet ignem ad calefaciendum, & cæteras cauſas naturales ad ſuos effectus; ſed ignis, applicata materia, & ſublatis impedimentis, neceſſariò calefacit. Ergo voluntas propoſito obiecto per intellectum, & ſublatis impedimentis, neceſſariò vult. *Confirmatur.*

7. At dicet aliquis, tunc impedimentum eſſe, ne ſequatur naturaliter & neceſſariò aliqua volitio, quia voluntas liberè voluit ceſſare ab omni volitione. Sed hoc non ſatisfacit, quia vel volitio poſitiua ceſſandi ab omni volitione durat adhuc, & ſic habetur intentum, iam enim datur aliqua volitio: vel non durat adhuc, & ſic nihil reale exiſtit in hoc tempore. Quòd autem præterierit talis volitio, & quodammodo duret moraliter, quia relata eſt ad tempus ſequens, in quo voluit ceſſare, & non eſt reuocata, hoc totum eſt ſola denominatio extrinſeca, & nihil reale illius exiſtit in hoc tempore. Quapropter præterita volitio, ceſſandi ab omni volitione, non poteſt impedire realem vim effectricem cauſæ, naturaliter & neceſſariò operantis, quantum eſt ex ſe. *Reſponſio refutatur.*

8. *Actionem realem quid impedire poſſit.* Confirmatur primò quoniam actionem realem non poteſt impedire, niſi ens reale aliquo modo repugnans actioni, vel negatio alicuius entis realis requiſiti ad actionem: at verò priùs tempore præceſſiſſe prædictam volitionem liberam, neque eſt aliquid reale, in præſenti tempore exiſtens, ſed puta denominatio extrinſeca; neque eſt negatio alicuius entis realis, requiſiti ad actionem modo. *Volitio ſe falſificans.* Hinc ſequitur eos, qui quandoque conantur ſuſpendere (vt ipſi loquuntur) potentias, habere volitionem realem, quæ ſe ipſam falſificat dum vult nullam prorſus volitionem elici, quando ipſa elicitur, niſi fortè virtualiter, aut formaliter excipiat ſe ipſam, & alias complacentias, quæ ſine labore capitis & cordis incurrere ſolent, quaſi dormitantibus, aut languentibus hominibus.

9. Confirmatur ſecundò, quia in eo ipſo inſtanti, in quo ſuſpenditur omnis volitio libera, niſi protinus reſultaret aliqua volitio neceſſaria & naturalis, nunquam reſultaret; neque cùm primum expergiſcimur à ſomno, vel ab alio impedimento cognitionis. Conſequentia probatur, quia non eſt maior ratio, vt aliis temporibus reſultet potius, quàm in præſenti tempore, ſuppoſito, quòd adſunt parata omnia, requiſita ad volendum, & nullum obſtat impedimentum.

10. *Concluſionis probatio ſecunda.* Secunda probatio concluſionis, quia quoties homo vigilat, & eius intellectus aliquid intelligit, aut intelligit ſine deliberatione, aut intelligit deliberatè. Si abſque deliberatione, & ſublata libertate voluntatis pro eo tempore breuiſſimo intelligit; conſequens erit, vt eodem tempore voluntas neceſſariò rapiatur, ad amandum, vel odio proſequendum, quidquid ſibi proponitur ſub ratione boni & mali, ſiue hoc fiat per volitiones abſolutas, & efficaces, ſiue per ſimplicem complacentiam, & diſplicentiam, pro vt tulerit vis obiecti propoſiti, & modi cognoſcendi, atque paſſionum naturalium, & habituum.

Probatur ſequela, quia motus primò primi, & indeliberati, inſurgentes in voluntate, non alia ratione inſurgunt, niſi quoniam ante ſufficiens deliberandi ſpacium talia obiecta proponuntur voluntati.

Quandiu voluntas non poteſt deliberare naturaliter operatur. Confirmatur, quoniam rationis paritas in cauſa, naturaliter operante, concludit ſemper eundem effectum, eodem modo fore producendum, ſed quandiu voluntas non poteſt deliberare, operatur, vt cauſa naturalis. Ergo operatur ſemper eodem modo, & ſecundùm eaſdem leges: ac proinde ſemper erumpet neceſſariò & naturaliter in motus primò primos circa obiecta, ſibi indeliberatè propoſita.

11. Antequam veniam ad ſecundam partem præſentis dilemmatis, oportet ſatisfacere obiectionibus, quæ contra primam partem nunc explicatam occurrunt.

Obiectio 1. Primò namque obiiciet aliquis experientiam eſſe in contrarium. Experimur namque noſtram voluntatem non rapi ad amandum, vel odio proſequendum quidquid nobis proponitur, etiam ante deliberationem.

12. *Sæpè nos latent volitiones noſtræ.* Reſpondeo in re præſenti nihil firmum poſſe ab experientia colligi, propter duas rationes. Altera, quia ſæpiſſimè nos latent noſtræ ipſæ volitiones: ſiquidem apud ſpirituales viros compertum eſt, plerumque latere ſiniſtram intentionem in opere, quod exiſtimamus nos, recta & pura intentione à nobis fieri, & latere in nobis amorem mundi, etiam quando putamus illum penitus exuiſſe.

Confirmatur primò, quia motus primò primi, licèt facilè deprehendantur à nobis, quando vehementiores ſunt, in rebus magni momenti, vt contra ſalutem æternam, vel pro illius conſecutione; attamen quando remiſſiores ſunt, atque veluti tenuiſſimæ quædam ſcintillæ, & circa obiecta exigui momenti, tunc difficillimè deprehenduntur, & non niſi adhibita reflexione, & indagine ſubtiliſſima. 13.

Confirmatur ſecundò, quoniam volitiones ſimplices, & inefficaces, faciliùs contingit fugere cognitionem euidentem experientiæ, vt in hac re notauit Durandus in 4. ſent. diſt. 49. q. 8. num. 18.

Vnde ſumitur altera ratio, propter quam nos latet prædicta experientia, quoniam, aut reflectimus ſupra nos ipſos, aut non reflectimus. Si reflectimus, iam eo ipſo habemus actum voluntatis, quo volumus reflecti: ſi non reflectimus, non animaduertimus motus, in animo inſurgentes, neque poſſumus ſemper eorum recordari; maximè ſuccedentibus poſtea maioribus curis, quæ præcedentium motuũ memoriam penitus delent. 14.

Obiicies ſecundò. Fieri poterit, vt per intellectionem indeliberatam proponatur obiectum aliquod cum aliqua ratione boni, & ſimul proponatur aliqua ratio mali, obſtans ne ametur illud obiectum; ergo fieri poterit, vt voluntas non rapiatur neceſſariò & naturaliter, ad amandum illud bonum cognitum. 15. *Obiectio.*

Reſpondetur primò. Ratio mali obſtare poteſt, ne alia ratio boni ametur amore efficaci: at verò ne ametur ſimplici complacentia, nulla ratio mali obſtare poteſt. Nam ſimplex complacentia præſcindit rationem boni à quacunque ratione mali, ſibi coniuncta, quantumcunque inſeparabiliter coniuncta ſit. *Soluitur.*

Reſpondetur ſecundò. Si ratio mali obſtiterit, eo ipſo voluntas refugiet per actualem diſplicentiam ab illa ratione mali, in qua fuga & diſplicentia quidditatiuè includitur complacentia boni, cui opponitur illud malum: vnde iam, eo ipſo, habetur intentum.

Hactenus de priori parte probationis ſecundæ. Nunc dicamus de poſteriori, nimirum quando intellectus ita intelligit, vt eo ipſo tempore voluntas poſſit, deliberando, eligere liberè aliquod ex obiectis propoſitis. In hoc ergo caſu aſſero voluntatem neceſſariò elicere aliquam ex his volitionibus liberis, quas modò commemorabo. 16. *Quando deliberamus neceſſariò aliquam volitionem elicimus.* Prima, eſt volitio deliberandi circa obiectum iam ſibi propoſitum ab intellectu, vtrùm faciendum, vel non faciendum ſit, vel vtrùm ſtatim aggrediendum, vel quomodo, & quibus circumſtantiis. Secunda eſt volitio non deliberandi, ſed laxandi habenas intellectui, vt proponat, quod occurrerit, & pro vt occurrerit cogitandum. Tertia eſt volitio diuertendi cogitationem ad alia obiecta. Quarta eſt volitio amans aliquod obiectum, iam actu propoſitum. Quinta eſt volitio penetrandi melius, aut perſeuerandi in intuitu & conſideratione obiecti, prius repræſentati ab intellectu. Inter has & ſub his volitionibus continentur aliæ penè innumeræ, ex quibus hanc vel illam vagè neceſſariò eliciet voluntas, retenta libertate circa determinatam quamlibet volitionem.

Confirmatur primò, quia quamuis voluntati liberæ poſſibilis ſit omiſſio pura circa quodlibet 17. *Actus omiſſio libera.*

obiectum

obiectum particulare, & determinatum; ſiue illud præceptum ſit, ſiue non præceptum: vt probauimus 1.2. quæſt. 71. art. 6. dub. 3. nihilominus vniuerſaliſſima omiſſio, quæ copulatiuè complectatur omnia obiecta voluntatis, & omnes volitiones illius, eſt impoſſibilis, quando adſunt omnia requiſita, vt voluntas operetur liberè. Cuius ratio eſt, quia dominium & poteſtas voluntatis reſpicit ipſam voluntatem, non in quantum eſt cauſa naturalis, ſed in quantum eſt voluntas libera. At verò voluntas, vt cauſa naturalis, inclinatur ad bonum, ſublatis impedimentis, vt ſuprà vidimus: vnde per libertatem voluntatis cohiberi ab hoc non poteſt.

18. Confirmatur ſecundò, quia nullus hominum in hac vita ſcire poteſt, verùm per puram omiſſionem, an verò per actum poſitiuum ceſſet ab aliquibus volitionibus; imò quoties à conſilio liberè, & ex induſtria ceſſat ab illis, toties eſt aliqua realis, & poſitiua volitio, cohibendi reliquas volitiones, & omittendi; ſi verò non procuremus ex induſtria cohibere omnem volitionem, tunc voluntas neceſſariò habebit aliquam ex volitionibus, nuper commemoratis.

Nullus ſcit an per puram omiſſionem ceſſet ab actu

19. Tertia probatio principalis eſt, quia nunquam poteſt voluntas ſe reducere de potētia ad actum, & redire ad volitiones habendas, niſi vera ſit noſtra concluſio. Sequelam probo, quia poſtquam voluntas liberè voluit ſuſpendere omnem prorſus volitionem collectiuè per tempus, verbi gratia, ſemiquadrantis horæ, ſi hæc eius volitio explicatur, ac ſubinde toto ſemiquadrante nullam prorſus habeat volitionem, naturaliter ſe neceſſariò ſecutam: conſequens erit, vt neque tranſacto ſemiquadrante voluntas habitura ſit aliquam volitionem: quia nihil reale relictum eſt ex præcedenti volitione, quod illam determinet, vt protinus eo tempore præfixo ſequatur naturalis volitio, & non antea, & inſuper ipſa voluntas non poteſt tunc liberè velle, inchoare volitionem; niſi priùs habeat primam aliquam volitionem naturalem, vt oſtendimus ſect. 5.

20. Confirmatur, quia non erit in poteſtate voluntatis, reuocare illam volitionem omittendi omnem volitionem toto illo tempore. Nam ſi fuerit reuocanda, id præſtandum erit per volitionem, & hæc volitio non poteſt liberè elici, niſi præcedente volitione neceſſaria. Si autem aliqua volitio neceſſaria ſequitur in illo intermedio tempore ante finitum ſemiquadrantem horæ, virtute cuius poſſit reuocari præcedens volitio; qua ratione volitio neceſſaria ſequitur in hac parte temporis, ſequeretur etiam antea primo inſtanti, in quo voluntas à liberis volitionibus ceſſauit. Repugnat autem rationi, & experientiæ, dicere, quòd homo ſanus & vigilans, poſſit pro libito ſibi præſcribere tempus, in quo ſine vlla libertate, ac ſine noua imputabilitate peccati omittat obligationes, tunc fortè occurrentes: vt ſi tunc ſuperioris alicuius imperium intimetur, vel detur ſignum pugnæ, aut ſacri, vel occurrat ante oculos vrgens aliqua neceſſitas proximorum.

21. Quarta ratio eſt, quoniam Deus, vt vniuerſalis motor ex munere primæ cauſæ mouet ad amorem beatitudinis, & boni in communi, & ad primam volitionem: vt notant communiter Doctores, citati in ſect. 2. & 3. at verò munus hoc Deus præſtat per modum cauſæ naturalis, quæ ſemper eodem modo operatur, quantum ex ſe eſt, niſi impediatur: ergo quocunque inſtanti, & quocunque tempore, ceſſantibus impedimentis, Deus per modum cauſæ naturalis per intermedias cauſas ſecundas, & cum illis influēs, determinabit ad naturalem, ac neceſſariam aliquam volitionem, qua bonum, & felicitas ametur, ſiue abſtracta in vniuerſali, ſiue concreta in aliquo ſpeciali bono. 22.

Confirmatur primò, quoniam niſi Deus ex vi concurſus vniuerſalis neceſſitet ſemper ad aliquam volitionem ſaltem vagè & in communi, non poterit defendi, quod S. Thomas, & alij Doctores ex libro de cauſis docent, omnes cauſas ſecundas, non ſolùm naturales, ſed etiam liberas, moueri, & applicari à prima cauſa ad exercitium operationis; vt fuſius retulimus præcedenti tomo de voluntate Dei diſp. 45. ſect. 4. & ſequentibus. At verò ex hac doctrina, quam probamus, rectè explicatur generalis conuenientia, qua omnes cauſæ mouentur à prima cauſa, & applicantur ad exercitium operationis; explicatúrque differentia inter cauſam liberam & naturalem, quatenus poſitis omnibus requiſitis ad operandum cauſa naturalis applicatur, & determinatur ad talem operationem, non ſolùm in generali, ſed etiam in particulari, & determinatè, non vagè: at verò cauſa libera applicatur, & determinatur ad volitionem vagè, relicta indifferentia, & indeterminatione ad quamlibet particularem, ac determinatam volitionem.

Confirmatur ſecundò, quoniam ſic redditur exacta ratio propter quam in qualibet volitione particulari, ſiue ſit bona, ſiue mala, vt minimum, ratio communis volitionis ſit Deo tribuenda, tamquam cauſæ determinanti. Quoniam Deus ad eam determinat ſemper non ſolùm quantum ad ſpecificationem, ſed etiam quantum ad exercitium actuale volitionis. Quòd ſi conſtitutum eſſet in poteſtate voluntatis, abſtinere ab omni volitione, aut elicere aliquam volitionem vagè; iam voluntati creatæ, quaſi determinanti cauſæ, tribuenda eſſet non ſolùm determinatio ad talem volitionem, ſed etiam ad volitionem boni, quantum ad exercitium illius. 23.

Quinta probatio, quia niſi vera ſit noſtra concluſio, non poſſunt non ſibi ipſis repugnare, & inconſequenter loqui tam S. Thomas, quàm alij Scholaſtici complures; iidem namque nunc dicunt, ad volitionem boni ſeu beatitudinis in communi non neceſſitare voluntatem quantum ad exercitium; ſed tantum quantum ad ſpecificationem; poſtea verò dicunt, nullo modo eſſe liberam, ſed naturalem, & neceſſariam eiuſmodi volitionem, & ad illam Deum determinare, mouere & applicare voluntatem, ac reducere de potentia ad actū; quæ teſtimonia retulimus à ſect. 2. vſque ad 5. præſertim verò cōciliauimus in ſect. 7. 24.

Sexta probatio, quia ſecundùm præſentem doctrinam Angelis erit ſimilior anima rationalis, ea tantùm admixta diſſimilitudine, quam ſolam neceſſariò infert eius coniunctio cum corpore. Angelus enim ſemper ac neceſſariò Deum, vt authorem naturæ, ac propriam beatitudinem intelligit, ac diligit, vt dicamus diſp. ſequenti, ſect. 4 præſertim num. 12. homo verò non ſemper, ſed quando corporea vincula non detinent intellectum, ligando phantaſiam. Fortè etiam Angelus ſemper eiſdem actibus determinatis intelligit, ac diligit eadem ſemper obiecta; quamuis alios actus liberè mutet; homo verò nullam determinatam intellectionem, nullámve determinatam volitionem ſemper ac neceſſariò retinet. 25.

DISPV

DISPVTATIO XLIII.

Vtrùm quæcunque natura intellectualis, quantumcunque ſana, & integra, indigeat gratia præueniente, ſeu operante.

SECTIO I.

De primis parentibus in ſtatu innocentiæ.

1. *Sententia negans.* AD primam iuſtificationis diſpoſitionem indiguiſſe præueniente, ſeu operante gratia, nullus Scholaſticorum negat expreſſe, præter Guillermum Pariſienſ. in 1. parte ſuæ Theologiæ, versùs finem, in tract. de meritis col. 4. cuius verba retulimus ſuprà diſp. 21. ſect. 2. num. 29. Cæterùm eadem ſententia poteſt colligi ex aliis Scholaſticis, qui de Angelis ſimiliter ſentiunt infrà ſect. 3. initio, & à fortiori colligitur etiam ex illis Scholaſticis, qui vniuerſaliter affirmarunt, aliquas actiones, per vires naturæ abſque auxilio gratiæ conceptas, præbere poſſe iuſtificationis initium; quos retulimus ſuprà diſput. 21. ſect. 2. & multis ſequentibus.

2. *Primi parentes ante peccatum indiguerunt præueniente gratia.* Nihilominus prima conclusio prorſus certa eſſe debet, primos parentes ad primam iuſtificationem, quam acceperunt ante peccatum, indiguiſſe præueniente, & operante Spiritus ſancti adiutorio, & gratia, quo excitarentur ad actus fidei, ſpei, & charitatis, quibus ad iuſtificationem ſe diſponerent.

3. Probatur primò ex omnibus generalibus principiis traditis ſuprà diſput. 17. vſque ad 28. ex quibus conſtat vires naturæ inſufficientes, & prorſus inutiles eſſe, vt aliquod iuſtificationis initium præbeant, etiam minimum, ac remotiſſimum: ita vt abſque præueniente gratia prorſus impoſſibilia ſint, quodcunque meritum, etiam de congruo; quæcunque diſpoſitio, etiam remotiſſima; quæcunque impetratio, ratio, occaſio, vel conditio. Nam fundamenta præcipua, quibus hoc dogma probatur, ſumuntur ex perfectione, atque dignitate gratiæ, quæ prorſus excedit omnes vires cuiuſque naturæ creatæ. Quamobrem hæc fundamenta æqualem vim habent in quacunque natura integra, ſicut in natura corrupta; quia quantum ad prædicta fundamenta, nulla eſt ratio diſcriminis inter vtrumque ſtatum naturæ.

4. Confirmatur primò peculiariter illis argumentis, quibus ſuprà tota diſput. 25. probauimus, quoad intrinſecam ſibi entitatem eſſe debere ſupernaturalem quamcunque operationem, quæ quolibet modo præbeat iuſtificationis initium.

5. Confirmatur ſecundò Ezechiel. 15. *Quid fiet de ligno vitis, &c. etiam cùm eſſet integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cùm illud ignis deuorauerit, & combuſſerit, nihil ex eo fiet operis.* Qui locus conferendus eſt cum verbis Chriſti Domini Ioan. 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ita & vos niſi in me manſeritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Ex vtriuſque loci collatione facilè colligitur, Dei ſapientiam per Ezechielem locutam fuiſſe de eodem ligno vitis, de quo poſtea fuerat ore proprio dictura, videlicet de natura humana, quæ nihil ad ſalutem vtile poteſt efficere, niſi per Dei gratiam. Quo ſuppoſito, Ezechielis verba *etiam cum eſſet integrum, non erat aptum ad opus*, idem valent, ac ſi diceret, etiam quando natura humana erat ſana, & integra, ante originale peccatum, nihil poterat abſque ſupernaturali influxu vitis, videlicet Dei.

Recole deinque illa verba, *Nihil poteſtis facere*, vim habere, negandi quodcunque iuſtificationis initium ex viribus naturæ, vt ex Conciliis & Patribus, maximè verò ex Auguſtino ponderauimus ſuprà diſput. 18. ſect. 1. num. 3. & 4. Quo ſuppoſito, aduerte, non minorem vim eſſe in illis verbis, *Non erat aptum ad opus*. Ibi enim præcedens negatio negat omne opus, & omnem aptitudinem ad illud, quæ propter idem valet, ac ſi dixiſſet, *nihil poterat facere.* 6.

Probatur ſecundò, quoniam eadem concluſio deducitur illatione non obſcura ex Arauſicano Concilio cap. 25. paulo poſt initium, dicente: 7.
Illam præclaram fidem, quam in Patriarcharum laudem prædicat Apoſtolus, non per bonum naturæ, quod Hebr. 11.
priùs in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei, credimus, fuiſſe collatam. Pondera illam explicationem boni naturæ, videlicet, *quod prius in Adam datum fuerat.* Qua explicatione ampliatur bonum naturæ ad vtrunque ſtatum, videlicet, ad eum, qui primò datus eſt à Deo integer, & abſque culpa, & ad eum ſtatum, qui non eſt datus à Deo, ſed ab Adamo fuit inductus in illud ipſum naturæ bonum quod à Deo fuerat datum, quod niſi ita Concilium intellexiſſet, fruſtrà prædicta verba multiplicaſſet. Denique à fortiori probatur omnibus teſtimoniis & argumentis adducendis, pro concluſionibus ſequentibus, & ſequent. ſectionibus.

Secunda concluſio. Primi parentes in ſtatu innocentiæ indigebant noua gratia præueniente, & operante, vt perſeuerarent in gratia. Probatur primò ex Concilio Arauſicano can. 19. dicente: *Natura humana etiam ſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſe ipſam, creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret. Vnde cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* 8. *Vt perſeuerarent indigebant noua gratia.*

Dicet aliquis, hoc teſtimonio ſolummodò probari auxilium gratiæ fuiſſe neceſſarium, ad perſeuerandum in natura integra: cæterùm cuiuſmodi auxilium debeat eſſe, vtrùm præueniens, operans, & excitans, vel potiùs cooperans tantùm, vel certè vtrumque auxilium ſimul, non videtur explicari in prædicto canone: quapropter concluſionem noſtram non videtur probare. 9. *Obiectio.*

Reſpondeo. Totum illud Concilium à Leone Primo, dirigente per literas, & à Patribus eiuſdem Concilij deſtinatum eſt, ad probandam neceſſitatem gratiæ præuenientis, & operantis, quam præcipuè impugnabant Semipelagiani, vt conſtat attentè conſideranti omnes illius canones. Quapropter, quamuis verba non ſonent, niſi creatorem adiuuantem per gratiam Dei, mens tamen reſpexit auxilium & gratiam, non ſolùm cooperantem, ſed etiam præuenientem, & operantem. *Soluitur.*

Confirmatur, quoniam niſi gratiæ neceſſitatem in natura integra intelligat Concilium de 10.
gratia

gratia operante,& præueniente,non poterit ex ea tanquam ex antecedenti inferre, quod intulit, videlicet, naturam lapſam ſine Dei gratia non poſſe reparare quod perdidit.Nam in hoc cõſequenti ſine dubio intelligit non ſolùm cooperantis, ſed etiã præuenientis,& operantis gratiæ neceſſitatẽ;vt conſtat ex cæteris ferè omnibus capitibus.

11. Probatur ſecundò.nam eodem argumento præuenientis,& operantis gratiæ neceſſitatem in natura integra, vt perſeueraret in gratia, colligere poſſumus ex Auguſtino,qui non ſolùm in Enchirid. ſed etiam in lib.de correp.& gratia, qui præcipuè dirigitur,ad defendendam neceſſitatẽ præuenientis, & operantis gratiæ, aſſerit Adamum in ſtatu innocentiæ abſque auxilio gratiæ non potuiſſe perſeuerare. Et quidem in Enchirid. cap. 106. de natura humana in ſtatu innocentiæ ſic loquitur: *Etſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum,non tamen iuſtitia retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni diuinum adiutoriũ præberetur.*& poſt pauca:*Sic homo in paradiſo ad ſe occidendum, relinquendo iuſtitiã, idoneus erat per voluntatẽ,vt autẽ ab eo teneretur vita iuſtitiæ,parũ erat velle,niſi ille qui eum fecerat,adiuuaret.*

12. In lib.autem de correp.& gratia cap.11.ad medium ait:*Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia,quem reliquit in eius libero arbitrio;quoniã liberum arbitrium ad malum ſufficit; ad bonum autem parum eſt,niſi adiuuetur ab omnipotẽte bono:quod adiutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus:ſed deſeruit & deſertus eſt. Tale quippe erat adiutoriũ,quod deſereret cum vellet,& in quo permaneret,ſi vellet;non quo fieret,vt vellet. Hæc eſt prima*
Sic habet. *gratia,quæ data eſt primo Adam* & poſt pauca: *Dederat adiutorium, ſine quo in eamen poſſet permanere, ſi vellet, vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere,ſi vellet;quia dederat adiutorium per quod poſſet,& ſine quo non poſſet, perſeueranter bonum tenere, quod vellet.* Quam eandem gratiæ indigentiam ſæpiùs repetit in illo capite.

13. Confirmatur primò. nam ipſi etiam Semipelagiani non ſolùm circa initium gratiæ, ſed etiam circa perſeuerantiam errabant, contendẽtes,proprium arbitrium præcedere,vt tribuatur perſeuerantia Quapropter negabant præuenientis gratiæ neceſſitatem ad illam. Sic enim Hilarius ſcribit in epiſt. ad Auguſtinum col.2. poſt medium: *Quod autem dicit ſanctitas ſua,neminem perſeuerare,niſi perſeuerandi virtute percepta; hactenus accipiunt Maſſilienſes, vt quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur.* Quod idem conſtat ex Auguſtino lib.de bono perſeuerantiæ c. 6. propè initium,& cap.17. propè medium, vt fuſiùs ſuprà diſp.14.ſect.4.à num.4.vſque ad 9.

14. Porrò huiuſmodi doctrinam intellexiſſe non ſolùm de homine lapſo, ſed etiam de homine integro in ſtatu innocentiæ, conſtat ex eadem epiſtola Hilarij in ſequenti col.3. vbi de Maſſilienſibus ſic loquitur:*Vnde in hoc ſolo volunt,à primo homine omnium diſtare naturam, vt illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, ſine qua perſeuerare nõ poſſet*,&c. Nota,illos agnouiſſe in Adamo neceſſitatem gratiæ ad perſeuerandum;ſed in eo erraſſe, quod voluntatem Adami præcedere exiſtimabant,vt ad perſeuerandum iuuaretur;hæc enim præcedentia ſignificatur illis verbis, *iuuaret gratia volentem*, quod etiam colligitur ex præcedenti,ſequentique contextu eiuſdem epiſtolæ.

15. Imò & Fauſtus Rhegienſis inter Semipelagianos vnus ex primariis authoribus lib. 1. de gratia Chriſti c.1.ait:*Ego autem arbitror, quod libertas arbitrij ſibi ſola ſufficere ſine præſidio gratiæ non potuerit, etiam antequam priuilegium illius tranſgreſſio violaret.*

Quibus ſuppoſitis, ſuperiores probationes cõfirmantur, quia niſi Auguſtinus, atque ex illius mente Arauſicanum Concil. decreuiſſet, præuenientem & operantem gratiã,ad perſeuerandum, fuiſſe neceſſariam in ſtatu naturæ integræ; ſed ſolummodo dixiſſent, auxilium gratiæ fuiſſe neceſſarium:nihil dixiſſent amplius,quàm quòd Semipelagiani fatebantur ingenuè. 16.

Confirmatur ſecundò. nam quæ retulimus Auguſtini verba ex Enchirid. cap.106. afferuntur à Magiſtro in 2. diſt. 29. cap.1. vt probet *hominem ante peccatum non cooperante tantùm, ſed etiam operante gratia indiguiſſe.* quæ ſententia tacitè recipitur à plurimis Scholaſticis. Supponunt ergo Auguſtini mentem reſpexiſſe ad vtramque gratiam, operantem ſcilicet,& cooperantem,quando illius indigentiam aſſerebat in natura integra Quapropter eadem erit mens Magiſtri,& Scholaſticorum in 2.diſt.24. c.1. dum referunt verba ſuprà citata ex Auguſtino de correp.& gratia c.11.vt probent ſine gratiæ auxilio perſeuerare non potuiſſe Adamum; ſed per illud potuiſſe. Atque idem colligitur ex S.Thoma, cæteriſque Scholaſticis citandis in concl. ſequenti num.23. 17.

Probatur tertiò ex Bernardo ſerm. 1. de Annunciatione propè initiũ,vbi:*De operibus*, inquit, *bonis certum omnino eſt, quòd nemo hæc habeat à ſe ipſo.Nam ſi ſtare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus poterit per ſe ipſam reſurgere iam corrupta.* Loquitur autẽ de neceſſitate gratiæ non ſolùm cooperantis,ſed etiam operantis,& præuenientis,vt conſtat ex eodem ſerm. cuius verba retulimus diſp.41.ſect.3.num.27.atque ex aliis pluribus eiuſdem Bernardi tractatibus, in quibus vtranque gratiam requirit,vt natura humana iam corrupta reſurgere poſſit.Eandem autem requiſitam fuiſſe, vt ſtare poſſet, quando erat integra, ſupponit in loco citato: alioqui eius argumentum non valeret; vt in ſimili diximus de Concilio Arauſica.ſuprà num.8.9.& 10. 18.

Ricardus Victorinus eandem ſententiam docet de ſtatu interioris hominis p.1. tract.1.c.20.præſertim verò c.21.in principio,dicens: *Sanè abſque dubio,& ſine omni contradictione ſufficientem gratiam habuit ante peccatum, non ad omne bonum faciendum; ſed ad omne debitum ſoluendum,& ad omne malum cauendum. Quanta quæſo hæc poteſtas ad bonum,& contra malum fuit,quam ex cooperatione gratiæ habuit.* 19.

Quartò denique probatur, quoniam primi parentes in gratia perſeuerare non poterant,niſi per actus fidei, ſpei, charitatis, & obedientiæ implerent diuina præcepta. At verò quilibet ſupernaturalis actus indigebat præueniẽte atque operãte gratia,vt oſtendemus concl.4 cuius omnia fundamenta probant à fortiori concluſionẽ ſecundam.

Notandum eſt,in ſuperiori concl.2. non ſolùm eſſe dictum, parentes primos indiguiſſe gratia præueniente ad perſeuerandum,ſed etiam dictum eſſe,hanc gratiam eſſe debere nouam,vltra illam, Cur noua. quæ neceſſaria fuit, vt primò ſe ad iuſtificationẽ diſponerent.Huius autem ratio à priori eſt diſcrimen hominis ab Angelo:homo namque etiam in ſtatu innocentiæ conſtitutus poterat aliquando ab omni prorſus gratiæ operatione ceſſare. Quapropter opus erat,denuo inchoari motũ,ſeu excitationem ſupernaturalẽ ab operãte & præueniente gratia;iuxtà ea quæ notauimus diſp.41. ſect.2. 20.

21. Confirmatur primò, quoniam non ſolùm propter ſuperandas difficultates, quæ per accidens contingunt virtuti, ſed etiam primariò, atque per ſe, propter initium præbendum ſupernaturalibus operationibus, neceſſaria eſt gratia operans & præueniens, vt oſtendimus tota diſput. 41. & 42. Hæc autem ratio viget in ſtatu naturæ integræ; quamuis locum non habeat alia, quæ ſumitur ex difficultatibus.

22. Confirmatur ſecundò. nam ſine dubio illi ſtatui, quoties opus erat, præſens aderat maior lux circa res ſupernaturales oppoſita illi ignorantiæ, quam omnes Patres dicunt, eſſe effectum, & pœnam originalis culpæ; aderat etiam ſuauitas, & facilitas circa bonum, plenè ſubiiciens appetitum rationi. Hæc fiebant in homine independenter ab eius libertate, atque iſtæ gratiæ operantes ſatis erant ad perſeuerandum, licèt aliæ defuiſſent. Cæterùm ſine his omnibus perſeuerare non potuiſſent primi parentes in ſtatu innocentiæ.

23. *In natura integra ad perſeuerandū generale auxilium ſufficiebat.*

Tertia concluſio. In ſtatu innocentiæ ad perſeuerandum, non fuit neceſſarium ſpeciale auxilium præueniens; ſed ſatis erat generale præueniens, & excitans, illi ſtatui debitum, quamuis natura lapſa, vt perſeueret, requirat ſpeciale auxilium excitans.

Probatur primò ex S. Auguſtino de corrept. & gratia c. 11. *Ille*, inquit, videlicet Adamus, *non indigebat eo adiutorio, quod implorant iſti, cùm dicūt: Video aliam legem in mēbris meis*, &c. Negat igitur in illo ſtatu fuiſſe neceſſarium ſpeciale auxiliū, quod in natura lapſa requiritur propter rebellionē carnis aduerſùs ſpiritum; vt ſtatim explicabimus magis.

24. Probatur ſecundò communi Scholaſticorum ſententia, qui inhærentes veſtigiis Auguſtini, & aliorum Patrum exiſtimant: *Homini in creatione* (ſicut & Angelis) *datum eſſe per gratiam auxiliū, & collatam eſſe poteſtatem, per quam poterat ſtare, id eſt, non declinare ab eo, quod acceperat*, vt loquitur Magiſt. in 2. diſt. 24. c. 1. & diſt. 25. c. *& poſſunt*, ait: *Ante peccatum ad bonum nihil impediebat, ad malum nihil impellebat, non habuit infirmitatem ad malum, & habuit adiutorium ad bonum. Tunc ſine errore ratio iudicare, & voluntas ſine difficultate bonum appetere poterat.* Eandem ſententiam ſequitur D. Bonauentura 2. diſt. 24. p. 1. art. 1. q. 2. Albert. in 2. diſt. 25. & in lib. de homine apud Carthuſ. in 2. diſt. 25. q. 4. atque idem Albertus in 2. p. ſummæ q. 90. memb. 2. Alex. 2. p. q. 96. memb. 2. art. 1. S. Anton. 1. part. titulo 9. cap. 5. initio, & §. 3. Ricardus 2. diſt. 24. artic. 1. q. 1. atque in eadem diſt. Ægidius part. 1. q. 1. artic. 4. Carthuſ. q. 2. propè init. atque alij Scholaſtici.

25. S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. articul. 10. ad 3. ait: *Hominem in ſtatu innocentiæ per gratiā donum perſeuerare potuiſſe faciliùs, quàm nunc perſeueramus in natura lapſa, quia tunc nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum.* Clariùs autem communiter expoſitores S. Thomæ in eodem art. 10. tradunt naturam integrām, vt perſeuераret, non indiguiſſe auxilio, & dono ſpeciali, quo propter infirmitatem, & vulnera indiget natura corrupta.

26. *Quale auxilium debitū naturæ integræ.*

Hanc igitur communem & certam doctrinam magis explicando, infero illud, quod in ea virtualiter continetur, videlicet, naturam integram, vt perſeueraret, non indiguiſſe ſpeciali auxilio præueniente, operante, ſeu excitante. Quoniam illi perfectiſſimo ſtatui commune erat, atque debitum omnibus, ſuppoſita communi lege, tantum auxilium, vt inferiores vires ad nutum obedirent ſuperioribus; nullaque ignorantia, concupiſcentia, vel alia quæuis difficultas perſeuerantiam impediret. Quo auxilio præſuppoſito, alia pars auxilij præuenientis, ſeu operantis, quæ communi Dei lege præbetur homini, in gratia conſtituto, ad perſeuerandum ſatis erat, abſque alio ſpeciali dono, vel auxilio. Idem colligitur ex Hugone Victorino, citando in ſect. 2. num. 3.

27. *Obiectio.*

Ad huius maiorem explicationem obiicio. Natura corrupta nullam realem potentiam ſibi naturalem, nullámve illius partem amiſit per originale peccatum; ſed ſolummodo amiſit ſupernaturalia dona, (vt cum communi Theologorum ſententia notauimus 1. 2. in peculiari tractatu de originali peccato, ſect. 1. dub. 18.) ergo natura integra, vt perſeueret, non minori gratia præueniente indiget, quàm natura corrupta. Probatur conſequentia, quia natura ex ſe nihilo potentior indiget auxilio non minori, quàm alia natura nihilo impotentior.

28. Reſpondeo, concedendo totum, & notando, nihil pugnare cum tertia concluſione. Quoniam illud auxilium, quod lege communi debebatur ſtatui naturæ integræ, non erat minus, imò longè maius erat, quantum ad impedimenta, difficultatéſque circa perſeuerantiam auferendas. Quapropter in ea ſolummodo conſiſtit vtriuſque ſtatus diſcrimen: quòd auxilium naturæ integræ, quantumcunque magnum, non erat ſpeciale, ſed commune comparatione illius ſtatus: at verò aliud auxilium, in natura corrupta requiſitum, non eſt commune; ſed ſpeciale comparatione præſentis ſtatus.

29. Adhibito ſimili temporalis auxilij, prædicta ſolutio clarior fiet. Duo eorundem parentum filij, præſertim ſi paribus animi, corporis, induſtriæ, & experientiæ viribus polleant, paribus ſubinde ſuorum parentū temporalibus ſubſidiis indigent, non ſolùm ad vitam, ſed etiā ad ſtatus decentiam conſeruandā. Nihilominus filius natu maior, cui hæreditaria ſucceſſiu primogenium detulit valde pingue, non indiget ſpeciali ſubſidio temporale, quoniam abunde ſibi, aliiſque ſufficiūt aureorum millia ducenta, quæ ordinaria lege ad ſingulos annos redduntur illius primogenij poſſeſſori: vt exempli gratia ſuppono. Sed è contrario alter filius natu minor ſpeciali ſubſidio indiget ſuorum parentum; & illo accepto, adhuc tenuitate victus, & rei familiaris difficultate laborabit, indigebitque quotidianis ad Patrem precibus.

30. Minoris filij ſubſidiis ſimilia ſunt generale atque ſpeciale auxilium naturæ lapſæ neceſſarium. Illud verò filij natu maioris, capientis redditus primogenij, ſimile eſt ordinario auxilio naturæ integræ, quod propter eximiam copiam liberat ab indigētia ſpecialis alterius auxilij. Obiter tamen obſerua, quod modò ad perſeuerandum præbetur auxilium ſub quibuſdā aliis rationibus eſſe maius, quàm quod Adamo collatum eſt, quas explicare nō eſt huius loci. Dicemus aliquid in ſect. ſequēti.

31. *In ſtatu innocentia ad quemlibet actum neceſſaria gratia.*

Quarta concluſio. In ſtatu innocētiæ ad quemlibet ſupernaturalem actum neceſſaria erat operans, & præueniens gratia eodem modo, quo requiritur in ſtatu naturæ corruptæ; qui modus explicatus fuit diſp. 41. ſect. 2. Hanc eſſe mentem D. Thom. conſtabit ponderanti eius diſcurſum 1. 2. q. 109. art. 2. Nam in fine corp. ait: *Virtute gratuita, ſuperaddita virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad vnum, id eſt, ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale.* & poſt pauca: *Vlterius autē in vtroque ſtatu indiget homo auxilio diuino,*

vt

vt ab ipſo moueatur ad bene agendum. Et ad 1. ait: *Oportet quòd finaliter deueniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moueatur ab aliquo exteriori principio, quod eſt ſupra mentem humanam, ſcilicet, à Deo, vt etiam Philoſophus probat in cap. de bona fortuna: vnde mens hominis, etiam ſani, non ita habet dominum ſui actus, quin indigeat moueri à Deo.*

32. In his obſerua primò, voluntatem hominis mouere, eſſe proprium operantis, & excitantis gratiæ munus. Secundò. Mens hominis etiam ſani, qualis fuit ſolummodo in ſtatu innocentiæ, indiget hoc munere operantis, & excitantis gratiæ, Tertiò pondera, huius rationem eſſe principium deliberationis, quod neceſſariò præbendum eſt à Deo cuicunque naturæ, in quocunque ſtatu deliberanti, propter rationes, quas notauimus diſp. præced. ſect. 3. 4. & 5.

33. Idem clariùs docuit Magiſter in 2. diſtinct. 29. initio, vbi ex mente Auguſtini explicans, quanta fuerit iſta neceſſitas operantis gratiæ in ſtatu innocentiæ, ait: *Non habebat, quo pedem mouere poſſet ſine gratia operantis, & cooperantis auxilio.* Quod admittit D. Bonauentura in eadem diſt. 29. art. 1. quæſt. 2. in fine, corporis. Ægidius ibidem quæſt. 1. art. 1. Ricardus art. 1. quæſt. 2. ad 4. Et colligitur ex Gregor. in eadem diſt. 29. quæſt. vnica art. 1. concl. 2. & 3. præſertim ſi conferatur cum diſt. 28 quæſt. 1. art. 1. & art. 3. ad 1.

34. Idem ſupponit Colonienſe Chriſtianæ inſtitutionis Enchirid. titulo de ſacramento Pœnitent. cap. *ſed interim.* § *initio* quod, dicens: *Quòd Deus conſtituerit hominem talem, qui gratia creatoris, ſibi deſuper collata, potuiſſet, niſi libera ſuæ voluntatis arbitrio malè fuiſſet vſus, legi Dei perfectè obedire, ac ſatis facere.*

SECTIO II.

Teſtimonijs, quæ contra præcedentes concluſiones pugnare videntur, explicatis agitur de homine, qui crearetur in puris naturalibus.

1. SCio Doctores aliquos eſſe, qui putent, neque ad bene operandum, neque ad perſeuerandum in ſtatu innocentiæ, fuiſſe gratiam neceſſariam. Sed illos referre & impugnare, non eſt huius loci, in quo non diſputamus de neceſſitate gratiæ vt ſic, abſtrahendo ab operante, & cooperante: ſed hac neceſſitate tanquam certa, & indubitabili præſuppoſita, tractamus in particulari de neceſſitate præuenientis, ſeu operantis gratiæ. Nihilominus operæpretium erit, explicare nonnulla teſtimonia Auguſtini, & aliorum Patrum, quamuis ea non ſolùm contra neceſſitatem præuenientis ſeu operantis gratiæ, ſed etiam contra neceſſitatem cuiuſque gratiæ in natura integra pugnare videantur.

2. Primum teſtimonium pugnare videtur contra primam concluſionem poſitam in ſect. præcedenti. Auguſtinus namque in lib. de corrept. & gratia cap. 11. inter med. & finem, de homine primo ſic loquitur: *Vt reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat; vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ.*

Reſpondeo. Auguſtinus loquitur ibi de libero arbitrio primi hominis, non præciſè conſiderato, prout erat liberum arbitrium; ſed prout iam acceperat bonum gratiæ, & nondum perdiderat. Vnde non indigebat auxilio, niſi ad ſeruandum perſeueranter bonum gratiæ, quod iam acceperat. Hanc eſſe Auguſtini mentem, conſtat non ſolùm ex verbis, quæ retulimus; ſed etiam ex ſuperiori, atque inferiori contextu.

Confirmatur. nam, vt in ſequenti teſtimonio videbimus, Auguſtinus de poteſtate perſeuerandi loquitur eodem modo in cap. 7. de bono perſeuerantiæ, aſſerens Adamum, & Angelos per liberum arbitrium perſeuerare potuiſſe; cùm tamen in hoc ipſo cap. 11. lib. de corrept. & gratia (quod explicamus modò) declarauerit indiguiſſe auxilio gratiæ. Quapropter vtrobique quando dicit liberum arbitrium aliquid potuiſſe in ordine ad gratiam, vel perſeuerantiam, intelligit liberum arbitrium, pro vt iam eleuatum erat, & roboratum per gratiam, illi ſtatui propriam.

Videtur etiam aduersùs eandem concluſionem pugnare Hugo Victorinus eruditionis Theologicæ ſummæ ſentent. tractat. 3. cap. 7. ante medium; quia diſertis verbis affirmat, Adamum ante lapſum non indiguiſſe gratia operante, ſed ſola gratia cooperante ad bonum faciendum, & perficiendum, non verò præciſè ad vitandum peccatum. Cæterùm apud illum ibi gratiæ operantis acceptio longè diuerſa eſt à communi acceptione, ſecundùm quam loquimur in præſenti, vt conſtat ex illis verbis: *Operans gratia, facit à peccatis ſurgere: facit etiam velle bonum. Cooperans gratia volenti cooperatur vt bonum faciat. Sed ante lapſum non egebat niſi cooperante: nondum enim ceciderat; & ideo non egebat gratia per quam ſurgeret: ſed ea ſola per quam proficeret; poſt lapſum verò operans præcedit, quæ mouet & excitat cor.* 3.

Secundum teſtimonium contra ſecundam concluſionem, poſitam in ſectione 1. pugnare videtur. Auguſtinus quippe in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 7. ſub initium de perſeuerantia ſic loquitur: *Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc ſunt, fuerat in homine, antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt.* (& paucis interpoſitis,) *poſt caſum autem hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo.* 4.

Huius explicatio colligitur ex præcedenti; & ſenſus eſt, in viribus liberi arbitrij antequam caderet, non præciſè conſideratis ſecundùm naturalem ſibi facultatem, ſed prout retinebant dona gratiæ, & ius ad auxilia, in ſtatu innocentiæ collata, poſitum erat non cadere, ſed ſtare: ſicut boni Angeli ſteterunt per vires liberi arbitrij, ſuffultas auxilio gratiæ, in prima creatione collatæ: vt ex eodem Auguſtino conſtabit ſect. ſequenti, concluſ. 2. & 3. Sed in ſtatu naturæ lapſæ ad perſeuerandum non ſufficiunt auxilia, ſtatui debita ex prima ſua conditione; ſed ſpecialia requiruntur, vt notauimus ſect. præcedenti concl. 3. 5.

Tertiò contra eandem concluſionem ſecundam poſitam in ſectione 1. pugnare videtur Petrus Diaconus, nomine aliorum Orientalium, in lib. de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti cap. 6. initio, dicens: *Credimus itaque bonum, & ſine vlla carnis impugnatione, à Deo creatore omnium factum Adam, magnáque præditum libertate, ita vt & bonum facere in propria facultate haberet; & malum, ſi vellet, poſſet admittere: erátque mori, & immortalitas in eius poſita quodammodo arbitrij libertate.* 6.

Reſpondeo, horum verborum mens eadem eſt, quæ fuit Auguſtini, in cap. 7. de perſeuerantia, nuper explicata. Quapropter Adami magna libertas, propria facultas, & facilitas intelligenda eſt non præcisè, vt proueniebat à natura, ſed à tota ſupernaturalium donorum collectione, quæ illi ſtatui debita erat.

7. Propterea Fulgentius reſcribens ad eundem Petrum Diaconum eiuſdem tituli librum, videlicet, de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti, ſingulóſque articulos, à Petro Diacono propoſitos, continuaus, quando ad præſentem articulum peruenit 12. cap. addendam duxit non refutationem, aut reprehenſionem; ſed clariorem mentis explicationem, vt illa poteſtas intelligeretur, ſuppoſita gratia illius ſtatus, dicens: *Credat firmiſſimè, ſanctam Trinitatem primo homini, quem ad ſuam imaginem gratuita bonitate bonum fecit, cui facultatem quoque ſuæ cognitionis, ac dilectionis inſeruit, non ſolum bonæ voluntatis donum, quin etiam ad habendam, cuſtodiendámque iuſtitiam integrum, ſanúmque creaſſe libertatis arbitrium; vt facultas, atque motus indita libertatis, ſi inuantem ſe gratiam Dei non deſereret, præmium vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini*, &c. (& poſt

Sic habet. pauca;) *Creatus ergo primus homo accepit quidem gratiam, qua non poſſet peccare, ſi peccare nollet; nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec poſſet.*

8. Eodem modo intelligendus eſt author Hypognoſt. lib. 3. in principio, vbi: *Reſpondemus*, inquit, *neminem poſſe, per ſe ſibi, id eſt per liberum arbitrium implere, quod velit, rectè dicimus, niſi Protoplaſtum ſolum potuiſſe, cùm voluntas liberi arbitrij fuiſſet ſana, el, ante culpam.* Prædictam autem fuiſſe huius authoris mentem, conſtat ex verbis, quæ paulò inferiùs loquens de ſanitate, & poſſibilitate liberi arbitrij, ratione cuius dicitur, fuiſſe relictus in manu conſilij ſui, ſubiungit: *Ipſa eſt prima gratia, qua primus homo ſtare potuiſſet, ſi mandata ſeruare voluiſſet.*

Sic etiam de libertate, collata in prima hominis creatione, non ſolùm per naturam; ſed etiam per gratiam illius ſtatus intelligendum eſt quod Moſes Barcepha Syrus Epiſcopus de paradiſo parte 3. capite 2. tomo 1. Bibliothec. ait: *Adamum, & reliquos mortales ratione præditos Deum arbitrij libertate donaſſe dum conderet: qua freti poſſent vel obſeruare, vel tranſilire legem præſcriptam.*

9. Quintò poteſt opponi S. Bonauentura in 2. diſtinct. 24. part. 1. art. 1. q. 2. corp dicens, Adamum in ſtatu innocentiæ, *abſque appoſitione nouæ gratiæ*, perſeuerare potuiſſe.

Reſpondeo tamen, *nouam* intelligere ſpecialem, quæ illi ſtatui de lege ordinaria non debebetur, vt ſectione præcedenti concluſ. 3. explicuimos.

Eodem modo intelligendus eſt Bellar. lib. vnic. de gratia primi hominis cap. 4. col. vltima, exiſtimans, Adamum in ſtatu innocentiæ non indiguiſſe noua gratia operante, ſeu præueniente, vt perſeueraret in gratia. Cui conſonat quod ſcribit lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. vltimo §. penultimo.

10. Sed operæ pretium erit, oſtendere teſtimonia, quæ producit in dicto libro vnicò, nihil probare contra 2. concluſ. quamuis rectè confirment concluſionem 3. poſitam in ſect. 1. Cæterùm quoniam aliorum omnium explicatio tradita eſt non ſolùm in ſect. præſenti, ſed etiam ſect. præcedenti, concl. 3. initio; illud reſtat vnicum, quoniam Auguſtinus de corrept. & gratia cap. 11. & 12. tractans de auxilio ad perſeuerandum, neceſſariò eam conſtituit differentiam inter hominem lapſum, & ſtatum innocentiæ, quod homo lapſus indiget vocatione, & gratia præueniente, vt perſeueret; ſed Adamus in ſtatu innocentiæ non item.

Reſpondeo ſæpius à me, quanta potui diligentia, conſiderata eſſe illa c. 11. & 12. & ſecundùm illorum doctrinam, ſtatus innocentiæ, & ſtatus naturæ lapſæ non differunt, quia hic indigeat gratia præueniente, non ille; ſed quia hic indiget tali gratiâ præuenienti, & tam efficaci, vt per illam nõ ſolùm poſſit homo perſeuerare; ſed etiam Deus faciat, vt homo velit perſeuerare; idque faciat, *indeclinabiliter, atque inſeparabiliter agendo voluntates noſtras.* Atque huiuſmodi gratia præuenienti, quæ voluntatem indeclinabiliter & inſeparabiliter ageret, neque Angeli, neque in ſtatu innocentiæ primi parentes indiguerunt. 11. *Status innocentiæ, & naturæ lapſæ diſcrimen.*

Hoc autem diſcrimen explicari poteſt à ſimili; 12. quoniam, ſcilicet, homo lapſus, quantumcumque *Simile.* iuſtificatus per gratiam, nihilominus propter contractam ignorationem, atque infirmitatem eſt veluti pulcherrimus puer, auro & gemmis pretioſiſſimis ornatus, ſed non minus conſilio, quam ætate teneriſſimus, poſitúſque in via lubrica, & ardua, nunc incedens inter turbas, bellorúmque tumultus, inter latrones, & hoſtes, nunc inter fallaces & inſidioſas delitias, venenatas eſcas, ſpectaculorum ludos, quem propterea, niſi parentes, aut pædagogi perpetua prouidentia indeclinabiliter, & inſeparabiliter manu ducerent, ac protegerent: nulla ratione poſſet incolumis euadere. Quod Auguſtinus reſpexit in lib. de correpr. & gratia c. 12. ſub finem, quando dixit: *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma non deficeret, nec aduerſitate aliqua vinceretur.*

E contrario tamen in ſtatu innocentiæ integer & 13. ſanus homo erat veluti vir adultus viribus nõ ſolùm corporis, ſed etiam mentis robuſtiſſimus: cui propterea neque neceſſaria eſt, neque congruit puerilis illa pædagogia inſeparabiliter, & indeclinabiliter agens. Sed dato de annuis redditibus, armis, & præſidio militum, quantum abundanter ſufficiat, adhibitiſque monitis, atque conſiliis, expedit ſuo arbitrio committi. Eadémque ratione hominem in ſtatu innocentiæ oblato ſibi copioſiſſimo auxilio, quod illi debebatur ſtatui, de reliquo decuit, relinqui in manu conſilij ſui.

Eadem doctrina continet infallibilitatem, qua 14. diuina prædeſtinatio talem diſponit vocationem, & gratiam præuenientem, cum talibus circumſtantiis naturalibus, & ſupernaturalibus, vt actualis perſeuerantia infallibiliter conſequatur. Id quod præſertim Auguſtinus intendebat in citato cap. 12. de correptione & gratia. Quapropter in eius initio ait: *Sanctis per gratiam Dei prædeſtinatis tale adiutorium perſeuerantiæ datur, vt eis perſeuerantia ipſa donetur, non ſolùm, vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint; verumetiam vt, per hoc donũ non niſi perſeuerãtes ſint.* Sed de modo, atque ratione infallibilitatis ſuprà diſp. 6. & quinque ſequentibus.

In puris naturalibus ſi crearetur aliquis homo 15. abſque gratia, & abſque peccato, idémque poſtea *Gratia neceſſitas in puris naturalibus.* foret ad ſupernaturalem iuſtificationem eleuandus: non ſolùm indigeret gratia præueniente & operante ad primas diſpoſitiones gratiæ, quibus

inchoare

inchoaretur iuſtificatio, ſed etiam noua gratia præueniente & operante ad ſingulas quaſque ſupernaturales operationes; inſuper ad perſeuerandum indigeret tali gratia præueniente, & operante, quæ non ſolùm eſſet noua, ſed etiam ſpecialis.

16. Probatur, quia talis homo nec minores ſubiret difficultates, nec minorem pugnam ſuſtineret inferioris partis cum ſuperiori, nec leuiora pateretur ignorantiæ, atque debilitatis detrimenta, quàm patimur poſt originale peccatum: quod nihil reale ſuſtulit naturæ conſentaneum, & connaturale nihil reale naturæ contrarium intulit. Vnde laboraret eadem prorſus indigentia diuinæ gratiæ, qua laboramus in præſenti ſtatu, eo ſolummodo excepto quòd non indigent peccati originalis remiſſione, neque illius demeritum, quantum ex ſe eſt, impediret ſupernaturalia dona: vt conſtat ex his, quæ diximus 1. 2. in tractatu de originali peccato ſect. 1. dub. 16. 17. & 18.

17. Sed quoniam huius ætatis nonnulli authores exiſtimant, propter originale peccatum naturam humanam, non ſolùm fuiſſe expoliatam donis gratuitis; ſed etiam in naturalibus ita fuiſſe vulneratam, vt abſque auxilio gratiæ non habeat eaſdem vires, ad bonum naturale amplectendum, & malum fugiendum, quas habuiſſet in puris naturalibus: propterea duo ſunt obſeruanda. Primum eſt, ab eiuſmodi authoribus eandem prorſus neceſſitatem gratiæ præuenientis, & operantis admitti in puris naturalibus, atque in natura lapſa. A nobis namque non diſſident, niſi comparatione naturalis boni amplectendi; non verò comparatione ſupernaturalis boni.

18. Secundò notandum eſt, tam in hac, quàm in vera & communi ſententia, vim ſuam integram retinere omnes illas rationes, quæ ſumuntur ex improportione cuiuſquonaturalis actionis ad ſupernaturalem finem. Hæc namque quod probant in ſtatu innocentiæ ſuprà diſp. 29. 30. & 32. probabunt à fortiori in puris naturalibus; & inſuper probabunt neceſſitatem ſpecialis auxilij, quod neceſſarium non erat in ſtatu innocentiæ, quoniam illi ſtatui debitum erat auxilium ſupernaturale copioſiſſimum: hoc autem nulla ratione debitum foret in puris naturalibus. Quamobrem omnium concluſionum ratione ſubducta, totidem concluſionibus affirmabis, neceſſariam eſſe præuenientem, & operantem gratiam in puris naturalibus, quot in natura lapſa per originale peccatum, videlicet, vt ad inchoandam iuſtificationem, ad quemlibet actum ſupernaturalem, etiam poſt iuſtificationem acceptam, & multo magis ad perſeuerandum in gratia, requiratur.

SECTIO III.

Angelis in via neceſſariam fuiſſe præuenientem, & operantem gratiam.

1. *Sententia negans.* MIrum eſt, quot & quàm graues Scholaſtici hoc negauerint. Exiſtimabant, videlicet, Angelos electione boni, per vires naturæ concepta de congruo meruiſſe, atque obtinuiſſe gratiam. Ita Albertus 2. p. q. 18. propè fin. & in 2. diſt. 5. apud Carthuſ. ibi q. 2. Alexand. multis in locis, notatis ſuprà diſp. 21. ſect. 2. n. 24. & ſequentibus. Guillermus Pariſ. citatus in eadem diſput. atque ſect. n. 29. S. Thom. in 2. diſt. 5. q. 2. art. 1. Sumitur apertè ex Ricardo 2. diſt. 5. art. 2. q. 1. initio. Eadem ſententia propter aliud fundamentum, traditur à Scholaſticis, qui dicunt, Angelos indiguiſſe gratia, ſed non operante, ſed cooperante tantùm. Ita Magiſter 2. diſt. 5. à med. vbi Bonauentura art. 3. quæſt. 1. corpore fine.

Pro eadem ſententia referri poſſunt authores alij, qui generaliter de hominibus affirmant, per vires naturæ, faciendo quod in ſe eſt, obtinere auxilia gratiæ; quos retulimus ſparſim ſuprà diſp. 21. ſect. 3. & ſequentibus ferè omnibus. 2.

Nihilominus ſit prima concluſio. Angeli ſine præueniente, & operante gratia non poterant de congruo mereri, aut impetrare, vel ſe diſponere ad gratiam, neque vllum aliud præbere iuſtificationis initium. Ad huius concluſionis probationem abundè ſufficiunt generalia principia, tradita ſuprà à diſp. 17. vſque ad 28. & illa præſertim, quæ tota diſp. 23. probant, nullum eſſe poſſibile iuſtificationis initium, niſi per operationem, quæ ſupernaturalis ſit quoad intrinſecam ſibi realitatem: nam præcipua fundamenta non ſumuntur ex peculiari quidditate ſpecifica rationalis naturæ; ſed ſumuntur ex perfectione, atque dignitate gratiæ, cum qua nullam proportionem congruitatis, meriti, aut diſpoſitionis habere poteſt quælibet operatio naturalis, quantumcumque perfecta ſit. Quapropter omnia illa fundamenta non minus in Angelo, quàm in homine robur habent. 3. *Angeli per naturæ vires non poſſunt præbere iuſtificationis initium.*

Nihilominus operæ pretiũ erit aliqua proferre teſtimonia, quæ in ſpecie loquantur de Angelis. S. Thomas 1. p. q. 62. art. 2. in fine corporis ait: *Vnde nulla creatura rationalis poteſt habere motũ voluntatis, ordinatum ad illam beatitudinem; niſi mota à ſupernaturali agente. & hoc dicimus auxilium gratiæ. Et ideo dicendum eſt, quod Angelus in illam beatitudinem voluntate conuerti non potuit, niſi per auxilium gratiæ.* 4.

Ad quorum intelligẽtiam recole primò ſecundùm phraſim S. Thomæ, & aliorum Patrum, & Scholaſticorum, Deum mouere ad actionem aliquam, idem eſſe quod excitare præueniendo, & operando illius initium. Secundò, illas actiones quæ ad iuſtificationem diſponunt, & illã de congruo merentur, & impetrant, eo ipſo ad beatitudinem ordinari. Quibus ſuppoſitis, manifeſtum eſt actiones in Angelis indiguiſſe gratia excitante, & præueniente, & hanc fuiſſe mentem S. Thomæ in verbis nuper citatis.

Noſtram concluſionem clarius, quàm cæteri, docent Ægidius diſt. 5. q. 2. toto art. 1. præſertim in fine corporis, & ad 4. in dubio litterali 2. & Argẽt. optimè eadem diſt. 5. q. vnic. art. 3. fine. Colligi poteſt ex toto diſcurſu Alexand. 2. part. q. 19. memb. 2. præſertim in argumentis, *Sed contrà*, & propè finem illius membri, vbi agit de gratia gratis data, quo nomine antiqui appellant impetus, & impulſus, quos Deus ad iuſtificationis initiũ immittit. Fauet Carthuſianus 2. diſt. 5. q. 2. fine, dicens: *Requiritur, & concurrit actualis motio Spiritus ſancti.* 5.

Probatur primò ex Auguſtino lib. 12. de Ciuitate, cap. 9. vbi ex profeſſo inueſtigans primum principium, primamve cauſam efficientem bonæ voluntatis Angelorum, per quam ſeipſos fecere meliores, quàm à Deo creati fuerant, ſic loquitur: *At ſi non potuerunt ſe ipſos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit; profectò & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adiutorio creatoris, habere non poſſent.* Nota adiutorium operans, ſeu excitans prærequiri, vt haberent boni Angeli voluntatem, qua vellent ſe ipſos facere meliores, quàm ſolo creationis dono facti erant. Quod clarius explicuit ſequenti- 6.

bus verbis: *Cùm id egit eorum voluntas bona, vt non ad ſe ipſos, ſed ad Deum conuerterentur, eiúſque participatione ſapiēter, beatéque viuerent: quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram; niſi ille, qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſe ipſo faceret implendo meliorem, prius faciens excitando auidiorem.* Vides opus fuiſſe, vt Deus Angelum bonum prius faceret excitando auidiorem? Auiditas enim, veluti maior fames ſanioris ſtomachi eſt initium gratiæ, excitantis ad vlteriorem perfectionem, vt facilè colligitur ex his, quæ diximus diſputat. 30. ſect. 3. ſub initium. Vides præterea fuiſſe opus vlteriori alio auxilio, quo Deus ex ſe ipſo impleret hanc auiditatem; alioqui remanſuram fuiſſe in ſolo deſiderio inopem voluntatem quamlibet bonam.

7. Confirmatur ex Petro Abbate Cellenſi, qui clarius, quàm cæteri Patres, operantem, & cooperantem Angelorum gratiam explicuit in libro primo myſticæ expoſitionis Moſaici tabernaculi longè poſt med. dicens: *Spontanea volitione alij elegerunt bonum, alij malum: & de operante gratia (quam acceperant in creatione) ſeruata cooperantem meruerunt: quæ non ſicut ex operante iuſtificatur impius, ſed quia cooperante iuuatur ad benè volendum, & perſeuerandū pium.*

8. Secundò probatur ex Bernardo ſermone 22. in Cantica colum. 2. fine, vbi docet Iuſtitiam, & ſanctificationem Angelis, à Deo datam eſſe propter Chriſtum. Similiter Anſelmus de caſu diaboli cap. 2. 3. & 17. docet, non ſolùm circa perſeuerantiam, ſed etiam circa iuſtitiam, & ſanctitatem accipiendam, de Angelis verificari illud 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* Recolendum eſt, quod ſæpe repetimus, verba hæc *dandi* & *accipiendi* in ſacra Scriptura & Patribus ſignificare gratiam præuenientem, & operantem.

9. Tertiò probatur ex Didymo in lib. 1. de Spiritu ſancto colum. 4. vbi, Hieronymo interprete, ait, Angelos ſanctos eſſe non ex propria ſubſtantia, ſed participatione ſanctæ Trinitatis, & ſanctificatione Spiritus ſancti: quemadmodum homines ſunt ſancti. Hæc non ſolùm ſententia, ſed etiam verba, quamuis non eodem ordine, ſcribuntur in lib. citato, & fusè explicantur, & comprobantur in ſequenti contextu, aſſerendo, eſſe dona, operationem, largitionem, & communicationem Spiritus ſancti, quæ voces gratiam præuenientem, & operantem ſignificant. Eadem propè ratione noſtra concluſio colligitur ex aliis Patribus communiter; veluti ex Athanaſio epiſt. ad Serapionem de Spiritus ſancti diuinitate, propius ad finem, quàm ad medium, dicente: *Angeli & alia creatura participant de ſpiritu eius; quia ex ſe non habent, ſed aliunde capiunt; ideo ab eo, cuius compotes facti ſunt, excidere poſſunt*, & Baſilio lib. de Spiritu ſancto cap. 16. propè med. dicente: *Sanctificatio verò non eſt abſque ſpiritu. Nec enim cœlorum virtutes ſuapte natura ſanctæ ſunt. Nam ſi id eſſet, nulla re differrent à Spiritu ſancto: ſed iuxta portionem, qua ſe inuicem ſuperant, à ſpiritu habent ſanctificationis menſuram.* His ſimilia ſcribit in lib. 3. contra Eunom. verſus medium, comparans virtutes angelicas ferro, quod non à natura propria, ſed ab igne illius colorem, calorem, & actionem participat.

10. Sic etiam Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 4. titulo de Spiritu ſancto, & catheſi 16. versùs finem ait, Angelos indiguiſſe Spiritu ſancto, vt ſanctificarentur. Damaſcen. 2. Fidei c. 3. ante med. ait: *Per verbum Dei creati ſunt Angeli, & per ſanctificationem Spiritus ſancti perfecti, pro ſua dignitatis, & ordinis ratione illuminationem, & gratiam participantes.* & poſt pauca: *ſanctificationem ex Spiritu ſancto, foris à ſua ſubſtantia prouenientem habent.* Tatianus Aſſyrius ſectator Iuſtini Martyris oratione cōtra Græcos colum. 5. ait: *Verbum ante creatos homines produxit Angelos, vtraque verò creatura arbitrij ſui libertati permiſſa eſt, boni rationem, non ſibi natiuam, ſed apud Deum ſolum repoſitam habens.*

11. Gregorius in 1. Regum cap. 2. ad illud Cantici: *Nec enim eſt alius extra te*, ait: *Subauditur ſanctus. Extra eum ſanctus aliquis eſſet, ſi abſque dono Vnigeniti, ſanctificationis ſpiritum habere potuiſſet; ſed quis hoc aſſerere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam conſtat? Scriptum quippe eſt: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorū.* & poſt pauca: *ſi ergo etiam Angeli ſanctificati creduntur in Filio; multò magis de hominibus creditur, quia extra eum ſanctificationis gratiam inuenire non poſſunt.* Conſonat Laurentius Iuſtinianus ſerm. de Aſſumptione B. Mariæ prope fin. dicens: *Fructus ventris Mariæ ciuitatem cæleſtem fundauerat ſanctitate, exultatione, & iubilo.* Loquitur autem non ſolùm de hominibus, ſed etiam de Angelis, vt conſtat ex contextu. Eandem concluſionem probant, quæ pro ſecunda & quarta concluſione fundamenta ſunt adducenda.

12. Secunda concluſio. Angeli, vt perſeuerarent in gratia, indiguerunt præueniente auxilio operante.

Ad perſeuerandum indiguerunt præueniente auxilio.

Probatur primò ex Auguſtino de correptione & gratia c. 11. poſt med. dicente: *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quando primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, vt ſine diuino adiutorio poſſet manere, ſi vellet; non vtique ſua culpa cecidiſſent; adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.* Loquitur autem præcipuè de præueniente atque operante adiutorio, vt notauimus ſect. 1. num. 11.

13. Nazianzenus oratione de Chriſti Natiuitate versùs med. de Angelis ita loquitur: *Secundi ſplendores regati ſunt, & ſit quidem animus, dicere, Angelum immobiles, atque ad bonum duntaxat agitationem, ac propenſionem habentes, vtpotè Deum circumſtantes, ac primario Dei fulgore collucentes. Verum vt non omnino immobiles, ſed ægrè mobiles exiſtimem, ac dicam, mihi perſuadet ille ob ſplendorem Lucifer, qui propter ſuperbiam caligo effectus eſt, & ſubiecti ei rebelles Angeli, qui per boni fugam vitij architecti eiuſdémque nobis auctores extiterunt.* Pondera agitationem, ac propenſionem ad bonum eſſe gratiam præuenientem, & excitantem ad actiones pietatis, quæ ſolæ apud Patres intelliguntur nomine boni ſimpliciter dicti. Præterea Dei fulgore collucere Angelus non potuit, niſi per diuinam illuſtrationem, quæ ſimiliter eſt gratia præueniens.

14. Fulgentius lib. 2. ad Thraſymundum Regem cap. 3. in principio ait: *Ipſa igitur etiam homini reparando fuit neceſſaria, quæ non alia ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi illa quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Vna eſt in vtroque gratia operata, in hoc vt ſurgeret; in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur; in iſto, vt ſanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit; illum infirmari non ſinit. Illius eſca, iſtius medicina.* Conſidera primò, illud *gratia operata.* Deinde perpendo, vt homo ſurgeret, præuenientem, & operantem gratiam fuiſſe neceſſariam; eodem Fulgentio teſte multis in locis. Quapropter cùm dicens, eandem gratiam fuiſſe neceſſariam, vt Angelum à ruina cuſtodiret, conſequens

ſequens eſt; vt non ſolùm cooperantem, ſed etiam operantem, & præuenientem exiſtimet fuiſſe neceſſariam.

15. Eodem argumēto noſtra cōcluſio colligitur ex Gregorio, & Bernardo. Nam Gregorius hom. 14. in Ezech. propius ad med. quàm ad princip. ait: *Vnigenitus Patris, qui ſurſum eſt firmitas Angelorum, ipſe deorſum factus eſt redemptio hominum. Illis fortitudo, ne cadant, nobis adiutorium, vt ſurgamus poſt caſum.* Bernardus autem ſerm. 22. in Cantica col. 3. fine ait: *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur, ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens; & hac ratione fuit aquè vtique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.*

16. Anſelmus in dialogo de caſu diaboli cap. 2. 3. & 17. docet, in Angelis etiam quantum ad perſeuerantiam verificari illud 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* ſupponitque quaſi certum, Angelos qui ceciderunt, ſtare non potuiſſe, niſi à Deo per gratiam acciperent perſeuerantiæ donum. Quo ſuppoſito, aſſerit, non per Deum, ſed per eorum prauam voluntatem ſtetiſſe, quominus illud acciperent.

17. Conſequenter ad hæc Magiſter 2. diſt. 5. in cap. penult. ait: *Apertè ergo peccantium culpa in hoc deprehendi poteſt, quia licet ſine gratia nequirent proficere, quam nondum acceperant; per id tamen, quod eis collatum erat in creatione, poterant non cadere, id eſt, ſtare.* Cui ſententiæ, aut expreſſè, aut tacitè conſentiunt ibi communiter Scholaſtici, vt ſanctus Bonauentura, Ricardus, Ægidius, Durandus, & alij. Videtur autem, eos loqui non ſolum de gratia cooperante, ſed etiam de operante, atque præueniente, propter ea, quæ citauimus ex aliquibus Scholaſticis pro concluſione prima. Clarius autem eam ſententiam docet Alex. 2. p. q. 19. membro 2.

18. Obiicies aliquos Patres aſſerere Angelos per liberum arbitrium ſtare potuiſſe. Ergo non indigebant præueniente, & operante gratia, vt perſeuerare poſſent. Antecedens probatur. nam Baſilius homil. 9. quòd Deus non ſit author malorum inter medium & finem, ſic loquitur: *Vnde iniquus eſt homo? ex ipſius libera voluntate: vnde malus diabolus? ex eadem penitus cauſa. Habebat enim & ipſe liberam vitam, & inſitam ſibi poteſtatem, aut Deum ſequendi, aut à bono diſcedendi. Gabriel Angelus à Deo iugiter ſtetit. Satan item Angelus ex ordine ſuo prorſus cecidit, & illum propria voluntas in cœlo retinuit; hunc verò voluntatis libertas cœlo deiecit. Poterat enim & ille à Deo deficere, & iſte non excidere. Sed illum inſatiabilis dilectio Dei ſeruauit: hunc à Deo relictum eſſe, oſtendit per peccatum alienatio.*

19. Leo 1. epiſt. 93. ad Turibium Aſturicen. cap. 6. ait: *Deus, qui vniuerſitatis eſt conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus eſſet, ſi in eo quod factus eſt permaneret. Sed quia naturali excellentia malè vſus eſt, & in veritate non ſtetit, non in contrariam tranſiit ſubſtantiam, ſed à ſummo bono, cui debuit adhærere, defecit.*

20. Reſpondetur hæc, & ſi quæ ſunt alia id genus teſtimonia Patrum, intelligenda eſſe, præſuppoſito auxilio diuinæ gratiæ, cuius mentionem facere expreſſam quandoque non oportuit: aut ſaltem opus non fuit; vt ſolummodò inſiſteretur in Angelorum libertate probanda, quæ ſola fuerit cauſa cadendi; cùm tamen Deus malorum cauſa non fuerit.

Confirmatur primò generaliter, quoniam hac ratione Auguſtinus ſeipſum excuſat aliquando, quod poteſtatem boni aſſeruerit non facta mentione gratiæ, vt vidimus ſuprà diſput. 27. ſect. 6. probat. 2.

Secundò peculiariter, quod attinet ad Baſilium, confirmatur. nam de homine, atque de Angelo eodem modò loquitur; hominem verò ad perſeuerandum indigere diuina gratia, nec Baſilius, nec Catholicorum alius dubitabit. 21.

Tertiò, quod Baſilius aſſerit, *dilectio Dei ſeruauit*, refertur ad charitatis actum, qui ſine diuina gratia eſt impoſſibilis.

Quartò tam Baſilius, quàm Leo toties alibi generaliter prædicant neceſſitatem gratiæ præuenientis ad bonum, vt dubitari non poſſit, quin mente retineant hoc idem, quando illud verbis non exprimunt.

Denique Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 16. ante medium ait: *Quæ alia poſſit eſſe confirmatio, quàm in ſanctimonia perfectio, confirmationis verbo ſignificante conſtantiam, immutabilitatem, ac ſoliditatem in bonis. Sanctificatio verò non eſt abſque Spiritu.* & poſt pauca: *Conſeruant autem dignitatem per perſeuerantiam in bono, habentes quidem in eligendo liberum arbitrium; nunquam tamen ab eis, qui verè bonus eſt, conſpectio excidentes, vt ſi ſubtraxeris Verbo Spiritum, pereant Angelorum chorea & ſanctificatio.* His planè Baſilius docet, Spiritus ſancti gratiam, vt perſeuerarent Angeli, fuiſſe neceſſariam. 22.

Tertia concluſio. Angelis vt perſeuerarent, non erat neceſſaria noua gratia præueniens, & operans, & multo minus neceſſaria erat ſpecialis gratia præueniens, & operans: ſed ſatis erat primum auxilium præueniens, & excitans, illis ex communi lege, atque prouidentia debitum. 23. *Angelis vt perſeuerarent ſatis erat primum auxilium.*

Explicatur & probatur primò, quia quandiu durat prima gratia præueniens, aut actus ſupernaturalis virtute illius elicitus retinet intenſionem, atque dulcedinem ſufficientem, ad ſuperandas difficultates, non eſt opus alio nouo auxilio præueniente, vt diximus diſp. 41. At verò quoniam Angeli ſunt naturali ingenio inflexibiles, & quoniam tota duratione viæ infallibiliter retinent primum decretum liberum; fit inde, vt ſemper durauerit in eis ſaltem ille primus actus ſupernaturalis, elicitus virtute gratiæ præuenientis, & donauerit tota intenſione, & dulcedine, quantam ab initio habuit, & quanta ſatis erat, vt omnes malorum ſuggeſtiones, & rationes ſuperare potuiſſent. 24. *Probatur primò.*

Vnde ſumitur ſecunda ratio, quoniam qui totam durationem vitæ claudunt vnica operatione ſupernaturali, ſicut non indigent alia operatione, ita non indigent alio auxilio excitante vltra primum. 25. *Secundò.*

Tertia ratio eſt. nam charitatis actus perfectus quoad extenſionem explicitam, appetit formaliter & expreſſè perpetuitatem, & augmentum poſſibile vnionis cum Deo in quocunque euentu. At verò Angeli à principio habuerunt explicitum, & perfectum actum charitatis, prædicto modo perfectionis volentes expreſſè, & deſiderantes, quidquid quidditatiuè, & implicitè includitur in actu charitatis. Quapropter per illum ſufficienter excitabantur ad perſeuerandum. 26. *Tertiò.*

Confirmatur. hæc enim extenſio, atque perfectio charitatis, eſt illa auiditas boni, quam neceſſariam duxit Auguſtinus, vt Angeli ſe poſſent facere meliores in lib. 12. de ciuitate cap. 9. præſertim illis verbis: *Ex ſe ipſo faceret implendo meliorem, priùs excitando auidiorem.* Hanc autem auiditatem non fuiſſe denuo infuſam; ſed in ipſa creatione 27.

 inditam,

inditam, colligitur ex contextu ſequenti, vbi Auguſtinus, quærens huius auiditatis, & bonæ voluntatis initium, concludit, non fuiſſe aliud, niſi Deum, qui Angelos *cum caſto amore, quo illi adhærerent, creauit ſimul in eis condens naturã, & largiens gratiam*, Sic etiam Petrus Cellenſis Abbas loco citato ſuprà num. 7. non aliam gratiam operantem requirit, vt Angeli mererentur cooperantem, iuuantemque ad perſeuerandum, niſi eam, quam acceperant in creatione.

28\. Hæc non ſolùm probant, nouum auxilium non fuiſſe neceſſarium; ſed à fortiori cõcludunt etiam, ſpeciale auxilium non fuiſſe neceſſarium. Quia omne ſpeciale nouum erit, hoc eſt, diſtinctum ab eo auxilio, quod omnibus Angelis in prima creatione communi lege collatum fuit. Nihilominus aliæ ſunt etiam rationes peculiares, quæ probant, Angelos non indiguiſſe ſpeciali auxilio ad perſeuerandum; hæ autem ſunt, quæ hoc ipſum probant de primis parentibus in ſtatu innocentiæ ſuprà ſect. 1. concl. 3. nimirum, quia nulla ignorantia, nullâve repugnantia, & rebellione partis inferioris contra ſuperiorem, nullis denique laboribus, aut difficultatibus impediebantur Angeli quominus perſeuerarent in accepta gratia, ſi vellent. Quæ rationes vigerent, etiamſi noua gratia operans fuiſſet Angelis neceſſaria.

29\. Hanc igitur concluſionem tertiam, & nihil contra ſecundam tradere intendunt Doctores, qui dicunt, Angelos non indiguiſſe auxilio præueniente ad perſeuerandum, id eſt, non alio nouo; ſed ſatisfuiſſe primum, cuius vel actualiter exiſtens realitas, vel ex illa relicta virtus ſemper durabat. Sic intelligo Bellarm. lib. vnico de gratia primi hominis, c. 4. col. vltima & de gratia & libero arbitrio lib. 2. cap. vltimo, §. *denique*.

SECTIO IV.

Neceſſitas gratiæ præuenientis in via ſingulas quaſque comprehendit ſupernaturales Angelorum operationes.

1\. *Angelorum via vnico inſtanti terminata.* QVamuis tota illorum via vnico fuerit inſtanti terminata, hoc eſt, vnica operatione, nihilominus poſſibilis fuit intra hanc ipſam temporis morulam multiplicitas operationum ferè innumerabilium; quæ licèt, non omnes ſimul potuerint exiſtere in eadem morula temporis; quælibet tamen illarum diuiſiuè potuit exiſtere, ſiue ſola, ſiue ſimul coëxiſtentibus aliis paucis, aut multis operationibus, de quo non curo in præſenti: ſatis enim eſt hanc vnicam concluſionem ſtatuere: *Omnes Angelorum operationes gratia indiguerunt.* Nulla illarum operationum ſine præueniente, & operante gratia potuit concipi, ſi erat vtilis ad finem ſupernaturalem conſequendum.

2\. Probatur primò ex S. Thoma 1. part. q. 62. art. 2. cuius verba ponderauimus ſect. præcedenti concl. prima. Nunc ſolummodo aduertendum eſt, quamcunque operationem ſupernaturalem continere conuerſionem ad beatitudinem ſupernaturalem, de qua S. Thomas loquitur ibi. Conſonat Magiſter 2. diſt. 5. c. 3. vbi de Angelis ſic loquitur: *Si autem quæritur, vtrùm poſt creationem conuerſis aliquid collatum ſit, per quod conuerterentur, id eſt, diligerent Deum? Dicimus, quia in eis eſt collata gratia cooperans, ſine qua non poteſt proficere rationalis creatura ad meritum vitæ. Cadere enim poteſt per ſe, ſed proficere non poteſt ſine gratia adiuuante.* Hic autem expreſſo nomine gratiæ cooperantis, tacitè præſupponit præuenientem & operantem, quam per ſe & neceſſariò prærequirit gratia cooperans; præſertim cùm eadem ſit ratio Angelorum & hominis in ſtatu innocentiæ; de quo in eodem lib. 2. ſententiarum diſt. 29. initio pronunciat: *Non habebat, quo pedem mouere poſſet ſine gratia operantis, & cooperantis auxilio.*

Quapropter S. Bonauentura, Ægidius, Ricardus, & Gregorius admittentes prædictam ſententiam Magiſtri in 2. diſt. oct. 29. vt retulimus ſect. 1. prope finem, & rurſus in 2. diſt. 5. nihil contrarium ſentientes de Angelis, videntur ſupponere, propter rationis paritatem de omnibus eodem modo eſſe ſentiendum. Clarius autem locutus eſt Alexander 2. p. q. 19. mem. 2. Magis ad rem Ricardus 2. diſt. 24. art. 1. q. 4. ad 3. explicans teſtimonium Anſelmi, quod infrà n. 6. referemus, de quacunque humana & Angelica voluntate decernit, ad actum volendi finem, qui eſt primus voluntatis actus, non eſſe determinatam à ſe ipſa; ſed à creante: quamuis ad cæteros actus voluntas ſeipſam determinet: cuius ſententiæ idem Doctor concordat in 2. diſt. 25. art. 3. quæſt. 2. corpore. 3.

Huius ratio à priori eſt illa generalis neceſſitas primi mouentis extrinſeci, ad inchoandam deliberationem, quam fusè tradidimus tota diſp. præcedenti, quam doctrinam, nunc ad Angelos applicatam confirmabimus teſtimoniis Patrum. 4. *Ratio à priori.*

Auguſtinus igitur 12. de Ciuitate cap. 9. poſt medium, ex profeſſo inueſtigans initium bonæ voluntatis, qua boni Angeli voluerunt ſeipſos facere meliores, docet initium fuiſſe, quia Deus *bonam voluntatem prius facit excitando auidiorem, vt poſtea faciat implendo meliorem.* Quam aſſertionem confirmat hoc dilemmate: *Nam & hoc diſcutiendum eſt, ſi boni Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam, vtrùm aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt. Si aliqua, vtrùm mala, an bona? ſi mala, quomodo eſſe potuit mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? ſi bona, iam ergo habebant; & iſtam quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creauit, ſimul in eis, condens naturam, & largiens gratiam?* Si horum fiat collatio cum aliis verbis, quæ ex eodem cap. 9. retulimus ſect. præcedenti concl. 1. Clarius conſtabit, Auguſtinum agere de prima gratia, excitante Angelos per auiditatem melioris boni; & ſine hoc deliberationis ſupernaturalis exordio nullam potuiſſe ab illis concipi ſupernaturalem operationem, qua in bono proficerent. 5.

Prædictum verò deliberationis exordium, primamque volitionem eſſe debere deſiderium beatitudinis in communi, atque illud eſſe impoſſibile, niſi conferatur à Deo: Angelos denique hoc hoc deſiderio, ita collato, nullam poſſe volitionem elicere, probat Anſelmus in lib. de caſu diaboli toto cap. 12. præſertim poſt medium, hac ratione: *Quia nullus trahitur amore alicuius commodi, ad volendum aliquid, niſi prius habeat naturalem voluntatem vitandi incommodum, aut habendi commodum; qua voluntate ſe moueat ad alias voluntates. Dic ergo, quia quidquid ſe mouet ad volendum, priùs ſe vult ita mouere. Quod ergo nihil vult, nullo modo poteſt ſe mouere ad volendum.* Vnde concludit: *Reſtat igitur, vt ille Angelus, qui iam aptus factus eſt, ad habendam voluntatem, ſed tamen nihil vult, non poſſit habere primam voluntatem à ſe.* 6.

Poſtea docet, hanc primam voluntatem eſſe de beatitudine in communi, pro vt ab omnibus diligitur, tam ab iniuſtis, quàm à iuſtis. Quæ verba 7.

in

in præſenti prætermittamus, quoniam ſunt ſcripta ſuperiùs præcedenti diſp. ſect. 2. num. 9. Denique totius diſcurſus præcedentis in cap. 12. concluſionem ſupremam elicit Anſelmus in principio ſequentis capitis 13. his verbis: *Dicamus ergo, Deum illi dare primùm ſolam beatitudinis voluntatem, & videamus an idcirco, quia accepit aliquam voluntatem, iam ſe poſſit ipſe mouere ad volendum aliud, quàm quod accepit velle.* Cui quæſtioni partim affirmando, partim negando reſpondet. Aſſerit enim cætera omnia, quæ vult, eſſe bona particularia, ad quæ volenda ſe determinat propter indltam à Deo voluntatem beatitudinis in communi, quam in ſingulis bonis particularibus amat, & ſine qua non poſſet aliquod particulare bonum diligere.

8. Damaſcenus in Dialogo contra Manichæos inter principium & medium de Angelis docet id, quod de hominibus etiam intelligendum eſſe conſtat ex toto ſequenti diſcurſu vſque ad finem dialogi, dicens: *Semper à Deo tum vt ſint, tum vt vitalem & intellectualem in modum moueantur, accipiunt.* Moueri autem intellectualem in modum eſt operationes intellectus, & voluntatis elicere. Idque illuſtrat ſimilitudine trochi, quem impoſſibile eſt moueri, niſi impellatur: ſi autem ſemper impellatur, ſemper mouebitur. Hoc autem intelligere non de ſupernaturali, ſed de naturali amore boni, & beatitudinis, non in particulari, ſed in communi, facilè conſtat primò, quoniam in eodem dialogo propinquius ad finem, quàm ad medium ſæpe docet, in poteſtate libera voluntatis ſitum eſſe, peccata committere, vel cauere, & conſeruare bona à Deo accepta, vel negligere: vt retulimus tomo de ſcientia Dei diſp. 42. ſect. 4. Secundò, etiam multo propinquius ad finem, quàm ad medium, ait: *Deus diabolo ſemper bona prabet, verùm ille accipere recuſat.* Quod dicit propter generalem motionem & perpetuam cognitionem, & perpetuum amorem veri boni, quos impetus diabolus detorquet ad malum. Tertiò, quoniam hanc ipſam doctrinam continuò extendit ad homines damnatos.

9. Idem Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. ſub initium ita definit: *Angelus eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis ſua poteſtatis, arbitrioque libera.* Quod S. Thom. 1. part. quæſt. 50. art. 1. ad 2. ita interpretatur: *Motus ibi accipitur, prout intelligere, & velle motus quidam dicuntur. Dicitur ergo Angelus, ſubſtantia ſemper mobilis: quia ſemper eſt actu intelligens, non quandoque actu, & quandoque potentia, ſicut nos.*

10. *Angelorum neceſſitas perpetuò eliciendi aliquam intellectionem, & volitionem.*

Prædictam neceſſitatem eliciendi perpetuò intellectiunculam aliquam, & volitionem, ita vt impoſſibile ſit, ab omnibus collectiuè ceſſare, de Angelis probant rationes eædem, quæ de hominibus probauerunt præced. diſp. ſect. 7. Sed vltra illas ſunt aliæ vrgentiores in Angelo, quarum prima eſt, quoniam ab actionibus intellectus & voluntatis Angelus non impeditur ſomno, labore, fatigatione, morbo, aut ætate. Deinde ſua libera voluntate tanto minus, quàm homo poteſt appetere ceſſationem ab omni actu, quanto eius intellectus, quoad naturalia perſpicacisſimus, minus poterit deludi apparenti aliqua ratione boni, propter quam appetat, omittere ſuam qualemcunque naturalem felicitatem, quæ poſita eſt in actuali operatione intellectus & voluntatis.

Naturalis felicitas.

11. Secunda ratio eſt, quia ſi Angelus liberè ſuſpenderet omnem operationem intellectus, & voluntatis, eo ipſo in æternum redderet ſibi impoſſibilem quancumque actualem operationem: niſi Deus ſpeciali prouidentia repeteret primam excitationem naturalem, quam in primo inſtanti creationis contulerit. In qua impoſſibilitate Angeli à nobis differunt; nos enim ab obiectis excitamur ad ſentiendum, vel intelligendum: Angeli verò non item. Deinde à voluntate non poterat excitari Angelicus intellectus, quoniam voluntas nihil operatur, niſi ab intellectu directa & excitata: vnde vt ad intellectionem aliquam excitet, ſupponit aliam priorem intellectionem.

12. *Angeli ſe, & Deum neceſſariò cognoſcunt, & diligunt.*

Illud etiam in hoc genere peculiare habent Angeli ſupra homines, quoniam non ſolùm ad aliquam intellectionem, & volitionem vagè excitantur à Deo, vt authore naturæ; ſed etiam ad aliquam intellectionem, & volitionem determinatam, & in particulari, perpetuò, atque neceſſariò retinendam, videlicet, cognitionem, & qualemcunque amorem ſui, atque Dei, vt authoris naturalis: vt fuſiùs tractauimus 1. part. quæſt. 58. art. 2. ſect. 1. Cæterùm ſi fortè ab aliquo negetur hanc cognitionem, & amorem eſſe neceſſarios in particulari, atque determinatè: ad præſens inſtitutum ſatis eſt illa vaga neceſſitas, quæ in Angelo debet eſſe indubitata.

13. Denique Angelos indiguiſſe dono, largitione, operatione & communicatione Spiritus ſancti ad ſingula quæque ſupernaturalia opera, colligi potuiſſet ex Didymo lib. 1. de Spiritu ſancto col. 4. collata cum ſequentibus. Sed in his non eſt immorandum.

14. Ad explicandam concluſionem in principio propoſitam, notandum eſt, Angelos non indiguiſſe noua gratia operante, atque præueniente vltra eam, quam in prima iuſtificatione acceperunt. Cuius virtus, atque motio, perpetuò durans toto tempore viæ, ſatis erat, vt ſingulas quaſque ſupernaturales operationes poſſent concipere, cooperantibus ſimul habitibus gratiæ, & cæteris auxiliis cooperatiuis, quæ retulimus tota diſp. 36. Hæc explicatio colligitur apertè ex præcedenti ſect. concl. 3. nec alia indiget probatione.

15. *Gratia, & gloria Angelorum perfectioni commenſurata.*

Occaſione totius doctrinæ, quam in hac & præcedenti ſectione probauimus, occurrere poteſt dubitatio. Qua ratione commenſurata fuerit gratia, & gloria perfectioni naturali vniuſcuiuſque Angeli, ita vt quantùm quiſque alium naturæ dignitate præcellebat, tantum excederet donis ſupernaturalibus gratiæ & gloriæ. Nam ſi conatus merè naturales attenderentur ad gratiam, prompta foret huius commenſurationis ratio: ſi verò ſolummodo attenduntur conatus, eliciti pro menſura præuenientis, & cooperantis gratiæ, & pro vniuſcuiuſque libera electione, difficile videtur rationem oſtendere, qua hæc commenſurata proportio fuerit obſeruata. Sed de hoc diximus ſatis in proprio loco, videlicet 1. part. q. 62. art. 6.

SECTIO V.

De Sanctiſſima Deipara, dum erat in via, de quibuſcunque Beatis in patria, nec non de Chriſti Domini humanitate.

1. *Dei genitrix ad quaſcunque ſupernaturales ope-*

PRima concluſio ſit, Sanctiſſimam Virginem indiguiſſe operante, atque præueniente gratia, non ſolùm ad primam ſanctificationis recipiendæ diſpoſitionem; ſed etiam ad quaſcunque

ſuper

Digitized by Google

rationes indigais præueniente gratia.

ſupernatutales operationes, atqne ad toram perſeuerantiam. Hæc concluſio noo alia probatione indiget, quàm eiſdem, quibus in quatuor ſectionibus præcedentibus oſtendimus, primos parentes in ſtatu innocentiæ, omneſque Angelos in via eiuſmodi gratia indiguiſſe. Atque ita ſupponunt Doctores Scholaſtici, qui de eximiis Beatæ Matiæ meritis magis exactè tractarunt.

2. *Noua gratia præueniente indiguit nūquam.*

Secunda coocluſio. Noua gratia operante, atque præuenieote, veriſimilius eſt, indiguiſſe nunquam: quoniam primæ gratiæ operantis, & præuenientis, quam habuit à primo inſtanti conceptionis, vel certè alterios, quàm habuerit à primo inſtanti vſus rationis, virtus, & motio ſine vlla vnquam intermiſſione viguit, in dies accipiens incrementa maiora. Quapropter rationes, quæ in ſect. 3. concl. 3. probant, Angelis nouam gratiam præuenientem, aut operantem non fuiſſe neceſſariam; eædem fortiorem vim habent in Beatiſſima ſemper Virgine, quippe quam diuina gratia repleuerat incompatabiliter abundantius, quàm Angelos; & aliunde nihil impediebat, aut retardabat, quominus diuinæ gratiæ cooperaretur quantum poſſet.

3. *Quando capiebat ſomnū diuina vacabat contemplationi.*

Explicatut magis, & confirmatut. nam Beatiſſima Virgo non ſolùm quandiu vigilabat, ſed etiam quādo capiobat ſomnum, vitæ neceſſarium, intenta etat diuinæ contemplationi, ſiue per ſcientiam per ſe inſuſam, ſiue alia quacunque ratione; vt ſapienter ſcribit Suatez tom. 2. diſp. 18. ſect. 2. dicto 4.

4. Quòd ſi fortè per ſomnum, vel quacunque alia ratione Beatiſſima Virgo intermiſerit omnem ſupernaturalem operationem, non eſt dubitandum, quin eguerit noua gratia præueniente, & operaote, vt eius intenſiſſimi habitus acciperc poſſent exordium ſupernaturalis operationis. Nam ioeo caſu vim ſuam retinent rationes quas attulimus tota diſp. 41. & 42. quaſque ad primos parentes in ſtatu innocentiæ applicuimus ſect. 1. concl. 2.

5. *Copioſiſſimis gratys excitabatur.*

Cæterùm citra prædictam indigeotiam nouis & copioſiſſimis ſemper præuenientibus, & operantibus gratiis Beatiſſima Virgo excitabatur à Deo, maximè verò Annunciationis, Natiuitatis, Paſſionis, atque Reſurrectionis temporibus, & in Pentecoſte, ac toto ſequenti vitæ decurſu.

6. *Beatis neceſſaria eſt præueniens, & operans gratia.*

Tertia concluſio. Angeli etiam in patria, cæterique omnes Beati nullam ſupernaturalē actionem poſſunt elicere ſine præueniente, atque operante Spiritus ſancti gratia. Ita Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 16. circa medium, ait: *Quomodo ergo dicent Angeli: Gloria in excelſis Deo; niſi à Spiritu accepta poteſtate? nemo ſiquidem poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto.* Nota phraſim, gratiæ præuenientis, & operantis propriam, vt vidimus ſuprà diſp. 24. ſect. 1. & poſt pauca ſubdit Baſilius: *Quemadmodum ſi in nocte tollas lucernam è domo, ſupereſt vt nihil videant oculi, nihil operentur virtutes, ne agnoſcatur rerum dignitas, ſed per ignorantiam aurum perinde conculcetur, ac ſi ferrum eſſet: ita in intelligibili gubernatione impoſſibile eſt, illam inſtitiam manere viſam abſque Spiritu: nihilo profectò magis, quàm exercitus in recto ordine manere poteſt abſente duce, aut chorus in conſonantia, niſi adſit chori præfectus, qui temperet harmoniam. Qui poſſint dicere Seraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, niſi docti per Spiritum! quoties pium eſt hunc glorificationis hymnum canere; ſiue igitur laudant Deum omnes Angeli eius, ſiue laudant omnes virtutes eius, per Spiritus inſtinctum fit.* Nota inſtinctum, qui refertur ſemper ad actualem gratiam præuenientem, & operantem, quam etiam ſignificare ſolent illa verba, docere, gubernate, aliaqoe ſimilia, quæ tam in fragmento citato, quàm in præcedenti, & ſequenti contextu ad eiuſdem veritatis confirmationem interſeruntur.

Sic habet.

Concioit Laurentius Iuſtinianus lib. de vita ſolitaria cap. 16. verſ. finem; vbi poſtquaio enumerauit miniſteria, quæ Angeli beati circa homines viatores per eximiam charitatem exercent: *Vniuerſa,* inqoit, *hæc agunt in Spiritu, diſponente Patre, Verbo inſinuante, dirigente Paraclito, trahente pietate, gratiáque cogente.* Quæ verba denotant planè ſancti Spiritus inſtinctum, quem nuper Baſilius docebat. 7.

Quarta coocluſio. Beatis in patria, ſiue hominibus, ſiue Angelis, alia noua gratia præueoiente, operante, ſeu excitante opus non eſt ad ſingula quæque ſupernaturalia opera, præter illam ipſam, qua formaliter conſtituuntur beati. Nam viſio beatifica eſt illuſtratio intellectus, incomparabiliter ſuperans vim, & efficacitatem alterius cuiuſque illuſtrationis poſſibilis: & qui ex illa neceſſariò ſequitur amor, ac delectatio ſeu fruitio, incomparabiliter ſuperat quamcunque aliam poſſibilem boni concupiſcentiam, atque ſuauitatem, quibus excitetur voluntas, vt promptiſſimè velit, & exequatur, quæcunque ad diuinum obſequium pertinere conſtiterit, præſertim cùm beatos nulla poſſit retardare difficultas. 8.

Illis ſufficit viſio beatifica.

Hanc concluſionem reſpexiſſe videtur Baſilius in citato lib. de Spiritu ſancto cap. 16. circa medium dicens: *Throni verò, & Dominationes, Principatus, & Poteſtates, quomodo beatam illam vixiſſent vitam, niſi ſemper viderent vultum Patris, qui in cælis eſt? at viſio non eſt abſque Spiritu.* Quibus ſignificat in viſione beatifica, quaſi in primo principio, atque radice contineri totum illum inſtinctum, motionem, gubernationem, poteſtatem, atque doctrinam, ſine quibus ibidem docet, beatos Angelos non poſſe exercere illas, quas numerat operationes. 9.

Quinta concluſio. Humanitas Chriſti Domini præueoiente & operante gratia indigebat. Hanc concluſionem multis ſacræ Scripturæ teſtimoniis Baſilius probat in dicto libro de Spiritu ſancto cap. 16. poſt medium dicens: *Quæ circa Chriſti in carne aduentum diſpenſata ſunt, per Spiritum geſta ſunt omnia. Primò enim adfuit ipſi carni dominicæ, dum ille factus eſt vnctio, & inſeparabiliter coniunctus, ſicut ſcriptum eſt: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum: hic eſt Filius meus dilectus, &c. Ieſum Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu ſancto. Deinceps omnis actio præſente Spiritu ſancto peragebatur. Hic aderat ſimul, quum & à diabolo tentaretur. Sublatus eſt, inquit, Ieſus à Spiritu in deſertum, vt tentaretur. Tum edenti miracula ſimul aderat. Si enim, inquit, in Spiritu eiicio dæmonia. Nec deſeruit excitatum à mortuis. Dominus enim qui renouabat hominem, eique reddebat gratiam, quam ex afflatu Dei acceptam amiſerat, inſpirans in faciem diſcipulorum, quibus ait: Accipite Spiritum ſanctum,* &c. 10.

Chriſti humanitas præueniente, & operante gratia indigebat.

Similia Scripturæ teſtimonia eodem planè ſenſu profert Athanaſius, atque eadem mente ponderat in epiſt. ad Serapionem, cui titulus eſt: *Spiritum ſanctum non eſſe creaturam* colum. 3. & ſequentibus. Ex his vnum aut alterum ponderate ſatis erit, ſupponendo de prima illa operatiooe, quam Chriſtus Dominus exercuit, quando à Spiritu ſancto manifeſtatus in Baptiſmate, prodcbat 11.

io

in campum cum dæmone certaturus, quaſi de exemplari cæterarum operationum explicatum eſſe ab Euangeliſtis, quo duce, impulſore, & authore fuerit facta: idque magno Spiritus ſancti conſilio, vt eundem firmiter crederemus ducem, authorem, & impulſorem fuiſſe cæterarum Chriſti operationum.

12. Hoc ſuppoſito attende ſingulorū verba Matth. 4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum a Spiritu.* Marci 1. *Expulit eum Spiritus.* Lucæ 4. *Agebatur in Spiritu.* & in primis ducatum præbere proprium eſſe præuenientis, & operantis gratiæ, conſtat ex diſp. 29. ſectione 2. versùs finem, & ex variis teſtimoniis Patrum, in diſp. 30. & 31. citatis. Deinde expulſus eandem actionem eiuſdem agētis ſignificat, quam impulſus, eo tantum diſcrimine, quòd expulſus refertur ad terminum à quo; impulſus verò ad terminum, ad quem: porrò impulſum eſſe propriam operantis, & præuenientis gratiæ vim, & influxum dubitabit nullus.

13. Denique verbum illud, *agebatur a Spiritu*, clariùs ſignificat præuenientem & operantem gratiam, quam Auguſtinus, Zoſimus Papa, & Cœleſtinus, aliique quamplurimi Patres (citati ſuprà diſp. 18 ſect. 4. & fuſiùs citandi tomo ſequenti) intelligunt in id Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Quæ verba ſi de adoptiuis filiis verificantur; multo potiori iure verificanda erunt de Filio naturali ſecundùm eam naturam, in qua duci, & agi poterat à diuinitate, vt in hoc, ſicut in cæteris, eſſet omnium filiorum exemplar.

14. Vnde Origenes homil 29. in Lucam. *Accepto,* inquit, *Baptiſmo, Saluator plenus Spiritu ſancto, qui ſuper eum in ſpecie columba de cœlis venerat, ducebatur à Spiritu: quia enim, quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei; iſte autem extra omnes propriè Filius Dei erat, ideo, & ipſum oportebat, Spiritu ſancto duci,* &c. Eodem teſtimonio ad Rom. 8. vtitur S. Bonauentura in commentario ad cap. 4. Lucæ, vt prædicta Euangeliſtæ verba exponat.

15. Cyrillus Alexand. in lib. 1. de recta fide ad Reginas col. 12. ait: *Virtute Spiritus duci dicitur in deſertum, vt duci dicatur, non auferri, ſed potius morari, vel degere.* & poſt pauca: *Non ante ſanctum Baptiſmum tenebatur, ſed neque ducebatur Spiritu in deſertum, in figuram nobis rem ponens.* & paucis interiectis: *Tempus autem congruum erat tam honeſtis operibus poſt ſanctum Baptiſmum. Corroborabimur enim ſic Spiritus ſancti participatione, ſupernaque gratia obſignati, ad robur videlicet ſpirituale, inuictique erimus Satanæ, & quaſi in fortitudine Spiritus viuemus.* Virtute, robore, fortitudine, participatione Spiritus duci, & corroborari, circumloquutiones ſunt, quę primariò denotant gratiam præuenientem & operantem.

16. Athanaſius in nuper citata epiſt. ad Serapionem col. 3. inter proprias Spiritus ſancti operationes poſtquam numerauerat illam, quæ ſupponitur 1. Theſſalon. 5. *Spiritum nolite extinguere;* quod ita exponit: *Scilicet, ne Spiritum, qui gratiam in ipſis accendebat, extinguerent.* Accendere autem proprium eſt gratiæ excitantis; continuò ſubiunxit: *In Euangelijs verò ſi Euangeliſta loquuntur humano more de Saluatore ob carnem, quam aſſumpſit: Ieſus autem plenus Spiritu, reuerſus eſt à Iordane, aut illud, Ieſus abductus eſt à Spiritu in deſertum: eandem rationē iſta dicta in ſe continent.* Et quamuis hæc rationis identitas primariò referatur ad diuinitatem Spiritus ſancti, qua primariò probare intendebat: nihilominus Athanaſius obiter, & ex conſequēti ſupponit etiam rationis idētitatem in ea operatione, quam erga humanitatem exigebat per gratiam.

Ad eandem rem faciunt alia plurimorum Patrum commentaria, vt Hieron. Matth. 4. & Chryſoſt. ibidem homil. 13. Ambroſius lib. 4. in Lucam, Cyprian. ſerm. de tentatione & ieiunio prope initium, Theophylactus, & Euthymius Lucæ 4. Chryſologus ſerm. 11. & communiter alij Patres idem ſignificant.

De poſtremo autem totius vitæ opere, quo noſtræ reparationis ſacrificium conſummauit Dominus N. Ieſus Chriſtus, Hebræos 9. ait: *Qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo.* Vbi ſanctus Thomas præuenientem & operantem gratiam notauit his verbis: *Secundò ponit Apoſtolus cauſam, quare Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, quia hæc fuit Spiritus ſanctus, cuius motu, & inſtinctu, ſcilicet, charitate Dei, & proximi hoc fecit, Eſai 59. Cum venerit quaſi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit.* Theodoret. conſonat Hebræos 9. dicens: *Nulli reprehenſioni obnoxium illud corpus Spiritus ſanctus effecit.* 17.

Ratio à priori hæc eſt, quoniam Chriſti Domini humanitas, conſiderata ſolummodo prout erat hypoſtaticè vnita cum diuino Verbo, præſcindendo à quolibet alio ſupernaturali dono creato, non maiores vires habet, quàm eas, quæ connaturales ſunt cuicunque humanitati perfectiſſimæ intra limites naturæ humanæ. Quapropter illæ vires longè inferiores erant Angelicis, quæ tamen præueniente & operante gratia indigebant, vt vidimus ſect. 3. & 4. 18. *Probatio à priori.*

Confirmatur, quoniam quæcunque vires naturales ſunt inferioris ordinis & improportionatæ, vt exordium præbeant ſupernaturalibus operationibus.

Nec eneruatur hæc ratio, ſi reſpondeas, hypoſtaticam vnionem, & Verbi perſonam ſeipſis formaliter exhibere humanitati non modò ſanctitatem, ſed etiam infinitas vires. Nam eas vires non poſſet verbum exercere ad cauſandos actus creatos charitatis, obedientiæ, & aliarum virtutum ſupernaturalium; niſi per habitus, aut per immediatum concurſum effectiuum eleuaret potentias humanitatis. Quapropter illæ radicales & increatæ vires non auferunt indigentiam operantis & præuenientis gratiæ, quam probamus. *Quædam reſponſio refutatur.*

Sexta concluſio. Chriſti Domini humanitas non indigebat alia noua gratia præueniente, ſeu operante, vltra illam, qua ſanctiſſima illius anima conſtituebatur beata à primo ſuæ creationis inſtanti. In qua tanto fortiùs vrgent rationes adductæ pro concluſione 4. quanto beatitudo animæ Chriſti incomparabiliter exceſſit cæterorum omnium beatitudinem. 19. *Sufficiebat viſio beata.*

Septima concluſio. Si eadem ſanctiſſima humanitas aſſumpta fuiſſet à Verbo, carens viſione beatifica: tunc ad inchoandam ſeriem ſupernaturalium operationum, tam prima vice, quàm quotieſcunque de potentia abſoluta ceſſaret ab omni ſupernaturali actu, indigeret præueniente & operante gratia, vt nuper concluſ. 1. & 2. de ſanctiſſima Virgine dicebamus. Cuius ratio à priori eadem eſt, quam attulimus pro concluſione quinta. 20. *Quid ſi ſine viſione aſſumeretur.*

Et denique differentia valde notanda eſt inter Chriſti Domini humanitatem, quantumcunque præciſam à quacunque accidentali gratia; & cæteras omnes naturas intellectuales, quod humanitati Chriſti Domini cōnaturalitatis debito, 21. *Humanitati Chriſti Domini omnes gratia debebantur.*

propter

propter vnionem cum Verbo, cæteræ omnes gratiæ, tam operantes, quàm cooperantes debebantur, & illæ præſertim, quæ requirebantur, vt de facto & efficaciter diuinis præceptis ſatisfaceret, quas denegari quando vrgebat obligatio contradictionem implicabat.

DISPVTATIO XLIV.

Vtrùm præuenientis gratiæ neceſſitas ſit ita rebus intrinſeca, vt de potentia Dei abſoluta nequeat euitari.

SECTIO I.

Effectiuum concurſum cuiuſque mentis creatæ qua ratione præuenit gratia, etiam de potentia abſoluta non poteſt non præuenire.

1. *Actum ſupernaturalē ſine vlla gratia elici implicat etiam de potentia abſoluta.*

AD huius explicationem ſit prima concluſio. Etiam de potentia abſoluta eſt impoſſibile, actum ſupernaturalem elici à quacunque potentia humana, vel Angelica ſine vlla præueniente gratia vltra gratiam adiuuantem. Fundamentum eſt, quia quamuis de potentia abſoluta ſit poſſibile, fieri actum liberum, & ſupernaturalem ſine alio priori actu ſupernaturali realiter diſtincto, qui eſt gratia præueniens; vt conſtabit concluſ. 2. nihilominus eſt impoſſibile, fieri niſi Deo excitante, & mouente potentiam creatam tali peculiari concurſu, quo ſuppleat alium influxum, quem præbere debuiſſet gratia præueniens, ſi foret actus realiter diſtinctus: & huiuſmodi peculiaris concurſus Dei eſt gratia operans, præueniens, & excitans.

2. Quod vt faciliùs intelligas, accipe totam dependentiam, ſeu totum cócurſum, quo talis actus ſupernaturalis, & liber produceretur à ſolo Deo ſimul cum noſtro libero arbitrio: & in hoc concurſu diſtingue ſecundùm rationem alteram partem concurſus vitalis & liberi, prout à libero arbitrio procedit: alteram partem concurſus adiuuantis, & cooperantis, pro vt Deus ſe ſolo ſupplet defectum habitus, complendo potentiam: & tertiam partem concurſus excitantis, pro vt Deus per illum concurſum præſtat, quod de potentia ordinaria præſtaret gratia præueniens, & excitans, realiter diſtincta à conſenſu. Hæc igitur tertia pars eſt, de qua in præſenti loquimur.

3. Ex dictis naſcitur diſcrimen alterum inter huiuſmodi gratiam præuenientem, quæ daretur de potentia Dei abſoluta, & eam quæ de potentia ordinaria præbetur. Hæc enim ſæpe ſuo fine fruſtratur, eo quòd liberum arbitrium renuit conſentire vocationi: at verò gratia præueniens, de qua in prima concluſione loquimur, nunquam fruſtrari potuiſſet ſuo fine; quoniam eſſet ipſa actualis productio noſtri conſenſus liberi.

4. *Triplex modus præueniendi actum ſine gratia diſtincta. Primus.*

Secunda concluſio. Triplex modus eſt poſſibilis de potentia abſoluta, vt producatur actus ſupernaturalis, & liber ſine alia gratia præueniente, quæ fuerit actus realiter diſtinctus, & prior natura quàm conſenſus.

Primus modus eſt, ſi fidei, ſpei, & charitatis actus producantur à Deo nullis aliis actibus præcedentibus. Cæterùm in principio non ſint liberi; ſed neceſſarij; poſtea verò ſuccedente tempore, iidem actus libertate donentur per ſuperuenientem deliberationem, ratione cuius liberè eos actus continuat liberum arbitrium, cùm potuiſſet illos deponere.

Hoc autem eſſe poſſibile conſtat exemplo ſomniantium, qui poſtquam vigilauerint, poſſunt liberè retinere eoſdē motus intellectus & voluntatis, quos patiebantur ſomniantes. Imò vigilantibus ſubiti & indeliberati motus, omni libertate carentes, redduntur liberi per temporis moram, nihilo mutata eorumdem actuum phyſica entitate, aut certè quidditate, ſed ſolummodo addita poteſtate deliberandi, ac deponendi eoſdem actus, quæ poteſtas de illorum quidditate non eſt, vt vidimus diſp. 33. ſect. 3. num. 10. 5.

Hoc in caſu affirmari poterit, eoſdem actus, quatenus priùs tempore indeliberati erant, fuiſſe gratiam præuenientem, & excitantem, ad ſeipſos continuandos, quatenus ſequenti tempore futuri erant liberi & meritorij. Quoniam Deus independenter à libertate voluntatis, atque in nobis ſine nobis effecit vt exiſterent in primo inſtanti: poſtea verò, vt eorum exiſtentia non intermittatur, ſed continuetur, non ſolus Deus ſine nobis, ſed Deus nobiſcum præſtat dependenter à noſtra libertate. 6.

Duo ſequentes modi in eo diſtinguuntur à primo, quod ſecundum illos nullus actus abſolutè, & ſimpliciter neceſſarius, & non liber præceſſerit ante liberos actus fidei, ſpei, & charitatis, & nihilominus illi omnes, qui fuerint requiſiti ad iuſtificationem in ipſo primo ſuæ inceptionis inſtanti euaſerint liberi. 7.

Hæc autem ratio communis ſubdiuiditur in duas, quarum altera eſt ſecundus modus verificandi concluſionem ſecundam, videlicet, ſi aliqua communis ratio complacentiæ, delectationis, ac deſiderij neceſſariò, ac ſine libertate noſtra imprimatur à Deo, vt volūtatem impellat, ad amandam communem rationem ſupernaturalis boni vagè, & indeterminatè ad inſtar illius modi, quem circa naturales volitiones explicuimus diſp. 42. ſectione 6 & 7. Tunc enim eadem volitio ſecundùm prædictam rationem communem, & vagam eſt ſuauitas, & affectus voluntatis neceſſarius, ac non liber, atque propterea magis accommodatus, vt ſubeat munus operantis, & præuenientis gratiæ, quatenus mouet & excitat ad particularem rationem, electionis liberæ, quæ verſatur circa tale obiectum ſupernaturale, quæ motio & excitatio, quamuis non poſſit eſſe realis in genere cauſæ efficientis, quoniam verſatur inter partes eiuſdem actus ſola ratione diſtinctas; nihilominus eſt motio, & excitatio realis, & maximæ dignitatis, quia eſt in genere cauſæ formalis. 8. *Secundus.*

Idem quod dictum eſt de volitione, quæ ratione ſui formaliter eſt libera, intelligendū eſt etiam de actu intellectus, in quo diſtinguere poſſimus communem aliquam rationem illuſtrationis circa ſupernaturales veritates, quæ independenter à libera voluntatis conſenſu præbeatur, eadémque ſit ratio mouens, ad aſſentiendum veritati ſupernaturali; quæ ratio particularis aſſenſus certi, & determinati non concipiatur, niſi dependenter à libera voluntate. Hic modus præmouendi magis opportunus eſſe videtur, vt aliquando exerceatur à Deo circa homines optimè affectos, & exercitatos in virtutibus, qui ex inſtituto incumbunt 9.

cumbunt ſemper ad ſupernaturalia bona.

10. In prædicto modo ſecundo vltra eam rationem gratiæ præuenientis, operantis, & excitantis, quam explicuimus nuper, repetiuntur aliæ duæ, quas in ſequenti modo tertio explicabimus num. 13.

11. *Tertius modus.* Tertius modus erit, ſi Deus ſuo effectiuo concurſo immediatè excitet ad actum fidei, ſpei, & charitatis, & ita excitet, vt omnes ij actus in ipſo primo inſtanti fuerint liberi, & nullus alius actus præceſſerit tempore aut natura prior, neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis: inſuper quoad omnem rationem prædicti actus ſint liberi, ita vt Deus neque ad communem aliquam rationem illorum vagè, & indeterminatè impellat independenter à libero conſenſu voluntatis.

12. *Probatur.* Hoc autem eſſe poſſibile, inde conſtat, quoniam concurſum quemlibet cauſæ efficientis, præſertim ſi non ſit potentia vitalis, Deus ſupplere poteſt alio peculiari concurſu: at verò concurſus, quem præbere debuiſſet illuſtratio, & ſuauitas, quæ de lege ordinaria ſunt gratia præueniens, eſt concurſus effectiuus ſiue phyſicè, ſiue moraliter, vt vidimus diſp. 36. ſectione 4. & 5. hanc rationem rectè notauit Molina diſp. 37. fine.

Confirmatur, quoniam Deus ſolo concurſu effectiuo poteſt infallibilizare actum liberum, vt oſtendimus tota diſputatione 11. quamuis alia etiam media infallibilizantia poſſit adhibere.

13. In hoc tertio modo duæ reperiuntur rationes gratiæ præuenientis, operantis, & excitantis: altera eſt, quam notauimus in concl. prima, videlicet, diuinus concurſus ſupplens alium influxum, quem præbere debuiſſet gratia præueniens, & excitans, ſi foret actus realiter diſtinctus. Altera ratio explicatur, notando, aliud eſſe mouere, vt volitio producatur, & exiſtat in rerum natura: aliud verò mouere, vt eadem volitio liberè exiſtat. In præſenti caſu hoc habet peculiare prima volitio, vt ſolus Deus mouere potuerit ad illam, vt exiſtat: cæterùm, vt liberè exiſtat, Deus non præſtat, niſi dependenter à noſtra libertate. Quapropter diuinus concurſus præcisè ſub ea ratione, qua mouet ad illam volitionem, vt exiſtat, habebit rationem gratiæ præuenientis & excitantis.

14. *Obiectio prima.* Hæc vt explicentur magis, obiicio primò, quoniam gratia operans, & excitans continet effectiuam operationem. Hæc autem requirit realem diſtinctionem inter principium operans, ſeu excitans, atque operatum, & excitatum conſenſum liberum: at verò illa gratia excitans & operans, quam tota ſect. præcedenti diuerſis in caſibus aſſignanius, non eſt realiter diſtincta conſenſu libero voluntatis.

15. Reſpondetur primò atque principaliter. Deus eſt principium operans, & excitans ſe ſolo in quolibet caſu præſentis ſectionis, eiúſque realis diſtinctio abundè ſufficit, ad effectiuè operandum, & excitandum; quemadmodum S. Thom. 1. 2. quæſt. 111. art. 2. in priori parte corp. non dicit actus intellectus, & voluntatis eſſe gratiam operantem; ſed ait; In quantum Deus mouet humanam mentem ad interiorem actum voluntatis, præſertim ad primum, dicitur gratia operans; atque hoc eſſe poſſibile, vt Deus operantis, ſeu cooperantis gratiæ munus ſe ſolo ſubeat, vt vidimus ſuprà diſp. 36. ſect. 2.

Reſpondetur ſecundò. Fortè in rebus extra Deum reperitur etiam aliqua realis diſtinctio, ſaltem vt modi à re, per quam ille concurſus, quo Deus excitat, diſtinguatur à termino producto in facto eſſe, videlicet conſenſu libero. Sed de hoc parùm ad nos. 16.

Reſpondetur tertiò, etiam abſque effectiuo concurſu per ſolum genus cauſæ formalis admitti potuiſſet gratia operans ſecundùm doctrinam S. Thomæ 1. 2. quæſt. 111. art. 2. ad 1. quam alibi notauimus.

Obiicio ſecundò. Gratia operans formaliter conſtituitur, & diſtinguitur à gratia cooperante per hoc, quod fiat in nobis ſine nobis, hoc eſt, independenter à noſtra libertate; ſed ſpecialis concurſus in caſu præſenti non præbetur independenter à libera voluntate, ſiquidem totus actus, & omnes illius rationes non producerentur, niſi liberè cooperaretur noſtra voluntas: ergo in præſenti caſu nulla reperitur ratio præuenientis & operantis gratiæ, prout condiſtinguitur à gratia cooperante. 17. *Obiectio ſecunda.*

Reſpondetur Primum concurſum in præſenti caſu diſtinguendum eſſe in duas partiales rationes: quarum altera & ſecundùm rationem prior, eſt, quatenus ſupplet illum influxum, quem præbere debuiſſet gratia præueniens, & excitans; ſi foret actus realiter diſtinctus; & conſequenter per illum Deus mouet, vt iſte actus exiſtat. Secundùm hanc rationem ita præciſam iſte concurſus à ſolo Deo præbetur prorſus independenter à noſtra libertate. 18. *Diuini concurſus rationes duæ.*

Altera partialis ratio eiuſdem concurſus eſt, cooperari cum noſtra libera cooperatione, quemadmodum de potentia ordinaria Deus cooperari ſolet, etiamſi gratia operans, realiter à conſenſu diſtincta, prius natura præceſſerit: quæ partialis ratio iſtius concurſus formaliter ad hoc terminatur, vt conſenſus liberè exiſtat. Hæc partialis ratio ita præciſa eſt radix dependentiæ à noſtra libera voluntate, atque ex illa redundabit quaſi per accidens, & ſecundariò in alteram priorem rationem partialem, quæ licèt, quantum ex ſe eſt, potuiſſet exiſtere, nihil prorſus cooperante noſtra libera voluntate: nihilominus quia realiter identificatur cum poſteriori parte concurſus, ideo non poteſt exiſtere, niſi cooperante noſtra libera voluntate. 19.

Neque in Philoſophia nouum eſt, vnam eandémque realitatem ſecundùm partialem aliquam rationem formalem præcisè conſideratam non dependere ab aliqua cauſa per ſe, & ratione ſui; quamuis ab eadem cauſa dependeat quaſi per accidens, propter identificationem reali cum alia formalitate, quæ per ſe & ratione ſui pendet ab illa cauſa. Quemadmodum ſi Deus modò induceret formam ignis in materiam minimè diſpoſitam, & nullo naturali agente concurrente: illa actio prout eſt à Deo, ſupplente concurſum naturalium agentium, atque diſpoſitionum, vt ſic præcisè conſiderata, ratione ſui non penderet à materia, quamuis ab eadem materia penderet per accidens; quoniam realiter identificatur cum alia partiali ratione eiuſdem actionis, quæ in eo conſiſtit, quòd ſit actiua introductio formæ in materia, retenta eadem ſpecifica quidditate. 20.

Tertia obiectio, quia in prædicto caſu Dei concurſus effectiuus foret eiuſdem ſpeciei, cuius eſt ille concurſus, quem de facto Deus præbet 21. *Tertia obiectio.*

ad ſupernaturales actus liberos fidei, ſpei, & charitatis: ſed hic concurſus qui de facto datur, non poteſt ſubire munus gratiæ præuenientis, operantis, & excitantis: ergo neque alter concurſus, qui datur in præſenti caſu. Conſequentia probatur, quia munus præuenientis, operantis, & excitantis gratiæ videtur requirere aliam ſpecificam quidditatem concurſus; ſiquidem ad illud exequendum nunquam præueniet concurſus cooperantis gratiæ, quantomcunque eius perfectio creſcat in infinitum.

22. Reſpondeo & dico primò. Fortaſſe concurſos ille effectiuus, qui de potentia Dei abſoluta datur in noſtro caſu, ſpecie phyſica, & in eſſe rei differt ab eo concurſu, quem de facto Deus præſtat ad ſupernaturales actus liberos fidei, ſpei, & charitatis: ſed in hac veritate examinanda nihil opus eſt immorari in præſenti.

23. Dico ſecundò. Quemadmodum in ordine ad aliquod opus artificioſum (exempli gratia) in ratione architecturæ, differont ſpecie baſis, & capitellum, quoniam baſis ſuſtentat columnam, capitellum verò ſoſtentatur à columna; quamuis contingat tam capitellum, quàm baſim ſecundùm vnam partem ſoi eſſe circulare, & ſecundùm alteram partem eſſe quandrangulare; & vtrumque exciſum eſſe ex eodem marmore: quapropter tam illorum ſubſtantia, quàm figuræ, ſi conſiderentur tantum in eſſe rei, & ſecundùm ſpeciem phyſicam, non differunt ſpecie. Eadem ratione, quamuis ſupponeremus, vtrumque concurſum, de quo loqoimur, in eſſe rei, & ſecundùm phyſicam quidditatem eſſe eiuſdem ſpeciei: adhuc diſtinguerentur ſpecie, prout reſpiciunt actus ad iuſtificationem neceſſarios (quam appellare poſſumus ſpecificam diſtinctionem in genere ſpiritualis ædificij,) quoniam concurſus, qui in præſenti caſu Dei per potentiam abſolutam præbetur, non ſupponit aliam baſim, neque aliud initium, aut fundamentum iuſtificationis, ſed ſolus ipſe potens eſt, præbere initium, fundamentum, baſim, columnam & capitellum, quibus tota nitatur iuſtificatio.

24. Quaptopter qoando viges, dicendo ad exeqoendum munus gratiæ operantis, præuenientis & excitantis, peruenire non poſſe ſpecificam quidditatem concurſus cooperantis; quamois eius perfectio creſcat in infinitum.

Reſpondeo, id verum eſſe de ſpecifica quidditate, conſiderata in quantum peculiarem ſpeciem conſtitoit in ratione ſpiritualis ædificij, quam nuper dicebamus; idem autem falſum erit, ſi referatur ad phyſicam ſpeciem in eſſe rei, propter rationem nuper adductam.

25. Quarta obiectio eſt, quia voluntas non poteſt elicere primam volitionem, niſi priùs natura obiectum illius proponatur per aliquam intellectionem: ergo qoantumcunque prima volitio, quæ à Deo immittitur, de potentia abſoluta ſit libera; nihilominos ſaltem intellectio, proponens eiuſdem volitionis obiectum, non poterit eſſe libera.

Confirmatur, nam hæc intellectio ratione ſui formaliter non poteſt eſſe libera (vt conſtat de omnibus intellectiooibus.) Rurſus non poteſt eſſe libera ratione alicuius volitionis liberæ, mouentis ad prædictam intellectionem: nam huiuſmodi libera motio conſtituit volitionem natura priorem intellectione, ad quam mouet: hoc autem eſt impoſſibile in prima intellectione, quoniam eſt prior natura, quàm prima volitio, cui proponit obiectom.

Hic non eſt diſputandum, vtrùm de potentia Dei abſoluta per effectiuum Dei concurſum ſuppleri poſſit neceſſitas intellectionis, proponentis obiectum, ita vt volitio aliqua concipiatur prorſus independenter à quacunque intellectione, obiectum proponente. Sed dando, vel tanquam veram ſupponendo impoſſibilitatem huius ſupplementi. 26.

Reſpondeo non implicare contradictionem, eodem inſtanti temporis Deum impellere ad duos actus intellectiunem, videlicet, atque volitionem eius obiecti: quæ mutuo ſe inuicem præcederent prioritate naturæ in diuerſo genere; ita vt intellectio eſſet prior natura volitione in genere proponentis obiectum: at verò volitio eadem intellectione prior eſſet in genere liberè mouentis ad illam.

Hoc autem eſſe poſſibile probatur, & explicatur exemplo. Naturaliter aliquando contingit, vt in intellectu priùs tempore præcedat aliqua intellectio, quæ in illo inſtanti ſit prorſus neceſſaria, & indepeodens à volitione libera, cui proponit obiectum: poſtea verò ſuccedente deliberatione, voluntas liberè concipiat volitionem eiuſdem obiecti propoſiti; & per eandem volitionem liberè velit conſeruare prædictam intellectionem per aliquod breue ſpacium ſeqoentis temporis. In hoc caſu naturaliter contingit, vt intellectio proponens obiectum, & volitio illud amans, quantum ad conſeruationem illius ſequentis temporis, mutoò abiouicem pendeant, ſubindéque ſint mutuo priores, & poſteriores. Nam volitionis conſeruatio pendet à conſeruatione intellectionis, tanquam à propoſitione obiecti; ſed intellectio pendet à volitione tanquam à liberè imperante conſeruationem illius, cùm iam poſſet illam deponere. Hanc igitur mutuam dependentiam, quam naturaliter patitur conſeruatio intellectionis, & volitionis, nihil mirum eſt, de potentia Dei abſoluta cauſari poſſe in aliqoa intellectione, atque volitione, non ſolùm in conſeruatione, ſed etiam in primo ſuæ productionis inſtanti. 27.

Obiicies quintò, quia Concilia, & Patres videntur plane exigere illuſtrationes intellectus, & ſoaoes affectus voluntatis, qui ſecundùm ſe totos à Deo fiunt in nobis ſine noſtra libertate, atque excitent ad liberum conſenſum, realiter diſtinctum ab illis. 28.

Reſpondetur. Patres pro more loquuntur de potentia Dei ordinaria, nihil decernentes circa potentiam abſolutam. Circa quam tamen diſcurrendum eſt à Theologis, inſiſtendo in eiſdem principiis, quæ à Patribus, & Conciliis indicata ſunt. Quemadmodom communiter Theologi concedunt, de potentia Dei abſoluta iuſtificari poſſe hominem ſine iuſtitia, ſibi realiter inhærente per ſolam extrinſecam imputationem; quamuis Patres & Concilia decernant hominem iuſtificari per inhærentem ſibi iuſtitiam.

SECTIO

SECTIO II.

Contingit aliquando defectum operantis, & præuenientis gratiæ ſuppleri partim, & partim non ſuppleri.

1. *Facilior modus ſine præcedente volitione neceſſaria.* PRima concluſio. Modus facilior, quàm præcedens, ac minus raiò contingens eſt, partim præcedere actum realiter diſtinctum, & natura priorem, qui ſit gratia præueniens, partim verò non præcedere. Id autem fiet, ſi ex parte intellectus præcedat illuſtratio, quæ ſit gratia præueniens: at verò ex parte voluntatis nulla præcedat gratia præueniens prius natura, quàm erumpat actus meritorius.

2. *Triplex gratia præueniēs in caſu dicto.* Prædicto in caſu triplex inuenitur gratia præueniens operans, & excitans. Prima eſt intellectus illuſtratio, realiter influens, & excitans ad conſenſum liberum voluntatis. Secunda eſt Dei concurſus effectiuus, infallibiliter mouens ad conſenſum liberum, ſupplendo influxum, quem præbere debuiſſet ſuauitas, & alij voluntatis affectus, qui de potentia ordinaria ſolent liberum conſenſum præcedere, ſiue hoc ſupplementum præſtetur mediatè per potentiſſimam illuſtrationem, ſiue immediatè per diuinum concurſum. Tertia eſt illa delectatio, & auiditas ſupernaturalis boni in communi, & ſupernaturalis beatitudinis, quæ quidditatiuè includitur in quocunque ſupernaturali actu, quantuncumque libero: quæ ratione prior eſt, quàm conſenſus liber pro vt verſatur circa particularem rationem boni. Atque prædicta delectatio, & auiditas boni in communi rationem habet operantis, præuenientis, & excitantis gratiæ, quatenus eſt ratio mouens ad particulare bonum diligendum: vt notauimus diſputatione 32. ſectione 3. numero 16. & 17. In hoc igitur ſenſu etiam de potentia Dei abſoluta non poteſt non eſſe requiſita illa ſuauitas, & auiditas, quam ſuprà diſp. 30. ſect. 2. & ſequentibus oſtendimus eſſe partem gratiæ præuenientis, & operantis.

3. Ad præcedentis concluſionis explicationem operæpretium erit, duas expedire difficultates. Prima eſt, vtrùm præcedentis concluſionis caſus frequenter, vel potiùs ratò contingat. Doctores, in diſp. 32. ſectione 1. citati, ſupponunt frequenter accidere peccatoribus in principio iuſtificationis nullam eſſe volitionem neceſſariam, & prorſus indeliberatam, quæ reliquas volitiones moueat; ſed potiùs iuſtificationem inchoari à volitione libera, præcedentibus tamen ex parte intellectus illuſtrationibus non liberis.

4. *Quando id contingat.* Ego verò abſque dubitatione ita exiſtimo contingere, quando illuſtrationes intellectus pleniſſimam præbent comprehenſionem omnium rationum, quæ ſub deliberationem cadere poſſent, & vim habent vehementiſſimam impellendi voluntatem, ac Deus præter ea vberrimo auxilio paratus eſt immediatè concurrere ad volitionem. Tunc enim tempore opus non eſt, vt eliciatur volitio libera (ſicut nec in volitione Angelorum.) Quod ſi in eodem primo inſtanti, quo cœpit exiſtere illuſtratio, datur volitio libera; nihil opus eſt aliis volitionibus realiter diſtinctis, quæ indeliberatæ ſint, à quibus illa pendeat.

5. *Sanctiſſima Virgo Angeli, & Adamus diſpoſiti fuere.* Hoc modo ad gratiam liberè diſpoſita fuit Beatiſſima ſemper Virgo, Angeli, & Adamus in ſuæ creationis inſtanti, vt notauit Suarez lib. 3. de auxiliis capite 4. numero 12. & 15. & Vaſquez 1. 2. tomo 1. diſputatione 38. cap. 1. num. 4.

Ruiz de Prouidentia Dei.

6. *Rariſſimè contingit.* Nihilominus ſit ſecunda concluſio. Hic modus liberè conſentiendi ſine præcedente aliqua volitione non libera, ſed neceſſaria, non contingit niſi rariſſimè, atque ſpecialiſſimo priuilegio.

Probatur primò, quia rariſſimi peccatores ſunt, quibus tanta lux diuinæ illuſtrationis affulgeat, vt nullo etiam breuiſſimo tēpore indigeant ad deliberandum in re ſibi difficillima: cùm alioqui, vt in rebus minimis deliberemus, propter imaginatiuæ impedimenta, & intellectus noſtri hebetudinem, indigeamus tempore. Hoc autem tempore, quo deliberatur, aliquis motus debet eſſe in voluntate rectè illam afficiens ad obiectum, quod per illuſtrationem cognoſcitur. Primò, quia ex bono, proportionata, & intima penetratione cognito, voluntatis complacentia protinus conſequitur. Secundò, quoniam hic affectus requiritur, vt voluntas ſuauiùs dirigatur ad bene deliberandum de obiecto. Ergo à fortiori alij peccatores, minori luce illuſtrati, aliqua ſaltem breuiſſima morula, aut reſiſtent, aut cōſenſum retardabūt.

7. Probatur ſecundò, quoniam illuſtratio & vocatio Pauli longè ſuperat eas illuſtrationes, quæ peccatoribus communiter dantur: ſuperat, inquam, ſumma fortitudine; ac proinde etiam temporis breuitate, ad ſuum negotium peragendum requiſita. Nihilominus in vocatione Pauli aliqua breuiſſima morula temporis interceſſit, in qua tremens, ac ſtupens nondum decreuerat conſentire vocanti: imò etiam videtur recalcitraſſe, aut ſaltem de recalcitrando dubitaſſe. Huic enim mentis motui ante plenam deliberationem ſuborto, remedium præſens adhibuit vox illa, *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Ergo à fortiori cæteræ vocationes, atque illuſtrationes, quæ neque luce, neque fortitudine comparari poſſunt cum Paulo, indigebunt aliqua ſaltem breui temporis morula, priuſquam deliberent, in qua eorum voluntas aliqua neceſſariò, & indeliberato motu à Deo moueatur.

8. *Tunc iuſtificatio vnico inſtanti perficitur.* Vt probem tertiò, ſuppono, quoties illuſtratio tàm potens eſt, vt abſque aliqua voluntatis complacentia, & ſuauitate, prorſus neceſſaria, & non libera, inducat ad liberum conſenſum, toties iuſtificationem totam perfici vnico inſtāti. Nam ſi aliquo tempore præcederet illuſtratio ante liberum concurſum, eo ipſo tempore neceſſariò reſultaret indeliberata complacentia illius boni, quod per illuſtrationē proponitur. Cuius efficax argumentum eſt, quoniam ſimiles complacētiæ neceſſariò reſultant ex aliis minus intenſis, & minus efficacibus illuſtrationibus, Deo præbente ſupernaturalem concurſum ad illa ſecundùm eam proportionem, quā præbere ſolet concurſum ad naturales complacentias. Obſtet tamen obſerua, nihilominus contingere poſſe, vt iuſtificatio tota vnico perficiatur inſtanti, & tamen adſit illuſtratio intellectus, & ſuauitas, ſeu complacentia voluntatis ſimpliciter neceſſariæ, quæ licet non tempore, attamen natura priores ſint libero conſenſu, quo iuſtificatur peccator.

9. Quo ſuppoſito, probatur cōcluſio, quia iuſtificationem fieri in inſtanti, nonniſi valde rarò contingit; ſed caſus, de quo in 1. & 2. concl. loquimur, non contingit, niſi quādo iuſtificatio fit vnico inſtanti: ergo ille idem caſus valde rarò contingit. Maior huius ſyllogiſmi probatur authoritate S. Thom. qui de iuſtificatione, vnico inſtanti perficienda ſemper loquitur, quaſi de caſu rariſſimo,

pertinente potius ad poſſibilitatem, quàm ad actuale exercitium, vt conſtat 1. 2. quæſt. 112. a. 2. & q. 113. a. 7. & a. 10. & de veritate q. 28. a. 3. ad 1. & ad 19. Idem docent expoſitores S. Thom. 1. 2. locis citatis, & reliqui Scholaſtici communiter: vt videbimus ſuprà diſp. 8. ſect. 6.

10. Altera difficultas eſt, vtrùm in caſu primæ & ſecundæ concluſionis Deus per ſe ſolùm immediatè ſuppleat concurſum, quem præſtare debuiſſet ſuauis affectus volũtatis neceſſarius, id eſt, non liber, atque realiter diſtinctus à libero conſenſu.

11. Reſpondeo, & ſit tertia concluſio. Prædictus concurſus non ſuppletur à Deo immediatè, niſi quando illuſtratio eſt minus potens, & minus fortis, quam opus eſt, vt protinus voluntatem rapiat ad liberum conſenſum. Pro cuius explicatione notandum eſt, primæ concluſionis caſum contingere poſſe triplici modo.

Primus ſi illuſtratio ſit eminentiſſimæ cuiuſdam fortitudinis, & potentiæ, quæ ſe ſola protinus voluntaté moueat, ad liberè conſentiendum cum ſumma voluptate; ac proinde ſe ſola ſuppleat adæquatè totum munus inſpirationis, & ſuauitatis neceſſariæ, quæ deberet in volũtate præcedere.

12. Secundus caſus erit, ſi illuſtratio minus perfecta, minúſque potens ſit, quàm vt ſuppleat concurſum inſpirationis, ſeu ſuauitatis indeliberatæ. Tunc enim Deus de potentia abſoluta ſupplebit ſuo immediato concurſu effectiuo, ſi voluerit abſque vlla volitione indeliberata iuſtificationem perfici.

13. Tertius caſus erit, ſi illuſtratio partialiter concurrere poſſit, ad ſupplendum concurſum, quem præſtare debuiſſet ſuauis affectus voluntatis neceſſarius, & non liber. Tunc enim Deus etiam ſuo immediato concurſu effectiuo partialiter supplebit eam, quæ illuſtrationi deficit, potentiæ, ac fortitudinis partem, ex ſuppoſitione quòd velit, iuſtificationem perfici abſque vllo ſuauitatis affectu neceſſario, & non libero. Quocunque ex his modis res accidat, ſemper illuſtratio habet rationem operantis, præuenientis, & excitantis. Sed in primo modo hanc rationem ſibi totaliter vendicat illuſtratio. Cæterùm in 2. & 3. modo partem muneris gratiæ operantis ſuſtinet diuinus concurſus effectiuus, iuxta dicta in ſectione prima.

SECTIO III.

Merita, impetrationem, diſpoſitionémque cuiuſque mentis creatæ, qua ratione præuenit gratia, etiam de potentia abſoluta non poteſt non præuenire.

1. RESTAT explicare, vtrùm ſaltem de potentia abſoluta ſit poſſibilis actus ſupernaturalis, & meritorius ſine gratia, præueniente omnia noſtra merita. Videbitur alicui non implicare eo modo, quo recentiores docti exiſtimant, omne principium meriti, etiam ipſam hypoſtaticam vnionem, ſub merito cadere poſſe de potentia abſoluta, Deo præbente vnionem hypoſtaticam, vel quodlibet aliud principiũ meriti propter futuras operationes meritorias, eliciendas virtute illius principij.

2. *Præueniens gratia, neque de potentia abſoluta non poteſt nõ præuenire merita noſtra.*

Nihilominus ſit concluſio vnica. Gratia præueniens omnia noſtra merita, omnémque impetrationem, atque diſpoſitionem noſtram, eſt ita neceſſaria, vt ſine illa, implicet contradictionem, produci à nobis aliquem actum meritorium. Explico, & probo, quia licèt Deus de potentia abſoluta decreuiſſet, acceptare actiones futuras, eliciendas virtute ſuæ primæ gratiæ, vt mererentur primum auxilium gratiæ; adhuc eadem acceptatio, & valor operum debuit à Deo gratuita liberalitate inchoari; quia nulla noſtra merita potuerunt mereri, vt ſequentia opera acceptarentur ad meritum primi auxilij, niſi Deo propter ſuam liberam & gratuitam liberalitatem volente, talem vim merendi per extrinſecam acceptationem conferre futuris operibus. quæ acceptatio in ratione meriti eſt gratia, præueniens omnia prorſus merita.

Quòd ſi reſpondeas, Deum potuiſſe ordinare, vt plura opera ſibi mutuò mererentur acceptationem ad meritum operum præcedentium: adhuc tamen argumentum viget, quia quamuis mille millibus reflexionum Deus acceptaſſet quædam opera, vt reciproco merito ſibi mutuo mererentur acceptationes ad illud meritum, quo mererentur alias acceptationes; adhuc licebit nobis conſiderare ſimul totum illum globum acceptationum ad merita, nulla acceptatione excluſa, & de illa vniuerſa collectione meritorũ, & acceptationum, ac de tota illa diſpoſitione, euidens erit, quòd non cœperit à meritis liberi arbitrij creati, quæ ex ſua natura & quidditate intrinſeca nullam habent proportionem ad tales acceptationes, ſed proceſſerit à ſola diuina liberalitate, volentes concedere tales acceptationes ſupra vires, & proportionem operũm. Quapropter illa acceptatio, ſaltem vt comparatur ad totam collectionem meritorum, erit gratia præueniens omnia prorſus merita; & oppoſitum implicat contradictionem. 3.

Dicet aliquis, prædictam acceptationem Dei eſſe ipſam dilectionem, atque prædeſtinationem Dei; quapropter non erit gratia; hæc enim debet eſſe donum, à dilectione, atque prædeſtinatione diſtinctum, vt vidimus lib. de quidditate gratiæ diſp. 1. ſect. 1. 4.

Reſpondetur primò. Prædicta acceptatio, prout eſt formaliter in Deo, quamuis non diſtinguatur realiter à dilectione, & prædeſtinatione, imò ne completa diſtinctione rationis ratiocinatæ: nihilominus partiali, & incompleta quadam diſtinctione rationis ratiocinatæ diſtinguitur. Nam in quantum talis actus vult, & ordinat finem ſupernaturalem, & media propter finem, eſt formaliter dilectio, & prædeſtinatio; in quo etiam comprehendendo eam formalitatem, ſecundùm quam vult, & ordinat nouam aliquam rationem meriti, & præmij extraordinario aliquo ordine, & per anticipatam aliquam ſolutionem cum circulari, & mutua concatenatione meritorum & præmiorum. Nihilominus in quantum idem actus diuinus ſe ſolo extrinſecè apponit talem valorem, & meritum actibus, quem aliàs non haberent, vt ſic habet quandam rationem medij, quo executioni mandatur, quod dilectio voluerat, & prædeſtinatio præordinauerat; ac proinde vt ſic gratiæ rationem habet propriè loquendo iuxta ea, quæ in ſimili diximus in eodem lib. de quidditate gratiæ diſput. 3. ſectione 2. 5.

Reſpondeo ſecundò (atque ferè in idem redit) extrinſeca denominatio (quæ negatiuè diſtinguitur realiter à Deo, eo quòd ſit ens rationis) eſt gratia, per quam ſequentes actiones conſtituuntur formaliter dignæ, & valorem habentes, vt mereantur aliam gratiam, quæ priùs data fuit. Hic ergo extrinſecus valor, & acceptio, quamuis in eſſe phyſico nihil ſit; at in ratione moralis, 6.

moralis, & theologicæ æſtimationis eſt maxima gratia, à qua ſumerent initium omnia hominis merita in caſu ſectionis præſentis.

DISPVTATIO XLV.

Vtrùm ad opera gratiæ gratis datæ operans, & cooperans gratia requiratur.

SECTIO I.

Explicato diſputationis ſtatu probatur requiri operantem.

1\. *Includentes opera gratiæ gratum facientis indigent gratia cooperante, & operante.*

SVNT quædam opera gratiæ gratis datæ, quæ includunt interiores operationes gratiæ gratum facientis, ſupra quos addunt quandam redundantiam, erumpentem ad proximorum vtilitatem per exteriores actus, manifeſtatiuos diuinæ gloriæ, quibus conſtituitur in ratione gratiæ gratis datæ, ſic enim illæ gratiæ gratis datæ, per quas Apoſtolis in Pentecoſte eſt collata potentiſſima virtus conuertendi totum orbem doctrina, miraculis & exemplis, continebat interiorem fidem, & fiduciam firmiſſimam in Deum, & interiorem charitatem Dei & proximorum; vnde redundabant opera manifeſtatiua Euangelij. *Nam Spiritus ſanctus venit ſanare, ſeruare, docere, adhortari, confortare, illuminare mentem, primùm quidem eius, qui recipit illum, deinde per ipſum & cæteros.* Ita Cyrillus Hieroſolymitanus loquitur Catecheſi 16. circa med. Id nimirum conſulitur Prouerb. 5. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Quod ad hanc rem optimè ponderat Gregorius 3. parte Paſtoral. admonit. 25. verſùs finem. Hæc igitur opera indigere gratia operante & cooperante, ſaltem ſub ea ratione, qua includunt opera gratiæ gratum facientis, ſatis conſtat ex his, quæ huc vſquè dicta ſunt.

2\. Reſtat vt difficultas ſit clarior in operibus gratiæ gratis datæ, quæ non includunt interiores operationes gratiæ gratum facientis. Huiuſmodi erat illorum prædicatio, qui *ex contentione Chriſtum annunciabant non ſincerè exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis Pauli*, Philip. 1. præſertim ſi quando prædicabant, nullum exercebant interiorem actum fidei ſupernaturalis, ſed hiſtrionico more concionabantur, vt inde quæſtum facerent, aut captarent inanem gloriam, vel tyrannorum odium aduerſùs Paulum acuerent, quam intentionem notat ibi Chryſoſt. ſerm. 2. prope Morale. Huiuſmodi etiam fuit prophetia Caiphæ Ioan. 11.

3\. Eadem difficultas latet obſcurior etiam in operibus gratiæ gratis datæ, quæ includunt interiores operationes gratiæ gratum facientis, ſi præſcindas illud, quod proprium eſt gratiæ gratis datæ, ab eo, quod proprium eſt gratiæ gratum facientis.

4\. *Omnia opera gratiæ gratis data egent gratia operante.*

Vnica eſt concluſio quæ ad præſentem ſectionem attinet. Omnia prorſus opera gratiæ gratis datæ indigent gratia gratis data præueniente, operante, & excitante ad illa opera.

Probatur primò, agendo ſimul de quibuſlibet eiuſmodi gratiis, collectiuè ſumptis, quoniam Apoſtolatus includit cæteras omnes gratias gratis datas, vt ex Auguſtino in lib. de geſtis Pelagij cap. 14. retulimus ſupra diſp. 31. ſect. 1. num. 20. Apoſtolatum verò indigere gratia operante, conſtat Galat. 2. *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes, & cùm cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi*, &c. Ergo Apoſtolatus eſt gratia quam Deus operatur in homine. Quod clariùs ibi Chryſoſtom. legit: *Qui operatus eſt in Petro, operatus eſt in me.* Item 1. Corinth. 12. de eiſdem gratis loquebatur Paulus, quando dixit: *Qui operatur omnia in omnibus*, & poſtea ſingulis earum enumeratis, ſubdit: *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis, prout vult.*

Probatur ſecundò. nam de ſingulis gratiis in particulari fieri per gratiam excitantem, operantem, atque præuenientem impulſum, motionem, & inſpirationem Dei, plurima Scripturæ loca teſtantur, quorum præcipua referemus exempla. 5.

Quod attinet ad ſpiritum prophetiæ Danielis 13. *Suſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris.* Deuteron. 18 *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitauit tibi Dominus.* Zachariæ 4. initio: *Angelus qui loquebatur in me, ſuſcitauit me quaſi virum, qui ſuſcitatur à ſomno.* Ioelis 1. & Actuum 2. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt*, &c. effuſio ſiue infuſio nomen eſt operantis, & præuenientis gratiæ, ſuprà diſp. 29. ſect. 2. fine. Deinde viſiones & ſomnia manifeſtè fiunt in nobis ſine nobis. 6.

Vnde ſumitur confirmatio prima. nam propterea Prophetæ, vt prophetiæ ſpiritum acciperent, excitabantur à ſomno, vel ab aliquo inſolito pauore languentis animi, vel aliud agentes, vocabantur, aut rapiebantur: vel denique occurrebant illis viſiones, ſiue reuelationes, quæ omnia minimè ſubiecta ſunt liberæ hominum voluntati; ac proinde pertinent ad illud genus gratiæ quæ in nobis fit ſine nobis. 7.

Confirmatur ſecundò. nam *irruere* ſignificat vehementem aliquem impetum, & impulſum exterioris agentis, qui proprius eſt gratiæ præuenientis, operantis & excitantis. At verò Numer. 24. propè init. *Irruente in ſe ſpiritu Domini*, prophetauit Balaam. Eadem vis eſt in verbo *inſilire* quod de Saule dicitur 1. Reg. 10. verſ. 6. & 10. quando *inſiluit in eum ſpiritus Domini, & prophetauit.* 8.

De gratia prædicandi, atque docendi Actuum 17. *Paulus* (inquit) *cùm Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus eius in ipſo, videns idololatriæ deditam ciuitatem. Diſputabat igitur in Synagoga cum Iudæis*, &c. & Actuum 6. *Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur*, videlicet, qui agebat Stephanum, ad loquendum, ſuggerebatque argumenta, & ſolutiones diſputandi. Hanc autem phraſim, ſecundùm quam dicitur Spiritus ſiue Deus in homine loqui, Auguſtinus & alij Patres agnoſcunt, continere gratiam præuenientem, & operantem Matth. 10. vt vidimus diſput. 41. ſect. 5. num. 3. 9.

Actuum 13. propè initium: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* & poſt pauca: *Et ipſi quidem miſſi à Spiritu ſancto abierunt*, &c. *& prædicabant verbum Dei in Synagogis.* & Actuum 16. propè initium: *Vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos ſpiritus Ieſu.* & poſt pauca: *Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quòd vocaſſet Deus euangelizare eis.* 10.

Linguarum donum præberi gratia præueniente atque operante, conſtat Actuum 2. *Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* & cap. 10. propè finem: *Obſtupuerunt ex* 11.

circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt, audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.

12. Gratiam gubernandi tam in pace, quàm in bello, ex præueniente, atque operante Spiritus ſancti dono pendere, probatur Numerorum cap. 11. *Auferam de Spiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi* & infra: *Cúmque requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetauerunt*, nimirum populo ius dicentes, conſilio à Deo inſpirato. Quem locum ſimul cum aliis ponderans Athanaſius epiſt. ad Serapionem de diuinitate Spiritus ſancti col. 4. ait: *In Numeris item Moſes dicit ad Ieſum filium Naue: Ne tu me æmuleris, & quidem ita quum dederit Dominus Spiritum ſuum ſuper eos. & in Iudicum libris de Othoniele: & factus eſt Spiritus ſanctus, & iudicauit Iſrael. Atque itidem: Et factus eſt Spiritus Domini ſuper Iephte. Similiter quoque de Samſone, in virum puer adultus eſt, & benedixit eum Dominus, & incepit Spiritus Domini cum illo ambulare, & inſiluit in eum Spiritus Domini.* Quæ teſtimonia eo fine protulit Athanaſius, vt oſtenderet Spiritum ſanctum operati propria diuinitatis opera.

13. Excitantem gratiam, ad gubernandum ex mente Dei eſſe requiſitam, clariùs conſtat Aggæi 1. fine: *Suſcitauit Dominus Spiritum Zorobubel filij Salathiel, Ducis Iuda, & Spiritum Ieſu filij Ioſedech Sacerdotis magni, & ſpiritum reliquorum de omni populo: & ingreſſi ſunt, & faciebāt opus in domo Domini exercituum* Eſdras lib. 1. cap. 7. fine: *Ego*, inquit, *confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregaui de Iſrael, principes qui aſcenderent mecum.* ſcilicet à Babylone in Hieruſalem ad docendam legem, gubernandúmque populum: vt ex eodem cap. conſtat. Porrò manus Dei confortans eſt gratia operans & præueniens, ſuprà diſput. 29. ſect. 2. fine.

14. Gratiæ gubernatricis pars eſt prudentia ducis, & fortitudo in bello, quam etiam indigere impulſu Spiritus ſancti, conſtat 1. Reg. cap. 11. *Inſiluit Spiritus Domini in Saul.* nimirum vt conflaret exercitum, inſtrueret aciem, pugnaret & vinceret Amonitas. Vniuerſam denique gubernationem indigere inſpiratione quæ moueat iuxta Dei conſilium & voluntatem, cōſtat ex oratione Salomonis 3. Reg. 3. & 1. Paralip. 1. & toto Sapientiæ c. 9.

15. Miraculorum gratiam indigere præueniente, atque operante gratia, facilè colligitur ex Marci 6. & Lucæ 9. vbi: *Dedit Apoſtolis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, vt eiicerent, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* & iterum Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſuper ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Dare poteſtatem proprium eſt gratiæ operantis (vt ſæpè diximus in præcedentibus diſput.) & paulo ſuperiùs num. 8. de irruente ſpiritu, ſic enim Iudicum 14. *Irruit Spiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem.* & ad finem eiuſdem capitis: *Irruit in eum Spiritus Domini, deſcendítque in Aſcalonem, & percuſſit ibi triginta viros.* & cap. 15. *Irruit Spiritus Domini in eum, & ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta*, &c.

16. Probationem tertiam, magis à priori, vt explicemus, recolere oportet, duplicem eſſe ordinem gratiæ præuenientis: alterum, quo præcedit omnia noſtra merita, diſpoſitionem, & impetrationem, & nulla illorum habita ratione, donatur: alterum, quo præcedit liberum noſtræ voluntatis concurſum, eo quòd ſit à Deo independenter à noſtra libertate.

Quod attinet ad primum ordinem præuenientis, facilè quiuis Theologus videbit, nullas operationes viribus naturæ conceptas, valere poſſe, vt aliqua vel minima congruitate mereantur, impetrent, vel diſponant ad obtinendam gratiam gratis datam, cùm iſta ſit ſupernaturalis, & propriè ſit gratia, quantum ad rationem dandi gratis & abſque vllo prorſus merito, vt ipſum nomen præ ſe fert. Vnde quantum ad hoc ſuam vim integram retinent omnia fundamenta poſita ſuprà diſput. 18. ſect. 2. & 3.

17. Porrò licèt contigerit plerumque, per ſupernaturalia merita & orationes de congruo impetrari aliquas gratias gratis datas, vt linguarum donum, ad docendos infideles, vel miraculorum virtutem, ad fidei veritatem confirmandam, vel gubernationis prudentiam, & id genus alia: nihilominus hoc nihil obſtat, quo minus præueniens, & operans gratia dicatur eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſaria, vt conſtat exemplo gratiæ gratum facientis, cuius opera de congruo meremur, & impetramus aliquando per opera ſupernaturalia præcedentia: idque nihil obſtat, quominus dicatur ad illa ſimpliciter præréquiri gratiam præuenientem, operantem, & excitantem.

18. Quo ſuppoſito ad confirmandam neceſſitatem gratiæ, quæ præcedat omnia merita, diſpoſitionem atque impetrationem ex parte noſtra, poſſumus ex teſtimonio Pauli, ponderato per Auguſtinum, huiuſmodi argumentum ſumere. Ad opera gratiæ gratis datæ prærequiritur gratia gratis data; hæc autem nullo præcedente merito, aut opere noſtro per gratiam præuenientem donatur. Quod Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij cap 14. inter medium & finem, fuſè probat, præſertim verò illis verbis: *Redditur ergo debitum præmium Apoſtolo digno: ſed ipſum Apoſtolatum indebitum gratia, donauit indigno. An hoc me dixiſſe pœnitebit? abſit; eius enim teſtimonio ab hac inuidia defenſabor, nec me quiſquam vocabit audacem, niſi qui fuerit auſus ipſum vocare mendacem. Ipſe clamat, ipſe teſtatur, ipſe vt in ſe Dei donu commendet, nec in ſe ipſo, ſed in Domino gloriatur. Non ſolùm nulla ſe habuiſſe dicit merita bona vt Apoſtolus fieret, ſed etiam mala merita ſua dicit, vt Dei gratiam manifeſtet, & prædicet. Non ſum*, inquit, *idoneus vocari Apoſtolus. quod quid eſt aliud, quàm, non ſum dignus? nam hoc pleriqne latini codices habent. Hoc eſt nempe quod quærimus, nempe iſto munere Apoſtolatus ille omnes gratia continentur.*

19. Probatur quartò ex altera præuenientis gratiæ comparatione ad noſtræ libertatis concurſum, quem præcedit ſemper, independenter ab illo mouens, & excitans. Sed opera gratiæ gratis datæ minus pendēt à libera electione hominum, quàm opera gratiæ gratum facientis. Imò frequenter nullo modo pēdere à libera electione hominum, ita vt tentantibus exercere eiuſmodi opera, negetur aliquando facultas. *Nam aliquando Spiritus prophetiæ Prophetis deeſt: nec ſemper eorum mentibus præſtò eſt. Quatenus cùm hunc non habent, ſe hunc cognoſcant ex dono habere cùm habent*, vt Greg. ſcribit homil. 1. in Ezech. inter med. & finem. Ac probat 4. Reg. 4. vbi Eliſæus: *Animu eius, ait, in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* &, vt per Dei laudes abſentem ſpiritum prophetiæ reuocaret, ait: *Adducite mihi pſaltem.* Vniuerſaliter autem, ſolum Chriſtum Dominum fuiſſe, ſuper quem Spiritus ſanctus deſcendit, & permanenter ac perpetuò manſit, quantum ad gratias gratis datas, docet idem Gregorius lib. 2. Moral. cap. 27. poſt med. & cap. 28. & homil. 5. in Ezechiel. ſed de hoc fuſiùs egimus alibi.

Aliquan

Digitized by Google

20\. Aliquando verò Deus ſolus agit homines ad opera gratiæ gratis datæ, ſine facultate cohibendi ſe ipſos ab illis, vt Hieremiæ 20. *Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die, & dixi, non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine illius, & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus, & defeci, ferre non ſuſtinens.* Itaque non potuit ſe à concionando continere, quamuis id vehementer optaret, aut certè ſi potuit ſimpliciter, & abſolutè ſe continere à concionibus; nihilominus non potuit mitigare ardorem loquendi, quo exæſtuabat in animo. Eiuſmodi etiam videtur eſſe illud Balaam Numer. 22. *Nunquid loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo.*

21\. Eadem ratio eſt in illis actionibus, quæ licèt voluntatis fuerint, quantum ad materialem entitatem: nihilominus quantum ad finem & ſignificationem, à Deo intentam ſunt prorſus inuoluntariæ. Quomodo prophetia Caiphæ, in quantum ſignificabat neceſſitatem paſſionis Domini ad ſalutem humani generis, fuit illi prorſus inuoluntaria, ſicut prorſus ignota.

Confirmatur. nam propterea celeberrima collatio gratiarum omnium, Actuum 2. notatur facta fuiſſe repentè. Repentina verò, & inopinata nihil à noſtra libertate dependent.

22\. Quintò probatur, quia quodcumque opus gratiæ gratis datæ dirigitur à Deo ad excitanda in aliis hominibus opera iuſtificationis, iuxta illud 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem,* ſcilicet Eccleſiæ, quod fuſiùs probatum eſt lib. de quidditate & partitionibus gratiæ diſp. 4. ſect. 1. Ad hunc autem finem primum mouens, quo reliqua mouentur agentia, debet eſſe Deus per gratiam operantem, vt vel ſic primum principium efficiens, & mouens reſpondeat vltimo fini. Sicut exemplo Imperatoris & inferiorum ducum confirmat S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 6. corpore tractans de neceſſitate gratiæ præuenientis ad præparationem gratiæ, & nos diximus ſuprà diſput. 18. ſect. 11. num. 8.

SECTIO II.

Vtrùm quidditatiuè ſupernaturalis eſſe debeat gratia præueniens, quæ ad opera prædicta requiritur.

1\. *Vtplurimum ſupernaturalis eſt.* SVppono primò, vtplurimum eſſe quidditatiuè, & intrinſecè ſupernaturalem illum actum, qui à Deo immittitur, tanquam impulſus operans, præueniens, & excitans ad operationes gratiæ gratis datæ. Sic enim Prophetis, vtplurimum, dabatur aliqua illuſtratio ſupernaturalis in intellectu, atque in voluntate ad Deum, vel ad res diuinas aliquis ſupernaturalis affectus: & vterque actus communiter dabatur Doctoribus, quando per gratiam gratis datam concionabantur, diſcernebant Spiritus, miracula, ſanitatéſque patrabant, aut variis linguis loquebantur.

2\. *Supernaturalis debet eſſe ſaltem quo ad modum.* Suppono ſecundò impulſum præuenientem, ad opera gratiæ gratis datæ, eſſe debere ſupernaturalem, ſaltem quantum ad modum, quo à Deo infunditur, & inſpiratur mouendo intellectum & voluntatem ſupra communem concurſum cauſarum naturalium. Nihilominus reſtat difficultas, vtrum hic impulſus ſit aliquando actus entitatiuè naturalis, quamuis ex modo fiendi ſit ſupernaturalis.

3\. *Ratio dubitandi 1.* Prima ratio dubitandi eſt, quia poſſibile eſt alicui reuelari à Deo aliquid, cauſando exterius in aëre, vel interius in imaginatiua ſigna, quæ merè naturalia ſint quantum ad identitatem, & producendo in eius intellectu intelligentiam entitatiuè naturalem eorum, quæ repræſentantur per illa ſigna. Similiter poteſt infundi talis peritia omnium linguarum, qualem adquirere poſſunt homines humano ſtudio, ita vt ſit ars infuſa per accidens, & non per ſe. Poteſt præterea moueri voluntas alicuius, vt velit concionari, aut linguis loqui, aut miracula facere, & ſanitatem conferre: quáuis impulſus ad huiuſmodi volitiones non ſit entitatiuè ſupernaturalis: ſed naturalis tantùm.

Secunda ratio dubitandi eſt, quoniam prophetia, miracula, prædicatio, vel aliud opus gratiæ gratis datæ nonnunquam exercetur per hominem impium & infidelem: cuius indignitati magis congruere videtur impulſus entitatiuè naturalis, quam entitatiuè ſupernaturalis; veluti Caiphæ magis congruebat impulſus ad prophetandum, qui foret entitatiuè naturalis. 4. *Secunda.*

Tertia ratio, quoniam actus intellectus & voluntatis, quo Caïphas prophetauit, fuit intrinſecè falſus, & malus, fuit enim actus infidelitatis & odij contra Chriſtum Dominum, quaſi contra reipublicæ hoſtem, & ſeductorem: ergo non potuit ad illum impellere Deus impulſu, qui eſſet entitatiuè ſupernaturalis. 5. *Tertia.*

Nihilominus probabilius videtur, ſemper eſſe entitatiuè ſupernaturalem eum impulſum, qui excitat homines ad opera gratiæ gratis data. 6. *Semper entitatiuè ſupernaturalis.*

Probatur primò, quia eiuſmodi motus non dantur propter perſonam, cui dantur; ſed propter Eccleſiam, ad cuius vtilitatem diriguntur: at verò Eccleſiæ dignitati congruit eiuſmodi impulſus eſſe entitatiuè ſupernaturales, vt ab intrinſeca entitate habeant rationem proportionatam, & dignam, cui ſe gubernandam credat Eccleſia propter Dei veracitatem atque fidelitatem in reuelandis ſupernaturalibus myſteriis.

Probatur ſecundò, quia dignitati principalis agentis congruentius eſt, impulſu entitatiuè ſupernaturali mouere, quæcunque inſtrumenta mouet, ad finem ſupernaturalem per ſe & immediatè procurandum. 7.

Tertiò, quoniam communis Patrum & Scholaſticorum ſententia hoc videtur ſupponere, quando has appellat ſimpliciter ac ſine diſtinctione gratias. Quæ appellatio ſecundùm Theologicam proprietatem, non ſolet tribui, niſi rebus entitatiuè ſupernaturalibus.

Probatur quartò, quoniam ſic abſolutè & propriè ſeruatur debita proportio inter primum principium efficiens, & vltimum finem, de qua locuti ſumus ſect. præcedenti fine.

Hinc conſtat ſolutio ad duas rationes dubitandi, videlicet ad 1. 2. & 3. 8. *Ad rationes dubitandi.*

Reſpondetur primò. Eandem difficultatem eſſe, quamuis impulſus fuerit entitatiuè naturalis. Deus namque etiam, pro vt eſt author naturæ, ad actus quidditatiuè malos impellere nequit: vt probatum eſt præced. tomo de voluntate Dei à diſput. 27. vſque ad 50. præſertim diſput. 41.

Reſpondetur ſecundò. Deus agebat Caïpham vt prophetaret: diuinus impulſus, quantùm ex ſe erat, eo deſtinabatur, vt Caïphas tandem agnoſceret, nullum hominibus perditis reſtare remedium, niſi per mortem Redemptoris, illúmque propterea diligeret. Sed huic bono impulſui, quaſi tentationi blaſphemiæ reſiſtens Caïphas, propter paſſiones ſuperbiæ, ambitionis, auaritiæ, 9.

& inuidiæ, quibus liberè præbebat aſſenſum, Deo permittente, illud dictamen ſupernaturale & illum voluntatis impulſum detorſit, vt Chriſtum Dominum eſſe reipublicæ pernicioſum ſeductorem & blaſphemum iudicaret; eáque ratione pronunciaret, expedire illius mortem, ne tota gens periret. Itaque in quantum hoc fuit verum & bonum per ſe proceſſit ab impulſu Spiritus ſancti; at verò in quantum falſu ſenſu, & peruerſo affectu pronunciatum fuit, vt ſic, non proceſſit niſi à libera malitia Caiphæ. Cuiuſmodi prouidentiæ generalem doctrinam magis roborauimus tomo prædicto de volunt. Dei diſput. 44. ſect. 2. Diſtinguendus igitur eſt impulſus indeliberatus, quem Deus cauſabat in voluntate & intellectu Caïphæ, qui fuit entitatiuè ſupernaturalis; quamuis eiuſdem volitio & intellectio liberè producta non fuerit entitatiuè ſupernaturalis.

SECTIO III.

Cooperans gratia quo pacto requiratur ad eadem opera.

1. *Ad opera gratiæ gratis data gratia cooperans communiter requiritur.* Dico primò. Gratia cooperans, ſeu adiuuans communiter requiritur ad opera gratię gratis datæ. Probatur, quia communiter operationes entitatiuè ſupernaturales & liberæ requiruntur ad opera gratiæ gratis datæ. nam ad prædicandum, & interpretandos ſermones per gratiam gratis datam, requiritur conſenſus liber voluntatis in executionem illius, ad quod impellit gratia gratis data: eadémque ratio militat in prophetia, & generibus linguarum.

2. *Aliqua opera incapacia.* Dico ſecundò. Aliqua opera gratiæ gratis datæ ob imperfectionem, qua homo concurrit ad illa, non indigent cooperante Dei gratia, imò nec illius ſunt capacia.

Probatur explicando tres caſus, in quibus id verificari poteſt. Primus caſus eſt, quando abſque libero voluntatis conſenſu & electione aguntur homines ad aliquod opus, manifeſtatiuum diuinæ gloriæ ad communem vtilitatem Eccleſiæ. Quemadmodum Matth. 21. *Pueri clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid.* Quos paulo inferiùs Chriſtus Dominus infantes, atque lactentes appellauit, exponens de illis Pſal. 8. fuiſſe dictum: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Vnde Chryſoſtomus, Euthym. Theophyl. aliíque expoſitores rectè exiſtimant, verè & propriè fuiſſe infantes ætate. Porrò quàm independens ab eorum libertate fuerit hoc opus, non ſolùm probat eorum ætas, ſed etiam qui eorum defectum ſupplere debuiſſent, lapides, ſi tacerent infantes, cæteríque diſcipuli, de quibus Lucæ 19. *Amen dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.*

3. Petrus abſque libera electione, ac proinde, propriè loquendo, abſque gratia cooperante ſe induit, præcinxit, exiuit è carcere, & proceſſit cum Angelo vicum vnum, quo vſque *Petrus ad ſe reuerſus dixit, nunc ſcio verè*, &c. Act. 12. Ionas non ſolùm abſque ſua libera electione, ſed etiam, in quantum in ſe erat, renitens; eorum tamen euentibus, quæ partim geſſit, partim paſſus eſt, prætulit figuram Chriſti Domini mortis & reſurrectionis ad Dei manifeſtationem, & Eccleſiæ vtilitatem. Idémque præter ſuam intentionem cauſa fuit, vt conuerterentur nautæ, & ipſe citiùs perueniret Niniuem, quam fugiebat.

Vxor denique Pilati, per viſum multa patiens, etiam in vita cognouit Chriſti innocentiam, & iudicis eum damnantis periculum: quæ poſtea marito conſulens, teſtari voluit, ſed deſtinabat Deus ad ſuæ gloriæ manifeſtationem, & Eccleſiæ vtilitatem. 4.

Secundus caſus præcedenti proximus eſt, quando præbetur liber conſenſus in materialem aliquam actionem, ſed penitus ignorando, eam eſſe manifeſtatiuam diuinæ gloriæ ad communem vtilitatem Eccleſiæ. Quemadmodum Pilatus dictauit titulum Crucis, & reclamantibus Iudæis ratum eſſe voluit. Quod Auguſt. tract. 117. in Ioan. à med. ſic ponderat: *O ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nónne occulta vox quædam Pilato intus quodam, ſi dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, quod tanto antè in Pſalmorum literis prophetatum eſt, ne corrumpas tituli inſcriptionem.* Obſerua primò diuinam operationem & occultam vocem, quæ propria eſt operantis gratiæ. Secundò hanc etiam inſonuiſſe in corde ignorantis. Tertiò inde referre poteris Pilatum non fuiſſe cooperatum cum Deo ad aliquem ſupernaturalem actum: ſed ſolummodo Deum ſupernaturaliter in eius corde operatum fuiſſe, vt vellet ea verba ſcribere, ac retinere. 5.

Tertius caſus eſt, quando conſenſus, qui ab homine præſtatur, eſt intrinſecè malus ob malum finem, aliúdve prauum obiectum illius: ad hunc enim conſenſum gratia per ſe non concurrit, qua parte malus eſt. 6.

Nihilominus etiam tunc neceſſarius eſt aliquis concurſus ex parte Dei per modum cooperantis, inclinans ad hoc, vt liberè conſentiat ille homo inops gratiæ gratis datæ, relinquendo tamen facultatem liberam, vt conſentiat conſenſu intrinſecè bono, quem Deus, quantum ex ſe eſt, præoptat; vel conſenſu intrinſecè malo, quem Deus permittere decreuit. 7.

Itaque quoties liber conſenſus in diuinum impulſum interuenit, toties aliqua intercedit cooperatio inter Deum, & homines. Quòd ſi conſenſus non datur in totum illud, quod impulſus intendit, ſed ſolummodo in aliquam partem detruncatam, & propterea coniunctam malitiæ: tunc ſecundùm illam rationem, pro vt præſcindi poteſt à malitia, interuenit cooperatio inter Deum, & homines. Quæ non poteſt eſſe ſupernaturalis quoad entitatem ſibi intrinſecam, quoniam identificatur realiter cum tendentia eiuſdem actus ad partialia obiecta mala, vt ſupponimus. 8.

Oram igitur extremam tomi præſentis exornet odium iſtius extremæ malitiæ, quæ vel ad inanem gloriam, vel ad alium ſiniſtrum finem detorquet diuinum impulſum docendi, vel ſcribendi de gratiâ præueniente, vel cooperante. Vnde feruens erumpat oratio, cui Deus annuat, faciens, vt nos faciamus, quod per Salomonem præcipit, & per eximium Doctorem Gregorium exponit: *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas diuide. Habeto eas ſolus, ne ſint alieni participes tui. Ac ſi apertius dicat: Sic neceſſe eſt, vt prædicationi exteriùs ſeruias, quatenus per elationem te immundis ſpiritibus non coniungas: ne diuini verbi miniſterio hoſtes tuos participes admittas. Aquas ergo in plateis diuidimus, & tamen ſoli poſſidemus: quando & exteriùs latè prædicationem fundimus, & tamen per eam humanas laudes minime ambimus.* 9. *Prouerb. 5.*

F I N I S.

LOCA

Scripturæ ſanctæ quæ enucleantur.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam, tertius numerum marginalem ſignat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

Cap.2 PERFECTI ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. 5.1.4
8. Senſus enim & cogitatio hominis prona ſunt ab adoleſcentia ſua. 376.2.7
15. Nec dum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum. 177.1.3
19. Cùm eſſet manè, cogebant eum (*Loth*) Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis, &c. 104.2.3
Cùm eſſet manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, &c. 418.2.16
37. Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. 162.2.16
39. Fuit Dominus cum Ioſeph, & miſertus illius dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuerſos victos, &c. 97.1.3

Ex Exodo.

2. Reſpexit Dominus filios Iſraël. 38.1.9
4. Quòd reſpexiſſet afflictionem. ibid.
14. Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum. ibid.
15. Fortitudo mea, & laus mea Dominus. 251.2. init.
19. Si ergo audieritis vocem meam. 334.1.4
33. Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. 39.1.17
Si inueni gratiam in conſpectu tuo. 415.2.25

Ex Leuitico.

6. Ignis in altari meo ſemper ardebit. 447.1.10
9. Egreſſus ignis à Domino deuorauit holocauſtum. 447.1.9

Ex Numeris.

11. Auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi. 498.1.12
Cúmque requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetauerunt. ibid.
22. Nunquid loqui potero aliud niſi quod Deus poſuerit in ore meo. 499.1.30
24. Irruente in ſe ſpiritu Domini. 497.1.8

Ex Deuteronomio.

13. Si prædixerit ſignum, atque portentum, & euenerit, &c. 307.1.4
17. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire decreto iudicis, morietur. 41.1.init.
18. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitauit tibi Dominus. 497.1.6
32. Mea eſt vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum. 177.2.7

Ex I. Regum.

2. Filij Heli non audierunt vocem patris ſui, quia voluit Dominus occidere eos. 173.2.9
Nec enim eſt alius extra te. 486.2.11
7. Præparate corda veſtra Domino. 334.2.5
8. Præparate corda veſtra Domino, & liberabit vos. ibid.2.1
10. Cùm auertiſſet (*Saul*) humerum ſuum vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud. 97.2.7
Immutauit Saüli Deus cor aliud. 228.1.12
Abiit eum Saül pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda, &c. ibid.13. & 457.2.24
Inſiluit in eum Spiritus Domini, & prophetauit. 497.1.8
11. Inſiluit Spiritus Domini in Saül. 498.1.14

Ex III. Regum.

8. Ambulemus in decretis eius. 41.1.init.
Inclinet cor noſtrum ad ſe Dominus vt ſeruemus mandata eius. 228.1.13
Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, &c. 237.1.17
Quòd cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo; bene feciſti, &c. 306.2.20
12. Roboam non acquieuit populo, quoniam auerſatus fuerat eum Dominus, vt ſuſcitaret verbum ſuum. 173.2.9
17. Surge & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim mulieri viduæ ibi, vt paſcat te. 148.2.15

Ex IV. Regum.

4. Anima eius in amaritudine. 498.2.19
Addućite mihi pſaltem. ibid.

34. Non

Digitized by Google

14. Non audiuit Amaſius, quoniam à Deo erat, vt traderetur in manu eius, quoniam quæſierar Deus Edon. 173.2.9

Ex I. Paralipomenon.

28. Si quæſieris, inuenies: ſi autem dereliqueris eum, deiiciet te in æternum. 304.2.1. 334.1.4
Quòd cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, &c. 306.2.20

Ex II. Paralipomenon.

30. In Iuda facta eſt manus Dei, vt daret illis cor vnum, vt facerent præceptum Regis, & Principum in verbo Domini. 228.1.2

Ex I. Eſdræ.

1. Et ſurrexerunt Principes patrum de Iuda, & Benjamin, & ſacerdotes, & Leuitæ. 457.2.25
7. Ego confortatus manu Domini Dei mei. 498.1.13

Ex Tobia.

4. Eleemoſyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. 295.2.1
5. Sit Deus in itinere veſtro, & Angelus eius comitetur vobiſcum. 362.2.init.

Ex Iob.

1. Ecce vniuerſa quæ habet, in manu tua ſunt, &c. 306.2.2
4. Sternit ſibi aurum quaſi lutum. 175.2.8
5. Nihil in terra ſine cauſa fit. 16.1.init.
12. Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet. 179.1.9
Si incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat. ibid.10
14. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea. 307.1.7
19. Credo quòd redemptor meus viuit. ibid.
28. Sapientia vbi inuenitur. 250.2.3
31. Et oſculatus ſum manum meam ore meo. 231.2.init.
33. Liberauit animam ſuam. 373.2.15
34. Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi, &c. Oculi enim eius ſuper vias hominum. 38.1.8
Nouit enim opera eorum, idcircò inducet noctem, & conterentur. 179.1.12
35. Qui docet nos ſuper iumenta terræ. 175.2.8
40. Quis autè dedit mihi, vt reddam ei. 225.1.7 247.1.27

Ex Pſalmis.

4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. 365.1.2
5. Miſericordia eius præueniet me. 361.2.13
7. Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde. 293.1.4
8. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. 500.1.2
10. Oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum, Dominus interrogat iuſtum & impium. 38.1.8
15. Funes ceciderunt mihi in præclaris. 88.1.13
17. In Deo meo tranſgrediar murum. 64.1.14
Quoniam in te eripiar à tentatione. 307.1.5
Cum ſancto ſanctus eris. 334.2.6
Omnis qui petit, accipit. 381.2.17
18. Cœli enarrant gloriam Dei. 432.2.20
20. Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. 261.2.13.366.1.10
21. Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti. 38.1.9.304.2.5.334.1.2.415.1.21
24. Reſpice in me, & miſerere mei. 375.1.4
30. Ego autem in te ſperaui, Domine; dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. 230.2.5
31. Verumtamen in diluuio aquarum multarum, &c. 15.2.15
32. Spiritu oris eius omnis virtus eorum. 230.2.init.
33. Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. 192.2.13
In Domino laudabitur anima mea. 231.2.init.
36. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. 226.2.19
Os Iuſti meditabitur ſapientiam. 445.2.10
49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. 223.1.12.243.1.15
50. Qui finxit ſpiritum hominis in ipſo. 142.1.2
Cor mundum crea in me Deus. 229.1.init.
Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, &c. 365.1.2
55. Nunquid mortuis facies mirabilia: aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi. 360.2.1
58. Deus ſuſceptor meus es. 445.2.10
Miſericordia eius præueniet me. 452.2.7
59. In te faciemus virtutem, in te inimicos noſtros. 64.1.14
Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. 226.1.14
60. Quoniam homo eſt ſpiritus vadens, & non rediens. 179.2.14
67. Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis. 432.2.23
69. Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te, &c. 230.2.init
75. Confitebitur ei; & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent Deo. 440.2.7
76. Dixi: Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelſi. 220.1.9
77. Spiritus vadens, & non rediens. 230.2.init.
Et non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. 403.1.9
78. Effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam. 249.2.23
Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ. 361.2.13.445.2.10.452.2.7
79. Reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam. 38.1.9
80. Et non audiuit populus meus vocem meam. 379.1.15
84. Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. 368.1.8
85. Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. 371.1.16
87. Manè oratio mea præueniet te. 304.2.1
Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi. 426.2.12

93. Dixe

93. Dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. 37.2.7
110. Confeſſio & magnificentia opus eius. 294. 2.24
117. Omnes gentes circumierunt me. Circumdantes circumdederunt me. Circumdederunt me ſicut apes fauum. 110.2.init.
118. Confige clauis à timore tuo carnes meas. 104.1.6
Viam mandatorum tuorum cucurri. 225.1.4
Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua. 228. 1.13. 293.1.6. 341.2.9. 377.1.9. 451.2.8
Præueni in maturitate, & clamaui. 304.2.1. 334.1.2
Fiat miſericordia tua, vt conſoletur me. 339. 1.14
Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas. 369.1.init.
Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas. 382.1.2
143. Protector meus, & in ipſo ſperaui. 421. 1.11
146. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. 149.1.4
148. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis, quæ faciunt verbum eius. 15.2.13

Ex Prouerbijs.

1. Vocaui, & renuiſtis. 379.1.15
2. Si ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, &c. 304.2.1
5. Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui; deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. 497.1.1.500.2.10
8. Ego diligentes me diligo. 334.2.6
Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. 368.1.4
15. Per miſericordiam, & fidem purgantur peccata. 297.2.15
Miſericordia & veritate redimitur iniquitas. ibid.
16. Pondus & ſtatera iudicia Domini. 38.1.10
Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. 102.2.init.
Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. 230.2.5
Hominis eſt præparare animam. 304.2.1. 334.2.5
19. Præparatur voluntas à Domino. 248.1.7. 386.1.5
21. Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini. 228.1.14
Dirigit corda Dominus. ibid. & 368.1.7
22. Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam. 38.1.8
24. Cum diſpoſitione initur bellum. 60.1. init.
29. Iudicium à Domino egreditur ſingulorum. 38.2.init.

Ex Eccleſiaſte.

1. Initium ſapientiæ timor Domini. 365.1.4
3. Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum; non poſſumus eis quicquam addere, vel auferre, quæ fecit Deus vt timeatur. 27.2.3.
7. Neque dicas coram Angelo, non eſt prouidentia. 37.2.5

Ex Canticis Cant.

1. Trahe me; poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. 366.1.12
2. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. 221. 2.14
Surge, & propera. 455.1.17
5. Vox dilecti mei pulſantis, aperi mihi. 228. 1.13
6. Terribilis vt caſtrorum acies. 227.2.init.

Ex Sapientia.

1. Sentite de Domino in bonitate. 334.1.3
3. In paucis tentati, in multis bene diſponentur. 60.1.4
6. Æqualiter eſt illi cura de omnibus. 5.1.1
In omni prouidentia occurrit illis. ibid.
Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt ſe prior illis oſtendat. 224.2.init.361.2.13.445.2.9
Dignos ſeipſos circuit quærens. 334.2.6
7. Attingit autem vbique propter ſuam munditiam. 10.1.4
Propter hoc optaui, & datus eſt mihi ſenſus. 365.2.7
8. Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. 60.1.4
9. Mitte illam (*ſcil. ſapientiam*) de ſede magnitudinis tuæ. 373.1.6.419.1.8
10. Hæc ſciuit iuſtum, & conſeruauit ſine querela. 39.1.17
11. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut, quod à te vocatum non eſſet conſeruaretur. 63.1.8
Omnia in menſura, & numero, & pondere conſtituiſti. 5.1.1.60.1.4
12. Non eſt alius Deus, quàm tu, cui eſt cura de omnibus. 5.1.1
Iuſtè omnia diſponis. 6.1.4
Subeſt tibi, cùm volueris poſſe. 160.2.15
17. Magna ſunt enim iudicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua. 38.2.init.

Ex Eccleſiaſtico.

1. Cum fidelibus in vulua concreato. 362.1.19
3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. 295.2.1
17. Conſilium & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, &c. 219.1.init.
27. Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt. 362. 1.19
29. Tranſi hoſpes, & orna menſam, & quæ in manu habes, ciba cæteros. 5.2.4
Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt. 334.1.6
30. Fili mi, miſerere animæ tuæ placens Deo. 102.1.9
33. Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo, & vnum contra vnum. 27.2.6
Quaſi lutum figuli in manu ipſius plaſmare illud & diſponere; omnes viæ eius ſecundùm diſpoſitionem eius, ſic homo in manu illius qui ſe fecit. 60.1.4
Quare dies diem ſuperat, & annus annum à ſole. 231.1.6
34. Oculi Domini ſuper timentes eum. 376. 1.11

Ex Iſaia.

1. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facta eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus. 173.2.7
5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. 367.2.3
6. Excæca cor popoli huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, &c. 369.1.8
7. Nunqoid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. 210.1.2
26. Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat; ſic facti ſumus. 449.2.15
Omnia opera noſtra operatus es nobis. 226.1.14.455.2.4
28. Quem docebit ſcientiam, aut quem diligere faciet auditum. 334.2.6
30. Expectat Dominus vt miſereatur veſtri. 304.2.1.334.1.2
Aures tuæ audient verbum poſt tergum mouentis: hæc eſt via, ambulate in ea. 450.1.19
40. Omnes gentes tamquam non ſint, ſic ſunt coram eo, & tamquam nihilum & inane reputatæ ſunt ei. 11.1.11
Nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. 39.2.21
Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei veſtri. 334.2.7
45. Væ qui contradicit factori ſuo, &c. 14.1.13
Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam. 360.2.1
50. Erigit manè, manè erigit mihi aurem. 378.1.2
Dominus dedit mihi linguam eruditam. 423.1.26
65. Inuentus ſum à non quærentibus me. 230.1.2

Ex Ieremia.

1. Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te. 39.1.17
2. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. 176.1.init.210.2.5
12. Tu Domine noſti me, vidiſti me, & probaſti cor meum tecum. 39.1.17
15. Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis. 304.2.1.334.1.4
17. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem. 316.1.14
Vocaui vos, & non reſpondiſtis mihi. 379.1.15
20. Et factus eſt in corde meo quaſi ignis æſtuans, clauſúſque in oſſibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens. 103.2.2
Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito. 499.1.20
24. A tertio decimo anno Ioſiæ, vſque ad diem hanc factum eſt verbum Domini ad me. 456.2.17.
31. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. 227.2.8
Conuerte me Domine, & conuertar. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam; & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. 449.1.10
32. Dabo eis viam alteram, & cor aliud, vt timeant me omnes dies. 228.1.12

Ex Baruch.

2. Dabo eis cor, & intelligent, & aures, & audient. 228.1.14

Ex Ezechiele.

1. Cúmque ſtarent, dimittebantur pennæ eorum. Nam cùm fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas. 426.2.9
Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur; neque reuertebantur, cùm ambularent. 473.2.27
3. Et aperui os meum. 343.2.18
Spiritus quoque leuauit me, & aſſumpſit me: & abij amarus in indignatione ſpiritus mei. 418.1.11
5. Quid fiet de ligno vitis. 480.1.5
18. Facite vobis cor nouum. 334.2.7
23. Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te. 5.2.4
28. Donec inuenta eſt iniquitas in te. 230.2.3
29. Et merces non eſt reddita ei. 33.2.18
36. Dabo vobis cor nouum, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis. 418.2.15

Ex Daniele.

3. Tu rex poſuiſti decretum. 41.1.init.
4. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Forſitan ignoſcet delictis tuis. 295.2.1
10. Angelus Michaël vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum. 443.1.13
13. Suſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris. 497.2.6

Ex Oſea.

2. Ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & non inueniet, & dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quàm nunc. 105.2.9
5. Sublatus eſt Ephraim. 355.2.15
13. Dabo eis Regem in furore meo. 175.1.5

Ex Ioële.

2. Conuertimini ad me. 334.1.2

Ex Amos.

4. Præparare in occurſum Dei tui Iſraël. 304.2.1.334.2.5.

Ex Abacuc.

1. Mundi ſunt oculi tui. 6.2.11

Ex Aggæo.

1. Suſcitauit Dominus ſpiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda. 498.1.13

Ex

Ex Zacharia.

1. Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos. 304.2.1
4. Angelus qui loquebatur in me, ſuſcitauit me,&c. 497.2.6
5. Hæc eſt amphora egrediens. 177.1.1
Et ecce mulier ſedens in medio amphoræ; & dixit: Hæc eſt impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius. ibid.

Ex I. Machabæorum.

1. Facta eſt lætitia in populo magna valde. 365.2.2
Et cogitauit de altari holocauſtorum, quid de eo faceret,& incidit,&c. 457.2.16

Ex II. Machabæorum.

1. Adaperiat Dominus cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis. 228.1.14

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

4. DVCTVS eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu. 491.1.12
5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. 339.2.20
Vt ſitis filij Patris veſtri. 340.2.28
6. Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. 11.1.13
Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cœleſtis delicta veſtra. 295.2.3
Ne nos inducas in tentationem. 307.1.5
Si ergo fœnum agri,&c. 309.2.6
Quærite primùm regnum Dei,&c. ibid.
Dimitte nobis debita noſtra. 334.1.3
3. Petite,& accipietis: quærite,& inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit. 293.2.1
Quidquid otantes petitis, credite quia accipietis. ibid.
Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus. 342.1.7
8. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. 10.1.7
10. Nónne duo paſſeres aſſe veneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine Patris voluntate. 33.2.16
Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. 150.2.init.
Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. 226.1.16
Qui vos recipit, me recipit. 296.2.11
Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum. 327.1.5
Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. 327.1.5
Beatus es Simon Barjona,&c. 328.1.13
Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili,&c. 332.2.25

Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. 359.2.13.454.1.init.
11. Ego ſcio quos elegerim. 39.1.17
Abſcondiſti hoc à ſapientibus,& prudentibus, &c. 239.1.13
13. Nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo. 341.2.2
15. Nam omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. 173.2.8
16. Faciem cœli diiudicare noſtis; ſigna autem temporum non poteſtis ſcire 162.2.16
17. Si habueritis fidem, ſicut granum ſynapis, nihil impoſſibile erit vobis. 241.1.13
18. Neceſſe eſt vt veniant ſcandala. Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. 107.1.init.
Væ mundo à ſcandalis. 179.2.15
Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis. 293.2.5
19. Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt. 345.1.4
Sed quibus datum eſt. 357.2.27
Non omnes capiunt verbum iſtud; ſed quibus datum eſt. 454.1.7
21. Si habueritis fidem,& non hæſitaueritis, &c. 294.1.19
Pueri clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid. 500.1.2
22. Eratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. 313.1.16
Multi ſunt vocati, pauci verò electi. 355.2.init.378.2.11
23. Implete menſuram patrum veſtrorum. 177.1.4
Nolite vobis dicere Magiſtrum in terra. Vnus eſt Magiſter veſter Chriſtus. 417.2.init.
Vbi illius inſpiratio, & illius vnctio non eſt,&c. ibid.
25. Ornauerunt lampades ſuas. 5.2.4
Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum; vnicuique ſecundùm propriam virtutem. 211.2.13.305.1.6
Quandiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. 296.2.11
26. Orate ne inttetis in tentationem. 307.1.5
28. Euntes docete omnes gentes. 306.2.21

Ex Marco.

1. Expulit eum ſpiritus. 491.1.12
9. Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. 241.2.13
Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. 315.1.14
11. Qui credit in me, opera quæ ego facio, &c. 294.2.init.
12. Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. 313.1.16
16. Domino cooperante, & ſermonem confirmante. 370.1.20
24. Aperuit illis ſenſum vt intelligerent Scripturas. 365.2.6

Ex Luca.

1. Factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum. 365.1.4

4. Agebatur in ſpiritu. 491.1.12,13
7. Accepit autem omnes timor. 231. 1. init. 365.1.4
8. Qui habet aures audiendi audiat. 174.2.16
10. Qui vos audit, me audit. 427.2.19
13. Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. 162.2.16
14. Compelle intrare. 320.2.23
16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 295.2.3
17. Impoſſibile eſt, vt non veniant ſcandala. 107.1.7
Adauge nobis fidem. 356.1.18
18. Amen dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. 500.1.2
19. Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. 230.1.1
Si cognouiſſes & tu, &c. 369.1.7
20. Quia verò reſurgunt mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, &c. 313.1.16
21. Capillus de capite veſtro non peribit. 150.2. init.
22. Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum. 60.1.4
Angelus confortans eum. 443.2.19
24. Qui turbati eſtis. 376.2.7

Ex Ioanne.

1. Sed ex Deo nati ſunt. 229.1.7
Priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu vidi te. 301.2.34
Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 305.1.5
Conuerſus autem Ieſus. 330.1.1
3. Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. 231.2.4
4. Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forſan petiiſſes ab eo, vt dediſſet tibi aquam viuam. 311.2.3. 369.1.7
5. Scimus, quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius. 239. 2.15
6. Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. 229.1.7
Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. 428.2.2
Erunt omnes docibiles Dei. ibid.
Omne quod dat mihi Pater ad me veniet. 238.1.5. 318.1.13. 356.1.18
Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. ibid. & 427.1.init.
Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. ibid. & 318.2.3
Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. ibid.
8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. 230. 1.init.
9. Tu credis in filium Dei? 313.2.4
10. Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, &c. 89.1.6. 173.1.5
12. Propterea non poterant credere. 179.2.15
13. Sicut ego dilexi vos. 327.1.6
14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, &c. 294.2.init.
Qui diligit me, diligetur à Patre meo. 334.2.6
Paracletus autem Spiritus ſanctus, &c. ille vos docebit, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. 422.2.22. 428.2.2
Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens: paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis. 440.2.6. 455.2.7
15. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ita & vos, niſi in me manſeritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. 219. 1. 2. 480.1.5
Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. 225. 2. 10
Ego ſum vitis vera, & vos palmites. 242.1.7. 328.1.14
Si manſeritis in me. 334.2.init.
16. Ipſe enim Pater amat vos. ibid.1.3
17. Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. 89.2.init.

Ex Actis Apoſtolorum.

1. Oſtende quem elegeris. 230.2.6
Cecidit ſors ſuper Matthiam. ibid.
2. Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis. 22.2.7
Sumebant cibum cum exultatione. 365.1.2
Fiebat omni animæ timor. ibid.4
Cœperunt loqui variis linguis. 497.2.11
4. Conueniunt verè in ciuitate iſta aduersùs ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pilatus cum gentibus & populis Iſraël, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri. 22.2.7
5. Factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia. 365.1.4
6. Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur. 497.2.9
8. Philippus autem inuentus eſt in Apoſtolo. 230.2.3
Factum eſt gaudium magnum in illa ciuitate. 365.1.2
10. Cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos. 231.1.init.
Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. 300.1. init.
In veritate comperi, quia non eſt acceptor perſonarum Deus. 300.2.23
Obſtupuerunt ex circumciſione fideles. 497. 2.11
11. Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. 228.2.init.
13. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. 92.2.1
Audientes gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini. 365.1.2
Segregate mihi Saulum, & Barnabam, &c. 497.2.10
14. Annunciantes vobis, ab his vanis conuerti ad Deum, &c. 309.1.3
15. Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum. 39. 1.17
16. Dominus aperuit cor, intendere iis, quæ dicebantur à Paulo. 240.1.22

Prohibiti

Prohibiti ſunt loqui verbum in Aſia, & ire in Bithyniam. 306.2.21
Vetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. 497.2.10
17. Definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, &c. 309.1.5
Inueni aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo, &c. 312.1.8
Paulus cùm Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus eius in ipſo. 497.2.9
19. Cecidit timor ſuper omnes illos. 231.1.init. 365.1.4
20. Ecce ego alligatus ſpiritu vado in Ieruſalem. 104.2.12

Ad Romanos.

1. Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis. 232.2 8
2. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum. 310.1.13
3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis. 357.1.25
4. Quis me liberabit? gratia Dei per Ieſum Chriſtum. 218.2.12
Quæ Deus promiſit, potens eſt & facere. 226.1. 18
Quid ergo dicemus, inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem. 230.2. 3
5. Spes non confundit. 234.1.19
6. Gratias autem Deo, quia fuiſtis ſerui peccati. 232.2.8
7. Non quod volo bonum, hoc facio. 377.2.18 278.1.init.417.2.4
Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio. ibid.
Paſſiones peccatorum, quæ per legem erant. 370.1.14
8. Quos præſciuit, & prædeſtinauit. 39. 1. 1. 7. 218.1.12.342.1.4
Qui Spiritu Dei aguntur ij ſunt filij Dei. 226. 1.15.365.1.7.491.1.13
Spiritus poſtulat pro nobis. 232.2.6
Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. 293.2.init.
His qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt. 342.1.3
Quos præſciuit credituros, hos vocauit. ibid.
Iacob & Eſau, &c. ibid.
Nam quid oremus. 354.2.4
Quos autem prædeſtinauit, &c. 354.2.7.355.2.15.357.1.init.
Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum. 400.1.5
Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus. 451.1.30
9. Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ. 103.2.23
Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus. 173.2.7
Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, &c. 227.1.4
Nunquid dicet figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic, &c. 231.2.5
Spiritus adiuuat infirmitatem noſtrã. 293.1.8
Antequam quidquam boni egiſſent, aut mali. 339.2.19
Miſerebor cui miſerebor. ibid.
Non eſt currentis, neque volentis. 340.2.27
Miſerebor cui miſertus ſum. 343.2.17
Voluntati eius quis reſiſtet. 354.1.32
Non ex operibus, ſed ex vocante. 355.1.8
10. Non enim loquor, quæ per me efficit Deus. 226.1.16
Inuentus ſum à non quærentibus me. 230.1.2
Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt. 241.1.10.294.1.18
Quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. ibid.
Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt. ibid.
Quomodo credent eum, quem non audierunt. 318.2.1
Fides ex auditu. 428.1.29
Quomodo credent ei, quem non audierunt? & quomodo audient ſine prædicante. 432. 1. 18
11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. 38.1.11
Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſciuit. 39.1.15.90.2.19
Noli gloriari aduersùs ramos. 231.2.init.
Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. ibid.
Alioqui gratia non eſſet gratia. 354.2.5
Si autem gratia, iam non ex operibus. 356. 2. 23
12. Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. 231.1.1
Obſecro vos. 341.2.2
Secundùm menſuram fidei gratiam ſuppeditari. 355.1.8
13. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. 106.1. 17
Diliges proximum tuum ſicut teipſum. 298. 2. 25
15. Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum. 249.1.23
Deus ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo. 365.1.2

Ad Corinthios I.

1. Stulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, &c. 231.1.3
Fidelis Deus, per quem vocati eſtis. 327. 2. 9. 378.2.9, 12
2. Si enim cognouiſſet, &c. 369.1.7
3. Vnicuique ſicut Dominus dedit. 329.1.21
Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem; Dei enim ſumus coadiutores. 360.1.20
Coadiutores Dei ſumus. 373.2.16
Ego plantaui, Apollo rogauit. 426.1.2, 5
Neque qui plantat eſt aliquid, &c. 427.2.init.
Dei adiutores ſumus. 432.2.23
4. Quis enim te diſcernit. 231.1.2
Quid habes quod non accepiſti? 354.2.5.356. 2. 22
7. Sed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo. 355.1.8
8. Gratias autem Deo, qui dedit idem ſtudium pro nobis. 456.2.15

9. Per quem vocati eſtis. 356.2.22
10. Fidelis autem Deus,qui non patietur vos tentari vltra quàm ſuffeire poteſtis. 307. 1. 4 328. 2.19
11. Oportet hæreſes eſſe. 107.1.8
12. Nemo poteſt dicere: Dominus Ieſus; niſi in Spiritu ſancto. 226.1.14.293.2.10
Alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ. 423. 1.26
Diuiſiones operationum ſunt. 455.2.4
Qui operatur omnia in omnibus. 358.2.init. 497.1.4
Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. 499.1.22
13. Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 290.2.init.
Charitas non cogitat malum. 376.2.7
Charitas patiens eſt. 409.1.9
15. Quod ſeminas,non corpus,quod futurum eſt, ſeminas,ſed nudum granum. 64.1.16.
Gratia Dei ſum id quod ſum. 218.2. 12. 229. 1. 7. 373. 1. 6. 374. 2. 24.382. 1. 3. 404. 1. 19
Abundantiùs illis omnibus laboraui.419.1.18
16. Oſtium mihi apertum eſt magnum. 232.1.1.
In miniſterium Sanctorum ordinauerunt ſe ipſos,&c. 360.1.23

Ad Corinthios II.

1. Qui confirmat nos vobiſcum, quique vnxit nos,ac ſignauit, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris. 326.2.2
Qui vnxit nos Deus,qui ſignauit nos. 381.2. init.
Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. 454.1.6
2. Oſtium mihi apertum eſſet in Domino. 232. 1. 1
Gratias autem Deo, qui ſemper triumphat nos in Chriſto. ibid.2.8
3. Dominus autem ſpiritus eſt; vbi autem Spiritus Domini,ibi libertas. 418.2.12
Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti. 227.1.[illegible] 354. 2. 5. 356. 2. 23. [illegible] 2.2. 377.[illegible].10
Littera occidit: ſpiritus autem viuificat. 429. 1.7
4. Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. 227.1.5.365.1[illegible]
5. Qui autem efficit nos in hoc ipſum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. 226.1.1[illegible]
Vt ſitis in illo noua creatura, nouum figmentum. 329.1.init.
Si qua ergo in Chriſto noua creatura. 345.2.5
6. Exhortamur,ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 404.1.19
Adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 432.1.23
7. Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, &c. 365.1.3
8. Gratias autem ago Deo,qui dedit eandem ſolicitudinem pro vobis in corde. 327. 2. 11. 356.2.23
9. Propter eminentem gratiam Dei in nobis. 329.1.22
13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus. 226.1.16

Ad Galatas.

1. Vt reuelaret filium ſuum in me. 314.1.12. 340.2.28
Cùm autem placuit ei,qui me ſegregauit.341. 1. 31
2. Scientes autem, quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis. 300.2.init.
Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis,operatus eſt & mihi inter gentes,& cùm recognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi,&c. 497.1.4
3. Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur. 31.1.14
4. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. 148.1.11
Qua liberante Chriſtus nos liberauit. 230.1. init.
Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem: Abba pater. 293.2.init.
5. Perſuaſio veſtra non eſt ex eo,qui vocauit eos. 340.1.24.378.1.init.
Caro concupiſcit aduersùs ſpiritum. 421. 1. 31
Fides quæ per dilectionem operetur. 446.2.6

Ad Epheſios.

1. Prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui vniuerſa operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. 143.2.4
Quæ ſit ſuperueniens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis eius. 159. 2. 4
Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. 226.1.14
Deus det vobis ſpiritum ſapientiæ,& reuelationis,&c. 227.1.6
In quo non ſorte vocati ſumus. 230. 2. 5. 378.1.40
Non ceſſo gratias agere pro vobis. 232.2.8
Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem,vt eſſemus ſancti. 340.1.24
Deus det vobis ſpiritum ſapientiæ reuelationis. 365.1.2
Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis,&c. 219.[illegible]
Cùm eſſemus mortui in peccatis, &c. ibid.2. [illegible]56 2.20
Ipſius ſumus [illegible] creati in Chriſto Ieſu in opera, [illegible] Deus, vt in illis ambularemus. [illegible]
Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis [illegible] donum eſt, non ex operibus,vt ne quis glorietur. 340.2.[illegible] 356.2.21
Princeps poteſtatis aëris huius,&c. [illegible]70.1.14
3. Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter,&c. 22[illegible].1.14
Flecto genua mea ad Patrem. 453.1.init.
4. Vnicuique autem noſtrùm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. 151.2.4

Deponens

Deponens veterem hominem, induite nouum,&c. 219.1.init.
Vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. 379.1.16
In quo (*ſcil. Spiritu S.*) ſignati eſtis in diem redemptionis. 381.2
5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illumioabit te Chriſtus. 227.1.5.345.2.6.360.2.2.366.1.init.

Ad Philippenſes.

1. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu: ſicut eſt mihi iuſtum boc ſentire pro omoibus vobis. 192.2.14.220.1.8
Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in ipſum credatis. 328.1.15.354.2.3.356.2.23
2. Deus eſt enim qui operatur in nobis velle, & perficere. 225.2.13.239.2.18.328.t.init.355.1.8.358.2.init.455.2.3,4
Cum metu & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. 417.2.init.
3. Sequor autem, ſi quando comprehendendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto meo. 104.1.8
Inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt. 230.2.5

Ad Coloſſenſes.

1. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. 63.1.6
Qui dignos vos fecit in partem ſortis Sanctorum io lumine. 230.2.5
2. Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, &c. 229.1.10
4. Orantes ſimul & pro nobis. 232.1.1

Ad Theſſalonicenſes I.

1. Excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti. 365.1.1
2. Vt impleant peccata ſua ſemper. 177.1.5
Accepiſtis illud, noo ſicut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis. 226.1.17
Gratias agimus Deo ſine intermiſſione. 232.2.8
Suſcepiſtis illud non ſicut verbum hominum,&c. 358.1.2.
5. Spiritum nolite extinguere. 491.1.16

Ad Theſſalonicenſes II.

1. Impleat omnem voluntatem ſuam Deus, & opus fidei in virtute. 160.1.5
Oramus ſemper pro vobis, vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter. 419.1.17.456.2.18
2. Myſterium iam operatur iniquitatis. 370.1.14
Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Sathanæ,&c. ibid.
3. Orate pro vobis, vt ſermo Dei currat, & clarificetur, vt & apud vos. 232.1.2

Ad Timotheum I.

1. Miſericordiam conſecutus ſum vt ſim fidelis. 226.2.1

Ad Timotheum II.

1. Qui vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora æterna. 227.1.3.327.1.8
Qui nos liberauit,& vocauit. 230.1.init.
Collabora Euangelio ſecundùm virtutem Dei. 360.1.23
2. Firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum boc, nouit Dominus qui ſunt eius. 39.1.17
Cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati: ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem. 228.2.init.
Ne quando det illis Deus pœnitentiam, ad cognoſcendam veritatem. 449.1.12
Dominus Ieſus Chriſtus,& Pater noſter, qui dilexit nos,&c. 445.1.2

Ad Hebræos.

1. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ. 62.2.2.63.2.10.65.2.9
4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius. 294.2.init.
5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. 454.2.10
6. Terra enim ſæpè venientem ſuprà ſe bibens imbrem,& generans herbam opportunam. 338.2.init.426.1.2
9. Qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo. 491.2.17
10. Omnis ſacerdos præſtò eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias. 409.2.9
11. Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum. 240.2.4
Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. 245.1.19.294.1.13
Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt. 312.12.9
12. Remiſſas manus, & ſoluta genua erigite. 334.2.7
13. Optimum eſt gratia ſtabilire cor: non eſtis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. 220.2.3
Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus. 242.1.8
Deus aptet vos in omni opere bono, faciens in vobis quod placeat coram te. 208.1.9

Ex Iacobo.

1. Nónne Deus elegit pauperes in boc mundo, diuites in fide,& hæredes regni. 87.1.7
Voluntariè genuit nos verbo veritatis. 229.1.5
Omne datum optimum. 231.2.4

Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. 294. 2. init.

2. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius. 360.1.19

3. Quæ deſurſum eſt ſapientia bonis conſentiens eſt. 409.2.9

4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. 304.2.1.334.1.2

Deus ſuperbis reſiſtit. 334.2.6

Ex I. Petri.

1. Electis ſecundùm præſcientiam Dei patris in ſanctificationem. 39.1.17

Certam veſtram vocationem faciatis. 379. 1.16

Renati non ex ſemine corruptibili. 446.1.3

3. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu. 227.1.4

5. Renati non ex ſemine corruptibili per verbum Dei viui. 219.2.8

Ex II. Petri.

3. In Iuda facta eſt manus Dei, vt daret illis cor vnum, vt facerent præceptum Regis, & Principum in verbo Domini. 160. 1.6

Propter quod patres hæc expectantes ſatagite immaculari. 334.1.3

Ex I. Ioannis.

1. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra. 241.2.9

2. Aduocatum habemus apud Patrem. 343. 2.18

Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis; & non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium, & ſicut docuit vos, manere in eo. 427.1.18

3. Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, &c. 297.1.12

Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet. 229.2.8.446.1.3

4. In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. 225.1.9

Non quaſi nos priùs dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. 246.2.20

5. Qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei ſeruat eum. 229.1.7.446.1.3

Scimus quoniam filius Dei venit. 365.2.6

Apocalypſis.

3. Ego ſto ad oſtium, & pulſo. 228. 1. 13.363. 1.3

Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ. 334.1.3

7. Vidi Angelum Dei, aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei. 442.1.7

15. Iudicia tua manifeſta ſunt. 38.2.init.

16. Vera & iuſta iudicia tua. ibid.

20. Oportet eum (*diabolum*) ſolui breui tempore. 175.2.9.177.2.9

Digitized by Google

INDEX
Rerum, & verborum notabilium.

Primus numerus itidem paginæ, ſecundus columnæ, tertius numeri marginalis indicina eſt.

A

ACCENNO, de gratia excitante. 491.1.10

Acceptio perſonarum.

Acceptio perſonarum apud Deum nulla. 306.1.14

Actio.

Actiones materiales peccatorum gubernandi modus medius. 31.2.1
Actionum bonarum & malarum prouidentiæ conuenium. 32.1.2.3
Actionum materialium peccatorum perfectiſſima prouidentia. ibid.2.7
Actiones peccatorum haut fieri caſu. 33.2.15
Actiones peccatorum materiales prouiſæ.ibid.18
Bonarum actionum prædefinitio poſſibilis. 84.1.2
Actiones impiorum Deus in vtilitatem prædeſtinatorum ordinat. 97.1.3
Actiones peccatorum prædefinitionis expertes. 106.2.2
Actionum indifferentium infallibilitates innumeræ. 107.1.9
Actionum vaga infallibilitas ſub eadem ſpecie. 110.2.1
Vagam actionum prædefinitionem negantes qui. 113.2.1
Actionũ,virtutúque Chriſti D.varietas.115.1.18
Actiones peccatorum non prædefiniuntur vaga prædefinitione. 116.2
Actiones liberæ non ſunt à diuina prouidentia. 136.2.15
Actiones liberæ non ſunt futuræ, quia præſciuntur à Deo. 137.1.21
Actionum turpium locus, menſura & tempus præſcriptum. 148.2.12
Actiones liberas potuit Deus non prædefinire. 156.1.4
Actiones peccatorum ex decreto & voluntate Dei. 174.2.1
Actiones per ſolas vires naturæ quaſi cauſa per accidens gratiæ. 207.1.2
Actiones honeſtas Deus quaſi paſſiuas occaſiones accipit. 213.2.34
Actiones præuenientis aſtutiæ quales. 215.2.2
Sola ſupernaturalis actio iuſtificationis initium. 280.2.1
Actio ſuperans naturæ vires intrinſecè ſupernaturalis. 284.2.12
Aliquæ actiones naturales ſine gratia fieri nequeunt. 287.1.1
Earum caput primum opera heroica. ibid.
Secundum,perſeuerantia. ibid.
Tertium, multorum collectio. ibid.
Quartum, difficilia. ibid. 3
Non præbent iuſtificationis initium de facto. ibid. 5
De facto ſupponunt iuſtificationem inchoatam. ibid.
Per accidens naturæ vires ſuperant. 188.2.20
Abſque auxilio fieri poſſunt ab Angelo. 289.1.22
Fieri poſſunt ſine gratia à natura integra. ibidem 23
Ab aliquibus in natura lapſa fieri poſſunt ſine gratia. ibid.28
Actiones ſupernaturales non ſunt prædeſtinationis cauſæ. 321.2.5
Ad omnes actiones ſupernaturales præueniens gratia neceſſaria. 455.1.1
Actiones liberæ quæ. 469.1.8
Actionem realem quid impedire poſſit. 478.1.8

Actus.

Actus intellectus in prædeſtinatione præcipuus. 37.2.8
Actus voluntatis in prædeſtinatione quid. ibid.
Omnis actus intellectus apprehenſio, vel iudicium. 44.2.6
Actus in quo prouidentia Dei, volitionem eſſe, & creaturas eſſe producendas, affirmat. 46.2.2
Actuum liberorum compulſio quid. 101.2.3
Actus meritorius liber. 121.1.30
Actuum differentiæ numericæ. 123.2.21
Actuum differentias numericas Chriſtus D. & Angeli determinant. 124.1.init.
Actum prædefinitum non fieri liberè. 132.2.1
In actibus plurimis gratiæ gratis datæ interueniunt actus gratiæ gratum facientis. 151.1.3
Actus naturales non prædefiniri putarunt aliqui. 154.2.7.
Omnes actus honeſti prædefinitione digni. ibid.2.8.& cur. ibid.& ſeqq.
Actus naturalis à ſupernaturali imperatus auget gratiam. 155.1.14
Actus plurimi prædefiniti in particulari & determinatè. 157.2.4.
Actus per infallibilizantia motiua prædefiniti qui. 165.2.11
Actus aliqui prædefiniuntur de facto per vehementiam concutſus effectiui. 168.2.13
Inter actus voluntatis & intellectus debet eſſe proportio. 240.1.21

Actus ſupernaturales peccatorum meritorij de congruo. 242.1.8
Actus viribus naturæ elicitus quomodo comparetur ad gratiam. 245.2.3
Noo poteſt eſſe pars gratiæ. ibid. 5
Non cauſa gratiæ. ibid.6
Nec gratiam impetrat. ibid.8
Actus viribus naturæ elicitus non diſponit ad gratiam. 297.2.1
Non eſt diſpoſitio ſufficiens ad primam gratiam. ibid.
Actus infuſarum virtutũ ſupernaturales. 281.1.5
Supetnaturalis erit actus, quin obiecti ſupernaturalitas cognoſcatur. 317.1.6
Actus ſupernaturalis obiectum formale ſupernaturale. ibid.7
Actus exterior & interior quid. 388.1.6
Actus exterior, qui ab alio imperatur. ibid.2.7
Actus vitales à ſolo Deo produci. 392.1.17
Actus neceſſarios produci à nobis. ibid. 2.19
Nobiſcum Deus phyſica cauſalitate liberos actus producit. 395.1.7
Actus ooo conſtituit potentiam potentem. 405. 2.33
Pura omiſſio actus meritoria quando. 413.2.13
Ad externos actus voluntaris & intellectus requiritur peculiaris gratia. 420.1.8
Deus ad primum actum ſupplet concurſum habitus. 461.1.4
Actus illuſtratiooe intenſior euadere poteſt. 462. 1.21
Nullus citra reuelationem ſcit habere actum ſupernaturalem. 472.2.15
Actus omiſſio libera. 478.2.17
Nullus ſcit ao per puram omiſſionem ceſſet ab actu. ibid.18
Actum ſupernaturalem ſine vlla gratia elici implicat etiam de potentia abſoluta. 492.1.1
Actum producendi ſioe gratia diſtincta triplex modus. ibid.4
Vide *Volitio.*

Adam, & Eua.

Adam naturæ viribus non habuit ſalutis initium. 219.2.4
Adam, & Eua vt perſeuerarent indigebant noua gratia. 480.2.8
Adam diſpoſitus fuit ad gratiam. 495.1.5

Adultus.

Adulti. 204.2.1
Semipelagianorum error circa adultos. ibid.
In eodem errore fuerunt Arriani. ibid.2
Contra errorem ſunt experientia & hiſtoriæ. 205. 1.4
Prædictus error duplex meritum præmiumque tribuit. ibid.8.
Ruperti ſententia huic errori proxima. ibid.9
Eiuſdem peculiaris impugnatio. ibid.2.11.
Adulto fideli gratia totaliter præueniens non eſt opus denouo præberi. 445.1.init.
Multis fidelibus gratia totaliter præueniens neceſſaria. ibid.7
Hæc neceſſitas per accidens contingit. ibid.

Affectio.

Pia affectio fidei principium iotrinſecum. 240. 1.20

Agens.

Agens principale Angelus. 76.1.3
Omne agens propter finem operatur. 236.2.8
Agendi verbum. 363.2.7

Agitatio.

Agitatio, ac propenſio ad bonum, gratia præoeniens & excitans ad actiones pietatis. 486. 2.13

Algazel.

Algazelis error circa prouidentiam. 5.1.23

Amor.

Amor Dei opera bona antecedit. 99.1.8
Amor boni in communi à Deo neceſſariò inditus. 468..2.15
Amor finis neceſſarius, & à Deo impreſſus. ibid. 17.& ſeqq.
Amor ſui cuilibet perſooæ neceſſariò toditus. ibid.2. 20

Amphora.

Amphora idem quod menſura. 177.1.1

Angelus.

Angelus principalis agens.. 76.1.3
Angeli prouideotiã miniſtri. 79.1.5
Angeli nihil creant. ibid.6
Primi effectus ad quos Deus Angelorum vtitur miniſterio. ibid.2.11
Nullas ſubſtantias poſſunt Angeli producere. 80.1.init.
Angeli immediatè ſolùm motũ producũt. ibid. 2.4
Angeli iuxta naturæ perfectionem gratiæ dona collata. 212.1.18
Angeli gratiam excitantem prodocere non poſſunt. 441.2.2
Quid circa homines poſſint agere. ibid.3
Quomodo Angeli nos illuminare dicantor. 442.1.8
Quomodo Angeli nos confortent. 443.2.18
Angeli intellectus ad primam intellectionem à ſolo Deo mouetur. 466.1.8
Aogelis in via neceſſariam fuiſſe præuenientem, & operantem gratiam. 485.1
Angeli per naturæ vires non poſſunt præbere iuſtificationis initium. ibid. 2.3
Ad perſeuerandum iodiguerunt præueniente auxilio. 486.2.12
Angeli vt perſeuerarent ſatis erat primum auxilium. 487. 2.23
Angelorum via vnico inſtanti terminata. 488.1.1
Omnes Angelorum operationes indiguerunt gratia. ibid.
Angelorum neceſſitas perpetuò eliciendi aliquam intellectionem, & volitionem. 489.1.10
Angeli ſe & Deum neceſſariò cognoſcunt & diligunt. ibid.2.12
Gratia & gloria Angelorum perfectioni commenſurata. ibid.15
Angeli diſpoſiti fuere ad gratiam. 495.1.5

Anima.

Animæ & potentiæ conſeruant habitum. 75.2.30
Aoimæ rationalis productio deficit à morali creatione. 228.2.3

Apoſtolatus.

Apoſtolatus gratia. 497.1.4

Appellatio.

Appellare liberum. 100.2.15

Applicatio.

Applicatio tripliciter intelligitur. 398.2.2

Apprehenſio.

Apprehenſio in Deo impoſſibilis. 44.1.2

Arbitrium.

Liberum arbitrium ſecundaria cauſa ſe diſcernens. 88.2.19

Arbitrij mutabilitas quantum impellat. 129. 2.10

Liberum arbitrium ſalutis initium præbere teſtatur Caſſianus. 201.1.2

Ariſtoteles.

Ariſtotelis error circa prouidentiam. 4.1.15. 16.17

Errorem correxit Ariſtoteles. ibid.18

Ariſtoteles Dei prouidentiam circa liberas actiones agnouit. ibid.19

Ariſtoteles refutatur. 10.2.8

Arnobius.

Vide 194.2.6

Arriani.

Arrianorum error circa adultos. 204.2.[illegible]

Ars.

Ars & ſcientia Dei à prouidentia differunt. 6. 1.11

Aſcenſus.

Aſcenſus per annos, menſes, dies & horas. 126. 2.20

Attributa.

Attributorum Dei manifeſtatio maior, ex peccatis prædeſtinatorum. 29.2.21

Dei attributa magis manifeſtantur ex peccatis prædeſtinatorum. ibid.

Attritio.

Attritio in ſacramento impetrat gratiam. 241. 1.7

Auerroes.

Auerrois error circa prouidentiam. 5.1.23

Auguſtinus.

Auguſtini laus. 213.2.2

Eius authoritas in quauis re grauiſſima. 214. 2.4.

Pontificum authoritate probata. ibid.

Gallorum effugium contra Auguſtinum refutatur. ibid. & ſeqq.

Auguſtiniana doctrina nunquam ſuſpecta. ibidem 6

Leo Magnus Auguſtini doctrinam approbat. ibid.8

Idem fecit Gelaſius. 215.1.9

Fecit & Hormiſda. ibid.10

Hieronymi cenſura circa Auguſtini doctrinam. ibid.11

Eam cenſuram Gelaſius approbat. ibid.

Auicenna.

Auicennæ error circa prouidentiam. 5.1.23

Auxilium.

Auxilium ad gratiæ recuperationem neceſſarium qua ratione negari potuit. 109.2.14

Auxilia ſupernaturalia ad vitandas culpas. ibidem 17

Auxilium ſpeciale ad perſeuerandum ſub conditione promittitur. 18[illegible].2.5

Auxilium ſpeciale [illegible] ad perſeuerandum [illegible] moraliter impoſſibile. ibidem [illegible]

Au[illegible] omnibus promittitur. 18[illegible] 2.[illegible]

Auxilia [illegible] quibus vult confert Deus. 206.1.15

Auxilium primum gratis dari. 220.1.1

Auxilia omnia parta putabant [illegible]ienſes. 250. 2.4

Auxilia congruentia. 270.2.1

Auxilia communia & ſufficientia. ibid.4.

Auxilia gratiæ non conferri ei, qui facit quod in ſe eſt per vires naturæ. 271.1.7

Qua lege auxilia omnibus dentur. 275.1.22

Quis faciat quod eſt in ſe vt vtatur ſupernaturali auxilio. 276.2.1

Supernaturale auxilium ſimpliciter neceſſarium ad iuſtificationis initium. 284.1.7

Ordinatie non datur ſupernaturale auxilium niſi ad inchoandam fidem. 287.2 init.

Abſolutè poteſt dari. ibid.8.

Adhuc non ſunt initium. ibid.

Diuturna tentationum victoria eget auxilio ſupernaturali. 307.1.5

Omnibus adultis dantur auxilia ſufficientia. 308.1.1

Primum ſupernaturale auxilium gratis datum. ibid. 3

Auxilium Dei non ſolùm ad bonum quodlibet opus, ſed etiam ad bonam voluntatem neceſſarium. 350.1.14

Auxilium Dei non ſolùm adiuuans, ſed etiam præueniens & vocans. ibid.

Auxilium, ſeu gratia auxiliatrix quid. 409.1.3

[illegible] acceptio. 410.2.4

B

[illegible]arus.

Barbari mo[illegible] gratia. 308.2.6

Barbaris per primam gratiam naturale obiectum proponitur. 309.[illegible]

Beatitudo. Beatus.

Beatitudinis amor omnibus neceſſariò inditus. 466.2.2

Mouet ad cæteras volitiones. [illegible]

Etiam in prauis volitionibus [illegible] beatitudinem. ibid.[illegible]

Beatitudinis amorem eſſe liberum quoad exercitium qui putent. 474.1.3

Beatitudo ſummum bonum. 475.1.7

Beato Dei præcepta [illegible] impleri neceſſarium. 534.1.16

Beatis ad amorem non datur gratia [illegible] 596.1.14.

Beatis neceſſaria eſt præueniens & operans [illegible] atia. 490.1.6

Illis ſufficit viſio beatifica. ibid.[illegible]

Bona.

Minus bonum relicto maiori poteſt eligi. 101. 1. init.

Bona temporalia quomodo petenda. 253.2.14

Bona naturalia hominibus aliquo modo debita. ibid.16

Brutum.

Bruta imperio non indigent. 51.2.4

C

Cæcus.

Cæcus à natiuitate apud Ioannem. 315. [illegible]

Cæſar apud Lucanum.

Cæſaris error circa prouidentiam. 5.1.25

Caſſianus.

Caſſianus Pelagianorum dux. 294.1.3

A ſeipſo diſſidet. ibid.

Caſſiani opera apocrypha. ibid.4. & 326. 1.12

Caſſiani doctrina in quibus condemnata. ibidem.

Caſſiani doctrina nec tota, nec eius perſona damnata. ibid.2.init.
Caſſiani inconſtantia quinque capitibus notatur. 201.5
Caſſianus diſcrimen gratiæ ex natura petit. ibid. 2.5
Sibi contrarius. ibid.6
Caſſianus exiſtimat, vigilias, ieiunia, ſolitudinem, lectionem, orationem, & ſimilia opera fieri poſſe ſine ſupernaturali auxilio. ibid.8
Caſſiani collationes expurgatæ. 202.1.10
Caſſianus Chryſoſtomi diſcipulus. 322.1.2
Nouitatis Auguſtinom arguit. ibid.2.4
Caſſiano quidam præſidium ferunt. 332.2.6

Caſtitas.

Caſtitas perpetua. 454.1.7

Caſus.

Caſus quid. 16.2.25

Cauſa.

Cauſa per accidens quid, & qualis. 16.2.25
Cauſa ſufficiens ad producendum effectum non eſt per accidens. ibid.26
Cauſa naturalis eorum quæ fiunt ex putredine. 76.1.3
Deus cum cauſis ſecundis mediatione & immediatione ſuppoſiti concurrit. 77.1.8
Cauſa perfectior vti poteſt inſtrumento imperfectiori. ibid.6
Cauſarum naturalium influentias mediat actiuitas. 80.1.13
Cauſæ ſecundæ non promouentur. ibid.14
Cauſa diſcernens iuſtos ab impiis. 88.2.19
Cauſa exiſtere debet vt cauſet. 203.1.8
Cauſæ dignitas effectus extrinſeca. 386.2.13
Cauſalitas Dei triplex. 10.1.2
Cauſalitatis efficientis genus efficacius quàm moralis. 168.1.11
Cauſalitas moralis. 406.2.4

Ceſſatio.

Ceſſatio ab actibus charitatis diſponit ad mortale. 190.1.12

Chriſtus.

Chriſti Domini humanitas. 113.1.23
Chriſti Domini operationes & vaga, & determinata prædefinitione prædefinitæ. 119.1.11
Chriſti Domini operationes ſolùm in generali & vagè præceptæ. ibid.13
Chriſtus Dominus metuit. ibid.2.init.
Chriſto mortem liberè amplecti phyſicè neceſſarium. 122.1.7
Chriſto mortem ſubeundi ratio ſpecifica. 123.1.18
Chriſti humanitas non extitit ante vnionem. 235.1.10
Chriſtus intuitu operum Patrum promiſſus nobis. 249.2.23
Chriſtus noſtræ prædeſtinationis exemplar. 272.22.2
Chriſtus gratia cooperans. 401.1.18
Qua ratione caput Eccleſiæ. ibid.21
Chriſti humanitas inſtrumentum diuinitatis. ibid.22
Chriſti doctrina exteriùs tradita non ſufficit. 428.2.2
Chriſti humanitas præueniente & operante gratia indigebat. 490.2.10
Sufficiebat viſio beata. 491.2.19
Quid ſi ſine viſione aſſumeretur. ibid.2.20
Chriſti humanitati omnes debebantur gratiæ. ibid.21
Vide *Deus.*

Chryſologus.

Chryſologus ab aliquibus notatus. 341.2.2
Defenditur. ibid.

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus veritatem Catholicam ſæpe docuit. 326.2.1
Eius teſtimonia ad capita reducuntur. ibid.
Chryſoſtomi præſcientia à Maſſilienſium præſcientia longè diſtat. 332.1.21

Cicero.

Ciceronis error circa prouidentiam. 4.2.21,22

Circunſtantia.

Circunſtantiæ reſpectu vnius perſonæ actum in genere reddentes infallibilem. 108.1.1
Circunſtantiæ omnes prædefinitæ. 147.2.1
Aliquæ circunſtantiæ non prædefiniuntur motiua infallibilitantia. 164.2.5

Coactio.

Coactio circa rationem ſpecificam tollit rationem meriti, etiamſi differentia maneat libera. 223.1.16
Vide *Compulſio, Neceſſitas, Infallibilitas.*

Cœlum.

Cœlum corruptibilia conſeruat. 73.2.init.

Cogitatio.

Cogitatio humanarum actionum principium. 227.1.6
Propria cogitationis ratio. 376.2.7
Cogitatio poteſtatem præbens gratia operans. 377.1.9.
Cogitatio de omni motu animi, qui non eſt liber. ibid.2.17.
Cogitatio congrua debetur naturæ. 437.1.2
Prima cogitatio in Deo immittenda. ibid.2.5

Cognitio.

Cognitio, in qua conſiſtit prouidentia, potuit non eſſe. 47.1.4
Cognoſcendi futura duplex modus. 49.2.2
Cognitio futurorum in decreto libero. ibid.

Collator.

Collatoris ſuperbia notatur. 322.2.4
Antiquis Patribus ſuam imponebat doctrinam. ibid.5

Compulſio.

Compulſionis efficacia comparatione ſingulorum hominum. 99.2.2
Compulſio non ſemper moraliter infallibilis. ibid.4
Compulſio aliquando moraliter infallibilis. 100.1.6
Ad compulſionis efficaciam vaga infallibilitas ſufficit. ibid.8
Compulſio ſecundùm quid. ibid.11
Compulſio & metus libertatem non ligant. ibid.2.14
Compulſio aliquibus contingit. 101.1.1
Compulſio actiua & paſſiua. ibid.2.2
Compulſio actuum liberorum quæ. ibid.3
Compulſionis nomine vehemens ſignificatur vocatio. ibid.4
Compulſio prædeſtinatorum determinata. ibidem.
Compellendi modus duplex. ibid.6
Deus compellit ad fidem. 102.2.4

Compul

Compulſionis exempla Hieremias, & Paulus. 103. 2.1
Compellit quod tolerari non poteſt. ibid.
Compellunt terrores & flagella. 104.2
Compulſiones celeberrimæ. 105.1.5
Compellendi poteſtas per cenſuras. ibid.2.12
Compellendi præceptum Eccleſiam obligat. ibidem 14
Compulſio per timorem ſupplicij. 206.1.17

Compunctio.

Compunctio boni propoſitum claudit. 458.2.12

Concilia.

Concilij Arauſicani authoritas quanta. 216.2.6
  Tacitè à Sede Apoſtolica probatum. ibid.
  Quo tempore celebratum. ibid.8
Conciliorum & Patrum phraſes. 281.1.8
  Vide *Pontifex.*

Concionator.

Concionatorum opportunitas neceſſaria. 213. 1.30.

Concurſus.

Concurſus Dei generalis neceſſitas probatur. 80. 1.1. & ſeqq.
Concurſus Dei generalis applicat cauſas naturales. 81.2.12
  Voluntatem ſolùm ad bonum in communi determinat. ibid.13
Concurſus cauſæ primæ immediatus, & intimus. ibid.1
Concurſus generalis non ſufficit ad inferendam infallibilitatem. 166.1.3
  Ad quas operationes ſufficiat. ibid.4
Concurſum Dei effectiuum infallibiliter inferre conſenſum ſententia negans. ibid.2.6
Concurſum Dei effectiuum præſtare quidquid præſtat habitus. 167.2.2
Concurſus effectiuus vt infallibiliter rapiat non opus eſt vt cognoſcatur. ibid.6
Concurſus diuini vehementia in quo poſſit eſſe maior. 168.2.16
Concurſus diuini vehementia maior ſe tenet ex parte producendi medij. 169.1.19
Concurſus effectiui vehementia in actu primo quid. ibid.2.22
Concurſus Dei ad extra non reſultat neceſſariò ex decreto. ibid.1
  Non determinatur voluntas à concurſu Dei independenter à libera cooperatione. ibid.
Concurſus effectiuus non determinat omnino voluntatem. 170 1.6
Concurſus diuini duæ rationes. 493.1.18

Conditio.

Conditio per ſe conferens ad gratiam admixta diſpoſitione, & merito. 223.2.19
  Vide *Actio.*

Confirmatio.

Confirmatorum in gratia ſpecialis protectio. 111. 1.3

Coniectura.

Coniecturis humanis cur poſſit ſubeſſe falſum. 164. 1.8

Conſcientia.

Conſcientiæ inuincibiliter complexæ cur non imputetur peccatum. 124.1.24

Conſenſus.

Conſenſus vt ſit liber aliqua ratio boni cognoſci debet. 165.2.1

Conſeruatio.

Conſeruatio opus prouidentiæ. 62.2.2
Conſeruatio, & creatio eadem. ibid.& 71.1.12
Conſeruatio aliquorum effectuum cur indigeat cauſa primò producente, aliorum verò conſeruatio non item. 66.2.6
Conſeruationis diuinæ duplex indigentia. 68. 2.22
  Res ſe conſeruare qui putarint. 69.1.2
Conſeruatio, concurſus totaliter immediatus. 70. 1.1
  Nihil ſeipſum conſeruat. ibid.
  Res incorruptibiles vt conſeruentur non indigent Dei minori concurſu. 71.2.16
  Se indirectè conſeruant. 72.1.19
  A ſolo Deo conſeruari qui putarint. ibid. 2.1
  Rerum corruptibilium conſeruatio creaturis mediis. 73.1.8
Conſeruatio corruptibilium à cœlo. ibid.2.init.
  Agens calorem producens poteſt illum conſeruare. ibid.12
  Anima & potentiæ conſeruant habitos. 75. 2.30
  Solo generali cõcurſu conſeruat Deus. ibid.31
  Conſeruatio creationi æqualis. 77.2.7
Conſeruatio à creatione differt. 78.2.init.
Conſeruatio rei à productione prima penes connotata differt. 80.2.3

Conſilium.

Conſilium pro diuina prouidentia & ratione agendorum. 22.2.7
Conſultandi verbum. 40.1.init.

Contemplatio.

  Vide 454.2.11

Continentia.

  Vide *Incluſio.*

Contingens, & Contingentia.

Contingentia diuinæ prouidentiç ſubiecta. 19.1.1
Contingentia vt talia à Deo. ibid.2
Contingentiæ prima cauſa Deus. ibid 2, 3
Contingentiæ modi quinque. ibid.4
Contingens quid. ibid.2.7
Contingentia imperfectionem præcognitionis & efficaciæ denotat. ibid.8
Contingentia præſentiæ repugnat. ibid.
Contingens nihil reſpectu Dei. 20.1.12, 13, 14
Contingens propriè quid. ibid.12
Contingens futurum, non præſens. ibid.2.15
Contingens non dicitur reſpectu principij neceſſarij. ibid.16
Contingens vtrùm effectus proueniens ex certa intentione. ibid.17

Contritio.

Contritio diſponens ad gratiam. 121.2.3

Conuerſio.

Conuerſionem differre quandoque peccatum eſt. 148.1.9
  In conuerſionis exordio lux, & ſuauitas maior. 370.2.1

Cooperatio.

Cooperationem Dei non requiri ad initium boni, ſed tantùm ad finem. 350.2.18
  Hoc concedi niſi iis, qui recta conſcientia bonum eligunt. ibid.
Cooperari noſtrum ſimul cum diuino auxilio, 355.2.init. & ſeqq.

Cor.

Cor boni meriti principium. 217 2,9

Cordis mutandi author Deus. ibid.

Cornelius.

Cornelius Centurio in Actis Apoſt. 299.1.2

Creatio.

Creatio & prouidentia differunt.58.2.1.& ſeqq.
Creatio ſub prouidentia comprehenditur. 59.1.3
Creatio & prouidentia diſtinctæ realiter. ibid.5
Creatio ſumpta pro actione immanente Dei formaliter differt à prouidentia. ibid.6
Creatio & prouidentia ſe inuicem includunt. ibid.2.7
Creatio mouetur à prouidentia. ibid.9
Creationis & conſeruationis differentia quanta. 78.2.init.
Creationem explicat Chryſoſtomus. 327. 1. init.
Eam dupliciter diſtinguit. ibid.
Vide *Conſeruatio.*
Creaturæ rationales imperio indigent. 51.1.3

Credibilitas.

Credibilitatis motiua iuuant fidei receptionem. 212.2.23
Credulitatis affectus iuſtificationis initium. 314. 1. 7

Cultus.

Verus Dei cultus. 316.1.21
Cuſtodiendi verbi acceptio. 38.1.8

D

Dæmon.

DÆmones cuſtodes humanarum actionum quis cenſeat. 3.2.9
Dandi, & accipiendi verba. 486.1.8
Dare poteſtatem, gratiæ operantis proprium. 498.1.15

Decretum.

Decerno, pro prædeſtino. 36.2.11
Decretum quandoque volitionem, quandoque iudicium ſignificat. 41.1.init.
Decretum pro prædeſtinatione. ibid.

Demeritum.

Abſque hominis demerito naturaliter implicat deſtinatio talis vt ſit infallibile hic & nunc peccaturum. 291.1.21
Id fieri poteſt, ſi multa, vel grauia venialia commiſerit. ibid.22

Deſcenſus.

Deſcenſus per annos, menſes, dies & horas. 126. 2. 21

Deſiderium.

Deſiderium boni vocationis pars. 227.1.7

Deus.

Dei laus ex iuſtitia. 6.1.9
Deus neque vt author naturæ ad falſum inclinat. 7.2.7
Deus creator per volitionem & intellectionem. 8.1.12
Deus mirabilis in magnis æquè, ac in minimis. 21. 1.14,15,16
Deus intellectu, & velle ſe, iudicat. 47.1.7
Deus non ſibi imperat. 51.2.6
Dei efficientiam circa mundum agnouerunt Ariſtoteles & Auerroës. 61.1.11
Deus totaliter incorruptibilia primò produxit. 69.1.1.
Deus non cauſat per ſuam eſſentiam. 79.1.4.
Dei ſpecialis cura & prouidentia. 89.1.6
Deus illuminat, intellectum dat, docet ſapientiam. 96.2.18
Deus compellit ad fidem. 102.2.14
Deus non præuenit voluntates noſtras. 136.2.13
Deus non prædeſtinat actiones liberas. ibid.14
Deus ex præſcientia prædeſtinat. 137.2.24
Dei prouidentia rebus omnibus in ſingulari proſpicit. 146.1.13
Dei munus, pro potentia. 160.1.6
Deus abſque diſcurſu cognoſcit, quæ nos per diſcurſum. 163.2.5
Dei fidelitatem in conditionali promiſſione fundari. 192.1.11
Prædicta conditionalis promiſſio probatur. ibid.12
Deus ad occaſionem gratiæ occaſionem ſumit. 209.1.5
Deus omnis dictus cur. 227.1.4
Deus non eſt perſonarum acceptor. 306.1.14
Deus naturaliter cognoſcibilis. 312.1.8
Multitudo Deorum. 315.2.19
Deus omnis boni author. 350.1.14
Deus qua ratione paratus, vt nobiſcum concurrat. 399.2.1
Deus gratia excitans. ibid.2
Dei concurſus gratia cooperans. 410.1.1
Deus actualis concurſus auxiliatrix gratia. ibid.3.
Vide *Chriſtus D.*

Diabolus.

Diabolum ſolui, id eſt, permitti exercere totam tentationem quam poteſt vi vel dolo per ſeipſum, & ſua membra. 375.2.9

Dialecticus.

Dialecticus hæreticorum fallacias deprehendit faciliùs. 213.1.27

Differentia.

Differentiæ numericæ. 123.2.21. & 23

Diſcretio.

Dei miſericordia nos diſcernit. 231.2.5

Diſpenſatio.

Diſpenſationis acceptio. 23.2. init.

Diſpoſitio.

Diſpoſitio à prudentia diſtinguitur. 59.2.1
Diſpoſitio rarò ſumitur pro prouidẽtia.60.1.init.
Diſpoſitio ipſa executio. ibid.3
Diſpoſitio in prouidentia continetur. ibid.
Diſpoſitio de exteriori actu prouidentiæ, illiúſque executione. ibid.4
Diſpoſitio, de rebus mobilibus. ibid.
Diſpoſitionem non adæquat totam executionem. ibid.5
Diſpoſitiones à forma reſultant. 73.1.11
Diſpoſitiones formam conſeruant. ibid.2.init.
Diſpoſitio vtrùm repugnet quidditati gratiæ. 222.1
Quæ diſpoſitiones non obſteot. ibid.4
Diſpoſitioni debetur forma. ibid.2.5
Diſpoſitionis cauſalitas ad cauſam materialem pertinet: 248.1.6
Diſpoſitio ad gratiam gloriæ meritoria. 386. 1. init.

Diuinatio.

Diuinare, quid. 315.2.init.

Doctrina.

Doctrina de ioitio gratiæ Auguſtino antiquior. 213. 2. 1
Doctrina Chriſti tradita exteriùs non ſufficit. 428.2.2

Vide

Vide *Lex*.

Donum.

Donum Dei iuſtificationis initia. 350.1.16
Poteſtas bene agendi. ibid.

Dos.

Dotes naturales Deum non mouent. 212.1.17

E

Eccleſia.

ECcleſia ab Spiritu ſancto gubernata. 232.2.6
Vide 459.1.18

Effectus.

Effectus recipiens formam eiuſdem rationis non indiget eodem principio conſeruante. 68.1.17
Vide *Euentus*.

Electio.

Electorum reliquiæ gratis relictæ. 89.2.12
Electio non ex operibus, ſed ex beneplacito gratuito. 90.1.17
Eligendi modus & ratio. 95.1.1
Electionis vis. 215.2.10
Electio duplex. ibid.
Diuina electio ſine cauſa ex noſtris meritis. 216.2.1
Electionis ad gloriam nullum initium, cauſa, ratio, meritum, &c. per vires naturæ datur. 250.2.5
Præſentis doctrinæ vniuerſalitas. ibid 6
Aliquorum ſententia. ibid.8
Electio ante præuiſa opera. 274.1.14
Electorum acceptio. 355.2.12,13

Eleemoſyna.

Eleemoſynæ peccatorum remiſſio tribuitur. 295.2.1
Vide *Opera miſericordiæ.*

Empedocles.

Empedoclis, & quorumdam aliorum error circa prouidentiam. 3.1.5

Epicuræi.

Epicuræorum error circa prouidentiam. 2.2.1
Eorum argumentum. ibid.2.3
Ij ſoli totam prouidentiam negarunt. ibid.4

Eſca.

Eſca pro omni ſacrificio, ceremoniis & operibus legis ſcriptæ. 220.2.3

Eua.

Vide *Adam*.

Euentus.

Euentus aliqui vtrùm caſuales, aut fortuiti. 14.2.1. & ſeqq.
Comparatione Dei aliquid eſſe caſuale putat Serenius. ibid.2
Refellitur. 18.1.7
Euentus aliquos fortuitos & caſuales comparatione primariæ intentionis putat Pennottus. ibid. 3
Peccatorum actiones fortuitò euenire fatetur Serenius. ibid.4
Caſu nihil reſpectu Dei. 15.1.12.& ſeqq.
Nihil fortuitum comparatione cauſæ primæ. 16.1.init.& ſeq.
Euentus caſualis quis. 16.1.19
Non eſt fortuitum & caſuale quidquid præter intentionem cadit. ibid.2.24.& 18.1.8
Euentus neceſſarij caſuales non ſunt. ibid.1.27
Peccati turpitudine excepta, cætera omnia à Deo fiunt. ibid.2.3

Comparatione Dei nihil caſu fit. 18.1.7
Peccata non caſu fiūt comparatione Dei. ibi.10
Caſualia & fortuita, vt talia à Deo. ibid.12
Euentus aliquis vtrùm contingens comparatione diuinæ prouidentiæ. 19.1.1.& ſeqq.
Vide *Contingentia*.

Eunuchus.

Eunuchos maximus Æthiopiæ. 299 1.7

Euripides.

Euripidis & Menandri error circa prouidentiam. 3.1.6

Excæcatio.

Excæcatis potiſſimum prædefinitur permiſſio per infallibilia motiua. 180.2.1
Excæcationis extenſio. ibid.2
Excæcationis Deus non eſt cauſa. ibid.3
Excæcatis imputari culpam. 183.2.4
Excæcatis præceptorum tranſgreſſio imputatur ad culpam. 184.1.8
Excæcatio in actu ſecundo obedientiæ præceptorum contraria. 184.1.10
In actu primo minimè. ibid.11
Excæco, vide *Obduro*.

Excogitandi verbum.

Vide 40.1.init.

Exemplar.

Exemplaria, rationes effectrices. 61.2.4

Exhortatio.

Exhortationes omnibus proponendæ. 192.2.15

Exiſtentia.

Exiſtentia de eſſentia Dei, non creaturæ. 67.1.9

F

Fallacia.

FAllaciæ hæreticorum faciliùs deprehenduntur à Dialecticis. 213.1.27

Fatum.

Fatum & prouidentia differunt. 60. 2.7
Fatum quid, & vnde. ibid.& ſeqq.

Fauſtus Rheg.

Fauſti Rhegienſis error. 194.2.9
Fauſtus habitus hæreticus. 195.1.10

Felicitas.

Felicitatis duæ ſpecies. 475.2.16
Felicitatis humanæ forma. 475 2.7
Felicitas naturalis. 489.1.10

Fidelis.

Fideles præſciti quantum ad aliquos actus membra Chriſti. 154.1.5

Fides.

Fidei prædefinitio. 92.2.1
Fides vitæ æternæ nomine ſignificata. 93.1.3
Fidei perſeuerantia prædefinita. ibid.6
Fidei initium gratiæ donum. 217.1.11
per Fidem, & iuſtificationem formatur Chriſtus in nobis. 234.2.6
Fides, prout eſt iuſtificationis initium. 236.2
Fidei difficultas magna. 237.2.init.
Semipelagiani perfectam fidem gratia indigere fatebantur. ibid.
Nullus poteſt credere ſicut oportet ſine gratia. 238.1.1
Fides humana myſteriorum fidei improportionata. 239.1.2
Fidei ſupernaturale obiectum. ibid.
Fides humana non excludit omnem dubitationem. ibid.

Quando ſine ſupetuaturali auxilio habita ſit honeſta. ibid.3
Fides prærequirit piam affectionem. 239.2.16
Ad eam gratia neceſſaria. ibid.
Ad piam affectionem myſteriorum fidei ſupetnatutale auxilium neceſſarium. ibid.
Credendi voluntatem intet initia gratiæ numerabant Maſſilienſes. 240.1.19
Pia affectio fidei ptincipium inttinſecum.ibid. 20
Nihil ſolis naturæ viribus eirea fidei myſteria factum valet ad obtinendam gtatiam.ibid. 23
Neque potuit eſſe ratio prædeſtinationis. ibid. 24
Fides ſalutis initium. 240.2.2
Fides ad iuſtificationem diſponit remotè.241.1.6
Fides radix iuſtificationis. ibid.8
Fides totius impetrationis initium. ibid.9
Fides meriti initium. ibid.2.2
Fides meretur auxilia gratiæ. ibid.
Fides imperfecta & inchoata donū Dei. 243.2.4
Ab illa quandoque inchoarur iuſtificatio.ibid.
In hac fide imperfecta ineſt meritorum vis. 244. 1. 9.
Fidei inchoatæ quanta imperfectio. ibid.2.16
Inchoatæ fidei vis. 245.1.18
Facienti quod eſt in ſe non eſt infallibile reuelandam fidem. 274.2.18
De probabilitate notitiæ fidei ex cauſa per accidens. 275.1.23
Credendi voluntas ſupernaturalis. 281.1.6
Fidei,ſpei, & charitatis improportionati quidam actus. 283.1.22
Fides iuſtificationis fundamentum. ibid.2.1
Sine fide nibil valet otatio, & reliqua opera. 284. 1. 6
Fides admirabilis quæ. 299.2.12
Fides implicita prædicatione non eget. 318.2.1
Fides explicita eâ eget. ibid.2
Auditus ſpiritualis. 318.2.3
Inchoatæ fidei perfectio. 320.1.init.
Certitudo. ibid.16
Diſtinctio inchoatæ fidei à fide iam facta.320. 2. 20
Fides alia, cuius habendæ facultas omnibus hominibus conceditur à Deo per gratiam præuenientem, & adiuuantem: alia ad gratias gratis datas pertinet. 356.1.init.
Fides pro gratia. 360.1.19
Fides aliquando cooperans, ibid.
Credentes, omnes qui præditi ſunt habitu fidei,& notitia myſteriorum. 409.2.9
Fidei coram tyranno confeſſio. 453.2.3

Filiatio Dei.

Filiatio Dei etiamſi in reprobo, prædefinitione digna. 154.1.4

Fingendi verbum.

Fingere, quid. 142.1.3

Finis.

Finis aſſecutio ſpectat ad prouidentiam. 53. 1. 3
Contrarium vide 54.2.1.& ſeqq.
Finis formalitas non aſſertur in quidditate prouidentiæ. 62.1.9
Finis, de opete bono. 419.2.28

Forma.

Formæ ſubſtantialis productio. 76.1.2
Formulæ loquendi. 435.1.3
Earum vis & ſignificatio. ibid.4

Fortuna.

Fortuna piorum & impiorum diſpar. 12.1.2
Bona fortuna quid. 469.1.10.& ſeqq.
Bene fortunati qui. 473.1.24.& ſeqq.

Futurum.

Futura præſciri non poſſunt,niſi ſint præſentia in æternitate. 137.1.18
Fututorum nomine Patres plerumque abſoluta & conditionata comprehendunt. 137.2.23
Futura ideo fieri quia Deus vult,Patres frequenter affirmant, ibid.

G

Generatio.

Generatio & progreſſus rerum ex prouidentia diuina. 61.2.5
Generatio Dei prædefinitionem probat. 94.2.9

Gennadius.

Gennadius ſuſpectus. 195.1.11
Eius libri de Eccleſiaſticis dogmatibus authoritas quanta. ibid.12

Gentiles.

Gentilium errores circa præmia,pœnas, peccatorum remedia, diuinas leges, reuelationes, & alia eiuſmodi. 316.1.22

Germani.

Germani,veri,ſine hypocriſi & fictione. 367.1.25

Gloria.

Vide *Gratia.*
Non eſt in nobis vnde gloriemur. 231.1.3

Gratia.

Gratia auxiliatrix ſupernaturalis eſt. 2.15
Gratia præueniens tribuitur non credentibus.92. 2. 14
Excitans gratia indelibetata. 108.1.4
Gratiæ bonus vſus, effectus prædeſtinationis. 139.2.init.
Gratia omnipotens, & cur. 160.2.15
Gratiæ iuſtificantis conſecutionem infallibilem aſſerebant Semipelagiani. 197.2.15
Gratiæ diſcrimen Caſſianus petit ex natura. 201. 1. 2
Multis datur gratia, qui ſi diutiùs viuerent, peccarent finaliter. 203.2.11
Gratiam non infallibiliter conſequi per vires naturæ. 208.1.15
Gratia nunquam cum natura connexa. 209.2.7
Gratiæ initij doctrina Auguſtino antiquior. 213. 2. 1
Præuenientis gratiæ actiones quales ſint. 215. 2.2
Gratia facit vt eam inuocemus. 216 2.9
Gratia non ſubiungitur humanæ induſtriæ. 217. 1. 12
Nihil ad ſalutem vtile ſine gratia fieri poteſt. 219.1.1
Gratiæ nominis acceptio. 220.2.4
Gratia diuina ſummè gratuita. 221.2.13
Gratiæ quidditati quæ merita non obſint.222.1.4
Quæ diſpoſitiones non obſtent. ibid.
Gratiæ repugnat connaturalitatis debitū.222.2.5
Gratiæ quidditati vtrùm repugnet diſpoſitio. ibid.
Quæ diſpoſitiones non obſtent. ibid.4
Diſpoſitioni debetur forma. ibid.2.5
Gratiæ quidditati vtrùm repugnet impetratio. ibid.7
Impetratio orta ex ſola natura repugnat gratiæ. ibid.

Auguſtini

Auguſtini argumenta nixa in quidditate gratiæ. 224.1.23
Gratia cooperans. 225.2.13
Solo nomine differt à præueniente. ibid.
Cur dicatur operans. ibid.
Non creatur gratia. 228.2.1
Creatur moraliter. ibid.
Velle ſeruire Deo ſicut oportet ſine gratia nemo poteſt. 229.1.12
Gratiæ infuſio, Dei generatio. ibid.5
Huius generationis initium ſemen Dei. ib.2.8
Prima gratia ſortis nomine ſignificata. 230.2.5
Experimur neceſſitatem præuenientis gratiæ. 235.2.1
Gratiæ proprium donari. 238.2.9
Gratia, quæ meretur augeri fides eſt. 241.2.2
Prima gratia non cadit ſub fidei meritum. 242.1.init.
Nullum gratiæ principium viribus naturæ exiſtit. 245.1.1
Gratia præueniens prior quàm liberum arbitrium. ibid.2
Natura nec remotè, nec imperfectè diſponit ad gratiam. 248.1.16
Gratiam inter & naturam proportionis ratio. ibid.2.12
Natura nec phyſicè nec moraliter diſponit ad gratiam. ibid.14.
Viribus naturæ non datur actiua occaſio gratiæ. 249.2.25
Præteritæ illuſtrationis recordatio non ſufficit ad obtinendam gratiam. 250.2.9
Præuenientis gratiæ neceſſitatem aſſeruit Bonauentura. 256.2.19
Non diſſidet à mente S.Thomæ. 257.1.20
Quid nomine gratiæ gratis datæ comprehendat. ibid.
Albertus quid ſenſerit. ibid.22
Gratiæ neceſſitatem adſtruit. ibid.23
Alexandri mens. ibid.24
Gratiam operantem quandoque eſſe admonitiones externas quis ſtatuat. 258.1.30
Non facientibus quod in ſe eſt non datur gratia. 271.2.16
Præter infuſum habitum gratia præueniens neceſſaria. 278 1.19
Ad poſſe gratia ſimpliciter neceſſaria. 284.1.9
Gratiæ diſſentire poſſumus. 302.2.10
Gratia confertur dignis, Patrũ axioma. 303 2.19
Gratiâ dignum quid. ibid.20
Quomodo obligationi largiendi gratiam fiat ſatis. 305.2.13
Quiuis gra[illegible] exci[illegible]ur vt dubitet de exiſtentia Dei. 317.1.4
Gratia præueniens barbaris data non eſt prophetia. 319.1.9
Nullus longo tempore gratiâ ſine culpa caret. 308.1.13
Gratiæ cooperantis concurſus noſtro quodammodo poſterior. 430.1.9
Gratia adiuuans ad ſingulas actiones præclaras & honeſtas neceſſaria. 350.1.16
Gratiæ operantis & cooperantis vſus. 358.1.1
Gratia operans cur in nobis ſine nobis. 359.1.8
Gratia excitans & operans eadem formaliter. 360.1.10
Gratiæ cooperantis nomen clariùs fundatur in ſacris. ibid.19
Alia gratiæ operantis & cooperantis nomina. ibid.2.1
Gratia excitans & adiuuans. 361.1.8
Gratiæ adiuuantis nomen ex plurimis locis Scripturæ ſumitur. ibid.2.11
Horum nominum limitatio. ibid.12
Gratiæ præuenientis appellationem vnde ſumant Doctores. ibid 13
Appellari poteſt anticipans, & præoccupans. ibid.
Gratia præueniens, vel excitans, vel vocatio, vel iuſtificationis initium, vel inſpiratio, aut motio, eadem. ibid.14
Appellatur præueniens Spiritus ſancti inſpiratio. ibid.
Motio, & excitatio. ibid.
Cogitatio, ſeu cogitatum, ſeminatum, exordium ſalutis, præueniens, excitans operans in nobis. ibid.15
Gratia operans eadem quæ præuenit, & præparat. ibid.16
Gratia præueniens cur. 362.1.17
Gratia ſubſequens quid. ibid.18
Gratiæ præuenientis & ſubſequentis acceptiones tres. ibid.
Gratia concomitans quæ. ibid.19
Alia plura gratiæ operantis nomina. ibidem .2.21
Gratia operans, ſeu præueniens vtrùm formaliter ſit actus vitalis intellectus, aut voluntatis. 363.1
Gratia præueniens non eſt prædeterminatio. ibid.2.6
Gratia excitans formaliter eſt actus vitalis. 364.2.14
Gratia operans intellectus, & voluntatis operationis complectitur. 365.1.1
Gratia operans velleitas, & ſimplex complacentia. 371.2.2
Gratia cuius virtutis actus. 372.1.5
Gratia operans in eo quod à Deo ſine noſtra libertate immittatur, conſiſtit. ibid 2.1
Cooperans in eo quòd ſimul cum noſtra libertate concurrat. ibid.2
Gratiæ operantis, ſeu præuenientis acceptiones duæ. ibid.5
Gratiæ duo munera, prius eſt, nobiſcum eſſe de cœlo miſſam: poſteriùs nobiſcum laborare. 373.1.6
Gratiæ operantis à cooperante diſcrimen. 376.1
Gratiæ operantis propria ſignificatio. 387.1.1
Gratia operans efficienter fit ab intellectu, & voluntate. 391.2.10
Gratia operans ad actus primarios refertur. 393.1.1
Gratiam phyſicè operantem identificari realiter cum gratia excitante. 396.1.3
Gratia operans multoties non obtinet effectum. ibid.2.6
Gratiam cooperantem, pro vt cooperans eſt, non eſſe præuenientem. ibid.1
Gratia cooperans in quantum talis concomitans eſt. 397 1.2
Gratia cooperans quidquid nobiſcum conſenſum producit liberum. 399.1.2
Gratiæ cooperantis quinque membra. ibid.3
Gratia cooperans in actu primo. ibid.2.3
Gratia cooperans quomodo ab operante & libero conſenſu differat. ibid.5
Gratia cooperans, Chriſtus. 401.1.18
Gratiæ operantis & cooperantis identitas. 402.1.1

Materia Sacramentorum phyſicè producit gratiam. 406.1.37

Gratia excitans phyſicè producit conſenſum. 407.1 8

Ad gratiam cooperantem principium in actu primo ſufficit. 409.1.3

Gratia adiuuans, ſeu cooperans requiritur ad actus inefficaces. 412.1.2

Quid de pura omiſſione diſſenſus. ibid.2.7

Gratia ſubſequens à cooperante quandoque ſola nominis ratione differt. 413.2.2

Gratia ſubſequens comparatione præcedentis gratiæ & conſenſus liberi. 414.2.13

Gratiæ ſubſequentis quinque acceptiones. 415. 1. 16

Sine interiori gratia exterior nihil prodeſt. 426.1.1

Gratiæ præuenientis anima,& corpus. 430.2.1

Gratia exterior de lege ordinaria requiritur. 432. 1.18

Gratia congrua & incongrua eiuſdem generis. 438.1.8

Præteritæ gratiæ recordatio non ſufficit niſi ſupernaturalis ſit. 440.1.1

Tota gratia cooperans, & omnes eius partes ſupernaturales. 441.1.9.

Gratia ſubſequens ſupernaturalis. ibid.11

Quædam ſubſequentis gratiæ pars ſupernaturalis. ibid.12.

Angeli gratiam excitantem producere non poſſunt ibid.2.2

Gratiæ præuenientis nimis rigoroſa acceptio. ibid.7

Gratiæ motio durans ſufficit ad reliquos actus. 446.1.1

Dupliciter gratia præueniens dare dicitur. ibid.2.4

Gratia præueniens peccatoribus fidelibus ad ſingulas diſpoſitiones iuſtificationis ſimpliciter neceſſaria. 448.2.1

Ad actus quorum habitum peccator non habet,gratiæ indigentia certior. 451.2.38

Iuſtificatis gratia præueniens, ſimpliciter neceſſaria. 453.2

Ad omnes actiones ſupernaturales gratia præueniens neceſſaria. 455.1.1

Aliquando nimis ſancto abundantior gratia præueniens datur. 462.1.16

Gratia cooperans ad omnes actiones meritorias neceſſaria. 464.1.1

Gratia & gloria Angelorum perfectioni commenſurata. 489.2,15

Triplex gratia, præueniens, operans & excitans. 495.2.2

Quando id contingat. ibid.4

Gratia præueniens neque de potentia abſoluta non poteſt non præuenire noſtra merita. 496. .1.2

Gubernandi gratiam pendere ex præueniente ac operante dono Spiritus ſancti. 498.1.12

Gratiæ operantis proprium. ibid.15

Gratiæ præuenientis ordo duplex. ibid.16

Gratiæ neceſſitas. ibid.2.18

Gratiarum actio.

Gratias agendi Deo obligatio maior. 99.10

Circa bona temporalia per accidens verſatur gratiarum actio. 233.2.15

Gratuitum.

Purè gratuitum nihil inter homines. 221.2.15

Grauia.

Grauia & leuia mouentur à generante. 78.1.14

Gregorius M.

Gregorius Magnus de gratia copioſè diſputat. 343.1.15

Gregorij imitator Iſidorus. ibid.16

Gubernator.

Gubernare mundum, haut minus quàm creaſſe. 62.2.5

H

Habitus.

HAbitus poteſt infallibiliter inclinare ad actus. 167.2.3

Habituum vehementiſſima intenſio non aufert libertatem. ibid.4

Habitus per ſe infuſi negari nequeunt. 283.1.20

Habitibus accommodatur gratiæ operantis nomen. 393.2.5

Habitibus proprius cooperans, quàm operans gratia conuenit. 394.1.9

Aliquando per habitus ad indeliberatos motus excitamur. ibid.11

Habitus non eſt ſimpliciter neceſſarius. 399.2.4

Habitus ſupernaturalis inſtrumentum Dei. 400. 2.13

Habitus ſupernaturalis gratia cooperans. 401.2.1

Habitibus vtimur cùm volumus. 463.2.9

Hæreticus.

Hæreticorum fallaciæ à Dialecticis facillùs deprehenduntur. 213.1.27

Hieronymus.

Hieronymus ab errore defenditur. 310.2.15

Hilarius.

Hilarius Semipelagianorum primus delator. 331. 1. 11

Hilarius ſupra antiquiores omni ſuſpicione maior eſt. 342.1.6

Homo.

Homines, alios ad quaſdam actiones infallibiliter inducunt. 111.1.6

Hominem ſua malitia arguit. 210.2.5

Quomodo nos corripiat peccatum. ibid.

Homines cooperatores cum Deo. 360.1.20

Hominis intellectus ab obiectis extrinſecis, & à humoribus,& ſpiritibus animalibus. 466.2.9

Hugo.

Hugo longè diſtat à Semipelagianis. 343.2.19

Humanitas.

Humanitas Chriſti non extitit ante vnionem. 235.1.10

I

Ignis.

IGnis excuſſus ex ſilice à quo producatur. 76.1.4

Minimum ignis in centro mundi conſtitutum quorſum moueretur. ibid.2.6

Illuminatio.

Illuminatio,pro gratia. 217,1.13

Illuſtratio.

Illuſtratio interna vocationis pars. 227.1.5

Immediatio.

Immediatio virtutis,& ſuppoſiti. 81.2.3

Vtraque conuenit diuino concurſui. ibid.

Immediatio virtutis ſolius Dei propria. 82.1.4

Imperium.

Imperium circa peccata. 25.1.init.

Imperium duplex. 42.2.1
Imperium munaſticum quod. ibid.
Gubernatiuum quod. ibid.
Imperium gubernatiuum pertinet ad intellectum. 43.1.3
Imperium actus ludicij. ibid.2.1
Imperinn quale iudicium. 44.2.9
Imperium nullum requiritur ad volitiones diuinas. 45.1.1
Realiter imperrare volitiooes requirit productiooem realem. ibid.2.6
Neque noſtro modo concipiendi imperium mouer volitionem diuinam. 46.1.7
Imperium intellectus. ibid.2
Imperium ennociatiuum liberæ volitionis & operis exequendi. 49.2
Imperium ex voluntate naturaliter reſultat. 51.1.14
Imperium phyſicum,& morale. ibid.2.8
Imperium Dei efficax. 89.1.4

Impetratio.

Impetratio vtrùm repugnet quidditati gratiæ. 222.1
Impetratio orta ex ſola natura repugnat gratiæ. ibid.7

Impius.

Impiorum actiones Deus in vtilitatem prædeſtinatorum ordinat. 97.1.5

Impoſſibilitas.

Impoſſibilitas difficultatis nomine declarata. 179.2.16
Impoſſibilitas ex neceſſitate probata. 180.1.19

Improportio.

Improportiones quinquè. 285.2.7

Impulſus.

Impulſus ſupernaturalis an neceſſarius. 258.2.6
Impulſus tripliciter intelligitur. 398.2.2

In, præpoſitio.

Vide 64.1.14

Incarnatio.

Incarnatio deficeret deficiente peccato. 29.1.18
Incarnationis prædefinitio. 148.1.11
Incarnationis circumſtantiæ. ibid.

Incluſio.

Duplex virtualis incluſionis gradus. 313.1.15

Indiuiduum.

Indiuiduum ſpecifica ratio realiter multiplex. 122.5.8

Infallibilitas.

Infallibilium ſcientia ad prædefinitionem per infallibilia motiua ſatis. 99.2 3
Infallibilitas vaga plurium rerum. 106.2.4
Infallibilitas vaga & libera poteſtas ad vnum, vel plura. ibid.5
Infallibilitatis actionum iodifferentium innumeræ. 107.1.9
Circumſtantiæ reſpectu vnius perſonæ actum in genere reddentes infallibilem. 108.1.1
Infallibilitas hæc ex principiis fidei, & naturali ratione colligitur. ibid.2
Vaga infallibilitas actionum ſub eadem ſpecie. 110.2.1
Ex infallibilitatibus naturalium actionum ſupernaturalium colliguntur. 111.2.10
Infallibilitas vaga participatio quædam illius certitudinis,& efficaciæ, quam habet omnipotentia Dei. 114.2.13
Infallibilitatis ſcientia. 117.1.8
Infallibilitatis terminus non eſt idem in omnibus. 126.1.17
Infallibilitatis terminus certus ac fixus. 127.2.30
Infallibilitas moralis duplex. 129.2.1
Infallibilitas intrinſeca libertati morali oppoſita. 130.1.init.
Infallibilitas ab extrinſeco. ibid.2.
Non opponitur libertati morali. ibid.
Euentus ad vltimum infallibilitatis moralis inſtans. ibid.3
Rariſſimè contingit. Ibid.
Sic conſtitutus non habet infallibilitatem intrinſecam. ibid.4
Retinet libertatem moralem. ibid.
Contrahit infallibilitatem ab extrinſeco deuolutam. ibid.5
Infallibilitas ab extrinſeco ſufficit ne poſſit fruſtrari prædefinitio. ibid.2.6
Infallibilitas vaga quo ſenſu intrinſeca. ibidem 8
Infallibilitas vaga, & vaga neceſſitas differunt. 134.2.21
Infallibilitas moralis non eſt ſimpliciter neceſſitas. 162.1.12
Ad infallibilitatem inferendam non ſufficit generalis concurſus. 166.1.3
Ad quas operationes ſufficiat. ibid.4
Infallibilitas peccandi moraliter ex præcedentibus venialibus aſſeritur à Patribus. 189.2.10
Generalis infallibilitas infallibilior redditur. 273.2.9
Vide *Coactio*, *Neceſſitas*.

Infans.

Omnes infantes quantum ad conditionalem præſcientiam pares. 204.1.17
Vide *Paruulus*.

Infidelis.

Infideli vt conuertatur gratiam eſſe neceſſariam de fide eſt. 444.2.2

Infuſio.

Infuſionis, ſuauitatis & inſpirationis nomine præueniens gratia intelligitur. 217.1

Innocentia.

Innocentia ſecundùm ſe melior pœnitentiâ. 30.1.3

Inſiliendi verbum.

Vide 497.2.8

Inſpiratio.

Inſpiratio, pro gratia. 217.1.13

Intellectio, Intellectus.

Intellectio & volitio ad prædeſtinationem neceſſariæ. 34.2.5
Intellectio, in qua conſiſtit prouidentia, triplex. 41.2.3
Omnis intellectio ſpecie indiget. 44.2.6
Vide *Volitio*.
Intellectus verum vt verum reſpicit. ibid.1.3
Intellectus motio ex voluntate. 51.1.14
Ad intellectionem requiritur imperium. ibid.
Intellectus ad primam volitionem eget exteriore determinante. 466.1.6
Intellectus Angeli ad primam intellectionem à Deo ſolo mouetur. ibid.8
Intellectus hominis ab obiectis extrinſecis,& ab humoribus,& ſpiritibus animalibus. ibid.2.9
Intellectus primis principiis neceſſariò adhæret. ibid.10

Intentio.

Intentio efficax vnius in alio. 98.2.3
Intentio virtutis. 298.1.21
Intentio phyſicè, & realiter cauſat electionem mediorum. 407.2.11

Intrandi verbum.

Intrare ad Chriſtum venire eſt. 104.2.5

Inueniendi verbum.

Inueniendi vſurpatio in ſacris. 230.1.1
Inueniendi phraſis excludit præuenientem hominis operationem. ibid.2.3

Inuocatio.

Inuocatio humana nihil confert gratiæ. 216.2.9

Ioannes.

Ioannes Chriſti præcurſor. 313.2.3

Ionas.

Ionas Propheta. 500.2.4

Intuendi verbum.

Vide 497.1.8

Iſraëlita.

Iſraëlitarũ in Ægypto duriſſima oppreſſio. 105.1.7

Iudas.

Iudas proditor. 109.3.15.& ſeq.

Iudicium.

Iudicium futuri ſæculi. 13.1.7.& ſeqq.
Iudicia pro actibus prouidentiæ. 38.1.10
Iudicium intellectus. 46.2
In iudicio intellectus ſententia ſimplicis intelligentiæ continetur. 47.1.5
Iudicium intellectus per ſe ad operis executionem requiritur. ibid.8
Iudicium enunciatiuum. 49.2
Vt quid aſſeratur in Deo. 50.1.7
Naturale iudicium per accidens iuuat ad fidem. 302.1.3

Iuſtificatio.

Iuſtificationis initio aliquibus permittitur impoſſibilitas obtinendi ſpeciale auxiliũ. 190.1.14
Omne iuſtificationis initium eſt fides ſaltem inchoata. 220.1.10
Iuſtificationis gratia gratiæ vnionis ſimilis. 222.2.8
Iuſtificatio hominis à pugna Dei. 225.2.11
Iuſtificationis initium ſumendum à vocatione. 227.1.3
Iuſtificationis initium à permutatione cordis. ibid.2.9
Iuſtificatio hominis tam gratuita ac gratia hypoſtaticæ vnionis. 334.2.2
Iuſtificationis initium non tribuitur æquè primò gratiæ & naturæ. 245.1.2
Iuſtificatis gratia præueniens ſimpliciter neceſſaria. 413.2
Sola ſupernaturalis actio iuſtificationis initium. 280.2.1
Iuſtificationis initia. 281.1.13
Apud Hilarium iuſtificationis initium ſupernaturalis oratio. 295.1.26
Iuſtificationis initium duplex. 331.1.11
Iuſtificatio quomodo perficiatur vnico inſtanti. 495.2.8
Iuſtificatio, vide *Salus*.

Iuſtitia.

Iuſtitia pro prouidentia. 6.1.9
Iuſtitia, de Deo. ibid

Iuſtus.

Iuſtus ſine ſpeciali auxilio ſingula venialia vitare poteſt. 110.1.21
Iuſtus potentia ordinaria poteſt conſtitui in circumſtantiis, ex quibus infallibiliter ſequatur peccatum. 188.1.1
Iuſtis aliquando moraliter impoſſibile auxilium ſpeciale impetrare ad perſeuerandum. ibid.2.5
Iuſti perſeuerantiam per actus ex gratia elicitos impetrare poſſunt. 200.2.6
Iuſtus actibus viribus naturæ elicitis non præbet diſpoſitiones gratiæ. 251.2.17
Eiſdem nihil meretur de condigno. ibid.18
Iuſti ſupernaturalibus actionibus perſeuerantiam poſſunt mereri de congruo. 252.1.19
Iuſti excitantur frequenter. 452.1.1
Iuſtis vt perſeuerent gratia neceſſaria. ibid.2,6.

L

Latro.

LAtro bonus apud Lucam. 299.1.3

Leo.

Leo à ſolo Deo productus poſſet à cauſis ſecundis conſeruari. 77.1.3.
Leo I. Semipelagianiſmi damnator. 343.1.13

Lex.

Lex Dei in cordibus electorum ſcripta. 96.2.15
in Legem Chriſtianam propenſio. 314.2.11
Lex pro gratia excitante. 350.1.15
Diuinitatis lex & doctrina non ſufficit, ſi ſolùm exteriùs ſonet. 429.1.7

Libertas.

Libertatis indifferentia prædeſtinationis infallibilitati non repugnat. 92.1.init.
Libertas phyſica, & moralis neceſſitas. 99.2.3
Libertas ad meritum. 159.2.17
Libertatis Chriſti cum præcepto concordia. 120.2.24
Libertas Chriſti D. interpretatiua. 133.2.10
Libertas cum vaga neceſſitate conciliatur. 134.1.15
Libertatem Chriſti D. defendendi modus facilis. ibid.2.22,23,24

Lingua.

Linguarum donum præberi præueniente ac operante gratia. 447.2.11

Locus.

Loci prædefinitio. 148.1.10
Locus turpium actionum præſcriptus. ibid.2.12
Locus tribuendi & accipiendi eleemoſynam prædefinitus. ibid.15

M

Macarius.

MAcarius defenditor. 310.2.16

Malum.

Mala eſſe, bonum eſt. 28.1.8
Mala iuxta bona poſita reddunt ea commendabiliora. 29.2.1
Malum pœnæ. 34.1.init.
Malum pœnæ triplex, formaliter, ſimpliciter, & per accidens. ibid.1.2,3
Mala pœnæ à Deo prædefiniri. 176.1.10
Mala triſtia Deum velle propriè dicitur. ibid.11
Malorum pœnæ circũſtantiæ prædefinitæ. ib.2.15

Manus.

Manus Dei, pro potentia. 160.1.6
Manus Dei confortans gratia, operans & præueniens. 498.1.14

Martyrium.

Martyriũ charitatis actus difficillimus. 226.1.16

Maſſilien

Maſſilienſes.

Maſſilienſes circa electionem ad gloriam, & perſeuerantiam errabant. 199.2.4

Medium.

Media quibus vtitur diuina prouidentia circa reprobos. 55.1.init.

Qui vult media vt media, vult finem. ibid.2.11

Mediorum electio libera. 101.1.19

Menander.

Menandri error circa prouidentiam. 3.1.6

Menſura.

Menſura determinata bonæ voluntatis meriti prædefinitur. 151.1.1

Menſura turpium actionum præſcripta. 148.2.12

Meritum.

Meritum Chriſti Domini. 119.2.init.

Ad meritum libertas. ibid.1.7

Mereri poteſt dupliciter. 120.1.init.

Meritum de congruo ex impetratione colligitur. 200.1.8

Ratio meriti & demeriti imputabilitatem ſupponit. 203.1.7

Meritum condigni, & congrui quomodo repugnet gratiæ. 221.1.8

Meritum congrui perexiguũ meritum. ibid.2.13

Quæ merita nõ obſint quidditati gratię. 222.1.4

Meritorum de congruo actus ſupernaturales. 242.1.4

Meritorum de condigno & de congruo diſcrimen, & huius quidditas. ibid.2.10

Meritum congrui neceſſariò comitatur impetrationem. ibid.13

A Deo nihil impetrari ſine merito. 243.1.15

Meritorum vis in fide imperfecta. 244.1.9

Meritum mercedi proportionatum. 247.1.28

Meritum interpretatiuum quid. 257.2.init.

Meritum naturale. 413.2.13

Miraculum.

Miraculum, in quantum miraculum, procedit à Deo. 15.1.11.19.1.14

Miraculorum gratia indiget præueniente ac operante gratia. 498.1.15

Miſericordia.

Diuinæ miſericordiæ commendatio maior. 98.2.3

Miſerendi ars. 211.1.8

Moles.

Moles planiſſima cadens ſupra virum planiſſimum illud non frangeret. 76.2.7

Monſtrum.

Monſtra vt monſtra à Deo volita. 17.2.2,4

Monſtrum quid. ibid.

Monſtrum nullum reſpectu Dei. 18.1.5,6

Mors.

Mors à Deo oblata libenter accipienda. 203.2.13

Motiuum, Motio.

Motiuorum vis ad infallibiliter inferendos actus. 106.1.1

Quod ſit motiuum formale barbatis propoſitum. 317.2.8

Motiuum duplex eſt quod debeat cognuſci. 318.1.init.

Motio tripliciter intelligitur. 398.2.2

Motionis verbum. 459.2.7

Munditia.

Munditia pro abſtractione, ſimplicitate, immortalitate. 10.1.4

Mundus.

Mundus vtrùm perfectior abſque peccato. 26.1.1.& ſeqq.

Mundus perfectior peccati promiſſione. 27.1.1

Mundus partes diuerſæ rationis exigit. 30.2.init.

Mundi maior perfectio in quo poſita. ibid.8

Myſterium.

Myſteria ſupernaturalia ſolis viribus naturæ non poſſe cognoſci. 237.1.init.

Myſteriorum fidei penetratio profunda datur à Deo. 239.2.15

N

Nathanaël.

NAthanaël. 299.1.5.301.2.3,4.313.2.1

Natura.

Naturæ duplex acceptio. 8.2.13

Naturæ nihil malum, nec ſuperfluum. 12.1.20

Naturæ humanæ innata potentia receptiua gratiæ. 211.2.14

Viribus naturæ non datur actiua occaſio gratiæ. 249.2.25

Natura ex ſe determinata ad peccandum repugnat Deo. 284.2.13

Natura intellectualis non poſſet condi ſine gratia. 284.2.13

Naturæ bonum. 480.2.7

Naturali ad ſupernaturale nulla proportio. 247.1.28

Nihil naturale conditio per ſe ad gratiam. 249.2.23

Naturalia præcepta non poſſent impleri. 285.1.14

Nazianzenus.

Nazianzeni Semipelagianis contraria. 345.1.3

Neceſſitas.

Vaga neceſſitas libertati non obſtat. 101.1.20

Neceſſitas vaga circa perſonas & genera delictorum. 107.1.init.

Neceſſitas vaga & in generali non obſtat, quominus omnes formalitates ſpecificæ atque genericæ ſint abſolutè liberæ. 121.1.1

Neceſſitas vaga quomodo poſſet conſentire cum libertate. 132.2

Neceſſitas vaga, & vaga infallibilitas differunt. 134.2.21

Neceſſitas libertati contraria. 136.2.16

Neceſſitas ſecundùm quid in quo formaliter conſiſtat. 162.2.15

Neceſſarium quodammodo, & propè neceſſarium, idem quod infallibile. 180.2.init.

Non quæuis moralis neceſſitas peccandi eſt excæcatio. 191.1.2

Neceſſitatis quoad ſpecificationem duplex gradus. 474.2.10

Vide *Coactio, Infallibilitas.*

Nemeſius.

Nemeſius defenditur. 7.1.13

Nomen.

Nomina non ſcripta in libro vitæ, idem quod non prædeſtinati. 173.2.init.

Noſtrum.

Noſtra quæ. 359.2.14

Notio.

Notio de prædeſtinatione. 39.1.17

Numerus.

Numerus prædaſtinatorum prædefinitus. 149.1.1
Numerus prædeſtinatorum ad ſcienriam cum efficaci electione cooiunctam refertor. ibid.5
Numerum electorum minuendi & augendi impoſſibilitates differunt. ibid.2.8
Numerus reproborum prædefiuitus. ibid. 9
& quomodo. 150.1.11
Qui numetus & capillorum quaotiras in reſurrectione Beatis reſtituenda. ibid.2.18

O

Obduratio.

OBduratio quid. 191.1.2
Obdurare & eacæcate Deus dicitur, & cur. 203.2.15.
Vide *Excæcatio.*

Obedientia.

Obedire correlatiuum imperij moralis, non phyſici. 52.1.9

Occaſio.

Occaſio actiua vna, paſſiua alia. 208.2.1
Per vites naturæ non datur actiua occaſio gratiæ. ibid.
Paſſiuam Deus accipit. ibid.
Occaſio & opportunitas quandoque differunt. 209.1.5
In his oppottunitatibus oon eſt reſpectus ad perſonam opetantem. ibid.2.11
Occaſionem Deus ea peccatis accipit. 210.1.1
Idque multipliciter. ibid.
Suauior modus quis. ibid. 3
Hanc prouidentiæ ſuauitatem eaemplo eaplicat Nyſſenus. ibid.
Ex plurimis aliis tebus Deus occaſionem accipit. 211.1.11
Quandoque hominibus melioris naturæ & ingeoij abundantiot gratia confertur. ibid.
Occaſio & opportuoitas accepta à Deo. 273.2.9
Vide *Ratio.*

Oculus.

Oculi auribus perfectiores. 30.2.7
Oculi pro prouidentia. 38.1.8

Omiſſio.

Omiſſio libera prædefiniri nequit per ſubtractionem concurſus effectiui. 168.2.15

Operatio.

Bonarum operationum prædefinitio modus prouidentiæ. 98.1.1
Operationum liberarum volitio plena & abſoluta. 99.1.7
Operationes Chriſti Domini & vaga, & determinata prædefinitiooe prædefinitæ. 119.1.11
Quæ Deus operatur in tempore ab æterno præparata. 142.1.4
Operationum humanarum multitudo prædefioitur. 150.1.15
Operatio difficilis impoſſibilis dicitur. 162.2.16
Multæ operationes ex vi iootiuorum & collectione circumſtantiarum prædefiniri nequeunt. 164.2.2
Operatio, pro gratia. 217.1.13
Quomodo Deus omnia operetur in omnibus. 216.1.15
Operatur Deus in omnibus quæ proficiſcuntur ea fide. 226.1.17
Operationes oeceſſarias non dici humanas. 359.2.14

Opportunitas.

Opportunitas cócionatorum neceſſaria. 213.1.30
Vide *Occaſio.*

Opus.

Ad operis executionem oeceſſarium quid ſit faciendum ſcire. 47.2.10
Opus externum eget imperio. 50.2.13
Opera bona efficaa Dei amor antecedit. 99.1.8
Nullum opus noſtrum latet Deum, quia animam noſtram ereat. 142.1.1
Opera quæ Patres eacipiunt à prædefinitione. 154.1.3
Operibus naturalibus meritum concedebant Semipelagiani. 198.1.1
Quorumdam Theologorom placitum. ibid.2.3
Sulum meritum de congruo concedebant. ibid.5
In eodem merito proportionem & Dei promiſſionem concedebant. 199.1.8
Boni operis initium refertur ad Deum. 120.1.8
Boni operis inceptio mutatio ſuperior. ibid.9
Opera naturalia ardua facere ſine auailio gratiæ non valemus. 237.2.init.
Opus impetraos proportionatur cum re impetrata. 243.1.8
Opera elicita per vires natutæ, an præbeant iuſtificationis initium. 252.1
Communis Scholaſticorum ſententia per generalia quædam capita proponitur, & eacuſatur. ibid.
Ferè tota Scholaſticorum ſchola verbis fauet Maſſilienſibus. ibid.
Inter eos diſcrimeo. ibid.2.2
Eorumdem excuſatio. ibid.3
Opera honeſta oon fiunt ſine auxilio. 285.1.1
Honeſtè operari poteſt ſolis naturæ viribus. ibid.2.5
Operibus miſericordiæ tribuitur peccatorum remiſſio. 295.2.1
Supernaturalia eſſe debent opera miſericordiæ. 297.2.17
Opera naturalia imperata ab actu ſupernaturali meritoria de congruo. ibid. 18
Ad operis executionem peculiaris gratia neceſſaria. 417.1.1
Ad opera corporea ſubſequens gratia. 421.1.11
Ad quæcunque opera corporea abſolutè gratia peculiaris neceſſaria. ibid.2.13
Naturalium operum ſupernaturalis gratiæ neceſſitas per accident. 461.2.15
Opera gratiæ gratis datæ, gratia operante & cooperante indigent. 497.1.5
Omnia opera gratiæ gratis datæ egent gratia operante. ibid.4
Ad opera gratiæ gratis datæ gratia cooperans communiter requiritur. 500.1.1
Aliqua opera iocapacia. ibid.2
Opera miſericordiæ, vide *Eleemoſyna.*

Oratio.

Pro fidelibus orat Eccleſia. 132.1.1
Orationibus impetrari promiſſa ſtatim concedenda. 189.1.6
Oratio quæ non ſit latriæ actus non impetrat apud Deum. 213.1.14
Eccleſia à ſuo exordio pro infidelibus orat. 232.2.5
Baſilij Oratio. ibid.
Circa bona oaturalia per accidens verſatur Chriſtiana oratio. 233.2.15

Oratio

Orationes naturæ viribus elicitas habere vim probabiliter impetrandi gratiam, non eſt contra fidem. 246.1.9
Eſt tamen periculoſum. ibid.10
Nec de condigno meretur iuſtificationem. ibid.11
Neque de congruo etiam remotiſſimo. ibid.12
Tres Patrum rationes ponderantur. ibid.13
Earum vis. ibid.1.15
Oratio & reliqua opera ſine fide nihil. 184.1.6
Ad orationem merè naturalem tenetur homo. 291. 2. 14
Ad ſupernaturalem, vt petat auxilia ad opera naturalia per ſe non tenetur. ibid.15
Tenetur per accidens. ibid.16
Oratio peccatoris. 292.2.1
Oratio impetratoria à ſupernaturali auxilio prouidit. 293.1.8
Oratio formaliter intellectus actus. 293.2.11
Oratio ſine fide ad impetrandum nihil valet. 294. 1. 18
Oratio peccatoris à gratia. 294 2
Naturalis oratio à fide impetrata quomodò meritoria de congruo. 295.1.25
Supernaturalis oratio iuſtificationis initium apud Hilarium. 295.1.26
Vide *Preces*.

Ordinandi verbum.

Vide 32.2.7

Ornatus.

Ornatus, de omnibus quæ ad perfectionem artinent. 5.2.4

P

Paruulus.

Paruulorum mirabilis diuerſitas. 302.1.1
Vide *Infans*.

Patres.

Ad Patrum dicta intelligenda generalis regula. 138. 1.3
Patres Græci defenduntur. 194.2.5 322.2.7
Eorum ſanctitas. 316.1.13
Patres antiqui ab Auguſtino commẽdati. 336.1.18
Patres Græci ab Apoſtolis vſque ad tempora Chryſoſtomi. 350.2
Patres Græci qui floruerunt põſt tempora Auguſtini. 354.1
Vide *Concilia*.

Paulinus.

Paulinus rectè de iuſtificationis initio ſenſit. 342 2.10

Paulus.

Paulus de cœlo proſtratus. 314.1.5
Pauli vocatio 495.2.7

Peccatum.

Peccatorum actiones fortuitò euenire fatetur Sizenius. 14.2.4
Peccatum formaliter vt tale diuinæ prouidentiæ ſubditur. 22.1.3. & ſeqq.
Peccata prouiſa. 24.1.3
Peccatorum odium ad prouidentiam æquè ac virtutum amor. 24.2.5
Peccatorum permiſſio ex intentione bonorum. 15.1.10. & ſeqq.
Peccatorum permiſſio propter colligenda bona Deo conuenientior. 25.2.13
Peccata permittere bonum eſt. 29.1.init.
Peccatorum permiſſione gubernatio humanæ libertatis ſuauior. 29.1.17
Peccato deficiente, deficeret Incarnatio. 29.1.18
Peccatorum occaſione Deus ſuas perfectiones oſtendit meliùs. ibid. 2.20
Peccata prædeſtinatorum attributa Dei magis manifeſtant. ibid.21
Tantorum peccatorum permiſſio ad colligenda maiora bona neceſſaria. 31.1.14
Peccatorum actiones materiales gubernandi modus. ibid.1.1
Peccatum per accidens vniuerſum perficit. ibid. 17
Peccatorum actionum materialis perfectiſſima prouidentia. 31.2.7
Peccatorum actiones haut caſu fiunt. 33.1.15
Peccatorum actiones materiales prouiſæ. ibid. 18
Peccatores ſuſtentare Deus potuit. 81.2.15
Peccatorum actiones prædefinitionis expertes. 106. 1.2
Sub quibuſdam circunſtantiis diu ſine peccato perſeuerare impoſſibile. 108.2.8
Quodlibet peccatum vitare poſſumus. 109.1.9
In peccato hærenti diu perſeuerare ſine alio impoſſibile eſt. ibid.13
Peccatorum actiones non prædefiniri vaga prædefinitione. 116.1.4
Peccatum neceſſariò Deus odio proſequitur. 123. 2.22
Peccatum cur non imputetur conſcientiæ inuincibiliter perplexæ. 124.1.14
Cuiuſlibet pecati permiſſio prędefinita. 172.2.1
Peccatorum actiones Dei fiunt conſilio. 174.2.1
Peccata permitti propter maius bonum colligendum. 175.1.2.
Peccati permiſſio prædeſtinationis effectus. ibid. 2.7
Peccatorum permiſſioni menſura & circunſtantiæ prædefinitæ. 177.1.1
Peccatorum permiſſio dupliciter prædefiniri poteſt. 178.1.2
Non omnium peccatorum permiſſio per infallibilia motiua prædefinita. 182.1.15
Peccatum inferri infallibiliter. 185.2.7
Peccatum commiſſum ab homine comparatione Dei nullum malum. 187.1.22
Peccandi infallibilitas moraliter ex præcedentibus venialibus aſſeritur à Patribus. 189.2.10
Peccata ex ſe impedimenta gratiæ. 207.2.7
Peccata omnia vitari non poſſunt per vires naturæ. 208.1.12
Ex peccatis Deus occaſionem accipit. 210.1.1
Maiores peccatores relictis caſtioribus vocantur efficaciter. 212.2.21
Vt à peccato purgemur non ſpectat Deus voluntatem. 217.1.10
Peccata remitti non poſſunt ſine ſupernaturali gratia. 234 1.17
Peccator præter habitus ſupernaturales noua gratia excitante indiget ad opera ſupernaturalia. 251.1.15
Vnum vel alterum peccatum vitari poteſt ſine gratia. 274.1.16
Peccatoris oratio. 291.2.1
Peccatoris oratio à gratia. 294.2.23
Perueniens ad rationis vſum non protinus peccat mortaliter, ſi non conuertatur. 304. 1. 23
Poſſet prius venialiter, quàm mortaliter peccare. ibid.14

Si cum originali & veniali ſolo hauriatur, in inferno puniatur. ibid.
Peccati remedium. 316.1.21

Pelagius.

Pelagij error & reliquiæ. 194.1.2
Pelagius, & Semipelagiani gratiam neceſſariam fatebantur. 195.2.1
Eorum non ſincera, ſed ſimulata confeſſio. ibid.2

Permiſſio.

Permiſſio Dei voluntas & prouidentia. 33.2.16
Permiſſio increata vna, creata alia. 172.1.2
Permiſſio creata alia in actu primo, alia in actu ſecundo. ibid.1.3
Permiſſio in actu primo quid,& vtriuſque diſcrimen. ibid.4
Permiſſionis in actu primo acceptio duplex.ibid.5
Permiſſionis prædefinitio ſequitur ex bonarum operationum prædefinitione. ibid.2.7
Permiſſio peccati effectus prædeſtinationis. 175.2.7
Permiſſioni peccatorum menſura & circunſtantiæ prædefinitæ. 177.1.1
Permiſſio peccatorum prædefiniri dupliciter poteſt. 178.1.1
Permiſſio prædefiniri poteſt ex motiuis infallibilibus. ibid.2
Permiſſionis alicuius peccati prædefinitio poſſibilis. ibid.3
Permiſſionis peccati determinati poſſibilis prædefinitio. ibid.4
Datur de facto. ibid.5
Permiſſionis prædefinitio per infallibilia motiua ad omnes circunſtantias extenditur. 182.1.16
Raro contingit. ibid.

Perſeuerantia.

Perſeuerantiæ infallibilis prædeſtinatio. 93.2.10
Perſeuerantia in gratia impoſſibilis ſine ſpeciali auxilio. 310.1.20
Ad perſeuerandum ſpiritualis voluptas neceſſaria. 371.1.5
Perſeuerantiæ difficultas. 452.2.7
Maximum beneficium perſeuerantia. 453.2.15

Perſona.

Perſonæ dignitas non requirit meritum congrui. 242.2.10
Perſpiciendi verbum. 40.1.init.

Petitio.

Petitionis vis quanta. 222.1.9

Petrus.

Petri pœnitentia. 375.1.1.& ſeqq.
Vide 500.2.3

Philoſophus.

Philoſophorum errores de prouidentia. 2.2.1, & ſeqq.
A Philoſophis aliquod gratiæ genus cognitum. 234.1.17

Pius.

Piorum & impiorum fortuna diſpar. 12.1.2

Plantatio.

Plantatio, de prædeſtinatis. 173.2.8

Plato.

Platonis error circa prouidentiam. 3.1.8.9.10
Platonis teſtimonia pro Dei prouidentia. 3.2.11, 22, 13

Pœna.

Pœna & iudicium futurum. 13.1.7.& ſeqq.
Pœnæ malum. 34.1.init.
Pœnæ malum diſtinguitur. 34.1.2,3
Pœnæ mala prædefiniri. 176.1.10
Pœnæ malorum circunſtantiæ prædefinitæ. 176.2.15

Pœnitentia.

Pœnitentiæ munus. 228.1.15
Pœnitentia donum gratuitum. ibid.2.init.
Quælibet pœnitentia ſupponit fidem. 297.2.16

Pontifex.

Pontificum & Conciliorum infallibilis Dei protectio. 111.1.2
Porrò idem quod procul. 2.1.2
Porro, pro contineo, conſeruo, guberno, &c. 62.2.3.& ſeqq.

Potentia.

Potentia ab intrinſeco ordinatum ad producendum actum. 115.1.15
Potentia, pro virtute. 160.1.5
Potentia pro aptitudine. 174.1.14
De potentia abſoluta potuit ex naturæ viribus dari prædeſtinationis cauſa. 321.27
Potentiæ duplex acceptio. 404.2.27
Omnes potentiæ vitales indigent aliquo excitante. 465.2.2
Potentia loco motiua. 466.1.5

Poteſtas.

Poteſtas hominis in aſſignando termino in quo ab omni culpa abſtineat. 127.1.24

Præceptum.

Præcipiendi vſus differens. 46.2.3
Dei præceptum aliquando compellere dicitur. 100.1.16
Multa Deus præcipit, quæ vult non impleri ex toto. 306.2.25
Præceptum aliud obligans, aliud prædefiniens. 148.2.15
Præcepta naturalia aliqua per ſolas vires naturæ impleri valent. 207.2.5

Prædefinitio.

Prædefinitio liberarum operationum ante ſcientiam. 86.2.1
Prædefinitionem quandoque Patres reſtringunt. 83.1.5
Prædefinitio bonarum actionum poſſibilis. 84.1.2
Prædefinitionis probatio ex generatione Dei. 94.2.9
Prædefinitio bonarum operationum melior modus prouidentiæ. 98.1.1.
Prædefinitionis inuincibilis potentia. 99.2.2
Prædefinitio vaga poſſibilis eſt, & de facto datur. 114.2.1
Prædefinitio vaga imperfectionis expers. 115.2.21
Prædefinitio vaga ab obiecto. ibid.23
Prædefinitionis vagæ amplitudo. 116.2.1
Prædefinitione vaga non prædefiniri actiones peccatorum. ibid.
Prædefinitionis requiſita quæ. ibid.5
Prædefinitio vaga abſtrahit à ſcientia media. 117.1.8
Pro vaga prædefinitione S. Thomæ ſuffragium. ibid.2.1
S. Thomæ cautio notanda. 118.1.5
Prædefinitio rerũ in particulari. 135.1.1.& ſeqq.
Patrum teſtimonia, quæ pugnare videntur cõtra prædefinitionem in particulari. 136.2.13
Prædefinitio vel eſt Dei imperium, vel illud infert. 136.2.17
Prædefinitio non eſt imperium totale. 137.1.init.

pro Prædefinitione bonarum actionum in particulari S.Thomæ teſtimonia. ibid.2.1

ad Prædefinitionem quamlibet ſupponitur conditionata ſcientia. 136.22

Prædefinitio determinata, & in particulari probatur. 140.2.1

Prædefinitionis probatio ex rerum diſpoſitione. 144.2.1

Prædefinitionis determinatæ probatio ex debito agendi Deo gratias. 147.1.25

Prædefinitio circunſtantiarum. ibid.2.1

Prædefinitio inſtantis temporis. ibid.3,4

Prædefinitio ſucceſſiuæ diſpoſitionis ad conuerſionem. 148.1.8

Prædefinitio loci. ibid.10

Prædefinitio Incarnationis. ibid.11

Prædefinita in reprobis, ad electorum bonum deſtinantur. 150.1.12

Prædefinitiones rationalium & irrationalium actionum conueniunt, & differunt. 151.1.22

Prędefinitio reproborum, & eorum operationum corroboratur. 154.1.2

A prædefinitione Dei ſolùm opera intrinſecè mala Patres excipiunt. ibid.3

Prędefinitio diſcernit credentem à non credente. ibid.6

Prædefinitio neceſſaria non pertinet ad perfectionem prouidentiæ. 156.1.2

Potuit Deus non prædefinire actiones liberas. ibid.1.4

Prædefinitio determinata eſt perfectio prouidentiæ. ibid.2.7

Prædefinitionem pręcedit ſcientia media. 157.1.1

Prædefinitio poſſibilis ex vi motiuorum infallibilium. ibid.2.4

Prædefinitio determinata per infallibilem motiuorum vim probatur. 161.1.1

Prædefinitionis certitudo ex vi motiuorum infallibilizantium metaphyſica eſt. 163.1.1

Multæ operationes ex vi motiuorum & collectione circunſtantiarum prædefiniri nequeunt. 164.2.2

Aliquæ circunſtantiæ nõ prædefiniuntur motiua infallibilizantia. ibid.5

Naturaliter non potuit Deus per motiua infallibilizantia omnes actiones prędefinire. 165.1.7

Prædefinitio ex vi concurſus effectiui. 167.1.1

Prædefinitio Dei certa & infallibilis vtrùm fieri poſſit abſque phyſica & antecedente neceſſitate illationis. 170.2.1

Prædefinitio qua ratione ſit prior conſenſu libero. 171.1

Prædefinitio permiſſionis ſequitur ex bonarum operationum prædefinitione. 172.2.7

Prædefinitionem expreſsè docet Chryſoſtomus. 331.1.12

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio cauſa ſalutis. 34.1.4

Prædeſtinationis requiſita quæ. ibid.5

Prædeſtinatio in recto ſcientiam, in obliquo voluntatis actum importat. 37.1.1

Prædeſtinationis acceptio apud Doctores. 41.1.9

Prædeſtinatio actiua & paſſiua. 50.1.4

Prædeſtinationis certitudo. 57.2.8

Prędeſtinationum & electorum à reprobis diſcrimen ex Dei electione ante merita. 87.1.3

Prædeſtinatio ante præuiſa merita. 90.1.15

Prædeſtinationis Auguſtinianæ expoſitio. 90.1.16

Prædeſtinatio infallibilis perſeuerantiæ. 93.2.10

Prædeſtinatus ſi ceciderit, infallibiliter ſurget. 94.1.1

Prædeſtinatio ante præuiſa merita. 95.1.1

Prędeſtinatorum determinata compulſio. 101.2 4

Prædeſtinatio ante præuiſa merita. 116.1.28

Prædeſtinatio ſequitur præſcientiam. 137.2

Prædeſtinatorum numerus prædefinitus. 149.1.1

Prędeſtinatorum numerus ad ſcientiam cum efficaci electione coniunctam refertur. 149.1.5

Prædeſtinatio ante præuiſa merita. 199.2.2

Prædeſtinatorum Chriſtus exemplar. 234.2.3

Prædeſtinationis effectus. 274.1.13

Prædeſtinationis nulla ex viribus naturæ cauſa. 321.1.2

Vide *Prouidentia.*

Prædeterminatio.

Prædeterminatio non eſt operans, aut cooperans gratia. 395.1.8

Prędeterminatio ad bonum in communi. 465.2.1

Præmium.

Præmia in futura vita pro laboribus in præſenti toleratis. 12 2 6 & ſeqq.

Præmia bonorum, & pœna ſceleratorum. 13.1.7. & ſeqq.

Præmotio.

Præmotio impulſus, & applicatio tripliciter intelligitur. 398.2.2

Præoccupandi verbum. 355.2.15

Præparatio.

Præparatio Dei duplex. 400.2.13

Triplex. ibid.15

Præſcientia.

Præſcientia & prædeſtinatio differunt. 36.2.11

Præſcientia, pro prædeſtinatione. 39.1.16

Præſcientiæ bonorum operum, & gratuitæ prædeſtinationis concordia. 90.2.22

Præſciri nequeunt futura, niſi ſint præſentia in æternitate. 137 1.18

Præſcientia præcedit prędeſtinationem ibid.2.24

Præſcientia Chryſoſtomi à Maſſilienſium præſcientia diſtat. 332.1.21

Præſens.

Præſentia præponuntur futuris. 112.2.17

Preces.

Preces importunæ. 101.2.6

Deus homines rogat. 102.1.9.

Preces importunæ vim coactionis habẽt. 223.1.10

Precum efficacia non ex obſequio orta. 223.1.12

Vide *Oratio.*

Principium.

Principia prima quæ. 82.1.4

Principiorum cognitio phyſicè & realiter cauſat concluſionem. 408.1.18

Principium in actu primo ad rationem gratiæ cooperantis ſufficit. 409.1.3

Prioritas.

Prioritas rationis in quo conſiſtat. 397.1.2

Progreſſus.

Vide *Generatio.*

Propenſio.

Propenſio ſpontanea auget rationem meriti. 123.1.17

Vide *Agitatio.*

Prophetia.

Prophetiæ diſſentire non poſſumus. 319.1.9

Prouidentia.

Prouideo, vode. 2.1.1,2

Prouidentia quid. 2.1.1
Prouidentia potius, quàm præuidentia dicendum,& cur. ibid.2
Prouidere,ac prouidentiam referri ad anteceſſionem temporis. ibid.3.
Prouidere quid. 2.2.4.34.2.3
Prouidentiæ ſignificatio apud Theologos. ibid.5
Philoſophorum errores circa prouidentiam. 2.2.1.& ſeqq.
Prouidentiæ probatio ex Scriptura. 5.1.1
Tota Scriptura ſacra Dei prouidentiam docet. ibid.2.4,5
Prouidentiæ præſtantiſſimum teſtimonium Incarnatio, & omnes libri noui Teſtamenti. 6.1.6
Prouidentiæ probatio ex Patribus. ibid.7,8,10,11,12
Prouidentia Dei rationibus demonſtratur. 7.1.1
Probatur ex creatione rerum. ibid.& ſeqq.
Ex munere creationis deducitur. ibid.3
Qua neceſſitate Deus prouideat rebus. ibid.5
Prouidentia demonſtratur ex religione. 7.2.6
Probatur naturali propenſione. ibid.7,8,9,10
Prouidentia demonſtratur ex eius quidditate. 8.1.11
Prouidentia demonſtratur concordiâ partium vniuerſi. 9.1.17,18,19
Demonſtratur ex peculiaribus cuiuſuis rei perfectionibus. ibid.20,21,22,23.
Ex diſpoſitionibus rerum humanarum.ibid.24
Prouidentia Dei in rebus minimis ac viliſſimis. 9.2.1
Prouidentia minorum probat curam maiorum. 11.2.18
Prouidentiæ iudicium circa proſperam & aduerſam fortunam[p]iorum & impiorum.12.1.1. & ſeqq.
Prouidentiæ modus optimus quis. 31.2.16
Prouidentiæ actionum malarum & bonarum conueniunt. 32.1.2,3
Prouidentia formalis malitiæ, & prouidentia materialium actionum conueniunt. ibid.4.5,6
Prouidentia Dei iubens,aut permittens. ibid.2.8
Prouidentia Dei geruntur omnia. 33.1.11
Prouidentiæ opera diſtinguuntur. ibid.13
Prouidentia circa malum pœnæ. 34.1.init.
Prouidentia naturalis,& ſupernaturalis. ibid.1
Prouidentia Dei operatio ad intra. ibid.
Prouidentia definitur. 34.2.3
Prouidentia quandoque voluntas, quandoque ſcientia dicitur. 35.1.7
Prouidentiam formaliter in voluntate qui conſtituerint. ibid.2.1
Prouidentia & prædeſtinatio in actu intellectus potiſſimum conſiſtit. 37.1.1
Prouidentiæ privatio,ignorantia. ibid.2.5
Prouidentiæ etymon. 40.1.42
Prouidentia determinat ordinationes in fines. 44.1.4
Prouidentia exemplaris cauſa. 48.1.15
Prouidentia non ſemper aſſequitur finem. 54.2.1
Quo ſenſu prouidentia non requirat aſſecutionem finis. 56.1
Non eſt de ratione prouidentiæ conſequi particulares fines. ibid.
Dei prouidentia non poteſt fruſtrari. ibid.2
Quomodo prouidentia Dei ſemper conſequatur finem intentum. ibid.3
Prouidentia eſt efficax comparatione finis, qui eſt effectus Deo proximior. ibid.
Eſt efficax quantum ad finem particularem. ibid.4
Efficax quantum ad finem vniuerſaliſſimum. ibid.5
Hæc efficacia probatur. ibid.6.& ſeqq.
Prouidentiæ diuinæ affectus certiſſimus. 57.1.4
Prouidentia voluntatem antecedentem & conſequentem complectitur. ibid.2.7
Prouidentia conditionata. 58.1.11
Prouidentia à creatione diſtinguitur. ibid.2.1
Prouidentiæ opus bipartitum. 59.1.3
Prouidentia & creatio diſtinctæ realiter. ibid.5
Prouidentia & creatio ſe inuicem includunt. ibid.2.7
Prouidentiæ proprium. ibid.8
Prouidentia propriè non comprehendit creationem. ibid.10
Prouidentiæ acceptio propriè dictæ. ibid.
Prouidentia diſpoſitionem includit. 60.1.3
Prouidentia non niſi in Deo conſtituta. ibid.4
Prouidentia cauſa rerum exemplaris. 61.1.1
Prouidentia efficiens cauſa rerum. ibid.2.3
Rebus Deus immediatè prouidet. 78.2.1
Prouiſores intermedij. ibid.2
Quantum ad executionem Deus mediatè prouidet. ibid.3
Prouidentię rationalium,& irrationalium diſcrimen. 150.2.20
Prouidentiæ diuinæ duplex perfectio. 155.2.1
Prouidentiæ multiformitas perficit vniuerſum. 165.1.8.
Tota prouidentia imaginē Dei exprimit.ibid.9
Duplex naturalis prouidētię acceptio. 276.1.6
Prouidentiæ diuinæ ſuauitas. 209.2.8
Hæc prouidentiæ ſuauitas in quo ſit. ibid.10
Prouidentiæ ſupernaturalis laus. 193.1.1
Prouidentia & prædeſtinatio libera. 42.1.6
Prouidentia non reſpicit æqualiter res poſſibiles. ibid.8
Prouidus quis. ibid.9
Vide *Prædeſtinatio.*

Pulchritudo.

Ad pulchritudinem res viliſſimæ conferunt. 12.1.19.

Prudentia.

Prudentis etymon. 2.1.2
Prudentia actus intellectus. 39.2.21,22,23
Præuidentia idem quod prouidentia. 61.1.3

Q

QVærendi & inueniendi vſurpatio in ſacris. 230.1.1

R

RAbbi Moyſis error circa prouidentiam. 5.1.24

Ratio.

Rationes effectrices, pro exemplaribus. 61.2.4
Ratio ſpecifica realiter multiplex in indiuiduis. 122.1.8
Ratio ſpecifica ſubeundi mortem fuit Chriſto ſpontanea. 123.1.18
Ratio, conditio & occaſio repugnant gratiæ. 223.2.17

Rationalia.

Rationalium, & irrationalium prouidentiæ diſcrimen. 150.2.20

Digitized by Google

Rationalium & irrationalium actionum prædefinitiones eonueniunt & differunt. 151.1.22

Raymundus.

Raymundus Lullius Maſſilienſium errorem docuit. 195.2.15
Recordandi verbum. 38.2.12

Regulus.

Reguli fides. 315.1.18

Relatio.

Relatio tranſcendentalis non eget reali extremorum diſtiuctione. 411.2.12

Religio.

Religiouis ingreſſus. 454.1.7
Relinquo, pro efficaciter præſtino. 173.2.7

Reliquiæ.

Reliquiæ electorum relictæ gratis. 89.2.12

Remigius.

Remigij ſeutentia reiicitur. 206.1.16

Reprobus.

Reproborum media quibus ſaluari poſſint. 55.1. init.
Reprobi potuerunt prædeſtinari. 85.2.17
Reproborum ſalus poſſibilis. 94.1.2
Reproborum numerus prædefinitus. 149.2.9 & quomodo. 150.1.11
Reproborum & eorum operationum prædefinitio corroboratur. 154.1.2
Reproborum numerus prædefinitur quantum ad prædeſtinationis negationem & permiſſionem peccati. 150.1.13
Quantum ad poſitiuam reprobationem non prædefinitus. ibid.14
Numerus reproborum prædefinitus quantum ad prædeſtiuationis negatiooem & permiſſiouem peccati. ibid.13
Non eſt prædefinitus qoantum ad poſitiuam reprobationem. ibid.14

Res.

Res caſo ſactas qui dixerint. 3.1.5
Res fiunt & gubernantur ratione diuina. 8.2.16
Rebus etiam minimis ac viliſſimis Deus prouidet. 9.2.1
Rerum viliſſimarum prouideotiâ Deus nou ſordeſcit. 10.1.4
Res etiam viliſſima Dei perfectionis particeps. ibid.2.10,11
Res viliſſimæ cur Dei prouidentiâ dignæ. 11.1. 12,13
Res viliſſimæ ad pulchritudinem conferunt. 12.1.19,20
Rerum duo genera. 30.1.5
Rerum omnium dependentia à Deo eſt. 66.1.1, 5.68.1.18
Rerum incorruptibilium productio à Deo.69.1.1
Res ſe conſeruare qui putarint. ibid.2
Res non exiſtens agere non poteſt. 70.2.5
Res incorruptibiles vt conſeruentur oon indigent Dei minori concorſu. 71.2.16
Se indirectè conſeruant. 72.1.19
A ſolo Deo conſeruari putarunt aliqui. ibid. 2.1
Rerum corruptibilium conſeruatio creaturis mediis. 73.1.8
Res corruptibiles cœlum conſeruat. ibid.2.init.
Rerum indiuiduatio. 76.2.init.
Rerum fines intendere Dei proprium. 115.1.15
Inter res phyſicas & morales non datur diſcrimen aſſignatum. 12.72.22
Rerum differentiæ numericæ, & circunſtantiæ ſunt entia ventura. 140.2.2
Rerum omnium diſpenſatio ad hominum vtilitatem probat determinatam prædefinitionem. 144.2.1
Rerum omnium irrationalium prædefinitus numerus. 150.1.init.
Res à oatura datas, nou ſeruari integras, niſi Dei auxilio. 350.1.16

Reſpiciendi verbum.

Pro prouidentia. 38.1.9

Rex.

Regum atque magnatum error circa prouidentiam. 5.1.15

Ruffinus.

Vide 195.1.13

Rupertus.

Ruperti ſententia circa adultos. 105.1.9
Eiuſdem peculiaris impugnatio. ibid.2.11

S

Sacerdotium.

SAcerdotium. 454.2.10

Sacramenta.

Sacramentorum forma in verbis inſtituta. 49. 1.24

Sæculum.

Sæculum, & ordo ſæculorum, pro vniuerſitate creaturarum. 28.1.iuit.

Salus.

Salutis ſimplex complacentia, & antecedens voluntas multipliciter differunt. 55.2.9. & ſeqq.
Salus reproborum poſſibilis. 94.1.2
Nihil ad ſalurem vtile ſine gratia fieri poteſt. 219.1.1
Adamus naturæ viribus non habuit ſalutis initium. ibid.2.4
Vide *Iuſtificatio.*

Salutatio.

Salutationes, ſeu benedicentis imprecationes in ſacra Scriptura frequentes. 360.1.24

Samaritana.

Samaritana apud Ioanuem. 311.2.3.313.2.1

Sapientia.

Sapientia, pro gratia. 419.1.18

Scandalum.

Scandalum actiuum quale. 208.2.2
Scandalum paſſiuum quid. 209.1.4

Scholaſticus.

Impropria Scholaſticorum locutio quatuor articulis contenta. 255.2.5.& ſeqq.
Alius articulus: Dolor de peccatis proximis diſponit ad gratiam. 254.1.18
Impugnatur. ibid.17
Quorundam exceptiones impoſſibiles. ibid.
Alter: Ante iuſtificantem gratiam nihil ſupernaturale concedit. ibid.18
Summum Pontificem & Scholaſticos Pelagiani erroris accuſant hæretici. ibid.20
Scholaſticorum authoritas plurimum valet. 254. 2.21
Dei protectio circa Theologorum ſcholam. ibid.22

Scientia.

Scientia ſpeculatiua in prouidentia incluſa æqualiter

liter circa peccata, & reliquas priuationes, 14 2.4
Scientia practica non tanta plenitudiόe verſatur circa materiam peccatorum. ibid.5
Scientia communior, quàm prouidentia. 35.1.6
Scientia, pro prouidentia. 39.1.15
Scientia ad prædeſtinationem neceſſaria debet eſſe practica. 41.2.2.
Tribus partibus conſtat. ibid.3
Scientia de poſſibilitate mediorum non eſt formaliter prædeſtinatio. 42.1.5
Scientia ſimplicis intelligentiæ non eſt determinata regula. 47.2.9
Scientia Dei à prouidentia differt. 61.1.11
Scientia diuina rerum effectrix. 62.1.8
Scientia non factiua reprobi numerati. 149.1.5
Scientia media præcedit prædefinitionem. 157.1.1
Scientia infallibilis euentus omnino eſt certa. 163.2.2
Scientia conditionata non miniſtrat rationem prædeſtinandi. 207.1.23
Scientia conditionata ſolidiſſimo fundamento ſubnixa. ibid.1.init.
Vide *Ars.*

Semipelagiani.

Semipelagiani ſupernaturalis gratiæ neceſſitatem non negabant. 196.1.3
Semipelagianus error decem articulos continens. ibid.1 4
1. Sola gratia externæ prædicationis inchoari iuſtificationem. ibid.
2. Gratiam præuenientem non eſſe neceſſariam. ibid.5
3. Fidem imperfectam alióſque actus fieri poſſe ſine gratia. ibid.7
4. Poſita illa fide Deum tribuere diſpoſitiones proximas ad iuſtificationem. 197.1.11
5. Actus prædictos diſponere ad iuſtificationem. ibid.12
6. Eſſe imperatorios & meritorios. ibid.13
7. Elicienti illos infallibilem eſſe conſecutionem gratiæ. ibid.14
8. Nulli dari auxilium gratiæ niſi priùs illud meruerit. ibid.2.17
9 Perſeuerantiæ & gloriæ initium eſſe conatus humanos. 198.1.22
10 Humanos conatus conditionaliter futuros eſſe cauſa gratiæ. ibid.
Semipelagiani operibus naturalibus concedebant meritum. ibid.1.1
Quorundam Theologorum placitum. ibid.2.3
Solum meritum de congruo concedebant. ibid.5
In eodem merito proportionem, & promiſſionem Dei concedebant. 199.1.8
Semipelagianorum error de meritis cōditionatis paruulorum. 202.2.2
Semipelagianorum error circa adultos. 204.2.1
In eodem errore fuerunt Arriani. ibid.2
Contra prædictum errorem ſunt experientia, & hiſtoriæ. 205.1.4
Prædictus error duplex meritum præmiúmque tribuit. ibid.8
Semipelaginorum error. 193.2.1
Quo tempore excitatus. 194.1.1
Quicumque articulus Semipelagiani erroris, & quælibet illius pars gratiæ contraria. 224.1.22
Semipelagiani perfectam fidem gratia indigere fatebantur. 237.2.7
Ad Semipelagianos quantum aliqui accedant. 249.1.21

Senſibile.

Senſibilia cur vehementer alliciant. 112.1.12
Notitia ſpiritualium, & ſupernaturalium per ſenſibilia comparata. ibid.
Senſibilium bonorum connaturalitas. ibid.14
Frequentia, per quam venia ſenſibilia pulſant animos. ibid.15

Senſus.

Vide 466.1.4

Signaculum.

Signaculi notio. 39.1.17

Sors.

Sortis analogia. 87.2.11.
Sortis vis. ibid.
Sors ab electione diuina. ibid.12
Sors pro hæreditate. 88.1.15
Sors, dona gratuita. ibid.16
Sors, de gratia. 230.2.5

Spes.

Spei certitudo, & generalitas. 86.1.24
Spes in Deo collocanda. 232.2.10
Spes in humanis viribus poſita fallit, atque confundit. 134.1.19

Spiritus.

Spiritus inferiores ſuperioribus illuminantur. 79.2.11
De eodem ſpiritu quo Chriſtus natus, Chriſtianus renatus. 334.2.5
Spiritus Dei operans, & gratia agens. 358.2.5

Status innocentiæ.

Status innocentiæ, & naturæ lapſæ diſcrimen. 453.1.10
In ſtatu innocentiæ ad perſeuerandum generale auxilium ſufficiebat. 482.1.23
Quale auxilium debitum ſtatui innocentiæ. ibid.26
In ſtatu innocentiæ ad quemlibet actum neceſſaria gratia. ibid.2.31
Status innocentiæ, & naturæ lapſæ diſcrimen. 484.2.11

Stoicus.

Stoicorum error circa prouidentiam. 3.1.7

Suauitas.

Suauitas, pro gratia. 217.1.13

Supernaturalitas.

Supernaturalitas extrinſeca nihil valet. 380.2.3
Supernaturale quid. 384.2.12
Dubium de veritate ſupernaturali. 313.2.1
De ſupernaturali veritate opinio. 315.1.14
Supernaturalium naturalis cognitio improportionata. 316.2.1

T

Talentum.

TAlentum gratia ſubſequens. 305.1.8
Talenta gratiæ gratis datæ. ibid.2.9

Tempus.

Temporis prædefinitio. 147.2.3,3
Tempus turpium actionum præſcriptum. 148.2.12

Temp

Tentatio.

Dioturna tentationum victotia eget ſupernaturali auxilio. 307.1.5

Terminus.

Termious infallibilitatis noo eſt idem in omnibus. 126.1.17

Terminus idem io diuerſis circumſtantiis diuerſus. ibid.2.18

Termioos gratiæ. 127.1.25

Terminus infallibilitatis certus, ac fixus. ibid. 2.30

Terra.

Terra immobilis. 427.1.53

Terror.

Terrores & flagella. 104.2

Timor.

Timor compulſionis cauſa. 105.1.5

Totum.

Totius perfectio qualis. 28.1.9

Tractio.

Tractio, pro compulſione. 100.1.10

Trahere, idem quod dare. 238.2.9

V

Veniale.

VEoialium multiplicitas ſpecialis aoxilij deſtitutionem meretur. 110.1.25

Iuſtus ſine ſpeciali auxilio ſingula venialia vitare poteſt. ibid.

Omnia venialia ſine ſpeciali priuilegio nec iuſtus vitare poteſt. ibid.2.23

Venialia coniiciunt homines in tentationes graniores. 589.2.1

Veniendi verbum.

Venire ad Chriſtum, pro credere. 238.2.6

Verbum.

Verbom, pro imperio. 62.2.5

Veritas.

Dubium de veritate ſupernaturali. 313.2.1

Veritatis inquirendæ modum. 314.1.5

De veritate ſupernaturali opioio. 315.1.14

Veritatis amor, & deceptionis odium omnibus neceſſariò inſunt. 467.2.12

Victoria.

Dioturna victotia eget ſupernaturali auxilio. 307.1.5

Videndi verbum.

Vide 37.2.6, 301.2.33

Vincentius Lyrinenſ.

Vincentio Lyrinenſi error falsò adſcribitor. 194. 2.7

Vir.

Vir diuinus, pro magni nominis. 473.2.28

Vires.

Vti magno conatu viribus naturæ vtile. 278. 2.21

Virgo.

Sanctiſſimæ Virginis naturales vires. 289.3.29

Virgo ſanctiſſima, Dei genitrix ad quaſcumque ſupernaturales operationes indiguit præueniente gratia. 489.2.1

Noua gratia præueoiente indiguit nunquam. 490.1.2

Quando capiebat ſomnum, diuinæ vacabat contemplationi. ibid.3

Copioſiſſimis gratiis excitabatur. ibid.5

Sanctiſſima Virgo, Angeli & Adamus diſpoſiti fuere ad gratiam. 495.1.5

Virtus.

Vittus fortiot plus extenditur. 20.1.3

Virtutum ſumma perfectio. 31.1.12

Virtus, pto potentia. 62.2.5

Virturem psopter ſe diſplicere impoſſibile. 512. 2.18

Vittus naturæ diuinitus iodita. 350.1.14

Viſio.

Viſio io Vetbo. 298.1.20

Vide 466.1.4

Vita.

Vita æterna de fide. 93.1.3

Vnio.

Volo bypoſtatica humanitati gratis collata. 234. 2.8.

Vnio hypoſtatica comparatione Virginis gratiæ. 235.2.13.

Vniuerſum.

Vniuerſum diuinarum perfectionum ſpeculum. 29.2.19

Vniuerſi perfectio per peccatum. 31.2.27

Vocatio.

Vocatio, pro iuſſione. 63.1.8

Vocati ſecundùm propoſitum. 89.2.10

Vocatio duplex ea Auguſtioo. 91.1.8

Vocatio prædeſtioatorum propria. ibid.3

Vocationis duplicis diſcrimen. ibid.3,4

Vocatioois ſecundùm propoſitum inſuperabilis virtus. ibid.2.7

Vocatio alta & ſecreta. 92.1.11

Vocatio ſpecialis & generalis. ibid.

Vocationis huius efficacitas. ibid.12

Vocatio ſecundùm propoſitum prædeſtinationis effectus. ibid.

Vocatio congrua datur ea intentione cooperationis. 154.1.5

Vocatio omni merito noſtro prior eſt. 227.1.4

Modus vocandi tudes. 311.2.8

Vocatio Dei ſolius. 355.2.init.

Vocatio, præueniens gratia. 377.2.8

Vocatio à ſolo vocantis pendet arbitrio. 378.2. init.

Vocatio ooo ſolùm externam prædicationem, ſed & internam inſpirationem comprehendit. 379.1.16

Vocatio gratiæ cooperantis pars. 403.1.8

Sequi Deum vocantem, idem eſt quod gratiæ diuinæ cooperari. ibid.12

Vocatio non eſt præcipua pars præſtans coocurſum. 404.2.26

Vocatio Pauli. 495.2.7

Volitio.

Volitio diuina libera, non contingens. 19.2.3

Volitio permittendi peccata continetur in prooidentia. 24.2.6

Volitio ordinandi peccata continetur in prouideotia. ibid.7

Volitio libera, realis & intrinſeca Dei perfectio. 50.2.9

Volitio plena & abſoluta liberarum operationum. 99.1.7

Volitio libera in oobis ſine nobis. 387.1.7

Volitio interior, & exterior dupliciter. 390. 1.12.

In qualibet ſupernaturali volitione aliqua ratio operantis gratiæ repetitur. ibid.16

Quæ

Quælibet volitio ſpontanea eſt. 392.1.18
Primæ volitionis differentia duplex. 469.2.15
An in exordio deliberationis volitio prima ſit de bono in communi. 470.2.14
Quando vigilamus ſemper neceſſariò exiſtit volitio aliqua. 474.2.9
Volitio ſe falſificans. 478.1.8
Volitiones noſtræ nos ſæpe latent. ibid.12
Quando deliberamus, neceſſariò aliquam volitionem elicimus. ibid.2.16
Vide *Actus*, *Amor*.

Voluntas.

Voluntas antecedens qua ratione ſit optima. 31.1.
Voluntas conſequens qua ratione coacta. ibid.
Voluntas mouet intellectum. 51.1.14
Voluntas antecedens non eſt ſimpliciter voluntas. 58.1.13
Voluntatis diuinæ abſolutum dominium. 88.2.1
Voluntatis præparatio prædeſtinationes probat. 92.1.13
Voluntatis ad honum inſita propenſio. 111.1.5
Voluntas non rapitur à bono finito clarè viſo. 162.1.12
Voluntas humana non eſt primum deliberans. 171.1.4.
Voluntas duplex. 383.2.2
Motio ad primum voluntatis actum. 468.2.1
Voluntas nequit eſſe ſine aliqua volitione. 475.1.5
Quandiu voluntas non poteſt deliberare, naturaliter operatur. 478.1.14

Vſquemodò aduerb.

Vide 71.2.14

Vxor.

Vxor Pilati. 500.2.4

VV

VViteleph præuenientis gratiæ neceſſitatem, & poſſibilitatem negat. 195.2.14

Z

Zachæus apud Lucam. 299.1.4

F I N I S.

BIBLIOTECA ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google